Objectio Tertia sumitur ex testimonio illo 1. Jo: 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Responsio: S. Augustinus lib. 2. de peccator. merit. et remiss. cap. 7. dicit, justos in hac vita partim esse filios Dei ratione gratiae justificantis, partim filios hujus saeculi, ratione carnalis concupiscentiae, quae ex peccato primi hominis in nobis relicta est; et quidem ut filios Dei non peccare, sed perfici quotidie magis ac magis; tamen ut filios hujus saeculi ratione infirmitatis nondum omnino sublatae aliquando labi. S. Bernardus serm. 1. de septuagesima, refert hunc locum ad praedestinationem, ac dicit, filios Dei non peccare, ita ut in peccato permaneant? *Omnis,* inquit, *qui natus est ex Deo, non peccat, idest, non permanet in peccato, quia conservat illum (utique ut perire non possit) quae falli non potest generatio coelestis.* Sed optime omnium videntur hunc locum exposuisse s. Augustinus tract. 5. in epistola s. Joannis, et s. Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos, qui docent, homines justos, dum justi sunt, non posse peccare eo peccati genere, quod repugnat justitiae, sive charitati, quae est verissima, perfectissimaque justitia. Itaque de venialibus peccatis, quae cum charitate non pugnant, scripsit s. Joannes: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus etc.* De lethalibus autem: *Qui natus est ex Deo, non peccat etc.*

Objectio Quarta sumitur ex testimonio illo Luc. 1. *Erant autem justi ambo, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Videtur enim hoc loco sanctus evangelista Lucas, postea quam dixerat, *Erant autem justi ambo,* explicare voluisse quid sit esse justum, et ideo adjunxisse: *Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Quae explicatio removere videtur ab homine justo peccata omnia non solum gravia, sed etiam levia. Et confirmabat hoc argumentum Pelagius ex commentario s. Ambrosii in hunc locum evangelii, ubi s. Ambrosius invehitur in eos, qui putant homines non posse absque peccato vivere.

Responsio: Ad locum evangelii respondet s. Augustin. in lib. de perfectione justitiae, et in libro de gratia Christi, cap. 48. et 49. aliud esse vivere sine querela, aliud vivere sine peccato: illum enim sine querela vivere, de quo homines queri non possunt, qui nemini noceat, omnibus prosit, scandalum nulli tribuat, licet coram Deo peccatis venialibus non careat, et tales fuisse Zachariam et Elisabeth. Ad commentarium s. Ambrosii respondet ibidem Augustinus, s. Ambrosium aut postea sententiam suam humiliter correxisse, aut solum significare voluisse posse homines sine peccato vivere non absolute, sed secundum quendam modum, ita ut sine querela inter homines conversentur. Nam idem Ambrosius in commentario Isaiae (quem Augustinus eo loco citat) aperte scribit, neminem in hac vita sine peccato, aut omnino immaculatum esse posse.

Est autem hoc loco observandum, quod tametsi dixerimus, nullum, quantumvis justum et sanctum, potuisse in hac vita sine peccatis venialibus vivere, semper tamen excipimus Dominum nostrum Jesum Christum, et ejus matrem semper Virginem Mariam. Nam potissima causa, cur a peccatis venialibus omnino liberari nequeamus in hac vita, est concupiscentia illa carnis, quae et peccati fomes a theologis dicitur, quam ex justitiae originalis amissione contraximus; Christus autem concupiscentia illa omnino caruit, quippe qui de Virgine virtute Spiritus sancti conceptus fuit. Ipsa autem

sancta Virgo (ut s. Thomas docet in 3. par. quaest. 27. art. 3.) in prima sanctificatione, vel a fomite plane liberata, vel (quod ipsa magis probat) tanta gratiae copia repleta fuit, ut fomes in ea ligatus manserit, ac deinde in ipsa filii conceptione penitus ablatus fuerit: Itaque de Christo legimus: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1. Pet. 2. De Virgine autem: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*, Cant. 4.

De eadem s. Cyprianus (vel quicumque fuit auctor, sine dubio antiquus et doctus) in serm. de nativitate Christi: *Plurimum*, inquit, *a caeteris differens (Maria) nvtura communicabat,non culpa.* De eadem s. Ambrosius serm. ult. in psalm. 118. *Suscipe*, inquit, *me non ex Sara,sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Et s. Augustinus lib. de natura et gratia, cap. 36. *Excepta*, inquit, *sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum , quem constat nullum habuisse peccatum.* Et s. Anselmus lib. de conceptu virginali, cap. 18. *Decuit*, inquit, *ut ea puritate Virgo niteret, qua major sub Deo nequit intelligi.* Et s. Bernardus in epist. 174. *Ego*, inquit, *puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, et vitam deinceps ab omni peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam Virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitae et justitiae omnibus obtineret.* Idem docet s. Thomas in 3. par. quaest. 27. artic. 4. S. Bonaventura et caeteri theologi in 3. sentent. dist. 3. et copiose Richardus de s. Victore in 2. lib. de Emanuele. Denique concilium tridentinum sess. 6. can. 23. ita concludit: *Si quis dixerit, hominem semel justificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Neque movere debent testimonia Chrysostomi, Ambrosii et Augustini, quae contra citat Calvinus in Antidoto hujus canonis concilii tridentini. Nam testimonium Ambrosii,quod ille citat, nusquam extat; testimonium autem Augustini generale est, et exceptionem admittit,quam ipse Augustinus in alio loco adhibet, ut nos ostendimus.Chrysostomus videtur quidem aliquid dicere adversus ea quae communiter Patres docent:tamen et verba ejus benigne exponi possunt,et ipsa sibi anteferri sine dubio patietur communem Patrum consensum,et ipsas graecas liturgias, in quibus asseritur beata Virgo plane irreprehensa et incontaminata, sanctior cherubin et seraphin. Vide plura apud Canisium nostrum lib. 1. de beata Virgine, cap. 10. et lib. 4. cap. ult.

CAPUT VII.

Refellitur error Joann. Wicleffi et Joann. Calvini.

Demonstravimus hactenus, esse discrimen aliquod inter peccata, et quaedam eorum lethalia, quaedam venialia recte nominari. Nunc ii refellendi sunt, qui distinctionem istam admittunt, sed perversa interpretatione depravant. Ac imprimis occurrunt Joann. Wicleffus et Joann. Calvinus, qui (ut supra ostendimus) peccata venialia dici volunt omnia peccata praedestinatorum,mortalia vera peccata omnia reproborum. Quam sententiam non solum catholici doctores, sed etiam Lutherani ex Scripturarum exemplis firmissima ratione confutant. Nam profecto Adam praedestinatus erat, et nunc in coelo cum beatis spiritibus regnat. Nam inter haereticos numerant Tatianum, qui negabat, Adamum salvum esse.Irenaeus lib. 1. cap.31.Tertullian. lib. de praescript. haeret.Epiphanius haeres. 46. et Augustinus in lib. de haeresibus, cap. 25. et tamen eundem Adamum lethaliter peccasse, et vere a gratia Dei excidisse nemo unquam negavit, cum Apostolus dicat : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors*, Roman. 5. Et cum Deus tam aperte comminatus esset: *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris* , Genes. 2. Quod de morte non solum corporis, sed etiam animae intelligendum esse docent sancti Patres, Ambrosius lib. de paradiso, c.9.August. lib. 13. de civit.Dei can. 12. et Gregor. lib. 5. epist. 14.

Adde etiam quod non solum lapsus est Adam in peccatum lethalis inobedientiae, sed etiam fidem amisit, quam amitti non posse Calvinus existimat. Audi Tertullianum in secundo libro adversus Marcionem: *Quis dubitavit ipsum illud Adae delictum haeresim pronunciare?* Et infra: *Rudis admodum haereticus (Adam) fuit.* Audi sanctum Ambrosium in epist. 33. ad sororem Marcellinam : *Agnoscis Adam, esse te nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Et lib. 7. in Lucam, can. 47. dicit, Adamum exutum fuisse fidei vestimento, cum primum peccavit. Audi sanctum Augustinum lib. 14. de civit. Dei, canon. 17. *Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes et obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas et inobedientia quid nocerent.* Et lib. 1. in Julianum, cap. 2. idem probat testimonio sancti Olympi episcopi hispani.Audi s. Prosperum in responsione ad tertium dubium genevensium: *Credendo Adam diabolo, non credidit Deo.* Et infra: *Quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur,nisi ea idem spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet?* Et infra: *Omnes igitur quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam habemus accipere.* Cum igitur Adam electus ac praedestinatus fidem semel habitam peccando perdiderit, et reus mortis aeternae constitutus fuerit, falsum omnino esse convin-

citur, quod Wicleffus et Calvinus, et ante eos Jovinianus asseruit, peccata praedestinatorum non posse esse lethalia, praesertim si fidem aliquando habuerint.

Alterum exemplum est sancti prophetae David, quem praedestinatum fuisse, atque adeo salvum et sanctum esse nemo negare potest, cum Dominus dicat in evangelio, Lucae 13. *Cum videritis Abraham, Isaac et Jacob et omnes prophetas in regno Dei.* Certe enim si omnes prophetae erunt in regno Dei, sine dubio non aberit David, qui per excellentiam prophetae cognomen invenit. Eundem fuisse fidelem et justum, antequam in peccatum adulterii et homicidii laberetur, aeque certum est, Nam apostolus Paulus Actor. 13. sic ait de eo: *Suscitavit illis (Deus) David regem, cui testimonium perhibens dixit: Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum.* Et psalmi ejus aperte indicant fuisse Davidem plenum fide et Spiritu sancto.

Porro eundem lapsum esse in peccata mortalia, eaque gravissima, ac per hoc Spiritum sanctum excussisse, et gratia excidisse facile probari potest. Nam in primis hoc apertissime docet ipse David in psalm. 50. ubi proprie (ut ex titulo constat) deflet adulterium suum et homicidium occasione Bethsabeae commissum, ubi inter caetera dicit: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* Et: *Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Nec sane peteret cor mundum in se creari et renovari spiritum rectum, nisi crederet per peccatum munditiem cordis et rectitudinem spiritus se amisisse. Quod vero subjungitur. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Non significat, in eo peccante remansisse habitatorem Spiritum sanctum, qui in solis justis proprio inhabitat: Sed significat (Augustino teste) spiritum coepisse iterum Davidi adesse, cum ei poenitentiam inspiravit, et ideo Davidem, qui donum Dei non ignorabat, precatum esse a Deo, ut Spiritum illum sanctum, poenitentiae lachrymas in se excitantem, non auferret. Quod autem David reconciliationem adhuc expectaret et peteret, perspicuum est ex verbis sequentibus: *Redde mihi laetitiam salutaris tui.* Et rursum: *Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exultabunt ossa mea humiliata.* Et: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

His accedunt testimonia Patrum. Nam s. Ambrosius in lib. de apologia David, cap. 16. explicans illud: *Libera me de sanguinibus etc. Ad Uriae mortem,* inquit, *potest referri, quod mandatae necis ejus conscius veniam tanti poscat admissi.* Et infra: *Quibus vinculis se enodari desiderans divinum sibi precatur auxilium, ut ab omni criminis perpetrati labe mundetur.* Et infra: *Non est mirum, quod tam graviter doleat fundendi sanguinis innoxii sibi obrepsisse peccatum. Ideo liberari se a sanguinibus, hoc est a peccatis mortalibus postulavit.* His verbis Ambrosius Davidis adulterium et homicidium, peccata mortalia fuisse docet, cum et crimina et vincula, et tanta admissa et expresse peccata mortalia nominet.

S. Augustinus tract. in psalm. 50. ita Davidem loquentem inducit: *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. Subveni gravi vulneri secundum magnam medicinam tuam. Grave est quod habeo, sed ad omnipotentem confugio. De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem.* Et hic vides peccatum Davidis grave et lethale nominari, et ejusmodi, ut fere ad desperationem posset adducere.

S. Hieronymus in epist. ad Oceanum de obitu Fabiolae describit poenitentiam publicam Davidis, qualis in Ecclesia pro magnis sceleribus fieri solet. Ex quo satis indicat, grave admodum fuisse peccatum Davidis.

S. Gregorius lib. 22. Moralium, cap. 13. scribit, peccatorum similem esse Lazaro mortuo, qui Domini voce revocatur ad vitam: atque exemplum Davidis adducens ait: *Unde David propheta ab illa tanti mole facinoris reviviscens ad vocem Domini, quasi foras exiit, dum per Natham correptus, quod fecerat accusavit.* Ex his igitur manifestum est, Davidem praedestinatum, fidelem et justum in peccatum mortale incidisse, et rursus per poenitentiam ad gratiam Domini rediisse: ac proinde falsam atque etiam apertissime falsam Wicleffi et Calvini esse sententiam.

Tertium exemplum est apostoli Petri, quem praedestinatum fuisse, et nunc salvum, sanctum et beatum esse nemo negat, cum b. Joannes in extremo evangelio suo tam luculentum testimonium reddiderit beatae morti ipsius. Nam cum Dominus Petro dixisset: *Cum senueris alius cinget te, et ducet quo tu non vis,* subjunxit evangelista: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Eundem Petrum fidelem et justum fuisse antequam Dominum ter abnegaret, testis est Christus ipse, qui et Matth. 16. eum *beatum* appellavit, et Joan. 13. eidem dixit: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Et vos mundi estis, sed non omnes etc.*

Eundem autem mortale peccatum, et quidem gravissimum admisisse, cum ad vocem ancillae Dominum negavit, nec solum negavit, sed etiam jurejuranda et anatematizando negationem confirmavit, testantur lachrymae et poenitentia ejus. Nam (ut scribit Matthaeus cap. 26.) post tantum admissum facinus amare flevit. Testantur etiam sancti Patres idipsum passim, sed ut non laboremus in re perspicua, unus hoc loco sufficiet Augustinus, qui tract. 66. in Joan. non solum hoc docet, sed etiam contendit ita esse, nec posse, salva fide aliter dici. Inter alia sic Petrum alloquitur: *Timendo mortem carnis tuae, mortem dabis animae tuae. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Et infra: *In anima Petri contigit, quod offerebat in corpore, non tamen pro Domino, quod temere praesumebat, praecessit, sed aliter quam putabat; namque ante mortem et resurrectionem Domini, et mortuus est, negando, et revixit plorando. Sed mortuus est, quia superbe praesumpsit; revixit autem, quia benigne ille respexit.* Ecce quoties Augustinus repetit, Petrum in anima mortuum esse, ac proinde peccatum mortale commisisse, cum Christum negavit. Et audet tamen Calvinus dicere: Fideles praedestinatos lethaliter peccare non posse.

His omnibus accedat manifesta ratio ex adversa-

riorum ducta principiis. Actiones illas Adami, Davidis, Petri, ex genere suo peccata fuisse, nemo negare potest, nisi praevaricatio coelestis mandati specialis, adulterium, homicidium, Christi abnegatio cum execratione et perjurio alicui non videantur esse peccata; ea vero peccata a scientibus et volentibus commissa, atque adeo voluntaria fuisse, extra controversiam est. Quaero igitur, an ea peccata simul cum fide justificante in hominibus illis Adamo, Davide, Petro, consistere potuerint, an non potuerint. Nam si non potuerunt, excusserunt fidem justificantem, ac per hoc lethalia fuerunt, quod nos contendimus. Neque ipsi hoc negare possunt, cum ex communi adversariorum doctrina illa sunt mortalia peccata, quae cum fide consistere nequeunt.

Si vero dicat Calvinus peccata illa Adami, Davidis, Petri, cum fide consistere potuisse: sequitur, posse homines semel justificatos libere praevaricari Dei mandata, adulteria et homicidia perpetrare, Christum abnegare, addita etiam execratione, atque perjurio. Nam si haec in hominibus semel justificatis cum ipsa fide justificante manent, hoc ipso a Deo non imputantur, nec tam sunt venialia et remittenda, quam reipsa condonata, atque dimissa, neque reum faciunt ullius poenae ac supplicii. Hoc vero dogma nemo non videt quam sit absurdum et perniciosum. Huc igitur disputationis summa perducitur, ut vel concedere cogatur Calvinus posse homines fideles et praedestinatos peccare lethaliter, ac per hoc non esse peccata omnia praedestinatorum, post fidem semel adeptam, venialia: vel praedestinatis fidelibus, idest, vere fidelibus licentiam tribuat adulteria, homicidia, perjuria, et alia id genus scelera impune ac libere perpretandi.

Videtur autem Calvinus hoc posterius membrum eligere. Nam tametsi in antidot. concil. tridentini sess. 6. can. 27. scripserit, ubi fides regnat, nullum esse peccatum: tamen can. 28. addit semen fidei, idest, fidem veram et vivam, sed sopitam manere cum gravissimis lapsibus: *Semen*, inquit, *aliquod fidei manere in homine licet suffocatum, etiam inter gravissimos lapsus non nego, id quantulumcumque est, particulam esse fateor verae fidei; addo etiam vivae, quando aliter non posset ex ea oriri fructus. Verum quoniam non apparet ad tempus, nec se usitatis signis exerit. perinde habetur atque emortua, quoad sensum nostrum.* Itaque cum velit manere fidem veram et vivam in homine cum gravissimis lapsibus, licet ea non se prodat exterius: et certo sibi persuaserint adversarii, fidem justificare et facere, ut nulla peccata imputentur, sequitur ut crediderit Calvinus gravissimos lapsus fidelibus non imputari.

CAPUT VIII.

Refellitur error Lutheranorum.

Lutherani, ut supra ostendimus ex Luthero, Melanchthone, Illyrico, Heshusio et Kemnitio, tria praecipue docent. Primo: Peccata venialia esse illa, quae a Deo non imputantur, quamvis ex se digna sint poena ac supplicio sempiterno. Secundo: Illa peccata a Deo non imputari, quae simul in homine cum fide, idest, cum fiducia misericordiae consistunt. Tertio: Illa sola peccata cum fide consistere, quae sunt involuntaria. Ex quibus sequitur: Quarto: Omnia peccata in infidelibus esse mortalia, et consequenter omnia peccata ex natura sua esse mortalia. De quo 4. cap. (quia commune est etiam quibusdam aliis scriptoribus non Lutheranis) seorsim postea disseremus. Nunc tria priora capita, quae propria videntur esse Lutheranorum, breviter refellamus.

Quod igitur Primo loco affirmant, peccata venialia esse ea, quae non imputantur, repugnat aperte Scripturis et Patribus. Scriptura siquidem in iis locis, ubi de peccatis venialibus ex consensu etiam Lutheranorum loquitur, manifeste docet, opertere a Deo peti remissionem eorum peccatorum: non igitur ea sunt tecta et condonata, vel non imputata (ut ipsi dicunt) sed imputantur et ligant, ac reum faciunt, quamvis facile condonentur ac remittantur. Convenit inter nos et Lutheranos, de venialibus agi Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra;* quia justorum etiam est haec humilis et vera confessio. At hic videmus peti a justis remissionem peccatorum venialium: Proinde non fuisse antea condonata, vel non imputata. Eadem ratio est de loco illo 1. Joan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus etc.* continuo subjungitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.*

At si peccata justorum, quia persona grata est, non imputarentur, quid opus esset remissione? et cur oporteret confessionem ante praemittere? nec dissimilis est locus ille psalm. 31. *Pro hac* (idest, pro remissione peccati) *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Et illud psal. 98. *Tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Certe si usciscebatur Deus peccata servorum suorum fidelium Moysis, Aaronis et Samuelis, imputabat eis, nec tegebat, donec purgata essent. Huc etiam pertinet illud Joan. 13. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet,* quod sancti Patres ad peccata venialia pertinere docuerunt. Qui enim lotus est ab impietate et lethalibus criminibus, adhuc eget lotione pedum, idest, remissione venialium, quae instar pulveris in via vitae hujus pedibus nostris adhaerent: *Dominus dicit* (inquit s. Augustinus tract. 56. in Joan.) *Veritas loquitur, quod opus habeat pedes lavare etiam ille, qui lotus est. Quid fratres mei, quid putatis, nisi quia homo in sancto quidem Baptismo totus abluitur, non praeter pedes, sed totus omnino: veruntamen cum in rebus humanis postea vivitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, et sic afficimur, ut si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, et veritas in nobis non sit. Quotidie igitur lavat pedes nobis, qui interpellat pro nobis, et quotidie nos opus habere, ut pedes lavemus, idest, vias spiritualium gressuum dirigamus, in ipsa oratio-*

ne Dominica confitemur, cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim confiteamur sicut scriptum est, peccata nostra, profecto ille qui lavit pedes discipulorum suorum, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate, idest,usque ad pedes, quibus conversamur in terra. Haec s. Augustinus.Ex quibus omnibus perspicuum esse potest, quam falso et temere dixerit Philippus (ut citavimus cap. 4.) peccata venialia esse peccata condonata. Et Illyricus, esse peccata, quae propter fidem in Christum non imputantur, et Heshusius esse peccata tecta, et Calvinus,esse peccata quae iis,qui sunt in Christo Jesu, non imputantur.

Quod autem secundo loco dicunt,illa peccata non imputari, ac per hoc non esse venialia,quae simul cum fide consistunt,facili negotio convincitur esse falsum. Nam si id ita esset, ut adversarii volunt, sequeretur nullum esse mortale peccatum praeter infidelitatem,ac proinde sacrilegia,homicidia,adulteria, furta, rapinas, non esse peccata mortalia, quod est et contra manifestam Christi et apostolorum doctrinam, et contra ipsorum Lutheranorum sententiam.Sequi autem ex dogmate adversariorum nullum esse mortale peccatum praeter infidelitatem, probatur; Nam nullum est peccatum, quod fidem necessario excludat, praeter id quod ei opponitur, quod est infidelitas. Quod idem experientia ipsa manifeste testatur:nam si per fidem intelligatur assensus certus et indubitatus, his omnibus rebus adhibitus, quas Ecclesia ex verbo Dei scripto, vel tradito credendas esse docet,multos videmus inter catholicos publicos peccatores, homicidas, fornicarios, fures, ebriosos,qui tamen sine ulla dubitatione fidem habent iis omnibus,quae Ecclesia credenda proponit.

Si vero per fidem accipiamus id quod Lutherani falso sibi persuaserunt esse fidem,fiduciam videlicet misericordiae propter Christum,et quidem specialem, qua unusquisque certo credat et confidat, sibi Deum propter Christum esse propitium, videmus plurimos inter haereticos qui ejusmodi fidem se habere dicant, cum vitam turpissimam ducant, et errores etiam gravissimos de Christo, de Ecclesia, de sacramentis, de peccatis, de justificatione, caeterisque rebus ad doctrinam fidei pertinentibus doceant.Nam huic speciali fidei Lutheranorum non repugnat quaelibet infidelitas, sed ea solum, qua quis non certo credit sibi Deum esse propitium.

Quod si forte Lutherani dicant, se nullos habere errores, et fidem illam suam specialem esse non posse in iis, qui homicidia , adulteria et alia id genus peccata committunt: suis dimissis aliarum sectarum homines parumper inspiciant. Certe Calvinianos in erroribus multis et magnis versari, atque adeo blasphemos et sacrilegos esse neque ignorant, neque tacent, et tamen negare non poterunt, eos sibi certo persuadere se Deo propter Christum esse carissimos,ac proinde habere fidem illam specialem , quae apud eos sola justificat. Quod idem dicere possumus de Anabaptistis, de Trinitariis et aliis, qui Lutheranis haeretici sunt, et tamen certo credunt sibi Deum propter Christum esse propitium. Quod si fiducia illa concipi potest ab iis,qui in erroribus contra verbum Dei pertinacissimi sunt, cur non poterit etiam concipi ab iis, quos homicidia,adulteria, furta et alia similia peccata delectant ?

At (inquit Philippus in locis,titulo de discrimine peccati mortalis et venialis) qui habet propositum peccandi, non accedit ad Deum, sed eum contemnit ac fugit:Fides autem ad Deum accedit per Christum pontificem: Igitur impossibile est haec duo simul consistere, propositum peccandi et fidem. Respondeo: Eum qui habet propositum peccandi, si apprehendat Deum ut justum judicem, et qui peccata,dum in nobis manent,odit ac punit,quemadmodum eum catholici apprehendunt, sine dubio fugere a Deo: at si Deum apprehendat (ut eum Lutherani apprehendunt) ita misericordem et facilem, ut peccata in nobis vere inhaerentia et viventia nolit punire, sed tegere, ac pro eis Christi justitiam et merita nobis imputare; nego eum ad Deum non accedere.Qui enim sibi persuadere potuit peccata vere in se manentia sibi a Deo non imputari,et iis non obstantibus se Deo propter Christum carum et gratum esse; eadem facilitate credere poterit, propositum peccandi sibi a Deo non imputari, dummodo Christi merita, sua faciat per fidem. Certe Calvinus non existimavit impossibile propositum peccandi cum fide conjungere, quoniam in antidoto canon.28.sess. 6. concilii tridentini scripsit, etiam in magnis lapsibus remanere fidem veram et vivam. Ac non ipse quidem Lutherus tam certo credidit,non posse duo illa conjungi, ut credidit Philippus. Nam in lib. de captivit. babylon. cap. de Baptismo scribit,non posse hominem damnari quantiscumque peccatis, si stet, vel redeat fides. Quo loco per illam disjunctionem *si stet, vel redeat fides*, aperte significavit, non se certo statuisse , non posse stare fidem cum magnis lapsibus.

Habemus igitur ex ipsa natura et ratione fidei, omnia peccata cum ipsa fide posse consistere,praeter infidelitatem,vel diffidentiam fidei, vel fiduciae contrariam: ac per hoc omnia peccata praeter infidelitatem, vel diffidentiam praedictam, esse venialia, si omnia illa dici debent venialia, quae fidem non excludunt. Sed probatur hoc idem rursus ex doctrina Patrum,et ex communi sensu et consensu omnium gentium. Nam si peccata omnia, vel saltem graviora, quae nos mortalia nominamus, cum fide consistere non possent, sequeretur non posse hominem christianum labi in fornicationem, furtum, homicidium, aut aliud simile peccatum, quin eodem momento fieret haereticus. Nam fidem justificantem amitteret, quae sola est vera fides: qui autem fidem veram amittunt, haeretici dicuntur. At hoc repugnat toti antiquitati, et sensui omnium gentium. Semper enim in Ecclesia latissimum discrimen agnitum est inter haereticos, et malos catholicos cum illi discessionem faciant ab Ecclesia, isti intra Ecclesiam perdite vivant: illi doctrinam oppugnent, isti disciplinam violent: illi zizaniis,isti paliis: illi lupis rapacibus, isti morbidis ovibus comparentur.

Denique inauditum est in Ecclesia, ut ob solam

fornicationem,vel adulterium,aut aliud simile peccatum Christianus aliquis fidem amisisse, atque adeo infidelis, aut haereticus factus fuisse dicatur. S. Augustinus in lib.quaestionum in Matth.quaest. 11. *Inter haereticos*, inquit, *et malos catholicos hoc interest, quod haeretici falsa credant; illi autem vera credentes.non vivunt ita ut credunt.* Et lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. *Constituamus*, inquit, *aliquem castum, continentem,non avarum,non idolis servientem,hospitalitatem indigentibus ministrantem,non cujusquam inimicum, non contensiosum, patientem, quietum, nullum aemulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed haereticum: nulli utique dubium est propter hoc solum,quod haereticus est, regnum Dei non possessurum. Constituamus alium fornicantem, immundum, luxuriosum,avarum,vel etiam apertius idolis dedicatum, venificum discordiosum, contentiosum, aemulum, animosum,seditiosum,invidum,ebriosum,comessatorem, sed catholicum:numquid propter hoc solum, quod catholicus est,regnum Dei possidebit, agens talia de quibus sic concludit Apostolus,quae praedico vobis,sicut praedixi,quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt? Si hoc dicimus,nos ipsos seducimus.* Neque opus est alia Patrum testimonia superaddere, cum res adeo sit perspicua, ut mirum sit ab ullo hominum in dubium revocari potuisse.

Probatum igitur est, sequi ex doctrina Lutheranorum, ut adulteria, homicidia, furta et alia id genus peccata sint omnia venialia, cum fidem utcumque ea accipiant non excludant. Esse autem hoc dogma contra doctrinam Christi et apostolorum, et contra eorundem Lutheranorum sententiam, quae erat assumptio nostri argumenti,facile potest ostendi.Christus enim Matth. 5.*Qui dixerit*,inquit, *fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis.* Ex quo intelligimus, verbum contumeliosum in fratrem peccatum esse lethale. Et Matth. 25. *Ite maledicti in ignem aeternum: Esurivi enim et non dedistis mihi manducare etc.* Ex quo loco recte colligit s. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 15.non communicare bona sua cum indigentibus,et multo magis rapere aliena, peccata esse mortalia, etiam in his, qui fidem numquam amiserunt: *Erit ergo*, inquit, *aeterna combustio, et eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.* Apostolus autem,ut paulo ante idem Augustinus commemoravit, 1. ad Corinth. 6. ad Ephes. 1. et ad Galatas quinto, enumerat aliquot genera peccatorum, et subjungit: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Denique Philippus Melanchthon (ut supra citavimus) disertis verbis scripsit in locis communibus, tit. de discrimine peccati mortalis et venialis, Peccata voluntaria contra legem Dei,omnino esse mortalia. *Dixi*, inquit, *de veniali peccato. Sed cum hi,qui fuerunt renati,scientes et volentes violant legem Dei, ut cum amplectuntur impias opiniones, aut stabiliunt eas sua approbatione, aut indulgent odiis, ambitione, flammis libidinum, avaritiae, aut externis factis ruunt contra legem Dei,ut David rapiens alienam conjugem et astute maritum interficiens. Hae actiones contra conscientiam sunt peccata mortalia.* Haec ille. Cum igitur voluntarium adulterium, vel homicidium, vel aliud simile peccatum, ipso etiam teste Philippo, sit mortale, et tamen (ut ante ostendimus) cum fide consistere possit, manifeste sequitur, aut falsum esse quod idem Philippus cum Lutheranis caeteris docet, omnia peccata, quae simul cum fide consistunt, esse venialia, aut certe ipsorum sententias inter se esse pugnantes, et alteram ab altera destrui, atque unam ex altera refutari.

Jam vero Tertium caput, quod continebat, illa sola peccata, quae sunt plane involuntaria, cum fide posse consistere, ex iis quae dicta sunt apertissime convincit esse falsum. Jam enim ostendimus, non solum peccata involuntaria, sed etiam voluntaria, quamlumvis gravia, simul cum fide consistere, praeter id solum, quod fidei contrarium est, haeresim videlicet, aut infidelitatem. Deinde peccata prorsus involuntaria apud eos, qui recte judicare possunt, non venialia, sed nulla sunt. Et si s. Augustino credimus, repugnantia loquitur, qui dicit peccatum involuntarium,cum de ratione peccati sit esse voluntarium. *Usque adeo*, inquit Augustinus lib. de vera religione, cap. 14. *peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*Neque loquitur s. Augustin. de judicio civili, ut Philippus nugatur, sed divino.Nam loquitur de peccato in genere,ut comprehendit etiam peccata malorum angelorum,quae ad judicium civile nullo modo pertinent. Sed de hoc paradoxo Lutherano in disputatione de concupiscentia et de libero arbitrio plura dicemus.

CAPUT IX.

Peccatum veniale natura sua distingui a mortali, ostenditur ex Scripturis.

Nunc tandem ad veram sententiam comprobandam accedimus, ex cujus comprobatione non solum supradicti errores omnes radicitus evellentur, sed etiam refutabuntur sententiae eorum scriptorum, qui a communi theologorum,et Ecclesiae doctrina quavis ratione discesserunt. Probandum igitur nobis est, peccatum veniale ex natura sua distingui a mortali,ac sine ulla relatione vel ad praedestinationem, vel ad misericordiam Dei, vel ad statum renatorum, esse ejusmodi, ut poenam quidem mereatur, sed non aeternam; et Deum offendat, sed non usque ad amicitiae dissolutionem. Id Primum probabitur ex Scripturis; Tum ex definitionibus ecclesiasticis;Deinde ex doctrina Patrum; Postremo ex ratione.

Quod attinet ad Primum, Matth. 5. sic legimus: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit raca, reus erit concilio; qui dixerit fatue reus erit gehennae ignis.* Hoc loco non respicit Dominus praedestinationem, neque discutit, quid possit aut velit divina misericordia; sed res ipsas dijudicat et peccatorum mensuram. Facit autem tres gradus iracundiae, Unum ejus, quae ita levis

est, ut in vocem nullam erumpat; Alterum ejus, quae paulo gravior est, non tamen pervenit usque ad apertum convicium; Tertium ejus, quae gravissima est, et manifestum convicium parit. Quamvis enim possit interdum iracundia interior esse gravissima, et tamen dissimulari exterius; nihilominus ordinarie quo est major, eo se magis prodit, et ideo Dominus levissimam iracundiam vocat eam, quae non manifestatur ullo signo exteriore.

Quod vero dicitur in secundo gradu: *Qui dixerit fratri suo raca*, non est omnino certum, quid proprie significet. S. Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 9. et s. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 5. scribunt, esse interjectionem irascentis, quae nihil determinate significet, sed solum exprimat animum esse commotum. Quae interpretatio probabilis est, praesertim cum dicat Augustinus, se id accepisse ab Hebraeis. Quamvis enim non inveniatur in Scripturis ejusmodi interjectio, neque in dictionariis hebraicis et chaldaicis, quae nunc extant. Potuit tamen eo tempore fuisse in usu, ac deinde obsolevisse: neque etiam necesse est in dictionariis omnes omnino voces inveniri. Denique quod ea vox translata non fuerit in graecum aut latinum, argumento est, nihil ea proprie significari. Caeterum s. Hieronymus in commentar. hujus loci annotavit vocem *Raca*, significare hominem vacuum. Nam a verbo ריק quod est evacuare, fit nomen רק vacuus, et addito א more Syrorum, fit רקא.

Sed quod addit idem auctor hoc loco significare hominem vacuum cerebro, non caret difficultate; tum quia in Scripturis non facile invenitur ea vox in hoc sensu; tum quia vocare hominem vacuum cerebro, non videtur esse minus convicium, quam si vocetur stultus. Non possum autem me continere, quin Theodori Bezae ineptias hoc loco paucis perstringam. Is enim in annotatione ad hunc locum versionem hebraicam hujus evangelii reprehendit, quod pro *Raca*, habeat רעה, quia (ut ipse dicit) majus convicium est vocare hominem רעה, idest, malum, quam fatuum, et tamen ipse idem suspicatur Christum sua lingua dixisse רשע pro eo quod nos habemus *Raca*; neque animadvertit majus convicium significari per vocem רשע, quam per vocem רעה, illa enim impium significat, haec malum, et saepissime accipitur non pro malo, idest, scelerato, sed pro tenui, aut deformi, aut inaciento. ut omittam quod littera ש non redditur latine per *Ch*, sed per *Sc*, aut per *S*, simpliciter, ut patet in vocibus, *Hosanna*, *Salomon*, *Sabaoth*, *Sabathum*, et similibus. Probabile igitur est, *Raca* hoc loco significare hominem vacuum opibus, aut dignitate, aut certe vanum et otiosum. Nam et in his significationibus invenitur ea vox in Scripturis, et longe minus laedit, quam vox fatuus. Sed quidquid sit de propria significatione ejus vocabuli, illud nobis hoc loco satis est, minus grave peccatum describi per *Raca*, quam per *fatue*.

His autem tribus gradibus peccatorum respondent tres reatus, judicii, concilii et gehennae ignis. Et quidem reus judicii dicitur (ut recte explicat s. Augustinus loco supra notato) qui aliquid fecit, unde in judicium vocari possit, ut caussa ejus discutiatur. Reus concilii dicitur, cujus culpa certa est, sed ambiguum quanta sit, et quam poenam mereatur, et ideo judices inter se conveniunt in concilium, ut definiant poenae mensuram. Reus gehennae ignis dicitur, cujus culpa et mensura culpae, ac per hoc etiam poenae gravitas certa est. Significari autem per gehennam ignis, mortem aeternam apud inferos, docent in commentario hujus loci Hilarius, Augustinus, Chrysostomus et Theophylactus. Hieronymus hoc loco nihil dicit, sed in commentario, cap. 10. in illa verba: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam*, scribit, nomine gehennae semper in evangelio significari poenas aeternas.

Ex his igitur conficitur argumentum ejusmodi: Manifestum convicium, teste vel judice Christo, facit reum gehennae ignis, ac per hoc est peccatum mortale. Iracundia, sono vocis expressa, sed ad malum convicii non pertingens, facit reum concilii, idest, non constat an mereatur gehennam, sed aut ea poena, aut minore digna est. Inveniuntur igitur peccata quaedam, quae leviora sunt, quam ut gehennam ignis mereantur. Quorsum enim cogeretur concilium ad discernendum, num aliqua culpa gehenna ignis punienda esset, si omnes culpae gehennam ignis mererentur? Sunt igitur culpae aliquae, quae divino judicio sola poena temporali mulctandae sunt. Rursus iracundia, quae nullo signo externo foras erupit, non facit reum concilio, sed judicio; hoc est, non constat, an mereatur poenam aliquam, an nullam; ex quo sequitur, ut sine dubio, si poenam meretur, temporalem, non aeternam mereatur, cum sit levior culpa, quam ea esset, de qua dubium esse poterat, temporale ne supplicium, an aeternum mereretur.

Neque digna videtur responsione annotatio Bezae ad hunc locum evangelii. Scribit enim inaequalia peccata hic describi a Domino, et minus esse reum fieri judicio, quam concilio, et concilio, quam gehennae ignis: addit tamen, omnia peccata, quamvis inter se inaequalia, mortem mereri, quia stipendium peccati mortem esse scribit Apostolus ad Roman. 6. At si per mortem idem intelligit Apostolus, quod per gehennam Christus, cum eam vitae aeternae opponat, dicens: *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita aeterna*: fieri non potest, ut omnia peccata mortem mereantur, nisi gehennam omnia mereantur. Jam autem demonstravimus ex Christi sententia non omnia peccata reum facere gehennae ignis. Non igitur stipendium est omnis peccati mors, sed ejus tantum peccati, quod opponitur gratiae et amicitiae cum Deo, de quo Apostolus loquebatur. Itaque diversis gradibus peccatorum, qui describuntur a Domino, non respondent diversi gradus suppliciorum in gehenna, ut Beza existimat, quia si ita esset, non recte Dominus de solo tertio gradu dixisset, *Reus erit gehennae ignis;* sed respondent diversi gradus suppliciorum, quorum alia sint aeterna, alia temporalia, alia brevissima. Atque haec de primo testimonio Scripturae.

Alia duo testimonia habentur Matth. 23. et Luc. 6. in quibus locis Dominus peccata quaedam comparat rebus natura sua levissimis, alia vero gravis-

simis. *Duces caeci* (inquit Matth. 23.) *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Hic videmus peccata quaedam conferri culicibus, alia camelis: arguit enim Dominus pharisaeos, quod gravissima praecepta legis facile transgrederentur, minuta vero diligentissime observarent, atque ita peccata levissima studiose cavérent, maxima vero sine scrupulo perpetrarent. Constat autem inter culicem et camelum tantum esse ex natura rei discrimen, ut nulla fere inter ea proportio esse videatur.

Rursus Luc. 6. *Quid*, inquit, *vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem , quae in oculo tuo est, non consideras?* Certe inter *festucam* et *trabem* tanta ex natura rei differentia est, ut festuca leviter portari queat, trabs autem sit importabilis, et non solum oculum destruat, sed etiam totum corpus hominis opprimat, si illi imponatur. Si autem omnia peccata ex natura sua morte sempiterna digna essent, quis credat , ita quaedam ab ipso Domino extenuari potuisse, ut cum festuca et culice conferrentur, praesertim cum alia camelis et trabibus ab eodem Domino fuerint comparata?

Est aliud testimonium Lucae 12. *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.* Per novissimum minutum intelligunt Patres peccata minuta et levissima, pro quibus in carcere purgatorii satisfaciendum est, nisi in hac vita purgata vel relaxata fuerint. Tertullianus in lib. de anima, cap. 17. per *novissimum quadrantem*, sive *minutum*, exponit modica quaeque delicta purganda ante resurrectionem. Origenes homil. 35. in Lucam, dicit, eos reddere novissimum quadrantem, qui modicum debent , et usque ad certum tempus detinentur in carcere. Hieronymus in comment. ad cap. 5. Matth. *Hoc est*, inquit , *quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata persolvas.* Denique Cyprianus lib. 4. epist. 2. Ambrosius in commentar. ad cap. 12. Lucae et Eusebius Emissenus (seu potius Caesarius arelatensis) homil. 5. de Epiphania, scribunt, per novissimum quadrantem intelligi ea peccata, quae post hanc vitam in locis purgatoriis expiantur, quae sine dubio venialia sunt. Nam qui cum peccato mortali decedit ex hac vita, continuo stipendium peccati, mortem videlicet sempiternam accipit. Jam igitur cum debitum unius minuti minimum sit, neque in ullo tribunali pro tam exiguo debito ullus damnari possit ad mortem: si Dominus peccata venialia cum tali debito recte comparavit , sequitur, ut peccata venialia ex natura sua mortem aeternam nulla ratione mereantur.

Adhaec Apostolus Paulus 1. Corinth. 3. peccata venialia rebus natura sua levissimis comparat, ligno, foeno, stipulis: *Si quis*, inquit, *superaedificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos; ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit quod super aedificavit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur , ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quo loco (ut exponunt Ambrosius sermon. 20. in psalm. 118. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum, Augustinus lib. 21. de civitate Dei cap. 26. Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 39. et alii) significat Apostolus per *aurum*, et *argentum*, et *lapides pretiosos*, opera perfecta et laudabilia, quae in judicio Dei examinata, nihil nisi mercedem promerentur: per *lignum*, *foenum* et *stipulas*, opera inutilia et reprehensione digna, sed venialia, quae detrimentum quidem adferant et purgatione indigeant, non tamen a salute excidere faciant. Numquam autem b. Paulus peccata venialia cum foeno et stipulis comparasset, nisi revera essent, ut loquitur s. Gregorius loco notato, peccata minuta atque levissima. Peccata enim ex natura sua mortalia ferro potius aut aeri, vel plumbo (ut ibidem idem Gregorius dicit) comparanda fuissent.

Accedat his testimonium s. Jacobi apostoli, qui in 1. cap. suae epistolae distinguit tentationem a peccato et peccatum a crimine: *Unusquisque*, inquit, *tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Concupiscentia vero cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi s. Jacobus non distinguit motus concupiscentiae in involuntarium et voluntarium: Nec dicit omnem motum voluntarium esse peccatum mortale, omnem involuntarium esse veniale, ut Philippus Melanchthon voluisset. Sed distinguit Tres motus concupiscentiae; Unum involuntarium, quo quis ad peccatum incitatur, sine ullo suo consensu, cum ait: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus;* Et hunc motum non dicit Apostolus esse peccatum, sed caussam peccati, si nimirum accedat consensus. Alterum motum vult esse imperfecte voluntarium, cum addit: *Concupiscentia vero cum conceperit, parit peccatum.* Esse autem hunc motum imperfecte voluntarium, et proinde peccatum, sed veniale, patet, quia nominatur peccatum, et tamen distinguitur a peccato consummato et mortem generante. Ex quo intelligimus hunc secundum motum non esse peccatum consummatum, nec generare mortem, ac per hoc non esse peccatum mortale. Tertium denique adjungit perfecte voluntarium, et hunc motum esse peccatum mortale, declarat Apostolus, dicens: *Peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Neque vero suspicari debemus, peccatum consummatum hoc loco dici solum peccatum opere perpetratum, quasi desideria illicita mortalia peccata nominari non possent, nisi opere compleantur. Nam cum inter prima decem praecepta legis distincte nominentur, tamquam duo diversa mandata: *Non moechaberis.* Et: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Et cum Dominus in evangelio Matth. 5. dixerit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Dubium esse non potest, quin peccatum consummatum et generans mortem, sit concupiscentia, cui perfectus et consummatus adhibetur assensus, tametsi numquam opere compleatur. Neque respondere possunt Lutherani, peccatum illud, de quo s. Jacobus loquitur, cum ait: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum* , esse peccatum veniale ex misericordia Dei, quia videlicet fidelibus non imputatur, non autem esse tale ex natura sua.

Nam ipsi solum ea dicunt non imputari, quae sunt plane involuntaria. Hoc autem, de quo loquimur, non est omnino involuntarium:Nam alioqui non potuisset distinguere s. Jacobus concupiscentiam illicientem et parientem peccatum ab ipso peccato, quod ab ea concupiscentia paritur. Siquidem (ut paulo ante diximus) non potest fingi, quemadmodum concupiscentia peccatum pariat, nisi eliciendo a voluntate consensum.

Accedant Ultimo duo loca, in quibus de peccatis quibusdam longe mitius Scripturae loquuntur,quam de iis loqui soleant quae sunt omnium consensu peccata lethalia, Matth. 12. *De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines,reddent rationem in die judicii.* Aliud profecto est, verbum otiosum non esse sine culpa, et ideo discutiendum in die judicii: Aliud vero: *Ite in ignem aeternum ligatis manibus et pedibus ejus, projicite eum in tenebras exteriores; Discedite a me omnes operarii iniquitatis,* et alia id genus,quae passim occurrunt in evangeliis, Ephes. 5. *Fornicatio, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo , aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet. sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator,aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus.non habet haereditatem in regno Christi et Dei.* Non temere b. Apostolus cum sex peccatorum genera cavenda esse pronunciasset, quae videlicet apud gentiles vix pro peccatis agnoscebantur,fornicationem, immunditiam, avaritiam, turpia verba, stultiloquia et scurrilitatem, de tribus prioribus tantum adjunxit, eos, qui talia agunt, non habere haereditatem in regno Christi et Dei. Nimirum enim docere volebat, tria posteriora debere quidem esse aliena ab ore sanctificato fidelium, non tamen ex genere suo talia esse quae excludant ab haereditate Christi et Dei.

Neque hic locum habet quod adversarii dicere solent, quaedam esse peccata venialia, quae non excludant a regno Dei,sed ea non esse talia ex natura sua, sed ex misericordia Dei non imputante. Nam ut saepe diximus, ea sola venialia ipsi agnoscunt, ac non imputari dicunt, quae sunt involuntaria. At peccata, de quibus hic agunt Christus et Paulus, voluntaria sunt, videlicet verba otiosa, minus honesta, stulta, scurrilia.

CAPUT X.

Idem ostenditur ex traditione Ecclesiae et Patrum.

Peccata quaedam ex natura sua venialia esse, non solum Scripturae, quas hactenus protulimus, ostendunt, sed etiam testimonia Ecclesiae et Patrum. Nam concilium milevitanum can. 6. 7. et 8. docet, sanctos et justos homines habere peccata quaedam, quae tametsi sanctitati et justitiae non repugnent, tamen vere peccata sint, et remissione indigeant.Sed quia possent adversarii respondere, peccata illa sanctorum esse venialia ex misericordia Dei, non ex natura sua, proferemus commentarium s. Augustini, qui eorum canonum auctor fuit, ut ipse sua verba exponat. Tametsi enim canones illi nomine totius concilii editi sunt, tamen qui eos composuit,Augustinus fuit. Is autem in lib. de natura et gratia cap. 35. 36. et 37. profert easdem Scripturas: *Dimitte nobis debita nostra.* Et: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus etc.* quas protulerat in illis canonibus milevitanis.

Deinde cap. 38. explicat de quibus peccatis Scripturae illae intelligendae sint: *Ita,* inquit, *nec commemorandum fuit, si Abel, quamvis merito justus appellatus est, paulo immoderatius aliquando risit, vel animi remissione jocatus est, vel vidit aliquid ad concupiscendum,vel aliquando immoderatius poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit, vel cum oraret, cogitavit aliquid, unde ejus in aliud avocaretur intentio, et quoties illi ista, ac similia multa subrepserint.* Haec ille. Ubi satis ostendit, peccata venialia non esse solum primos et involuntarios motus concupiscentiae, quos adversarii peccata mortalia ex natura sua, et venialia ex Dei misericordia esse docent; sed etiam actiones quasdam malas, et plane voluntarias, ut risum immoderatum, cibum nimium, jocum non necessarium: quae actiones si essent peccata mortalia ex natura sua,sine dubio imputarentur a Deo et hominem damnarent, ac per hoc cum justitia nulla ratione consisterent. Sola enim involuntaria (ex sententia adversariorum) non imputantur, et cum justitia consistunt: At haec peccata ex doctrina s. Augustini, et concilii milevitani venialia sunt, et cum justitia consistunt: Igitur non sunt mortalia ex natura sua, sed ex natura et ex genere, et modis omnibus, absolute et simpliciter venialia.

Confirmatur hoc idem (propter catholicos) ex tridentino concilio. Nam sess. 14. cap. 5. docemur, in confessione sacramentali peccata mortalia omnia, quae menti occurrunt post diligentem conscientiae discussionem,esse necessario aperienda: venialia vero utiliter aperiri, non necessario: ex quo sequitur, ut peccata venialia non solum in hominibus justis, sed etiam in impiis esse possint,alioqui homines impii omnia omnino peccata in confessione necessario aperire deberent,quod est contra doctrinam concilii,et sensum Ecclesiae universae:At peccata venialia ex misericordia Dei ea non imputante, non sunt in impiis, sed in solis piis et justis, ex sententia adversariorum: Igitur peccata venialia,quae in impiis esse concilium tridentinum admittit, non sunt venialia ex misericordia Dei ea non imputante, sed ex natura sua. Denique his accedat quod in bulla Pii V. pont. max. per Gregorium XIII. renovata, in qua multi errores damnantur, unus est, nulla esse peccata venialia ex natura sua.

Praeter haec testimonia non desunt etiam Patrum graecorum et latinorum sententiae. Intelligimus enim sanctos Patres, cum de peccatis venialibus verba faciunt, ea venialia peccata significare velle, quae natura sua talia sunt, ex eo quod levissima, minuta, quotidiana vocant. Neque enim minuta et

levia recte dici queunt, quae ex natura sua reum mortis aeternae constituunt, licet ex misericordia condonentur.

Origenes homil. 35. in Lucam sic ait: *Unusquisque pro qualitate et quantitate peccati diversam mulctae sententiam expendit. Si parum est, quod peccas, ferieris damno minuti, ut Lucas scripsit, ut vero Matthaeus quadrantis. Veruntamen necesse est hoc ipsum, quod extitisti debitor, solvere. Non enim inde exies, nisi et minima quaeque persolveris.* Hic loquitur Origenes de venialibus non de mortalibus (ne forte quis dicat, minima dici ab eo peccata minima inter mortalia) nam in fine homiliae scribit, eos qui debent unum quadrantem, certo tempore detineri in carcere (videlicet in purgatorio) qui debent ingentem summam, sempiterno tempore cruciari: *Si*, inquit, *qui parum debet, non egreditur nisi exolvat minutum quadrantem: utique qui tanto fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum saecula numerabuntur.* Itaque venialia peccata vocat minima, et ideo minima, quia qualitate et quantitate sunt minima. Nam (ut ipse dicit) pro qualitate et quantitate peccati supplicia decernuntur.

Porro peccata minima qualitate et quantitate, ex natura et ratione sua minima sunt. Tertullian. in lib. de anima, cap. 17. peccata. quae temporariam purgationem admittunt, modica delicta nominavit, ut supra citavimus.

S. Joannes chrysostomus hom. 24. in Matth. exponens illud cap. 7. *Quid vides festucam in oculo fratris etc.* peccata venialia, quae flagitiis opponuntur, delicta levissima et culpas parvulas appellavit.

S. Hieronymus in commentar. cap. 5. evangelistae Matthaei, eadem venialia peccata, peccata minuta nominanda censuit. Et ibidem explicans illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam etc.* dicit esse discrimen inter πάθος et προπάθειαν, quod πάθος sit desiderium cum consensu: προπάθεια sit titillatio sine consensu, et addit προπάθειαν culpam habere vitii, non tamen teneri in crimine. Ubi aperte docet, titillationem esse peccatum aliquod, sed leve, nec dici posse crimen, nisi accedat consensus, quia videlicet in illa titillatione non sit nisi peccatum negligentiae in praecavendo, vel cito rejiciendo, quod praecavendum, vel rejiciendum erat. Idem lib. 2. adversus Jovinianum qui peccata paria esse docebat: *Non tibi*, inquit, *habebunt gratias, quos de humili in sublime levas, quantum irascentur, quos propter leve quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retrusisti.* Ubi s. Hieronymus apertissime docet, levia, quotidianaque peccata, qualia sunt (ut ipse ibidem ait) verba otiosa, non mereri ex natura sua poenam gehennae. Nam si talem poenam ea peccata mererentur, nulla fieret homini injuria, si ob ejusmodi delicta in exteriores tenebras truderetur, neque juste inde quaeri vel irasci posset. Sed nec levia ullo modo nominanda essent, ob quae in tenebras exteriores detrudi aliquis posset.

S. Augustinus lib. de natura et gratia cap. 38. *Quia*, inquit, *saepe in levissimis, et aliquando incautis obrepit peccatum, et justi fuerunt, et sine peccato non fuerunt.* Hoc loco videmus, venialia peccata quae justitiam non auferunt, vel ideo talia esse, quia in re levissima consistunt, vel quia obrepunt incautis. Proinde ratio cur peccatum aliquod sit veniale, non est, quia non imputatur, licet imputari possit (ut adversarii docent), sed quia in re levissima consistit, ut in verbo otioso, in risu nimio, in joco supervacaneo, vel quia obrepit incautis, ut evagatio mentis tempore orationis, ut cum Augustino catholici docent.

Idem auctor de spiritu et lit. cap. 36. *His*, inquit, *constitutis, peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitae consentire, non tantum in illis horrendis facinoribus et flagitiis perpetrandis; verum etiam in istis levioribus, ut vel aurem alicui voci, quae audienda non esset, vel linguam alicui, quae dicenda non esset, accommodet.* Et in enchirid. cap. 71. *De quotidianis*, inquit, *brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere, Pater noster qui es in coelis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu sancto, delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata.* Et sermon. 41. de sanctis: *Illo*, inquit, *transitorio igne (de quo dixit apostolus) ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Et infra: *Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi coelestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

Ex his locis colligimus, sensisse Augustinum, peccata venialia ex natura esse talia. Tum quia vocat ea brevia, levia, levissima, minuta, minima, quotidiana. Tum quia comparat ea cum pustulis et scabie quae non solum non occidunt, sed etiam ex natura sua non sunt morbi lethales. Tum denique, quia peccata venialia vocat non solum subitos quosdam concupiscentiae motus, quos solos adversarii pro venialibus habent, atque a Deo non imputari dicunt, sed etiam peccata quaedam omnino voluntaria, ut jocos supervacaneos, risum nimium et similia, quae ex natura sua in rebus levissimis consistunt, quibus adjungit etiam mendacia officiosa in enchiridio cap. 22. cum sic loquitur: *Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnumquam pro salute quorundam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat.*

CAPUT XI.

Idem probatur ex ratione.

Jam vero peccata quaedam ex natura sua venialia esse, ac per hoc non esse tam gravia, ut reatum sempiternae mortis efficiant, his argumentis ex naturali ratione ductis confirmari potest.

Primum argumentum. Si peccata venialia ex natura sua essent mortalia, et solum fidelibus ob fi-

dem, quam habent, non imputarentur ; certe infidelibus omnino imputarentur, et mortalia essent : Id vero manifeste falsum atque absurdum est:Igitur falsum quoque et absurdum erit, peccata venialia ex natura sua esse mortalia. Propositio ab adversariis conceditur, neque ulla probatione eget. Nam si sola fides caussa est cur peccata aliqua sint venialia, sine dubio peccata omnia mortalia erunt iis, qui fide carent. Assumptio igitur argumenti probatur. Nam in eodem genere peccati gravius Deum fidelis, quam infidelis offendit; Siquidem fidelis magister tenetur perfectioni vitae studere, quam infidelis, cum et majori lumine sit praeditus et plura a Deo beneficia, plura contra peccatum remedia, plura denique adjumenta receperit: *Ille servus* (ait Christus Lucae 12.) *qui cognovit voluntatem Domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis, Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Item ad Hebr. 10. *Quanto magis* (inquit Apostolus) *putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est,et spiritui gratiae contumeliam fecerit?* Contra vero idem Apostolus docet, peccata infidelium ob ignorantiam, esse leviora, cum de se ita loquitur in epist. priore ad Timotheum, cap.1.*Misericordiam consequutus sum quia ignorans feci in incredulitate.*

Quare merito s. Thomas in 1. 2. quaest. 89. art. 5. scribit, irrationabiliter dici motus illos sensualitatis, qui in fidelibus peccata sunt venialia,in infidelibus esse mortalia, cum dignitas personae non minuat, sed augeat rationem culpae. Et sane quis capiat, verbum otiosum infideli alicui peccatum esse mortale, mihi autem veniale,cum ego disertis verbis Deum dixisse legerim: *De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* Ille autem nihil ejusmodi noverit: et cum sine ulla comparatione magis tenear ego perfectione studere, quam ille? Igitur cum non sit evangelio, neque rectae rationi consentaneum, ut peccata fidelium venialia , mortalia sint infidelibus, sequitur ut etiam infidelibus sint venialia, ac per hoc ex natura sua, non ex conjunctione cum fide,vel alia ratione extrinseca sint venialia.

Secundum argumentum. Si proprie loqui velimus, non ideo peccatum aliquod est veniale, quia Deus illud ad reatum mortis aeternae non imputat, sed ideo Deus ad reatum mortis aeternae non imputat, quia veniale est. Veniale siquidem dicitur quod est venia dignum,sive in quo aliquid est, cur mitius puniri debeat. Quaero igitur quid illud sit, quod facit ut peccatum aliquod sit venia dignum,et ad reatum mortis a Deo non imputetur. Respondebunt: Esse fidem, cum qua peccatum illud simul consistit. Sed rursus quaero,cur peccatum aliquod cum fide simul consistat,et sit veniale,aliud fidem excludat, et sit mortale. Respondebunt: Quia illud involuntarium est, hoc voluntarium. Id enim, ut supra diximus, Philippus Melanchthon , et caeteri Lutherani docent. At quid est hoc aliud, nisi discrimen peccatorum mortalium et venialium ad ipsam peccati rationem et naturam referre, et verbo negare quod re ipsa affirmare cogaris? nam voluntarium esse vel involuntarium, ad ipsam peccati naturam et rationem pertinet. Siquidem peccatum, quo magis est voluntarium , eo magis est peccatum; quo minus est voluntarium , eo minus est peccatum; et si nullo modo voluntarium sit , nullo modo peccatum erit, ut supra ex Augustino docuimus.

Tertium argumentum ex s. Thoma 1. 2. quaest. 87. art. 5. et 3. part. quaest. 86. art. 4. Peccatum veniale ex natura sua non ponit in homine aversionem a Deo, cum non repugnet charitati,ut perspicuum est:At poena aeterna non debetur peccato nisi ratione aversionis a bono aeterno , quod est Deus: Igitur peccatum veniale ex natura sua non est ejusmodi, ut reum faciat hominem supplicii sempiterni.

Quartum argumentum.Si natura sua quaevis offensio dissolveret amicitiam Dei, eadem ratione dissolveret quamvis aliam amicitiam. Quod enim ex natura rei convenit,semper et ubique convenit. At multum distat offensio gravis et capitalis a levi et veniali inter homines. Qui enim amicum vel incaute laedit; vel in re levissima, judicio prudentium non censetur solvendae amicitiae satis justam caussam dedisse, et sane stultissimus haberetur, qui ob quamcumque offensiunculam inimicus amico efficeretur, eumque usque ad mortem insectari vellet: igitur eam etiam amicitiam , quae nobis cum Deo intercedit, non dissolvet ex natura sua quaelibet culpa; neque ullo modo probabile est risum immoderatum, aut verbum otiosum ex natura sua tale esse ut hominem alioqui justum, et Dei amicum dignum efficiat perpetuo odio Dei, et sempiterno cruciatu.

Quintum argumentum. Peccatum non dicitur univoce de mortali et veniali, sed per analogiam quandam; et proinde peccatum veniale non est perfecte peccatum sicut mortale, sed imperfecte , ut recte docent Albertus, s. Bonaventura, et alii : in 2. sentent. dist. 42. et s.Thomas in 1.2. quaest. 88. art. 1. ad 1. Igitur non debetur ei poena mortis aeternae, quae est simpliciter et perfecte poena, vel potius poenarum omnium gravissima.

Antecedens hujus argumenti , quod solum in controversiam venire potest,hac ratione probo.Ad peccatum constituendum duo potissimum requiruntur, ut sit voluntarium, et contra legem, ut initio hujus libri demonstravimus; peccatum autem veniale omne aut non est perfecte voluntarium , aut non est perfecte contra legem; igitur nullum est veniale peccatum,quod perfecte et simpliciter sit peccatum, sed imperfecte, ut diximus , et secundum quid.

Assumptio declaratur et probatur. Nam peccatum veniale triplex est, ut supra diximus ; aut enim est veniale ex genere suo,ut verbum otiosum: aut ex imperfectione operis, et hoc vel ex subreptione, ut desiderium illicitae rei non plene deliberatum vel ex parvitate materiae, ut furtum unius

oboli vel alterius rei, nullo, aut vilissimo pretio aestimatae, Peccatum igitur veniale ex subreptione non est perfecte voluntarium, proinde nec perfecte peccatum. Peccatum autem veniale ex parvitate materiae, est quidem perfecte voluntarium, sed non perfecte contra legem. Lex enim non prohibet furtum unius oboli in specie, sed prohibet furtum in genere. Et quia finis praecepti est charitas, qui prohibet furtum, prohibet injuriam et laesionem proximi, et furtum quidem rei notabilis, quo simpliciter proximus laeditur, prohibet simpliciter; furtum rei minimae, quo proximus non laeditur, nisi secundum quid, non prohibet, nisi secundum quid. Quod autem de lege prohibente furtum exempli caussa diximus, idem de caeteris similibus legibus intelligendum est. Quare peccatum veniale ex imperfectione operis non est perfecte contra legem, proinde nec perfecte peccatum.

Denique peccatum veniale ex genere suo esse potest perfecte voluntarium, et perfecte contra legem, si lex aliqua specialis de eo sit, sed ea lex non erit perfecte, et in rigore lex, ut sic loquamur. Nam cum (ut diximus, vel potius ut Apostolus dicit) finis praecepti sit charitas et ex fine mensurentur praecepta; si quod praeceptum constituatur de re, quae parum admodum ad eum finem pertineat, ut si speciali praecepto caveatur ne quis verbum otiosum loquatur, id praeceptum non poterit esse perfecte, et in rigore, atque (ut aliqui loquuntur) antonomastice lex.

Ita videmus omnia peccata venialia, aut non esse perfecte voluntaria, aut non esse perfecte contra legem, quae perfecte et in rigore sit lex. Et quia quod non est perfecte voluntarium, hoc ipso etiam non est perfecte contra legem, nisi materialiter; propterea recte dicunt theologi peccata venialia, cujuscumque tandem generis sint, non esse contra legem, sed praeter legem.

Quod totum hac etiam ratione confirmari potest. Si peccatum veniale perfecte ac proprie esset contra legem, sequeretur hominem justum statim atque unum aliquod peccatum veniale commisit, esse vere ac perfecte legis praevaricatorem et per hoc reum omnium coelestium praeceptorum, juxta illud apostoli Jacobi; *Qui ostendit in uno, factus est omnium reus*, Jacobi 2. Hoc autem falsum et absurdissimum esse constat ex eo, quod Scriptura vocat homines simpliciter sanctos et justos, et legis divinae observatores, etiam cum peccatis venialibus non carent. Nam de Zacharia et Elisabeth sic scribit Lucas cap. 1. *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Hos autem non caruisse peccatis venialibus etiam tunc, cum (teste Evangelista) incedebant in omnibus mandatis Domini, dubium esse non potest, cum apostolus Joannes de se, et sui similibus dicat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, 1. Joan. 1. Et alius Apostolus: *In multis offendimus omnes*, Jacobi 2.

Denique peccata venialia non excludunt charitatem, nam alioqui in hominibus justis esse non possent, cum (teste Augustino lib. de natura et gratia, cap. ult.) charitas sit vera, perfectaque justitia: *Qui autem diligit legem implevit*, ut Apostolus ait Roman. 13. non igitur legis praevaricator est, qui sola habet peccata venialia, quin potius iis etiam praesentibus legem implere dicitur. Quare non sunt peccata venialia proprie contra legem, neque perfecte simpliciterque peccata.

CAPUT XII.

Diluuntur objectiones ex Scripturis.

Restat nunc, ut objectiones, quae contra ea quae diximus, fieri solent, breviter diluamus.

Prima objectio sumitur ex Scripturis, quae generatim de omni peccato ita pronunciant: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis hujus.* Deuteron. 27. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur.* Ezechiel. 18. *Stipendium peccati mors.* Roman. 6. *Qui offenderit in uno factus est omnium reus.* Jacobi 2. *Qui solverit unum de mandatis istis minimus vocabitur in regno coelorum.* Matth. 5. Haec dicuntur de peccatis universe; igitur omnia peccata reum faciunt maledictionis divinae et mortis aeternae, et a regno coelorum excludunt. Quare sunt omnia ex se mortalia, et si quae venialia sunt, id non habent ex natura sua, sed ex misericordia Dei.

Ac ne forte quis dicat, peccata venialia non esse simpliciter et absolute peccata; Scripturas autem allegatas de veris perfectisque peccatis esse accipiendas: probari potest ex apostolo Joan. peccata venialia simpliciter et absolute peccata et iniquitates in divinis literis nominari.

De venialibus enim loquitur in epist. 1. cap. 1. cum ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est: si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Apostolus quoque Jacobus cap. 3. suae epistolae peccata venialia offensiones appellat, cum ait: *In multis offendimus omnes.* Et ipse idem cap. 2. de offensionibus generatim ait: *Qui offenderit in uno factus est omnium reus.*

Denique si minima mandata violari non possunt sine amissione regni coelestis (minimum enim vocari in regno coelorum) nulla peccata tam parva erunt, quae non possint hominem damnare, si a Deo absque misericordia judicemur.

Respondeo: Quamvis peccata venialia, si cum mortalibus conferantur, non sint perfecte peccata, ut in extremo capite superiore docuimus, absolute tamen peccata nominari possunt, ut in sacris literis nominantur. Nam juxta communionem philosophorum doctrinam, ens non univoce dicitur de Deo et rebus creatis; neque de substantia et accidente, et sunt res omnes creatae, res imperfectae, cum creatore collatae; et accidentia, entia sunt imperfecta, si cum substantia conferantur: nomen tamen entis non solum Deo, sed etiam rebus creatis, et ipsis quoque accidentibus, absolute communicatur. Itaque non negamus peccata venialia, ab-

solute peccata, et iniquitates, atque offensiones dici posse, et re ipsa his nominibus in divinis literis appellari: sed dicimus vocabula ista non univoce peccatis mortalibus et venialibus convenire, et idcirco non esse ex solis his vocibus de rebus ipsis pronuntiandum, sed oportere ex adjunctis, antecedentibus et sequentibus judicare, ubi Scripturae divinae de peccatis mortalibus,et ubi de venialibus loquantur.

Porro in locis in argumento allatis, non de peccatis in universum, sed de solis mortalibus agi facile probare possumus. Primum, quia si Scripturae illae peccata venialia comprehenderent, sequeretur homines justos ob sola peccata venialia non solum excidere posse a vita gratiae, sed etiam re ipsa excidere; non enim Scripturae illae dicunt, animam quae peccaverit, posse mori, si Deus imputare velit peccatum, sed plane mori: neque dicunt, eum qui non permanserit in praeceptis Domini, posse maledici, si Deus voluerit, sed jam esse maledictum: et stipendium peccati non dicunt,posse esse mortem,sed re ipsa esse: neque ait s.Jacobus,eum qui ostendit in uno, posse fieri omnium reum,sed factum esse omnium reum. Et denique in evangelio Dominus non ait; Qui solverit unum de mandatis istis minimis,et docuerint sic homines, minimus vocari poterit in regno coelorum, sed absolute pronunciat minimum, idest, nullum, eum esse vocandum in regno coelorum. At ne ipsi quidem adversarii concedunt, ob sola peccata venialia hominem justum excidere a vita gratiae; vel maledici a Domino; vel fieri totius divinae legis violatae reum; vel excludi continuo ab haereditate regni coelestis: igitur loco illa non de venialibus delictis, sed de criminibus tantum accipienda sunt.

Deinde hoc idem ostenditur ex adjunctis praecedentibus, vel sequentibus.Siquidem maledictio illa Deuteronomii refertur ad violatores mandatorum, quae in eo ipso loco tradita fuerant. Id enim significat illud pronomen, *hujus*, cum dicitur: *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis hujus.*Ea vero mandata sunt omnia longe gravissima de cavenda idololatria, incestu, homicidio, et similibus, quae consensu omnium crimina sunt ac peccata lethalia.

Pari ratione Ezechiel ubi ait:*Anima quae peccaverit, ipsa morietur*, enumerat varia scelera, quae sunt omnia genere suo mortalia,et quidem ex gravioribus,et ideo abominationes et res detestandas, atque impietates ea nominat. De ejusmodi autem peccatis rectissime dicitur: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur.*

Jam vero b. Paulus in toto 6. cap. epist. ad Romanos, de peccato illo disserit, quod pugnat cum gratia, et simul cum justitia manere non potest; et quod qui habet, mortuus est, qui non habet, vivus: qualia sunt non omnia peccata, sed solum lethalia, venialibus enim gratiam,justitiam, et vitam non excludi, et catholici et Lutherani admittunt. De his igitur peccatis in extremo capite concludit: *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna.*

S. Jacobus in epistola sua cap. 2. cum ait: *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus;* explicat satis aperte de criminibus se loqui, quae proprie et perfecte sunt contra legem. Sic enim subjungit continuo: *Qui enim dixit; Non moechaberis, dixit, et Non occides.Quod si non moechaberis, occides autem,factus es transgressor legis*, Cur autem dixerit, reum esse omnium mandatorum, qui unum transgressus fuerit, etiamsi caetera observasse videatur, caussam reddit s. Augustinus in epist. 29. ac s. Hieronymum,quem sequitur Beda in commentario hujus loci,et Oecumenius, quia videlicet omnia mandata ad unum revocantur,quod est mandatum dilectionis, ut Apostolus docet Rom. 13. hinc enim sequitur, ut qui unum aliquod praeceptum violet, consequenter charitatem violet; qui autem charitatem violat,totam legem quodammodo violat: efficitur enim ita simpliciter transgressor legis, et reus mortis aeternae,ac si nullum unquam praeceptum servasset.

Et quemadmodum, ut pulchre docet auctor operis imperfecti in Matthaeum homil. 35. in 2. tom. s. Joannis chrysostomi,ei qui unum solum corporis partem non armatam reliquit, et inde vulnus accepit et periit, nihil prodest, quod reliqua membra magno labore munierit, ita nihil prodest ad mortem aeternam evadendam omnia praecepta servare, si quis offendat, ac labatur in uno, cum omnia sint in charitate connexa, et qui charitatem violat, amicus Dei esse non possit.

Ex his autem perspicuum est, b. Jacobum per offensionem in uno,hoc loco non intelligere quamlibet offensionem, sed eam tantum, quae charitatem excludat, qualis certe non est offensio, quam venialem dicimus, quippe quae in hominibus justis,et charitate flagrantibus reperitur.Neque enim sine charitate erat discipulus ille, quem diligebat Jesus, cum de se et caeteris diceret:*Si dixerimus, quia peccatum non habemus, hos ipsos seducimus etc.* Quare s. Jacobus longe aliter accepit offensionem, cum dicit cap. 2. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Et cum postea cap. 3. dicit: *In multis offendimus.* Ibi enim de offensione criminali,hic de veniali loquutus est;et ideo ibi de eo qui offendit in uno, subjunxit, *Factus est omnium reus*; hic autem addidit: *Qui autem non offendit in verbo, hic perfectus est vir*; ubi de ea offensione loqui se declaravit, quae perfectioni, non de ea, quae necessariae integritati opponitur.

Restat ultimus locus ex evangelio Matth. cap. 5. quem locum praeter caeteros urget Calvinus, in antidoto concilii tridentini sess. 6. cap. 12. Ubi primum observandum est; non dixisse Dominum: Qui fecerit peccatum minimum, minimus vocabitur in regno coelorum: neque etiam dixisse: Qui solverit unum ex his mandatis minimis, minimus vocabitur etc. Sed:*Qui solverit unum de his mandatis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum.* Ubi Dominus excludit a regno non eos, qui quomodocumque solvunt mandata legis divinae, sed qui solvunt, prava interpretatione illa destruentes, quod scribae et pharisaei faciebant, qui sic praedicabant dilectionem amicorum, ut inimicos odio haberi praecipe-

rent; et sic adulterium damnabant,ut concupiscentiam solo corde conceptam prohibitam esse negarent. Hinc,enim Dominus clamabat: *Non veni legem* (mortalem videlicet) *solvere*, idest, abrogare, ac tollere, *sed adimplere*,idest, perfecte explicare et vires ad eam servandam fidelibus suppeditare. Itaque hoc modo unum ex minimis mandatis solvere, non est peccatum minimum ac veniale, sed ingens ac lethale crimen,cum sit depravare ac corrumpere verbum Dei.

Et hoc modo inlelligit hunc locum s. Hieronymus in commentar. ubi dicit, a Domino sugillari scribas et pharisaeos, qui mandata divina, perperam exponendo, corrumpebant. S. etiam Augustinus in lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. scribit, illud: *Qui solverit et docuerit sic homines*, ita esse accipiendum, ut sensus sit: *Qui solverit et docuerit sic, idest,secundum id quod solvit, non secundum id quod invenit et legit.*

Deinde si quis contendat, excludi hoc loco a regno coelorum non solum qui perverse docet, sed etiam qui non observat mandata minima, etiamsi forte recte doceat: possumus aliam adhiberi solutionem. Nam per mandata minima recte possunt intelligi mandata legis veteris: *Non occides*: *Non moechaberis etc.*de quibus paulo ante dixerat:*Non veni legem solvere,sed implere.* Et hoc modo hunc locum intelligit s. Augustinus in lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 18. et s. Anselmus in comment.dicuntur enim illa minima,non quia pecatum minimum aut leve committant,qui ea praevaricantur; sed quia minus perficiant hominem, quam ea, quae Christus explicando et perficiendo tradidit. Minus enim perfectus est qui tantum non moechatur,quam qui etiam non videt ad concupiscendum: et minus perfectus est qui tantum non occidit, quam qui etiam nullum verbum contumeliosum dicit.

Denique si quis omnino velit per mandata minima intelligi mandata, quae Christus adjecit supra justitiam scribarum et pharisaeorum, ut exponunt Chrysostomus et Theophilactus: tum solutionem tertiam adferemus. Dicemus enim mandata minima vocari, Non concupiscere mulierem alienam; Non dimittere propriam,nisi ob fornicationem; Non aliam ducere priore vivente; Non dicere proximo *fatue*:Non odisse inimicos, et similia, quae vera et propria mandata sunt,quaeque sine crimine violari non possunt.Nam ut docent Chrysostomus et Theophilactus,non vocavit ea Christus minima mandata, quia re vera sint levia et exigua, sed ut modeste de rebus suis loqueretur, et nos doceret etiam in hac doctrina humilitatem, vel etiam quia minus peccatum est haec violare, quam superiora. Minus enim malum est concupiscere, quam re ipsa moechari; et dicere *fatue* quam occidere. Quocirca sicut non occidere et non moechari sunt minima, quoad perfectionem, ut dicebat s. Augustinus et s. Anselmus, et e contrario sunt maxima, quoad reatum, quem inducunt,si violentur: sic etiam non concupiscere et non conviciari sunt minima quoad reatum, et e contrario sunt maxima quoad perfectionem.

Sed objicies, inter Christi mandata non solum inveniri; Non conviciari, sed etiam Non irasci, et Non dicere *raca*, quae qui non observent, peccant venialiter, et tamen juxta Domini sententiam, qui mandata illa minima solverit, minimus vocabitur in regno coelorum.

Respondeo: Illa non esse proprie et per se mandata, sed gradus ejusdem mandati. Dominus enim explicare volens perfecte mandatum illud legis:*Non occides*, quod a scribis et pharisaeis perperam exponebatur: docuit non solum re ipsa, sed etiam verbis et cogitatione proximum laedere peccatum esse: et simul explicuit discrimen horum graduum cum ait: *Qui irascitur, reus erit judicio*; *Qui dixerit* raca, *reus erit concilio*; *Qui dixerit* fatue, *reus gehennae ignis.*Igitur docuit, mandatum, de non occidendo, perfectissime observari ab eo, qui ne irascitur quidem proximo sine caussa; si vero quis leviter irascitur, ita ut non prorumpat in vocem indignationis, aut certe non in apertum convicium, cum jam recedere a perfecta observatione legis,sed tamen censeri secundum quid non autem simpliciter praevaricatorem,et ideo non esse reum gehennae ignis, sed poenae longe mitioris. Si quis autem manifestum convicium in proximum jaciat, quod certe ex amico pectore progredi nequit, tum demum non a perfecta observatione,sed simpliciter ab observatione legis eum cecidisse, atque adeo reum gehennae ignis factum esse, et si reus est simpliciter violatae legis, qui verbo laedit, multo magis reum esse, qui verberibus,aut morte fratrem suum afficit. Atque haec de prima objectione.

Aliae objectiones sumuntur ex aliis Scripturae sacrae testimoniis, quae non ita directe, sed quasi ex obliquo pugnare videntur contra ea, quae nos supra docuimus.

Est igitur Secunda objectio, quam Joannes Calvinus producit in medium, illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, etc.* Ex quo loco ejusmodi argumentum conficit in antidoto concilii trident. sess. 6. cap. 12. *Quaero*, inquit, *an ullum sit omnino quamlibet leve peccatum, quod non legis observantiae repugnet? Quae enim vitiosa cogitatio obrepet in hominis animum, si totius Dei amore occupetur? non autem satisfit legi,nisi cum diligitur Deus ex toto corde.*

Respondeo: Dilectio Dei ex toto corde duobus modis intelligi potest, Uno modo ut idem sit *ex toto corde*, quod super omnia alia integre ac perfecte, ut nihil Dei amori anteponatur, vel adaequetur; Altero modo ut semper actu Deus cogitetur et diligatur, et sic animum Dei amor occupatum teneat, ut nihil obrepere possit, quod sit (non inquam) contra, sed praeter Dei, vel proximi charitatem. Priore modo fatemur imperari nobis, ut Deum ex toto corde diligamus, sed cum hac dilectione negamus pugnare peccata venialia. Ac per hoc falsum esse contendimus repugnare observantiae legis quamlibet leve peccatum. Posteriore modo fatemur,nullam vitiosam cogitationem obrepere posse ei, qui totus in Dei amore occupetur, sed eam dilectionem,quae propria est beatorum, nobis in hac vita non proprie imperari, sed tantum indicari asserimus, ut nimirum sciamus, quo spem ac desideria dirigere debeamus.

Haec autem ita se habere in libro de monachis, cap. 2. et 13. jam antea demonstravimus. Sed hoc loco nobis illud unum argumentum sufficiet, quod Scriptura testetur Davidem in toto corde suo sequutum esse Deum 3. Regum 14. et similiter Josiam 4. Reg. 23. et de Zacharia et Elisabeth scribat Lucas cap. 1. ambulasse eos in omnibus mandatis et justificationibus Domini. neque enim dicerentur ambulasse in omnibus mandatis, qui primum et maximum, quod est de diligendo Deo ex toto corde neglexissent. Quod autem de Davide, Josia, Zacharia, Elisabeth Scripturae testantur, ambigi non potest, quin etiam dici possit de Abrahamo, de Moyse, de Elia, de Joanne Baptista, de apostolis Petro, Paulo, Joanne, Jacobo et caeteris, et tamen Joannem dixisse scimus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, 1. Joan. 1. et Jacobum similiter: *In multis offendimus omnes*, Jacob. 3. Quare non repugnant observantiae legis imperantis dilectionem ex toto corde, levia illa peccata, quae in illis fuerunt, qui Deum ex toto corde dilexerunt.

Tertia objectio sumitur ex illo Joan. 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Nam s. Augustinus in commentario hujus loci interpretatur per lotionem pedum, purgationem a peccatis venialibus cujus expositionem sequitur etiam s. Bernar. in sermone de coena Domini. Quod si peccata venialia excludunt a parte Domini, idest, a regno coelesti; profecto natura sua non venialia, sed mortalia dicenda sunt. Adde quod s. Basilius lib. 1. de Baptismo, cap. 2. dicit, Jacobum ideo dixisse; *Qui offendit in uno factus est omnium reus*, quia audierat a Domino, *Si non lavero te non habebis partem mecum.* Ex quo intelligimus, ad venialia peccata etiam pertinere illud; *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

Respondeo: Illud (*si non lavero te, non habebis partem mecum*) duobus modis exponi potest. Uno modo ad literam de materiali pedum lotione, ut videlicet notetur inobedientia apostoli Petri, qui Domino parere nolebat in eo, ut sineret sibi pedes lavari; et hoc modo accepit s. Basilius hanc Domini comminatione, et recte dixit, tale peccatum esse non obedire Domino, ut qui in ea una re offendat, fiat omnium praeceptorum reus, non enim veniale, sed mortale peccatum fuisset, si apostolus Petrus perspecta Domini voluntate obstinate resistere omnino decrevisset.

Altero modo de spirituali lotione a peccatis venialibus, quomodo acceperunt hunc locum s. Augustinus et s. Bernardus, praesertim propter illa verba: *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet;* quibus verbis significatur homines justos esse quidem lotos, et tamen egere in hac vita purgatione a peccatis venialibus quasi sordibus pedum ex humana conversatione contractis. Quamvis autem fieri non possit, ut quis cum ejusmodi sordibus in regnum coelorum ingrediatur, quo nihil coinquinatum intrabit, Apocal. 21. et ideo recte dictum sit, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; tamen non simpliciter ejusmodi peccata excludunt a regno, sed solum ad tempus, donec videlicet purgata non fuerint; et quia non merentur ex natura sua poenam aeternam, sed temporalem, ideo ex natura sua non excludunt a regno, nisi pro tempore illo, quod ad sui purgationem exigunt.

Quarta objectio sumitur ex illo Matth. 10. *Quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, non perdet mercedem suam.* Sic enim quidam ratiocinantur; Minima opera bona merentur vitam aeternam, ut ex testimonio allato perspicuum est: igitur et minima peccata merentur supplicium sempiternum.

Respondeo: Multis modis argumentum hoc peccat. Primum enim non ait Dominus de eo, qui dederit calicem aquae frigidae, vitam aeternam possidebit, sed *non perdet mercedem suam.* Quare ex eo testimonio effici non debet, minima peccata mereri mortem aeternam, sed non perditura esse poenam suam, quod quidem libenter concedimus, sed non continuo poena illa erit sempiterna.

Deinde etiamsi Dominus disertis verbis promisisset regnum coelorum iis, qui darent calicem aquae frigidae, non tamen consequens esset, ut minimo peccato deberetur poena gehennae. Dare enim minimo operi maximum praemium, ingens liberalitas et misericordia esset. Dare autem minimo peccato maximam poenam, injustitia et crudelitas esset. Denique dare calicem aquae frigidae ex charitate Dei, non est minimum opus, sed valde magnum, et vere meritorium vitae aeternae; huic autem operi bono non est opponendum peccatum veniale, quod simul cum charitate consistit, sed mortale, quod charitati repugnat. Quodlibet autem peccatum charitati repugnans, etiamsi alioqui minimum videatur, non minimum, sed magnum erit, et vere mortis aeternae meritorium.

Aliae quaedam objectiones proponi possent ex illis Scripturae testimoniis, quae docere videntur, animas in purgatorio non esse certas de salute: ex quo deducitur, peccata venialia, quae in illis forte haerent, cum de hac vita discedunt, mortem sempiternam promereri. Sed eae solutae sunt in 2. lib. de purgatorio cap. 5.

CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Jam vero ex Patribus primo loco objici solet s. Basilius, qui in quaestionibus compendio explicatis quaest. 4. scribit, nullum peccatum esse contemnendum ut parvum, cum re vera nullum sit parvum, quando b. Paulus de omni peccato generatim pronunciaverit, stimulum mortis peccatum esse; et rursus quaest. 293. affirmat, in novo Testamento nullam inveniri differentiam gravium et levium peccatorum.

Respondeo: Non certo constat, an eae quaestiones sint magni Basilii, an potius Eustathii Sebasteni, cujus multi et graves errores damnantur in concilio gangrensi. Huic enim auctori a multis hoc opus olim adscriptum fuisse testes sunt Sozomenus lib. 3. historia cap. 13. et Nicephorus lib. 9. cap. 16. et lib. 13. cap. 29. Huc etiam accedit, quod auctor harum quaestionum quaest. 1. et qu. 95.

non videtur admittere traditiones non scriptas,cum econtrario s. Basilius in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, cap. 27. acriter eas defendat.Quare cum valde probabile sit eas quaestiones editas esse ab homine parum probatae fidei, non est cur earum testimonium magni faciamus.

Possumus tamen eas sententias cujuscumque sint, in bonum sensum explicare. Solum enim videtur auctor ille demonstrare voluisse,nullum peccatum apud Christianos,ac potissimum apud monachos ut parvum ac leve contemnendum esse.Quamvis enim unum peccatum sit alio gravius, ut idem auctor docet quaest. 106. tamen omnia, etiam levissima christiano homini, a quo major vitae perfectio exigitur, quam a Judaeo, pro viribus cavenda sunt. Quod si id Christianis in commune recte praecipitur, quanto magis monachis, quos auctor ille potissimum instituendos susceperat, praecipiendum erit? Quod vero ille addit,omne peccatum esse stimulum mortis,potest etiam admitti, quia omne peccatum, aut mortem efficit, si est mortale, aut ad eam disponit, si est veniale.

Secundo loco objici potest testimonium s. Hieronymi, qui in 2. dialogo adversus Pelagianos ante medium, videtur omnia peccata habere pro mortalibus cum ita loquitur: *Si ira, et sermonis injuria, atque interdum jocus, judicio concilioque, et gehennae ignibus delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio et avaritia, quae radix est omnium malorum?*

Respondeo: Sine ulla dubitatione s. Hieronymus non accepit illos reatus conjunctim,quasi existimaverit, iram, vel jocum reos homines efficere judicii, concilii et gehennae ignis: Si enim hoc vellet, pugnaret cum ipsa Domini sententia, quam ipse idem Hieronymus paulo ante adduxerat. Siquidem in ea sententia tres reatus tribus peccatorum generibus, vel potius tribus gradibus ejusdem peccati respondent, singuli singulis, non singulis omnes. Et quamvis Hieronymus in enumerandis gradibus peccati Primo loco posuerit iram; Secundo sermonis injuriam; Tertio jocum: In enumerandis autem reatibus, Primo loco posuerit judicium; Secundo concilium; Tertio gehennam ignis: Tamen non respondet joco gehenna ignis,sed sermonis injuriae, ut ex evangelii textu colligitur. Quare s. Hieronymus non habuit rationem ordinis in illa enumeratione, sed tantum numeri.

Tertio objiciunt aliqui s. Augustinum,qui in lib. 2. de peccatorum meritis et remiss. cap. 3. habet haec verba: *Quis cum spe aliqua adipiscendae salutis aeternae, de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno,factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur, superexultat autem misericordia judicium?* Videtur enim his verbis s. Augustin. significare, peccata quaecumque etiam venialia ex se mereri mortem aeternam, et re vera ob quodlibet peccatum damnandos homines nisi misericordia judicium mitigaret. Cui sententiae similis est illa,ejusdem auctoris in epist. 29. *Cum rex justus sederis in throno,quis gloriabitur castum se habere cor?aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccato? quae igitur spes est, nisi superexaltet misericordia judicium?* Et illa ex confessionibus lib. 9. cap. ult. *Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam.*

Sunt praeterea multa loca ejusdem auctoris, qui docent, multa venialia simul collecta damnare hominem: ex quo sequi videtur, ut si pauca venialia non damnent, id fiat ex misericordia Dei, non ex natura ipsius peccati. Loca sunt haec: In epistola 29. ad Hieronymum: *Denique*, inquit, *s. Jacobus jam ex isto loco de misericordia operibus loquitur, ut quos vehementer illa sententia terruerat, consoletur, cum admonet, quomodo etiam quotidiana peccata (sine quibus hic non vivitur) quotidianis remediis expientur: ne homo, qui cum in uno offenderit, fiat omnium reus: in multis offendendo, quia in multis offendimus, propter magnum aggerem reatus sui minutatim collectum ad tribunal tanti judicis perveniat,et eam, quam non fecit, misericordiam non inveniat,sed potius dimittendo,atque dando mereatur sibi dimitti peccata,reddique promissa.* In epistola 108. ad Seleucianum: *Est etiam*, inquit,*poenitentia bonorum et humilium fidelium poena quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quae dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa utique, quae humanae fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt, quae sit collecta contra nos fuerint ita nos gravabunt et oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum.Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur an paulatim subrepens aqua in sentinam,et per negligentiam derelicta, atque contempta impleat navem,atque submergat?*

In concione 3. super psalm. 118.*Sed quoniam*, inquit, *tentatio est vita hominis super terram, etiamsi a criminibus longe simus, non tamen deest, ubi desideriis peccati,vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus,quando adversus majora vigilantibus quaedam incautis minuta subrepunt, quae si adversus nos colligantur, etiamsi non singula suis motibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt.* Tract. 12. in Joan. *Quomodo*, inquit, *minuta peccata si negligantur, occidunt? minutae sunt guttae, quae flumina implent. Minuta sunt grana arenae, sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod fluctus irruens paulatim per sentinam intrat: sed diu intrando et non exhauriendo, mergit navim.* Denique tract. 1. in epist. Joan. *Ista levia*, inquit, *quae diximus, noli contemnere: si contemnis, quando appendis, expavesce quando numeras. Levia multa faciunt unum grande,Multae guttae implent flumen. Multa grana faciunt massam.*

Respondeo: Duo quaedam pro compertis habenda sunt, ex quibus pendet horum locorum explicatio. Primum est, s. Augustinum non existimasse, eum qui venialiter offendit in uno, fieri omnium reum, justa sententiam s. Jacobi, sed solum eum, qui lethaliter offendit. Id quod perspicuum est ex

epist. 29. ad Hieronymum, ubi s. Augustinus non semel repetit, ideo, qui offendit in uno,fieri omnium reum, qui pugnat contra charitatem, ex qua pendent omnia mandata. Quare ex sententia s.Augustini, qui peccat salva charitate,non ita offendit, ut fiat omnium reus. Idem autem s. Augustinus in eadem epistola scribit, peccata venialia committi a filiis Dei justis et charitatem habentibus, sed non tantam,quantam in patria coelesti habebunt. Ex eo enim quod non est in hac vita charitas tam perfecta, quam erit in futura vita, omnia peccata venialia committi dicit.

Itaque vult peccata lethalia simpliciter cum charitate non posse consistere:peccata autem venialia consistere quidem cum charitate,sed non cum perfectione illa charitatis, quam habebimus in patria. Ex quo sequitur, ut qui lethaliter offendit in uno, fiat omnium reus; non autem qui venialiter. Quocirca in extrema epistola, ubi loquitur de peccatis venialibus,dicit eos qui multa peccata levia et quotidiana committunt, terreri a b. Jacobo dicente: *Qui offendit in uno factus est omnium reus*; non quia unum peccatum leve et quotidianum eam vim habeat, ut faciat omnium reum ; sed quia magna congeries peccatorum levium videatur aequare unum aliquod grande peccatum,quod qui commiserit, fiet omnium reus. Hoc enim significant illa verba supra citata,quos vehementer illa sententia terruerat, consolatur cum admonet, quomodo etiam quotidiana peccata, sine quibus hic non vivitur, quotidianis remediis expientur, ne homo qui cum in uno offenderit, fiat omnium reus,in multis offendendo, quia in multis offendimus propter magnum aggerem reatus sui minutatim collectum ad tribunal tanti judicis perveniat etc.

Alterum est, sententias illas s. Augustini,in quibus docet multa peccata levia simul collecta occidere, et damnare hominem non secus atque unum grande peccatum; non sic esse accipiendas, quasi multitudo peccatorum venialium, dum venialia manent, aequari possit uni mortali. Id enim apertissimis rationibus convincitur esse falsum.Nam venialia peccata, ex consensu omnium theologorum,neque tollunt, neque minuunt habitum charitatis,sed solum actum et fervorem ejus impediunt: quare etiamsi omnia peccata venialia simul colligerentur in unum, numquam efficerent id, quod facit unum lethale peccatum, quod videlicet continuo charitatem excludit.Deinde poena mortalis peccati sempiterna est, poena venialis temporaria:at nulla spatia temporalia aeternitatem adaequare queunt: igitur nec ulla multitudo venialium peccatorum unius mortalis peccati gravitatem unquam adaequabit. Siquidem ea est proportio poenae ad poenam, quae culpae ad culpam cum poena sequatur culpam.

Ad haec si multa venialia uni mortali aequalia essent, incredibilis ambiguitas in animis fidelium existeret, cum neque Scripturae, neque concilia, neque ulli auctores unquam definierint, quot venialia requirantur ad unum mortale efficiendum. Denique oporteret venialia peccata,cum multa sunt, necessario in confessione sacramentali sacerdotibus aperire; quod et concilio tridentino sessione 14. cap. 5. et communi Christianorum sensui, et consuetudini repugnat.

Sententia igitur sancti Augustini (ut recte docet b. Thomas in 1. 2.quaest. 88. art. 3.) ea fuit,multa venialia, si contemnantur et negligantur, paulatim disponere hominem ad mortale crimen: quemadmodum vulnus curabile, si negligatur, paulatim gignit apostema lethiferum, et eo modo dicitur fieri incurabile. Id quod apertius scribit s. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 14. illis verbis:*Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus.* Et ante utrumque,idem scripsit Ecclesiasticus cap. 19. cum ait: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Posset etiam dici, multa venialia, secundum Augustini sententiam acquari uni mortali, quoad poenam temporalem in purgatorio luendam.

His duobus praemissis; Respondeo ad primum testimonium ex lib. 2. de peccatorum meritis et remissione duabus de caussis s.Augustinum scripsisse:*Quis cum aliqua spe adipiscendae salutis etc.* Primo: Quia quodlibet crimen quamvis solum et minimum sit,sufficit ad aeternam hominis perditionem, et nemo certo novit, an non habeat, vel habuerit aliquod ejusmodi crimen, unde iram Dei sibi conciliaverit, et ad gratiam ejus per veram poenitentiam non redierit. Et ideo nemo cum spe adipiscendae salutis de hac vita migraret, nisi sciret, se bonum Dominum habere, et speraret, per ejus misericordiam peccata sua, praesertim lethalia,jam esse dimissa. Secundo: Quia in venialibus offendimus omnes, multa autem venialia disponunt (ut diximus) ad mortale; qui vero offendit in uno mortaliter, efficitur omnium reus: ideo nisi Deus providisset nobis quotidiana remedia ad quotidiana purganda peccata, nemo fere esset, qui cum spe aliqua adipiscendae salutis, de hac vita migraret.

Ad alterum locum ex epistola 29.et Ad tertium ex lib. 9. confess. Respondeo: Loqui s. Augustinum de poena purgatorii,quae acerbissima est,et quam vix ulli justi homines, nisi ex magna Dei misericordia evadunt, ita ut recta ex corpore ad coelum evolent. Hoc autem ita esse perspicuum est ex eodem lib. 9. confess. cap. ult. Nam oraturus Augustinus pro anima matris suae defunctae, quam vehementer laudaverat, ne quis forte miraretur, cur pro ea oraret, quam tantopere commendaverat , reddit rationem dicens: *Vae etiam laudabili vitae hominum,si remota misericordia discutias eam.* Ubi si illud *vae*, respiceret damnationem aeternam, non fuisset ratio, cur pro defuncta matre orandum esset : neque enim pro damnatis orare licet.

Itaque significare voluit, homines etiam vitae laudabilis, non carere peccatis venialibus,ob quae si severe judicentur, gravissimas poenas in purgatorio luere debeant. Poenas autem purgatorii majores esse omnibus poenis et suppliciis hujus vitae, et propterea recte dici: Vae illis, qui ad eas luendas descendunt , testatur idem Augustinus tract. in psalm. 37. ubi sic ait: *Salvus erit quasi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Ad alia loca jam responsum est.

CAPUT XIV.

Diluuntnr objectiones ex naturali ratione petitae.

Supersunt adhuc paucae quaedam objectiones, quae ex ipsa naturali ratione ducuntur.

Prima objectio: Quaelibet culpa juste potest a Deo puniri poena mortis et temporalis et aeternae; igitur quaelibet culpa natura sua mortalis est,et sola Dei misericordia venialis. Antecedens probatur. Nam malum culpae etiam levissimae majus est quolibet malo poenae etiam gravissimae ; igitur juste potest quaelibet culpa puniri quavis poena etiam mortis aeternae; Antecedens hujus argumenti posterioris probatur, quia potius subeunda est quaevis poena quamvis gravissima, quam peccatum aliquod etiam levissimum perpetrandum ; Nam alioqui peccatum aliquando licitum esset, quod nullo modo fieri potest, cum repugnantia sint, aliquid esse peccatum et esse licitum

Respondeo: Potest quidem Deus de rebus suis facere quicquid libuerit, et non solum hominem qui venialiter peccavit interficere, sed etiam in nihilum redigere: tamen si id faceret, Dominum se probaret, non judicem: *Nam* (ut s. Augustinus ait lib.3.adversus Julianum,cap.18.) *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Ita possumus, et nos dicere, bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos supra condignum remunerari,quia bonus est: non potest quemquam supra condignum punire, quia justus est. Quare negamus quod in antecedenti illo assumitur,posse Deum juste punire peccatum quodlibet etiam veniale, poena omnium gravissima, quae est mors aeterna.

Ad probationem Respondemus: Culpam quidem etiam levissimam esse majus malum , quam sit poena quaecumque etiam gravissima. Nam culpa est malum simpliciter, et nullo modo eligibilis : poena autem est malum illi, qui punitur , non tamen simpliciter, quin etiam bona et justa dici debet, et est eligibilis ad vitandum malum culpae. Sed non ideo debetur maxima poena levissimae culpae quia poena ex genere suo minus est malum quam culpa. Non enim debetur culpae ex ratione justitiae maximum aliquod malum simpliciter, sed malum poenae; quod cum malo culpae proportionem habet, ita ut gravi culpae gravis poena, graviori gravior, gravissimae gravissima,et contra levi levis, leviori levior,levissimae levissima poena respondeat. Itaque tametsi mors potius oppetenda sit, si optio detur, quam otiosum verbum proferendum. Non tamen otiosum verbum prolatum sempiterna morte vindicandum erit, quo supplicio parricidia,atque adulteria,aliaque ejusdem generis crimina vindicantur.

Altera objectio. Peccatum veniale infinitam habet malitiam, estque infinito odio dignum; igitur infinitam poenam ex natura sua meretur. Probatur antecedens,nam non debet peccatum veniale committi ad quodvis bonum,etiam infinitum adipiscendum; ergo non minus est odibile peccatum veniale, quam sit amabile bonum infinitum; bonum autem infinitum infinito amore dignum est;ergo peccatum veniale infinito odio dignum est; habet igitur peccatum veniale infinitam malitiam, sicut bonum infinitum infinitam bonitatem.

Respondeo: Peccatum veniale non habet malitiam infinitam, cum non avertat hominem a Deo summo atque infinito bono. Ea enim caussa est , cur peccatum mortale dicatur infinitam malitiam habere, quia mutat ultimum finem ac facit, ut homo relicto Deo, qui vere est infinitus, in rem creatam ut in suum finem ultimum convertatur. Quod autem non oporteat peccatum veniale committere ob bonum infinitum adipiscendum, non ea est ratio,quia sit ipsum etiam malum infinitum,sed quia est simpliciter malum;ut non possit ullo modo fieri bonum, ac per hoc non sit eligibile neque medium ad ullum bonum consequendum.

Tertia objectio: Peccatum veniale potest numquam remitti; atqui peccatum, quod numquam remittitur, semper puniri potest: igitur peccatum veniale semper puniri potest.Proinde quod temporaliter, et non in aeternum puniatur, non est ex natura ejus, sed ex misericordia Dei. Propositio hujus argumenti probatur; Nam peccatum veniale remitti non potest sine gratia Dei: quod autem ex gratia Deus facit, potest sine dubio non facere:igitur potest veniale peccatum numquam remittere. Et confirmari potest argumentum ex sententia s. Thomae, qui in 1. 2. quaest. 87. art. 5. scribit, peccata venialia in hominibus ad inferos condemnatis sempiterno supplicio puniri.

Respondeo: Peccatum veniale potest numquam remitti, sed non oritur id ex natura ipsius peccati, sed aliunde. Possunt autem duo quaedam in peccato considerari. Primo deformitas, sive macula, quae ex peccato relinquitur in anima.Secundo reatus poenae ob injuriam Deo factam. Et quidem deformitas, quam parit peccatum mortale, oritur ex amissione gratiae Dei,quae est quasi lux quaedam, et vita ipsius animae;et quia nemo potest se ipsum a morte revocare, ideo peccatum mortale, quod tollit principium vitae, idest,gratiam, ex natura sua est quodammodo, irremissibile. Nihil enim relinquit in homine, unde per se resurgere possit, sed si forte resurgit, id fit ex peculiari, et magna Dei misericordia:At peccatum veniale non excludit gratiam Dei, non tollit principium vitae, sed tantum impedit aliquo modo fervorem charitatis, et ideo proprie non efficit maculam seu deformitatem in anima: quod si deformitas dicenda sit privatio illa fervoris,ea facile tolli potest per actum dilectionis, qui quidem est in potestate hominis justi, et habitu charitatis praediti.Quare peccatum veniale,quod attinet ad maculam seu deformitatem, non est ex natura sua irremissibile, sed remissibile cum relinquat in homine charitatem, ex cujus actu facile remitti potest.

Quod si in homine peccatore sit veniale peccatum, in eo irremissibile erit, donec non remittitur peccatum mortale. Sed hoc erit , per accidens nimirum ratione subjecti, quia videlicet homo ille

gratia Dei et vita spirituali privatus, non potest actum ullum charitatis efficere, quo peccata venialia deleat. Quod autem attinet ad reatum, peccatum mortale per se inducit reatum poenae sempiternae, sicut per se est irremisibile. Neque enim debet deformitas sempiterna sine poena sempiterna manere, ut pulchritudo, quae de operibus Dei per culpam perpetuo tollitur, per decorem justitiae perpetuo reparetur. Contra autem veniale peccatum quemadmodum non est per se et ex natura sua reatum poenae sempiternae, sed temporalis: quamvis per accidens fieri possit, ut per omnem aeternitatem puniatur sicut per accidens fieri diximus, ut aliquando per omnem aeternitatem minime deleatur.

Ex his ad formam argumenti propositi respondemus; ac primum concedimus peccatum veniale posse numquam remitti et semper puniri, sed per accidens, ut diximus, non per se. Ex quo etiam solvitur confirmatio ex auctoritate s. Thomae.

Ad illud autem, quod objiciebatur in probatione propositionis (peccatum veniale remitti non potest sine gratia, quod autem ex gratia Deus fecit, potest non facere: igitur potest veniale peccatum numquam remittere). Respondemus: Vel gratiam in argumento sumi pro habitu gratiae in anima inhaerente; vel pro liberali condonatione poenae. Et quidem si accipiatur pro habitu gratiae, non negamus absque gratia peccatum remitti non posse; sed eam gratiam jam habet homo justus, qui peccatum veniale purgare debet, proinde non eget nova infusione gratiae, sed satis illi erit, si ex ipsa gratia, quam habet, actum aliquem dilectionis eliciat. Si vero gratia accipiatur pro liberali condonatione poenae, fatemur posse Deum absolute non condonare, poenam, quod enim ex gratia facit, potest non facere; sed tamen cum promiserit disertis verbis in evangelio donum remissionis, si et ipsi remiserimus debitoribus nostris: *Si enim remiseritis hominibus* (inquit Matth. 6.) *peccata eorum, dimittet et vobis pater vester coelestis delicta vestra*: Profecto si non absolute, certe ratione promissionis et pacti non poterit non remittere, si et nos remiserimus, eique dixerimus, ut ipse nos docuit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Itaque s. Augustinus in libro de correptione et gratia cap. 13. dicit, in judicio misericordiam bonis meritis justorum esse reddendam. Merentur enim qui bene operantur, ut Deus, misericorditer indulgeat, si quid manente charitate deliquerint.

Adde Postremo: Quod si vellet Deus non condonare, sed omnino exigere poenam peccati venialis ab eo, qui culpam ipsam venialem per actum dilectionis purgasset; temporalem tantum, non autem sempiternam exigere posset. Quocirca etiamsi nullum esset pactum Dei nobiscum de remissione poenae, adhuc tamen perspicuum esset, peccatum veniale ex natura sua non inducere reatum poenae sempiternae. Atque hic sit hujus disputationis terminus.

LIBER SECUNDUS

DE STATU PECCATI

QUI EST DE CAUSSA PECCATI PRIMI HOMINIS AC DE CAUSSA PECCATI IN GENERE

Disseruimus in primo libro de peccati definitione et partitione: nunc de peccato primi hominis, cujus merito divinae gratiae jacturam genus humanum fecit, Deo juvante disseremus. *Ac Primum* quidem de caussa illius peccati; *Tum* de ipso peccato disputandum erit.

Porro de caussa peccati illius, atque adeo de caussa peccati in universum gravissima controversia est, quaenam sit propriâ et praecipua caussa peccati, an ea videlicet in hominem, an potius in Deum referenda sit. Qua controversia explicata, ubi constiterit. Deum non esse caussam peccati; subjicientur tres aliae quaestiones breviores de tentatione, quam satis constat caussam fuisse minus principalem et extrinsecam ejusdem peccati; *Unam*, cur Deus tentari permiserit Primum hominem quem non ignorabat ea tentatione vincendum. *Alteram*, quid fuerit serpens ille, qui primum hominem in paradiso tentavit. *Tertiam*, qualis fuerit illa tentatio.

CAPUT PRIMUM

De erroribus circa primariam caussam peccati.

Multi fuerunt tum ex antiquis, tum ex recentioribus haereticis, qui primariam peccati caussam, ingenti blasphemia, in Deum ipsum retulerunt. Princeps hujus erroris ille ipse fuit, qui simpliciter Primus fuisse dicitur omnium haereticorum. Sic enim de Simone mago scribit Vincentius Lirinensis in commonitorio adversus profanas vocem novitates. *Quis ante magnum Simonem Apostolica districtione percussum, a quo vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum continua et occulta successione manavit, auctorem malorum, idest, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum?*

Deinde Cerdonistae, Marcionistae, Manichaei, Priscillianistae, Albigenses, qui variis saeculis et in diversis regionibus scholas impietatis aperientes, duoque prima principia, ac veluti duos Deos unum bonum, alterum malum introducentes, primariam peccati caussam Deum malum esse voluerunt. De Cerdonistis vide Tertullianum in libro de praescriptione adversus haereticos; De Marcionistis Irenaeum lib. 1. cap. 26. adversus haereses. De Manichaeis s. Augustinum in lib. de haeresibus cap. 49. De Priscillianistis s. Leonem in epist. ad Turbium 93. cap. 6. De Albigensibus s. Antoninum in summa theologica par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. Sed quamquam isti omnes Deum peccati caussam esse dicerent, tamen sententiam suam aliquo modo temperabant. Nam Simon magus non docebat aperte Deum velle, aut imperare, aut etiam efficere mala, sed ea ratione peccatorum nostrorum caussam esse, quod eam naturam nobis dederit, quae non possit non peccare. Cerdon, Marcion, Manichaeus, et caeteri, qui duo rerum principia statuebant, referebant quidem peccati caussam in principium quoddam primum et sempiternum, sed illud non Deum, sed diabolum, aut certe Deum non bonum, sed malum nominabant.

Primus igitur, qui aperte Deum et bonum Deum auctorem peccati fecit. Florinus quidam fuit, qui ex Montani discipulo, per novem hoc dogma hae-

resiarcha fieri meruit. De quo Florino recte scripsit Irenaeus (ut refert Caesariensis lib. 5.hist. cap. 20.) eum fuisse plusquam haereticum, cum id ausus palam asserere, quod nullus haereticorum usque ad id tempus asseruerat. Sanctus Augustinus in lib. de haeres. cap. 56. scribit, Seleucianorum haeresim fuisse, malum aliquando esse a Deo, aliquando a materia. Sed non explicuit, an de malo naturali, an de morali,quod proprie dicitur peccatum, Seleuciani loquerentur.

Florinum,Irenaeo (ut diximus) plusquam haereticum, nostro hoc saeculo non pauci sequuti sunt. Praecipui sunt,qui dicuntur Libertini, quorum sectam (quoniam alios auctores non habemus) ex Calvino didicimus, et ex eodem historiam, quam hoc loco recensemus, petere coacti sumus. Scripsit enim Joannes Calvinus duos libros adversus Libertinos, quorum alter est epistola ad Rotomagenses adversus franciscanum quendam Libertini erroris sectarium. Igitur auctores dogmatis fuerunt Coppinus et Quintinus, Sutores Flandri. Quorum alter (idest, Quintinus) Tornaci a catholico magistratu tum ob multa flagitia, tum etiam ob novam,eamque valde perniciosam haeresim interfectus est, sed prius erroribus abjuratis.

Primarius eorum fuit error: Unum esse tantum spiritum immortalem,videlicet Deum:angelos, daemones,animas,nihil esse praeter opinionem. Hinc vero multa, eaque absurdissima dogmata colligebant. Primum erat, quaecumque fieri videntur ab hominibus sive bona sive mala illa sint, omnia fieri, non ab hominibus, sed ab illo uno spiritu Dei, qui omnia in omnibus operatur.

Alterum:Peccatum nihil esse praeter inanem et falsam opinionem, cum Deus omnia faciat, qui nihil mali facere potest.

Tertium: Non debere reprehendi eos, qui occidunt, moechantur, furantur; id enim esset Deum reprehendere.

Quartum: Regenerationem esse depositionem conscientiae, abjectionem scrupulorum, ignorationem discriminis inter bonum et malum. Nam in statu innocentiae ignorabat Adam discrimen boni et mali, atque ad eum statum redire dicunt Libertini eos, qui sine scrupulo quidlibet agunt, et hanc esse christianam libertatem et mortificationem veteris Adami. Quocirca si quem vident reformidare actiones malas, dicere solent, o Adam adhuc aliquid vides, adhuc pomi illius gustum retines.

Quintum: Poenitentiam nihil esse aliud, nisi agnoscere et profiteri si nihil egisse mali, atque ea de caussa dicunt, Petro peccatum fuisse dimissum, quia crediderit, se non peccasse, cum Christum negavit:Judae non fuisse dimissum quia crediderit se peccasse,neque potuerit conscientiam illam exuere,ut ex illis ejus verbis cognoscitur: Peccavi tradens sanguinem justum.

Sextum: Posse hominem in hac vita ad summam perfectionem et innocentiam pervenire, quia videlicet, si abjiciat omnes scrupulos, omni peccato carebit.

Septimum: Christum nihil esse, nisi quiddam compositum ex spiritu Dei et opinione. Tunc autem mortuum esse Christum, quando abolevit illam opinionem, quod peccatum sit aliquid: tunc vero ab inferis rediisse, et nos omnes in vitam revocasse, cum docuit nos esse ipsum Dei spiritum, qui semper vivit et regnat, neque aliam expectandam esse resurrectionem.

Octavum: Licitum esse simulare ac dissimulare omnia,et cum catholicis catholice, cum Lutheranis lutherane vivere.

Nonum:Scripturas sacras non esse magnifaciendas, cum spiritus sufficiat. Porro ipsi Libertini non solum Scripturis, sed etiam scriptores sacros ita contemnebant,ut per contumeliam s. Joannem juvenem stolidum;s.Matthaeum foeneratorem;s. Paulum vas confractum: s. Petrum Christi abnegatorem nominarent.

Quamvis autem horrendas istas blasphemias, Calvinus detestari se dicat, et eas etiam (ut diximus) editis libellis refutare conatur:Omnino tamen probabile est, ut Anabaptistas ex Lutheranis, sic Libertinos ex Calvinianis promanasse. Nam in libris Calvini, et magistri ejus Zwinglii,ac discipuli ejus Bezae, necnon Martini Buceri et Petri martyris, qui in multis cum Calvino conveniunt, inveniuntur apertissimae sententiae,ex quibus colligitur,Deum esse auctorem omnium scelerum,quae ab hominibus perpetrantur.

Docuerunt idem olim Lutherus et Melanchthon, ut perspicuum est ex assertione art. 36. ubi Lutherus scribit,neminem habere in potestate,ut cogitet bonum vel malum; et clarius ex commentario Melanchthonis in cap. 8. ad Rom. ubi legimus, sic esse opus Dei, Davidis adulterium et Judae proditionem,ut Pauli vocationem.Caeterum uterque sententiam retractavit.Nam Lutherus in libro de visitatione Saxonica agnoscit,et docet liberum arbitrium in rebus civilibus tam ad bonum, quam ad malum; et Melanchton in locis communibus anno 1536. editis,titulo de caussa peccati,studiose refellit sententiam illam,quae refert in Deum actiones malas. Multi etiam Lutheranorum, ut Heshusius Castalio et alii, Calvini sententiam de caussa peccati libris editis refutarunt. Quae sit autem Calvini sententia, in 3. cap. demonstrabimus.

CAPUT II.

Explicatur status quaestionis.

Quia praecipua controversia, cum Zwinglio et Calvino, et iis, qui in eodem errore versantur, disputanda est: operae pretium esse duxi, statum quaestionis breviter explicare, nam si sub his verbis controversia proponatur, An Deus sit auctor malorum,vel an peccare possit; vel, an sit caussa, cur nos peccamus: nulla quaestio erit. Siquidem illa omnia non solum catholici, sed etiam Calvinistae, et ipsi quoque Libertini negant.

De Libertinis id refert Calvinus in epist.ad Rotomagenses adversus franciscanum quendam Libertinum, his verbis. *Contestatur*, inquit, *sibi longe aliam esse mentem, seque Deum mali auctorem facere nolle affirmat: sed quid prodest ejusmodi*

subterfugium in re tam aperta? Itaque Libertini, tametsi adulteria, homicidia, rapinas et caetera hominum scelera, atque flagitia in Deum referrent, negabant tamen se facere Deum auctorem malorum; quia videlicet non judicabant illa esse mala, cum a Deo fierent, qui nihil mali facere potest.

Zwinglius in serm. de providentia, cap. 5. et 6. non semel repetit, Deum injustum non esse, nec peccare ulla ratione posse. Joannes vero Calvinus non uno in loco disertis verbis affirmat Deum non esse auctorem malorum. Praefatione libri de aeterna Dei praedestinatione: *Inter omnes pios*, inquit, *fixum hoc, confessum esse debet, non esse cur suis peccatis socium Deum adscribant, vel ullo modo secum involvant ad partem culpae sustinendam.* Et in fine ejusdem libri: *Ergo*, inquit, *cum justa de caussa, licet nobis ignota, a Domino procedant, quae scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur: etiamsi rerum omnino prima caussa sit ejus voluntas, peccati tamen cum esse auctorum nego.* Et paulo post: *Turpi quidem*, inquit, *et illiberali calumnia nos gravant, qui Deum peccati auctorem fieri obtendunt, si omnium quae aguntur caussa est ejus voluntas.* Et lib. 1. Instit. cap. 17. § 3. *Ad hanc modestiam*, inquit, *quicumque erunt compositi, neque in praeteritum de rebus adversis contra Deum frement, neque scelerum culpam in ipsum regerent.* Et ibidem reprehendit Lyconidem, qui apud Plautum dicit: *Deus impulsor fuit, credo Deos voluisse.* Denique idem Calvinus in admonitione adversus Libertinos longa disputatione probare nititur, Deum non esse caussam peccati. Petrus martyr in comment. 1. cap. epist. ad Roman. scribit quidem Deum vere ac proprie impellere homines ad peccandum: tamen simul negat, Deum peccare, aut esse auctorem peccati.

Denique Theodorus Beza tum in responsione ad Heshusium, tum in alia ad Castalionem, diligenter purgat se et Calvinum ab illa nota quod Deum auctorum peccati faciat. Ac (ut omittam caetera) in responsione ad Castalionem triginta et octo aphorismis explicat totam sententiam suam, et praeceptoris sui Calvini. Eorum aphorismorum octavus sic habet: *Non consequitur ex istis ulla istarum blasphemiarum, nempe vel Deum esse auctorem peccati, sive delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem: vel Satanam, aut homines male agendo, obedire Deo, aut quatenus male agunt, facere quod Deus vult, ac proinde esse extra culpam. Absint vero quam longissime omnes ejusmodi blasphemiae non tantum a linguis, sed etiam a cogitationibus nostris.*

Quare cum adversarii verbo fateantur, id quod catholici docent, frustra laboraremus in testimoniis Scripturae et Patrum adducendis, quibus probatur Deum non esse caussam peccati, nisi antea doceremus, eos reipsa sentire quod verbo profiteri non audent; ideo nobis Tria praestanda erunt. Primo explicandum: Quid ipsi doceant de caussa peccati ex parte Dei: Secundo: An ex eo quod ipsi docent, sequatur Deum esse auctorem peccati: Tertio: An sit vera eorum sententia; ac proinde, an Deus sit auctor peccati.

CAPUT III.

Sententia Zwinglii, Calvini et Bezae ex verbis ipsorum in medium adducitur.

Quod igitur ad Primum attinet, sententia Zwinglii, Calvini et Bezae de caussa peccati ex parte Dei quinque propositionibus comprehendi potest.

Prima est: Deus non solum permittit, sed etiam vult fieri quaecumque fiunt ab hominibus peccata. Secunda: Deus non solum vult fieri, sed etiam ab aeternitate decrevit ut fierent. quaecumque fiunt ab hominibus peccata, idque non praevisa determinatione voluntatis humanae: Deus enim non decernit quidquam quia praescit futurum, sed praescit futura, quia ipse decrevit ut fierent. Tertia: Deus non solum ab aeternitate decrevit ut fierent, quaecumque fiunt ab hominibus peccata, sed etiam imperat Satanae, et improbis hominibus ut concipiant maleficia, eosque ad hoc inclinat, impellit et etiam cogit. Quarta: Deus non solum imperat Satanae, vel eum inclinat et impellit, ut homines ad peccandum inducat, sed etiam ipse operatur in mentibus hominum impiorum, et per eos, ut per sua instrumenta, ipse tamquam prima caussa facit ea omnia, quae respectu hominum dicuntur, et sunt vere peccata. Quinta: Tametsi ea, quae respectu hominum dicuntur, et sunt vere peccata, fiant Deo volente, definiente, imperante et operante: tamen respectu Dei non possunt dici, nec sunt peccata, sed opera bona et justa, quia homines mala intentione, Deus autem bono consilio illa omnia facit. Proinde Deus neque ipse peccat, neque est auctor et caussa peccati. Hanc esse Zwinglii, Calvini et Bezae sententiam, ex ipsorum libris et confessione facili negotio demonstrabimus.

Primum igitur Zwinglius in serm. de providentia, quem scripsit ad principem Cattorum Philippum anno 1530. has teterrimas, ac plane tartareas blasphemias habet. Nam cap. 5. loquitur: *Porro injustitiam in sese nobis ostendere numen cum nulla ratione posset, ut quod undique verum, bonum, sanctum natura sit, per creaturam injustitiae exemplum produxit, non quasi creatura illam suo marte produxit, quae nec est, nec vivit, nec operatur sine numine, sed quod numen ipsum auctor est ejus, quod nobis est injustitia. illi vero nullatenus est.* Et infra: *Cum igitur angelum transgressorem facit, et hominem, ipse tamen transgressor non constituitur.* Et cap. 6. *Quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non etiam Deo.* Et infra: *Unum igitur, atque idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum Dei est auctoris, motoris, impulsoris, opus est, crimen non est: quantum autem hominis est, crimen ac scelus est.* Et infra: *Cum movet ad opus aliquod, quod perficienti instrumento fraudi est, sibi tamen non est; ipse enim libere movet, neque instrumento facit injuriam. cum omnia sint magis sua, quam cujusque artificis sua instrumenta, quibus non facit injuriam, si nunc limam in malleum, et contra malleum in limam convertat. Movet ergo latronem ad occidendum*

*innocentem,etiam ac imparatum ad mortem.*Haec ille.

Sed jam Calvinum audiamus. Is primum in lib. 1. Instit. cap. 17. § 11. sic loquitur: *Verum ubi in memoriam revocant diabolum, totamque improborum cohortem sic omnibus partibus manu Dei tamquam fraeno, cohiberi, ut nec concipere ullum adversus nos maleficium;nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum,si maxime moliantur, digitum movere queant,nisi quantum ille permiserit, immo nisi quantum ille mandarit,nec compedibus tantum ejus teneri ligatos, sed etiam ad obsequia praestanda fraeno cogi,habent unde se prolixe consolentur. Nam ut domini est, eorum urorem armare et convertere, destinareque quo libuerit; ita et modum, finemque statuere,ne pro sua libidine licentiose exultent.* Haec ille. In quibus verbis habemus tertiam propositionem, quam paulo ante notavimus in explicanda Calvini sententia. Hic enim disertis verbis Calvinus dicit, Deum non solum permittere, sed etiam *mandare*, ut Satan et improbi concipiant maleficia, et ea moliantur adversus probos, et furorem ipsorum armari et destinari a Deo, quo ipse voluerit, et tandem cogi quasi fraeno Satanam et impios ad obsequia praestanda, idest,ut juxta Dei mandatum maleficia concipiant et moliantur.

Rursus in eodem lib. cap. 18. § 1. *Absurdum*, inquit, *videtur, volente ac jubente Deo excaecari hominem, qui mox caecitatis suae poenas daturus est, tergiversando itaque effugiunt, Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri.ipse vero palam se facere pronuncians,effugium illud repudiat. Quod autem nihil efficiant homines,nisi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitent, nisi quod ipse jam apud se decreverit,et arcana sua directione constituat , innumeris et claris testimoniis probatur.* Et § 2. *Et certe*, inquit,*nisi intus operaretur in mentibus hominum, non recte dictum esset, auferre labium a veracibus. et a senibus prudentiam.* Et paulo post: *Sed nihil*, inquit, *clarius potest desiderari, quam ubi toties pronunciat se excaecare hominum mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Haec etiam ad permissionem multi rejiciunt ac si deserendo reprobos, a Satana excaecari sineret. Sed cum diserte exprimat spiritus, justo Dei judicio infligi caecitatem et amentiam, nimis frigida est solutio.*

Et paulo post, de sceleribus Assiriorum: *Apparet*, inquit,*certa destinatione Dei fuisse impulsos.* Et infra: *Dicitur etiam idem Satan excaecare infidelium mentes: sed unde hoc, nisi quod a Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis credant, qui renuunt parere veritati.* Et § 2. *Homo*, inquit.*justo Dei impulsu agit quod sibi non licet*, Ex his habemus quatuor priores propositiones: audimus enim Deum non solum permissione et desertione, vel voluntate, decreto, impulsu, praecepto, interna operatione efficere, ut homines cogitent, deliberent, agant quae sibi non licent.

Idem auctor lib. 2. Instit. cap. 4. § 2. *Satan*, inquit, *alioqui pravos Chaldaeorum animos venenatis suis aculeis ad perpetrandum id flagitium instigat: illi ad injustitiam furiose ruunt,omniaque membra scelere obstringunt ac contaminant. Proprie ergo agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est, nequitiae, exercet.Dicitur et Deus suo modo agere quod Satan ipse,instrumentum cum sit irae ejus.pro ejus nutu ac imperio, huc atque illuc se inflecti ad exequenda ejus justa judicia. Omitto hic universalem Dei motionem, unde creaturae omnes ut sustinentur,ita efficaciam quidvis agendi ducunt; de illa speciali actione tantum loquor , quae in unoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanae, homini assignari, videmus non esse absurdum.*

Rursus § 3. posteaquam dixerat Calvinus Deum posse dici excaecare homines deserendo; adjungit aliam rationem his verbis: *Secunda ratio, quae multo propius accedit ad verborum proprietatem, quod exequenda sua judicia per ministrum irae suae Satanam, et consilia eorum destinat, quo visum est, et voluntates excitat, et conatus firmat.* Et § 4. *Postea*, inquit, *dicit se aggravasse cor illius et indurasse,an induraverit non emolliendo? id quidem verum est:sed plus aliquid fecit, quod obstinatione pectus ejus obfirmandum Satanae mandavit.* In his locis tertia propositio apertissime continetur. Audimus enim specialem illam actionem, quae in facinore cernitur Deo auctori tribuendam esse, quia ipse per ministerium Satanae voluntates impiorum excitet ad malum, et corda eorum obduret, ne obediant etc.

Idem auctor in 3. lib. Instit.cap. 23. § 4. ita sibi ipse objicit: *Nonne*, inquit, *ad eam, quae nunc pro damnationis caussa obtenditur,correptionem, Dei ordinatione praedestinati ante fuerant? cum ergo in sua corruptione pereunt , nihil aliud, quam poenas luunt ejus calamitatis,in quam ipsius praedestinatione lapsus est Adam, ac posteros praecipites secum traxit,an non itaque injustus, qui creaturis suis tam crudeliter illudit?* Huic objectioni ita respondet: *Fateor sane, in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam,Dei voluntate decidisse omnes filios Adam, atque id est,quod principio dicebam,redeundum tandem semper esse ad solum divinae voluntatis arbitrium, cujus caussa sit in ipso abscondita.* Et §. 7. *Disertis*, inquit,*verbis hoc extare negant, decretum fuisse a Deo, ut sua defectione periret Adam, quasi vero idem ille Deus quem Scriptura praedicat, facere quaecumque vult,ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis.*

Et paulo post: *Decretum quidem*, inquit, *horribile fateor:inficiari tamen nemo potest,quin praesciverit Deus quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet,et ideo praesciverit, quia decreto suo sic ordinaverat.* Et § 8. *Quamquam*, inquit, *nec ipsum, quem probabile est,sola Dei permissione nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum.* Et paulo post: *Cadit igitur homo, Dei providentia sic ordinante.*Et § 9. *Excusabiles*, inquit, *peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem: praesertim cum Dei ordinatione sibi in-*

jiciatur hujusmodi necessitas. Nos vero inde negamus rite excusari, quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur,sua constet aequitas nobis quidem incognita, sed illi certissima.

Ex his locis satis aperte colliguntur prima et secunda propositio Calviniani erroris. Disertis enim verbis non semel Calvinus repetiit, non solum Dei permissione, sed voluntate, ordinatione, praedestinatione primum hominem lapsum esse, quia Deus id voluerat et ordinaverat, ideo etiam praescivisse; nec solum primum hominem, sed omnes ejus posteros ex Dei praedestinatione incidisse in peccandi necessitatem.

Porro haec omnia iterum repetit,et copiosius etiam tractat in lib. de aeterna Dei praedestinatione. Quia vero liber ejus valde prolixus est, neque distinctionem ullam habet capitum, aut sectionum aliarum, citabo numerum paginarum, juxta editionem opusculorum genuensem anni 1552. in fol. Sic igitur loquitur pag. 905. *Arcanum Dei consilium, quo praeordinatus fuerat hominis lapsus, qua decet sobrietate, procul adoret fides nostra.* Et pag. 906. *Ad justam hominis damnationem satis erat in via salutis cum esset collocatus,inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, quae tota in ejus voluntate residet?* Vides lector hoc loco, Calvinum concedere, non potuisse hominem non cadere,quia aeterno Dei decreto fuerat jam ejus casus praeordinatus.

Rursus pag. 916. *Non nisi sciente,atque ita ordinante Deo cecidit Adam, seque et posteros perdidit.* Et pag. 917. *Quomodo autem Dei praescientia, et decreto statutum fuerit, quid de homine futurum erat: neque tamen in culpae societatem trahendus sit Deus, quasi transgressionis vel auctor sit, vel approbator cum longe altius humanae mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat. Immo ne quem ex fidelibus nescire pigeat quod Dominus lucis suae inaccessae fulgore absorbet.* Hoc vere Calvinus dixit, inexplicabile, vel potius inintelligibile esse, quomodo Deus non sit auctor peccati,si ejus decreto primus homo peccavit. Nam, ut paulo post demonstrabimus,apertissime falsum est,Deum non esse auctorem peccati, si ejus decreto homines peccant, quod autem falsum est, mirum non est, si explicari et intelligi nequeant.

Rursus pag.944. *Hinc certe jam colligere promptum est quam inane et fluxum sit illud divinae justitiae patrocinium, quae mala sunt, non ejus voluntate, sed permissu dumtaxat fieri, equidem quatenus mala sunt,quae malo animo perpetrant homines, ut statim planius exponam, Deo minime placere fateor;sed quod otiosum ea permittere fingunt, quae Scriptura non tantum eo volente, sed auctore fieri pronunciat, nimis frivolum est effugium.* Et pag. 946. *Ergo cum justa de caussa licet nobis ignota a Domino procedant, quae scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur, etiamsi rerum prima caussa sit ejus voluntas,peccati tamen eum esse auctorem nego. Nec vero oblivione tegenda est illa quam posui, caussarum diversitas, quod alia est propinqua, alia autem remota caussa: ut sciamus quam longa inter aequabilem Dei providentiam,et turbulentos hominum impetus, sit distantia.* Haec ille. Ex quibus habemus primam, secundam et quintam Joannis Calvini propositionem.

Sed eandem quintam propositionem fusius et apertius explicat idem Calvinus in instructione adversus Libertinos cap. 14. ubi posteaquam dixerat, in omni opere tam bono, quam malo esse homines instrumenta Dei, subjungit haec verba: *Magna est differentia inter opus Dei et opus impii, cum eo Deus vice instrumenti utitur. Impius enim sua avaritia,aut ambitione, aut invidia,aut crudelitate incitatur ad facinus suum,nec alium finem spectat, ideo ex radice illa, idest, ex animi affectione et fine, quem spectat, opus qualitatem sumit, et merito malum judicatur, sed Deus respectum omnino contrarium habet, nempe ut justitiam suam exerceat etc.* Et infra, similem esse dicit Deum soli, qui radiis suis in cadavere corruptionem generat, et tamen impuritatem nullam ad se trahit.

Addam nunc etiam Theodori Bezae testimonia, ut exacte intelligatur, quid Calvinus, et ejus sectatores de hac re sentiant. Is igitur in responsione ad Sebastianum Castilionem de aeterna Dei praedestinatione in refutatione secundae calumniae, ita loquitur de casu Adami: *Deus hominem conditurus ad gloriam tum misericordiae, tum severitatis suae declarandam,Adamum condidit ad imaginem suam, idest, sanctum ac innocentem.Cur nam id vero? nempe quia bonus cum sit,non potest ab eo vitiosum quidquam creari: vitiosi autem sint oportet tum quorum constituit misereri, tum etiam quos juste decrevit gloriae suae caussa condemnare.Ideo oportuit Adamum condi sanctum et innocentem, sed qui sua sponte, et sine ulla Dei culpa vitiosum factus, viam patefaceret aeternis Dei consiliis, idest, tum misericordiae, tum severitati ipsius declarandae. Oportuit ergo Deum quoque hanc unicam viam sibi aperire, idest, Adam lapsum ordinare, sed ad eum,quem dixi finem, qui cum si justissimus et sanctissimus, justam quoque ipsius ordinationem esse consequitur.* Et paulo post: *Quaerenda inquit est vitii origo in instrumentorum spontaneo motu, quo fit ut Deus juste decreverit,quod illi juste fecerunt. At enim dices, Non potuerunt resistere Dei voluntati, idest, decreto, fateor,sed sicut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verum non poterant aliter velle. Fateor quoad eventum , et* ἐνεργείαν , *sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.*

Idem Beza paulo post explicat sententiam Calvini, et suam triginta octo aphorismis, ac in primis septemdecim nihil aliud docet , nisi Deum esse caussam primam omnium rerum, quae fiunt,et determinasse omnia ab aeterno ante omnem praevisionem determinationis secundarum caussarum. Secundas autem caussas, sive eae sint rationis expertes, sive ratione praeditae, in omni opere suo esse instrumenta Dei. Ubi (ut ostendat Deum non esse caussam peccati) multa tradit de instrumento-

rum varietate. Ac tandem subjicit quinque aphorismos 18. 19. 20. 21. et 22. in quibus consistit totius rei summa; quos iisdem verbis huc referre placuit.

Aphorismus XVIII. *Jam igitur ista ad Deum ipsum accommodemus, cujus efficacitatem ante probavimus in omnibus, quae fiunt, intervenire sine ulla exceptione: et ita quidem, ut per ea, quae condidit tamquam per instrumenta, exequatur suo tempore quicquid ab aeterno decrevit.*

Aphorismus XIX. *Quicquid agit Deus, bonum est, cum a summo bono nihil mali possit proficisci: omnia autem efficit, omnia igitur bona sunt quatenus a Deo efficiuntur: et discrimen illud boni et mali in instrumentis duntaxat locum habet.*

Aphorismus XX. *Nam si haec instrumenta bona sunt, et respiciunt patefactam Dei voluntatem, bene agunt, et Deus quoque bene agit per illa. Quo fit ut id opus omnibus modis sit bonum.*

Aphorismus XXI *Mala autem instrumenta, mala, inquam, non ex creatione, sed ex corruptione, quatenus quidem agunt, male semper agunt, ideoque juste incurrunt in iram Dei: quatenus autem Deus per illa agit, bono Dei operi, vel invita, vel per ignorantiam serviunt. Nam Deus per quaecumque agat instrumenta, semper bene agit.*

Aphorismus XXII. *Sic autem agit per illa instrumenta, ut non tantum sinat illa agere, nec tantum moderetur eventum, sed etiam excitet, impellat, moveat, regat, atque adeo, quod omnium est maximum, etiam creet, ut per illa agat quod constituit. Quae omnia recte agit Deus, et sine ulla injustitia.*

Atque haec quidem omnino sufficerent ad sententiam Calvini et Bezae intelligendam. Addam tamen adhuc unum aphorismum, ut ex eo discamus quam acute Beza de his rebus disserere soleat. Sic igitur loquitur in aphorismo 31. *Agit* (Deus) *sui operis respectu: permittit vero ejus operis respectu, quod mala ipsa instrumenta sponte peragant; sive quatenus activa sunt, non passiva instrumenta, et usitata in scholis verba retineamus. Juste tamen permittit, quod ista injuste agant, quoniam peccata, quatenus a Deo nolente permittuntur, peccata non sunt, sed peccatorum poenae; justum enim est coram Deo peccata etiam peccatis ulciscisci. Sed istae eadem actiones, quatenus a Satana, et a malis per Satanam, et per propriam concupiscentiam solicitatis proficiscuntur, eatenus demum peccata sunt, quae Dominus juste suo tempore ulciscitur. Numquam enim Dominus peccata quatenus peccata sunt, permittit, immo semper prohibet ac vetat.*

Sequuntur autem ex hoc eleganti aphorismo Tria quaedam notatu dignissima. Primo sequitur: Ea quae fiunt ab instrumentis malis sub eadem ratione permitti, et non permitti. Nam quae fiunt ab instrumentis malis, quatenus ea instrumenta activa sunt, non fiunt a Deo, sed permittuntur, ut habet initium aphorismi hujus 31. et illa eadem, sub eadem ratione, idest, ut fiunt ab instrumentis malis; quatenus ea instrumenta activa sunt, non permittuntur a Deo. Deus enim peccata non permittit, sed prohibet, ut habet finis ejusdem aphorismi, peccata autem sunt ea quae fiunt ab instrumentis malis, quatenus activa sunt, ut habet aphorismus 21. Igitur eadem opera sub eadem ratione permittuntur et non permittuntur.

Secundo sequitur: Et eadem illa opera sub eadem ratione esse peccata, et non esse peccata. Namque fiunt ab instrumentis malis, quatenus ea activa sunt, mala sunt, idest, peccata, ut docet aphorismus 21. Sed rursus illa eadem, sub eadem ratione, peccata non sunt, Deus enim peccata non permittit sed prohibet, ut docet aphorismus 31: Permittit autem opera quae fiunt ab instrumentis malis, quatenus activa sunt, ut docet idem aphorismus; igitur eadem opera sub eadem ratione peccata sunt, et peccata non sunt.

Tertio sequitur: Instrumenta mala, quatenus activa sunt invito Deo, vel ignorante operari. Nam vel novit Deus quid illa agant, vel ignorat. Si ignorat, igitur ignorante Deo instrumenta Dei opera sua perficiunt. Si novit aut consentit, aut repugnat, aut permittit; neque fingi potest quartum membrum, nam qui permittit, medius est inter consentientem et repugnantem. Quocirca s. Augustinus in enchirid. cap. 95. scribit, nihil omnino fieri posse, nisi Deo, vel faciente, vel permittente. Nam eo repugnante nihil fieri posse, extra controversiam esse credidit. At per aphorismum Bezae, quae fiunt ab instrumentis malis, quatenus activa sunt, Deo nec agente, nec permittente fiunt, quia peccata sunt, et Deus peccata nec facit, nec permittit. Igitur ea Deo, vel ignorante, vel repugnante fiunt.

CAPUT IV.

Ex sententia Zwinglii, Calvini et Bezae recte colligi, Deum esse auctorem peccatorum, quae a nobis fiunt.

Exposita sententia Zwinglii, Calvini et Bezae de caussa peccati ex parte Dei; sequitur ut probemus ex ea sententia recte colligi, Deum esse auctorem peccati, quamvis id ipsi, ne invidiam tam horribilis blasphemiae subeant, nec palam affirmare audeant, et non raro disertis verbis inficientur. Ac ut sit clarior disputatio et impietas adversariorum magis elucescat, quatuor absurda et blasphema ex sententia adversariorum sequi demonstrabo. Primum enim erit: Deum vere et proprie esse auctorem peccatorum quae fiunt ab hominibus. Secundum: Proprie, et vere Deum peccare. Tertium: Deum solum vere peccare. Quartum: Si haec negentur, veram fore Libertinorum sententiam, quae habet, nihil esse peccatum nisi falsam opinionem. Ex quibus intelligetur absurdissimum dogma Libertinorum, quod ab ipso Calvino refutatum est, ab ejusdem Calvini doctrina, tamquam a radice surculum germinasse.

Veniamus ad Primum. Deus (ex sententia adversariorum) impellit homines ad peccandum, atque adeo cogit eos peccare. Sic enim Zwinglius scribit in serm. de providentia, cap. 6. *Nec dicet quisquam, Innocens igitur est latro; Deo enim im-*

pulsare egit. Nam contra legem peccavit. At, inquies, coactus est ad peccandum. Permitto, inquam, coactum esse, sed in hoc ut et alter transferetur, et alter cruci adfigeretur. Ubi fatetur Zwinglius,cogi latronem a Deo ad homicidium, sed ad eum finem, ut occisus a latrone transferatur ad coelum, et ipse latro ex sententia judicis affigatur in cruce. Sic enim se ipse exponit.

Calvinus sic loquitur lib. 1. Instit. cap. 18. § 4. *Homo justo Dei impulsu agit quod sibi non licet.* Et supra cap. 17. § 11. dixerat, impios a Deo cogi quasi fraeno ut maleficia concipiant et moliantur. At qui impellit et cogit alium ad opus quodcumque faciendum,ejusdem,operis auctor primarius est, et dicitur apud omnes gentes; neque sinit ullo modo naturale lumen intelligentiae nostrae insitum hoc negari: igitur Deus ex sententia adversariorum,auctor primarius est eorum peccatorum, quae ab hominibus perpetrantur.

Rursus Deus ex sententia adversariorum jubet Satanae, et impiis, ut maleficia concipiant et moliantur, ut in loco proxime citato, idem Calvinus scribit: At opus quodcumque,ex communi consensu omnium gentium, magis pertinet ad imperantem, quam ad exequentem: igitur Satanae, et impiorum maleficia magis pertinent ad Deum, ut auctorem, quam ad ipsos impios et Satanam.

Ad haec: Impii dum peccant, instrumenta Dei sunt, ut passim in locis citatis Calvinus et Beza testantur: At qui utitur instrumento, auctor est primarius ejus operis, quod ipse per instrumentum facit;igitur Deus ex sententia Calvini et Bezae auctor est primarius omnium peccatorum.

Denique Deus ab aeternitate voluit et decrevit, ut primus homo caderet in peccatum, non ante praevisa determinatione voluntatis humanae, sed ex mero et absoluto beneplacito suo, ut Calvinus docet lib. 3. Institut. cap. 23. et in lib. de praedestinatione, quae loca supra fuse citavimus. At si Deus permisisset primo homini, ut staret, vel caderet pro arbitrio suo,et non potius efficaciter procurasset ut caderet, facile decretum illud frustrari potuisset; igitur necesse fuit, ut Deus primi hominis casum efficaciter procuraret; atque adeo primo homini peccandi necessitatem injiceret. Quod ipsum libenter Calvinus admittit in locis citatis. At qui procurat, et quidem efficaciter, ut aliquis peccet, is ejus peccati verissimus auctor dici debet, nisi cum ipso naturae lumine pugnare velimus: igitur Deus ex Calvini sententia, verissimus auctor peccati, quod primus homo commisit, haberi potest ac debet.

Haec argumenta, quae partim ex adversariorum pronunciatis, partim ex certissimo lumine naturae, et consensu,confessioneque omnium gentium contexta sunt, non difficulter Zwinglius et Calvinus unica distinctione sibi videntur eludere. Dicunt enim Deum impellere et cogere impios ad scelera concipienda et molienda, sed ea non esse scelera quatenus fiunt Deo impellente et cogente,sed quatenus procedunt a mala impiorum voluntate, et ideo non Deum, sed ipsos impios esse auctores scelerum suorum. Pari ratione dicunt Deum jubere impiis, ut scelera concipiant; item esse impios instrumenta Dei, et denique Deum efficaciter procurare, ut homines cadant: sed opera impiorum non posse dici, neque esse peccata, qua parte a Dei mandato, providentia, vel motione procedunt: sed ea solum ex parte qua sunt ipsorum instrumentorum, idest, hominum impiorum opera.

Cur autem mala sit voluntas hominis,quae flagitium eligit, non autem sit mala voluntas Dei, quae idem flagitium eligi voluit: sive cur in eodem opere, bona sit voluntas Dei, mala voluntas hominis; tres caussas reddunt. Una est,quia natura humana vitio primi hominis tota corrupta est, sed ista ratio (quam alio loco copiosius refutabimus) non solvit quaestionem. Nam peccatum primum primi hominis, ut etiam peccatum primum Satanae, non ortum duxit ex aliqua praeexistente naturae corruptione, ut adversarii confitentur. Ex quo etiam refellitur alia ratio, quae adferri posset, cur Deus non sit auctor peccati,quia videlicet non velit peccatum ut culpam, sed ut poenam alterius peccati. Nam ista ratio non potest habere locum in primo peccato primi hominis et angeli, quod cum fuerit primum, nullius praecedentis peccati poena esse potuit.

Quaerimus igitur cur in eodem opere mala fuerit voluntas primi hominis ante naturae humanae depravationem, et ante alium lapsum, Dei autem voluntas non fuerit mala. Ergo prima illa ratione omissa secundam adhibent, quam etiam multis in locis usque ad nauseam repetunt. Scribunt enim Dei voluntatem esse bonam, dum ad flagitia impellit, vel ea jubet, aut procurat, aut per impios, tamquam per sua quaedam instrumenta perficit, quia bonum finem Deus propositum habet. Vult enim homines peccare, ut habeat quos juste damnet et quorum liberaliter misereatur, ut ea ratione justitiae, misericordiaeque suae gloriam manifestet.

Porro impiorum voluntatem esse malam, quia in illo ipso opere, quod imperante, impellente et movente Deo faciunt, malum finem spectant, videlicet ut libidinem suam expleant, non ut gloriae Dei serviant, hanc rationem reddit Zwinglius in serm. de providentia cap. 6. *Quod*, inquit, *Deus facit, libere facit,alienus ab omni affectu noxio, igitur et absque peccato, ut adulterium David, quod ad auctorem Deum pertinet, non magis, Deo sit peccatum, quam cum taurus totum armentum inscendit et implet etc.* Eandem rationem reddit Calvinus lib. 1. Instituit. cap. 17. § 5. et in lib.de aeterna Dei praedestinatione pag. 946. et in instruct. adversus Libertinos cap.14. et Beza in responsione ad Sebastianum Castalionem, in refutatione secundae calumniae et in aphorismis, ut supra citavimus. Sed hanc eorum doctrinam, quae totius erroris fundamentum est, nullo negotio solidissime possumus refutare.

Primum enim doctrina apostolica est non esse facienda mala, ut veniant bona, Rom. 3. non igitur bona intentio et finis bonus animo conceptus id efficere potest,ut liceat ea facere,quae per se intrinsece, et ex objecto mala sunt. Alioqui reprehendi non deberet, qui caussa eleemosynae furtum faceret neque is, qui privata auctoritate hominem in-

terficeret, ne is exemplo, aut facto suo aliis noceret : neque ille, qui suscipiendae prolis gratia committeret adulterium. Siquidem isti omnes bonum finem spectarent. Quod si hominum furta, homicidia, adulteria vere peccata sunt, et homines eorum scelerum auctores justissime puniuntur, tametsi bona intentione facta esse, re vera dicantur, et sint: cur Deus eorundem operum auctor ob solam intentionem bonam excusandus erit? fallitur igitur adversarius ; et quia mala intentio vitiat opus alioqui bonum; perperam ipse colligit opera mala ex intentione bona justificari. Nam opus bonum nascitur ex integra caussa, malum autem ex quovis defectu oriri potest. Id quod nemo ignorat, qui vel prima moralis philosophiae rudimenta didicerit.

Deinde quaeram ab adversario, utrum mala hominis intentio sit a Deo, nec ne. Nam si malae intentionis est auctor Deus, sequitur omnino peccati auctorem esse Deum. Quomodo enim non est auctor peccati, qui non solum actionis malae auctor est, sed etiam ipsius intentionis malae, unde habet actio, Calvino et Beza doctoribus, ut sit mala et peccatum proprie nominetur? Porro Deum intentionis malae auctorem esse, negare non possunt adversarii, nisi secum ipsi manifeste pugnare velint. Nam si Deus, ut ipsi volunt, impellit homines ad peccatum, et peccatum non est sine mala intentione, certe impellit etiam ad malam intentionem. Et si ab aeternitate decrevit ad misericordiam et justitiam suam ostendendam, ut homo peccaret; et peccatum non est peccatum, nisi mala intentione fiat, neque potest ex misericordia vere remitti, aut ex justitia vere puniri, nisi vere peccatum sit, hoc est, nisi mala intentione fiat, manifeste sequitur, Deum ab aeternitate voluisse et statuisse, ut homo intentione operaretur, et eo modo caderet. Et quia decretum Dei non debet esse incertum, neque ab arbitrio creaturae pendere; oportuit ipsum Deum efficaciter procurare, ut homo mala intentione operaretur, et non minus intentionis malae, quam ipsius operis auctorem esse.

Tertia ratio propria est Zwinglio, qui ideo tradit malam esse hominis voluntatem in opere malo, Dei non malam, quia Deo non est posita lex, homini autem posita est, proinde in eodem opere voluntas hominis transgreditur legem, et mala est, Dei voluntas non transgreditur, et mala est. Sic enim loquitur in eodem sermone de providentia, cap. 6. *Quod*, inquit, *Deus facit non est peccatum, quia non est contra legem, illi enim non est lex posita, utpote justo, nam justis non ponitur lex, juxta Pauli sententiam. Unum igitur, atque idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. Ille enim lege non tenetur, his autem lege etiam damnatur.* Et supra cap. 5. *Cum*, inquit, *Deus angelum, vel hominem transgressorem facit, ipse tamen non transgreditur, ut qui contra legem non veniat. Non est igitur peccatum quod Deus fecit, sed homini, atque angelo est, illos enim lex premit, atque accusat. Deo cum creaturis suis libere licet agere, non minus quam patrifamiliae cum rebus suis, quam figulo cum luto. Utcumque igitur creaturae huc impellat, aut illuc agat, tantum abest ut peccet, ut haec citra insigne bonum non faciat, cum interim homo, cui lex est praefixa, etiam cum impellitur, peccet, adversus enim legem operatur.* Haec ille.

Sed haec Zwinglii doctrina sibi ipsa repugnat, et evidentissime refutatur. Primum, si Deus impellit hominem ad adulterium (ut ipse dicit) quemadmodum artifex instrumentum ad opus; vult igitur ut homo sibi pareat in adulterio perpetrando, quemadmodum vult artifex ut sibi pareat instrumentum in opere faciendo; proinde ille impulsus Dei est praeceptum, et lex, quam homo implere tenetur, ut instrumentum tenetur obsequi artifici, a quo movetur. Ergo homo impulsus a Deo, adulterium committens praevaricatur, et non praevaricatur Dei legem; peccat et non peccat. Et Deus illum impellens vult eum servare, et non servare legem, peccare et non peccare.

His addere possumus tria gentilium testimonia, qui sapientissimi praeter caeteros haberi solent. Unum est Mercurii Trismegisti in Pimandro cap. ult. ubi legimus: *A Deo factore nihil turpe, nihil malum prodire.* Alterum est Platonis in secundo dialogo de republica, qui sic ait: *Bonorum quidem solus Deus caussa est dicendus, malorum autem quamlibet aliam, praeter Deum, caussam quaerere decet.* Et infra: *Malorum alicui caussam esse Deum, cum bonus sit, refellendum est omnino, nec permittendum hoc quemquam dicere in sua civitate, si bonis instrui legibus civitas debet. Nec insuper quemquam audire, sive sit ille junior, sive senior, sive carminibus haec inserantur, sive soluta oratione narrentur, tamquam quae neque dictu sancta sint, neque aliis utilia, nec inter se consona.* Tertium est Maximi Tyrii, qui in serm. 25. ubi de caussa mali disserit, ita loquitur de malo morali, quod proprie dicitur peccatum: *Ejus*, inquit, *nomen est improbitas, caussamque ab eligentis arbitrio nanciscitur, Deo semper extra omnem caussam constituto.*

CAPUT X.

Eadem veritas rationibus comprobatur.

Ad haec testimonia rationes addi possunt. Prima ratio sit ea, quae utitur s. Anselmus in lib. de libero arbitrio cap. 8. Justa voluntas hominis est ea tantum, quae vult id, quod Deus vult eam velle; injusta vero econtrario est ea, quae vult id, quod Deus non vult eam velle: Ergo si Deus vellet hominem peccare, quod adversarii dicunt, vellet hominem velle id, quod non vellet eum velle, quae est manifesta contradictio. Quare non solum non vult Deus hominem peccare, sed nec potest ulla ratione id velle. Ex quo etiam sequitur, ut non sit Deus auctor peccati, nec hortando, nec imperando, nec impellendo, nec ullo alio modo. Vel enim id faceret nolens, aut volens; non utique nolens, ergo volens: Quod sit volens, sequitur ut diximus, apertissima contradictio.

Secunda ratio esse potest ea, quae est apud s. Fulgentium lib. ad Monimum, cap. 21. 22. et 23. In Dei operibus nihil esse potest non plenum sapientiae et rationis; nulla autem potest excogitari ratio cur Deus velit, aut faciat homines peccare; non igitur id vult, nec facit. Assumptio demonstratur hoc modo: In omni opere Dei, aut justitia, aut misericordia cernitur. Nam omnes viae ejus misericordia et veritas, psalm. 24. Et quidem cur Deus hominem ex injusto faciat justum, ratio reddi potest, quia in eo opere misericordia divina mirifice declaratur: At cur ex justo facere velit injustum, non potest reddi ratio, cum in hoc opere nec misericordia, nec justitia, sed iniquitas potius et crudelitas locum habeant.

Dicet fortassis aliquis, etiamsi in hoc opere, quo quis efficitur injustus, nulla cerni possit misericordia, vel justitia; tamen potest hoc opus ordinari ad finem, in quo misericordia, vel justitia luceat: Proinde poterit reddi ratio cur Deus velit aliquos injustos facere, nimirum, ut habeat, quorum misereatur, et quos puniat. Haec enim est ratio Theodori Bezae, ut supra vidimus qui docuit, Deum decrevisse lapsum primi hominis, et omnium filiorum ejus, ut viam patefaceret misericordiae et justitiae suae manifestandae. At (ut recte dicit s. Fulgentius loco citato, lib. 1. ad Monimum, cap. 22.) Justitia justa non erit, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur; quin potius major erit injustitia, si lapso Deus tribuat poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam.

Porro misericordia illa crudelis et immisericors esset, quae hominem impium faceret, ut eum ab impietate postea liberaret, nisi forte a clementia laudandus esse videatur, qui hominem spoliet ut vestiat; vulneret ut sanet; in puteum dejiciat ut eum inde extrahat. Pulchre s. Augustinus, lib. 3. Confessionum, cap. 2. dicit, malevolam benevolentiam (quod esse non potest) omnino futuram, si quis miserum aliquem esse velit, ut ei misereatur. Adde quod non poterant Deo deesse plurimae rationes gloriae suae manifestandae, etiamsi homines non peccassent. Recte enim scripsit Ecclesiasticus cap. 15. non esse Deo necessarios homines impios.

Tertia ratio est sancti Augustini lib. 83. quaestionum, quaest. 3. Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior. Non enim parva ista culpa est, immo tanta est, quae in sapientem quamvis hominem cadere nequeat. Est autem Deus omni homine sapiente praestantior. Multo minus igitur Deo auctore fit homo deterior. Item quaest. 21. Quisquis omnium, quae sunt, auctor est, et ad cujus bonitatem id tantum pertinet, ut sit omne quod est, non esse, ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit, ab eo, quod est esse, deficit et tendit in non esse. Esse autem, et in nullo deficere bonum est; et malum est deficere. At ille, ad quem non esse non pertinet, non est caussa deficiendi, id est, tendendi ad non esse, quia, ut ita dicam, essendi caussa est. Boni igitur tantummodo caussa est, et propterea ipse summum bonum est. quocirca mali auctor non est, qui omnium, quae sunt, auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt. Haec ille.

Simili ratione utuntur fere omnes Patres, supra citati, ac praesertim Athanasius, Basilius Naziazenus, Epiphanius, qui ex eo, quod Deus natura bonus est et summum purumque bonum, colligunt fieri non posse, ut ab ipso sit origo mali; cum simile a simili, non a contrario producatur.

Quarta ratio est sancti Ambrosii lib. 1. Exameron cap. 8. Deus cupit eradicari, malitiam, et ideo prohibet ac punit peccata. Et ipse Dei filius venit, ut tollat peccata nundi, ut dissolvat opera diaboli, ut destruat corpus peccati: qua ratione igitur fieri potest, ut Deus velit homines peccare, et ideo non solum peccata permittat, sed etiam incitet et impellat homines ad peccatum, et, ut adversarii bla-

sphemant, ipse per homines,tamquam per instrumenta sua,illa omnia efficaciter peragat, quae scelerate fiunt ab illis?

Quinta ratio talis esse potest. Si Deus esset auctor peccati,ipse quoque peccaret. At peccare non minus Deo repugnat, quam non esse Deum: igitur fieri nequit, ut Deus sit auctor peccati. Propositio certissima est. Nam si Deus esset auctor peccati, certe vellet homines peccare: Homines peccare est malum: igitur Deus vellet malum; ac per hoc voluntas ejus esset mala; ubi autem est voluntas mala,ibi est peccatum. Assumptio primi argumenti probatur ex ipsa Dei natura, quae plane tollitur ac destruitur, si peccatum in ea ponatur. Nam peccare est deficere, Deus autem, si potest deficere, non est summum et infinitum esse, proinde nec est Deus. Item, peccare non potest, qui non errat aliqua in re, neque enim voluntas potest appetere malum, nisi sub ratione boni. Unde est illud Sapientis: *Errant qui operantur malum*, Proverb. 22. Et illud philosophi: *Omnis malus ignorans*, 3. Ethicorum cap. 1. Deus autem, si potest errare,non est summa et infinita sapientia,proinde nec est Deus.

Rursus peccare est recedere a regula legis aeternae, quae est ipsa divina sapientia; Deus autem a divina sapientia recedere non potest; quin a se ipse recedat, cum sit ipsa divina sapientia. Denique peccare est averti ab ultimo fine et summo bono, quod nihil est nisi Deus: igitur sicut repugnat Deum a se averti: ita repugnat Deum peccare.

Accedat Postrema ratio ex eo quod omnes communiter execrantur Marcionem, Manichaeum et alios veteres haereticos, qui aliquo modo Deum faciebant auctorem peccatorum:at longe magis execrandi sunt Libertini et Calvinistae. Siquidem illi veteres cum non auderent in Deum bonum referre caussam mali, duos Deos finxerunt, unum bonum, bonorum auctorem; et alterum malum, auctorem malorum. Libertini vero et Calvinistae , unum et eundem Deum auctorem faciunt omnium scelerum et flagitiorum,quae ab hominibus perpetrantur. Sed de his hactenus.

CAPUT XI.

Refelluntur objectiones depromptae ex divinis literis.

Superest ut ad argumenta respondeamus; et quoniam multa loca divinae Scripturae ab adversariis offeruntur , revocabimus omnia ad certa capita.

Primum igitur objiciuntur ea testimonia, quibus significari videtur, Deum velle et decrevisse, jam ab aeternitate, ut fiant mala opera. Huc pertinet illud Genes. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et cap. 50. *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* In quibus duobus locis excusat Joseph scelus fratrum suorum, qui eum vendiderant Madianitis, quia sic Deus voluerit , cujus voluntati resistere nemo possit.

Huc etiam pertinent illa:*Hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis, Actor.* 2. Et: *Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel, facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri, Actor.* 4.

Responsione: In malis operibus saepe accidit, ut actio sit mala et passio bona. Venditio enim patriarchae Joseph, et occisio Domini nostri Jesu Christi, si considerentur ex parte agentium, idest, vendentium et occidentium, scelera erant gravissima; Si ex parte patientium, videlicet Josephi et Christi, aequo animo ferentium venditionem vel mortem, opera erant summae patientiae, ac per hoc valde bona. Deus igitur voluit ac praedefinivit opera ista virtutum, quae in passione consistunt, cum voluit ac praedefinivit, ut Joseph venderetur et Christus occideretur.

Opera autem mala vendentium Joseph et occidentium Christum, non voluit nec praedefinivit, sed praescivit et permisit,ut multi sancti Patres,supra citati, docent, et in iis Augustinus, Prosper, Fulgentius, qui accuratius de iis rebus disseruerunt.Ad hoc enim ut infallibiliter fieret quod Deus voluerat et praedefinierat, ut videlicet Joseph venderetur, et Christus occideretur, satis erat Deum praevidisse malas voluntates fratrum Joseph et Judaeorum ac Pilati, et simul voluisse permittere, ut malae illae voluntates suo tempore parerent, quod scelerate conceperant.

Ac ut singula loca in argumento proposito breviter explicemus, in cap. 45. et 50. libri Geneseos, non dicit Joseph a Deo impulsos fuisse fratres suos ad scelus, sed Deum convertisse malum eorum in bonum.Sic enim ait: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum,ut exaltaret me,et salvos faceret multos populos.* Consolatur autem Joseph fratres suos,ostendens bonum rei eventum ex divina providentia, quae malum illud permisit, ut multa et magna bona inde eliceret. Id enim significant illa verba c. 45. *Nolite timere,neque durum vobis videatur, quod me vendidistis in his regionibus, pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos.* Neque enim parva consolatio est ei, qui peccavit, et quem peccati jam poenitet, si videat occasione peccati sui magnum aliquod bonum esse consequutum.

Illud autem: *Non vestro consilio,sed Dei voluntate huc missus sum*, in eundem sensum recidit, Pertinet enim (ut exponit Chrysostomus homil 64. in Genes.) ad consolationem fratrum,et sensus est; Nisi Deus permittere voluisset id, quod de me facere conabamini, non potuissetis vestro consilio quidquam agere: propterea non vestro consilio,sed Dei providentiae adscribo caussam ingressus mei in Aegyptum, quod etiam docet s. Ambrosius lib. de Joseph, c. 12. ubi scribit: S. Joseph non tam attendisse quod a fratribus missus fuisset ad mortem, quam quod a Deo missus fuisset ad vitam, et ideo fraterna charitate conatum esse peccatum il-

lorum excusare et caussam ingressus sui in Aegyptum, non illorum impietati, sed Dei providentiae tribuisse.

Illud autem cap. 50. *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* longe alium sensum habet, quam prima fronte verba prae se ferre videantur. Non enim significat, non potuisse fratres Joseph resistere Dei voluntati, quae erat, ut Joseph Aegyptiis venderetur: Sed non potuisse ipsum Joseph resistere Dei voluntati, quae erat ut fratribus suis ignosceret. Verba enim hebraea haec sunt. Nolite timere nam sub Deo sum ego אבי אל־ תיר אר בן דתהת אלהרס et concordat textus graecus et chaldaeus, et sensus est ut exponit Chrysostomus homil. ult. in Genes.) Deum timeo, et illi subjectus sum, et ideo illum imitari, eique obedire debeo. Quare cum ille tam magna bona mihi praestiterit per occasionem hujus venditionis, non debeo, nec possum vobis irasci, ne ingratus erga Deum videar. Itaque verba illa interpretis latini: *Num Dei possumus resistere voluntati?* ad solum Joseph referenda sunt, qui de se in numero multitudinis loquitur, quod non est inusitatum, praesertim cum de ea re loquatur, quae ad omnes pertinet, qui vere Deum timent.

Neque aliam responsionem exigunt duo testimonia ex actis apostolorum, de quibus sic loquitur s. Leo serm. 16. de pass. Domini: *Multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate Judaeorum est praecognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec praesciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret.* Haec ille. Nihil igitur aliud ex locis illis colligi potest, nisi Deum voluisse ac definivisse, ut Christus passione ac morte sua mundum redimeret. Non autem voluisse aut definivisse, ut Judae Christum proderet, Judaei ad Pilatum adducerent, Pilatus morti adjudicaret, milites denique illum crucifigerent et occiderent, sed haec omnia praevidisse futura, si ipse permitteret; et voluisse ac decrevisse permittere.

CAPUT XII.

Solvuntur objectiones ex aliis testimoniis Scripturae.

Secundo loco objiciuntur ea testimonia, quibus significatur, Deum creare impios, ut postea in eorum poenis justitia divina reluceat. Sic enim legimus Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum?* Et Rom. 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Exod. 9. *Idcirco autem posui te ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.* Vel ut Apostolus citat Rom. 9. *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam etc.*

Respondeo: Deum non creare impios nisi materialiter, ut in scholis theologi loquuntur, idest, creare eos, quos videt futuros impios, ut eorum impietate, quam ipse non fecit, sed tantum praescivit, utatur ad justitiam et potentiam suam manifestandam. Sic s. Augustinus loquitur in epist. 106. ad Paulinum: *Quamvis peccata non fecerit, naturas tamen ipsas, quae per se ipsas sine dubio bonae sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, et in multis talia, quibus esset aeterna poena reddenda, quis nisi Deus creavit? Quare, nisi quia voluit? quare autem voluerit, o homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me fecisti? an non habet potestatem figulis luti ex eadem conspersione facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Haec ille.

Item in enchirid. 27. posteaquam dixerat, totam naturam infectam esse peccato originali, sic ait: *Non sane creatoris desistente bonitate, et hominum, quamvis de propagine vitiata damnataque nascentium, formare semina, et animare, et ordinare membra per temporum aetates, per locorum spatia, vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere.* In Proverbiis igitur cum legimus, Deum omnia propter semetipsum operari, impium quoque ad diem malum; nihil aliud intelligendum est, nisi Deum, qui omnia produxit in gloriam suam; eos etiam, quos vidit impios fore, si crearentur, nihilominus procreasse, ut reddita eis poena, quam merentur, justitiae suae gloriam patefaciat.

Itaque negamus aliquos a Deo creari ad interitum sempiternum, sed eos, qui ad malum, sive interitum praevidentur ituri, dicimus creari propter gloriam Dei. Hoc enim dicit Salomon. Deum omnia propter semetipsum operari, impium quoque ad diem malum (videlicet iturum) propter semetipsum idest, ad gloriam suam operari.

Tota autem quaestio in eo sita esse videtur, an impii creentur ad gloriam divinae justitiae, in eorum suppliciis demonstrandam, ob decretum Dei quod omnem culpae praevisionem antecesserit, ut Calvinus et Beza docent; an potius, quod nos credimus, quia Deus ob eorum praevisa peccata, eos decreto suo ab aeternitate damnaverit. Tantum autem abest, ut Salomon dixerit, Deum ante peccati praevisionem decrevisse aliquos damnare, ut potius contrarium significasse videatur, cum ait, Deum omnia operari propter semetipsum, idest, ut gloriam misericordiae, justitiaeve suae demonstret. Nam damnationem decernere ob praevisa peccata, justitiae est: Sine praevisione autem peccatorum damnationem decernere, injustitiae esse videtur; sic enim loquitur s. Augustinus lib. 3. in Julianum, cap. 31. *Bonus est Deus justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Et in epistol. 109. ad Paulinum: *Quemquam immeritum, et nulli*

peccato obnoxium, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur. Non potuit igitur Deus ante praevisionem peccati decernere damnationem alicujus,ut justitiam suam ea damnatione monstraret.

Quod etiam manifestius fiet ex testimonii secundi explicatione. Nam quod dicitur Deus fecisse vasa quaedam in contumeliam, non sic accipiendum est, quasi ipse ex materia nobili, aut indifferenti fecerit vasa in contumeliam, sed quod ex materia damnata et contumeliosa fecerit vasa, qualia materia ipsa postulabat, cum tamen ex eadem materia fecerit alia quaedam in honorem, pro voluntate sua, non pro conditione materiae, quomodo si figulus ex luto vasa quaedam lutea faceret: eaque ut materia ipsa requirit vilissimis ministeriis deputaret; quaedam autem ex eodem luto facta, supra materiae conditionem auro et gemmis ornaret,et ad nobilissimos usus adhiberet. Ex quo sequitur, ut vasa facta in contumeliam, a Deo habeant, ut sint vasa ; a materia vero, ut sint in contumeliam; vasa vero facta in honorem, a Deo utrumque habeant, et quod vasa sint et quod in honorem sint.

Ita exponit s. Augustinus in epist. 105. ad Sixtum: *An non habet*, inquit, *potestatem figulus luti ex eadem massa, utique merito, recteque damnata, facere aliud vas in honore indebitum, propter misericordiae gratiam, aliud in contumeliam debitam propter irae justitiam.* Et rursus ibidem: *Quamvis itaque Deus faciat vasa irae in perditionem, ut ostendat iram et demonstret potentiam suam,qua bene etiam utitur malis, et ut notas faciat divitias gloriae suae, in vasa misericordiae, quae fecit in honorem, non damnabili massae debitum,sed suae gratiae largitate donatum, tamen in eisdem irae vasis propter meritum massae in contumeliam debitam factis, idest, hominibus, propter naturae bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissima veritas improbat, damnare novit ipse,non facere.* Et in epist. 106. ad Paulinum: *Haec massa*, inquit, *si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa destruxerit, proculdubio quod ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiae, quae gratiam nulla praecessit, sed Dei misericordiae: quod vero in contumeliam, non iniquitati Dei, quae absit ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est.*

Sed Theodorus Beza animadvertens hunc locum ita explicatum errori suo, ad quem stabiliendum eum adduxerat, nihil favere, confidenter s. Augustini sententiam rejicit,et per massam,ex qua fiunt vasa in honorem et in contumeliam, intelligendum esse contendit genus humanum non creatum,et vitio primi peccati corruptum, sed creandum, sive lutum illud, ex quo Deus Adamum,et in illo omnes homines finxit. Sic enim loquitur in responsione ad acta Colloquii Montisbelgardensis, parte priore, pag. 155. *Sed requirit*, inquit, *d. Andreas aliquid expressius. Cum igitur idem Apostolus Deum testatur instar figuli ex eadem massa quaedam vasa honori,quaedam dedecori fecisse,quomodo dictum istud explicari vere et commode poterit, quin ad ipsum usque Adami opificium ascendamus? nec enim massae nomen humano generi condito, sed condendo convenit, ne dum ut massae appellatione corruptum humanum genus intelligatur. Nam si ita esset, minime dixisset Apostolus, Deum ex illa massa facere vasa irae, sed quae jam essent irae vasa, in illa misera massa relinquere, nec Apostolo laborandum fuisset in asserenda Dei justitia in reproborum exitio. Deus igitur illic confertur cum figulo, cui si conceditur vasa tum ad honestos, tum ad turpes usus arbitrio suo condere, neque luto propterea fieri putatur injuria: an non multo magis Deo sic lutum illud, ex quo humanum genus in uno homine conderet, disponere licuit, ut inde alios educeret, in quibus justam iram suam exerceret, alios quos per insignem suam bonitatem bearet. Quomodo vero illa condidit? certe in Adamo, ad cujus etiam creationem proculdubio respexit Apostolus, cum figuli et luti meminit.* Et pag. 164. *Nec etiam ignoro*, inquit,*ipsum Augustinum saepe per luti massam intelligere humanum genus, non solum ut jam conditum, sed etiam originis peccato vitiatum, unde nascantur, quorum misereatur, et quos juste induret. Sed si valet istud, tam nota esset caussa destinationis ad iram, quam destinationis ad misericordiam. Cur autem Apostolus, si ita esset, exclamaret, O altitudo divitiarum.*

Sed facile est, istam Bezae sententiam refutare, et ejus objectionibus respondere. Nam ut omittam quod per massam, genus humanum peccato corruptum, intelligunt praeter Augustinum, Ambrosius, Haymo, Primasius, Beda, Anselmus, Thomas, et alii in hunc locum, id ipsum indicat Apostolus cum ait:*Si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae, in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.* Quibus verbis significatur, Deum quidem valde odisse vasa illa contumeliae, et voluisse primo quoque tempore in eorum confractione ostendere iram et potentiam suam: tamen sustinuisse vasa illa in multa patientia,quia id utile esset vasis misericordiae, quae praeparata erant in gloriam.

At certe si Deus fecisset vasa contumeliae propria sua voluntate, non id exigente conditione materiae, non ea odisset, neque jure confringere vellet. Nihil enim Deus odit eorum, quae fecit.Et cur, quaeso, sustinere deberet Deus in multa patientia vasa illa, si ea sponte ipse fecisset, et talia esse voluisset? certe figulus si ex luto faciat vasa lutea, eaque vilissimis ministeriis deputet, non propterea illa odit, neque illis irascitur, neque confracta videre cupit.

Deinde quamvis s. Augnstini auctoritatem Beza repudiet, ejus tamen rationem velit, nolit, admittere debet. Est enim illud insolubile argumentum, si massa aliqua ita esset media, ut nec boni, nec

mali aliquid mereretur (ut Beza existimat) non frustra videretur iniquitas apud Deum, si is ex ea faceret vasa in contumeliam: at non est, nec esse potest iniquitas apud Deum: igitur massa, ex qua fiunt vasa in contumeliam, est ante corrupta per peccatum, et iram Dei contumeliamque meretur.

Quod vero Beza dicit, non fieri vasa in contumeliam, nisi interveniente lapsu Adami, parum valet ad Dei justitiam demonstrandam. Nam ut ipse ibidem (in responsione ad acta Colloquii Montisbelgardensis, pag. 155. et 164.) dicit: *Decretum Dei de faciendis ex eadem massa vasis aliis in honorem, aliis in contumeliam, antecedit omnem praevisionem culpae et omnem omnino caussam, sed quia non poterat Deus exequutioni hujus decreti viam aperire, nisi homo peccaret, ideo ordinavit lapsum Adami, ut haberet quorum miseretur et quos juste puniret.* Itaque interventus ille lapsus primi hominis non ad decretum divinum de perdendis in aeternum reprobis, sed ad exequutionem decreti pertinet. Quod certe injustitiam Dei non tollit, sed auget. Sicut enim injustum est in exequutione damnare hominem nihil merentem; ita injustum est, decernere hominem damnare, cujus nullum extet malum meritum, ne in praevisione quidem, cum fit decretum. Cum enim justitia exigat, ut poena respondeat culpae, sicut exequutio damnationis injusta est, culpa non praecedente, ita etiam decretum damnationis injustum est, nisi ob culpam, saltem praevisam fiat.

Dixi autem injustitiam non solum non tolli, sed etiam augeri, quia additur novum genus injustitiae, cum dicitur Deum decrevisse et ordinasse primi hominis lapsum, ut haberet, quos juste puniret, quin etiam magis injustum est, ut Deus velit et ordinet, ut homo peccet, ut habeat quos puniat, quam ut simpliciter absque culpa puniat. Majus enim malum est culpa, quam poena, et ideo major injustitia est alicui nihil mali merito auctorem esse culpae quam poenae.

Sed respondeamus ad argumenta, quibus Beza probat, massam apud Apostolum non esse genus humanum, originis vitio jam depravatum. Primum argumentum: *Si ita esset*, inquit, *non diceret Apostolus, Deum ex illa massa facere vasa irae, sed quae jam essent irae vasa in illa misera massa relinquere.* Respondeo: Recte Apostolum dixisse, a Deo vasa fieri ex massa, non autem relinqui in massa; quia homines nondum nati non sunt in massa, nec sunt vasa, nisi in potentia. Cum autem actu nascuntur, tunc incipiunt esse actu vasa, et quidem ex massa corrupta formata, idest, ex genere humano originali vitio infecto, propagata.

Secundum argumentum. Si de massa jam corrupta loqueretur Apostolus, non laboraret in asserenda Dei justitia in reproborum exitio. Tam enim nota esset caussa destinationis ad iram, quam destinationis ad misericordiam. Cur autem si ita esset, exclamaret, o Altitudo divitiarum? Respondeo: Non laborare Apostolum in asserenda Dei justitia in reproborum exitio, sed in eo, quod in pari caussa Deus unius misereatur, alterius non misereatur. Quod Jacob diligat, Esau odio habeat, antequam quidquam boni, vel mali egerint, cum uterque natura sit filius irae. Quod denique ex eadem massa, corrupta videlicet et vitiata, alia vasa efficiat, ut massa ipsa meretur, in contumeliam, alia praeter omne meritum efficiat in honorem. Hujus enim discretionis nulla caussa assignari potest, nisi Dei voluntas, quemadmodum etiam illius, qua figulus ex eadem massa aliud vas deputat cibis, aliud sordibus excipiendis, et illud ornat auro et pictura, hoc luteum, ut est, relinquit. Atque ad hanc discretionem perpetuo refert s. Augustinus illam Apostoli exclamationem: *O Altitudo divitiarum*; ac praesertim in epist. 105. ad Sixtum, ubi tractans illud: *O Altitudo. Nec*, inquit, *de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque caussa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus. Qui enim sunt isti, qui respondeant Deo?* Et ibidem: *Cur autem istum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen caveat praecipitium.*

Tertium argumentum, Ad primi hominis creationem proculdubio respexit Apostolus, cum figuli et luti meminit. Respondeo: Id non esse necessarium, nec verisimile, cum extet locus apertissimus in Isaia, cap. 45. ad quem Apostolus, Calvino etiam et Petro martyre testibus, quos Beza praeceptores agnoscit, allusit: *Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis etc.* ubi propheta non tractat de prima hominis formatione, sed dicit, non minus posse Deum de hominibus pro arbitrio disponere, quam figulum de vasibus. Praeterea si proprie loqui velimus, ex luto, unde formavit Deus primum hominem, non sunt facta multa vasa, sed unum tantum, idque in honorem. Caeteros enim homines non ex luto Deus fingit, sed ex aliis hominibus, per carnalem generationem quotidie propagat. Proinde massa ex qua fiunt vasa alia in honorem, alia in contumeliam, non est lutum illud, ex quo primus homo solus et extraordinario quodam modo formatus est, sed homines ipsi sunt, ex quibus per naturalem generationis viam alii homines procreantur.

Restat ultimus locus ex cap. 9. Exodi, et cap. 9. ad Rom. *In hoc ipsum posui*, sive excitavi, *te, ut ostendam in te potentiam meam etc.* videtur enim his verbis colligi Pharaonem ideo fuisse a Deo creatum, ut peccaret, et ob peccata punitus, Dei potentiam demonstraret. Sed facile est iis, quae antea dicta sunt, hunc locum explicare, sive enim illud, *posui*, aut *excitavi te*, significet, creavi te, sive ad regnum promovi, sive conservavi, cum jamdudum mori debuisses (omnia enim haec patitur vox hebraea העמדתיך quae ad verbum sonat, *stare feci te*) semper intelligendum est, praevisum peccatum, quod Deus non facit, sed ordinat in bonum.

Itaque sensus est, cum praeviderim fore te mihi contrarium, et obstinata mente praeceptis meis repugnaturum; et cum potuerim impedire, ne nascereris, aut ne ad regnum conscenderes, vel etiam statim te de medio tollere, cum primum peccare coepisti, ideo tamen vitam et regnum tribui tibi, idque ad non breve tempus, ut malitia tua uterer

ad exercitium populi mei, et justitiam ac potentiam meam in tuo supplicio demonstrarem.

S. Augustinus quaest. 32. in Exodum, ita hunc locum exponit: *Et propter hoc ipsum conservatus es, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuncietur nomen meum in universa terra. Haec Scripturae verba et Apostolus posuit, cum in eodem loco perdifficili versaretur. Ibi autem et hoc ait, si autem volens Deus ostendere iram et demonstrare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae, parcendo utique iis, quos malos futuros esse praescierat, quae vasa dicit perfecta in perditionem.* Et infra: *Novit ergo Deus uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perfert patienter, quousque scit oportere, non inaniter, sed utendo eis ad admonitionem, vel exercitationem bonorum. Ecce enim ut annunciaretur nomen Dei in universa terra, vasis misericordiae utique prodest. Ad eorum itaque utilitatem Pharao servatus est, sicut et Scriptura testatur et exitus docet.*

Porro Rupertus tuitiensis hunc eundem locum explanans, ita ait: *Nam idcirco potius Deus Pharaonem excitavit, subauditur in regnum, et idcirco summam illi potestatem contulit, quia vas irae fuit, et quia jamdudum aptus erat in interitum, idcirco corripiendis superpositus est misericordiae filiis, ut esset virga furoris, et baculus in manu Domini super eos, quos per tribulationem in gloriam transferre praeparavit. Igitur cum dicit, idcirco excitavi te, subaudiendum est, in regnum, permittendo videlicet, non agendo ut in summum ascenderes imperium, ut haberes potestatem secundum nequitiam, vel duritiem cordis tui saeviendi in populum meum.* Haec ille.

Calvinus et Petrus martyr in comment. cap. 9. ad Romanos referunt illud: *Excitavi te*, ad inobedientiam Pharaonis, ut sensus sit. In hoc ipsum incitavi te, ut populum meum affligeres, et mihi resisteres, quo in te demonstretur potentia mea. Et si quidem vellent, Pharaonem excitatum, ut ejus inobedientia praevisa Deus uteretur ad populi justam castigationem, et potentiae suae ostensionem, idem dicerent, quod nos cum s. Augustino paulo ante diximus. Sed si velint, quod sane velle videntur, Deum ante omnem peccati Pharaonis praevisionem absolute Pharaonem excitasse, ut sibi resisteret, apertissime Deum auctorem peccati faciunt, et s. Augustino repugnant, quia in loco, paulo ante citato, dixit, Deum non creare homines ad malitiam, sed iis, quos malos scit futuros, bene uti. Neque ex verbis Moysis, aut Pauli, aliud colligi potest, quam Pharaonem, a Deo fuisse creatum, vel conservatum, vel ad regnum promotum, quamvis eum inobedientem et obstinatum futurum sciret, ut justitiam et potentiam suam manifestaret.

CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones ex aliis Scripturae locis.

Tertium caput continet ea loca, in quibus significatur, Deum impellere homines ad mala, et iis quasi instrumentis uti ad ea opera, quae sine peccato perfici nequeunt. Lib. 2. Regum cap. 24. *Addidit irasci furor Domini contra Israel, commovitque David in eis dicentem, Vade, numera Israel.* Eodem lib. cap. 16. *Dominus praecipit Semei, ut malediceret Davidi.* 3. Reg. 22. dicit Deus spiritui malo, qui promiserat se decepturum Achab, *Decipies et praevalebis, vade, et fac ita.* Item lib. 3. Regum cap. 11. et 12. et lib. 4. cap. 9. et 10. dicitur a Deo fuisse rebellio Hieroboam, contra Roboam; et Hiehu contra Achab; et tamen constat utrumque peccasse una cum populo, qui a legitimis regibus defecit.

Job 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit*, ubi dicitur Deus abstulisse, quae Chaldaei abstulerant, quia illi instrumenta Dei fuerant in eo opere. Isaiae 10. Sennacherib dicitur Serra in manu Domini. Et ibidem, virga furoris et baculus irae ejus. Et cap. 13. *Ecce ego suscitabo contra vos Medos, qui de argento non cogitabunt, nec aurum desiderabunt: arcubus suis pueros configent, et fructus ventris non miserabuntur, nec parcet filiis oculus eorum.* Et ab initio capitis: *Praecepi*, inquit, *sanctificatis meis.* Ubi Medos et Persas sanctificatos suos vocat, quia instrumenta erant irae suae. Hieremiae 51. *Excitavit Dominus Spiritum regum Medorum: quoniam cogitatio ejus est contra Babel.* Et c. 50. vocatur rex Babylonis malleus universae terrae. Et Ezech. 12. vocatur idem rex rete Dei, ad capiendos Israëlitas expansum. Huc etiam pertinent loca illa psalmorum. Psalm 43. *Declinasti semitas nostras a via tua.* Psal. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.* Psalm. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Psalm. 140. *Non declines cor meum in verba malitiae.* Denique illud: *Et ne nos inducas in tentationem*, Matth. 6.

Respondeo: Quatuor modis posse intelligi, ut Deus impellat, sive inclinet aliquem ad malum. Primus modus esset, Si Deus per se, et proprie impelleret, vel physice, idest, movendo immediate voluntatem, vel moraliter, idest, vere et proprie imperando. Sed hic modus est manifeste falsus, et in Deum impius ac blasphemus. S. Augustinus tractat. 53. in Joannem: *Fecerunt*, inquit, *peccatum Judaei, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse praevidit, quem nihil latet.* Et paulo post: *Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet, inviolatumque tenere, sicut Apostolus dicit, cum eandem tractaret difficillimam quaestionem, numquid iniquitas apud Deum? absit.* Et lib. de gratia et libero arbitrio cap. 20. *Quomodo*, inquit, *dixerit Dominus Semei maledicere David, quis sapiens, et intelliget? non enim jubendo dixit, ubi odedientia laudaretur. Nam si jubenti obtemperasset, laudandus potius, quam puniendus esset, sicut ex hoc postea novimus esse punitum.* Itaque s. Augustinus negat peccatores compelli a Deo ad peccatum, quia esset iniquitas apud Deum; et simul etiam negat a Deo proprie imperari peccatoribus, ut peccent, quia illi obtemperantes Deo, laudandi potius, quam puniendi essent.

Hoc igitur modo, ut impio, praetermisso, Secun-

dus modus est, ut intelligamus, Deum in Scripturis dici excitare, et provocare aliquos ad malum, vel etiam imperare, ut male operentur,eisque tamquam instrumentis uti, quia permittit eos male agere. Quamvis enim non omnis,qui aliquid permittit, recte dicatur imperare, ut illud fiat, neque excitare et provocare ad illud, tamen Deus, sine cujus permissione nihil fieri potest, cum ad certum aliquem finem consequendum , fieri sinit aliquid, recte dicitur per quendam tropum, illud imperare, atque ad illud excitare. Quemadmodum etiam usitate dicimus, a venatore immissum fuisse canem in leporem, quamvis venator funem solum laxaverit, quo canis retinebatur ne leporem persequi posset.

Id aperte discimus ex hist. Job : neque enim Deus diabolum excitavit in Job, sed petenti facultatem eum vexandi concessit illis verbis: *Ecce universa, quae habet, in manu tua sunt tantum in eum non extendas manum tuam.*Neque necesse erat ut Deus incitaret diabolum in Job,neque ut illi imperaret,ut sanctum illum virum tam atrociter divexaret. Ipse enim diabolus satis per se oderat Jobum, et omnem suam potentiam in eum experiri cupiebat, quia tamen ei nocere non poterat, nisi Deus permitteret, et quandiu, quousque, quomodo permitteret, ideo Scriptura totam illam afflictionem Deo potius, quam diabolo tribuit. Nam et Job dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Et diabolus dixit: *Extende manum tuam, et tange cuncta,quae possidet; nisi in faciem benedixerit tibi.* Et Deus ipse dicit: *Tu autem commovisti me,ut affligerem eum frustra.* Videmus igitur Deo tribui actiones illas, cum solum eas fieri ipse permiserit.

Idem patet ex Augustino, qui lib. 2. ad Simplicianum, quaest. 2. explicans testimonium Job, dicit,Satanam per se habuisse malam voluntatem nocendi s. Job. a Deo autem nihil petivisse, nisi permissione exequendi quod jam conceperat. Et lib. de gratia et libero arbitrio cap. 13. sic ait:*Cum auditis*, inquit, *ego Dominus seduxi prophetam illum,vel quem vult indurat, ejus merita cogitate, quem sic obdurari, vel seduci permisit.*

Tertius modus est, ut dicatur Deus excitare ad malum, vel imperare malum, vel uti malis impiorum voluntatibus tamquam instrumentis, quia non solum permittat impios male agere, sed etiam deserat eos, qui affliguntur,et sic donet impiis in eos victoriam. Sic dicitur Deus imperasse spiritui , ut deciperet Achab, quia non solum permisit spiritui, ut loqueretur mendacia per ora omnium prophetarum Achab.Sed etiam non dedit illi lumen,quo discerneret mendacium a veritate. Sic etiam dicitur Deus usus Assyrio rege, tamquam virga,et baculo, vel etiam malleo et securi, ad percutiendos filios Israël,quia non solum permisit regem illum armari in Israëlitas, sed etiam deseruit populum suum, avertit adjutorium gladii sui, et non est auxiliatus ei in bello, ut dicitur in psal. 88. Sic etiam exponit s. Augustino in epist 89. quaest. 2. illud:*Et ne nos inferas in tentationem. Intelligitur*,inquit,*ne nos inferri deserendo permittas.*

Sed si forte isti modi non per omnia satisfaciant, accedat Alius, qui omnino satisfaciet. Deus igitur non solum permittit impios agere multa mala, nec solum deserit pios,ut cogantur pati quae ab impiis inferuntur, sed etiam praesidet ipsis voluntatibus malis, easque regit et gubernat, torquet ac flectit in eis invisibiliter operando, ut licet vitio proprio malae sint,tamen a divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud non positive , sed permissive ordinentur.

Explicat hoc Hugo de s. Victore lib. 1. de sacramentis par. 5. cap. 29. his verbis: De illo autem modo divinae moderationis,quo malas etiam voluntates praesidens occulta et invisibili operatione ad suum arbitrium temperat et inclinat, hoc sentiendum, ut credatur, Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem. Et infra: Voluntati ergo malae, vitium est ex ipsa, quo mala est; ordo autem ex Deo est, quo per velle sive ad hoc, sive ad illud est. In voluntate ergo vitium est, et ipsum malum est, et ex ipso voluntas mala est. In velle autem et vitium est, in quantum velle ex voluntate mala est, et ordo est, in quantum ad hoc, vel ad hoc ex disponente est. Et cum ipsum velle ad hoc aliquid est, malum est, quod ad hoc est,quia mala voluntate est: quod autem potius ad hoc, quam ad illud est, bonum est,quia ordo est, et ex bene disponente est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, et resolvi per proprium vitium, quod ei aliunde non datur: sed non potest per velle extra se praecipitari, nisi qua ei via aperitur. Et qui praecipiti qua vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat, non impellendo, sed permittendo et non tenendo; nec auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinator. Haec ille.

His autem addi potest ex s. Thoma in comment. cap. 9. ad Roman. Deum non solum inclinare voluntates malas ad unum potius, quam ad aliud permittendo, ut ferantur in unum, et non permittendo, ut ferantur in aliud, ut Hugo recte docuit; sed etiam positive, inclinando in unum, et avertendo ab alio, non quidem per se et physice movendo voluntatem ad unum, et removendo ab alio quod libertati arbitrii praejudicare videretur , sed occasionaliter, ut s. Thomas loquitur, et moraliter, immittendo videlicet cogitationem aliquam bonam,ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat judicandi,melius esse huic nocere, quam illi,sive huic potius iniquitati servire, quam illi. Et juxta hunc modum s. Augustinus et Theodoretus exponunt illud psal. 104. *Convertit cor eorum,ut odirent populum ejus.*Dicunt enim Deum id fecisse non pervertendo corda Aegyptiorum,sed benefaciendo populo suo, unde Aegyptii majoris odii occasionem acceperunt. Ita igitur Deus, licet malas non faciat voluntates, eis tamen praesidet et regit, atque ordinat in bonum electorum suorum,quemadmodum (ut docet s. Basilius in oratione,quod Deus non sit auctor malorum) medici utuntur viperae veneno, quod ipsi non fecerunt ad corpora curanda.

Atque ex iis explicari possunt omnia loca supra citata. Quod enim lib. 2. Reg. cap. 24. dicitur a Deo commotum Davidem, ut numeraret populum, in qua numeratione graviter peccavit, ex lib. 1.Paralip. cap. 21. explanatur, ubi sic legimus: *Consurrexit autem Satan contra Israel, et incitavit David ut numeraret Israel.* Itaque is, qui proprie

Davidem incitavit ad peccatum, non Deus, sed diabolus fuit: tribuitur tamen haec incitatio etiam Deo, quia nisi Deus permisisset, diabolus id non fecisset. Permisit autem Deus, quia id peccata populi merebantur.

Ad illud de maledictione Semei; jam dictum est, quemadmodum intelligi debeat, Deum praecepisse Semei, ut malediceret Davidi. Dicitur enim Deus praecepisse, quia corruptam Semei voluntatem inclinavit ad maledicendum Davidi: Inclinavit autem (ut diximus ex Hugone) non compellendo, sed aperiendo illi viam ad hoc malum, et claudendo ad alia, idest, permittendo, ut hoc solum malum vellet et perageret, ex multis, ad quae parata erat.

Eadem est responsio ad aliud de spiritu decipiente Achabum. Ipse enim spiritus obtulit se Deo, ad decipiendum regem, nec tam imperio, quam permissione divina egebat, cum ex se promptissimus ad omnem malum, immo et cupidissimus nocendi esset. Sed urget Calvinus lib. 1. Institut. cap. 18. § 1. *Si Dei judicium est excaecatio, et amentia Achab, nudae permissionis figmentum evanescit: quia ridiculum esset, judicem tantum permittere, non etiam decernere quid fieri velit, et mandare exequutionem ministris.*

At s. Augustino ridiculum non est visum judicem tantum permittere, cum ait lib. de gratia et libero arbitrio cap. 23. *Cum auditis, Ego Dominus decepi prophetam illum, et quem vult indurat, ejus merita cogitate, quem sic obdurari et seduci permisit.* Ubi cum s. Augustinus dicit, ob merita hominum Deum permittere deceptionem et indurationem, satis ostendit, Deum ut judicem illa permittere. Quamvis enim simpliciter permittere soleat etiam is, qui non est judex; tamen si quis in manu sua habeat impedire, vel permittere, ut unus alteri noceat, et decernat non impedire, sed permittere, ut hac ratione puniat eum, qui tali poena dignus est, is profecto judicem in ea permissione aget.

Ad alia duo de Hieroboam et Hiehu eadem responsio adhiberi posset, sed probabilius dici posse arbitror, utrumque fuisse legitimum regem, et a Deo proprie electum. Quamvis enim Calvinus lib. 1. Institutionum cap. ult. velit Hieroboam et Hiehu deficiendo a propriis dominis, et regnum invadendo graviter peccasse, et idem de Hieroboam sentiat Petrus martyr in commentario cap. 11. lib. 3. Regum; tamen s. Augustinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 21. et 22. aperte docet, neque Hieroboam, neque populum in ea defectione peccasse: *Adparuit*, inquit, *nullum in ea re nec regis Israel, nec populi fuisse peccatum, sed voluntatem Dei vindicantis impletam.* Et profecto Scriptura sancto Augustino manifeste favet. Nam lib. 3. Regum cap. 11. posteaquam Ahias propheta nomine Dei regnum promiserat Hieroboamo, subjungit haec verba: *Si audieris omnia, quae praecepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea, et praecepta mea, sicut fecit David servus meus, ero tecum, et aedificabo tibi domum fidelem, quomodo aedificavi David domum.* At certe Deus non conferret Hieroboamum cum Davide, neque illi promitteret protectionem in regno, et fidelem successionem, si eum non verum regem, sed tyrannum et invasorem fuisse scivisset.

Praeterea cap. 12. cum Roboam aciem armatam educere vellet in Hieroboam, ut universum regnum recuperaret, misit Deus Semeiam prophetam, qui diceret regi Roboam, et universo populo: *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros, filios Israel, A me enim factum est verbum hoc.* Quo audito, cessaverunt ab intentione bellandi, et agnoverunt Hieroboam ut legitimum regem, atque a Deo creatum super decem tribus, quemadmodum rex erat Roboam super tribum Juda et Beniamin. Itaque licet postea Hieroboam scelestissimus fuerit, et schisma fecerit in religione, tamen cum regnum accepit, bonus erat, et electione divina, ac totius populi consensu et vocatione legitime regnare coepit.

Quod idem constat de Hiehu: non enim regnum ambivit, sed ad eum, nihil tale cogitantem, misit Haelisaeus unum de filiis prophetarum, qui eum nomine Dei ungeret regem super Israël, et imperaret, ut occideret Achabum regem, Jezabelem reginam, et omnem ejus domum exterminaret. Ac deinde cum id ipse perfecisset, dixit ad eum Dominus: *Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quae erant in corde meo, fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* lib. 4. Regum cap. 9. et 10. Quis autem credat, Deum laudaturum fuisse factum Hiehu, ac dicturum, eum studiose fecisse, quod rectum erat, si Hiehu ex ambitione rebellasset, et injuste Dominum suum occidisset, ut Calvinus docet? Non igitur recte probavit Calvinus, ex Deo esse, quae perverse fiunt ab hominibus, quia fuerit unctor regni Hieroboam et Hiehu.

Sed Objicit Calvinus, quod in Oseae cap. 8. Deus videatur improbare regnum Hieroboam, cum ait: *Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi.* Quem locum s. Hieronymus etiam de Hieroboam interpretatur. Respondeo: Duobus modis dici posse Hieroboam regnasse non ex Deo, idest, Deo non approbante. Primum enim exponi potest hic locus (ut s. Thomas admonet in comment. cap. 13. epistolae ad Romanos) de usu regni, non de institutione, et hoc modo certum est, non fuisse ex Deo regnum Hieroboam, neque aliorum, qui eum sequuti sunt. Omnes enim impii reges fuerunt.

Deinde potest hic idem locus exponi de caussa, sive occasione institutionis regni Hieroboam, ea siquidem non fuit ex Deo, ac per hoc nec ipsa institutio, nimirum si ad occasionem respiciatur, fuit ex Deo. Deus enim non volebat Salomonem ita graviter peccare, ut mereretur divisionem regni, neque absolute volebat regnum dividi: tamen posito peccato Salomonis, placuit Deo, ut regnum divideretur, et ideo ipse partem ejus regni tradidit Hieroboam. Qua ratione conciliare solemus duo illa loca: *Deus mortem non fecit*, Sapient. 1. Et: *Dominus mortificat et vivificat*, 1. Reg. 2. Deus enim vere neci dat quos vult, sed tamen id non fa-

ceret, nisi in primo parente totum genus humanum mortis reatum contraxisset.

Neque aliud voluisse s.Hieronymum,perspici potest ex eo, quod ipse testimonium Oseae non exponit de solo Hieroboam,sed etiam de Saule. Constat autem Saulem verum et legitimum regem fuisse, et a Deo electum, juxta illud 1. Regum 10. *Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non est illi similis in omni populo.* Et tamen quia peccavit populus in petendo rege, ut habemus 1. 13. Occasio eligendi Saulem, sive instituendi regni in populo Dei, non fuit ex Deo, et vere dicere potuit Deus per prophetam, *Ipsi regnaverunt, et non ex me.* Sed de hoc loco satis multa dicta sunt.

Ad illud psal. 43. *Declinasti semitas nostras a via tua*, Respondeo: Declinationem illam semitarum a viis Domini,non esse declinationem ad peccata,sed declinationem ab auxilio et favore divino. Praecedit enim in eo loco. *Haec omnia venerunt super nos. Nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.* Et paulo post sequitur: *Et declinasti semitas nostras a via tua.* Et mox adjungitur explicatio: *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, cooperuit nos umbra mortis.*

Adde,quod licet videatur per affirmationem dici, *Declinasti semitas nostras a via tua*: tamen possumus subintelligere negationem, quae habetur ad initium versiculi, juxta regulas Hebraeorum, ut sensus sit, Non accessit retro cor nostrum, et non declinasti semitas nostras a via tua, idest te adjutore non declinavimus a via tua tua, tantum abest ut retrocesserit a te cor nostrum. Itaque s. Hieronymum vertit. *Non recessit retro cor nostrum. nec declinaverunt semitae nostrae a viis tuis* Ad alia loca non est opus alia responsione. Jam enim exposuimus quemadmodum intelligenda sint.

CAPUT XIV.

Solvuntur objectiones ex aliis Scripturae testimoniis petitae.

Quartum caput continet ea loca, in quibus Deus dicitur excaecare, vel indurare corda hominum: ut non velint, nec possint bene agere, Exodi 7. 8. et 9. *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Deut. 2. *Induraverat Dominus spiritum Sehon.* Josue 11. *Domini sententia fuerat, ut indurarentur.* 1. Reg. 2. *Non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* 3.Reg.12.*Non acquievit rex populo, quoniam adversatus eum fuerat Dominus.* Job 12. *Qui commutat labium veracium, et doctrinam senum aufert , qui immutat cor principum,et decipit eos,ut frustra incedant per invium ,palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.* Isaiae 19. *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis.* Et cap. 63. *Quare errare nos fecisti de viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te?* Hierem.20. *Seduxisti me.Domine, et seductus sum.* Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias. Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum etc.* Rom. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum,ut faciant quae non conveniunt.*Et Rom. 9. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.*

Respondeo:Ex communi sanctorum Patrum sententia, Deum non esse caussam excaecationis et indurationis positive (ut sic loquar), sed negative, videlicet, permittendo, deserendo,non miserendo. Quod justum esse negari non potest, cum Deus non deseral, nisi desertus, et justum sit, ut qui deserunt, deserantur, ut s. Augustinus docet libro da natura et gratia, cap. 26. tract. 2. in Joannem. Et quamvis Petrus martyr in commentario primi capitis ad Romanos fateatur,omnes Patres ita exponere (ut diximus) non gravabor tamen aliqua testimonia. S. Augustini in medium adducere. Igitur in epist.105. ad Sixtum,sic ait: *Non obdurat Deus impartiendo malitiam,sed non impartiendo misericordiam.* Item lib.1.ad Simplicianum, quaest. 2. circa medium: *Obdurare* , inquit, *Deum est nolle misereri, nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior, non erogatur.* Et lib. 5. in Julianum,cap. 3. *Cum ergo*, inquit, *dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis, atque consentit, vincitur,capitur,trahitur,possidetur* Denique in Joannem tract. 53. *Sic*,inquit, *excaecat Deus, sic obdurat, deserendo, non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo potest.*

Similia habet s. Joannes chrysostomus homil. 3. in epist. ad Romanos, ubi ponit exemplum ducis milites suos in acie deserendis. Similia etiam s. Gregorius lib. 25. Moralium, cap. 12. et 13. et Damascenus lib. 4. de fide, cap. 20. Isidorus lib. 2. de summo bono, cap. 19. Sed quia non quaelibet permissio, vel desertio dici potest excaecatio, vel induratio , res tota paulo diligentius explicanda est.

Primo igitur observandum est, caecitatem mentis, ut etiam cordis obdurationem esse peccatum, caussam peccati et effectum, seu poenam peccati. Sic enim scribit s. Augustinus lib. 5. contra Julianum, cap. 3. *Caecitas*,inquit, *mentis, quam solus illuminatorDeus removere potest,et est peccatum, quo in Deum non creditur, et est poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et est caussa peccati, cum aliquid mali caeca cordis committetur.* Quod idem de obduratione cordis intelligitur, nam eo loco promiscue loquitur s. Augustinus de caecitate et obduratione. Et in Scripturis de utraque homines reprehunduntur, tamquam de vero, maximoque peccato. Matth. 13. *Incrassatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis,et auribus audiant et corde intelligent, et convertantur, et sanem eos.*

Itaque caecitas cordis,de qua loquimur, non est simplex carentia luminis, sed affectus pravus, quo quis illustrationes divinas repellit, vel impedimentum ponit, quo minus a Deo illuminetur. Quare dicuntur ejusmodi homines,Matth. 13. videntes vide-

re et non videre, quia vident quidem unde illuminari possent, sed ex malitia sua nolunt advertere, atque ita excaecat eos malitia ipsorum. Pari ratione cordis obduratio est pravus effectus, quo quis admonitiones divinae, sive internas, sive externas contemnit, et semper magis ac magis eis resistit, donec ad eum statum deveniat, ut eas ne sentiat quidem. Hinc enim cor dicitur durum, lapideum, grave, crassum, quando non movetur ad correptiones et increpationes divinas, quia quae sunt ejusmodi nec cedunt, nec sentiunt. Sicut e contrario cor dicitur tenerum, molle et carneum, quando facile acquiescit Deo, vel homini admonenti, quia caro mollis ac tenera facile penetratur, et exiguas etiam punctiones percepit: *Cor durum* (iuquit s. Bernardus lib. 1. de Consideratione), *nec seipsum exhorrescit, quia seipsum non sentit; non movetur precibus, minus non cedit, flagellis magis duratur.*

Hinc habemus permissionem illam, qua Deus sinit primum hominem labi, et qua nunc etiam sinit justos peccare, non posse dici excaecationem, vel indurationem, quia excaecatio et induratio cum sit poena peccati, non potest esse primum peccatum, neque excaecantur, vel indurantur justi, sed peccatores. Rom. 1. *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*: Item: *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, ac servierunt creaturae potius quam creatori, propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae.* Et 2. ad Thess. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Secundo loco observandum est; ad excaecationem et obdurationem non sufficere, ut quis non videat, vel non cedat, sed requiri ut non possit moraliter videre, nec cedere. Id enim ostendit nomen excaecationis et obdurationis. Caeci siquidem non dicuntur qui videre possunt, licet non videant; et res durae illae dicuntur, quae nec cedunt, si comprimantur, nec cedere queunt, et potius franguntur, quam cedant. Hinc Joan. 12. legimus: *Ideo non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava.* Et Eccl. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem Deus despexerit.* Ex quo intelligimus, non dici Deum excaecare, vel indurare, quando juvat hominem auxilio suo, ita ut ille vere possit, si velit, licet permittat eum labi, et eatenus deserat, quia non praebet auxilium, quo ille infallibiliter velit. Alioqui omnes qui peccant essent excaecati et obdurati, cum nemo peccet nisi permittente, atque aliquo modo deserente Deo: Constat autem non omnes qui peccent excaecatos, vel obduratos proprie dici posse.

Illa igitur sola permissio, atque desertio, excaecatio et obduratio dicitur ex parte Dei, qua sit ut homo justo Dei judicio, peccata praeterita punientis, ita destituatur auxilio divino, ut non possit moraliter non cadere, quod pulchre ostendit similitudo illa Chrysostomi, de duce milites in praelio deserente. Ex quo etiam solvitur quae objicere solet Calvinus, cum argumentatur, excaecationem et obdurationem non posse referri ad solam permissionem, vel desertionem, cum Deus judicem agat in hac re, et judicis sit non solum permittere, vel deserere, sed etiam re ipsa punire. Nam ista permissio ac desertio gravissima est punitio, cum homo in poenam peccati praeteriti in medio hostium nudus, atque inermis divino judicio relinquatur.

Tertio observandum est, hanc impotentiam, qua homo excaecatus, vel obduratus, non potest videre quod videndum est, nec agere quod agendum est, non esse absolutam, sed ex hypothesi: Nam licet homo, dum est caecus et obduratus, non possit cernere et credere, tamen absolute potest, quia potest cum Dei gratia removere caecitatem et obdurationem, quibus remotis cernere poterit et credere. Numquam enim Deus ita destituit, quin saltem juvat ad impetrandam gratiam et vires, quibus obduratio tolli possit, quando tenetur homo converti ad fidem, vel justitiam, et nisi faciat peccet. Proinde qui non potest facere quod debet, sua culpa non potest, et ideo peccat, quia si peteret auxilium, utique impetraret.

Et hinc est quod Exod. 8. et alibi in Scripturis obdurati reprehenduntur et puniuntur; quia culpa sua indurationem incurrunt, et in ea perseverant. Sanctus Joannes qui cap. 12. dixerat de quibusdam: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias, Excaeca cor populi hujus.* Idem cap. 15. dicit de iisdem: *Excusationem non habent de peccato suo.* Et sanctus Augustinus tract. 53. in Joannem, tractans illud: *Propterea non poterant credere*, monet, ut nemo audeat propter ejusmodi impotentiam negare liberum arbitrium, aut excusare peccatum, et rationem insinuat, quia licet caeci non possint videre, tamen possunt ex caecis fieri videntes.

Sed occurret aliquis, atque objiciet incertum fore judicium Dei, quo in poenam peccati praeteriti aliquos obdurat et excaecat, si in illorum potestate est non excaecari vel obdurari, aut continuo caecitatem, obdurationemque repellere. Respondeo: Certitudinem divini judicii ex eo pendere, quod cum, qui excaecari, atque obdurari meretur, Deus non solum deserit, ac desertione sua vinci sinit ab hostibus, et in peccata varia trahi, atque perduci, sed etiam non dat gratiam congruentem ejus ingenio ad impetrandas vires, quae est alia occultior desertionis species, idest, non eum excitat et vocat, quomodo praevidet illi aptum esse, ut sequatur excitantem et vocantem, et quamvis non deneget auxilium, quo ille absolute possit auxilium petere: tamen certissime videt eum auxilio illo non usurum. Atque ita cujus vult miseretur, et quem vult obdurat; ut dicitur Rom. 9.

Quarto observandum est, hanc desertionem secundum morem loquendi Scripturae recte significari per vocabula actionem exprimentia, quamvis revera non sit actio, sed actionis omissio. Nam in 2. lib. Regum, cap. 12. dicitur David occidisse Uriam Hetheum, cum tamen David eum per se non occiderit, nec jusserit proprie occidi, sed tantum imperavit duci Joab, ut eum constitueret in loco, ubi fortissimum esset praelium, ibique eum de-

reret, ut vinceretur et moreretur. Sic igitur Deus recte dicitur tradere in reprobum sensum, inducere in tentationem, mittere operationem erroris, obdurare et excaecare, licet haec omnia non faciat nisi permittendo et deserendo.

Neque tamen hinc sequitur, Deum esse caussam peccati, aut peccare deserendo homines in tentationibus, licet David peccaverit, et caussa fuerit peccati jubendo Uriam deseri in praelio. Nam Urias innocens erat, nec poterat juste a Davide, vel Joabo interfici, et ideo peccavit David, cum jussit eum in praelio derelinqui, ut moreretur: At si Urias necem promeruisset potuisset utique David eum illa ratione de medio tollere; et quamvis tunc etiam vere diceretur caussa mortis Uriae, tamen neque ipse peccaret, neque esset caussa peccati Ammonitarum, quorum gladio ille periit. Neque enim David jussit Ammonitis ut Uriam occiderent, sed cum illi sponte sua raperentur ad caedem filiorum Israël, uti voluit David eorum impetu ad necem Uriae, quem relinqui jussit, non ad necem aliorum, quos a praelio subduxit.

Ita quoque et Deus cum aliquos justo judicio deserendo tradit in reprobum sensum, excaecat, obdurat, in tentationem inducit, neque ipse peccat, quia juste deserit, neque est caussa peccati; quia non excitat ipse Satanam ad tentandum, et hominem ad consentiendum (nisi ut supra diximus, excitare sit non impedire), sed utitur utriusque nequitia ad eum puniendum, qui tali poena dignus est.

Porro Calvinus lib. 2. Institut. cap. 4. § 4. admittit Deum saepe obdurare solum deserendo; tamen addit esse alia testimonia, quas ultra procedant *Qualia sunt*. inquit, *de Pharaonis induratione. An induravit non emolliendo? id quidem verum est; sed plus aliquid fecit, quod obstinatione pectus ejus obfirmandum Satanae mandavit*. Haec ille. Sed hoc quod ipse dicit de Satana jussu Dei obfirmante cor Pharaonis, ex divinis literis non colligitur: neque ipse locum ullum profert, unde id probetur. Quamvis exponi facillime posset, ut supra exposuimus illud: *Dominus praecepit Semei maledicere Davidi*.

Quinto est observandum, actionem excaecandi et obdurandi interdum tribui in Scripturis etiam illis rebus, quae sunt occasiones potius quam caussae ejusmodi actionum. Sic enim dicuntur munera excaecare oculos sapientum, Exod. 23. et Eccles. 20. Sic creaturae dicuntur factae in muscipulam pedibus insipientium, Sap. 14. Sic vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, Eccles. 19. Sic patientia Dei aliquo modo indurat, Rom. 2. Caeterum cum occasione talium rerum homines excaecantur, vel indurantur, non dicitur Deus eos excaecare vel indurare, nisi forte per accidens, sed ipsi homines abutentes rebus bonis, seipsos excaecant vel obdurant. Deus enim, cum in Scripturis dicitur excaecare vel indurare, id facit ut justus judex, et ideo non conversionem et poenitentiam, sed poenam et ruinam eorum intendit, qui excaecantur vel obdurantur. At cum patienter expectat, vel peccata dissimulat, non poenam et ruinam, sed conversionem et poenitentiam intendit: *Dissimulat enim peccata hominum propter poenitentiam*, ut dicitur Sapient. 11. et Apostolus ait: *Ignorans quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit? tu autem secundum duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae, et justi judicii Dei*. Rom. 2.

Quare patientia Dei ad poenitentiam adducit, et ideo qui inde excaecantur, non excaecantur a Deo, sed excaecat eos malitia ipsorum, ut dicitur Sapient. 5. Et vere si Deum excaecare nihil esset aliud, nisi patienter expectare, orandus esset Deus, ut s. Augustinus recte colligit lib. 5. in Julianum, cap. 3. ut nos excaecaret. Igitur loca initio capitis adducta, quae significant a Deo homines indurari, vel excaecari non possunt commode explicari de excaecatione et obduratione per patientiam, sed per desertionem, ut supra diximus, et ut perspicuum erit, si eorum aliqua percurramus.

Primum testimonium sumptum fuerat ex cap. 7. 8. et 9. Exodi, ubi agitur de induratione Pharaonis. Videmus autem in iis locis aliquando tribui caussam efficientem indurationis ipsi Pharaoni, qui ex patientia Dei sumebat occasionem contemnendi ipsum Deum, et obfirmandi cor suum in proposito non obediendi; aliquando tribui ipsi Deo, qui non ita illustrabat, neque movebat per gratiam cor illius, ut videbat congruum illi esse, ut attenderet et flecteretur. *Videns Pharao* (inquit Moyses Exod. 8.) *quod data esset requies, ingravavit cor suum, et non audivit eos, sicut praeceperat Dominus*. Ecce quomodo abutitur Pharao Dei patientia ad indurationem. Et rursus cap. 9. *Videns Pharao, quod cessasset pluvia et grando et tonitrua, auxit peccatum, et ingravatum est cor ejus, et servorum illius, et induratum nimis*, quia videlicet flagella Dei cessabant, existimabat Pharao nihil jam esse periculi, et grandinem ac tonitrua casu accidisse, ideo confirmabat propositum non parendi. Sed quia quod cogitaret idem Pharao, flagellorum cessationem provenire ex precibus Moysis, nascebatur ex justo Dei judicio, quo decreverat, non misereri Pharaonis, neque eum illustrare et movere, ut videbat ejus ingenio congruum, aptumque esse, propterea in iisdem locis saepe repetitur, *Induravit Dominus cor Pharaonis*.

Eodem modo explicanda sunt loca similia adducta ex Deuteronomio, Josue, libris Regum, ex Isaia, et ex Apostolo. Illud autem Job: *Qui commutat labium veracium, et doctrinam senum aufert, et qui immutat cor principum et decipit*, non habet difficultatem. Non enim Deus immutat labium veracium mentiendo, sed vel permittendo, ut decipiantur, ut diximus capite superiore, vel reddendo mutos et elingues prudentissimos consiliarios. Neque etiam Deus immutat cor principum, faciendo ex bono malum, vel aliquam falsam notitiam eis inspirando, sed immittendo bonam aliquam cogitationem, aut certe indifferentem, ex qua tamen impediantur a proposito suo, atque ita decipiantur, cum Dei providentia fiat, ut non assequantur quod cupiebant.

Exemplum habemus in Absalone qui cum patrem suum ex urbe regia expulisset, et eum omnino perdere desideraret, ut ipse unus regno univer-

so libere potiretur, Dei providentia agente consilium convocavit, et audito consilio Achitophel, ac probato, quod quidem ad implendum ejus desiderium utilissimum erat; Deo inspirante, audire voluit etiam consilium Chusai, quod in speciem erat utile,re autem vera perniciosum:effecit vero Deus, ut Absalon attenderet ad consilium Chusai, et rationes ejus ponderaret,oblitus consilii Achitophel, atque ita immutavit cor ejus, ac fecit, ut reprobato consilio Achitophel eligeret consilium Chusai, ex quo impeditus est ab eo, quod maxime cupiebat. Vide lib. 2. Reg. cap. 17.

Simile est quod accidit s. Athanasio. Nam cum in navicula fugeret persequutores suos,Deo inspirante convertit naviculam, et obviam ire perrexit adversariis, qui per idem flumen eum insequebantur. Egit vero divina providentia, ut illi eum non agnoscentes, ab illo ipso peterent, quantum inde Athanasius abesset,quo respondente non longe abesse, illi citato cursu descendere festinarunt. Atque ita sine ullo mendacio ab Athanasio, vel a Deo potius justissime decepti palpabant, ut inquit Job, quasi in meridie, et errabant velut ebrii, cum eo magis ab Athanasio recederent,quo se ad eum propius accedere cogitabant. Vide Theodoreti historiam lib. 3. cap. 8. vel Ruffini lib. 1. cap. 34.

Illud Hieremiae 20. *Seduxisti me Domine, et seductus sum*, recte exponitur a s. Hieronymo, quod ambiguitate, non falsitate contigerit. Audiverat enim Hieremias: *Ecce prophetam in gentibus dedi te.* Et rursus: *Ecce constitui te super gentes, et regna.* Itaque libenter munus prophetandi assumpserat tamquam contra gentes, a quibus populus Domini vexabatur prophetaturus:advertit tamen postea, se perpetuo contra gentem suam et reges suos Domino jubente prophetare, ex quo multas,et varias calamitates patiebatur. Accedit, quod cum praediceret, capiendam urbem Hierosolymam a Chaldaeis, ita loquebatur, ac si statim id esset implendum, unde cum non ita accideret, putabatur mentitus, et a populo, tamquam impostor deludebatur. Ita igitur ambiguitate verborum Domini,partim quoad gentes, partim quoad tempus deceptum se dicit, cum aliter videret impleri sermones Domini, quam ante crediderat.

Denique illud Joann. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excaecavit oculos eorum, etc.* duobus modis intelligi potest. Aut enim caussa,cur Judaei credere non possent, erat, quia id praedixit Isaias ita futurum; Aut quia excaecati erant juxta vaticinium Isaiae. Si dicatur Primum, tunc res est perspicua. Non enim praescientia et praedictio futurorum imponit rebus necessitatem, et ideo solum dicuntur non potuisse credere, quos Isaias praedixit non credituros, quia non poterat fieri, quin eveniret quod propheta spiritu Dei eventurum praedixerat, quamquam libere eventurum esset.Immo non poterat fieri, ut non libere eveniret, cum peccatum esset, ac proinde libere factum, id quod eventurum propheta praedixerat. Si datur Secundum, quod etiam est probabilius, tunc caecitas erit quidem caussa,cur non possent Judaei credere, sed caussa erit (ut supra diximus) ex hypothesi, non absolute, quia licet dum excaecati erant, credere non possent, poterant tamen mutari cum Dei gratia,et ex caecis fieri videntes, et credere.

Simile est illud Joan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis?* Neque enim Dominus dicere volebat, eos absolute non posse credere, quorsum enim toto illo capite et sequenti eos hortaretur ad credendum, quos sciret non posse credere? Sed monebat, desiderium humanae gloriae impedimentum illis esse,quo minus credere possent; et ideo gloriam humanam contemnerent, et gloriam, quae a solo Deo est, quaererent, si credere et salvi esse cuperent.

CAPUT XV.

Explicantur alia Scripturae testimonia.

Quintum et postremum caput ea loca complectitur, in quibus dicitur, Deus reipsa operari, et efficere ea, quae mala sunt, 2.Reg. 12.*Haec dicit Dominus, ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu Solis hujus.* Urget hunc locum Calvinus lib. 2. Institut. cap. 18. § 1.*Absalon*, inquit, *incesto coitu patris thorum polluens detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat. Verba enim sunt: Tu fecisti occulte, ego vero palam faciam, et coram Sole hoc.*

Similia sunt illa:*Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, Luc.*2. Et apertius: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali, Rom.* 9. Ubi Deus ipse (ut expendit Beza) dicit se ponere in Sion lapidem offensionis, et petram scandali. Addit Beza in responsione ad Castallionem de aeterna Dei praedestinatione in refutatione secundae calumniae, locum illum Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.*Quem locum sine ulla exceptione de omnibus omnino rebus, quae in mundo fiunt, intelligendum esse contendit,ut sensus sit, Omnia, quae fiunt, sive bona, sive mala, Deo non solum praesciente et permittente, sed etiam volente, decernente et operante fieri. Sed ex iis, quae supra dicta sunt, facile erit haec testimonia explicare.

Quod enim Primo loco dicitur, de incestu Absalon, dicitur Deus malum illud fecisse,non qua culpa Absalonis, sed qua poena Davidis erat. Quamvis enim malum esset Absalonem peccare, quod non volebat, sed prohibebat Deus, bonum tamen ac justum erat puniri Davidem, quod voluit et fecit Deus. Fecit autem non incitando Absalonem ad malum, neque illud ei suadendo, vel imperando, sed permittendo, cum facilé impedire posset, vel etiam voluntatem ejus ad multa scelera inclinatam avertendo et cohibendo ab aliis, atque ad hoc u-

num illi viam aperiendo, idest, sinendo ruere in hoc, non sinendo ruere in alia.

Porro ejusmodi permissionem secundum morem Scripturae, dici posse opus Dei, sive facientis, sive imperantis perspicuum est ex historia s. Job, ubi dicitur Deus afflixisse s. Job, cum tamen ex historia illa constet, diabolum non a Deo fuisse incitatum, ut affligeret Jobum, sed solam Dei permissionem optasse et impetrasse.

Illa vero loca ex Luc. 2. et Rom. 9. de Christo posito in ruinam, et in petram scandali, non significant a Deo Christum ideo fuisse missum in mundum, ut esset caussa, vel occasio ruinae, vel scandali, sed missum quidem ut esset caussa salutis, tamen futurum etiam fuisse, ut esset occasio ruinae et scandali, non ipso praebente occasionem, sed hominum malitia eam accipiente. Ita s. Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum regem, cap. 4. tractans haec loca: *Lapis ille*, inquit, *qui ab aedificantibus reprobatus, in caput factus est anguli, quibusdam pravae credulitatis caecitate possessis lapis offensionis, et petra scandali efficitur.* Et paulo infra: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum: ibi ergo male credentibus ruinam perfidia generat, ubi recta credulitas fideles exaltat.* Non itaque lapis ipse a Deo positus, sed caecitas in eum offendentis idest, perfidia, ruinam generat. Sic etiam Theodoretus quaest. 12. in Exod. adducens haec loca, et praeterea illud Joan. 9. *Ego in judicium veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant*; monet non fuisse scopum Dei Christum mittentis; ut videntes caeci fierent, et stantes ruerent, vel ambulantes in petram offenderent, sed Scripturam indicasse, id quod futurum erat. Quemadmodum etiam quod legimus Joan. 2. *Solvite templum hoc, et ego in triduo excitabo illud*, non significat, imperatum fuisse a Christo Judaeis, ut illud facerent, sed eos id facturos, fuisse praedictum. Et cum ait Judae Joan. 13. *Quod facis, fac citius*, non ei mandavit proditionem, sed indicavit, brevi eum facturum, et impleturum, se permittente, quod jam diu desideraverat.

Sententia igitur Simeonis haec est: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum*, hoc est, Ecce a Deo missus est Christus, qui multis eum propter passionem et ignominiam crucis despicientibus erit occasio ruinae, multis autem in eum fideliter credentibus erit caussa resurrectionis et salutis. Eadem est sententia b. Pauli ad Rom. 9. Quod enim ipse ait: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali*, hunc habet sensum, Ecce pono in Sion lapidem, qui erit lapis offensionis et petra scandali. Nam et Simeon et Paulus ad prophetiam Isaiae respexit, quae habetur cap. 8. ubi non dicitur Deus facturus, ut Christus sit in ruinam, et in petram scandali, sed simpliciter praedicitur Christus futurus in ruinam, et in petram scandali, occasionem videlicet ruinae, et scandali accipiente hominum caecitate ex Christi passione et morte: *Dominum*, inquit, *exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, et ipse terror vester, et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, et in ruinam habitantibus in Hierusalem; et offendent ex eis plurimi et cadent et conterentur et irretientur et capientur.*

Quod autem b. Paulus ait: *Ecce pono in Sion lapidem*, sumptum est ex cap. 28. ejusdem prophetae, ubi Deus per Isaiam dicit: *Ecce mittam in Sion lapidem angularem, probatum, electum in fundamento fundatum.* Sed quia conjunxit Apostolus haec verba diversorum capitum in unam sententiam, ideo paulo durius loqui visus est. Sed si exponatur ut diximus, omnia cohaerebunt, neque diversa videbitur sententia Isaiae a sententia Pauli, nimirum posuit Deus in Sion lapidem, qui ex intentione ipsius Dei esset angularis, pretiosus, electus, ut dicitur cap. 28. quamvis ex incredulitate hominum futurus esset etiam multis in lapidem offensionis et petram scandali.

Illud denique Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*, in quo aphorismos suos tamquam in optimo fundamento Beza construxit, nihil omnino facit ad rem. Non enim Apostolus dicit, Deum operari omnia absolute, quae fiunt in mundo, tam bona, quam mala, cum e contrario Deus oderit peccata, et nihil faciat eorum quae odit, ut legimus Sapient. 11. Sententia igitur Apostoli est, Deum operari omnia, quae operatur, non temere, neque invitum, sed libere et prudenter, id enim est secundum consilium voluntatis suae. Quemadmodum viri prudentes dicuntur omnia mature agere, non quod omnia ipsi agant, sed quod quidquid agant, cum consilio agant.

Itaque s. Hieronymus quasi Bezae commentarium praevidisset, ita scripsit in hunc locum: *Operatur*, inquit, *omnia Deus secundum consilium voluntatis suae: non quo omnia, quae in mundo fiant, Dei voluntate, et consilio peragantur (alioquin et mala Deo poterunt imputari) sed quo universa, quae facit, consilio faciat et voluntate, quod scilicet et ratione plena sint et potestate facientis.* Adhaec si daremus Bezae in his Apostoli verbis significari omnia omnino fieri a Deo, quae in mundo fiunt, non tamen inde sequeretur, peccata, quae ab hominibus fiunt, etiam a Deo fieri, cum peccatum facere, non sit facere, sed deficere, neque peccatum sit res aliqua, sed corruptio rei alicujus. Quemadmodum autem Deus faciat quidquid in actione mala inest rei et boni, et tamen non sit auctor corruptionis et defectus, qui in actione illa cernitur, explicuimus cap. 5. et rursus explicabimus cap. 17.

CAPUT XVI.

Explicantur loca aliquot s. Augustini, quae in speciem favere videntur adversariis.

Post loca Scripturarum objiciunt Calvinus et Beza testimonia quaedam s. Augustini ex lib. 5. contra Julianum, ex enchiridio, et ex lib. de gratia et libero arbitrio. Illa igitur, et alia, quae nobis interim occurrunt, breviter explicabimus.

Incipiamus a primo tomo operum ejus. Lib. 9. confess. cap. 8. sic loquitur s. Augustinus de sancta Monica, quae in pueritia per convicium famulae curata est a vinolentia, cui dedita esse coeperat: *Quid*, inquit, *egisti Deus meus? unde curasti? unde sanasti? nonne protulisti durum et acutum ex altera anima convicium, tamquam medicinale ferrum, ex occultis provisionibus tuis, et uno ictu putredinem illam praecidisti?* Hic jam Calvinus, si in hunc locum incidisset, dicere non dubitaret famulam illam a Deo incitatam et compulsam fuisse, ut dominae suae conviciaretur: Itaque significari illis verbis, Nonne protulisti durum et acutum ex altera anima convicium. Sed aliam omnino fuisse mentem s. Augustini, ex verbis ejusdem in extremo capite positis intelligetur : *Tu Domine*, inquit, *rector coelitum et terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum saeculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animae insania sanasti alteram, ne quisquam cum hoc advertit, potentiae suae tribuat, si verbo ejus alter corrigatur, quem vult corrigi.* Ex his enim verbis intelligimus, non fuisse a Deo incitatam, vel compulsam famulam illam ad convicium, sed convicium illud jam animo conceptum, et foras per voces erumpens a Dei providentia ordinatum fuisse ad vitium Monicae sanandum. Neque enim Deus fons est, unde turbulenti scelerum torrentes manant, sed artifex est mirabilis, qui ad usum suum torrentes illos per se fluentes contorquet, et ordinat ad bonum aliquod perficiendum.

Itaque dicitur Deus protulisse convicium illud ex anima famulae illius tamquam ferrum medicinale ex occultis provisionibus suis, quia non poterat famula illa convicium concipere, vel proferre, nec alio tempore, alio loco, in aliam personam, quam Deus permisisset, Deus autem non permisit ab illa convicium concipi, aut proferri, nisi quod utile esset ad Monicam curandam, et illo tempore et loco solum permisit, quo tempore et loco praevidit utile fore ad Monicae sanitatem.

Aliud testimonium extat in enchiridio, cap. 100. quod a Calvino et Beza non semel citatur. Sic igitur loquitur s. Augustinus: *Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro et ineffabili modo, non fiat praeter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret: neque utique nolens sinit, sed volens, nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens, etiam de malo, facere posset bene.* Duo quaedam ex hoc loco adversarii colligunt. Primo, mala seu peccata non fieri praeter Dei voluntatem, proinde velle Deum, ut fiant; recteque ab ipsis dictum esse decreto et voluntate Dei, Adamum lapsum esse. Secundo, Deum permittere mala non invitum, nec otiose spectantem, sed volentem, ac per hoc inanem esse catholicorum distinctionem, qui dicunt mala fieri non Deo volente, sed Deo permittente, quasi permissio non includat voluntatem. Sed non erit difficile respondere, si prius breviter explicemus, quemadmodum se habeat voluntas Dei erga peccata.

Dico igitur: Deum erga peccata non habere positive velle aut nolle, sed negative non velle: non habet Deus positive velle peccata, quia bonus et justus est. Nec esset bonus et justus, si peccata (idest, mala) et iniquitates vellet. Non habet etiam positive nolle, quia omnipotens est, neque esset omnipotens, si aliquid fieret ipso invito. Fieret autem aliquid ipso invito, si fieret aliquid, quod ipse fieri nollet. Non igitur habet velle, aut nolle, sed non velle, juxta illud psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

Sed occurrit Beza in responsione ad acta Colloquii Mompelgardensis, pagina centesima octuagesima tertia, ac dicit, si Deus respectu peccatorum non habeat velle aut nolle, sed tantum non velle, sequi ut eorum, quae in mundo geruntur, longe maxima pars fiat Deo vel imprudente, vel non curante, quorum illud ab ejus providentia, istud ab ejus potentia penitus est alienum. Respondeo: Neutrum sequi, nam etiamsi Deus non velit peccata fieri, tamen novit ea futura et posset impedire, si vellet: proinde non fiunt eo imprudente; praeterea vult non impedire, vult permittere, vult ordinare, vult punire: Proinde non fiunt eo non curante, et quasi otiose spectante. Neque nos dicimus: quod in superiore pagina idem Beza reprehendit, divinam providentiam non se extendere nisi ad mala ordinanda, et quasi limitibus definienda, ita ut moliri possit Satan contra Ecclesiam quidquid ei libuerit, quamvis non quidquid libuerit perficere queat. Non inquam, hoc solum damus providentiae Dei, sed etiam addimus, nihil fieri posse, nisi Deo permittente, ac per hoc, non solum non perficiet Satan contra Ecclesiam, quidquid ei libuerit, sed quidquid ei permittere Deo placuerit.

Observandum est praeterea id, quod diximus, Deum respectu peccati non habere positive nolle, debere intelligi de voluntate beneplaciti, quae absoluta est. Nam habet Deus nolle fieri peccata, voluntate signi, quae non absoluta, sed conditionata est. Voluntas enim signi, dicitur praeceptum, sive prohibitio, quae voluntas ideo conditionata dici potest, quia cum Deus praecipit, ut aliquid non fiat, simul addit poenam, si fiat. Proinde cum aliquid prohibet, non absolute vult illud non fieri, sed vult aut non fieri, aut puniri eum, qui facit. Quare semper invicta manet voluntas divina, neque ei ullo modo resisti potest. Nam etiamsi aliqui legem ejus praevaricentur, et faciant quod ipse fieri prohibuit, non tamen evadunt supplicium, quod ipse idem praevaricatoribus comminatur.

Ex his testimonium s. Augustini facillime poterit explicari. Dicit enim non fieri praeter ejus voluntatem, quod sit contra ejus voluntatem, non quia ipse velit illud fieri, sic enim secum ipse pugnaret, sed propter alias duas caussas, quas ibidem idem auctor posuit. Prima caussa est, quia (ut diximus) cum Deus peccata prohibet, non simpliciter vult non fieri, sed aut non fieri, aut puniri eum, qui facit. Altera caussa est, quia licet Deus non velit peccata fieri, tamen vult permittere ut fiant, ordinaturus illa pro sua infinita potentia et sapientia in bonum.

Priorem caussam ponit Augustinus in praecedentibus verbis, dum sic ait: *Haec sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, et*

tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, idest, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturae voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens et malis, tamquam summe bonus ad eorum damnationem, quos juste praedestinavit ad poenam, et ad eorum salutem, quos benigne praedestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus noluit (voluntate signi) *fecerunt, quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo efficere voluerunt; Hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas Dei.* Ecce qua ratione non fiat praeter Dei voluntatem, quia videlicet facit ipse de peccantibus quod vult, dum eos aeternae damnationi, quam peccantibus fuerat comminatus, addicit.

Posteriorem caussam ponit in verbis sequentibus, sic loquens: *Propterea namque omnia opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro et ineffabili modo non fiat praeter ejus voluntatem, quod contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret.* Ideo igitur non fiunt peccata praeter Dei voluntatem, quia non fierent si non sineret, ac per hoc licet non habeat Deus velle fieri, habet tamen velle permittere.

Sed (inquiunt adversarii) velle permittere includit velle fieri. Nam hic subjicit Augustinus: *Non utique sinit nolens, sed volens.* Et paulo ante cap. 95. *Non ergo*, inquit, *fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Ubi s. Augustinus aperte dicit, Deum velle fieri id, quod sinit fieri. Et cap. 96. dicit, bonum esse ut mala sint. *Quamvis*, inquit, *quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona; tamen, ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est.* Quod autem bonum est, Deus vult, igitur mala esse, seu fieri Deus vult. Addit Petrus martyr in cap. 9. epist. ad Roman. vocem permissionis in Scripturis significare etiam voluntatem et operationem Dei, non solam negationem. Et allegat illud 1. ad Corinth. 16. *Spero me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.* Et illud ad Hebr. 6. *Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus.*

Respondeo: Proprie permittere non includere velle, sed non nolle, sive non impedire, et verissimam esse theologorum catholicorum doctrinam, qui dicunt Deum velle bona, mala autem non velle, sed permittere; et longe aliud esse velle fieri mala et velle permittere, ut fiant mala. Siquidem velle fieri mala, est malae voluntatis, quae vel delectatur malis, vel uti vult eis ad bona, contra illam regulam, *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* At velle permittere mala potest esse bonae voluntatis, ac praesertim in summo rerum omnium moderatore, ad quem spectat non impedire cursum rerum quamvis defectibilium, ut hinc ostendat Primum, quid per se possit liberum arbitrium. Deinde quid ejus gratiae beneficium, justitiaeque judicium, ut loquitur s. Augustino lib. de correptione et gratia, cap. 12. Cum igitur idem Augustinus dicit, Deum permittere mala non nolentem, sed volentem, intelligimus Deum permittere non invitum, sed volentem permittere. Non autem proprie volentem illa fieri. Cum vero dicit, nihil posse fieri, nisi Deus velit fieri, aut sinendo ut fiat, aut ipse faciendo, ipse se explicat. Non enim diceret, aut sinendo, aut faciendo, si proprie Deus vellet fieri tam bona, quam mala. Nam Deus voluntate agit. Et ideo quidquid vult fieri, fit, et ideo fit, quia ipse volendo facit.

Itaque si Deus vellet fieri mala, non permitteret, sed faceret mala. Quorsum ergo Augustinus distingueret permissionem ab opere, dicens, aut sinendo ut fiat; aut ipse faciendo, si existimaret, Deum proprie velle tam quae facit, quam quae permittit, cum non ignoraret, Deum volendo facere? Sententia igitur ejus loci talis est, Nihil potest fieri, nisi Deus velit fieri, saltem per accidens, idest, nisi velit permittere ut fiat ab aliis, aut etiam velit ipse illud procurare et facere.

Porro quod adjungit, bonum esse, ut sint mala, eodem modo explicandum est, videlicet bonum esse, ut sint Deo permittente, non Deo agente et volente: quod est per accidens esse bonum, quia conjunctum est cum aliquo per se bono. Mala enim per se nihil ornamenti adferunt rebus caeteris, tamen ordinata a Deo, et suo loco posita, faciunt, ut res bonae magis emineant, ut idem Augustinus docet in eodem lib. c. 11. qui etiam de eadem re sic loquitur in lib. 3. de libero arbitrio, cap. 9. *Quomodo*, inquit, *juste peccata punit, quae si defuissent, creatura ejus plena et perfecta non esset? Hic respondetur, non ipsa peccata, vel ipsam miseriam perfectioni universitatis esse necessaria, sed animas, in quantum animae sunt, quae si velint, peccant, si peccaverint, miserae fiunt.* Haec ille. Quare non tam est bonum, ut peccata sint, quam ut ordinentur, posteaquam Deo permittente existunt.

Quocirca s. Augustinus ex eo quod dixit bonum est, ut mala sint, non colligit, Deum velle mala, sed tantum permittere. Haec enim sunt verba ejus: *Nec dubitandum est, Deum facere bene etiam sinendo fieri, quaecumque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio sinit, et profecto bonum est. Quamvis ergo quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui profecto quam facile est, quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse non sinere.*

Neque in Scripturis ullus est locus, ubi vox *permittere*) non possit recte exponi de proprie dicta permissione, quae non significat velle, sed non impedire. Nam quod dicitur 1. Corinth. 16. *Spero me apud vos aliquantulum temporis permansurum, si Dominus permiserit*: rectissime intelligitur dictum esse pro eo, quod est, si Dominus non impedierit. Saepe enim Apostolus cogitabat aliquo ire, et Dominus alio eum destinabat. Actor. 16. *Transeuntes autem Phrigiam et Gallitiae regionem vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Misiam, tentabant ire in Bithiniam et non permisit eos Spiritus Jesu.* Et ad Roman. 1. *Nolo autem vos ignorare fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque*

adhuc. Quod etiam dicitur Hebr. 6. *Et hoc faciemus siquidem permiserit Dominus*, eundem sensum habet. Scribit enim Apostolus nolle se amplius de rudimentis fidei disserere, de poenitentia ab operibus mortuis, de Baptismo, impositione manuum, et similibus, sed de iis, quae ad perfectionem vitae christianae pertinent. Addit autem; Siquidem permiserit Dominus, quia videlicet ignorabat, an Deus permissurus esset eum facere, an ad alia opera vocaturus. Ostendit enim his verbis, se omnino pendere a providentia Dei, et quae Deo annuente aggreditur, eadem Deo volente perficere, aut eo impediente dimittere.

Aliud testimonium rursus objiciunt Calvinus, et Beza in eodem enchiridio, cap. 101. ubi sic loquitur s. Augustinus: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult; et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, et ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut approbetur, aut improbetur.* Videtur enim his verbis Augustinus admittere, Deum velle id ipsum, quod volunt homines mali, dum mala operantur; sed ideo bonam esse Dei voluntatem, quia bona intentione Deus vult, quod impii mala intentione volunt.

Sed facillime id solvitur. Nam in his rebus, quae sunt per se malae, et in nullo casu possunt fieri bene, numquam Deus vult id, quod volunt homines mali. In rebus autem, quae sunt malae ratione praecepti positivi eas prohibentis, aut alicujus circumstantiae, facile fieri potest, ut Deus bona voluntate velit, quod mala voluntate volunt homines mali, et quod nolunt bona voluntate homines boni; ita ut magis congruant cum bona voluntate Dei illi qui nolunt, quam illi qui volunt, quod ipse vult. Exempla sunt in eodem loco s. Augustini, vult Deus aliquem hominem mori, quia id merentur, ejus peccata; voluntas haec Dei justa est, ac per hoc bona: forte etiam vult hoc Deus, quia praevidet illum, si diutius vivat, gravius peccaturum, et atrocius apud inferos puniendum, ex quo non solum justa, sed etiam misericors est voluntas Dei, quae vult illum de medio tolli. Contingit autem, ut filius ejus, non quia scit patrem mereri mortem, aut gravis peccaturum, si vixerit, sed quia eum odit, aut cupit cito possidere paternam haereditatem, velit eundem mori; sine dubio haec filii voluntas quamvis id velit, quod vult et Deus, iniquissima est. Tenetur enim filius parentes diligere et juvare, ac multo magis non odisse. Proinde magis congrueret cum bona Dei voluntate voluntas hujus filii, si nollet quod vult Deus, quam nunc congruat, quando vult, quod Deus vult.

Sed non potest ullo modo ex his colligi, Deum esse auctorem, peccatorum, aut velle peccata fieri. Nam etiamsi Deus vult aliquando id, quod peccator vult, non tamen vult Deus, ut ille hoc velit, immo contrarium vult, saltem voluntate signi, qua prohibuit illi, ne id vellet. Quod si Deus filio imperaret, ut parentem occideret, sicut imperavit Abrahae ut occideret filium, tunc non mala voluntate filius vellet mori parentem suum, dum id non odio patris, sed ut obsequeretur Deo jubenti id vellet. Sin autem filius non habeat Dei mandatum de parente occidendo, et tamen forte noverit, Deo placere ut is moriatur, non debet quidem obmurmurare Deo, sed contra potius eum laudare, et acquiescere in ejus voluntate, paratus aequo animo ferre mortem patris, cum acciderit: sed interim ei deesse non debet, quia mandatum habet honorandi parentes, eosque juvandi ac sustentandi; et placebit sine dubio Deo studium filii in parente conservando, licet ipse alia via sibi nota, parentem illum occidi decreverit.

Sequitur Aliud testimonium, quod objiciunt ex lib. 6. de Genesi ad literam cap. 15. ubi legimus, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessario futurum, quod Deus voluerit. Utitur hoc testimonio Calvinus lib. 3. Instit. cap. 23. § 8. ut probet, Deus decrevisse ab aeterno, ac voluisse, ut primus homo peccaret, et cum tota posteritate in damnationis reatum incurreret.

Sed facilis est responsio. Fatemur enim, id omne, quod Deus vult, infallibiliter impleri, Dei enim voluntati nemo resistere potest. Sed probandum erat Calvino, Deum ex sententia b. Augustini voluisse, ut primus homo peccaret. Nam in loco citato, non hoc scribit s. Augustinus, sed disserit de creatione hominis, ac dicit, hominem formatum ex limo, quia Deus ita voluit, neque id repugnare caussis naturalibus generationis humanae, quia Deus dedit illis caussis, ut inde possit homo generari, non autem suam potestatem illis caussis alligavit.

Aliud testimonium objiciunt ex lib. 5. contra Julianum cap. 3. ubi tractans illud: *Tradidit eos in passionem ignominiae etc. Sequitur*, inquit, *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Audis Propter hoc; et quaeris inaniter quomodo intelligendus sit, tradere Deus, multum laborans, ut ostendas eum tradere deserendo.* Quibus verbis videtur s. Augustinus, non admittere explicationem illam, quam nos supra sequuti sumus, quod Deus deserendo tradat.

Respondeo: A s. Augustino non reprehendi Julianum, quod dixerit, Deum tradere deserendo, sed quia dixerit, unum peccatum non esse poenam alterius peccati, et existimaverit, id bene probari, si ostendisset, Deum tradere deserendo. Itaque ipse s. Augustinus demonstrat, unum peccatum esse poenam alterius peccati, sive Deus tradat homines desideriis suis deserendo, sive alio modo, ac per hoc inaniter laborasse Julianum, ut ostenderet. Deum tradere deserendo: *Audis*, inquit, *Propter hoc, et quaeris inaniter quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, ut ostendas eum tradere deserendo. Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit. Curavit enim Apostolus dicere, quanta poena sit tradi passionibus ignominiae; sive deserendo, sive alio vel explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit haec summe bonus, et ineffabiliter justus.*

Adhaec reprehendit Augustinus Julianum, quod per (deserere) non intellexerit, destituere, seu non juvare cadentem, sed permittere, ut quis in desideriis, in quibus jam erat, haereat; ac demonstrat

Augustinus, tradi in desideria, non esse permittere, ut in aliquo sint desideria mala, sed deserere, ac deserendo sinere,ut desideriis malis consentiat. Sic enim loquitur Augustinus ponens,et reprehendens verba Juliani: *Jam flagitiorum*, inquis, *desideriis aestuabant. Et adjungis,ac dicis quomodo ergo per potentiam tradentis Dei putandi sunt in talia facta,cecidisse? Quid ergo plus factum est, obsecro te,aut ut quid diceret,tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, si jam erant possessi quodammodo malis desideriis cordis sui? Numquid autem consequens est, ut si habet aliquis cordis desideria mala, jam etiam consentiat eis ad committenda eadem mala?ac per hoc aliud est habere mala desideria cordis,aliud tradi eis; utique ut consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit cum divino judicio traditur eis.*

Quod autem s. Augustinus non reprehendat, sed approbet, Deum tradere deserendo, patet ex sequentibus verbis: *Cum ergo*, inquit, *dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis, atque consentit, vincitur, trahitur, capitur, possidetur, a quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est; et fit ei peccatum consequens praecedentis poena peccati.*

Sed objiciunt rursus ex eodem capite illa verba: *Quid est autem quod dicis, cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? Quasi non simul posuerit haec duo idem Apostolus, et patientiam, et potentiam, ubi ait, si autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa irae, quae perfecta sunt in perditione.* Ubi videtur s. Augustinus concedere, aliquos a Deo per potentiam in peccata compelli.

Respondeo: Recte s. Augustinum docere contra Julianum, Deum tradere aliquos suis desideriis, non esse per solam patientiam deserere,quasi ideo solum dicatur Deus tradere aliquos suis desideriis, quia eos patienter tolerat, et impunitos ad tempus relinquit. Nam alioqui, ut cap. seq. idem Augustinus colligit, qui a Deo petit, ne tradat desideriis suis, id peteret,ne sit patiens erga se bonitas ejus. Quare ex hoc loco perspicue intelligimus,Julianum non accepisse desertionem Dei pro destitutione auxilii divini, ut nos cum Augustino accipimus, sed pro simplici permissione et tolerantia, quomodo fatemur, non sola desertione Deum tradere aliquos desideriis suis.

Porro non solam patientiam,sed etiam potentiam Dei cerni in obduratione peccatorum, duobus modis intelligi potest, juxta mentem s. Augustini,Primo, quia finis obdurationis est,ut punitione peccatoris obdurati, quae sine dubio mirabilis et horribilis erit, appareat justitia et potentia Dei. Et hoc habent verba Apostoli ab Augustino adducta: *Si autem Deus volens ostendere iram,et demonstrare potentiam suam, etc.* Et rursus: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam.* Neque dubitari potest, quin Deus potentiam suam magis ostenderit in flagellis et submersione Pharaonis obdurati, quam in ipsa ejusdem Pharaonis obdurationе. Secundo: Quia Deus non solum deserit peccatores,cum eos tradit desideriis cordis eorum, sed etiam cum eorum malas voluntates, quas ipse non fecit, sed futuras non ignoravit, ita mirabiliter torquet, regit, ordinat, ut ex eis bonum eliciat et faciat, ut etiam invitae,ac nolentes sibi serviant, et hoc ipso quod libenter faciunt, justo Dei judicio gravissime puniantur.

Quare potest rectissime dici, Deum per potentiam tradere aliquos desideriis suis,eosque per potentiam excaecare et obdurare, non quidem quod deserere, non illuminare, non emollire, ad potentiam pertineat, aut quod Deus positive ad malum compellat, aut impellat, sed quia (ut diximus, et explicuimus fusius cap. 13) mirabili potentia regat corda etiam impiorum, et impediat, ne aliud perficiant, conentur, velint, cogitent, quam quod ipse permittit, ipsamque culpam eis vertat in poenam, et ad multa bona malis eorum voluntatibus ipse summe potens,summeque bonus utatur. Atque hoc est, quod scribit idem Augustinus, in hoc ipso lib. 5. contra Julianum cap. 4. cum ait: *Facit haec miris et ineffabilibus modis, qui novit justa judicia sua non solum in corporibus hominum,sed et in ipsis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit, cum aliquid inique velle non possit.*

Quamvis autem admittamus juxta mentem sancti Augustini, Deum per potentiam tradere impios desideriis suis, eosque excaecare et obdurare: non tamen admittimus, impios a Deo per potentiam in peccata compelli. Nam neque hoc loco s. Augustinus id usquam dicit, et in aliis locis a nobis supra citatis, saepe contrarium dicit. Unum locum hic notare sufficiet, tract. 53. in Joan. *Fecerunt*, inquit, *Judaei peccatum, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse praevidit, quem nihil latet.*

Alia testimonia proferunt ex lib. de gratia et libero arbitrio cap. 20. et 21. Nam cap. 20. sic legimus: *Scriptura divina, si diligenter inspiciatur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, sed etiam illas, quae conservant saeculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad poenas quibusdam ingerendas,vel ad beneficia quibusdam praestanda, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo.* Et infra: *Voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum judicio suo justo et occulto inclinavit.* Et cap.21. *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo.*

Respondeo: Haec loca jam esse explicata superius, videlicet cap. 13. siquidem eo loco ostendimus ex Hugone Victorino, qui Augustinum sequutus est, Deum operari in cordibus inclinando ad unum malum potius, quam ad aliud, non quidem malitiam inserendo, aut inclinata corda ad bonum, pervertendo, sed inclinata vitio proprio ad malum, impediendo ne ferantur in aliud,et non impediendo ut ferantur in hoc.Id quod idem Augustinus in hoc

libro indicat, cum ait cap. 20. Deum inclinare voluntatem proprio vitio malam. Et cum apertius, cap. 23. concludit, dicens: *Cum ergo auditis, ego Dominus seduxi prophetam illum, et quem vult indurat, ejus merita cogitate, quem sic obdurari, vel seduci permisit.* Ubi vides, ipsam permissionem seductionis et obdurationis judicio divino tribui, quia videlicet, nisi id mererentur hominum peccata, Deus eos non ita seduci, neque obdurari sineret.

Aliud testimonium objici solet ex lib. de corrept. et gratia cap. 7. ubi sic loquitur s. Augustinus: *Cum, inquit, audimus, nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est: illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ab obtinendum regnum suum; illum ad effundendum sanguinem suum.* Quod si Christus elegit Judam ad opus proditionis, unde sanguinis effusio sequuta est, certe videtur omnino voluisse et ab aeterno decrevisse, ut Judas illud immane scelus perpetraret.

Respondeo: Christum praescivisse ab aeterno Judam, si permitteretur, fore pecuniarum cupidum; et ex ea cupiditate magistri sui ac Domini scelestissimum proditorem, et simul praevidisse, quantum boni ex illo scelere ipse elicere posset; si illud permitteret, et ideo decrevisse omnino permittere. Hoc autem permissionis decretum, ex quo infallibiliter sequebatur sanguinis sui effusio, vocat Augustinus electionem Judae ad effundendum sanguinem suum. Nam paulo ante dicit, Judam fuisse electum ad opus, cui congruebat. Quibus verbis significat, Judam per se illi operi congruisse et ideo satis fuisse, ut Deus illum permitteret facere, quod cupiebat. Et paulo post idem explicat apertius his verbis: *Ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile, illud, propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur.* Itaque Christum elegisse Judam ad effundendum sanguinem suum, nihil est aliud, nisi Christum decrevisse uti mala voluntate Judae, quam se permittente in eo futuram praenoverat, ad passionem suam, et mundi redemptionem peragendam.

Postremo addunt Calvinus in lib. 3. Instit. cap. 23. § 7. et Theodorus Beza in responsione ad acta Colloquii Mompelgardensis, pag. 135. testimonium sancti Augustini ex lib. de corrept. et gratia, cap. 10. ad probandum, mala non solum praesciri, sed etiam decerni a Deo et lapsum Adami non solum a Deo praecognitum, sed etiam volitum et definitum. *Nunc audiamus*, inquit, *Augustinum loquentem libro de correptione et gratia: Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum, Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis exoritura praescivit (praescientiam autem Augustinus numquam a proposito Dei sejungit) et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere; sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium; Deinde quid posset gratiae suae beneficium, justitiaeque judicium.*

Hoc testimonium si removeatur illa parenthesis Bezae (*praescientiam autem Augustinus numquam proposito Dei sejungit*) nihil omnino probat. Non enim dicit s. Augustinus, Deum decrevisse, ut mala ex bonis orirentur; sed dicit pertinuisse ad ejus omnipotentissimam bonitatem, potius de malis benefacere, quam mala esse non sinere. Nec dicit, Deum sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut prius necessario peccarent, deinde propter peccata punirentur: Sed dicit, Deum sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut prius ostenderetur, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset gratiae beneficium, justitiaeque judicium, idest, prius ostenderetur, potuisse angelos per liberum arbitrium cadere, et non cadere; et deinde potuisse Deum angelos, qui ex libero arbitrio ceciderant, juste punire, qui vero per liberum arbitrium steterant, tanta gratiae plenitudine donare, ut jam amplius cadere non possent. Homines similiter in statu innocentiae constitutos, potuisse per liberum arbitrium cadere, et non cadere; et si quidem non cecidissent, potuisse Deum ad perfectam beatitudinem eos perducere; Sin autem cecidissent, potuisse juste punire, vel misericorditer liberare, ut in sequentibus Augustinus fuse explicat. Quare omnia verissima sunt, nec ulla ex parte Bezae sententiam juvant.

Porro illa parenthesis *praescientiam autem numquam Augustinus a proposito Dei sejungit.* Primum petit principium; id enim probandum susceperat initio, quod nunc tamquam certum, et concessum assumit: Deinde falsum est, si de peccatis agatur, ut hoc loco agitur: Sanctus enim Augustinus lib. de praedestinatione sanctor. cap. 10. dicit, praedestinationem (quae idem est cum decreto) non posse separari a praescientia, tamen praescientiam posse separari a praedestinatione, sive decreto; Deus enim nihil decernit ac definit, quin praesciat se facturum; multa autem praescit futura, quae ipse non decernit, nec definit. *Praedestinatio*, inquit, *sine praescientia esse non potest. Potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus praescivit quae fuerat ipse facturus. Praescire autem potest etiam ea, quae ipse non facit, sicut quaecumque peccata.*

Idem cognosci potest ex responsione s. Prosperi ad objectiones Vincentianas 10. 11. 12. 13. 14. 15. et 16. Nam cum quidam suspicarentur ex doctrina s. Augustini sequi id, quod nunc Calvinus et Beza defendunt, mala fieri non solum praesciente, sed etiam praedestinante et decernente Deo; respondet Prosper, istas sententias blasphemas esse, et a s. Augustini doctrina prorsus alienas. Inter caetera sic loquitur in responsione ad objectionem undecimam: *Objectio, quod quando incestant patres filias, et matres filios, vel quando servi Dominos occidunt, ideo fiat, quia Deus praedestinavit ut fieret. Responsio, Si diabolo objiceretur, quod talium facinorum ipse auctor, ipse esset incentor, puto quod aliqua ratione exonerare se hac posset invidia, et talium scelerum patratorem, de ipsorum voluntate vinceret: quia et si delectatus est furore peccantium, probare ta-*

men se non intulisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quave dementia definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum adscribi potest, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adjutor, non voluntatem credendus est esse generator? nihil ergo talium negotiorum Deus praedestinavit ut fieret; nec illam animam nequitur turpiterque victuram, ad hoc ut taliter viveret, praeparavit:sed talem futuram non ignoravit, et de tali juste se judicaturum esse praescivit. Atque ita ad praedestinationem ejus nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam justitiae retributionem, aut ad indebitum pertinet gratiae largitatem. Hic certe videmus, quam luculenter s. Prosper pro Augustino respondens, separet praescientiam a consilio, definitione et praedestinatione Dei, cum de malis agitur: et contra quam falso scripserit Beza, Dei praescientiam a decreto, seu proposito numquam ab Augustino sejungi.

CAPUT XVII.

Solvuntur objectiones ductae ex ratione.

Superest ut ad rationes,quas proferunt, breviter respondeamus.

Prima ratio Calvini lib. 3. Institut. cap. 23. § 7. Si Deus non decrevit ab aeterno, ut primus homo cum tota posteritate laberetur, sequitur Deum ambiguo fine condidisse nobilissimam creaturam.Non enim condidit, ut staret, ut perspicuum est ex eo quod non stetit; vel igitur condidit, ut laberetur, et sic aperiretur via misericordiae et justitiae divinae, vel condidit in finem ambiguum, atque incertum, ut ex eventu penderet id, quod Deus postea facturus esset,quod certe valde absurdum esse videtur.

Respondeo:Deum condidisse hominem in finem bonum et certum, videlicet ad gloriam misericordiae, justitiaeque in eo manifestandam. Licet enim Deus non decreverit, neque voluerit,ut primus homo peccaret, neque ad hunc finem eum condiderit, ut peccaret: tamen praescivit eum peccaturum , si conderetur, qualis conditus est; et simul praescivit, se posse tale remedium ejus peccato adhibere, ut inde justitia et misericordia sua mirifice patefieret, quemadmodum si quis dum cogitat domum aedificare, animadvertat, si domus in tali loco aedificetur, fore, ut pateat pestilentibus ventorum flatibus, et simul videat , se posse optimum remedium adhibere, quod non solum status ventorum arceat,sed etiam ornamento sit toti aedificio; is profecto si domum tali loco aedificet , nec dici poterit cupivisse domum patere flatibus pestilentium ventorum, neque vere dicetur eo imprudente id accidisse, sed eum ut sapientem architectum providisse quod accidere poterat, et nihilominus voluisse in eo loco domum extruere, quia viderit , se posse arte sua omni incommodo facile mederi.

At dicet Calvinus Deus praescivit hominem casurum, quia jam decreverat, et praedestinaverat ejus lapsum. Prior ergo fuit praedestinatio, quam praescientia; proinde quando decrevit Deus hominem condere, vel in ambiguum finem condere voluit, vel certe in eum finem, ut laberetur, et per ejus lapsum aperiretur via misericordiae ac justitiae Dei manifestandae.

Respondeo: Deum cognitione simplicis intelligentiae cognovisse hominem casurum, si conderetur, non solum antequam eum conderet, sed etiam antequam condere decerneret.Itaque prior est (secundum modum nostrum intelligendi) cognitio illa conditionalis propositionis, nimirum si homo creetur, peccabit, quam decretum absolutum hominis condendi. Priora enim sunt in Deo, quae necessaria sunt, quam quae libera,cum ista in Deo possint non esse, illa non possint. Necessarium autem est Deum cognoscere omnia omnino, quae cognosci possunt, sive ea sint absolute futura, sive ex hypothesi, alioqui non esset infinitae scientiae, ac per hoc nec esset Deus. Non fuit autem necessarium , sed liberum, ut Deus decerneret hominem condere.

Porro cognosci posse a Deo non solum illa,quae futura sunt absolute, sed etiam ea, quae essent, si tales, vel tales caussae ponerentur , licet re ipsa numquam futura sint , perspicuum est ex divinis literis. Nam 1. Reg. 23. interrogatus Dominus a Davide, an si ipse maneret in urbe Ceilam, proderetur a civibus illius urbis in manus Saulis,respondit, tradent, Sciebat ergo Deus futurum, ut David proderetur, si maneret in Ceilam, et tamen quia non mansit, non fuit proditus, et absolute non erat futurum, ut proderetur. Et Matth. 11. Dominus ait: *Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes , quae factae sunt in te, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent.* Sciebat igitur Dominus, fore ut Tyrii et Sidonii converterentur ad poenitentiam, si miracula illis ostendisset,quae Bethsaidae fecerat,quod tamen absolute futurum non erat.

Sanctus etiam Augustinus in epist. 49. quaest.2. docet, Christum antiquis temporibus non venisse, quia praesciebat homines illorum temporum,etiam visis miraculis maximis minime credituros. Idem etiam cum tam saepe repetit,Deum vocare electos, sicut videt eis aptum esse, ut sequantur vocantem: reprobos autem non ita vocare, pro certo sumit , Deum nosse, tali vocatione oblata, eum qui vocatur, sequuturum,alia vero similiter oblata, non sequuturum. Vide lib. 1. ad Simplician. quaest. 2. et librum de bono perseverantiae cap. 14. Hinc idem s. Augustinus libro de corrept. et gratia cap. 10. scribit, Deum creasse hominem et angelum, ut Primum in eis ostenderet, quid posset liberum arbitrium, Deinde quid posset suae gratiae beneficium justitiaeque judicium. Qui finis non erat incertus, aut ambiguus, quia noverat Deus, angelos per liberum arbitrium partim casuros, partim non casuros, hominem autem cum omni posteritate lapsurum, atque ideo tum in angelis, tum in hominibus demonstrare se posse misericordiam et judicium. Et in eodem lib. cap. 12. aperte docet , Deum praescivisse primum hominem lapsurum , sed eum ad hoc non coëgisse: *Praesciente*,inquit,

Deo quid ille esset facturus injuste, praesciente tamen, non ad hoc cogente, sed simul sciente, quid ipse de eo facturus esset juste.

Addo praeterea quod etiam si daremus, Deum non praevidisse, antequam decerneret hominem creare, quid homo facturus esset, si crearetur: tamen non propterea in ambiguum finem creatam a Deo fuisse nobilissimam naturam. Deus enim omnia propter semetipsum, idest, ad gloriam suam declarandam operatur; hic autem finis impediri non poterat ullo modo, quidquid tandem homo pro arbitrii sui libertate faceret. Nam si peccaret, non effugeret Dei justitiam, si non peccaret, Dei gratiam magis ac magis sibi conciliaret. Semper autem Dei gloria eluceret, sive per excellentem gratiam homo coronandus esset, sive per justum judicium puniendus. An autem homo misericordiam, an justitiam Dei experturus esset, ambiguum aliquo modo fuisset, sed absque ullo detrimento gloriae Dei, nam et ambiguitas ista ex Dei decreto manasset, qui hominem in manu consilii sui relinquere voluisset, et (ut diximus) semper Dei gloria sive coronando, sive puniendo locum suum habuisset.

Altera ratio ejusdem Calvini ibidem ejusmodi est. Non est factum naturaliter, ut a salute excideremt omnes unius parentis culpa. Cum igitur hoc naturae adscribi nequeat, ab admirabili consilio Dei profectum esse minime obscurum est. Quid ergo prohibet fateri de primo homine (quod videlicet decreto Dei lapsus sit) quod inviti de toto humano genere concedunt?

Respondeo: Negare nos, quod invitos concedere Calvinus assumit. Factum enim asserimus omnino naturaliter, ut primo homine cadente genus humanum universum caderet. Naturam enim in se primus homo vitiavit, cum justitiam illam originalem amisit, quam Deus illi pro se, et pro toto genere humano donaverat. Quare qui per naturalem propagationem filii Adami efficiuntur, naturaliter injusti, et peccatores nascuntur, quod Apostolus docet, cum ait Ephes. 2. *Eramus et nos natura filii irae, sicut etc.* Idem passim docet sanctus Augustinus, qui etiam tract. 44. in Joannem, scribit, omnes homines natura esse filios irae, quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit. Et (quod magis est admirandum) ipse idem Calvinus ita exponit verba Apostoli in commentario ejus loci, ut probet peccatum originale, quia in omnibus naturaliter hoc peccatum inest, cum sit omnibus eadem natura communis: *Locus*, inquit, *est insignis contra Pelagianos, et quicumque peccatum originale negat. Nam quod naturaliter inest omnibus, id certe est originale. Naturaliter vero nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet.* Haec ille. Quamvis igitur Adamus non naturaliter, sed voluntarie peccaverit, tamen posito peccato Adami, et naturae corruptione, quae ex eo peccato consequuta est, sine alio Dei decreto, per ipsam naturalem propagationem nascimur omnes peccatores, atque irae filii.

Tertia ratio Calvini et Bezae: Homo non potuit labi Deo invito, vel ignorante, vel otiose spectante, Quia Primum repugnat Dei potentiae, Secundum Dei sapientiae, Tertium Dei providentiae, igitur Deo volente et decernente lapsus est.

Respondeo: Non bene colligi conclusionem. Nam lapsus est homo Deo permittente; et ex lapsu illo per suam potentiam, sapientiam et providentiam ingens bonum eliciente. Atque ita non est homo lapsus, Deo volente, aut decernente, sed neque eo invito, aut ignorante, aut otiose spectante. Quemadmodum non diceretur aliquis otiose spectare fluvium sponte currentem, si cursum illius detorqueret ad agrum aliquem irrigandum, quamvis non ipse fluvio impetum illam dedisset.

Quarta ratio. Saepe unum peccatum est poena alterius peccati, ut ex Scripturis manifeste probat s. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. At poenae auctor est Deus, igitur et peccati, quod poena est alterius peccati.

Respondeo: Peccatum bifariam considerari posse, Primo, ut egreditur a voluntate, et actio quaedam est. Secundo, ut recipitur in ipsa voluntate, et passio est. Ut igitur peccatum a voluntate egreditur, non est poena, sed culpa; poena enim non actionem, sed passionem significat: ut autem recipitur in voluntate, eaamque bono rectitudinis privat, sic poena est, quamvis non omnino proprie et in rigore, sed largo modo, quia poena proprie dicta simpliciter involuntaria esse debet, ut culpa simpliciter voluntaria. Jam igitur Deus non est auctor peccati, ut culpa est, quod peccato proprie et simpliciter convenit, sed solum ut habet rationem poenae, quod (ut diximus) non simpliciter, sed secundum aliquid tantum peccato convenit.

Sed praeterea observandum est, Deum non esse auctorem peccati, et poena est, impellendo ad peccatum, sed deserendo, permittendo, non miserendo (ut supra explicuimus) ita ut non tam ipsum peccatum, quam desertio Dei poena justo Dei judicio inflicta dici debeat. Sic enim loquitur s. Augustinus lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 23. *Cum auditis: ego Dominus decepi prophetam illum, et quem vult obdurat, ejus merito cogitate, quem Deus ita seduci, vel obdurari permisit.*

Quinta ratio esse potest (qua utitur Zwinglius in serm. de providentia, cap. 5. et 6.) Oportebat, ut homo cognosceret veritatem et justitiam Dei (ad hanc enim contemplandam creatus est) at veritas, et justitia plane cognosci nequeunt, nisi ex contrario, mendacio videlicet et injustitia, ergo Deus procurare debuit mendacium et injustitiam. Non autem potuit in seipso exemplum mendacii vel injustitiae praebere; debuit igitur efficere ut creatura aliqua id praestaret. Similem rationem adducit Beza in responsione ad Castalionem saepe citata. Scribit enim Deum ab aeterno decrevisse justitiam, et misericordiam suam manifestare: et quia non poterat id efficere, nisi homo laberetur in culpam, cum alioqui non esset qui juste puniri, vel qui misericorditer liberari posset, ideo Deum ab aeterno decrevisse, et voluisse primi hominis, et universae ejus posteritatis lapsum.

Respondeo: Hanc rationem multis modis solvi posse. Primum enim falsum est, non posse cognosci veritatem et justitiam, nisi ex contrario mendacio videlicet et injustitia. Nam veritas et justitia

per se cognoscibiles sunt, neque a mendacio aut injustitia pendent, cum sine illis esse possint, et fuerint in Deo ab aeterno, et in angelo et homine, antequam mendacium et injustitia existerent. Verum quidem est, mendacium et injustitiam, ut mortem, coecitatem, et reliqua, quae boni alicujus privationem significant, neque esse, neque intelligi posse sine contrario bono: Sed non est eadem ratio de forma et privatione, cum privatio pendeat a forma, forma non pendeat a privatione.

Deinde est, non possent veritas et justitia sine notitia mendacii et injustitiae plane cognosci, non tamen ideo necessarium erat, ut mendacium et injustitia re ipsa existerent. Potuit enim utriusque mali natura cognosci, etiamsi numquam extitisset, alioqui non solum homo, sed etiam Deus eguisset mendacio, et injustitia ad ipsum mendacium et injustitiam, et per ea ad veritatem et justitiam cognoscendam. Quod vero vulgo dici solet, non cognosci bonam valetudinem ab iis, qui in morbum non inciderunt, neque pacis bona ab iis, qui belli mala experti non sunt: non tam ad cognitionem, quam ad aestimationem referendum est. Multo enim pluris aestimat, appetit, quaerit, conservat sanitatis bonum, qui contrarium malum tolerare coactus est, quam qui numquam aegrotavit. Nec tamen ideo mentiendum est, aut injustitia committenda, ut charior sit veritas et justitia, nec vulnerandus est proximus, ut sit ei postea bona valetudo jucundior, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, juxta verbum Apostoli Rom. 3.

Ad rationem Bezae pari facilitate respondeo: Primo, non fuisse necessarium absolute, ut Deus misericordiam et justitiam suam mundo patefaceret. Neque enim mundum necessario Deus creavit, sed libere, et potuisset non creare, cum ipse se ipso beatus nulla re prorsus indigeat. Deinde addimus, potuisse Deum misericordiam et justitiam suam ostendere, etiamsi peccatum numquam extitisset. Neque enim absque misericordia ingenti Deus res creatus e nihilo produxit, sustentat, movet, novis quotidie beneficiis cumulat ac perficit, neque sine justitia coronat bene merentes, et promissiones suas adimplet.

At, inquis, non apparet justitia vindicativa, nisi sint impii, qui merito puniantur. Respondeo: Non esse necessarium, ut omnes justitiae partes hominibus innotescant. Quid enim, si placuisset Deo, peccatoribus omnibus injuriam misericorditer condonare, an non licebat ei quod volebat facere? Itaque congruens et aequum fuit, posteaquam angelus et homo peccaverant, ut Deus ostenderet, quid posset suae gratiae beneficium, justitiaeque judicium; tamen si aliquid aliud Domino placuisset, id quoque sine dubio congruens, aequumque fuisset. Id enim est aequam et congruens, quod Domino placet: sed si angelus, aut homo peccare noluissent, quod vere et proprie in eorum potestate fuit; non potuit Deus eos impellere ad peccandum, ut justitiam et misericordiam patefaceret, quia (ut saepe diximus) ex Apostoli sententia, non sunt facienda mala, ut veniant bona. Malum est autem, et a lege aeterna, quae est ipsa Dei sapientia et ratio, plane abhorrens, impellere aliquem ad peccandum et Deus, sibi ipse contrarius esset, seque ipse negaret, si homines ad peccandum, idest, ad ea facienda compelleret, quae fieri aeterna lege prohibuit.

CAPUT XVIII.

Solvitur objectio, quae a theologis proponi solet veritatis explicandae gratia.

Una restat objectio, quam catholici theologi veritatis explicandae caussa proponere solent. Ea est hujusmodi, Deus est caussa totius entitatis, quae in mala actione cernitur, cum secundum Scripturas, per ipsum omnia facta sint, et sine ipso factum sit nihil, igitur videtur etiam esse caussa deformitatis, quae in actione illa inest, quae proprie peccatum dicitur.

Probatur consequutio. Primo, Is qui est caussa causae, est etiam caussa causati, at Deus est caussa actionis, unde resultat deformitas, igitur etiam caussa est deformitatis, quae ex actione illa resultat.

Secundo: Is vere ac proprie peccare dicitur, qui sciens et volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas, licet ipsam deformitatem forte non velit; Deus autem sciens et volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas, igitur peccare dicendus est, licet deformitatem illam nolit.

Tertio: Qui sciens et volens concurrit cum alio ad actionem malam, particeps est criminis quod ille committit. Deus autem sciens et volens concurrit cum omnibus, qui peccant, ad eorum malas actiones, igitur particeps esse videtur criminum, quae ab omnibus iis perpetrantur, qui peccant.

Quarto: Actiones quaedam ita sunt per se atque intrinsece malae, ut deformitas ab eis sit omnino inseparabilis et prohibitae sint, quia malae, non malae quia prohibitae, ac denique nullo modo bene fieri possint, quales sunt mentiri, odisse Deum et alia id genus: Deus autem ad ejusmodi actiones, non minus, quam ad alias omnes, concurrit, igitur fieri non posse videtur, ut Deus omnino liberetur a culpa.

Quinto: Nulla est ratio cur homo dicatur peccare, dum mentitur aut blasphemat, si non peccat Deus dum cum homine concurrit ad mendacium, vel blasphemiam illam producendam. Uterque enim libere operatur, uterque facit opus intrinsece malum: uterque totam actionem illam efficit. At homo vere peccat omnium judicio, igitur et Deus.

Hoc argumentum non ab omnibus eodem modo solvitur. Primum enim non defuerunt qui existimarent, Deum non esse caussam actionum, quae a rebus creatis efficiuntur, nisi mediate, quatenus videlicet Deus dedit rebus virtutes operativas et ipsas conservat. Ita Durandus in 2. sent. distint. 1. quaest. 5. et distint. 37. quaest. 1. Sed haec sententia merito passim ab omnibus refutatur, ut quae Scripturae divinae, et sanctis Patribus contraria sit. De qua re plura dicemus in 4. lib. de Gratia et de libero arbitrio, cap. 4. ubi quaestionis hujus proprius locus est.

Alia est aliorum solutio, qui dicunt Deum esse

caussam actionum omnium et cum omnibus secundis caussis operari, sed ideo non peccare, quod non teneatur ullis legibus, homines autem peccare, quia legibus teneantur. Haec sententia Zwinglii haeresiarchae est) ut supra retulimus, et refutavimus cap. 4. est etiam aliorum quorundam, qui tametsi cum Zwinglio non conveniant in eo, quod ille docet, Deum impellere homines ad peccata, tamen non aliter niluntur ostendere, quemadmodum Deus non peccet, cum actionem illam cum homine producit, quae homini peccatum est, nisi quia Deus nulla lege tenetur; et nihil est peccatum, nisi praevaricatio legis.

Caeterum non est haec solida defensio veritatis, propter duas caussas. Primum, quia multae sunt actiones ita per se, et intrinsece malae, ut semper pugnent cum lege aeterna et ratione recta, et non possint ulla addita circumstantia reddi licitae: et quia Deus, quamvis nulli legi proprie subjectus sit, tamen non potest aliquid agere, quod repugnet sapientiae suae, quae est lex aeterna, ideo non potest actiones illas efficere, aut ad eas concurrere, cum se ipse negare non possit. Deinde quia tametsi Deus multa, quae non sunt per se et intrinsece mala, facere possit, quae hominibus sunt prohibita, qualia sunt occidere homines, etiam innocentes, et quod est unius, alteri donare etiam illo invito, cujus antea fuerat; tamen ista et alia, si qua sunt ejusdem generis, potest quidem Deus, ut Dominus rerum omnium, facere per se, vel alios, ut voluerit, caeterum non potest homines juvare, cum ista ipsa opera faciendo peccant, quia per se, et intrinsece malum est, juvare aliquem ut peccet, sive (quod idem) participem et socium esse peccantis.

Exemplo nobis sint Abraham et David: imperavit Deus Abrahamo, ut filium innocentem occideret. Potuit sine dubio Deus cum Abrahamo concurrere ad Isaacum innoxium occidendum, quia caedes illa, nec Deo peccatum erat, qui ut Dominus omnium potest rebus suis, ut voluerit, uti; neque Abrahamo, qui non propria auctoritate, sed imperio divino filium occidebat. David Uriam innocentem gladio filiorum Ammon neci dedit. Non potuit Deus cum Davide ad caedem illam concurrere, quia David in ea re legem Domini violavit, nec potuit Deus Davidem juvare, ut id faceret, quod ipse fieri prohibuerat; quamvis alioqui potuisset Deus Uriam, non minus quam Isaacum jubere de medio tolli.

Quod idem in rebus humanis cernimus. Potest rex condonare vitam reo, non tamen potest judici cooperari, ut ipse sententia sua, eum, quem scit reum, innoxium pronunciet. Potest aliquis uxorem ducere, pecunias possidere, carnibus vesci, non tamen potest operam suam accommodare, ut ista faciat, cui ex voto, quo se ipse Deo obligavit, ista non licent. Nondum ergo solutus est nodus objectionis illius, qua efficiebatur, Deum non posse a culpa liberari, si iniqua agentibus cooperetur.

Vera igitur solutio illa est, quam indicavimus cap. 5. quae ut apertius ac fusius explicetur, pauca quaedam observanda sunt.

Primum est, peccati, quod non tam actio, quam defectio est, non esse quaerendam caussam efficientem, sed deficientem. Sic enim loquitur s. Augustinus, lib. 12. de Civit. Dei, cap. 7. *Nemo quaerat efficientem caussam malae voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio.* Quare si ad unum aliquem effectum multae caussae concurrant, et aliquae deficiant, aliquae non deficiant, illae solae verae caussae dicendae erunt peccati, quod in effectu cernitur, quae in agendo defecerint. Exempli caussa, gignitur monstrum, homo videlicet longe brevior justo, aut aliquo membro carens, ad generationem hominis illius concurrit Deus, sol, pater et mater, praeterea virtus seminalis ut instrumentum, menstruum, ut materia; sed quia non deficit, nisi materia, ei soli tribuitur caussa monstri. Ambulat claudus deformi incessu, sed quia non deficit Deus, neque virtus motrix, quae in homine est, sed sola tibia quae ob curvitatem, non plene subjicitur virtuti motrici, soli tibiae tribuitur caussa claudicationis. Quod exemplum adfertur a s. Augustino in lib. de perfect. justitiae, resp. 4.

Secundo observandum est, peccatum, quod est malum morale, formaliter consistere in privatione rectitudinis, quae in actu voluntatis debuit inesse, videlicet conformitatis ad regulam rectae rationis, sive legis divinae, caussam autem hujus privationis per se non posse esse aliquid positivum, sed aliam privationem, seu defectum, ut ostendit s. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 10. et in quaest. 1. de malo, art. 3. Triplex autem defectus assignari potest, in quem referenda est caussa peccati. Primus, atque adeo proximus et immediatus defectus est, non attendere ad regulam rationis. Inde enim oritur, ut voluntas producat actum non conformem rationi, qui (ut diximus) peccatum est, quia non respicit regulam rationis dum operatur. Hic autem defectus, licet non sit actus aliquis positivus, sed negatio quaedam, tamen est voluntarius, quia alioqui non esset caussa peccati; nec tamen est voluntarius, quia sit actus elicitus a voluntate, sed quia est in potestate voluntatis attendere, vel non attendere ad regulam. Non minus enim libere voluntas operatur, quam non operatur. Neque est hic defectus, quatenus praecedit actum peccati malum aliquod naturale, aut voluntarium, sed simplex negatio. Non est (inquam) malum naturale, quia tunc peccatum etiam, quod inde nascitur, esset naturale, nec posset homo non semper peccare, proinde nec proprie peccaret: neque est malum voluntarium, quia esset peccatum, et oporteret quaerere defectum praecedentem, et sic daretur progressus in infinitum. Est igitur defectus ille, ut praecedit peccatum, tempore aut natura caussa mali, ut autem comitatur actum, induit rationem mali. Malum est enim non attendere ad regulam, dum quis operatur, sive operari non attendendo ad regulam.

Alter defectus, sed remotus est, quod voluntas creata non sit summum bonum: inde enim fit, ut voluntas non semper ad regulam attendat, et defectus sit capax, quia non est bonum summum. Sic enim scribit s. Augustinus in enchiridio, cap. 12. *Naturae omnes, quoniam naturarum omnium conditor summe bonus est, bonae sunt: et quia*

non sicut earum conditor, summe, atque incommutabiliter bonae sunt; ideo in eis et minui, et augeri bonum potest.

Tertius defectus, ac remotissimus est, quod voluntas humana, ex nihilo sit creata. Inde enim non est summum et infinitum bonum, in quod defectus cadere non potest, quia ex nihilo facta est. Augustinus lib. 2. de nuptiis et concupiscentia,cap. 28. *Nec ideo,* inquit, *potuit ex bono oriri voluntas mala, quia bonum factum est a Deo bono, sed quia de nihilo factum est, non de Deo.* Idem etiam habet lib. 12. de Civ. Dei, cap. 1.

Ex his intelligemus, non esse necessarium, ut Deus ad peccatum concurrat, et nullo modo fieri posse, ut Deus peccet. Non est enim necessarium, ut Deus ad peccatum concurrat,quia et ipsum peccatum proprie non res aliqua, sed privatio est: et caussa, sive radix, et origo peccati, similiter negatio est, non res. Porro Deus nullo modo peccare potest, quia non potest esse caussa deficiens, cum sit bonum summum et infinitum, et non possit ejus voluntas non semper ad regulam sapientiae suae respicere, cum in Deo sapientia et voluntas idem sint, ac per hoc voluntas Dei sit ipsa regula omnis bonae actionis.

Tertio observandum est.In actu peccati Tria necessario requiri,quorum uno deficiente desinit esse peccatum. Primum est, ut non congruat cum sua regula; ista enim declinatio a lege (ut saepe diximus) est formale peccati. Alterum, ut producatur a libero arbitrio. Actus enim non est moralis per se, nisi elicitus a libera voluntate, siquidem actus aliarum potentiarum, non sunt morales secundum substantiam, sed solum quatenus imperantur a libera voluntate, et eo modo participant rationem moralis, quocirca pecudes, et homines furiosi, vel infantes,aut dormientes nullum habent actum moralem, nec peccare possunt,quia peccatum est malum morale. Tertium est, ut sit actus particularis, vel potius singularis, determinatus,in certa specie constitutus. Neque de hoc ulla dubitatio esse potest. Non enim actus morales nisi certi et singulares esse queunt, neque alios producere potest caussa particularis, qualis est humana voluntas.

Haec tria quae ad peccatum constituendum requiri diximus, ad primum revocari possunt, non enim esse potest actus non conformis regulae, id est, legi nisi sit particularis, et a libero arbitrio productus. Lex enim non est nisi de actibus particularibus et certis , neque legis capax est, nisi potentia libera, qualis est voluntas.

Itaque non potuit rectius, et brevius definiri peccatum, quam ut a s. Joanne fuit definitum illis verbis, peccatum est iniquitas, vel (ut clarius habetur graece) ἁμαρτεί ἐστιν ἀνομία. 1. Joan. 3. Ex his apertissima erit ratio cur Deus non peccet, neque peccati caussa jure dici possit, quamvis concurrat ad actionem illam efficiendam, quae homini est peccatum. Ratio enim est, quia Deus non efficit actionem illam, ut caussa particularis, sed ut caussa universalis,praebens vim et influxum quendam indifferentem, et communem ad illam actionem, et ad contrariam,ita ut actio illa non sit talis in specie, quia a Deo fit, sed solum quia fit a sua particulari caussa, quae est humana voluntas.Haec enim est,quae vitio suo non attendens ad regulam, abutitur auxilio Dei generali ad hanc actionem , cum eodem auxilio ad aliam actionem bene uti potuisset et debuisset.

Hanc rationem reddit sanctus Thomas (cujus testimonium Beza in hac controversia magni facit) in 1. 2. quaest. 80. art. 1. ad 3. ubi sic loquitur: *Dicendum quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinatur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et a diabolo per modum persuadentis et appetibilia proponentis.* Et in eadem parte, quaest. 10. art.4. dicit, divinam motionem recipi in caussis secundis juxta earum dispositionem. Et fusius hoc explicat in quaest. 3. de malo, art.2. *Attendendum* inquit, *est, quod motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum.* Et in quaest. eadem art 7. ad 13. dicit, Deum agere cum omnibus secundis caussis, sed cum liberis ita agere, ut eas non determinet ad unum, sed relinquat determinationem in potestate liberi arbitrii. Denique in lib. 3. contra Gentes cap.66. dicit, caussas secundas esse particulantes et determinantes actionem primi agentis. Vult igitur s. Thomas,Deum movere voluntatem ad operandum, sed ejus motum, atque influxum generalem esse, et ab ipsa voluntate determinari ad hanc, aut illam actionem particularem, ita ut actio particularis sit a Deo, sed non ideo sit talis, quia est a Deo, sed quia est a voluntate.

Neque multum refert hoc loco, utrum cum sancto Thoma dicamus, Deum concurrere ad actiones secundarum caussarum,movendo ipsas caussas secundas, an vero cum aliis sentiamus, Deum concurrere operando immediate in ipsum effectum, modo illud teneamus, concursum Dei esse generalem,et a concursu secundae caussae limitari.Quod exemplo solis facile potest ostendi;quemadmodum enim ad productionem hominis concurrit sol cum homine, sed non ideo qui nascitur est homo, quia producitur a sole, sed quia producitur ab homine; potuisset enim per eundem solis concursum produci bos, aut equus, si talis fuisset caussa secunda: et si forte defectus reperiatur in homine illo recens nato, nemo referet caussam defectus illius in solem, sed in hominem, non tam quia sol sit caussa necessaria, quam quia per solis concursum potuisset homo perfectus procreari, si defectus in caussa proxima nullus fuisset: ita quoque ad actionem voluntatis humanae concurrit Deus cum libero arbitrio, sed quia Deus generali tantum concursu adest, non est talis actio, quia a Deo , sed quia a libero arbitrio producitur: et si forte actio mala est, defectus ad Deum nullo modo pertinet, cum per ejus concursum potuisset contraria actio aeque produci, atque ea, quae producta est

Dicet fortassis aliquis, Qui gladium praebet ei, quem scit illo male usurum, sine dubitatione peccat, etiamsi potuerit ille gladio bene uti, si voluisset: cur igitur non peccat Deus concursum suum illi adjungens, quem scit eo ad peccandum abusu-

rum? Respondeo: Homine qui praebet gladium ei, quem scit male usurum, ideo solum peccare, quia tenebatur impedire malum, quod sciebat eventurum, cum tam facile potuisset: Deum autem non teneri ad mala impedienda, quae certo novit eventura: Tum, quia summus provisor est: Tum, quia potest ex malis elicere bona; Tum, quia aequum est, ut naturas conservet, neque eis deneget auxilium, sine quo operari non possunt; Tum denique quia si Deus omnia mala impedire vellet, plurima bona mundo deessent, cum nihil fere sit in rebus creatis, quo non aliqui abutantur. Quid? quod etiam in rebus humanis non peccat magistratus, si meretricibus certum locum urbis incolendum attribuat, quamvis certo sciat eo loco ipsas non bene usurus. Potest enim permittere minus malum, ut majora impediantur.

Rursus objiciet aliquis, concursus Dei cum voluntate ad actionem unam, differt specie a concursu Dei cum voluntate ad actionem contrariam: non est igitur unus, atque idem concursus, communis atque indifferens. Respondeo: Concursus illos Dei, ut limitatos a voluntate humana, differre specie, ut ipsae actiones differunt; tamen ex se unum et eundem concursum esse communem, atque indifferentem.

Item objicies: Actio humana non solum ut res quaedam, sed etiam ut actio talis in specie, est aliquid, igitur ut talis in specie est a Deo. Respondeo: Actionem humanam plane totam esse a Deo, et ab ipso habere, non solum esse genericum, sed etiam specificum et singulare: caeterum id habere per concursum Dei determinatum ad actionem talem a voluntate humana. Proinde non habere esse specificum ex modo agendi Dei, sed ex modo agendi voluntatis humanae.

Objicies postremo: Si Deus non est caussa peccati, quia concurrit, ut caussa generalis; igitur non erit etiam caussa actionis bonae moraliter, quia ad illam actionem concurrit, ut caussa generalis. Respondeo: Magnum esse discrimen inter bonas et malas actiones. Nam actiones bonae, si sunt supernaturales, fiunt a Deo per auxilium speciale, et habent ab ipso ut sint tales, idest, supernaturales: si vero sint bonae tantum moraliter, sunt quidem a Deo per auxilium generale, tamen duas ob caussas rectissime tribuuntur Deo, etiam ut tales sunt in specie. Primum, quia sunt a Deo intentae, Deus enim ideo nobis dedit liberum arbitrium et auxilium generale, ut iis bene uteremur ad vitam secundum rationem traducendam, quamvis permittat, ut secus etiam, si libuerit, faciamus, ut s. Augustinus docet lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. et 6. Deinde, quia Deus actiones bonas suadet, imperat, laudat, atque ad eas hortatur et invitat: eadem vero ratione non potest actio mala Deo tribui, quia neque eam intendit, neque imperat, sed contra potius vetat, improbat, dissuadet, atque ab ea deterret et avertit. Itaque non solum turpitudo peccati, sed ipsum etiam, quod materiale theologi vocant, si ut tale est in specie consideretur, Deo tribuendum non est, cum Deus (ut diximus) non solum turpitudinem, sed etiam actiones ipsas turpes aversetur, et lego sua prohibeat. Ex his facile erit ad quinque argumenta initio capitis proposita respondere.

Primum argumentum erat, Qui est caussa caussae, est etiam caussa caussati; Deus autem est caussa caussae, idest, actionis, ex qua deformitas peccati exoritur, igitur est caussa ipsius deformitatis. Respondeo: Propositionem illam, Quod est caussa caussae, est etiam caussa caussati, ut plurimum non habere locum in caussa universali, quae adhibet influxum quendam communem et indifferentem ad multa. Nam saepe accidit, ut caussa secunda egrediatur ab ordine primae; vel ut defectus sit in secunda caussa, et non in prima; vel ut defectus oriatur ex re, ut est talis in specie, quod habet a secunda caussa, et non a prima; ac per hoc multis modis fieri potest, ut caussa universalis sit caussa caussae, et tamen non sit caussa caussati.

Hinc s. Thomas in 1. 2. q. 79. art. 1. docet, non recte concludi, Deum esse caussam peccati, quia sit caussa voluntatis humanae, quia peccatum facit. Non enim voluntas humana peccatum facit, quatenus a Deo facta est, sed quatenus declinat ab ordine Dei, et nos supra demonstravimus, deformitatem peccati non posse tribui Deo, tum quia defectus est in sola caussa secunda, tum quia deformitas illa sequitur actionem, ut est talis in specie, quam habet a secunda caussa: qua etiam ratione monstra, quae sunt peccata naturae, non tribuuntur caussis universalibus, sed solum propriis et particularibus.

Alterum argumentum erat: Qui sciens et volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas, vere ac proprie peccat; Deus sciens ac volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas; igitur Deus vere ac proprie peccat. Respondeo: Propositionem esse veram de caussa particulari actionis, non de universali, qualis est Deus. Quoniam caussa universalis est caussa actionis per influxum quendam generalem et indifferentem, ex quo non potest sequi actio deformis nisi caussa secunda abutens influxu illo bono, eum detorqueat ad malum. Itaque Deus sciens et volens caussa est actionis, quae, quod attinet ad influxum ipsius, bona est, et simpliciter bona esset, nisi per influxum secundae caussae corrumperetur.

Tertium argumentum erat: Qui sciens et volens cum aliquo ad actionem malam concurrit, is particeps criminis esse videtur: Deus autem sciens et volens concurrit cum omnibus, qui peccant, ad eorum malas actiones: Deus igitur particeps esse videtur omnium criminum, quae ab hominibus perpetrantur. Respondeo: Propositionem esse veram de iis, qui concurrunt ut caussae particulares, ii siquidem vere concurrunt ad actionem malam. Deus autem, et caeterae caussae universales non concurrunt proprie ad actionem malam, sed ad actionem indifferentem ex se, ut supra satis explicuimus.

Quartum argumentum erat, Deus concurrit ad actiones intrinsece malas, a quibus deformitas nullo modo separari potest, igitur Deus, ut est caussa actionis, ita est caussa deformitatis. Respondeo A.

ctiones intrinsece malas nullas esse, nisi ut sunt determinatae: et tales in specie; nam entitas ipsa odii Dei, si per se consideretur, non est mala, sed solum ut est talis entitas;Deus autem (ut saepe diximus) non est caussa specificans actionem, cum sit caussa universalis,et ex se indifferens ad unam actionem, et ad contrariam.

Quintum argumentum erat: Nulla est ratio, cur homo dicatur peccare, et non Deus, cum eandem actionem uterque sciens et volens faciat. Respondeo: Jam rationem esse allatam, quia videlicet ad actionem illam Deus concurrit ut caussa universalis, homo ut caussa particularis.

LIBER TERTIUS

DE STATU PECCATI

QUI EST DE PECCATO PRIMI HOMINIS

Disputatum est libro superiore, de caussa peccati primi hominis primaria: nunc de ipso peccato disserendum erit. *Ac Primum* de tentatione praevia. *Deinde* de ipsa culpa. *Tum* de poenitentia. *Postremo* de poena et consequentibus malis.

CAPUT PRIMUM

De tentatione, quae peccatum primorum parentum praecessit, quodque primi parentes vere peccaverint.

De tentatione primorum parentum primo quaeri potest, An omnino tentari potuerint primi illi homines ad peccandum. Non enim defuerunt hoc nostro saeculo, in quo nullus cogitari potest tam absurdus error, qui non continuo patronos inveniat, qui asseruerint, primos parentes neque peccasse, neque peccare potuisse, ac ne tentationi quidem, quae ad peccandum indueat, obnoxios ulla ratione fuisse. Nam ut Lutherus refert in comment. 1. cap. Genes. inventi sunt, qui dicerent, praeceptum datum a Deo primis hominibus, ut de ligno scientiae boni et mali non ederent, non fuisse legem, sed admonitionem tantum, qualia sunt praecepta medicorum, cum aliquid noxium prohibent. Quod quidem confirmabant argumento, ex principiis Lutheranis satis apte deducto, quia videlicet lex justo non est posita, sed peccatori, ut Apostolus scribit 1. Timoth. 1. primi autem homines in paradiso degentes justi erant omnium consensu. Et quoniam ubi non est lex, nec praevaricatio esse potest, ut idem Apostolus docet Rom. 4. colligebant, primos homines, cum pomum vetitum gustaverunt, non incidisse, neque incidere potuisse in praevaricationem, ac per hoc nec in peccatum, cum peccatum sit ἀνομία, idest, praevaricatio legis, teste Joanne in 1. epist. cap. 3. Sed hic error adeo crassus et absurdus est, ut vix refutatione indigeat.

Primum enim, praeceptum illud de pomo vetito veram fuisse legem, et primos parentes pomo illo degustato vere graviterque peccasse, testis est poena, quae pomi esum consequuta est. Cur enim de paradiso expulsi, a ligno vitae exclusi, mortis necessitate constricti, atque ad victum cum dolore et labore quaerendum damnati sunt, si nihil peccarunt? Quod si forte respondeant, mortis necessitatem et aerumnas caeteras ex natura pestiferi illius cibi, non ex peccati merito, aut ex sententia justi judicis manasse: occurret Scriptura divina, quae responsionem istam refellat. Eccles. 25. *A muliere initium peccati, et per illam morimur omnes.* Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Vides

igitur, mortem non ex natura ligni scientiae boni et mali, sed ex peccato natam.

Deinde lignum scientiae sine dubio bonum erat, nam *vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*, Genes. 1. Non igitur ex natura ligni illius tanta mala nasci poterant; quibus praesertim obruerentur innocentes.

Adhaec immortalitas primorum hominum in paradiso (ut in lib. de statu innocentiae demonstravimus) non erat homini naturalis, sed ex gratia et amicitia divina pendebat: non igitur eam natura ligni alicujus, sed sola culpa, et aversio ab amicitia et gratia Dei corrumpere poterat.

Quod si forte adversarii Scripturas contemnant, quamvis ad veritatem oppugnandam earum testimoniis abuti voluerint: ex peccatis, quae in praesenti ab hominibus committuntur, eorum error manifesta ratione vincetur. Si quidem ex eo quod ipsi docent, primos homines non peccasse, quia legem non habuerunt, cum essent justi, sequitur, nullos homines peccare, quin etiam fieri non posse, ut illi homines peccent. Nam si peccatum praerequirit legem, cum peccatum sit praevaricatio legis: et lex praerequirit peccatum cum lex justo non ponatur, sed peccatori; ergo peccatum semper praerequirit peccatum, nullum igitur fuit primum peccatum. Et si primum non fuit, unde caetera extiterunt? Quare necesse est, ut vel fuerit lex ante peccatum, et falsa sit adversariorum opinio; vel certe nulla sint, nec fuerint unquam in mundo peccata, qui est error Libertinorum, quorum impudentia (ut diximus libro superiore) non argumentis, sed tormentis et suppliciis tantum coërcenda esset.

Quorsum enim rationibus cum iis agatur, qui rationem ipsam negant et religionem ac rempublicam, omnem fidem, et omnia jura simul evertunt? et sane credibile est, eos, qui Luthero auctore, peccatum primorum hominum negant, de grege esse Libertinorum, quos Lutherus ipse et Calvinus imprudentes genuerunt. Et viderint ipsi qua aequitate oppugnent, quos ex schola sua prodiisse negare non possunt, et quorum argumenta, si sibi ipsi repugnare nolint refutare non quaeunt. Nam certe argumentum illud, lex justo non est posita, primi homines justi erant, igitur lex illis non fuit posita, Lutherus loco citato multum laborat, ut solvat, et multis frustra consumptis verbis vere non solvit. Summa solutionis ejus est, quod Apostolus 1. Timoth. 1. loquatur de lege lata post peccatum, ac de ea vere dixerit, legem justo non esse positam, sed peccatoribus: esse autem aliam legem ante peccatum latam, et eam ad justos pertinere.

At concedet adversarius, Apostolum loqui de lege post peccatum lata, sed argumentum iterum texet hoc modo, Post peccatum lex lata est propter peccatores, et ideo solis peccatoribus, non autem justis posita est; igitur quando nulli erant peccatores, sed justi omnes, ut in statu innocentiae, nulla lex ferenda fuit. Vel certe hoc modo, lex post peccatum ideo ad justos non pertinet, quia justi sunt, nam si peccatores essent, ad eos sine dubio pertineret; Atqui Adam et Eva in paradiso justi erant: Igitur lex ad eos minime pertinebat.

Adde quod distinctio illa de lege ante peccatum, vel post peccatum lata, omnino inanis est. Nam invenimus legem post peccatum latam, quae justis data est; lex enim circumcisionis post peccatum, data est Abrahamo viro justo, et ejus posteritati, ut esset signaculum justitiae fidei, Rom. 4. Invenimus etiam legem ante peccatum latam, quae non minus ad peccatores, quam ad justos pertineat; lex enim, quae naturalis dicitur, ab ipsa hominis creatione coepit, quippe quae in corde omnis hominis ratione utentis scripta est; et ea sine dubio tam justos, quam peccatores obligat. Frustra igitur scribit Lutherus, legem datam post peccatum ad peccatores, legem datam ante peccatum ad justos pertinere. Sed loci Paulini explicationem, Luthero dimisso, a sanctis Patribus, Ambrosio et Augustino sumamus.

S. Ambrosius in expositione psal. 36. tractans versiculum illum: *Lex Dei ejus in corde ipsius*, docet verba Apostoli (Justo non est lex posita, sed injustis et peccatoribus) debere intelligi de renovatione legis, quae fit quando scribitur in tabulis aut libris. Lex enim non ponitur in tabulis propter justos, qui legem servant, et eam in corde fideliter retinent, juxta verba psalmi, lex Dei ejus in corde ipsius; sed propter peccatores, qui legis obliviscuntur, et ita vivunt, ac si legem non haberent. Unde idem Apostolus cum ait, sed injustis, graece posuit, ἀνόμοις, id est, ex legibus, sive legis praevaricatoribus. Ex quo aperte significavit, legem non ideo poni injustis, quia non tenerentur etiam antea lege, sed quia obliti erant legis, nec ideo non poni justis, quia injusti carere debeant lege, sed quia legem in corde se habere per opera bona testantur. Potuit igitur primis hominibus in statu innocentiae dari lex tum naturalis, tum etiam positiva, sed non fuit opus renovatione, aut descriptione in tabulis lapideis. Quod propter iniquos postea factum est, ut peccatum cognosceretur, ut Apostolus disputat Rom. 7.

S. Augustinus lib. de spiritu et litera cap. 10. hunc eundem locum Apostoli ex cap. 1. prioris ad Tim. *Justo non est lex posita, sed injustis*, vult similem esse locis illis ejusdem Apostoli, *Non estis sub lege, sed sub gratia*, Rom. 6. et, *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Galat. 5. quae loca non significant, justos non teneri legibus, vel non peccare, si legem non servent, sed non habere legem supra se, quasi cervicibus imminentem et flagello minantem ac terrentem, ut habent injusti qui timore poenae bonum operantur. Operantur enim justi bonum amore justitiae, ac libenti animo, operaturi etiam si lex non esset, vel poenam nullam minaretur. Quocirca in lege potius sunt, quam sub lege, ut Apostolus de se loquitur 1. Corinth. 9. ubi dicit, se sub lege non esse, et tamen sine lege Dei non esse, sed in lege esse Christi. Si igitur primi homines in paradiso, quamdiu innocentiam conservarunt, sub lege non erant, neque lex eis posita, id est, quasi jugum nolentibus imposita erat: cum tamen sine lege non essent, sed in lege creatoris essent.

CAPUT II.

Cur Deus permiserit tentari hominem, quem sciebat casurum.

Cum satis jam constet, primos homines tentatos, et tentatione devictos fuisse: sequitur alia quaestio, cur Deus tentari eos voluerit, aut permiserit, quos non ignorabat tentatione vincendos.

Noti sunt errores Zwinglii, Calvini et eorum qui Zwingliani et Calviniani potius, quam Christiani et catholici dici voluerunt. Nam (ut in libro superiore docuimus) placuit novatoribus istis, asserere Deum voluisse ac decrevisse, ut primi homines laberentur, et ideo non solum permissione, sed etiam voluntate et ordinatione Dei fuisse tentatos. Porro lapsum primorum parentum voluit Deus, si Zwinglio credimus, quia necessarium erat peccatum, ut justitia ab homine cognosceretur, cum contraria ex contrariis innotescant, vel (si credimus Calvino) quia non poterat Deus aditum patefacere misericordiae et justitiae suae, nisi homo per peccatum miser, et supplicio dignus efficeretur. Sed haec jam refutata sunt libro superiore, et nos magis credimus apostolo Petro dicenti, Deum neminem velle perire 2. Pet. 3, et coapostolo ejus affirmanti, Non esse facienda mala, ut veniant bona, Rom. 3. et sapienti concionanti, Deo non esse necessarios peccatores Eccles. 15.

His igitur dimissis s. Prosper lib. 2. de vita contemplativa, cap. 19. videtur in ea fuisse sententia, ut existimaret, primos homines ante tentationem in superbiam quamdam elatos, occulte peccasse et ideo permissos fuisse tentari in poenam peccati: *Non tentarentur*, inquit, *nisi deserti, nec deserentur, nisi ipsi prius deseruissent Deum, etc.* Quod idem videtur dicere s. Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 30. ubi sic loquitur: *Quando his verbis crederet mulier, nisi inesset menti quaedam de se superba praesumptio, quae per illam tentationem fuerat convincenda et humilianda?* At haec opinio falsa esse convincitur, tum ex scriptura, quae dicit diabolum fuisse homicidam ab initio, Joan. 8. non autem ipse occidisset, si jam antea primi homines per superbiam periissent: tum ex eo, quod occasionem superbiendi primi homines habuerunt ex promissione illa, eritis sicut Dii.

Porro s. Augustinus loco citato, non loquitur absolute de tentatione, sed de tentatione vincente. Quod apertius scripsit lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 5. his verbis: *Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi praecessisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falso praesumpserit disceret.* Itaque superbia illa occulta non fuit caussa, cur Deus permiserit hominem tentari, cum tentatio superbiam praecesserit, sed cur permiserit induci in tentationem, sive a tentatore perduci in apertam inobedientiam. Fortasse etiam verba s. Prosperi eodem modo intelligi possunt, quo s. Augustini verba intelligenda esse diximus. Sed quidquid de hoc sit, illud constat, non fuisse peccatum caussam permissionis tentationis.

Hac igitur opinione rejecta s. Augustinum audiamus, qui Tria quaedam docet: Primo: Nullam fecisse Deum injuriam homini, quod eum a diabolo tentari permiserit, cum eum tantis viribus instruxerit, ut facile potuerit adversarium superare? Secundo: Primariam caussam hujus permissionis Deo soli esse notam: Tertio: Rationes illas probabiliter reddi posse, quia id requirerent, omnipotentia, providentia, misericordia et justitia Dei, pulchritudo universi et ipsa hominis gloria atque utilitas.

Non fecisse Deum injuriam homini, docet Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 27. *Cur non permitteret*, inquit, *ut ab angelo malo primus homo tentaretur, quando quidem sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret?* Et lib. de corrept. et grat. cap. 12. *Ille Adam*, inquit, *et terrente nullo, et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate.* Et infra: *Tales vires habebat ejus voluntas, quae sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantae bonitati et bene vivendi felicitati perseverandi committeretur arbitrium.* Et infra: *Fortissimo* (Adamo videlicet) *dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est, vellent, et hoc deserere invictissime nollent.* Non igitur juste queri potuit Adam, quod a diabolo tentari permissus sit, cum tanta facilitate de hoste suo triumphare potuerit.

Jam vero primariam caussam hujus permissionis soli Deo notam esse, docet idem Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 4. *Si ergo*, inquit, *quaeritur cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentationi consensurum esse praesciebat, altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, et longe supra vires meas esse confiteor.* Et epist. 106. ad Paulinum ad similem quaestionem, cur videlicet Deus eos procreet, quos aeterno igni damnandos praevidet, respondet; *Deum id facere quia vult, cur autem velit, tu quis es*, inquit, *qui respondeas Deo? an non habet potestatem figulus faciendi vasa, alia in honorem, alia in contumeliam.*

Sed quamquam haec ita se habent, tamen probabiles sunt rationes illae, quas paulo ante tetigimus. Ac primum de omnipotentia Dei, quae in hac permissione perspicitur, ita loquitur Augustinus in lib. de corrept. et gratia, cap. 10. *Qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis exoritura esse praescivit, scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere.* Idem docet in enchiridio, cap. 11.

De providentia, idem August. loquitur in lib. 7. de Civit. Dei. cap. 30. *Sic*, inquit, *administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat.* Ideo igitur permisit Deus primos homines labi, quia ad providentiam ejus pertinebat, ut homines libero arbitrio praeditos, sineret pro arbitratu suo resistere, vel cedere tentatori. Quod idem docet in lib. de corrept. et gratia, cap. 10. ubi scribit, Deum sic instituisse

angelorum, hominumque naturam, ut primum in ea ostenderetur, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium, justitiaeque judicium.

De misericordia et justitia loquitur Augustinus loco proxime citato de corrept. et grat. cap. 10. *Deus igitur permisit hominem tentari, quem sciebat esse casurum, quia simul videbatur, eo casu se uti posse ad misericordiam et justitiam declarandam, dum ex damnata massa alios juste puniet, alios misericorditer liberabit.*

De pulchritudine universitatis, quae ex hac permissione consurgit, loquitur idem Augustinus in lib. 3.de libero arbitrio,cap. 9. ubi proposita quaestione. *Cur Deus non fecerit,ut nulla creatura ad miseriam perveniret.* Neque enim id aut omnipotens non potuit, aut bonus invidit. Respondet: Ordinem creaturarum a summa usque ad infimam gradibus justis ita decurrere, ut ille invideat, qui dixerit, ista non esset, invideat etiam ille, qui dixerit, ista talis esset. Si enim quis diceret, lunam aut omnino non fieri, aut certe aequalem soli fieri debuisse, invideret non parum ornatum rerum universitati; sic etiam qui diceret, animas rationales aut creandas non fuisse, aut ita creandas ut numquam peccarent, ita ut nulla esset anima, quae peccando misera fieret, is invideret ornatum aliquem mundo. Siquidem anima illa, quamvis misera, melior est quolibet corpore, et ornat locum, in quo a Deo pro merito suae actionis ponitur.

Quemadmodum, ut idem Augustinus ait, nihil est in domo nobilius homine, nihil abjectius cloaca, et tamen servus in peccato tali deprehensus,ut mundandae cloacae dignus habeatur,ornat eam etiam turpitudine sua, et utrumque horum, id est, turpitudo servi et mundatio cloacae jam conjunctum et redactum in quamdam sui generis unitatem, ita dispositae domui coaptatur, atque subtexitur, ut ejus universitati ordinatissimo decore conveniat. Sed quamvis ex peccato omnipotentia Dei id bonum eliciat, atque inde rerum universitatem exornet: non tamen propterea, aut peccata necessaria fuerunt, aut non potuit Deus angelos, atque homines omnes a peccato et miseria liberare, non enim peccata aut miseria ordinem universitatis exornant, sed angeli aut animae, quae pro merito culpae ordinantur ad poenas: neque Deo deesse poterat ratio exornandi rerum universitatem,si nullus angelus, et nullus homo peccare voluisset, quemadmodum (ut ibidem Augustinus ait) si servus peccare noluisset, non defuisset domesticae disciplinae alia provisio, qua cloacae et loca caetera mundarentur.

Itaque sic fecit ad rerum pulchritudinem,ut Deus permiserit tentari primos homines, quos casuros esse praeviderat, ut tamen alio modo rerum pulchritudini consuli potuerit,si aut homo non fuisset casurus, aut Deus id, quod futurum praeviderat, permittere noluisset,de qua re vide eundem Augustinum lib. 3. de libero arbitrio, cap. 12.

Superest Ultima ratio, quae ab ipsius hominis utilitate sumitur. Primum enim (ut Augustinus scribit lib. 11. de Gen. ad literam, cap. 4.) non videtur magnae laudis fuisse futurum hominem,si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet. Deinde perspiciebat Deus valde utile id futurum ad eruditionem sanctorum; nimirum ut casus primi hominis praeberet futuris sanctis contra cupiditatem dubitationis exemplum, et inculeret contra superbiam timorem pium (ut ait s. Augustinus in eodem libro cap. 6.). Adhaec permisit Deus tentationem et casum primi hominis, quia praescius erat,quod ab ejus semine adjuto sua gratia, ipse diabolus fuerat sanctorum gloria majore vincendus, ut idem loquitur Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 27. Denique addere possumus, occasione peccati primorum hominum Christum nobis donatum, per quem majora Dei munera suscepimus, quam ea fuerint, quae per Adamum amisimus. Nam (ut Apostolus testatur Rom. 5.) *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.*Et: *non sicut delictum, ita et donum. Validius*, inquit s. Leo serm. 12. de passione Domini, *donum factum est libertatis, quam debitum servitutis* Et, ut idem ait in serm. 3. de pentecoste:*Si homo diabolica fraude deceptus, a lege sibi posita,per concupiscentiam non deviasset, creator mundi creatura non fieret.* Quod etiam docet s. Augustinus serm. 9.de verbis Apostoli, cum ait: *Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.*Itaque Ecclesia cum exultatione et gratiarum actione in vigiliis paschalibus canit, O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem.

CAPUT III.

De serpente, qui Evam seduxit,quod verus et naturalis fuerit serpens,quodque per eum diabolus sit loquutus.

Sequitur ut de primorum hominum tentatore pauca dicamus, praesertim cum et hanc doctrinae partem haeretici varie depravarint.

Antiquissima haeresis a graeca voce ὄφις, quae serpentem significat, Ophitarum fuit, cujus meminerunt, Irenaeus lib. 1. de haeresibus cap. 34. Tertullianus in lib.de praescriptione adversus haereticos cap. 47. Clemens alexandrinus lib. 7. stromatum,Epiphanius haeresi 27. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, Augustinus in lib. de haeresib. cap. 17. Philastrius, Theodoretus, Damascenus et alii, qui de haeresibus scribunt. Hi docebant, sapientiam Dei serpentem illum esse, qui primorum hominum oculos aperuit, ut bonum malumque dignoscerent. Idque fecisse in odium creatoris, cui ipsa contraria esset.

Eundem errorem postea docuit etiam Manichaeus Augustino teste in lib. de haeresibus, cap. 46., qui serpentem illum Christum esse volebat. Origenes etiam more suo ad allegoriam omnia,quae absurda illi videbantur, transferens, per serpentem delectationem intelligi voluit. Primo enim delectatio sensum quasi Evam, titillat et seducit. Deinde sensus mentem, hoc est, Adamum ad consentiendum et peccandum inflectit. Vide Ambrosium li-

bro de paradiso cap. 2. ubi hanc sententiam, tacito nomine Origenis refert.Nec defuerunt (teste Procopio in commentario tertii capitis Geneseos) qui asseruerunt diabolum induisse corpus phantasticum ad similitudinem serpentis. Julianus denique (ut est apud Cyrillum lib. 3. in Julianum) narrationem Moysis de serpente fabulosam, omnino fuisse contendit, eo praesertim nomine, quod serpens humana voce loquutus fuisse perhibeatur.

Caeterum verum illum, et naturalem serpentem fuisse,sed per eum diabolum esse loquutum,tam ex literis sacris perspicuum est, ut vix ulla probatione opus esse videatur. Nam quae dicuntur cap. 3. Gen. de poena serpentis, quod maledictus sit super omnia animantia et bestias terrae, quod super pectus suum gradiatur, quod terram comedat,quod inimicitia perpetua sit inter filios Evae et serpentes, apertissime in verum et naturalem serpentem quadrat, ut notum est; in sapientia Dei,vel delectationem nulla ratione conveniunt. Quocirca summo consensu sancti Patres docent, verum illum fuisse serpentem,ut Chrysostomus homil. 16. in Gen.Basilius in oratione quod Deus non sit auctor malorum, Epiphanius in haeresi Ophitarum,Augustinus lib. 11. de Genes. cap. 2. et alii.

Non autem ipsum per se mutum serpentem, sed diabolum per eum esse loquutum, testatur liber Sap. cap.2. his verbis:*Deus creavit hominem inexterminabilem,et ad imaginem similitudinis suae fecit illum; invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Testatur etiam Christus Joan. 8. cum ait: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Homicida enim ab initio non aliter fuit, nisi quia primos homines, ut loquitur s. Leo, veneno suae mortificavit invidiae. Testatur quoque s. Joannes in Apocalypsi cap. 20.ubi non alia de caussa diabolum vocat *serpentem antiquum*,nisi qua diabolus initio serpentem induit. Testantur denique omnes Patres, tum ii,qui librum Geneseos interpretantur,vel quaestiones in eum scripserunt, ut Hieronymus, Theodoretus, Eucherius, Beda, Rupertus, Chrysostomus et Augustinus,tum etiam Cyprianus in sermone de zelo et livore, Basilius in oratione, quod Deus non sit auctor malorum, Ambrosius in libro de paradiso, Cyrillus lib. 3. in Julianum, et alii passim.

Quod vero Julianus serpentem loqui potuisse, fabulosum putat,recte reprehendit Cyrillus loco notato, cum apud ethnicos, quorum opiniones Julianus sequi se fatebatur, et equi et fluvii aliquando loquuti esse credantur: caeterum apud Christianos non existimantur animantia bruta per se loqui posse, sed posse tamen spiritus angelicos sive bonos sive malos id per ora bestiarum facile praestare. Non enim serpens dumtaxat spiritu diaboli plenus loquutus est, sed etiam asina Balaam,bono angelo eam movente, hominis voce loquens prohibuit prophetae insipientiam, ut loquitur sanctus Petrus in epistola posteriore cap. 2. et nota est historia ex cap. 22. Num.

Una superest dubitatio, An diabolus sponte sua serpentem elegerit, per quem Evam seducere conaretur, an aliam bestiam non sit a Deo permissus assumere, quam serpentem. S. Joannes chrysostomus homil. 16. in Genesim, scribit diabolum de industria serpentem elegisse, quod is aptissimus videretur ob naturalem suam calliditatem ad insidias mulieri faciendas.

Sed probabilior videtur sententia sancti Augustini lib. 11. de Gen. cap. 3. qui docet, Satanam non fuisse permissum alio instrumento uti, quam serpentis ore.Cum enim mens diaboli eo tenderet, ut seduceret,facilius sperare potuit se consequuturum quod quaerebat, si insidias tegeret, quam si aperiret. Tegeret autem si columbam aut ovem assumeret, quae sunt animalia naturae simplicis et innocentis. Sed voluit Deus, ut si diabolus hominem tentare vellet, id non faceret nisi per serpentem, ut sicut diabolo permittebat tentare, ita hominem admoneret etiam ex ipsa forma serpentis, quem callidum animal esse non ignorabat, ut caveret insidias.Quod vero s.Chrysostomus dicit,diabolum quaesivisse idoneum animal ad insidias faciendas,locum haberet,si ea calliditate, quae naturaliter in serpente inest, Eva decipi potuisset, sed cum non serpentis muti, sed diaboli ipsius astutia necessaria fuerit ad hominem seducendum, aeque potuit diabolus per serpentem ac per columbam, et (ut diximus) occultiore consilio, ac majori fraude per columbam negotium seductionis peragere.

CAPUT IV.

Primum peccatum parentum primorum fuisse superbiam.

Disseruimus de tentatione, nunc de ipso peccato disserendum est, ac prima se offert illa quaestio, quodnam fuerit primorum hominum primum et principale peccatum.

Non defuerunt ex veteribus, qui sentirent, in eo peccasse primos homines, quod anteverterint usum ligni scientiae boni et mali, ut s. Augustinus refert lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 41. quorum sententia, si mystice accipiatur, fortasse non improbanda erit. Fieri enim potest, ut per lignum scientiae contemplationem aliquam significatam esse velint, quae solis beatis congruat, ac per hoc non ante tempus debitum appetendam: sic enim interpretatur arborem scientiae s.Gregorius nazianzenus orationes de natali Domini, et orat.2. de pascha.

Sed certe ad literam ea sententia vera esse non potest.Neque enim Deus ad tempus esum ligni scientiae prohibuit, sed in perpetuum, cum ait: *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Minus etiam probabilis eorum sententia est,qui teste Augustino in eodem loco, dicebant primum peccatum Adami atque Evae fuisse intemperantiam, quod videlicet ante legitimum tempus usum conjugii arripuissent, et nuptias suas quodammodo furati essent. Satis enim ex historia sacra constat, Adamum cognovisse uxorem suam, posteaquam propter peccatum ex paradiso exactus fuisset, ut intel-

gi potest ex cap. 4. Gen. Deinde non potuit primum peccatum esse intemperantia carnis,cum nulla esset, neque esse posset in statu innocentiae concupiscentia carnalis rectae rationi repugnans, nisi prius ipsa ratio Deo repugnare coepisset, ut in libro de statu innocentiae demonstravimus. Adde, quod etiamsi continuo post creationem suam primi homines, liberis operam dare voluissent, nulla erat lex, qua prohiberentur id facere. Nam neque infantes aut pueri , sed viribus et statura perfecti creati fuerant, ut aetas matura expectanda non esset: et jam audierant, *Crescite et multiplicamini*, et Adamus divinitus edoctus pronunciaverat, *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Et, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.*

Sunt aliae duae sententiae, quae sanctos Patres habent auctores. Sanctus enim Ambrosius in libro de paradiso cap. 12. scribit, peccasse Evam, quod addiderit aliquid ad verba Domini. Nam cum Deus prohibuisset, ne vescerentur de fructu ligni scientiae boni et mali, alioqui futurum ut morerentur: illa retulit, prohibitum sibi fuisse, ne vescerentur de ligno scientiae, neque illud tangerent, ne forte morerentur. Ubi addidit vetitum fuisse contactum ligni,et absolutam mortis interminationem revocavit in dubium per vocem illam (forte) s.Joannes chrysostomus hom.16. in Genesim scribit, initium peccati fuisse,quod Eva cum diabolo colloqui coeperit.

Caeterum sancti isti Patres, non videntur accurate de peccato primae parentis disserere voluisse, sed obiter, ex eo quod accideràt occasionem accipere admonendi populum, tum ut fideliter et religiose verba Dei recitarent, tum ut diligenter et studiose malorum colloquia praecaverent. Et quamvis illa additio ad verbum Dei, et colloquium cum diabolo aliquo modo peccata dici possint,quia fuerunt occasiones peccati, quod postea commissum est: proprie tamen peccata non fuerunt. Nam Eva non mutavit sententiam Domini, quamvis non totidem verbis illam expresserit, ac Deus illam initio pronunciaverat. Neque sciebat diabolum esse, qui secum per serpentem loquebatur. Et praeterea satis instructa erat, ac munita gratiae divinae praesidio, ut posset tuto cum ipso etiam diabolo aperte colloqui, si tentationi ejus resistere voluisset.

His igitur opinionibus dimissis, in quarum refutatione cum haereticis nostri temporis convenimus; videamus, quae inter nos et illos controversia supersit. Martinus Lutherus in commentario 3. cap. Gen. contendit,primum peccatum primorum parentum fuisse infidelitatem, quod videlicet non crediderint se morituros, si fructum illum degustassent. Id Lutherus probat, tum ex verbis Scripturae, tum ex ratione. Nam Scriptura Genes. 3. refert,serpentem hoc potissimum persuadere conatum esse mulieri, ut crederet se non morituram : et mulierem non prius ausam respicere poma illius arboris, ac multo minus decerpere, quam audisset Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quia quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum. Ratio autem id suadet, ut sicut initium et radix justitiae est fides , ita radix et initium peccati sit infidelitas.

Eadem est sententia Joannis Calvini, qui lib. 2. Institut. cap. 1. § 4. ita breviter explicat sententiam suam: *Infidelitas radix defectionis fuit.Hinc autem emersit ambitio et superbia, quibus annexa est ingratitudo.* Et infra: *Infidelitas ambitioni januam aperuit: ambitio vero contumaciae fuit mater.*Et rationem hanc reddit:quia numquam repugnare Dei imperio ausus fuisset Adam, nisi ejus verbo incredulus.

At sententia theologorum catholicorum communis est, primum peccatum Evae fuisse superbiam. Vide s. Thomam in 2. 2. quaest. 163. et theologos caeteros in 2.sent. dist. 21. et 22. De Adamo s.Bonaventura et Scotus loco citato existimant, primum ejus peccatum fuisse inordinatum amorem erga conjugem, amorem autem non carnalis concupiscentiae, sed humanae amicitiae.Sanctus vero Thomas loco notato, utriusque parentis primum peccatum docet fuisse superbiam, quae sententia omnino recipienda est.Nam et cum divinis literis et cum testimoniis Patrum, et cum ipsa ratione maxime congruit.

Incipiamus a Scripturis, Eccles. 10. *Initium superbiae hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit eum, recessit cor ejus.* Et rursum: *Initium*, inquit, *omnis peccati superbia.* Quo loco duobus argumentis sapiens ostendit, superbiam esse vitium maxime detestabile.Primum:Quia principium superbiae humanae, idest, primus actus superbiae hominis, apparuit in illa defectione primi hominis, qui a Deo,qui eum recens creaverat,sponte recessit, nolens subjici ejus imperio. Deinde: Quia illa primi hominis superbia fuit initium omnis peccati; sive omnium peccatorum,quae ab hominibus commissa sunt,et quotidie committuntur.Quod idem confirmat Tobias illis verbis, quae habentur cap. 4. *Superbiam numquam in tuo sensu , aut in tuo verbo dominari permittas. In illa enim initium sumpsit omnis perditio.* Quamvis enim haec loca referri possent ad peccatum angeli,quod fuit absolute omnium primum ; tamen credibilius est Ecclesiasticum, et Tobiam respexisse ad primum peccatum primorum hominum , quod notius erat vulgo, quam peccatum angeli.

Adhaec b. Paulus cap. 5. epist. ad Rom. *Sicut*, inquit, *per inobediendiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius hominis , justi constituentur multi.* Quo loco Apostolus loquitur de peccato Adami potius, quam Evae, siquidem *in Adamo omnes moriuntur.* 1. Corinth. 15.*Et per unum hominem peccatum in mundum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5. Et loquitur de primo peccato,non de caeteris, quae post primum commisit; nam per primum peccatum amisit gratiam Dei , et originalem justitiam, cujus privatio est in ejus posteris originale peccatum. Porro actus primus superbiae est, nolle subjici imperio et praeceptis alterius , quae proprie dicitur inobedientia: sicut è contrario humilitatis est, subjici imperio et praeceptis aliorum, quae proprie dicitur obedientia. Hinc legimus Eccles. 10. *Initium superbiae hominis apostatare a Deo.* Quod non ita accipiendum est, quasi apostasia sit prior quam superbia,sed significat Ecclesia-

sticus, primam partem, sive primum superbiae actum fuisse nolle parere Deo, ut s. Thomas recte exponit in 2. 2. quaest. 162. art. 7. ad 2. hinc etiam Hierem. 2. dicitur homini: *A saeculo confregisti jugum meum, rupisti vincula, dixisti, Non serviam.*

Sanctus etiam Augustinus pro eodem habet superbiam et inobedientiam, humilitatem et obedientiam, lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13. *Bonum est,* inquit, *sursum habere cor, non tamen ad se ipsum, quod est superbiae, sed ad Dominum, quod est obedientiae, quae nisi humilium esse non potest.* Et in eodem loco; *Melius esse possent Dii summo veroque principio cohaerendo per obedientiam, quam suum sibi existendo per superbiam.* Quo loco opponit Augustinus tamquam contraria, obedientiam et superbiam, quia videlicet inobedientia est quaedam superbia et obedientia quaedam humilitas. Et lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 14. *Nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi ruinae pondere, super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo praeponat. Hoc expertus est homo contemnens praeceptum Dei, et hoc experimento didicit, quid interest inter bonum et malum, bonum scilicet obedientiae, malum autem inobedientiae, idest, superbiae et contumaciae.* Apostolus igitur consideravit, peccatum primi hominis coepisse ab occulta inobedientia, qua in superbiam elatus, non imperio Dei subjici, sed in sua potestate esse dilexit, et inde erupisse in apertam inobedientiam; qua fructum vetitum gustare praesumpsit; et ideo proprie et aptissime dixit, per unius inobedientiam multos peccatores esse constitutos.

Quod si primum peccatum hominum primorum fuisset infidelitas, aut amor conjugis, non vere, aut certe non proprie s. Paulus illud peccatum inobedientiam appellasset. Neque enim infidelitas vel amor conjugis nimius, inobedientia proprie dici potest: superbia vero quamvis ex se latius pateat quam inobedientia, et non omnis superbia inobedientia sit, omnis tamen inobedientia formaliter sumpta, superbia est, ac per hoc superbia, qua quis contemnit praeceptum, nec parere vult legi superioris, proprie contumacia, sive inobedientia dici potest. Quemadmodum etiam humilitas, quae reddit hominem subjectum superiori, quoad omnia, latius patet, quam obedientia, quae reddit hominem subjectum superiori, quatenus aliquid praecipit: tamen quaedam humilitas, ea videlicet, quae hominem praecepto superioris subjicit, simul et humilitas et obedientia dicitur. Atque haec de testimoniis Scripturarum.

Probemus nunc testimoniis Patrum, primum peccatum parentum primorum, non infidelitatem, neque aliquid aliud, sed superbiam fuisse. S. Basilius in oratione quod Deus non sit auctor malorum: *Quamobrem,* inquit, *dolis hominem aggressus, eadem ambitionis cupiditate, quam ipse ab initio habuit, velle similem esse Deo, hoc rursus ad decipiendos nos usus, lignum ostendit, per cujus degustationem pollicitus est hominem similem fore Deo.*

S. Joannes chrysostomus homil. 16. in Gen. *Igitur,* inquit, *ut divinitatem mente sua imaginata est, ad esum properavit.*

S. Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 13. loquens de primo peccato: *Denique,* inquit, *a peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi.* Sed clarius lib. 11. cap. 30. *Quando,* inquit, *his verbis crederet mulier a bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriae potestatis, et quaedam de se superba praesumptio, quae per illam tentationem fuerat convincenda et humilianda?* His verbis apertissime s. Augustinus refellit sententiam, quam Lutherus et Calvinus tuentur. Illi enim volunt ex infidelitate superbiam natam esse, contra autem s. Augustinus disputat, non potuisse infidelitatem in animo primae parentis locum invenire, nisi in eo superbia praecessisset.

Idem Augustinus in enchir. cap. 45, enumerans actus malos, et quasi partes peccati primi hominis, primo loco ponit superbiam: *Superbia,* inquit, *est illic, qua homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit.* Item in lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13. de utroque primo parente loquens: *In occulto,* inquit, *mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur nisi praecessisset mala voluntas. Porro malae voluntatis initium, quid potuit esse nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia.* Et infra: *Manifesto ergo, apertoque peccato, ubi factum est, quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non coepisset, nisi jam ille sibi placere coepisset. Hic enim delectavit quod dictum est: Eritis sicut Dii, quod melius esse possent summo veroque principio cohaerendo per obedientiam, quam suum sibi existendo principium per superbiam.*

S. Leo serm. 5. de nativitate Domini: *Quid,* inquit, *sanandis aegris, illuminandis caecis, vivificandis mortuis aptius fuit, quam ut superbiae vulnera humilitatis remediis curarentur?* Ubi vocat superbiae vulnera, mala inflicta humano generi ex peccato Adami. Item in eodem loco: *Illi* (Adamo) *per elationem lapso dictum est, terra es, et in terram ibis. Huic per humilitatem exaltato dictum est, sede a dextris meis, etc.*

S. Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. 19. *Et mihi quidem,* inquit, *videtur quod non ederent de ligno prohibito, nisi concupissent; nec concupissent, nisi tentati; nec tentarentur, nisi deserti; nec desererentur a Deo, nisi ipsi prius desererent Deum; nec desererent Deum, nisi superbirent, et similitudinem Dei miserabiliter appetissent.*

S. Fulgentius in lib. 2. de incarnatione et gratia Christi, cap. 22. *Quia primus homo in superbiam est diabolica persuasione dejectus, perdidit humilitatem.*

S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 9. *Duas,* inquit, *ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet et humanam; utramque vero superbia perculit, atque ab statu ingenitae rectitudinis*

fregit. Eucherius lib. 2. in Gen. et alii non pauci diem docent.

Accedat Postremo etiam ratio, nam inter actus malos priores fuerunt interiores, quam exteriores, tam circa objectum intelligibile, quam circa sensibile. Cum enim pars inferior subjecta esset superiori, nec ab ea deficere posset, donec ipsa non deficeret a Deo; non potuit concupiscentia sensibilis alicujus boni in animo praevalere, nisi prius ipse animus a Deo aversus ad infima corruisset. Quare fieri non potest, ut amor erga uxorem immoderatus, primum peccatum Adami fuerit: nec solum de amore carnalis concupiscentiae loquor, sed etiam de amore illo socialis benevolentiae, quem Bonaventura et Scotus primum peccatum statuunt. Nam et ille amor rei sensibilis erat, videlicet consortii humani et socialis vitae, quam amittere Adamus nolens, maluit legem Dei transgredi, quam vitae sociam contristare.

Porro inter actus interiores, et circa bonum intelligibile prior est actus circa finem, quam circa media, siquidem media appetuntur propter finem, non contra. Finis autem hominis in malis est excellentia propria, quae superbiae est objectum. Non igitur infidelitas, aut aliquid aliud, sed superbia primum peccatum utriusque primi parentis fuit.

Praeterea (ut sententiam Lutheri et Calvini proprie refellamus) non potuit mens primorum parentum divino lumine illustrata, in errorem induci, nisi antea per aversionem a Deo lumine illo destituta fuisset, ut Augustinus ratiocinatur lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13. Quemadmodum nemo potest credere solem non lucere, dum solem ipsum respicit: ergo infidelitatem primorum parentum aversio a Deo, et peccatum praecessit; non igitur infidelitas primum peccatum fuit.

Adhaec mater infidelitatis est superbia, ut idem Augustinus docet in lib. de pastoribus cap. 8. igitur superbia infidelitatem praecessit, non e contrario, nisi filiam matre antiquiorem faciamus.

Denique prior in peccatis est conversio ad bonum creatum, quam aversio a bono increato: neque enim aversio per se appetibilis est, cum non sit, bona et solum bonum sit objectum voluntatis. Itaque quia convertimur ad bonum creatum, sequitur, ut avertamur ab increato, non autem primo, et per se avarsio ipsa a voluntate eligitur: At non velle Deo credere, qui est actus infidelitatis, est aversio quaedam a Deo, igitur infidelitas non est primus actus malus, sed alium aliquem priorem, quo ad bonum creatum convertimur, sequitur. Quare Scripturae divinae non uno in loco testantur, mala opera praecedentia esse caussam consequentis infidelitatis 1. Timoth. 1. *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Et 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, erraverunt a fide.*

CAPUT V.

Solvuntur objectiones, et explicatur, quae fuerit superbia primorum hominum.

Superest objectiones aliquas solvere, quae contra ea, quae capite superiore docuimus, adferri solent.

Prima objectio Lutheri. Satanae tentatio eo tendebat, ut primum crederet Eva non esse verum, quod Deus dixerat, morituros videlicet, qui fructum ligni vetiti gustarent, deinde fructum illum gustando legem Dei praevaricaretur, succubuit autem Eva tentationi, igitur primum peccavit non credendo, deinde fructus vetitum degustando. Responsio. Satanas non solum ad infidelitatem et inobedientiam, sed etiam ab superbiam adducere conabatur Evam. Nam ideo dixit, scit enim Deus, quia quacumque die comederitis aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii scientes bonum et malum. Quare mulier in eo primum a tentatore seducta et devicta est, quod in superbiam elata affectavit esse sicut Deus, sciens bonum et malum; deinde per superbiam excaecata credidit diabolo et non credidit Deo, et in apertam inobedientiam lapsa est.

Secunda objectio Lutheri et Calvini, Fides est radix et origo justitiae, ergo infidelitas radix et origo injustitiae. Respondeo. Ex antecedente ab adversariis posito, sequitur oppositum consequentis. Quia enim fides est origo justitiae, sequitur infidelitatem non esse originem, sed finem injustitiae. Nam quod est primum in generatione, est ultimum in resolutione. Fundamentum est principium aedificationis, sed eversio fundamenti non est principium, sed finis destructionis. Qui enim aedificat a fundamento incipit, in recto desinit: qui destruit incipit a tecto, desinit in fundamento. Et in animantibus cor primum incipit vivere. Quare numquam in Scripturis dicitur, radix omnium malorum est infidelitas, sicut dicitur, radix omnium malorum est cupiditas, idest amor sui, sive propriae excellentiae, quae est superbia. Neque legimus usquam, initium omnis peccati infidelitas, sicut legimus, initium omnis peccati superbia.

Tertia objectio Calvini, Numquam repugnare imperio Dei ausus fuisset Adam, nisi ejus verbo incredulus. Respondeo: Adam, non fuisset ausus imperio Dei manifesto et expresso, quo lignum scientiae vetabatur, rupugnare, nisi verbo ejus incredulus: sed nec fuisset verbo ejus incredulus: sed nec fuisset verbo Dei incredulus, nisi per elationem a Deo aversus divina luce destitutus, tenebrescere coepisset, ut sanctus Augustinus de Eva scribit, lib. 11. de Genes. cap. 30. et lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13. atque hinc explicari potest alius locus ejusdem s. Augustini ex lib. 14. de Civit. Dei, cap. 17. ubi videtur primum peccatum primorum hominum constituere in infidelitate cum dicit: *Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes et obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas et inobedientia quid nocerent.* Solum enim ex hoc loco probatur fuisse in peccato primorum hominum infidelitatem et inobedientiam, apertam videlicet, quam commiserunt dum lignum vetitum degustarunt: sed non probatur non praecessisse superbiam et inobedientiam occultam, de qua idem Augustinus loquitur loco citato, in eodem lib. cap. 13.

Quarta objectio est Bonaventurae et Scoti qui adferunt testimonium s. Augustini ex lib. 11. de Ge-

nesi ad literam, cap. 42. et ex lib. 14. de Civitate Dei, cap. 11. ubi s. Augustinus scribit Adamum incidisse in peccatum inobedientiae ex amore immoderato ergo conjugem, ac per hoc primum peccatum Adami fuisse amorem illum uxoris, non autem superbiam. Ac ne forte respondeatur, amorem nimium erga conjugem fuisse priorem inobedientia manifesta, non autem inobedientia, vel superbia occulta, notandus est locus adductus ex lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 42. ubi Augustinus scribit, Adamum fuisse in statu innocentiae, quando uxorem immoderate amare coepit, sic enim loquitur: *Adam noluit Evam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia; non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suae, sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.* Et confirmari potest hoc argumentum ex cap. 3. Genes. ubi Deus enumerans peccata Adami, primum ponit, quod audierit vocem uxoris suae, secundum quod comederit de ligno vetito.

Respondeo: Sanctus Augustinus vult quidem amorem inordinatum erga uxorem fuisse priorem in Adamo, quam esset aperta inobedientia, ut loca citata demonstrant, tamen non vult priorem fuisse, quam superbiam occultam. Nam lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13. contrarium in his verbis docet: *Spontaneus est autem iste defectus; quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, et accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc tenebresceret et frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris praeponeret voluntatem etc.*

Primo igitur secundum Augustinum fuit superbia occulta in animo Adami, deinde vitium inordinati amoris erga uxorem, postremo aperta mandati divini transgressio. Neque in lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 42. dicit s. Augustinus Adamum fuisse in statu innocentiae, quando immoderate uxorem amare coepit, sed dicit, nondum sensisse concupiscentiam carnis repugnantis legi mentis. Potuit enim fieri, ut amissa innocentia originalique justitia, non continuo extiterit in carne motus ille pudendus, quamvis continuo existere potuerit. Nam etiam hoc tempore, quo justitia originali caremus, non semper patimur carnis rebellionem, et Eva non solum per superbiam interiorem, sed etiam per exteriorem inobedientiam lapsa fuerat in peccatum, et tamen non continuo sensit carnis rebellionem, alioqui nuditatem suam agnovisset et erubuisset antequam virum suum ad peccandum induceret.

Quinta objectio, quae Scoti est. Homo prius cognoscit alia, quam se, ergo prius amat amore amicitiae alios, quam se, ac per hoc prius fuit in Adamo inordinatus amor uxoris, quam propriae excellentiae.

Respondeo: Haec objectio in multis peccat. Primum enim cum Adam habuerit scientiam infusam a Deo, potuit prius cognoscere se, quam alia. Deinde, quidquid sit de aliis rebus, certe prius cognovit se, quam uxorem, cum aliquanto tempore vixerit, antequam uxor ejus existeret. Praeterea non est necessarium, ut quod prius cognoscitur, prius ametur, cum possit aliquid cognosci, et non amari: denique mulieris primum peccatum fuit amor proprius, ut Scotus fatetur, cur igitur non potuit etiam primum peccatum viri esse amor proprius?

Sexta objectio: Si per superbiam primi hominis initio lapsi essent, id perfecto accidisset, quia cupierunt fieri sicut Dii, ut Satan illis promittebat. Quaero igitur, an crediderint se posse fieri sicut Deos, an vero non crediderint: nam si crediderunt, certe in errorem, atque adeo in infidelitatem, prius quam in elationem et superbiam lapsi sunt: si non crediderunt, non apparet quemadmodum appetere potuerint, fieri sicut Dii. Neque enim id appeti potest, quod non posse fieri creditur.

Respondeo: S. Augustinus in explicat. psalm. 68. tractans illa verba: *Quae non rapui tunc exolvebam*, scribit, primos homines rapere voluisse divinitatem et perdidisse felicitatem. Quod non ita accipiendum est, quasi voluerint mutare naturam, et ex hominibus Dii per essentiam fieri. Nam idem ipse Augustinus in plurimis locis explicat, superbiam primorum hominum in eo sitam fuisse, quod optaverint fieri Dii per imitationem et similitudinem, ut sicut Deus scit bonum et malum nec eget aliquo rectore et gubernatore, nec alicujus potestati subditus est; ita ipsi scirent bonum et malum, nec Dei providentia indigerent, neque illius imperio et potestati subessent. Lib. 2. de Genesi contra Manichaeos, cap. 15. *Videmus*, inquit, *his verbis per superbiam peccatum esse persuasum. Ad hoc enim valet, quod dictum est, Eritis sicut Dei. Quid hic intelligitur, nisi persuasum esse, ut sub Deo esse nollent, sed in sua potestate potius sine domino, ut legem ejus non observarent, quasi invidentes sibi ne se ipsi regerent, non indigentes illius interno lumine, sed utentes propria providentia, quasi oculis suis ad dignoscendum bonum et malum, quod ille prohibuisset. Hoc est ergo, quod persuasum est, ut suam potestatem nimis amarent etc.* Tractat. 4. in epist. Joan. *Contempsit Adam in paradiso positus praeceptum Dei, et erexit cervicem, veluti in potestate sua esse cupiens, et nolens subdi potestati Dei.* Idem docet in enchirid. cap. 14. lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 13. et lib. 11. cap. 30. et lib. 14. de Civitat. Dei, cap. 13. quae loca capite superiore citavimus.

Porro initium hujus superbiae potuit esse, ac fuit in homine sine ullo praecedente errore per solam incogitantiam, sive inconsiderationem. Non enim coeperit superbia hominum ab illo actu, Nolo esse sub Dei potestate, sed post audita verba diaboli, Eritis sicut Dii scientes bonum et malum (quae verba mulier ab ipso diabolo, vir a muliere audivit, sicut e contrario, praeceptum Dei vir ab ipso Deo, mulier a viro audierat, teste Augustino lib. 11. de Genesi cap. 34) volvere coeperunt intra se, pulchrum esse non pendere ab alio, et simul coeperunt delectari propria potestate eamque

appetere ac vehementer placere sibi; et occupati ejusmodi cogitatione, delectatione ac desiderio, non erexerunt animum ad Deum, neque cogitaverunt, id neque fieri posse, neque sibi expedire, atque ita paulatim ad se magis ac magis conversi, et a Deo aversi caecutire coeperunt, et fidem habere verbis Satanae et Dei praeceptum, minasque contemnere. Sic enim (ut docet Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 28.) gradatim pergitur in via iniquitatis ab amore sui usque ad contemptum Dei, quemadmodum in via justitiae ab amore Dei, usque ad contemptum sui. Itaque simile videtur fuisse peccatum primum hominum primorum ei peccato, quod a theologis dicitur delectatio morosa. Neque enim qui circa pecunias, aut dignitates, aut voluptates delectationem morosam habent, statuunt furtis, ambitioni, aut fornicationi operam dare, neque cogitant, fieri ne possit an non, quod animo volvunt, sed solum ea cogitatione delectantur, ac si res ipsa praesto esset, et peccatum non imaginatione, sed opere patraretur.

CAPUT VI.

Primos parentes amisisse fidem et quae fuerit eorum infidelitas.

Disseruimus de superbia primorum hominum, quam ostendimus fuisse principium primi peccati et simul explicuimus quaenam superbia fuerit. Nunc de infidelitate eorundem breviter disserendum erit, et simul explicandum, in quo erraverint. Nam etiamsi contendimus, primum peccatum primorum hominum non fuisse infidelitatem, non tamen negamus, eos post superbiae peccatum incidisse in infidelitatem, quae est communis Patrum sententia.

Tertullianus in 2. lib. adversus Marcionem cap. 2. *Quis*, inquit, *dubitabit, ipsum illud Adae delictum haeresim pronunciare; quod per electionem suae potius, quam divinae sententiae admisit?* Ambrosius in epist. 33. lib. 5. ad Marcellinam sororem scribens, inducit Deum ita loquentem ad Adamum: *Agnoscis esse te nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Augustinus in enchirid. cap. 45. enumerans partes primi peccati, primo loco ponit superbiam, secundo infidelitatem: *Sacrilegium*, inquit, *illic est, quia Deo non credidit.* Item lib. 14. de Civit. Dei, cap. 17. *Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes et obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas et inobedientia quid nocerent.* Denique lib. 1. adversus Julianum cap. 3. citat Augustinus in eandem sententiam Olympium episcopum hispanum.

Prosper in responsione ad capitula Genuensium, dubio 3. *Quid est*, inquit, *quod eidem naturae solam fidem vult esse praereptam, quam nisi primam* (Adam) *amisisset, caeteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo non credidit Deo.* Et infra: *Quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem spiritus, qui omnia in omnibus operatur infunderet?* Idem in libro contra Collatorem, cap. 19. *Perdidit*, inquit, *Adam fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem.* Et cap. 21. *Justitiam iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem.*

S. Leo serm. 4. de nativitate Domini: *Homo primus*, inquit, *invido et deceptori temere, atque infeliciter credidit.* S. Fulgentius lib. 2. de incarnatione et gratia Christi c. 22. *Primus*, inquit, *homo perdidit fidem, perdens autem fidem, perdidit divinam protectionem, scriptum est enim, qui non credit Deo, non protegetur ab eo.*

Sed merito quaeri potest, quid illud sit, quod primi homines Deo non crediderint. Ac de foemina quidem duae sunt opiniones, quidam enim existimant, eam non credidisse, mortem subsequuturam, si fructum arboris vetitae degustaret, quin potius credidisse, Deum esse mentitum, et ex invidentia prohibuisse fructum illum optimum et utilissimum. Et in hunc sensum exponunt verba illa: *Cur praecepit vobis Deus etc.* Et: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod quacumque die comederis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii scientes bonum et malum.* Ita docet Cyrillus lib. 3. in Julianum. Chrysostomus hom. 16. in Genes. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichaeos c. 15. Rupertus, Rabanus, et alii permulti in comment. cap. 3. Genes.

Alii volunt Evam credidisse non fuisse a Deo prohibitum fructum ligni scientiae boni et mali: seque ac virum suum non bene intellexisse verba Domini. Atque in hanc sententiam exponunt verba illa: *Cur praecepit vobis Deus, ut non ederetis de omni ligno etc.* Ac si dictum esset, cur praecepisset Deus, ut a fructu alicujus arboris manu abstineretis, cum omnes sint bonae et salutares? Non est igitur cur credatis vos morituros, si lignum scientiae gustaveritis, scit enim Deus eam arborem utilissimam esse, quippe quae scientiam augeat, et ideo cum bonus sit, et vestri curam gerat, numquam rem tam bonam vobis prohibuisset. Indicat hanc sententiam s. Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 30. his verbis: *Arbitror quod putaverit (Eva) Deum alicujus significationis causa dixisse, si manducaveritis morte moriemini, atque ideo sumpsit de fructu ejus, et manducavit et dedit etiam viro suo.* Eandem insinuat Epiphanius haeresi Cajanorum, quae est 38. ubi dicit, diabolum, ut mulierem seduceret, simulasse se amicum Dei: *Diabolus*, inquit, *per mendacium decepit Evam et Adam, alia pro aliis dicens et amicitiam cum creatore demonstrans.* Non igitur Deum mendacem et invidum facere voluit, si amicitiam cum illo demonstravit.

Eidem sententiae non parum favet quod Apostolus 2. Corinth. 11. comparat seductionem Evae per serpentem cum seductione Corinthiorum per pseudoapostolos. Neque enim illi aperte Deum calumniabantur, sed transfigurantes se in apostolos Christi, praetexebant honorem Dei, et verum Christi evangelium. Favet quoque eidem sententiae, quod mulier non audierit a Deo immediate praece-

ptum, sed per Adamum illud acceperit, ut s. Augustinus docet lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 34. et Ambrosius de Institut. Virginis cap. 4. hinc enim facile fuit illi persuadere, aut praeceptum non esse datum, aut non esse sic accipiendum, ut Adam illi dixerat. Favet denique huic expositioni textus hebraicus, siquidem illa vox בְּרֹאשׁ quam noster interpres vertit, *cur*, magis ad verbum redderetur per particulam, *vere quod*, aut, *etiam quod*, ut sensus sit, est ne verum, quod Deus praeceperit vobis, ne de omni ligno comederetis? ubi videmus insinuari dubitationem de ipso praecepto, datum ne fuerit a Deo, an non.

Accedit, quod secundum hanc explicationem clarius apparet seductio mulieris et astutia serpentis. Nam seducitur quis, cum ei persuadetur aliquid falsum sub specie veri: at mulieri justae et innocenti Deum esse invidum et mendacem non potuit prima fronte verisimile videri; se autem non bene intellexisse verba Dei, plane credibile videri potuit. Exemplum habemus in haereticis, qui Satanam in seducendis fidelibus studiose imitantur, neque enim Calviniani dicunt, mentitum esse Christum cum pane in manibus sumptio, ait, *Hoc est corpus meum;* si enim hoc dicerent, neminem seducerent, sed ab omnibus ut blasphemi et impii repellerentur; sed dicunt, a catholicis non recte intelligi verba Christi, et per tropum accipienda quae a catholicis sine tropo accipiuntur. Et similiter faciunt omnes alii haeretici, qui non Deum mendacem, sed catholicos imperitos esse contendunt, et hac ratione multis imponunt.

Haec sententia posterior mihi valde probatur; tamen ob reverentiam gravissimorum auctorum, qui priorem sequuntur, non audeo hanc posteriorem ita priori illi anteponere, ut non illam etiam ut probabilem recipiendam esse censeam. Atque haec de infidelitate mulieris.

De viro, hoc est, Adamo, minor quaestio est. Nam teste b. Paulo in epist. 1. ad Timoth. cap. 2. *Vir non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit.* Et in ipsa sacra historia legimus dixisse mulierem Genes. 3. *Serpens seduxit me.* Virum autem non dixisse se fuisse seductum, sed comedisse pomum sibi a muliere allatum. Quare sive diabolus persuadere voluerit, Deum esse invidum et mandacem; sive praeceptum de fructu ligni scientiae non edendo, non fuisse accipiendum proprie, sed cum aliquo tropo; id mulier credidit, ac per hoc seducta in praevaricatione fuit: vir autem non credidit, nec seductus fuit, sed alia ratione erravit, nimirum (ut s. Agustinus multis in locis docet) existimavit veniale fore, si contra praeceptum Dei de fructu illo comederet, ne sociam eamque unicam contristaret. In eo quoque erravit, quod cum videret, uxorem manducato cibo illo non esse mortuam, sibi ipse persuasit, se quoque non moriturum, si cibum eundem manducaret. Quia vero credere tenebatur verbo Dei, quo dictum fuerat, Quocumque die comederis ex eo morte morieris, ideo Patres recte dicunt, Adamum Deo non credidisse, et infidelem, vel ut Tertullianus loquitur, haereticum esse factum.

Denique tum ex praecedente elatione, tum ex habita experientia dubitare coepit, an forte verum esset quod diabolus dixerat, eritis sicut Dii; non enim Deus ironice dixisset, Ecce Adam sicut unus ex nobis factus est, nisi Adam aliquo modo credidisset se futurum sicut Deum cibum illum comedendo: hoc autem erat fidem habere diabolo et non habere Deo.

Sed Augustinum audiamus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 11. *Inexpertus*, inquit, *divinae severitatis* (Adam) *in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum.* Et lib. eodem cap. 13. *Vel*, inquit, *illa crederet verum dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris praeponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse praecepti, si vitae suae* Sociam *non desereret etiam in societate peccandi.* Et lib. 11. de Genesi ad literam, c. 30. *Dedit*, inquit, *viro suo fortasse cum verbo suasorio, quod Scriptura tacens intelligendum reliquit. An forte nec suaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat?* Et lib. eodem cap. ult. Posteaquam dixerat, Adamum comedisse fructum vetitum, ne conjugem contristaret, subjungit: *Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem proprie seductionem appellavit Apostolus, quia id quod suadebatur, cum falsum esset, verum esse putatum est.* Et infra: *Sed etiamsi virum propter aliquam mentis elationem, quae Deum internorum scrutatorem latere non potuit, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret accepta illa esca non esse mortuam, secundum ea, quae superius tractavimus, non tamen eum arbitror, si jam spiritali mente praeditus erat, ullo modo credere potuisse, quod eos Deus ab esca illius ligni invidendo prohibuisset.*

CAPUT VII.

Adamum proprie non fuisse seductum.

Ex his, quae diximus capite superiore, solvi potest alia quaestio. Utrum videlicet Adam proprie seductus dici possit. Nam ad una parte b. Pauli verba clarissima sunt: *vir non est seductus, mulier autem seducta in praevaricationem fuit*, 1. Timoth. 2. Et rursus: *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri*, 2. Corinth. 11. Ubi nulla mentio fit Adami. Ab altera parte communis Patrum sententia id videtur habere, ut Adam fuerit seductus.

S. Ignatius in epist. ad Trallianos: *Diabolus*, inquit, *per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri.* S. Irenaeus lib. 3. cap. 35. alias 37. *Ab altero Adam seductus sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur etc.* S. Epiphanius haeresi 38. quae est Cajanorum: *Ipse*, inquit, *diabolus per mendacium decepit Evam et Adam.* S. Joannes chrysostomus hom. 9. in priorem ad Timotheum: *Ad comparationem*, inquit, *mulieris di-*

cit illum non fuisse seductum. Ubi docet Adamum seductum fuisse, sed minori seductione, ita ut ad comparationem mulieris videatur non fuisse seductus. S. Cyrillus alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 3. *Sed posteaquam diabolica fraude seductus, Dei praecepta contempsit, et spreto mandato gratiam perdidit, terram se esse, et in terram reversurum audivit.*

S. Hilarius (ut ad Latinos veniamus) can. 3. in Matth. *Serpens*, inquit, *Adam pellexerat, et in mortem fallendo traduxerat.* S. Ambrosius in lib. de paradiso, cap. 4. *Mulier*, inquit, *prior decepta est, et virum ipsa decepit.* S. Augustinus tract. in psal. 68. in illud, Quae non rapui tunc exolvebam: *Quis*, inquit, *rapuit? Adam. Quis primum rapuit? ille ipse qui seduxit Adam.* S. Prosper in lib. contra Collatorem, c. 21. *Postquam Adam se deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiam.* S. Leo serm. 2. de nativitate Domini: *Gloriabatur*, inquit, *diabolus sua fraude deceptum hominem divinis caruisse muneribus.* S. Fulgentius lib. 2. de incarnatione et gratia Christi cap. 22. *Quia primus homo*, inquit, *in superbia diabolica est persuasione dejectus, perdidit humilitatem, perdidit fidem etc.*

Propter hanc apparentem sanctorum Patrum cum apostolo Paulo discordiam, multi conati sunt verba b. Pauli ita interpretari, ut ex iis non posset colligi, Adamum vere ac proprie non fuisse seductum: sed eae interpretationes non omnino convenire videntur verbis et intentioni Apostoli. Percurram breviter praecipuas. Prima est: Vir non est seductus, idest, a diabolo. Nam a muliere seductus est. Secunda: Vir non est seductus, idest, non est seductus prior. Nam ante eum mulier seducta fuit. Tertia: Vir non est seductus, idest, non scribitur, in Genesi ejus, seductio: quemadmodum Melchisedech dicitur ab Apostolo Hebr. 7. sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, quia nihil horum de eo legitur in Scripturis. Quarta: Vir non est seductus, idest, in praevaricationem, sicut mulier seducta est in praevaricationem. Nam mulier seducta, fuit auctor praevaricandi viro suo. Vir autem seductus, non fuit ulli auctor praevaricandi.

Hae quatuor explicationes non videntur quadrare omnino in hunc locum Apostoli. Tum quia absolute ipse pronunciat, Vir non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione est; ac si diceret, uterque praevaricatus est, sed vir sine aliquo seducente se, mulier ab alio circumventa atque seducta; Tum quia intentio Apostoli eo loco erat, demonstrare mulieres non ita pollere judicio ac vigore animi ac viros, et propterea non debere eas docere in Ecclesia, sed a viris discere. Nam cum dixisset: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Utrumque probat. Et primum, quod mulier non debeat dominari in virum, sed subjecta esse, inde colligit. *Quia prior Adam formatus est, deinde Eva. Et* (ut addit 1. ad Corinth. 11.) *Mulier ex viro non vir ex muliere*; *et mulier propter virum, non vir propter mulierem formatus est.* Quod mulier discere debeat, non docere, probat. *Quia vir non est seductus, mulier seducta in praevaricatione est*; Quod quidem eo tendit, ut ostendatur mulier simplicioris esse naturae, minoris judicii et prudentiae, quam vir, nam (ut notat Chrysostomus in commentario hujus loci) maluit Apostolus dicere, vir non est seductus, mulier est seducta: quam Adam non est seductus Eva est seducta, ut ostenderet id quod accidit Adamo et Evae provenisse ex differentia naturali viri et mulieris, et naturaliter viros esse prudentiores, et ingenii ac judicii melioris et maturioris, quam foeminae sint; ac propterea mulieres, quae tam facile seducuntur, non esse idoneas ad docendum.

Jam vero quatuor illae interpretationes, si verae essent, redderent argumentum Apostoli plane infirmum ac debile. Non enim propterea censendum est, mulieres immaturi judicii esse, et ad docendum ineptas, quod Eva seducta sit a diabolo, et Adam a muliere, vel quod Eva sit prius seducta, quam Adam, vel quod Evae seductio scripta sit in Genesi, Adae seductio non sit scripta; vel denique quod Evae seductio fuerit caussa praevaricationis Adae, non contra. Nam quod Eva seducta sit a diabolo, Adam a muliere tantum abest, ut arguat mulierem simplicioris esse naturae, quam virum, ut potius arguat contrarium, siquidem longe difficilius est, evadere insidias diaboli, quam mulieris. Quod autem Eva prior seducta fuerit, Adam posterior, quodque unius seductio scripta sit, non alterius, nihil ad rem propositam facere videntur, cum per accidens se habeant ad vigorem animi demonstrandum. Quod denique Evae seductio caussa fuerit praevaricationis viri, per accidens factum est, tum quia prior ipsa seducta est, tum quia nullus tunc erat, cui vir praevaricandi occasionem dare posset.

Verissima est igitur s. Augustini sententia, quam superiore capite sequuti sumus; videlicet Adamum proprie non fuisse seductum, et verba Apostoli sine ulla additione proprie et formaliter (ut more scholastico loquamur) esse accipienda, cum ipse ait, Vir non est seductus, mulier seducta in praevaricatione est. Nam in tribus erravit Adam (ut supra diximus) quod crediderit peccatum esse veniale mandatum Dei praevaricari; quod crediderit, se manducando cibum vetitum, non esse moriturum; quod crediderit, se futurum similem Deo, et nullius providentiae imperioque subjectum.

Primi erroris caussa fuit amor nimius erga conjugem, ac per hoc non seductio alicujus, qui per dolum eum deceperit, sed propria ipsius pravitas, et caecitas ex praecedente elatione subsequuta. Secundi erroris caussa fuit, praeter propriam caecitatem, experientia, quam habuit cum vidit uxorem illo cibo manducato non esse mortuam, fortasse etiam uxoris adhortatio, quae tamen proprie seductio dici non poterat, cum ipsa non animo fallendi, sed simpliciter, quod verum esse credebat, viro suo proponeret. Tertii erroris occasio fuit, verbum serpentis a muliere viro suo relatum (eritis sicut Dii) caussa autem fuit non ipsius serpen-

tis aut mulieris auctoritas vel persuasio, sed tum experientia praecedens, quae ut fecit eum dubitare de illo (morte moriemini),ita fecit propendere ad credendum illud (eritis sicut Dii;) Tum propria superbia, idest, amor propriae potestatis, libenter enim et facile credimus quod amamus. Vide Augustinum lib. 11. de Genesi ad literam, cap. ult.et lib. 14. de Civit. Dei, can. 11.

Neque vero sancti illi Patres, qui scribunt, Adamum seductum fuisse cum Apostolo pugnant, aut Apostolum non legerunt, vel non intellexerunt: sed de seductione Adami alio modo loquuti sunt. Nam ipse etiam Augustinus alicubi scribit, Adamum fuisse seductum, alicubi non fuisse seductum, nec tamen secum ipse pugnat, sed alio atque alio modo seductionem accipit. Itaque Patres id solum significare voluerunt,Adamum a diabolo, non quidem immediate et proprie, sed mediate, occasionabiliter et materialiter (ut sic loquamur) fuisse seductum; Qua significatione eandem vocem accipit b. Paulus cum ait, *Peccatum per mandatum, seduxit me, et per illud accidit*, Rom. 7. et *Qui se existimant aliquid esse, cum nihil sit, se ipsum seducit*, Galat. 6. Sapiens cum dicit: *Creaturas factas esse in muscipulam pedibus insipientium*, Sapient. 14. et Daniel cum ad senem illum scelestum loquitur, *Species decepit te,et concupiscentia subvertit cor tuum* Dan. 13.

Possent etiam justa hanc sententiam recte accipi duae priores interpretationes ex aliis quatuor, quas refutavimus.Nam prima interpretatio, quae erat:Vir non est seductus (idest) a serpente;verissima est, si hunc habeat sensum;Mulier vere et proprie seducta est, quia serpens eam animo fallendi astute decepit, cum ei proposuit falsum sub specie veri: at vir seductus quidem aliquo modo est a muliere,sed non proprie,quia nec illa intentionem habuit fallendi, nec ipse ob ejus persuasionem, sed ob ejus amorem excaecatus est, et hoc existimo s. Joannem chrysostomum sibi voluisse, cum interpretationem illam excogitavit. Ipse enim primus est auctor illius interpretationis.

Secunda interpretatio, quae erat; Vir non est seductus, idest, prior, quae magnos quoque auctores habet,s.Epiphanium haeresi 38. s.Thomam; Theodoretum et Oecumenium in commentario, vera erit, si hoc modo accipiatur, vir non est seductus prior, quia videlicet diabolus agnoscens virum sapientiorem, non ausus est illum immediate aggredi, sed a muliere, quae facilius seduci poterat, incoepit, ut ea seducta, virum etiam dejiceret, si non proprie seducendo,at certe blanditiis mulieris inflectendo, atque ad peccandi societatem impellendo.

CAPUT VIII.

Primum Adami peccatum non potuisse esse veniale.

Occasione verborum S. Augustini, qui scribit Adamum existimasse se venialiter peccaturum, si legem Domini violaret, tractari solet alia quaestio, videlicet, An primum peccatum in statu innocentiae potuerit esse veniale. Et quidem non desunt qui existiment fieri potuisse, ut primum peccatum primorum parentum veniale esset. Ita enim Scotus docet in 2. sentent. distin. 21. et alii quidam pauci, qui eum sequuntur.Sed graviores theologi contrarium docent, ut s. Thom. in 1.2. quaest. 89,art. 3. Albertus, s. Bonavent. Richardus, Durandus, Aegidius, et alii, in 2. sentent. distin. 21. et Alexander alensis in Summa theologica part.2.quaest. 104. num. 6.

Hujus autem rei, Duplex est ratio, quarum altera ducitur ab effectu: altera a caussa et utraque sancti Augustini auctoritate corroboratur.Prior igitur ratio est, quia si peccatum veniale in statu innocentiae locum haberet, sequeretur etiam timorem ac dolorem in eo statu locum habiturum. Culpam enim sequitur poena, et quia culpa venialis non tollit gratiam et amicitiam Dei, neque in statu innocentiae originalem justitiam sustulisset, neque homine ex paradiso voluptatis ejecisset, fuisset utique in paradiso et in statu illo felicitatis aliqua poena, ac per hoc timor et dolor. Quod esse absurdissimum, docet s. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 10.

Posterior ratio, quae a caussa ducitur, talis est. Peccatum veniale, aut tale est ex subreptione, aut ex genere suo.Rursus quod ex subreptione est,aut oritur ex appetitu carnis praeveniente rationem, ut imperfectum desiderium adulterii: aut ex ipsa voluntate praeveniente perfectam rationis deliberationem, ut imperfectus motus infidelitatis. Quod autem est veniale ex genere suo, ut mendacium officiosum,semper oritur ex aliquo inordinato amore vel timore, ac per hoc ex aliqua rebellione partis inferioris a superiore, vel ipsius voluntatis a ratione.At in statu innocentiae nulla esse poterat rebellio partis unius ab altera,neque fieri poterat,ut appetitus inferior voluntatem, aut voluntas rationem praeveniret. Id enim efficiebat justitia originalis, ut perfecta subordinatio maneret partis inferioris ad superiorem; et praeterea nullus erat in homine error, nulla difficultas, ergo nulla via, nullus aditus patebat peccato, manente in homine originali justitia.Ea vero justitia nisi per mortale peccatum amitti non poterat: peccato igitur veniali nullus in statu innocentiae locus esse poterat.

Hinc s. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 10. *Erat*, inquit,*in paradiso devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod contristaret irruebat. An forte cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contingere, sed mori metuebant: ac per hoc et cupiditas et metus jam tunc illos homines etiam in illo perturbabat loco? absit ut hoc existimemus fuisse, ubi nullum erat omnino peccatum.* Et in eodem lib. cap. 26.*Sicut in paradiso nullus aestus, aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat voluntatis offensio, nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum; gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. Atque inter se conjugum*

fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labe custodia. Argumenta, quae contra hanc sententiam fieri solent et facilia sunt, et a Cajetano recte solvuntur in commentario s. Thom. 1. 2. quaest. 89. art. 3. et ea de caussa praetereunda mihi esse censui.

CAPUT IX.

Peccatum Adami gravius fuisse quam peccatum Evae.

Tractatur a doctoribus alia quaestio, uter peccaverit gravius, vir primus, an mulier prima. Et quidem s. Joan. chrysost. hom. 7. ad populum Antiochenum, disertis verbis docet, peccatum mulieris gravius fuisse quam peccatum viri. Quam sententiam plerique Scholasticorum sequuntur in 2.sent. dist. 22. Contra autem s. Ambrosius in lib. de Institutione virginis cap.4. multis argumentis contendit, virum gravius peccasse,quam foeminam. S.Augustinus loquens de primo actu malo primorum parentum, idest, de motu superbiae, lib. 11. de Genesi ad literam. cap. 35. dicit, eam peccasse impari sexu, pari fastu. Et tam in eo libro, quam in lib. 14. de Civit. Dei, semper ita loquitur, ac si aequale putaverit fuisse peccatum mulieris peccato viri. Sed quoniam cap.6. duas opiniones probabiles esse diximus, unam de infidelitate mulieris, quod crediderit Deum esse invidum et mendacem; alteram quod crediderit, Deum non prohibuisse lignum scientiae, seque aut virum suum non bene intellexisse verba Domini: idcirco nunc etiam duas opiniones probabiles esse, affirmare cogimur de gravitate peccati viri ac mulieris.

Probabilis enim est sententia s. Joannis chrysostomi,et multorum scholasticorum,qui docent,mulierem gravius peccasse, quam virum: quia si mulier credidit, Deum ex invidia esse mentitum, cum ait, *Quacumque die comederis, morte morieris*, quod (ut dixi) doctores illi probabiliter sentiunt, certe mulieris superbia, et infidelitas longe fuit gravior quam superbia, et infidelitas viri. Mulier enim voluit invito Deo, fieri sicut Deus, quae est superbia plane intolerabilis, et credidit Deum esse invidum et mendacem, quae est species infidelitatis extremae, et blasphemiam continet inauditam. Vir enim non credidit, Deum esse invidum, vel mendacem,sed veniale fore peccatum suum,ac per hoc se non moriturum transgrediendo praeceptum, forte etiam futurum sicut Deum. Proinde cupivit quidem fieri sicut Deus, sed non invito Deo; et infidelis fuit, sed absque blasphemia illa et errore gravissimo, quae in peccato mulieris fuerunt.

Probabilior tamen sententia nobis videtur (ut supra etiam diximus) mulierem non credidisse Deum esse invidum et mendacem,sed solum praeceptum Dei a se, vel a viro suo non bene intellectum, ac per hoc cum s. Ambrosio arbitramur, virum absolute gravius peccasse, quam foeminam; licet quoad aliquos actus aeque peccaverit mulier ac vir, ut s. Augustinus recte docuit.

Sed ut haec omnia facilius perspiciantur, sciendum est in peccato viri fuisse septem actus malos, et in peccato foeminae totidem, sed non omnino eosdem. Primus actus malus in peccato viri,superbia fuit, qua in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit.Testis Augustinus in enchiridio,cap. 45. Secundus, amor conjugis immoderatus. Testis idem Augustinus lib. 11.de Genesi cap.ult.Tertius, infidelitas, qua Deo non credidit dicenti, *morte morieris*, et diabolo credidit, *eritis sicut Dii*. Augustinus in enchiridio, cap. 45. Quartus, curiositas. *Sollicitavit enim eum quaedam experiendi cupiditas*. inquit Augustinus lib. 11. de Genesi cap. ult. Quintus, inobedientia particularis et expressa. *Comedisti de ligno, de quo praeceperam ne comederes*, inquit Deus ad Adamum Gen. 3.Sextus, excusatio peccati. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi*, Genes. 3. Septimus, laesio proximi. *Nam in Adam omnes moriuntur*, 1. Corinth. 15.

In peccato mulieris primus fuit, superbia,Augustinus lib. 11. de Genes. cap. 3. Secundus, infidelitas, qua serpenti credidit,et Deo non credidit, Augustinus ibidem. Tertius, concupiscentia cibi prohibiti. *Vidit* enim *lignum, quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave*, Genes. 3. Quartus, inobedientia particularis et notissima. *Sumpsit* enim *de fructu et manducavit*, Gen. 3. Quintus, inductio viri ad peccandum. *Attulit viro, qui et ipse comedit*, Genes. 3. Sextus excusatio peccati. *Serpens decepit me*, Gen. 3. Septimus, laesio generis humani. Nam *a muliere initium peccati, et per illam omnes morimur*, Eccles.25.

Jam vero si conferamus actus ipsos malos inter se, inveniemus peccatum viri aequale esse,aut aliquando gravius peccato mulieris: si conferamus personas peccantes, inveniemus in mullis peccatum viri esse gravius, in paucissimis gravius esse peccatum mulieris.

Primus actus utriusque, fuit superbia et superbia plane eadem. De utroque enim scribit Augustinus lib. 11. de Genes. cap. 34. *Quid mirum si superbi volentes esse sicut Dii,evanuerunt in cogitationibus suis?* Et cap. 35. *Impari sexu, pari fastu.*

Secundus actus utrique communis fuit infidelitas, et infidelitas eadem aut persimilis, uterque credidit se non moriturum,sed futurum sicut Deum, hoc solum videtur esse discriminis, quod mulier credidit, praeceptum non esse datum,aut a se non bene intellectum; vir credidit veniale fore peccatum, si praeceptum transgrederetur, ac per hoc non ita accipiendum praeceptum, ut verba sonare videbantur. Itaque fere in idem recidit infidelitas utriusque.

Tertius actus utrique communis, fuit inobedientia, et inobedientia omnino eadem, ut notum est.

Quartus actus communis utrique fuit, excusatio peccati. Et in hoc actu gravior fuit iniquitas viri, quam mulieris. Vir enim sociam accusavit, mulier hostem; et praeterea vir in Deum culpam rejecit, cum ait: *Mulier, quam dedisti mihi etc.* Mulier in serpentis astutiam, et in suam simplicitatem; *Serpens*, inquit, *decepit me.*

Quintus actus communis utrique fuit laesio generis humani; et in hoc etiam actu sine controversia gravius Adam, quam Eva peccavit. Nam Eva occasionem dedit perditioni generis humani, sed Adam vera ac propria caussa fuit ejus perditionis. Nam si sola Eva peccasset, non propterea corruptum esset genus humanum, siquidem, *per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, et in uno homine*, Adamo videlicet, *omnes peccaverunt*, Roman. 5.

Sextus actus viri proprius, fuit amor nimius in conjugem, cui respondet sextus actus mulieris proprius, invitatio viri ad peccandum. Qui duo actus videntur omnino similes; cum Eva non alia de caussa virum incitaverit ad cibum vetitum degustandum, nisi quia valde diligebat eum, et ut bonum, quod se invenisse credebat, cum eo communicaret.

Septimus actus viri proprius, fuit cupiditas experiendi, an cibus ille mortem adferret; cui respondet septimus actus mulieris proprius concupiscentia cibi illius, qui vel ipso aspectu speciem et suavitatem praeseferebat. In hoc vero actu quis non videt, graviorem esse viri culpam, quam mulieris? nam curiositas illa viri tentatio Dei erat, et quidem periculosa admodum; cupiditas mulieris tentatio fuit gulae, quae ab objecti praesentia facile irritatur. Actus igitur mali per se considerati, magis virum, quam mulierem damnant.

Quod si personas consideremus, aliasque actuum illorum circumstantias longe clarius apparebit majorem viri, quam foeminae culpam esse judicandam. Primum enim, vir erat sapientior et fortior. Deinde, vir caput erat mulieris, et eam docere, non eam audire debuit. Quod exprobrans illi Deus ait: *Quia audisti vocem uxoris tuae etc.* Tertio, vir hostem habuit debiliorem, mulier fortiorem, ut notum est. Quarto vir a Deo praeceptum acceperat, mulier a viro (ut supra ex Ambrosio et Augustino docuimus.) Quinto mulier magis agnovit culpam, quam vir siquidem confessa est errorem, cum ait, *Serpens decepit me:* vir neque errorem, neque culpam agnovisse videtur. Sexto, Deus longe gravius Adamum reprehendit, quam Evam. Ait enim per irrisionem: *Ecce Adam sicut unus ex nobis factus est etc.* Septimo, cum Deus et virum et mulierem propria poena muletasset, poenam mortis, quae utrique communis futura erat, soli Adamo significavit, dicens: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

CAPUT X.

Peccatum primi hominis fuisse aliquo modo peccatorum omnium gravissimum, non tamen absolute.

Ultima quaestio de peccato primi hominis esse solet, an fuerit peccatorum omnium gravissimum. Est autem communis doctorum responsio, non absolute, sed secundum aliquid omnium peccatorum fuisse gravissimum. Vide s. Thomam in 2. 2. q. 163. art. 3. et caeteros theologos in 2. sentent. distinct. 21.

Et quidem, quod non fuerit omnium peccatorum absolute gravissimum, facile probari potest. Illud enim peccatum absolute dicitur gravius, quod secundum speciem suam est gravius, illud absolute gravissimum, quod secundum speciem suam est gravissimum. Illud autem secundum speciem suam est gravius, cujus objectum majori bono contrarium est, et ideo cum nihil sit amori Dei praeferendum, nullaque sit virtus charitate praestantior, efficitur ut nihil sit in malis deterius odio Dei. Porro peccatum primi hominis non fuit proprie odium Dei, sed superbia, inobediendia, infidelitas; quae non charitati, sed humilitati, obedientiae ac fidei proprie opponuntur.

Quod autem secundum aliquid peccatum illud peccatorum omnium gravissimum fuerit, demonstrat s. Augustinus ex triplici capite, Primum ex facilitate non peccandi, quae major fuit in Adam, quam in aliis hominibus unquam. Habuit enim praeceptum unum tantum, idque levissimum; habuit multa, quae ad servandum impellerent, Dei jubentis auctoritatem, et gravissimas poenas transgressori propositas: caruit concupiscentia, quae ad peccandum induceret. Sed Augustini verba audiamus, lib. 14. de Civit. Dei, cap. 12. *Hoc*, inquit, *de uno cibi genere non comedendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve praeceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi praesertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de poena transgressionis postea subsequutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto faciliore posset observantia custodiri.* Et in eodem lib. cap. 15. *Ubi enim magna est inobedentiae poena proposita, et res a creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, et tantae potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio?*

Altera ratio ducitur ab ingratitudine primi hominis, qui summa felicitate in paradiso fruebatur. Nunc enim maxima a Deo beneficia habemus, sed partim in fide, ut beneficium incarnationis, partim in spe, ut sempiternam felicitatem, ex quo fit, ut parum admodum illa cognoscamus: deinde admista nunc sunt beneficia flagellis et consolationes tribulationibus. Quocirca non est adeo mirum, si in his tenebris et in hoc exilio multi Deum deserant, et ad temporalia bona declinent. At Adam plurima habuit Dei beneficia, maximum lumen, nullas tribulationes, nullam ignorantiam, et tamen Deum deseruit: *Quia* (inquit s. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13.) *contemptus est Deus jubens, qui hominem creaverat, qui ad suam imaginem eum fecerat, qui caeteris animalibus praeposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam, salutisque praestiterat etc. justa damnatio subsequuta est.* Et lib. 21. cap. 12. *Sed poena aeterna ideo dura et injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum, deest ille sensus altissimae purissimaeque sapientiae, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima praevaricatione commissum sit. Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto majore iniquitate dereliquit Deum, et*

factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset aeternum.

Tertia ratio sumitur a laesione generis humani. Peccatum enim in eadem specie tanto majus est, quanto pluribus nocet. Nullum autem fuit unquam peccatum, quod pluribus noceret, quam peccatum Adae. Siquidem universum genus hominum damnationi addixit: *Hinc est* (inquit Augustinus loco citato) *universa generis humani massa damnata, quoniam qui hoc primitus admisit, cum ea quae in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est.* Vide eundem Augustinum in enchirid. cap. 26. et 27.

CAPUT XI.

De poena primi peccati.

Explicuimus tentationem et peccatum primorum parentum, nunc de poena ejusdem peccati, quam in praesenti tempore patimur, paucis disseremus.

Ac poena quidem, quae proprie primo peccato quasi e regione respondet, jactura fuit originalis justitiae, et supernaturalium donorum, quibus Deus naturam nostram instruxerat, ut sanctus Thomas docet in 2. 2. quaest. 164. art. 1. haec enim est poena, quam aequaliter patiuntur quotquot ex Adamo originem ducunt, et in ipso, ac per ipsum initio peccaverunt. Caetera vero mala tam corporis, quam animi, quae nos in hac valle miseriarum premunt, sunt quidem primi peccati poenae, quia ex prima illa poena, hoc est, ex originalis justitiae amissione nascuntur, tamen non ita proprie et immediate, ut illa donorum ablatio. Illa enim est quasi poena a judice taxata, ut s. Thomas loquitur, caetera mala eam poenam consequuntur, ad eum modum quo sequitur inundatio fluminum, aut maris, aggeribus disruptis, quibus aquarum impetus continebatur, atque ea caussa est, cur caetera mala non aequaliter omnes premant, licet in primo peccato sint omnes homines pares.

Sed quamvis haec ita se habeant, tamen Deus in lib. Geneseos cap. 3. cum describit poenas tum viri, tum mulieris, non meminit amissionis justitiae originalis, sed malorum consequentium. Tum quia primam illam, et propriam peccati sui poenam jam sentiebant, et nuditate, erubescentia ac fuga, inobedientiae poenam se luere testabantur: Deus autem non quid jam paterentur, sed quid deinceps passuri essent, indicare eis volebat: Tum etiam ut ab effectis discerent, quam gravis poena sit illa originalis justitiae carentia, quandoquidem ex illa una tot aliae calamitates sequuturae essent.

Porro mala illa consequentia primam primi peccati poenam, sunt fere innumerabilia, de quibus paulo fusius disseremus in 3. lib. de peccato originali. Deus autem in Genesi cap. 3. solum attigit ea, quae ad vitam ipsam corporalem pertinent, quoniam cum vita sit fundamentum bonorum omnium temporalium, mala, quae ad vitam pertinent, sunt omnium communissima et notissima.

Tria vero sunt mala, quae ad vitam corporalem ex poena peccati redundarunt. Unum mulieribus proprium, Alterum proprium viris, Tertium utrisque commune. Ingressus hominum in vitam, gravis est mulieribus, quae cum labore gerunt in utero conceptum foetum, et cum dolore pariunt: conservatio vitae laboriosa est viris, ad quos praecipue spectat et sibi et uxori, ac proli victum quaerere. Denique exitus e vita sive moriendi necessitas, tum viris, tum foeminis summam tristitiam adfert.

Haec tria mala Deus in Genesi describit; ac primum de primo, quod ad vitae ingressum pertinet, sic loquitur: *Mulieri quoque dixit, multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Quid sibi velint haec verba, non est facile explicare, praesertim cum multiplicatio conceptum ad benedictionem pertineat, et in paradiso, ac statu innocentiae futura esset, juxta illud, *Crescite et multiplicamini*, Genes. 1.

Non deferunt gravissimi Patres, qui existimaverint propagationem generis humani per opus nuptiarum, ac per hoc, conceptum et partum et subjectionem foeminae ad virum, non fuisse futura in statu innocentiae. Et idcirco recte inter poenas primi peccati numerari. Ita sensit Gregorius nissenus in lib. de creatione hominis, cap. 18. Joannes chrysostomus hom. 18. Genes. Et Joannes damascenus lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 30. et lib. 4. c. 25. Sanctus etiam Hieronymus in lib. contra Jovinianum, huic sententiae non audet aperte repugnare. Scribit enim incertum esse, an in statu innocentiae propagatio per nuptias futura fuisset.

Sed haec opinio merito refellitur a sancto Thoma in 1. part. quaest. 98. art. 2. et a theologis caeteris in 2. sentent. dist. 20. et a s. Augustino lib. 14. de Civit. Dei cap. 21. et seq. et lib. 9. de Genesi ad literam, et cap. 3. et sequ. et a caeteris latinis Patribus, qui post Augustini tempora scripserunt, ut Eucherio, Ruperto et caeteris, et sane Scriptura divina non obscure testatur, propagationem hominum in paradiso per masculi et foeminae conjunctionem fuisse futuram. Nam in 1. cap. Genes. legimus: *Masculum et foeminam creavit eos, et dixit, crescite et multiplicamini etc.* Ubi videmus ante peccatum homines cum sexuum diversitate creatos, idque in eum finem ut crescerent et multiplicarentur.

Quod vero Gregorius nissenus et Joannes damascenus respondet, sexuum diversitatem ideo institutam, quia praeviderat Deus fore, ut Adam peccaret, et propter peccatum sexuum diversitate ad opus generationis egeret, non recte dicitur. Tum, quia per peccatum natura non est mutata, quoad partes et membra naturalia, sed solum quoad actiones et officia. Tum, quia non decuit divinam providentiam, ut prius in homine ostenderet vestigia poenae, quam in eo extitisset vestigium culpae.

Rursus, cap. 2. *Dixit Deus: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium* h *simile sibi.* Ex quo loco recte colligit Augustinus, mulierem ideo potissimum institutam, ut in propagatione filiorum virum juvaret. Neque enim aliud est opus, in quo non melius vir a viro, quam a foemina juvari possit. Ac praesertim in paradiso, ubi nullus

erat labor subeundus, nulla indigentia timebatur, nulla fuit caussa cur foemina viro necessaria esset, nisi propter generationem.

Accedit, quod in ipso loco felicitatis ante peccatum commissum dixit Adam: *Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quae verba ad matrimonium, atque ad maritalem conjunctionem pertinere testatur Christus in evangelio Matth. 19. et Apostolus ad Ephes 5.

Denique homo in statu innocentiae, quamvis per donum supernaturale id haberet, ut posset non mori, tamen corpus habuit vere animale, quod ut cibo egebat, ut conservaretur, ita etiam generatione opus habebat, ut propagaretur.

Fuisset igitur, si homo non peccasset, sanctum connubium, et thorus immaculatus, absque libidinoso carnis ardore, gestasset mater in utero prolem sine labore, peperisset sine dolore: *Ut enim* (inquit Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 26.) *ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus foeminea viscera relaxaret: sic ad foetandum et concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret.* Fuisset etiam subjectio uxoris ad virum, sed charitatis, non conditionis; et spontaneae voluntatis, non violentae coactionis, ut idem Augustinus docet lib. 11. de Gen. ad literam cap. 37.

Quare poena peccati est, quod foeminae cum fastidio et labore conceptum foetum in utero gerant, quod cum dolore pariant, quod viris ita subjiciantur, ut etiam invitae illis parere, eosque non solum diligere, sed etiam timere cogantur. Atque hoc est, quod Evae Deus praenunciavit, cum ait: *Multiplicabo aerumnas tuas etc.* Quod autem dicit Deus: *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos*, non ita accipiendum est, quasi multiplicatio conceptum absolute ad poenam pertineat, sed vel hebraica phrasi dictum est. Multiplicabo aerumnas et conceptus, pro eo quod est, Multiplicabo aerumnas conceptuum et ideo fortasse septuaginta interpretes ad rem explicandam, omiserunt vocem *conceptus*, quae in hebraeo habetur, et simpliciter posuerunt multiplicabo tristitias et gemitum tuum. Vel dictum est, multiplicabo conceptus, quia si Adam et Eva, non peccassent, soli illi foetus concepti fuissent, qui ad maturitatem perventuri erant; nunc autem saepenumero foeminae foetum concipiunt, et cum labore et tristitia gerunt, qui ante extinguitur, quam lucem videre incipiat. Quae multiplicatio conceptuum gravissima sane poena judicanda est.

Quod autem aliqui dicunt multiplicationem conceptuum referri ad tempus, quo foetus gestatur in utero, nunc enim ex poena peccati novem mensibus foetum gestari, in paradiso vero conceptum foetum continuo fuisse pariendum, neque probabile est, neque verbis Scripturae convenit, neque sententiae s. Augustini, qui (ut paulo ante citavimus) scribit maturitatis impulsu, foeminea viscera relaxanda fuisse.

Porro quod in describenda poena mulieris dicitur, sub viri potestate eris, vel ut habent graeca, ad virum tuum conversio tua, duobus modis accipi potest propter ambiguitatem vocis hebraeae תשוקתך, quod tum conversionem et obedientiam, tum desiderium et concupiscentiam significare solet. Vel igitur sensus erit, mulierem serviendo et obediendo ad virum convertendam, ut ab ejus ore et mandatis pendeat: vel certe significabitur, mulierem etiam post laborem gerendi uteri, et dolorem pariendi adhuc virum desideraturam. Siquidem non levis est poena, ab eo se continere non posse, quod tam ingentem laborem et tristitiam adferat.

Jam vero quod attinet ad poenam viris propriam est in parando victu, qui et sibi et uxori et liberis satis esse possit, ea describitur his verbis: *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae; in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quibus verbis triplex labor agricolarum describitur.

Primus nascitur ex terrae sterilitate, de qua dicitur: *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea.* Maledictio enim in Scripturis sterilitatem significat, ut contra benedictio foecunditatem. Itaque multi requiruntur labores, ut quis ex terra sterili comedere (idest) fructum ad cibum idoneum colligere possit.

Secundus labor nascitur ex spinis, malisque herbis, quae ex terra etiam foecunda cum bonis frugibus oriuntur. Et quia nisi magno labore spinae ac tribuli et herbae noxia evellantur, bonas herbas habere non possumus, ideo dicitur, spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbas terrae, hoc est, herbas quidem habere poteris, sed non absque impedimento spinarum et tribulorum.

Tertius labor est in colenda terra quamvis foecunda, et spinis ac tribulis vacua. Tot enim labores exanthlandi sunt in arando, serendo, metendo; vitibus et arboribus plantandis et putandis, aliisque id genus rebus faciendis, ut merito dictum sit; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quo loco nomine panis omnis cibus intelligitur, secundum morem scripturae familiarem.

Illud hoc loco praetereundum non est, quod nos habemus in editione latina: *Maledicta terra in opere tuo*, in hebraicis codicibus esse, maledicta terra בעבורך (idest) *propter te*: Ex quo intelligimus, illud, *in opere tuo*, non significare, in opere terrae colendae, sed in peccato tuo. Ut s. Hieronymus monet in quaestionibus hebraicis in Genesim. Ubi etiam notat aliquos vertisse, propter te; aliquos (in transgressione tua). Nisi forte interpres pro בעבורך legerit בעבורכ.

Restat poena communis viris ac mulieribus, quae est necessitas moriendi, quam Deus cum poenis, quae ad virum magis proprie pertinent, conjungere voluit, Tum, quia peccatum viri proprie caussa mortis fuit, Tum, quia viro dictum fuerat: *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, Tum, quia in viro mulier intelligitur, cum vir sit caput mulieris, Tum denique, ut supra notavimus, quia vir gravius peccavit, quam mulier. Porro haec poena in illis verbis continetur. *Pulvis es et in pulverem reverteris.* Ex quibus verbis intelligimus, illud, *Quacumque die comederis, morte mo-*

rieris, Nihil aliud significare, nisi morti certissimae obnoxius eris. Vide plura de hac re in libro de gratia primi hominis cap. 8.

Poenae Adami, atque Evae adjunxit Deus poenam serpentis, dixit enim Dominus ad serpentem: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae. Super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum, et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quae verba tum ad serpentem corporalem,ut exponit Chrysostomus homil. 17. in Genes. tum ad ipsum diabolum, ut explicat Augustinus lib. 11. de Genes. cap. 36. commode referuntur. Quamvis enim serpens corporalis proprie non peccaverit,quippe qui rationis est expers; tamen puniri debuit, ut iram Dei adversus peccatum intelligeremus:Magnum est enim irae indicium, cum non solum peccati auctor punitur, sed instrumenta etiam, quibus peccatum commissum est, conteruntur.

Exponamus breviter poenam serpentis, primum ut ad serpentem corporalem , deinde ut ad ipsum diabolum pertinet. Dixit igitur Dominus ad serpentem: *Quia fecisti hoc*, serpentem Deus alloquitur, non quod ipse verba illa intelligere posset,sed propter Adamum et Evam , qui praesentes aderant; quemadmodum etiam Christus aliquando ficulneae maledixit, aliquando imperavit mari et ventis.

Porro non quaesivit Deus a serpente , quare id fecisset, quemadmodum ab Eva quaesivit , neque enim serpens ille corporalis rationem aliquam facti sui reddere potuisset, sed simpliciter ait: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae*, hoc est, quia instrumentum diaboli ad homines seducendos et perdendos fuisti, abjectissimum eris animal, et omnibus invisum et execrabile: et cum antea non toto corpore reperes, sed solum parte posteriore,anteriore autem rectus incederes; deinceps super ventrem et super pectus tuum gradieris: terram quoque perpetuo comedes, cum antea nequaquam terra, sed herba cibus tuus esset: denique cum in paradiso cum animantibus caeteris,et cum ipso homine pacifice viveres, bellum erit posthac inter te et mulierem, et prolem tuam, ac proles mulieris, quod nullo unquam tempore sopietur.

Jam vero si ad ipsum diabolum haec verba pertineant, non dixit Dominus diabolo, *quare hoc fecisti*, sed, *quia hoc fecisti*, quia videlicet diabolus ita est obduratus in malo, ut nullo modo emendari queat. Et vero idem ipse maledictus inter omnia animantia et bestias terrae, quia miser ac vilis effectus est super omnes, sive angelos,sive homines peccatores. Quemadmodum enim justitia angelos, atque omnes Deos quodammodo facit, sic econtrario peccatum eosdem bestias facit.

Super pectus autem diabolus graditur,Tum quia in astutia et calliditate sua confidit, ut Hieronymus explicat in quaestionibus hebraicis; Tum,quia permittitur a Deo de superbia et falsa potestate gaudere, qui antea de veritate et charitate gaudebat. Non enim parva poena est, cum aliquis adhuc peccare, et de peccato gaudere sinitur , ut explicat Augustinus lib. 2. de Gen. contra Manichaeos cap. 17.

Porro terram diabolus comedit, sive quia terrenos ac reprobos homines vorat, non sanctos atque electos, ut Augustinus docet lib. 2.de Gen. contra Manichaeos cap. 18. sive quia in terrena sanctorum corpora potestatem exercet,animas autem non potest occidere, ut docet Ambrosius in lib. de paradiso c. 15.

Id vero faciet cunctis diebus vitae suae,hoc est, usque ad diem judicii;tamdiu enim diabolus nocere sinetur, et tamdiu vivere se putabit, quamdiu nocere poterit.

Denique inimicitia erit perpetua inter diabolum et mulierem, et inter utriusque semen;et diabolus quidem insidiabitur calcaneo , sed interim tamen caput sunm contritum referet. S. Augustinus loco notato, per semen diaboli suggestiones malas, per semen mulieris fructum boni operis intelligendum esse docet. Diabolus enim mala suggerendo calcaneo insidiatur, ut hominem justum labi faciat, sed ille caput serpentis conterit, quia ipsa suggestionum initia statim comprimit. Vide alias explicationes apud Irenaeum lib. 3. cap. 38. Leonem serm. 2. de Natali Domini.Hieronymum in quaestionibus hebraicis, et alios.

CAPUT XII.

De poenitentia et salute primorum hominum.

Restat pars ultima hujus disputationis,quae erat de primorum parentum poenitentia et salute. Fuit enim una ex Tatiani haeresibus , primos homines post mortem aeternae damnationi addictos fuisse. Qui error communi Patrum, et Ecclesiae consensu rejectus est. Nam in primis quotquot scribunt de haeresibus Tatianum reprehendunt , quod saluti primorum parentum contradicere ausus fuerit.

Vide Irenaeum lib. 1. cap. 30. et 31. Tertullianum in lib. de praescriptione adversus haereticos cap. 52. Epiphanium in haeresi Tatiani , quae est 46. Philastrium in catalogo haereticorum. Augustinum in lib. de haeresibus cap. 23. Quibus adde ejusdem s. Augustini testimonium ex epistol. 99.ad Evodium in haec verba: *Et de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod eum ibidem (Christus ad inferna descendens) solverit, Ecclesia fere tota consentit. Quod eam non inaniter credidisse credendum est undecumque hoc traditum sit,etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod* in lib. Sap. cap. 10. *scriptum est; haec illum, qui primus factus est, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus,custodivit, et eduxit illum a delicto suo,et dedit ei virtutem continendi omnia, magis pro hac sententia, quam pro ullo modo alio intellectu facere videatur.*

Quo loco s. Augustinus primum probat ex traditione non scripta, Adamum salvatum esse , deinde

ex Scriptura; neque revocat in quaestionem, an liber Sapientiae sit canonicus, sed an verba ejus libri ita perspicue pro hac sententia faciant,ut nihil contra objici possit. Et plane (ut ipse etiam indicat) non apparet quomodo aliter intelligi possint illa verba (*eduxit eum a delicto suo*) quam de poenitentia et salute primi hominis.

Adhaec s. Irenaeus in lib. 3. cap. 34. et seq. multis rationibus probare conatur primos parentes salvos esse. Primum, quia nova est sententia contraria, et ab ipso Tatiano primum excogitata.Deinde, quia Deus non maledixit Adamo et Evae, sicut maledixit serpenti, cujus salvus omnino deplorata erat. Quo argumento utitur etiam Tertullianus in lib. 2. adversus Marcionem: *Ideo*, inquit, *nec maledixit ipsum Adam et Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione revelatos.* Tertio, quia Adam et Eva in signum poenitentiae induerunt se asperis perizomatis ex foliis ficulneis, quasi sacco et cilicio. Quarto, quia non videtur bonus pastor ovem centesimam, quae perierat,proprie invenisse, si primus homo, qui per eam significabatur,salvus non esset. Quinto,quia posset diabolus merito gloriari, se a Christo victum non esse, si filii ac posteri primorum parentum,non ipsi primi parentes, de captivitate liberarentur. Diabolus enim primos parentes proprie superavit, caeteros autem homines ideo jure captivos tenet, quod filii sint eorum, quos ipse jure belli servos suos fecit. A quo enim quis superatur, ejus servus efficitur.

Addit Epiphanius haeresi 46. aliud argumentum ex eo, quod non sine ingenti mysterio Adam sepultus fuisse traditur in eo ipso loco, ubi Christus in cruce pendens sanguinem suum fudit; Qui quidem locus a cranio primi hominis ibi reperto Calvariae nomen accepit. Quorsum enim divina providentia hoc procurasset, ut cadaver primi hominis ea potissimum terra contegeretur, quae sanguine Redemptoris aspergenda erat, nisi ut intelligeremus, ipsum etiam primum hominem a peccato suo Christi sanguine expiatum?

Nam quod s. Hieronymus in comment. Matth. cap. 27. et epist. ad Ephes. cap. 5. hanc sententiam de primi hominis sepultura in monte Calvariae refelli existimat ex lib. Josuae cap.14. ubi dicitur, Magnus Adam sepultus in Cariath Arbe; qui locus dictus videtur Cariath Arbe, idest,civitas quatuor, quia quatuor summorum hominum ossa contineat, Adam, Abraham, Isaac et Jacob, non multum nos movet. Nam sententia illa de sepultura Adami in monte Calvariae non solius Epiphanii, sed aliorum multorum est, ut Origenis tract. 35.in Matth.Athanasii in sermone illo brevissimo de passione Domini, qui incipit, Hominum certe peccata; Basilii in cap. 5. Isaiae; Joannis chrysostomi homil. 84. in Joan. Anastasii Sinaitae lib. 7. contemplat. in Exam.Germani in theoria rerum ecclesiasticarum, Euthimii et Theophilacti in cap. 27. Matth. Ex Latinis antiquissimus Tertullianus ita de hac re scripsit in lib. 2. adversus Marcionem carmine scripto.

Golgotha locus est, capitis Calvaria quondam,
Lingua paterna prior, sic illum nomine dixit.
Hic medium terrae est, hic est victoria signum,
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adae ut possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus stillantis aquae virtute levari.

Haec ille. Idem postea scripsit Cyprianus, vel quicumque est auctor, sermone de resurrectione Domini. Ambrosius epist. 19. ad Horontianum, et in cap. 23. Lucae. Augustinus serm. 71.de tempore, et, quod magis admirandum videtur,ipse Hieronymus in epistola ad Marcellam, in qua hortatur illam, ut veniat in Palestinam.

Accedat Postremo definitio concilii milevitani, cap. 2. quae docet, locum Apostoli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit etc.* non aliter esse intelligendum, quam de peccato originali, quod generatione contrahitur. Quod autem Erasmus dicit, concilium fuisse particulare, ac propterea se decretis ejus minime teneri, superbe ac temere dictum nobis videtur, praesertim cum illud concilium ab apostolica sede sit confirmatum, ut constat ex epistola Innocentii I. ad concilium milevitanum, quae epist. habetur in 1. tom. conciliorum, et inter epistolas s. Augustini num. 93. Relatum quoque est hoc decretum conc. milevit. in corpus juris canonici, de consecratione dist. 4. can. *Placuit.* Et denique concilium universale nostro hoc saeculo Tridenti celebratum sess. 5. idem decretum verbis iisdem renovavit, ut jam nulli, qui catholicus haberi velit, de hujus loci apostolici explicatione liceat dubitare.

CAPUT IV.

Idem probatur ex aliis testimoniis Scripturae divinae.

Praeter locum Apostoli jam explicatum, sunt alia multa in Scripturis utriusque testamenti, ex quibus nos praecipua adducemus.

Primus locus est in lib. Job cap. 14. quem s. Augustinus, caeterique Patres passim allegare solent ex versione 70. interpretum, his verbis: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*, et respondent verba graeca: Τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐδεὶς ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. In codice hebraico non difficulter idem sensus invenitur. Sic enim legimus: מי יתן שהור משמא לא אחד צים יכיו אסהר quae verba hoc sonant: *Quis dabit mundum*

ab immundo? non unus (mundus videlicet est) *etiamsi breves dies ejus.* Interpres noster sic reddidit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? breves dies hominis sunt.* Quae lectio, tametsi aliquid addit ad verba hebraica per modum paraphrasis; tamen quoad sententiam optime convenit cum ipso hebraico textu, praesertim ut nunc scribitur et distinguitur. Nam illud מטמא proprie (ab immundo) vel (de immundo) significat, cui noster interpres explicandi gratia adjunxit, *Semine*: Septuaginta vero, aut acceperunt immundum pro immunditia, aut legerunt שמאת pro שמא; illud autem לא חאך noster interpres accepit per modum interrogantis, et ideo vertit, *nonne tu qui solus*, sive *unus es?*

Septuaginta vero interpretati sunt per modum negantis et idcirco dixerunt, *Sed ne unus.* Sic etiam interpres noster illum, *Breves dies ejus*, conjunxit cum sequenti versu, ut conjungunt etiam Hebraei, qui inde incipiunt non solum novum versum, sed etiam novum caput, et ideo vertit: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.* At Septuaginta conjunxerunt ea verba cum praecedentibus, et idco verterunt, *etiamsi una dies sit vita ejus.*

Itaque utramque versionem et nostram latinam vulgatam et illam Septuaginta virorum verba hebraica ferre possunt. Et cum nostra sit a concilio oecumenico approbata, et illa ab omnibus pene veteribus, quod attinet ad hunc locum, celebrata, neutra contemnenda est.

Et quidem juxta nostram editionem sumitur argumentum pro peccato originali, ex eo quod si solus Deus potest mundare hominem de immundo conceptum semine, sequitur eundem hominem ab ipsa conceptione esse immundum. Non enim mundari egent, nisi immundi. Haec autem immunditia sine dubio non corporalis, sed spiritualis est: nam a corporali immunditia, mundari homo etiam ab homine potest. Denique in Scripturis immunditia pro peccato accipitur. Isai. 64. *Facti sumus ut immundi omnes nos, et tamquam pannus menstruatae omnes justitiae nostrae.* Et Zachariae 3. *Auferte vestimenta sordida ab eo, et dixit ad eum, ecce abstuli a te iniquitatem tuam.* Porro juxta editionem Septuaginta interpretum testimonium est adhuc illustrius. Nam si non est mundus a sorde infans unius diei, profecto peccatum quoddam omnibus nobis ab ipsa conceptione inhaeret.

Alterum testimonium habetur in psalm. 50. in illis verbis: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Ubi primo loco sciendum est, non impedire argumentum pro peccato originis, quod in numero multitudinis dicatur homo concipi in peccatis, cum peccatum originis unum sit, non multa. Nam re vera in hebraico fonte numerus est singularis; ובדשא יתמתני אמו דז בעזון חוללתי et ideo s. Hieronymus, et alii fere omnes reddiderunt in iniquitate et in peccato. Adde quoque ex s. Augustino in enchir. cap. 44. et 45. posse etiam peccatum originale significari nomine peccatorum et iniquitatum, tum quia non est inusitata in Scripturis, et in profanis auctoribus figura intellectionis, qua numerus multitudinis ponitur pro numero singulari, et contra numerus singularis pro numero multitudinis, tum quia in peccato illo primo Adami, quod a posteris generatione contrahitur, multae fuerunt iniquitates, superbia, infidelitas, inobedientia et aliae.

Deinde illud est observandum non posse hunc locum depravari ab adversariis, quasi peccatum in hoc testimonio accipiatur improprie, idest, pro mortalitate, aut morbo aliquo, nam eae voces ערוג et חשא proprie verum peccatum significant, et eaedem voces in eodem psalmo saepius repetuntur, et semper accipiuntur pro vero et proprie dicto peccato, quale fuit adulterium Davidis cum Bethsabeae, quod in eo psalmo potissimum deploratur.

Postremo non licet hanc Davidis confessionem detorquere ad peccata parentum, qui eum genuerunt, quasi dicere voluerit, parentes suos peccasse, cum genuerunt. Nam in primis satis constat, Davidem non ex fornicatione, vel adulterio, sed ex honesto et sancto conjugio natum. Deinde cum David in toto hoc psalmo argumenta conquirat, quibus divinam misericordiam ad se flectat, non debuit peccata parentum allegare, sed miseriam suam exponere. Et hoc est, quod faciat, cum se miserum ab ipsa conceptione fuisse dicit. Praeterea verbum illud הוללתי non refertur ad actionem gignendi, in qua peccatum esse solet, quando parentes gignendo peccant, sed ad formationem corporis, quae post parentum concubitum a Deo fit. Vere enim ac sapienter dixit sancta illa martyrum Machabaeorum mater: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, et vitam et singula membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem etc.* in lib. 2. Machabaeorum 7. cap.

Sic etiam altera illa vox יחמתני proprie non significat *gignere*, aut *concipere*, sed *calefacere* et *fovere*. Proinde refertur ad illud tempus, quo foetum jam formatum et animatum mater in utero fovet et fovendo calefacit. Certum autem est nullum intervenire parentum peccatum, vel cum proles concepta formatur, vel cum jam formata in utero confovetur. Et fortasse ad calumnias futurorum haereticorum tollendas, Spiritus sanctus noluit hoc loco uti vocabulis, quae proprie significant gignere, vel concipere, quae sunt ילד et הוה.

Jam vero ex novo testamento habemus in primis verba illa praecursoris Domini, Joan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quo loco in textu graeco legitur in num. singulari τὴν ἁμαρτίαν τοῦκόσμου *Ecce qui tollit peccatum illud mundi.* Quod est autem peccatum illud mundi, nisi commune illud peccatum, quod per unum hominem in hunc mundum intravit, ut ex Apostolo supra citavimus?

Deinde habemus illud Joan. 3. *Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.* Ubi notat s. Augustinus lib. 6. in Julianum cap. 12. non esse dictum, ira Dei veniet super eum, sed manet super eum, quia jam antea erat et manet in omnibus filiis Adae, nisi per Christum tollatur.

Tertio habemus illud Rom. 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Certe enim si omnes peccaverunt, non excipiuntur parvuli a peccato. Parvuli autem propria voluntate nihil boni, aut mali egerunt, ut idem Apostolus ait ad Rom. 9. Igitur omnes peccasse dicuntur, quia filii illius sunt, in quo omnes peccaverunt, ad Rom. 5.

Quarto habemus comparationem illam Adami cum Christo, gratiae cum peccato, resurrectionis cum morte, quam idem Apostolus facit in priore epist. ad Corinth. cap. 15. ex qua comparatione manifeste colligitur, ita omnes, qui ex Adamo nascuntur, peccatum et mortis aeternae debitum contrahere, sicut omnes, qui renascuntur in Christo, gratiam justificationis et beatae resurrectionis pignus acquirunt.

Quinto habemus insignem illam Apostoli ratiocinationem in epist. posteriore ad Corinth. cap. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus.* Ubi primum conditionalis consequutio ponitur, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Deinde absolute assumitur, Christus pro omnibus mortuus est. Relinquitur autem, ut absolute concludamus, ergo omnes mortui sunt. Et satis aperte loquitur b. Paulus de morte omnium, non tam corporali, quam spirituali. Dicit enim Christum mortuum esse, *ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed Deo.* Et paulo post clarius, quod dixerat, Christum pro nobis mortuum, dicit, *Nos Deo per Christum reconciliatos.* Et paulo post clarissime dicit, *eum qui peccatum non fecerat, pro nobis peccatum, idest, hostiam pro peccato, factum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo.* Jam igitur cum constet, Christum pro nobis omnibus omnino mortuum, atque hostiam pro peccato factum esse, sequitur omnes omnino, sine ulla exceptione conditionis, sexus, aetatis, mortuos esse in Adamo et redemptore, seu justificatore indiguisse.

Sexto habemus illud Galat. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut remissio per Christum daretur credentibus.* Est enim sententia hujus loci, Scripturam demonstrare, omnes homines esse peccatores, nec posse nisi per Christum ad indulgentiam pervenire.

Septimo, habemus illud Ephes. 2. *Eramus et nos natura filii irae, sicut etc.* Dicimur enim natura filii irae, quia a nativitate, vel quia ex natura peccato primi hominis vitiata, reatum peccati trahimus, ex quo irae, atque vindictae divinae obnoxii sumus. Aliqui interpretantur illud, *natura*, ac si dictum esset *prorsus*, Quam interpretationem s. Hieronymus in commentario non rejicit, quin etiam fatetur, vocem esse ambiguam, tametsi priorem ipse expositionem sequitur.

S. autem Augustinus lib. 6. in Julianum cap. 4. graviore censura eam interpretationem dignam esse censuit. Sic enim ait: *Quod autem dicis, ubi ait Apostolus, natura filii irae, posse intelligi, prorsus filii irae. Nonne hinc admoneri debuisti, antiquam contra vos defendi catholicam fidem: quia non fere invenitur latinus codex, si non a vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, ubi non, natura, sit scriptum? Quod utique cavere debuit interpretum antiquitas, nisi etiam fidei haec esset antiquitas, cui coepit vestra resistere novitas.* Haec ille, qui ex eo, quod omnes codices latini habent, natura, recte colligit, hoc loco non esse vocem ambiguam, quoniam si ita esset, aliquis vertisset, *prorsus*, aliquis, *natura*, nunc autem omnes eodem modo, verterunt quia omnes eodem modo testimonium hoc apostolicum intellexerunt. Ac de Scripturis quidem haec loca sufficiant.

CAPUT V.

Probatur eadem veritas testimoniis Patrum, qui ante Pelagianam haeresim exortam scripserunt.

Secundo loco confirmanda est veritas testimoniis, ac traditione Ecclesiae. Ac Primo adferemus testimonia Patrum illorum, qui ante Pelagianam haeresim exortam scripserunt. Deinde addemus Ecclesiae decreta, quae proprie haeresim istam damnaverunt.

Primus igitur prodeat s. Dionysius areopagita, qui in lib. de Eccles. hierarch. cap. 3. part. 3. peccatum primi hominis toti naturae humanae adscribit: *Humanam*, inquit, *naturam, initio stolide a divinis beneficiis prolapsam, obnoxia passionibus variis vita suscepit, et mortis corruptibilis finis. Quippe perniciosa illa a vera bonitate defectio, et sacrae in paradiso legis praevaricatio eam, quae sponte sua blande mulcentibus, atque infestis adversarii fraudibus cedens vitale excusserat jugum, his quae sunt divinis bonis contraria tradidit.* Quibus verbis Dionysius Primum docet, humanam naturam divinis beneficiis, quae in creatione acceperat spoliatam, obnoxiam factam esse passionibus quoad animam, et morti, quoad corpus. Deinde rationem reddit hujus spoliationis, ac dicit, id factum esse, quia natura humana sponte cedens fraudibus Satanae vitale jugum excussit. Ista enim defectio a vera bonitate tradidit eam his, quae sunt contraria divinis bonis, idest, passionibus et mortalitati.

Ubi vides s. Dionysium non solum poenam, sed etiam culpam toti naturae tribuere. Quod idem paulo infra his verbis docet: *Oberrans itaque (natura humana) et a recto itinere ad eum, qui veraciter Deus est, tendente aversa, et perditis, atque maleficis turmis subjecta, minime advertit, se pro Diis, atque amicis, infestis hostibus fuisse obsequutam.*

Secundus testis prodeat s. Ignatius, qui in epist. ad Trallianos ita loquitur: *Vos ergo succincti mansuetudine imitatores estote passionum Christi, et dilectionis ejus, qua dilexit nos, dans semetipsum pro nobis, ut nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate.*

Tertius sit s. Justinus martyr, qui in dialogo cum Triphone sic ait: *Ad amnem eum non ideo venisse pro comperto habemus, quod vel Baptismi lavatione, vel Spiritus in specie columbae adventu opus ei fuerit, sicut nec nasci, et crucifigi pro-*

pter functionis hujusmodi indigentiam sustinuit: sed humani generis caussa, quod per Adam in mortem et fraudem, seductionemque serpentis conciderat, ut interim propriam pro se maligne agentis, cujusque culpam taceam. Hic videmus, non solam mortem, sed etiam serpentis seductionem toti generi humano communem esse, et Christum crucifixum esse pro peccato, tum communi toti naturae humanae, tum propriis uniuscujusque, idest, pro peccato tum originali, tum actuali.

Quartus sit s. Irenaeus lib. 5. cap. 17. *Delevit*, inquit, *chyrographum, debita nostra, affigens illud cruci, uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem.* Vide eundem lib. 3. cap. 20. et rursus alium locum apud Augustinum lib. 1. in Julianum cap. 2.

Quintus sit Tertullianus, qui in lib. de anima, cap. 40. sic ait: *Omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem quia immunda.*

Sextus, Origenes homil. 8. in Levitic. *Quaecumcumque anima*, inquit, *in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur, propter quod dictum est; Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.*

Septimus, s. Cyprianus lib. 3. epist. 8. ad Fidum: *Infans*, inquit, *recens natus nil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit.*

Octavus, s. Athanasius serm. in illud: *Omnia mihi tradita sunt*, sub initium: *Postquam*, inquit, *peccaverat, et lapsum fuerat homo, ejusque lapsu perturbatis omnibus, mors invaluisset ab Adam usque ad Christum, terraque exercrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, coelum infensum, et tandem corrupto et interempto homine invaluisset diabolus contra nos etc.*

Nonus, s. Hilarius, qui in explicatione psal. 118. exponens illa verba ad finem totius psal. *Vivet anima mea, et laudabit te*, sic ait: *Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerit; Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Scit se sub peccati origine, et sub peccati lege esse natum.*

Decimus, s. Basilius, qui in expositione psal. 32. explicans illud, *Diligit misericordiam, et judicium, misericordia Domini plena est terra: Nequit*, inquit, *homo mundo corde, ac liber omnino a sorde peccati inveniri, etiamsi unius diei tempore supra terram vixerit. Quamobrem si quis videat quotidie malitiam invalescentem, ac depascentem homines, et fragile genus hominum mille mortibus delictorum gratia dignum, tanto admirabitur magis divitias bonitatis divinae tolerantiae et longanimitatis.* Vide alium locum ejusdem apud Augustinum lib. 1. in Julianum cap. 2.

Undecimus, s. Ambrosius, qui in apologia David cap. 11. sic ait: *Antequam nascamur, maculamur contagio; antequam usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur.* Et infra: *Merito David deploravit in se ipsa inquinamenta naturae, quod prius inciperet in homine macula, quam vita.* Item lib. 1. de poenitentia cap. 2. sic ait: *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David; Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Vide alia multa loca etiam clariora apud Augustin. lib. 1. in Julian. cap. 2. et lib. de nuptiis, et concupiscentia, cap. 35. et lib. 1. ad Bonifacium, cap. 11.

Duodecimus, auctor comment. in epist. b. Pauli, quae s. Ambrosio tribuuntur. Is enim, ut Ambrosius a viris doctis esse non creditur, ita aequalis Ambrosii sine dubio fuit. Vixit enim tempore Damasi papae, ut ipse testatur in comment. cap. 3. prioris ad Timotheum. Hic igitur auctor in comment. cap. 5. ad Romanos, sic ait: *Manifestum est itaque in Adam omnes peccasse, tamquam in massa, ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt in peccato. Ex eo igitur omnes peccatores, quia ex ipso sumus omnes.* Item in comment. cap. 4. ad Hebraeos: *Juxta similitudinem carnis sine peccato, quia natura, quam veram suscepit, similis est carnis nostrae, peccata verò nequaquam habuit, quae caro nostra de parentibus contraxit, quia tale fuit originale peccatum in carne primi hominis, unde et poena, et remedium fieri potuisset.*

Tertiusdecimus, Cyrillus hierosolymitanus catechesi 2. *Per hunc*, inquit, *Pater noster Adam pulsus est, et pro paradiso admirando quodam modo sponte sua fructus ferente, terram spiniferam accepit. Quid igitur (dixerit aliquis) decepti periimus: numquid non est deinceps salus? cecidimus, an non licet resurgere?*

Quartusdecimus, s. Gregorius nazianzenus orat. 3. de pace, sic ait: *Totus lapsus sum, atque ex primigeni hominis inobedientia, et diaboli fraude condemnatus sum.* Et in 2. oratione in s. Pascha, dicit, nos omnes ab initio per peccatum lapsos. Vide etiam alia loca apud Augustinum lib. 1. in Julianum cap. 2.

Quintusdecimus, s. Hieronymus in commentario cap. 6. Oseae prophetae: *Et ibi*, inquit Deus, *hoc est in paradiso, omnes praevaricati sunt in me, et in similitudinem praevaricationis Adam. Non enim mirum, si quod in parente praecessit, etiam in filiis condemnetur.* Item in commentar. cap. 2. Micheae: *Unusquisque nostrum cum Adam de paradiso cecidit, et in hujus mundi captivitate versatur.* Vide alium locum apud Augustinum loco citato.

Sextusdecimus, Ruffinus in comment. psalm. 50. *Ego*, inquit, *conceptus contraxi mecum iniquitatem originalis delicti. Numquid de adulterio David natus erat, de Jesse justo viro et conjuge ejus? Quid est ergo quod se dicit, in iniquitatibus conceptum esse, nisi quia detrahitur iniquitas ex Adam? nemo nascitur, nisi trahens culpam et culpae poenam.* Fortasse Ruffinus haec scripsit post haeresim Pelagianorum exortam: tamen placuit ejus testimonium hic adscribere, quia vixit idem auctor etiam ante illud tempus.

Septimusdecimus, s. Siricius papa, in epist. 1. ad Himerium cap. 2. sic ait: *Infantibus, qui nec-*

dum loqui valent per aetatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacra unda Baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari unusquisque exiens de saeculo, et regnum perdat et vitam.

Decimusoctavus, s. Joannes chrysostomus in homil. ad neophytos: *Venit*, inquit, *semel Christus, invenit nostrum chyrographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis.* Sic enim vertit verba de verbis s. Augustinus lib. 1. in Julianum, ubi etiam diligenter notavit, Chrysostomum non fuisse contentum dicere, *chyrographum paternum*, sed addidisse, *nostrum*, ut intelligeremur, ad nos etiam pertinere, et nostrum esse ipsum Adae peccatum. Alia loca Chrysostomi vide inferius cap. 9. ubi solvuntur argumenta.

Decimusnonus, s. Augustinus in lib. 1. ad Simplicianum (quem scripsit antequam Pelagiana haeresis orta esset, ut ex retractationibus perspicuum est). Nam in eo lib. quaest. 1. sic ait: *Illud est ex poena originalis peccati, hoc est ex poena frequentati peccati, cum illo, in hanc vitam nascimur; hoc, vivendo addimus.* Et rursus quaest. 2. *Sunt igitur omnes homines, quandoquidem ut Apostolus ait, in Adam omnes moriuntur, a quo in universum genus humanum origo ducitur offensionis Dei, una quaedam massa peccati, supplicium debens divinae, summaeque justitiae, quod sive exigatur, sive donetur, nulla est iniquitas.* His addi possunt Reticius et Olympus, duo veteres Patres, quorum opera non extant, sed eorum testimonia citat s. Augustinus lib. 1. in Julianum cap. 2. Habemus igitur auctores supra viginti, qui futuram Pelagianam haeresim de peccato originali redarguendo ac refellendo praevenerunt.

CAPUT VI.

Probatur eadem veritas ex definitione ecclesiastica.

Nunc adferemus judicia non singulorum hominum, sed ipsarum ecclesiarum, sive conciliorum, quibus error ille Pelagii, Caelestii et Juliani, quem Faber, Erasmus et Zwinglius nostro saeculo renovarunt, publice damnatus fuit. Habemus autem judicia totius orbis terrarum.

Primum enim in oriente concilium palestinum, episcoporum 14. errorem hunc ita damnavit, ut Pelagium ipsum ad eundem errorem damnandum compulerit. Meminit hujus synodi s. Augustinus lib. 1. in Julianum cap. 2. epist. 106. et alibi.

Deinde in occidente habemus ex Africa concilium milevitanum, quod in 2. can. ita statuit: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, anathema sit.*

Habemus item ex Africa concilium carthaginiense nationale frequentissimum, episcoporum videlicet 217. quod post confirmationem a Zozimo summo pontifice obtentam, a toto orbe receptum fuit, ut refert s. Prosper in Chronico ad annum 420.

Ex Hispania habemus concilium toletanum VI. can. 1. ubi sic legimus: *Ex his tribus divinitatis personis solum filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quae per inobedientiam Adae originaliter, et nostro libero arbitrio contraximus, resolvenda, a secreto Patris, arcanoque prodiisse, et humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine assumpsisse.* Vide etiam concilium toletanum XII. can. 2.

Ex Gallia habemus concilium arausicanum II. canon. 2. ubi sic legimus: *Si quis soli Adae praevaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quae poena est peccati, non autem et peccatum, quod est mors animae, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit etc.*

Ex Germania habemus concilium moguntinum, can. 5. ubi sic legimus: *Hoc primorum hominum peccatum propagatione in omnes homines transiit, et secum poenam suam trahit, ut sint omnes homines irae Dei, damnationis et mortis rei, et ad peccatum proni.*

Ex Italia habemus responsa veterum summorum pontificum, Innocenti, Zozimi, Caelestini, Leonis, Gregorii. Nam b. Innocentius I. exortum errorem istum, tempore sui pontificatus, aperte damnavit, ut Augustinus testatur lib. 1. in Julianum cap. 2. et epist. 157. Extat autem epist. ejusdem Innocentii ad concilium milevitanum, in qua confirmat ejus concilii decreta, et inter alia sic loquitur. *Si ergo nihil volunt offgere non renasci, fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse etc.* B. Zozimi epist. ad episcopos totius orbis non extat, sed ejus haec verba recitat s. Augustinus in epistol. 157. ad Optatum: *Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque Baptismus re ac verbis, idest, opere, confessione et remissione vera peccatorum, in omni sexu, aetate, conditione generis humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est; Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: ipsius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductae, atque transmissae universae animae illud propagatione contractum chyrographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per Baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.* Post haec verba recitata ita subjungit Augustinus: *In his verbis apostolicae sedis tam antiqua, atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.*

B. Caelestinus in epistol. ad Gallos prima, post finem epistolae annectit aliquot capitula, quibus quidquid contrarium est, minime catholicum habendum esse pronunciat,in 4. cap. sic ait:*In praevaricatione Adae omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse.* In cap.12. sic rursus loquitur: *Illud quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuita, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis, et exufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc vere appareat, quo modo princeps mundi hujus mittatur foras, et quo modo prius alligetur fortis,et deinceps vasa ejus diripiantur in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, et dat dona hominibus.*

S. Leo I. epist. 86. ad Nicetam aquilejensem ita loquitur: *Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur praeveniri, ut quae ad gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata. Ideo etiam parvulos dicunt, si sine Baptismo hinc de saeculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adae teneri. sed ad regnum, vel ad vitam aeternam sine ulla cunctatione venire,cum Apostolus dicat; Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors,et ita in omnes homines pertransiit, propter quod et ipsi parvuli baptizantur.*

S. Gregorius in epist.53. lib. 7.ad Secundinum: *Illud*, inquit, *incertum non est, quia nisi sacri Baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta.* His accedunt Postremo concilia universalia duo, florentinum et tridentinum, quorum illud in literis unionis sic docet: *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt,mox in infernum descendere poenis tamen disparibus puniendos:*Istud autem sess. 5. in decreto de peccato originis, ad verbum repetit decreta conciliorum veterum milevitani et arausicani. Quae cum ita sint, nulla omnino remanet de fide catholicae Ecclesiae dubitatio: ut non potuerint Erasmus, Faber, Zwinglius atque Anabaptistae sine incredibili temeritate errorem toties damnatum,iterum innovare.

CAPUT VII

Res eadem rationibus confirmatur.

Sed accedant Postremo etiam rationes, ex variis principiis ductae.Prima ratio ducitur ex Baptismo, eaque invicta prorsus et insolubilis, qua veteres passim usi sunt. Infantes continuo baptizandi sunt, si periculum sit, ne in ea aetate moriantur, ut ex apostolica traditione docet s. Dionysius in lib. de ecclesiast. hierarchia cap. ult. Origenes hom. 8.in Leviticum, b. Cyprianus lib. 3. epist. 8. s. Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos extremo, s. Augustinus lib. 4. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 24. neque id Pelagiani, aut Zwinglius, vel Erasmus negaverunt:et semper in Ecclesia fuit haec sollicitudo fidelium, ut diligentissime providerent, ne quis omnino, sive adultus, sive infans absque Baptismo decederet, ut perspicuum est ex epistola Siricii, supra citata,ad Himerium cap.2.et ex epist. 28. s. Augustini, ad s. Hieronymum. Et praeter apostolicam traditionem habemus verbum ipsum scriptum, quod ea traditio nobis explicuit clarius; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto. non potest intrare in regnum Dei*, Joan. 3.

Certum autem est, Baptismum dari ad remissionem peccati. Nam qui baptizantur, *renascuntur ex aqua et Spiritu sancto*, Joan. 3. Cur autem renasci debet per gratiam, cujus generatio corrupta non fuit per peccatum?

Item qui baptizantur, moriuntur peccato et resurgunt: *Ut in novitate vitae ambulent*, Rom. 6. Quomodo vero mori potest peccato, qui peccatum nullum habet? Rursus qui baptizantur, mundantur et lavantur. Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Tit. 3. *Per lavacrum regenerationis et renovationis etc.* Actor. 22. *Ablue peccata tua invocato nomine ipsius.* Qui autem fieri potest, ut mundetur et lavetur, qui sordes aut maculas nullas habet?

Denique idem ostendit forma Baptismi. Sive enim per formam intelligamus verba illa: *Ego te baptizo etc.* Sive symbolum illud externum, quod est similitudo rei internae; falsa erit forma Baptismi, ut concilia allegata testantur, si Baptismus non datur in remissionem peccatorum. Nam quid est: *Ego te baptizo*, nisi, ego te lavo, vel mundo, juxta Scripturas definientes Baptismum,lavacrum regenerationis, quo mundamur in verbo vitae? Quid vero significat symbolum illud externum, quo mergimur in aquam, emergimus ex aqua, nisi (ut Apostolus ipse docet, Roman. 6.) *Mori nos peccato,ut resurgamus justitiae?* Quare dubitari non potest. quin infantes,quibus necessarium esse Baptismum ex verbo Christi et apostolica traditione monstratum est, peccatum habeant quod secum ex utero matris adduxerint.

Secunda ratio dicitur a caeremoniis Baptismi antiquissimis, et in Ecclesia universa celebratis exorcismo videlicet et exsufflatione.Quo argumento utitur passim s. Augustinus, ut lib. 1. de peccatorum meritis et remission. cap. 34. lib. 1. de nuptiis et concupiscentia, cap. 20. et lib. 6. in Julianum, cap. 2. utuntur etiam Caelestinus papa in epistol. ad Gallos, et alii posteriores.Nam Pelagiani reprehendere nec poterant, nec audebant usum universae Ecclesiae, quo per exorcismum et exsufflationem ab infantibus baptizandis spiritus immundus abigitur. Sic enim scribit Augustinus lib. 6. in Julianum cap.2. *Id tu commemorare timuisti,tamquam ipse a toto orbe exsufflandus esses, si huic exsufflationi,qua princeps mundi a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.* Quod si spiritus immundus infantes ante Baptismum possidet negari non potest,quin eos per peccatum captivos teneat. Neque enim permitteret Deus creaturam suam a diabolo possideri, nisi sibi eam per

peccatum ipse antea subjecisset. A quo enim quis superatur, ejus et servus efficitur.

Tertia ratio ex circumcisionis mysterio. Circumcisio siquidem, ex sententia s. Augustini lib. 16. de Civ. Dei cap. 27. s. Gregorii lib. 4. Moralium cap. 2. s. Bernardi in epist. 77. et Innocentii III. cap. *Majores*, de Baptismo, et ejus effectu, ad peccatum originis purgandum instituta fuerat: ex aliorum vero sententia, si non ad tollendum peccatum originale, certe ad significandam ejus purgationem referebatur. Nam ideo in eo membro fieri jussa est in quo evidentius peccati illius effectus apparet, et per quod genus humanum carnaliter propagatur, et propagatione inficitur. Vide Augustinum tractat. 30. in Joannem.

Quarta ratio ex poena peccati. Mors poena peccati est, ut ex eo constat, quod dictum est primo parenti: *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, Genes. 2. Moriuntur autem omnes, et ipsi etiam infantes, qui propria voluntate nihil egerunt boni vel mali, igitur peccatum quoddam infantibus inest, quod non committitur propria voluntate, sed ipsa propagatione a parentibus trahitur.

Neque responderi potest, mortem fuisse poenam Adamo, filiis autem non esse poenam, sed infortunium et calamitatem, quemadmodum cum quis ob culpam suam ad inopiam redactus, filios pauperes gignit, ipsi quidem inopia poena peccati est, filiis autem infelicitas et miseria.

Hoc, inquam, responderi non potest. Nam Deus per Ezechielem testatur, se non affligere filios ob culpas parentum. Sic enim legimus Ezechielis 18. *Quid est, quod parabolam istam vertitis in proverbium in Israel, dicentes: Patres comederunt uvas acerbas et dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra vobis parabola haec in proverbium in Israel: Ecce omnes animae sunt, ut anima patris, ita anima filii mea est: Anima quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filii.*

Neque huic loco repugnat quod legimus in Exod. cap. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Nam Deus punit peccatum patrum in filiis non semper, sed tunc solum, cum filii imitantur peccata patrum, ut docent s. Patres, Hieronymus in comment. ad cap. 18. Ezechiel. Augustinus in psal. 108. in illa verba: *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus.* Et in lib. cont. Adimantum cap. 7. Chrysostomus hom. 29. in Genesin, tractans illud: *Maledictus puer Chanaam*, et hom. 75. in Matth. Gregor. lib. 15. moral. cap. 22. et Thomas in 1. 2. q. 87. art. 8. Quos sequuntur fere omnes recentiores, et hoc ipsum indicat Scriptura, cum ait: *His qui oderunt me;* Non enim simpliciter Deus dicit, se puniturum peccata patrum in filiis, sed in iis qui eum oderunt.

Itaque non puniuntur filii pro patribus, quasi non mereantur eam poenam peccata filiorum, aut magis puniuntur quam meriti sunt, sed quia nisi praecessissent peccata parentum, Deus eos fortasse non punivisset in hoc mundo, sicut parentes eorum non punivit. Cum igitur infantes non sint rationis capaces, ac per hoc non imitentur peccata patrum, et tamen puniantur poena omnium gravissima, quae est mors temporalis et aeterna, sequitur necessario, ut habeant aliquod aliud peccatum, ob quod juste puniantur, et hoc est, quod originale vocamus.

Quocirca s. Paulus absolute pronunciat, *Mortem stipendium esse peccati*, ad Rom. 6. Et, *Aculeum mortis esse peccatum* 1. ad Corinth. 15. Et in lib. Sapientiae, cap. 12. legimus: *Cum ergo es justus, juste omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum aestimas a tua virtute.* Et Job cap. 4. *Quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?* Denique s. Augustinus lib. 1. retract. cap. 9. *Omnis*, inquit, *poena, si justa est, poena peccati est, et supplicium nominatur.*

Quinta ratio ex passione et morte Domini. Dominus enim pro injustis passus et mortuus est, Isai. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum*, ad Roman. 5. Christus *secundum tempus pro impiis mortuus est*, 1. Petr. 3. Christus *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis*, Mortuus autem est pro omnibus, ut eadem Scriptura testatur, 2. ad Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus* 1. ad Timoth. 2. *Dedit redemptionem seipsum pro omnibus.* Igitur omnes injusti et peccatores sunt, aut certe fuerunt.

Sexta Ratio ex parabolis et figuris. Nam ovis centesima, quae aberravit a grege, et drachma perdita Luc. 15. omnium consensu naturam humanam universam significabant. Ille etiam, qui Lucae 10. descendens ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones, atque ab eis spoliatus et semivivus relictus, jacebat in via, sine controversia genus humanum designat, quod a Satana in primo parente gratiae coelestis indumento exutum, et plagis confectum, ita jacebat, ut semivivus recte dici posset, cum ablata esset animae vita gratiae, non vita naturae.

Septima ratio ex diverso judicio, et sensu sanctorum et ethnicorum in natalitiis hominum. Siquidem ethnici, qui peccatum originis ignorabant, magna celebritate colebant natales dies, ac potissimum reges et principes. Genes. 40. Pharao celebrabat convivium solemne die natalitiorum suorum: idem facit Matth. 14. Herodes idem passim legitur in historiis gentilium. Contra vero sancti diem suum natalem ob originis corruptionem deplorant: *Pereat dies in qua natus sum*, inquit Job cap. 3. et Hieremias c. 20. *Maledicta dies, in qua natus sum.* Abraham quoque filii sui non diem natalem, sed diem ablactationis celebravit, Genes. 21. Porro Ecclesia christiana natalitia sanctorum festivis gaudiis recolit, sed ea natalitia vocat, non quibus cum peccato nascuntur ad vitam mortalem, sed quibus per temporalem mortem transeunt ad vitam beatam et immortalem. Scit enim *pretiosam esse in conspectu Domini sanctorum ejus mortem.* Psal. 15. Et, *Beatos esse mortuos, qui in Domino moriuntur*, Apocal. 14.

Octava ratio ex antiquitate sententiae catholicae, et novitate erroris contrarii. Una enim ex praecipuis notis haereseos est, si post fidem Catholicam praedicatam et receptam et longo tempore cultam, nova aliqua opinio exoriatur, quae novitate sua perturbet animos fidelium assuetos jam dudum contrariae doctrinae. Talem fuisse doctrinam Pelagii, quae negat originale peccatum, testatur his verbis s. Augustinus in lib. 3. de peccat. merit. et remiss. cap. 6. et 7. *Unde nobis hoc negotium repente emerserit, nescio. Nam ante parvum tempus a quibusdam transitorie colloquentibus, cursim mihi aures perstrictae sunt, cum illic apud Carthaginem essemus, non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo. Qua novitate permotus, et quia opportunum non fuit, ut contra aliquid dicerem, et non tales homines erant, de quorum essem auctoritate sollicitus, facile hoc in transactis, atque abolitis habui. Et ecce contra Ecclesiam jam studio flammante defenditur, ecce scribendo etiam memoriae commendatur, ecce res in hoc discriminis adducitur, ut hinc etiam a fratribus consulamur, ecce contra disputare et scribere cogimur.* Haec ille, qui in eodem loco testatur, se apud nullum scriptorem ante Pelagium unquam legere potuisse, homines nasci sine peccato originali. Quin etiam adeo fuisse hoc dogma de peccato originis in Ecclesia fixum ac certum, ut ex eo quaestiones aliae solverentur.

Hoc etiam nostro saeculo Pelagiano haeresi jamdudum extincta, Jacobus Faber et Zwinglius, qui eandem haeresim ab inferis excitarunt, aperte fatentur, sententiam esse suam contrariam doctrinae omnium scholarum, ac per hoc novam, sive potius, ut diximus, renovatam.

CAPUT VIII.

Diluuntur objectiones ex Scripturis.

Superest ut argumenta salvamus, quae Primum a Scripturis, Deinde a Patribus, Postremo a ratione ducuntur. Primo loco adferam testimonia Scripturarum, quae olim Pelagiani objiciebant: Deinde quae Zwinglius postea adjecit. Primum testimonium ex Testamento veteri, erat illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Hoc testimonium, ut potissimum in hac caussa protulerat olim Julianus, protulit etiam nostro saeculo Zwinglius in lib. de Baptismo, in digressione de peccato originis.

Respondit s. August. lib. 6. in Julianum, cap. 12. verba Ezechielis esse prophelica, iisque promitti beneficium Testamenti novi, quo per regenerationem delendum erat chyrographum paternum, ut non amplius noceret peccatum veteris Adami, iis, qui ad novum Adamum per Baptismum pertinere coepissent. Quod evidentius scribitur a Hieremia, cap. 31. his verbis: *In diebus illis non dicent, Patres manducaverunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt. Sed unusquisque in suo peccato morietur. Omnis homo, qui comederit uvam acerbam obstupescent dentes ejus. Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Juda foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti; pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.*

Sed observandum est hoc loco, duobus modis posse fieri, ut filius non portet iniquitatem patris, Uno modo si per novam generationem transferatur ab illo patre ad alium; et hoc modo promittit Deus per Hieremiam futurum in Testamento novo, ut homines per regenerationem translati ab Adamo ad Christum, non portent iniquitatem Adami; Altero modo, si non imitetur iniquitatem patris nec sit particeps peccati illius; et hoc modo videtur Ezechiel dicere, Filium non portaturum iniquitatem patris, ut exposuimus capite superiore. Ezechiel enim aperte prohibet ipsis Judaeis nomine Dei, ne utantur eo proverbio: *Patres comederunt uvas acerbas, et dentes filiorum obstupescunt.* Et rationem reddit, *quia aquae sunt viae Domini, et omnes animae ejus sunt etc.* Et juxta hanc expositionem promptum est Pelagianis respondere, Filios non regeneratos non portare iniquitatem patris, sed suam; peccatum enim originale, tametsi ab Adamo est, non tamen Adami, sed nostrum est.

Itaque idem s. Augustinus qui hoc loco contentus fuit dicere, filios non portare iniquitatem patris, quando regenerati sunt; in eodem lib. 6. in Julian. cap. 4. dixerat, etiam ante regenerationem filios non portare aliena peccata, sed propria: *Parentum*, inquit, *peccata modo quodam dicuntur aliena, et rursus modo quodam reperiuntur et nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis, et nostra sunt contagione propaginis. Quod si falsum esset, profecto grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, nullo modo justum esset.* Haec ille.

Secundum testimonium adferebant Pelagiani ex illis verbis Roman. 5. *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi etc.* Si enim non imitatione, sed propagatione peccatores constituerentur homines ob inobedientiam Adami, non diceret Apostolus, multi, sed omnes. Respondet s. Augustinus in eodem lib. 6. in Julian. cap. 12. per multos intelligi debere omnes, qui nascuntur ex Adamo qui vere sunt multi. Possunt enim aliqua esse omnia, quae tamen non sint multa, ut evangelia quatuor, sunt omnia non multa; Possunt etiam esse multa, quae non sint omnia, ut credentes in Christum multi sunt, non tamen omnes, quia non omnium est fides.

Apostolus igitur valde proprie dixit, multos constitui per Adamum peccatores, et multos justos per Christum, quia omnes, qui nascuntur ex Adamo, constituuntur peccatoros, et illi sunt multi, non ta-

men omnes simpliciter, cum Eva sit homo, et tamen non sit per Adamum injusta constituta, et Christus etiam sit homo, et tamen nec sit ex Adamo, nec peccator: et similiter omnes, qui renascuntur in Christo instituuntur justi, et hi sunt multi, sed non omnes simpliciter, quia non omnes renascuntur in Christo.

Porro Scriptura utrumque dixit, et multos et omnes. Ait enim: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae: sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Cum dicit, *omnes*, significat, neminem esse ex Adamo, qui non sit peccator, neminem ex Christo qui non sit justus: et similiter neminem esse peccatorem, qui non sit ex Adamo, neminem esse justum, qui non sit ex Christo. Cum dicit (*multos*) significat illos, quos dicit omnes, non esse omnes simpliciter, sed tamen absolute et simpliciter multos.

Similis locus est in cap. 17. Genes. *Patrem multarum gentium posui te.* Et cap. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ubi videmus eos, qui promittuntur Abrahae in filios, nunc dici multos, nunc omnes, quia omnes sunt in quodam genere, et tamen simpliciter non omnes, sed multi.

Dicet aliquis, si omnes, qui nascuntur ex Adamo, contrahunt originale peccatum, cur Apostolus in eodem cap. scribit: *Gratiam Dei per Christum abundasse in plures, quam peccatum abundaverit per Adamum?* Respondeo, vocem illam (*plures*) non significare comparationem eo loco, sed aequivalere voci (*multos*) Nam in textu graeco non est πλείονας, sed πολλοῦς. Itaque sensus est, Gratiam Dei per Christum non fuisse restrictam ad unum, vel duos, sed abundasse in plures, sicut peccatum non solum infecit Adamum et filios, sed alios plurimos. Atque hoc quod est abundare in plures, multo magis convenit gratiae, quam peccato, cum gratia sit potentior et efficacior.

Tertium testimonium sumebant ex eodem loco Apostoli: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit.* Nam si peccatum intrasset in mundum per generationem, non diceret Apostolus, per unum hominem, sed per duos homines. Generatio enim duos requirit. Respondet auctor Hypognostici lib. 2. dictum esse, *Per unum hominem*, quia vir et mulier conjuncti per matrimonium, non sunt duo, sed una caro, ut Dominus dicit Matth. 19. Addit idem auctor, Scripturam, ut satisfaceret curiosis Pelagianis, utrumque dixisse, per unum et per unam. Nam Rom. 5. ait: *Per unum hominem.* Eccles. 25. ait: *A muliere initium factum est peccati; et per illam omnes morimur*: Possumus adjungere tertiam solutionem, Apostolorum dixisse: *Per unum hominem*, idest, Adamum, quia primaria caussa peccati originalis, non Eva, sed Adam fuit. Tum quia peccatum Adami, non Evae traducitur in posteros. Tum quia vir caussa est activa generationis, mulier passiva. Quare si Eva peccante, Adam in innocentia permansisset, non haberent ipsorum filii originale peccatum, et contra haberent illud, si Eva in innocentia permanente solus Adam peccasset.

Quartum testimonium accipiebant ex verbis illis Apostoli Pauli 2. ad Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum.* Respondet s. August. lib. 6. in Julian. c. 4. parvulos vel manifestandos esse ante Christi tribunal, vel non manifestandos, si non manifestandos, quia videlicet de adultis tantum loquatur Apostolus, nihil hanc sententiam ad parvulos pertinere, ac per hoc non probari hoc testimonio non esse in parvulis originale peccatum: si manifestandos, parvulos non regeneratos reportaturos quod gesserunt per alios, idest peccatum, sicut reportabunt parvuli regenerati, quod gesserunt per alios, idest, meritum fidei. Sicut enim prodest parvulis, dum baptizantur, quod per alios credunt, et ideo inter fideles et justos numerantur a Christo: Sic etiam mirum non est si eis noceat, quod fidem et justitiam amiserunt per alium, et ideo inter infideles et injustos numerantur a Christo, atque ad eorum gregem pertinent, de quibus praecursor Domini dicit: *Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, Joan. 3.

Quintum testimonium adducit Zwinglius in lib. de Baptismo, ex cap. 3. et 4. ad Rom. his verbis: *Nunc Scripturae testimonia, quae polliciti sumus, proferemus. Paulus ad Roman. 3. peccati cognitionem per legem oboriri dicit. Ubi ergo legis cognitio nulla est, ibi nec peccati cognitio esse potest. Ubi vero cognitio peccati non est, ibi nec praevaricatio est, adeoque nec damnatio quoque ibidem esse potest. Idem enim hoc Paulus testatur ad Rom. 4. dicens. Siquidem ubi non est lex, ibi nec transgressio est. Jam ergo testimoniorum istorum vim et potentiam considera, quae tanta est, ut omnia omnium theologorum de originali peccato commenta penitus subvertat. Morbus enim hic nobis damnationem adferre nequit, quae tum demum subsequitur, cum legem oculis nostris expositam conspicati, adhuc tamen morbo hoc et affectu corruptae naturae impulsi, legem transgredimur.*

Respondeo: Zwinglium ex duobus Scripturae testimoniis non syllogismum, sed paralogismum texuisse. Nam ex illo testimonio: *Per legem cognitio peccati*, ad Rom. 3. deduxit, Ubi nulla est cognitio legis, nullam esse praevaricationem. Quam consequutionem non recte probavit ex illo alio testimonio, *Ubi lex non est, nec praevaricatio est*, ad Rom. 4. Non enim Apostolus ait, ubi legis cognitio non est, nec praevaricatio est; quae erat Zwinglii collectio; sed, Ubi lex non est, nec praevaricatio est. Et quidem quod Apostolus ait, verissimum est, non enim potest fingi praevaricatio nisi sit lex, quae praevaricando violetur. Quod autem Zwinglius ait, falsum est, cum saepe fiat, ut aliqui legem ignorent, et tamen eam vere praevaricentur. Unde sunt peccata, quae dicuntur ignorantiae, quae peccata lethalia esse possunt si ignorantia sit voluntaria, qualis est eorum, de quibus dicitur: *Noluit intelligere ut bene ageret.*

Itaque b. Paulus ad Roman. 2. ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Esse autem sine lege, teste ipso Zwinglio in declaratione de peccato originis, est legem ignorare. Nam alioqui, ut ipse dicit, nemo est sine lege.Sunt igitur aliqui qui legem ignorant, et tamen peccant et pereunt, ac per hoc falsum est, quod ipse ait, ubi legis cognitio non est, nec praevaricatio aut damnatio est.

Rursus aliam propositionem Zwinglius assumpsit, quam non probavit, illam videlicet , ubi non est praevaricatio, ibi nec damnatio esse potest. Et quidem si de praevaricatione in universum , sive ea propria, sive communis sit, Zwinglius loqueretur, admitti posset ea propositio , quamvis eam ipse nullo argumento comprobaverit, sed ex ea nihil efficeret contra originale peccatum. Parvuli enim, qui usu rationis carent, non habent quidem praevaricationem propriam, ob quam damnentur ; sed habent communem quandam toti humano generi, de qua loquitur Apostolus, cum ait: *In quo omnes peccaverunt, ad Rom.* 5. ob quam universum jure damnatum est.

Caeteram,quia sine dubio Zwinglius de propria praevaricatione loquitur, idest, quae propria voluntate committitur,ideo illam ejus propositionem. Ubi non est praevaricatio, ibi nec damnatio esse potest, falsam esse contendimus , et Scripturis contrariam. Nam idem Apostolus, qui ad Roman. 9. dicit, infantes nihil boni, nihil mali fecisse, ac per hoc nullam legem propria voluntate praevaricatos esse. Idem ad Ephes. 2. scribit: *Omnes esse natura filios irae.* Et ad Roman. 5. *Unius delicto in omnes homines in condemnationem.*

Denique Zwinglius illud assumit, quod potissimum in quaestione versatur, solam videlicet praevaricationem, quae est actuale peccatum , esse proprie peccatum,quod hominem damnare potest. Id enim catholici omnes negant, et contrarium testimoniis multis Scripturarum apertissime probant. Ipse vero probavit quidem ex Scripturis, per legem cognosci peccatum, et ubi lex non est , non esse praevaricationem: quae duo extra controversiam sunt; sed, ubi non est praevaricatio,non esse damnationem, quod unum ei probandum fuerat, nulla ratione probavit, sed assumpsit ut certum, quod vitium Dialectici vocant, petere principium, quo nihil absurdius in disputatione committitur.

Sextum testimonium petit idem Zwinglius in eodem libro ex illis Apostoli verbis ad Rom. 7. *Absque lege peccatum erat mortuum,ego autem vivebam sine lege aliquando.Porro veniente mandato peccatum revixit. Quando,* inquit Zwinglius, *sine lege vixisse dicemus Apostolum?nempe cum puer adhuc esset, et aetate tener. Alioquin enim sine lege nemo esse potest.*Sed clarius ex hoc loco argumentum format idem Zwinglius in declaratione de peccato originis, prope finem. Ibi enim probat, parvulos et non baptizatos , esse in statu innocentiae, hoc argumento: *Quamdiu,* inquit, *parvuli legis capaces non sunt , in statu esse innocentiae, nos incunctanter de nostris asseruimus, fulti auctoritate Pauli ad Roman. 4. Ubi enim non est lex, ibi nec praevaricatio. Sunt autem teneri inexperti, legumque rudes, non minus sine lege, quam Paulus: ergo non trasgrediuntur,proindeque nec damnantur.Perhibet autem Paulus, se aliquando sine lege vixisse, ad Roman. 7. id autem de nulla aetatis ejus parte,quam infantia, pueritiave intelligendum est. Peccatum ergo tum ei mortuum fuerit , at ubi lex vixerit , jam se mortuum esse testatur. Eodem modo nos, quamdiu sumus per aetatem rudes non peccamus ipsi: ubi vero lux legis affulsit, jam rei reddimur.* Haec ille.

Respondeo: Hoc argumentum nihil concludere propter tres caussas. Primum enim illud : *Absque lege peccatum mortuum erat,* non significat peccatum simpliciter non fuisse.sed non fuisse cognitum, nec reputatum pro peccato, quamvis re vera peccatum esset. Sic enim idem Paulus docet ad Rom. 5. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Ubi illud: *Non imputabatur,* significat peccatum non fuisse ab hominibus pro peccato habitum, donec lex Moysis peccatum prohibendo, ipsum aperte manifestavit. Quod enim peccatum a Deo imputatum fuerit, perspicuum est ex poena peccati, quae est mors, toti generi humano communis. Itaque in parvulis sine lege (ut Zwinglius docet) viventibus , peccatum est mortuum, idest, occultum et latens,non autem nullum omnino, ac per hoc non sunt parvuli in statu innocentiae , sed in statu peccati et damnationis rei, quamdiu per Baptismum non renascuntur in Christo.

Deinde illud, Ego autem vivebam sine lege aliquando, non cogimur intelligere (ut vult Zwinglius de parvulis, et de lege naturae.) Nam ista ejus interpretatio fuit Origenis in commentario hujus loci. Sed refutata est optimis argumentis a s.Joanne chrysostomo in comment. ejusdem loci. Est autem expositio communior sanctis Patribus, quod Apostolus loquatur in persona naturae humanae, qualis erat ante legem Moysis , et sententia hujus loci haec sit , Peccatum absque lege Moysis mortuum erat, quia non cognoscebatur ut offensa Dei, nec ut reatum mortis adducens.Homines autem vivebant sine lege , Moysis videlicet , aliquando , et ideo in oculis eorum ignorantia excaecatis, peccatum mortuum erat, sed ubi lex advenit, peccatum revixit, quia cognosci coepit. Vide comment.Chrysostomi et Theophilacti , necnon Ambrosii (sive quicumque is fuit auctor) Haymonis,Anselmi,Thomae,et aliorum in hunc locum. Denique etiam Augustinum lib.1. ad Simplicianum, quaest. 1.et lib. 83. quaest. 66.

Postremo : Si concederemus hoc testimonium proprie ad parvulos pertinere, non propterea efficeretur, parvulos nondum baptizatos esse in statu innocentiae,sed solum carere eos peccato actuali, quod propria voluntate committitur. Qui enim sine lege sunt, idest, ut Zwinglius explicat, legem non norunt, neque ejus noscendae capaces sunt, non possunt actione propria legem praevaricari. At quaestio nostra est, an praeter actuale peccatum non sit etiam aliquod aliud vere ac proprie dictum peccatum, quod non actione propria committatur, sed a parentibus per generationem trahatur. Ad

quam quaestionem nihil omnino pertinet locus Apostoli a Zwinglio adductus.

Septimus testimonium adducitur ab eodem Zwinglio, tum in lib. de Baptismo, tum in declaratione de peccato originis, ex cap. 5. ad Rom. ubi sic Paulus loquitur: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adam.* Nam ex hoc loco Zwinglius colligit, mortem quidem ex primo parente trahi, non autem peccatum. Sed facilis est responsio. Nam Apostolus (ut supra diximus) demonstrare voluit, ante legem Moysis, fuisse in mundo peccatum, et omnes homines fuisse peccatores. tametsi peccatum non ita perspicue cognosceretur, ut offensa Dei. Id vero probat ex morte, quae est poena peccati, et in omnibus regnat, et regnavit etiam illo tempore, quo peccatum non perspicue cognoscebatur, idest, ab Adam usque ad Moysem.

Quare non dicit Apostolus, mortem regnasse in eos, qui nullo modo peccaverunt (si enim hoc diceret, neque probaret quod volebat, et verbis illis suis repugnaret, mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt) sed dicit, mortem regnasse in illos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adam, idest, qui non peccaverunt propria actione contra legem plane perspectam et cognitam, quemadmodum peccavit Adam. Itaque ex verbis apostolicis habemus, omnes homines mori, et peccatum habere, vel habuisse, quamvis non omnes peccaverint actuali peccato, ut peccavit Adam.

CAPUT IX.

Explicantur testimonia Patrum, quae Pelagianis in speciem favere videntur.

Ex Patribus pauci quidam sunt, qui pro sententia Pelagianorum adduci possent, videlicet Clemens alexandrinus, Ambrosius, Arnobius, s. Joannes chrysostomus et Theodoretus. Clemens lib. 3. stromat. sub finem, sic ait: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adae ccidit execrationem, qui nihil est operatus?*

At non satis constat, cujus haec verba sint, ipsius ne Clementis, an haereticorum, cum quibus in eo stromate Clemens disputat. Ac probabile est, illis verbis contineri objectionem Julii Cassiani et aliorum, qui docebant malam esse generationem, et ea de caussa nuptias damnabant. Illi enim prolato testimonio sancti Job: *Nemo mundus a sorde, nec si sit infans unius diei*, inde colligebant, infantes nasci immundos et peccatores; et quoniam certum est, non esse infantes propria aliqua actione pollutos, cum nec fornicari, nec aliquid ejusmodi facere possint, efficiebant malam esse generationem, quandoquidem ex ea homines procreantur immundi. Sic enim continuo subjicit Clemens. *Restat ergo eis (ut videtur) consequenter ut dicant, malam esse generationem, non solum eam, quae est animae.* Itaque haeretici illi peccatum originis non negabant, sed asserebant potius, et ex ea assertione errorem suum astruere conabantur.

S. Ambrosium adducit Michaël Servetus (teste Sixto senense lib. 6. Bibliothecae sanctae, annotat. 236.) contra peccatum originale, propter illa verba, quae habentur in commentario capitis quinti ad Romanos: *Mors dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est et alia mors, quae secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adae patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquirimus, a qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erant, sed superiori, quasi in libera, quia ad coelum ascendere non poterant.*

Sed facilis est responsio. Nam neque commentaria illa censentur Ambrosii, neque auctor eorum commentariorum quidquam scripsit contra doctrinam Ecclesiae de peccato originis, sed eam potius, ut cap. 5. ostendimus, apertissime confirmavit. In verbis autem paulo ante citatis, nihil aliud auctor ille docet, nisi poenam originali peccato debitam non esse gehennam ignis, hoc est, poenam sensus, ut recentiores theologi loquuntur, sed carentiam aeternae beatitudinis, quae poena damni appellari solet, quam poenam qui sustinent, in inferno quidem degunt, sed in parte quadam ejus loci superiore, atque altiore, quam ut ad eam gehennae flamma pertingere queat.

Hanc vero esse auctoris illius sententiam, ex ejus verbis intelligi potest; nam postquam dixerat, ob peccatum originale fuisse homines, alioqui bonos, in inferno, neque ad coelum ascendere potuisse, ita subjunxit: *Sententia enim tenebantur data in Adam, quod chyrographum in decretis morte Christi deletum est. Sententia autem decreti fuit, ut unius hominis corpus solveretur super terram; anima vero vinculis inferni detenta exitia pateretur.* Et infra: *Paterno autem peccato ex Dei sententia erat apud inferos; gratia Dei abundavit in descensu Salvatoris, omnibus dans indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in coelum.*

Jam vero Arnobius tertio loco adduci potest, qui commentario psalmi quinquagesimi sic loquitur: *Non dixit David, cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea, sed in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis genuit me mater mea. Dicendo enim matrem eum in suis iniquitatibus genuisse, eum in peccatis saeculi peperisse signavit, quia omne peccatum corde concipitur, et ore consummatur, hic autem qui nascitur, sententiam Adae habet. peccatum vero suum non habet.*

Hic vero auctor quicumque sit, certe non est Arnobius ille, praeceptor Lactantii, qui scripsit libros septem adversus gentes, sed aliquis multo recentior, ut aliqui ante nos observarunt. Videtur autem auctor iste non negasse, parvulos habere peccatum, quod ex Adamo contraxerint, sed non habere peccatum, quod propria voluntate commiserint. Nam dicit parvulos habere sententiam Adae, ac per hoc etiam culpam Adae sibi generatione communicatam. Non enim justa sententia esset, nisi culpa praecederet, et idcirco cum dixisset. Hic autem qui nascitur, sententiam Adae habet, non adjunxit, peccatum vero non habet; sed peccatum

vero suum non habet ; quod relativum (suum) ad peccatum actuale referri debet, de quo supra dixerat, peccatum corde concipi, et ore consummari.

Quarto loco, adducitur s. Joannes chrysostomus, qui non solum olim Juliano Pelagii sectatori primario, sed etiam nostra aetate novis Pelagianis visus est negasse originale peccatum. Haec autem sunt testimonia, quae ex Chrysostomo proferri solent. Primum, homilia 10. in epistolam ad Romanos : *Quid sibi vult* (inquit Chrysostomus) *in quo omnes peccaverunt? quod illo lapso, et illi item qui de ligno non comederunt, effecti sunt ex illo tempore omnes mortales.* Quibus verbis solam mortalitatem primi hominis, non autem inobedientiam ejus, qua pomum vetitum gustavit, communicari posteris dicere videtur. Quod etiam apertius paulo inferius his verbis scribit: *Videtur*, inquit, *quaestionem non parvam habere quod dictum est, videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores extitisse. Illo enim peccante, ac mortali effecto, et qui ex eo orti sunt, eos tales esse nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, quam, obsecro, congruentiam et consequentiam habet? Quid igitur hoc loco verbum hoc (peccatores) significat? mihi videtur tantundem significare, quantum illud (supplicio obnoxii ac mortis rei) quod Adam mortuo, omnes sunt mortales effecti.*

Alterum testimonium habetur homilia 17. in epistolam priorem ad Corinthios : *Quid igitur faciam, inquis, propter illum, videlicet Adamum, pereo? minime propter illum. Neque enim tu sine peccato permansisti; quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti.*

Tertium testimonium homilia 39. in eandem epistolam: *Quid igitur, dic mihi, num omnes in Adam morte peccati mortui sunt? Quomodo ergo Noe vir justus saeculo suo fuit? quomodo Abraham, quomodo Job? quomodo multi denique alii, et quomodo, dic mihi, omnes vivificabuntur in Christo, et hi praesertim, qui in gehennam aducendi sunt? Itaque si hoc de corpore dictum esse velimus, constabit oratio, si autem de justitia et peccato, nequaquam.*

Quartum testimonium, homilia 24. in epistolam ad Ephesios: *Corruptibiles nobis corpus est, sed incorruptibilis anima. Ne igitur et ipsam corrumpamus, hoc illud primum primi hominis peccatum fecit; quod autem post lavacrum fit, etiam animam corrumpere potest.*

Quintum testimonium, homilia ad neophytos: *Vides quos sunt Baptismatis largitates? sed multis quidem videtur Baptismi gratia in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem Baptismi honores jam computavimus decem, hac de caussa et infantulos baptizamus, quamvis non sint inquinati peccato ; nempe ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas et fraternitas Christi.* Haec igitur testimonia sunt, ob quae s. Joannes chrysostomus ad patrocinium Pelagianae haereseos ab adversariis advocatur.

Sed b. Augustinus jam olim Chrysostomum defendit in lib. 1. adversus Julianum cap. 2. ubi sic loquitur: *Hanc verba s. Joannis episcopi audes tamquam e contrario tot talium sententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, et eis adversarium constituere? absit, absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere ; absit, inquam, ut constantinopolitanus Joannes tot ac tantis coepiscopis suis, maximeque romano Innocentio, carthaginiensi Cypriano, cappadoci Basilio, nazianzeno Gregorio, gallo Hilario, mediolanensi resistat Ambrosio.*

Deinde multa loca idem Augustinus ex libris Chrysostomi profert, unde probet, eum de peccato originali nihil aliud sensisse, quam tot ejus coëpiscopi senserint. Ex his locis duo hic adscribam. Primus habetur in homilia ad neophytos : *Venit*, inquit, *semel Christus, invenit nostrum chyrographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis.* Certe videmus in his verbis chyrographum debiti, quod scripsit Adam, nostrum vocari, et aperte distingui a foenore peccatorum actualium, quod nos addidimus. Sumus igitur (Chrysostomi sententia) Deo debitores, tum ob peccatum ab Adamo contractum, tum ob peccata propria voluntate commissa. Alter locus habetur in homil. 10. in epist. ad Rom. *Quod*, inquit, *Christo crux et sepulchrum, hoc nobis Baptisma fuit, quamvis non iisdem in rebus. Ille enim carni et mortuus et sepultus est, nos autem peccato utrumque.*

Ex hoc loco recte colligit s. Augustinus ex sententia Chrysostomi, parvulos in peccato nasci. Nam illi etiam baptizantur in Christo, ac per hoc moriuntur peccato. Quotquot enim baptizantur in Christo, consepeliuntur ei in morte, ut Apostolus dicit, exponit autem Chrysostomus, consepeliri in morte, nihil esse aliud, nisi mori et sepeliri peccato, sicut Christus mortuus et sepultus est, quoad carnem.

His duobus locis, ab Augustino adductis, addemus nos alia duo. Sit igitur Tertius locus ex hom. eadem, videlicet decima in epist. ad Rom. non procul ab initio: *Liquet*, inquit, *quod non ipsum peccatum, quod a legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adami inobedientia; ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat.* In his enim verbis Chrysostomus distinguit peccatum, quod oritur in nobis ex legis transgressione, quod actuale dicitur, ab eo peccato, quod ex Adami inobedientia in nobis existit, quod originale vocatur, atque ait ab isto posteriore peccato mortem et omnia mala promanasse, et ideo mirum non esse, si regnavit mors etiam antequam lex daretur. Nam erat in mundo peccatum ab Adami inobedientia natum, et illud omnia perdebat.

Quartus locus est in hom. 40. in epistolam priorem ad Corinth. *Deus*, inquit, *in regenerationis lavacro mentem gratia tangit, radicale peccatum evellit, et ut tu aurum ferrumve recoquendo purum, novumque facis; sic Spiritus ille sanctus in Baptismate velut in fornace recoquit ipsam, et peccatum consumendo quolibet auro purius splendentem reddit.* Certe peccatum radicale non potest aliud fingi, nisi illud, quod a radice, idest, ab Ada-

mo trahimus, quodque per Baptismum tum in parvulis, tum in magnis eluitur. Adduci solet alius locus ex homilia de Adam et Eva, quae inter opera Chrysostomi legitur. Sed ea homilia non censetur esse Chrysostomi: Tum quod graece nusquam inveniatur, et auctor non graecus, sed latinus fuisse existimetur: Tum quod in ea duo integra capita reperiantur in libro de ecclesiasticis dogmatibus.

Ex his non difficile erit ea testimonia explicare, quae adversarii ex Chrysostomo proferunt. Ad primum testimonium ex homilia 10. in epistolam ad Romanos Respondemus: Chrysostomum quidem scripsisse, ex peccato Adae nos omnes mortales effectos esse, quod verissimum est, non autem negasse, ex eodem Adae peccato nos meritum mortis, idest, peccatum originale traxisse. Quin potius id aperte indicasse, cum paulo post subjunxit immortalitatem illam, cui obnoxii facti sumus, supplicium quoddam fuisse. Non enim supplicium justum esset, nisi meritum supplicii, idest, peccatum etiam haberemus.

Porro quod absurdum visum est Chrysostomo, ut ex inobedientia unius alii peccatores constituantur, sine dubio ad actuale peccatum referendum est. Neque enim fieri potest, ut praecise quia unus peccat, alius peccare dicatur, sive ut peccatum unius sit alterius peccatum. Itaque recte Chrysostomus in illis verbis: *Unius inobedientia peccatores constituti sunt multi*, noluit verbum, peccatores, ita accipi, quasi sensus esset, Unius inobedientia multi actu inobedientes facti sunt: Sed voluit multos dici peccatores ex unius inobedientia, quia tales genuit Adam, qualis ipse erat post peccatum, ipse autem peccator erat, peccato in ipso per modum habitus remanente, et inde obnoxius supplicio et mortis reus.

Porro hoc ipsum peccatum per modum habitus inhaerens, et reatum mortis, ac ipsam moriendi necessitatem in omnibus, qui nascuntur ex Adam, inesse, satis aperte Chrysostomus indicavit, cum alicubi peccatum radicale, alibi peccatum absolute, ut supra dictum est, alibi mortalitatem, alibi mortis supplicium nominaverit. Sed quia nondum exorti fuerant Pelagiani, securius loquebatur, et ideo solam mortalitatem interdum nominabat, cum tamen peccatum habituale non excluderet.

Ad alterum testimonium ex homil. 17. in priorem ad Corinthios, facilis est responsio. Siquidem in concione eos Chrysostomus merito reprehendit, qui caussam damnationis suae rejiciunt in Adamum. Nam si nullum nos peccatum propria voluntate committeremus, possemus forlasse queri de Adamo, quod propter illum pereamus. At cum tam multa et tam gravia peccata perpetremus, frustra querimur de Adamo. Adde quod eos Chrysostomus alloquebatur, quibus jam peccatum originis per Baptismum condonatum fuerat. Proinde mirum non est, si nolebat eos damnationis suae caussam in Adamum rejicere.

Ad tertium ex hom. 39. in eandem epistolam, expedita responsio erit, si duo breviter annotemus. Alterum est, Chrysostomi propositum eo loco esse, demonstrare apostolica illa verba, *in Adam omnes moriuntur*, de morte corporis, non de morte animae esse intelligenda. Quod quidem verissimum esse, vel ex eo cognosci potest, quod in toto illo capite Apostolus de resurrectione corporum disserat.

Alterum verba illa Chrysostomi: *Num omnes in Adam, morte peccati, mortui sunt etc.* non esse intelligenda de morte animae quacumque, sed de morte aeterna, sive de casu in peccatum non quocumque, sed irreparabili. Id quod ex contrario perspici potest. Nam cum dicit, non omnes per Christum vivificari, quoad vitam animae, non loquitur de quacumque vita animae, sed de perfecta, quae est per gloriam sempiternam. Probat enim non omnes per Christum vita animae vivificari, quia multi in gehennam adducendi sunt. Quae ratio nihil efficeret, si de vita animae per gratiam loqueretur, cum multi sint in gehennam adducendi qui tamen vitam animae per gratiam aliquando receperunt.

His duobus annotatis nihil scrupuli remanet in verbis Chrysostomi. Non enim negat sanctus ille doctor, omnes in Adam mortuos esse morte peccati quacumque, sed irreparabili, atque aeterna. Quod (ut diximus) verissimum est.

Ad quartum ex homil. 24. in epist. ad Ephesios Respondeo: Chrysostomum loqui de iis tantum, qui baptizati jam erant, ut perspicuum est ex illis verbis, *Quod autem post lavacrum fit, etiam animam corrumpere potest.* Porro qui baptizati sunt, corpus adhuc gerunt corruptibile: non enim Baptismus tollit moriendi necessitatem ex primo peccato inductam, et ideo (ut Apostolus loquitur ad Rom. 8.) *Expectamus redemptionem corporis nostri*: Animam tamen habent incorruptibilem, hoc est, quae non necessario corrumpitur morte peccati, sed potest numquam corrumpi, si velint homines baptizati gratiam diligenter conservare, quam in Baptismo perceperunt.

Ad quintum ex homilia ad neophytos respondit jam olim s. Augustinus lib. 1. in Julianum, Chrysostomum non dixisse, infantes non esse inquinatos peccato, quod potuisset ad peccatum originale trahi, sed non habere peccata, quod ad peccata actualia sine dubio pertinet. Graeca enim Chrysostomi verba haec sunt: Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τοί ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα.

At Chrysostomus, inquies, demonstrare volebat, Baptismum non esse institutum ad solam remissionem peccatorum. Id vero satis efficaciter se demonstrasse credidit exemplo infantium, qui baptizantur in Ecclesia, quamvis peccata non habeant. Nihil autem haec ratio efficeret, nisi infantes omni peccato, etiam originali carerent.

Respondeo: Illos, adversus quos Chrysostomus disputabat, in ea sententia fuisse, ut existimarent, per Baptismum non infundi gratiam et dona Spiritus sancti, neque animas purgari et ornari, sed solum remitti debita peccatorum, per quandam condonationem extrinsecam, quemadmodum inter homines remittuntur offensiones, et amicitiae reconciliantur. Quam sententiam recte Chrysostomus refellit exemplo parvulorum. Siquidem originale peccatum non tam est offensa, quam macula. Nihil e-

nim parvuli propria voluntate egerunt,unde Deum offendere possent, sed ideo peccatum habere dicuntur, quia carent justitia et animam inquinatam, atque a Deo aversam, habitualiter gerunt, ut in sequenti disputatione ostendemus. Itaque Baptismo egent infantes, non tam ut peccata eis remittantur per condonationem offensarum, quam ut peccati macula in eis abstergatur, et ipsi gratiam et dona recipiant, quibus purgentur, ornentur, justificentur, et ex Satanae servis filii Dei efficiantur.

Quinto loco adduci potest Theodoretus. Is enim exponens caput quintum epistolae ad Romanos,videtur velle, peccatum Adami non transisse ad posteros, nisi ratione occasionis. Sic enim loquitur: *Cum Dominus Adam fabricatus esset, et ratione ornasset, dedit unum praeceptum ad rationem exercendam. Is deceptus, mandatum transgressus est,et cum mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita Cain et Seth, et alios genuit. Hi vero omnes, utpote ex eo geniti,habebant mortalem naturam. Ejusmodi autem natura multis indiget, et cibo, et potu, et indumentis, et habitatione, et diversis artibus.Eorum autem usus saepe ad mediocritatis exuperationem incitat. Mediocritatis autem exuperatio peccatum generat.Dicit itaque divinus Apostolus, quod cum Adam peccavisset, et mortalis propter peccatum factus esset,utrumque ad genus pervenit, idest, peccatum et mors. Ad omnes enim mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt. Non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum, unusquisque mortis decretum suscipit.* Eandem sententiam habet idem Theodoretus in explicatione psalmi quinquagesimi, tractans versiculum illum : *Ecce enim in iniquitatibns conceptus sum.*

Rursus in epitome divinorum decretorum cap. 12. quod est de Salvatoris incarnatione,tractans illud Apostoli ad Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi etc.* sic ait: *Valde necessario illud, multi, in utroque posuit. Etenim cum Adam peccasset, et plurimi divinas leges transgressi essent,permanserunt nonnulli in decretis naturae, et virtutis curam gessere, sicut Abel, Henoch et Noe, et patriarchae, et prophetae, et alii plurimi non solum apud Hebraeos, sed etiam apud alias gentes.*

Caeterum, quamvis Theodoretus interdum loca quaedam Scripturae ita exposuerit,ut Pelagiani solebant: eum tamen de peccato originis a catholicis Patribus non dissensisse, ex ejus testimoniis doceri potest. Nam in eodem cap. 12. divinorum decretorum ita loquitur: *Justitiae decretum, cum unus peccasset, universum genus morti tradidit. Divina autem misericordia, cum omnes homines essent sub maledicto,et peccati laqueis essent implicati, per unius justitiam dedit omnibus salutem.* Vides in his verbis apertissimam Theodoreti sententiam de peccato originis. Nimirum affirmat, Adamo peccante, omnes homines peccati laqueis implicatos, sub maledicto et morti traditos fuisse.

Sed rursus in eodem capite ita loquitur idem Theodoretus: *Quando unus peccavit, omnes condemnati sunt: nunc autem cum omnes peccaverint, omnibus volentibus salus proposita est per fidem. Cum sic ostendisset,unius justitiam fuisse communis peccatisalutare medicamentum:ostendit per ipsum quoque fuisse peractum mortis dissolutionem.* Quid clarius dici poterat,quam Adami peccatum fuisse commune peccatum, et uno peccante omnes homines condemnatos?

Rursus ibidem haec Theodoretus subjungit:*Servamur non lege, sed divina misericordia justitiam assequentes. Lex enim, quod justum est, omnes ad supplicium adduxit. Omnes enim fuimus peccati perpetratores.Si enim cum unus peccasset, genus condemnatum est, erat utique omnino justius, eos, qui sub peccato fuerunt,subire supplicium.*

Sed explicemus breviter loca,quae contra allata sunt. Cum igitur in primo testimonio ex commentario cap. 5. ad Roman. Theodoretus indicabat, peccatum primi hominis ex occasione ad posteros pervenisse, loquitur sine dubio de peccato actuali, quod propria voluntate committitur. Quamvis autem Theodoretus dicat, ex occasione primi peccati coepisse posteros Adami in varia peccata delabi, non tamen ideo negasse existimandus est originale peccatum; quin potius illud asseruisse.

Nam idcirco dixit, peccatum primi hominis viam patefecisse peccatis nostris actualibus, quia naturam corruptam et vitiatam ex Adamo trahimus.Quod clarius expressit,cum subjunxit, peccatum et mortem ad nos ex Adamo pervenisse,et non propter peccatum primi hominis,sed propter suum unumquemque nostrum decretum mortis suscipere. Quorum verborum haec sententia est unumquemque nostrum mortis sententiae subjacere,non propter peccatum, quod in ipso Adamo fuit,sed propter illud, quod ex Adamo derivatum, in unoquoque nostrum haeret, loqui enim hoc loco Theodoretum de peccato originis, non de actuali, certum est, cum ex ipsius Theodoreti sententia peccata nostra actualia decretum mortis non praecedant, sed sequatur. Ideo enim (ut ipse in eodem comment.scripsit) actu peccamus, quia mortis necessitati, et variis passionibus obnoxii nascimur.

Itaque quod ait,unumquemque nostrum ob suum peccatum mortis decretum suscipere, necessario accipi debet de peccato originis, quod vere in nobis caussa mortis, sive mortalitatis est, cum peccata actualia e contrario sint ejusdem mortalitatis non caussa, sed effectus.

Quod attinet ad Alterum testimonium ex epitome divinorum decretorum,exposuit quidem Theodoretus sententiam illam Apostoli (*Sicut per unius inobedientiam etc.*) de peccatis actualibus, quae occasione primi peccati intraverunt in mundum, cum rectius de peccato originali sententiam illam exponere potuisset: tamen in eadem epitome (ut supra demonstratum est) apertissimis testimoniis idem Theodoretus orthodoxam doctrinam de peccato originis tradidit.

CAPUT X.

Diluuntur argumenta ducta ex ratione.

Restat nunc ut argumenta illa breviter diluamus, quae ducuntur ex ratione.

Prima objectio: Christi justitia non credentibus nihil prodest, igitur et peccatum Adami non peccantibus nihil obest: infantes autem non peccant, quippe qui (Apostolo teste) ad Roman. 9. *Nihil boni vel mali agunt;* igitur peccatum Adami infantibus nihil obest. Respondet Augustinus lib. 3. de peccat. merit. et remiss. cap. 2. Christi justitiam nihil prodesse iis, qui nullo modo, hoc est, nec sua voluntate, nec aliena credunt, et ad eundem modum peccatum Adami nihil obesse iis, qui nullo modo, hoc est, nec sua, nec aliena voluntate peccarunt. Porro infantes nihil quidem agere, vel egisse voluntate propria, ut Apostolus scribit ad Roman. 9. tamen aliena voluntate peccasse, cum ille peccavit, in quo omnes peccaverunt, ut idem Apostolus testatur ad Roman. 5.

Secunda objectio: Deus remittit peccata propria non igitur credibile est ab eo imputari aliena. Respondet idem Augustinus in eodem lib. cap. 8. Deum remittere peccata propria spiritu regeneratis, non carne generatis: nec imputare peccata omnino aliena, sed ea, quae tametsi aliena dicantur quia aliena voluntate commissa sunt, tamen etiam propria dici possunt, quia in iis haerent, quibus imputantur. Si autem originale peccatum et alienum et proprium recte dici, supra non semel docuimus.

Tertia objectio: Ad rationem veri peccati pertinet ut sit voluntarium: atqui peccatum originis non est voluntarium parvulis, cum sit (ut jam dictum est) aliena voluntate commissum; igitur peccatum originis parvulis non est vere peccatum. Respondeo: Peccatum bifariam sumitur. Nam et actio mala dicitur peccatum; et reatus, ac macula, quae transeunte actu resident in anima ejus, qui peccavit, peccatum nihilominus appellantur. Voluntarium igitur ad rationem actionis malae per se pertinet, ad rationem autem reatus et maculae non pertinet, nisi ratione caussae suae, sive enim velit, sive nolit, qui actionem malam voluntate libera perpetravit, reatum et maculam peccando contrahit. Porro in infantibus non actionem malam, sed reatum dumtaxat, et maculam ponimus, ac per hoc non requiritur voluntas propria, ut infantes peccatum originale a parentibus trahant, sed sufficit aliena.

Itaque s. Augustinus lib. 2. de nuptiis et concupiscentia cap. 28. et lib. 1. retract. c. 13. et 15. et aliis in locis, cum quaeritur, quemadmodum peccatum originale sit voluntarium, respondet, esse voluntarium voluntate primi parentis. Quia tamen reatus, et macula ex mala actione dimanant, nec possunt in iis haerere, ad quos actio mala nullo modo pertinet, ideo s. August. multis in locis docet, Adamum, cum primum peccavit, totius humani generis gessisse personam et praeceptum de pomo vetito non edendo, non solum Adamum, sed omnes, qui in lumbis ejus erant, pariter obligasse, ut sicut gratia primo illi homini collata, ad omnes posteros pertinebat, ita etiam praecepti illius transgressio ad omnes posteros pertineret: *Unde* inquit Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis et remissione cap. 7.) *nec illud liquide dici potest, quod peccatum Adae etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicat, In quo omnes peccaverunt. Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino ad parvulos non pertineant. Siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt, sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.*

Si quem moveat, cur Deus voluerit, ut peccatum Adami ita posteris omnibus imputaretur, ac si omnes idem peccatum patravissent: respondebimus cum s. Augustino lib. 5. adversus Julianum cap. 3. et cum s. Bernardo in serm. 1. de domin. 1. post octavas epiphaniae, Judicium hoc Dei justum esse sed occultum: *Nostra est* (inquit Bernardus) *Adami culpa, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus; et nobis justo Dei judicio imputabatur, licet occulto.* Adde quod originale peccatum, etsi voluntarium nobis est, quatenus Adam cum peccavit, totius naturae personam gessit, tamen inter omnia peccata minimum habet de voluntario, et ideo minus grave est in ratione voluntarii, quam quodlibet veniale, quamvis sit in ratione mali gravissimum, cum privet hominem gratia Dei, ac sempiterna felicitate. Vide s. Thomam 3. part. quaest. 1. art. 4. et in 2. sentent, distinct. 33. quaest. 2. art. 1. ad 2. et de malo, quaest. 5. art. 1. in responsione ad 9.

Quarta objectio: Si peccatum originis per generationem a parentibus traheretur, videretur malum esse conjugium, quippe quod esset caussa peccati. Respondit ad hoc argumentum sanctus Augustinus duobus libris, quos inscripsit de nuptiis et concupiscentia. Summa solutionis haec est, non esse per se ex conjugio, quod proles nascatur cum peccato, sed per accidens. Non enim ideo proles cum peccato nascitur, qui ex conjunctione viri et foeminae nascitur, quod est proprium conjugii: (Nam etiam in statu innocentiae fuisset conjunctio viri et foeminae, et tamen proles sine peccato nata fuisset) sed quia accidit naturae, quae per conjugium propagatur, ut a primo parente corrupta ac vitiata fuerit. Quare conjuges dum filios gignunt, naturam quidem corruptam ac vitiatam propagant: sed ejus corruptionis culpa non ad ipsos, sed ad primum hominem pertinet.

Quinta objectio: Non peccat (dicebat olim Julianus) iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit. Per quas ergo rimas inter tot praesidia innocentiae peccatum fingit ingressum? Respondit sanctus Augustinus lib. 2. de nuptiis et concupiscentia cap. 28. *Quid quaeris*, inquit, *latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, peccatum in hunc mundum intravit.* Et in eodem libro cap. 26. *Voluntarium peccatum hominis primi originalis est caussa peccati.* Itaque ad argumentum Juliani negari poterat consequutio. Quamvis enim non sit peccati originalis caussa pater, qui generat, nec filius, qui nascitur, nec Deus, qui condidit: tamen non sequitur, nullam esse caussam ejus peccati, cum Apostolus dicat, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

Sexta objectio:Saepe qui gignit,a peccato justificatus est, quo pacto igitur trajicit peccatum in filium, quod ipse non habet? Respondet s. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis et remissione cap. 25. 26. et 27. et in aliis locis, hominem regeneratum in Christo, ac per hoc justificatum, non generare carnalem prolem secundum id, quod est regeneratus, idest, secundum Spiritum, sed secundum id, quod habet de vetustate, idest, secundum carnem: et ea de caussa prolem non sanctam, sed peccatricem nasci. Adhibet similitudines lib. 6. in Julianum cap. 2. et 3. Oleastri, qui insertus in oleam, sit olea, et tamen ex ejus semine non olea nascitur, sed Oleaster. Item Hebraeorum, qui circumcisi cum sint,filios tamen gignunt incircumcisos.

Posset adhiberi alia solutio. Generat enim homo sibi similem in specie, non in individuo, hoc est communicat cum filio quae toti naturae humanae communia sunt, non ea quae sibi ut tali personae conveniunt. Tametsi enim aliqua accidentia personalia transfundat aliquando pater in filium, tamen id neque necessarium est, nec semper sit. Jam igitur homo justificatus, cum filium gignit, non communicat cum eo justitiam, quae est accidens personale, sed naturam, qualis est in se post Adae peccatum; ea vero corrupta et vitiata est.

Septima objectio: Si peccatum originis traheretur per generationem, certe naturale vitium esset: atqui hoc est valde absurdum; Tum, quia Deo naturae auctori tribuendum esset, cui tribuuntur omnia naturalia; Tum, quia quod naturale est, proprie peccatum esse non potest; Tum demum,quia desperanda esset liberatio a peccato. Respondeo: Peccatum originis aliquo modo naturale dici posse juxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *Eramus natura filii irae*; nam et a nativitate trahitur, et est vitium naturae potius quam personae, ut supra diximus: non tamen est naturale, quasi sit pars naturae, aut ex natura profluxerit. Est enim privatio quaedam et defectus, isque non ex natura, sed ex libera primi hominis voluntate manavit.

Ex quo sequitur primo, ut non in Deum, sed in Adami inobedientiam, ut in propriam caussam referri debeat. Sequitur Deinde,ut peccatum proprie dici possit: illa enim naturalia vitia, peccata proprie dici nequeunt, quae in libertatem arbitrii non referuntur, qualia sunt caecitas, surditas et quaevis monstrositas a nativitate contracta. Sequitur Postremo, non esse disperandam hujus peccati liberationem. Non enim ut hic morbus curetur, destruenda natura, sed perficienda, quod facile potest medicus ille coelestis, qui venit quaerere, et salvum facere quod perierat. Itaque s. Augustinus lib. 2. in Julianum cap. 1. *Nec perfectio*, inquit, *est disperanda virtutis, per ejus gratiam, qui ex origine vitiatam mutare potest, et sanare naturam.*

Octava objectio: Peccatum definitur, dictum, vel factum, vel cogitatum, contra legem aeternam: At infantes nec dicere, nec facere, nec cogitare aliquid possunt. Respondeo: Definiri per ea verba peccatum, ut accipitur pro actu peccati, non autem pro reatu et macula, quae remanent transeunte actu. Porro in infantibus non actum peccati, sed reatum et maculam inesse dicimus ut supra docuimus.

Nona objectio: Si nascuntur homines mali, et diaboli potestati subjecti, igitur videtur diabolus conditor eorum. Nec enim Deus conderet, quos diaboli potestati subjiceret. Respondeo: Quod homines nascantur mali, et diaboli potestati subjecti, non esse caussam in conditore naturae, sed in corruptore, Deus enim, et initio naturam bonam condidit, et nunc quod in ea bonum est, propagat;porro vitium accidit illi ex peccato primi hominis, et ipsum est vitium,quod eam spiritui immundo subjecit: *Nos* (inquit Augustinus lib. 2. in Julianum cap. 2.) *dicimus, non diabolum, sed Deum verum et vere bonum esse hominum conditorem, munda de immundis ineffabiliter operantem, quamvis hominum nemo mundus nascatur, et ideo donec mundetur Spiritu sancto sub spiritu immundo esse cogatur.*

Decima objectio: Peccatum non in carne, sed in anima sedem habet:sed anima non trahitur ex Adamo, aut si trahitur, non propagatione, sed imitatione trahitur.

Hoc argumentum semper Augustino difficillimum ac pene insolubile visum est. Qua etiam de caussa numquam certo sibi persuadere potuit,animas creari ex nihilo, non a parentibus trahi. Et quoniam non desunt hoc tempore,qui in ea s. Augustini dubitatione haerendum esse censeant,ideo in sequenti capite, quaestionem de animae origine paulo planius explicare, et tunc demum de modo, quo peccatum traducitur, disserere et ad objectionem propositam respondere decrevimus.

CAPUT XI.

Explicatur quaestio de origine animae.

Igitur de origine animae semper fuit gravissima concertatio. Primum apud ethnicos philosophos; deinde apud christianos theologos. Nam ex errore Stoicorum natus est error Manichaei et Priscilliani: ex errore Platonis error Origenis: ex errore Aristotelis, vel certe ex Aristotelis sententia non bene percepta, error Apollinaris, ut jure Tertullianus in lib. adversus Hermogenem, philosophos patriarchas haereticorum nominandos censuerit.

Sex in universum fuisse video sententias de origine animae. Quas omnes breviter referemus, et quid de unaquaque sentiendum sit indicabimus.

Prima sententia est, animas humanas esse particulas substantiae Dei, proinde nec proprie creari, nec a parentibus traduci, sed a Deo mirabiliter inspirari.Hunc stoicum errorem primus defendit Philo Judaeus in eo libro, quem inscripsit.Quod deterius potiori insidietur: eundem postea sequuti sunt Gnostici, Manichaei, Priscillianistae, ut s. Augustinus refert in lib. de haeresibus cap. 6. 46. et 70.

Est autem haec sententia haeresis explorata. Siquidem divina substantia immutabilis, atque invio-

labilis est: *Ego Deus, et non mutor*, Malach. 3. *Apud quem non est transmutatio,nec vicissitudinis obumbratio*, Jacobi 1. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*, psalm.101. At anima humana mutabilis et violabilis est,cum ex bona possit fieri mala per peccatum, et rursus ex mala bona per gratiam. Quare merito damnata est haereseos haec sententia in primo concilio bracarensi, c. 5. et epist. s. Leonis ad Turbium cap. 5.

Quod vero objiciebant adversarii ex cap.2.Genes. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*; facile solvitur. Nam ex illis verbis intelligimus,humanum spiritum a Deo esse productum (inspirare enim est spiritum alicui dare) non tamen ex eo necessario colligitur, ex Dei substantia esse spiritum hominis.Potest enim Deus tribus modis spiritum producere, Uno modo ex propria substantia, quomodo producit ac spirat Spiritum sanctum; Altero modo ex nihilo, quomodo produxit spiritus angelicos; Tertio modo ex materia creata, quomodo produxit ac producit animas bestiarum, quas Ecclesiastes spiritus appellat cap. 3.

Jam vero ad quem istorum modorum sit referenda productio animae,non potest colligi ex illis solis verbis: *Inspiravit spiraculum vitae.* Tamen si addamus non potuisse animam humanam produci ex Dei substantia, quia mutabilis est,neque ex materia creata, quia materialis non est,sequetur productam esse ex nihilo.

Altera sententia est: Animas humanas creatas quidem a Deo fuisse, et ex nihilo, sed omnes simul una cum angelis, ac deinde fastidio affectas bonorum illorum spiritualium,quibus in coelo fruebantur, amare coepisse res terrenas, atque idcirco a Deo in corpora tamquam in carceres detrudi.

Platonicum hunc errorem, quem tuetur Origenes in lib. 1. περὶ ἀρχῶν, hoc est, de principiis cap. 7. et aliis in locis, damnavit concilium bracarense primum cap. 6. et s. Leo in epistola citata ad Turbium cap. 10. Eundem errorem antea reprehenderant sancti Patres,Epiphanius in epistola ad Joannem hierosolymitanum.Hieronymus in epist. ad Pammachium contra eundem Joannem. Theophilus alexandrinus in lib. 1. Paschali.Augustinus in epist. 28. ad Hieronymum, et praeclarissime Cyrillus alexandrinus lib. 1. in Joannem, cap. 9. ubi viginti tribus argumentis hunc errorem expugnat. Nos principales rationes breviter attingemus.

Prima ratio esse potest,quia si animae in corpora, tamquam in carceres supplicii gratia detruderentur,sequerentur multa,quae absurdissima sunt. Nam in primis imprudenter Deus tempore diluvii sceleratos omnes occidisset,et justum Noë conservasset; nec minus improvide Sodomitas perdidisset, Lot vero ab incendio liberasset. Nihil enim id fuisset aliud, nisi viros improbos e carceribus dimittere, probos in vinculis retinere. Deinde maximas gratias agere deberemus diabolo, qui mortem nobis procuravit, idest, januam carceris aperuit, nullas vero Christo, qui resurrectionem nobis acquisivit, idest, in carcerem, eumque perpetuum revocavit. Praeterea benedictiones illae: *Crescite et multiplicamini*, Genes. 1. et 9.*Et patrem multarum gentium constitui te, faciamque te crescere vehementissime.* Genes. 17. Et: *Addat Deus ad hunc numerum multa millia*, Deuter. 1. non benedictiones, sed maledictiones essent. Quid enim esset aliud, multiplicari homines, quam impleri carceres?

Rursus, cum Deus Annae supplicanti filios donavit, et Ezechiae vitam prorogavit, et Lazarum ac filium viduae a mortuis revocavit, non beneficium, sed injuriam fecisset. Denique cur Deus in lege maleficos jubet occidi, innocentes conservari? et cur in omni Republica bene instituta latrones et patricidae de medio tolluntur,si detineri in corpore supplicium est, educi de corpore, beneficium?

Altera ratio est: Quia si omnes animae in coelo peccassent, et ideo ad corpora damnatae fuissent, falsum esset quod ait Apostolus ad Roman. 5. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos,qui non peccaverunt.* Et ad Roman. 9.*Cum nondum nati essent nec aliquid loni, vel mali egissent.* Et in posteriore ad Corinth. cap. 5.*Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum.*

Tertia ratio: Si animae de coelo ad terras, de luce ad tenebras, de clarissimo domicilio beatorum ad deterrimum carcerem damnatorum descenderent, cum in corpore vivere incipiunt, falsa esset Scriptura divina, quae ait: *Erat lux vera,quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1. Et rursus: *Multi dicunt quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* psalm. 4.

Porro argumenta Origenistarum facilia sunt,adeo ut sancti Patres ea potius indicare, quam refellere voluerint. Adferebant illud ex psalm. 114. *Convertere*, vel,*revertere anima mea in requiem tuam.* Et illud ex psalm. 118. *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Et illud ex psalm. 141. *Educ de custodia animam meam.* Et illud ex cap. 1. Joannis: *Erat lux vera,quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Sed in Primo testimonio gratias agit propheta Deo, quod a magnis periculis liberatus ingenti sollicitudine jam careret, et simul hortatur se ipse ad internam pacem et animi tranquillitatem repetendam, quam ob frequentes timores et angustias pene perdiderat. Potest etiam hic locus intelligi de requie sempiterna, a cujus spe per peccatum excidimus, et ad quam per poenitentiam revocamur.

In Secundo testimonio agnoscit propheta,et quilibet alius justus, se non immerito a Domino interdum flagellari, et per tentationes humiliari. Quandoquidem peccata sua poenam ejusmodi mereantur.

In Tertio,ad literam loquitur David de spelunca, in qua latebat ob Sauli persequutionem, ut perspicuum est ex titulo psalmi. Itaque Deum precatur, ut se aliquando liberet ab obsidione illa, ne semper cogatur in spelunca, quasi in custodia dilitescere. Spiritualiter autem hic locus intelligi potest de carcere corporis hujus mortalis,a quo sancti viri educi cupiunt: *Quia corpus quod corrumpitur*

aggravat animam, ut ait Sapiens. cap. 9. unde es illa vox Apostoli ad Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quibus vocibus non cupiunt sancti homines simpliciter a corpore liberari, sed a corpore mortali. Ut in hunc locum annotavit s. Augustinus. Nam alioqui redemptionem corporis magno desiderio expectant, ut ait Apostolus ad Roman. 8. et si fieri posset (ut ait idem Apostolus 2. Corinth. 5.) non cuperent spoliari, sed supervestiri, ut absorberetur quod mortale est a vita.

In Quarto testimonio non significatur, hominem venire in hunc mundum, quasi antea extra mundum fuisset, sed quia cum nihil esset, ac per hoc in mundo non esset, per generationem coepit esse, et vivere in hoc mundo, ut sanctus Cyrillus in commentario recte docet.

Tertia sententia est: Animas humanas simul cum angelis initio conditas fuisse, ac deinde, modo unam, modo aliam ad corpus mitti. Interest autem inter hanc sententiam; et superiorem, quod haec non docet animas in coelo peccasse, neque in poenam peccati corporibus includi, ut superior docebat: sed ideo solum affirmat, animas omnes initio fuisse, creatas, ne concedere cogatur, Deum aliquid novi fecisse post diem septimum, cum scriptum sit Genes. 1. eo die cessasse Deum ab opere quod instituerat.

Hujus sententiae sunt Rabini aliqui Hebraeorum, ut intelligi potest ex commentario Rabbi Salomonis in cap. 33. Deuteron. et ex aliis eorum libris. Eandem sententiam tradit Gregorius nyssenus in lib. de anima, cap. 6. Si tamen is liber est ejus et non potius Nemesii, aut alicujus alterius; cum Gregorius nyssenus in lib. de opificio hominis, cap. 28. et 29. ex instituto hanc sententiam refellat. Alios etiam nonnullos ex catholicis doctoribus ejusdem sententiae fuisse, scribit s. Hieronymus in epistola ad Marcellinum, et Anapsychiam, quae est 27. inter epistolas sancti Augustini.

Hanc sententiam s. Hieronymus loco citato, vocat stultam persuasionem. Et sanctus Leo in epistola ad Turbium, cap. 10. his verbis reprehendit: *Catholica fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, prius quam suis inspirarentur corporibus, non fuere.*

Denique sanctus Thomas in prima parte summae, quaest. 118. art. 3. eandem sententiam hoc argumento refellit. Anima est natura imperfecta, et pars hominis non totus homo, ac per hoc naturaliter conjungitur cum corpore, ut forma cum sua materia. At absurdum est, Deum inchoasse opus suum a re imperfecta, cum Dei perfecta sint opera, nec minus absurdum est, unam partem hominis factam esse initio mundi, alteram fieri post multa saecula; igitur anima non fuit antequam corpori inspiraretur.

Propositio, quae sola probatione indigere videtur, probatur, nam si anima per se perfecta substantia esset, non posset esse forma corporis, formam autem esse certum est tum aliunde, tum ex definitione concilii lateranensis sub Leone X. sess. 8.

Item si anima non conjungeretur naturaliter cum corpore, violenter in eo maneret, neque esset nobis beneficium vita, sed poena.

Denique si anima perfecta esset absque corpore, neque esset pars hominis naturalis, quaeri posset, utrum sua voluntate cum corpore copuletur, an aliena. Et siquidem sua voluntate. Tria sequentur absurda, Primum, quod frustra velit conjungi cum corpore, cum non egeat ejus opera. Alterum, quod tot saeculis manserit separata, et nunc demum quasi mutata sententia velit esse in corpore. Tertium, quod casu fiat ut in corpus delabatur. Neque enim potest non casu fieri, ut uno tempore concurrat voluntas hominis generantis ac disponentis materiam cum voluntate animae descendere cupientis ad eam informandam. Sin autem aliena voluntate cum corpore copulantur, certe cogitur a superiori potestate in poenam peccati praecedentis. Qui est error Origenis paulo ante refutatus.

Neque responderi potest, eam non cogi in poenam peccati, sed voluntate Dei applicari ad regendum corpus humanum, quemadmodum angeli applicantur ad incitanda corpora coelestia. Nam angeli non formae coelorum, neque in eis tamquam carceribus detinentur, neque poenam ullam ex eo ministerio capiunt: animae vero ita copulantur corporibus, ut eorum formae efficiantur, neque intelligunt, dum sunt in corpore, nisi per phantasmata corporalia, ut merito in tenebris esse videantur; denique mala corporis ita redundant in animas, ut Sapiens dixerit cap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Itaque si animae in coelo fuerunt antequam cum corpore jungerentur, negari non potest quin in poenam alicujus peccati invitae detrudantur in corpora quemadmodum scelesti homines inviti coguntur ad carceres.

Deinde, reatus est omnino inseparabilis ab eo , quod natura sua est dignum aeterna damnatione , qualem esse volunt concupiscentiam adversarii. Nam reatus, qui ab Augustino dicitur peccatum et a Philippo formale peccati, non est sola ordinatio ad poenam; haec enim est bona et a Deo; sed est dignitas, sive meritum poenae, ut eam s. Augustinus appellat: *Nemo nascitur* (inquit in psalm. 50.) *nisi trahens poenam, trahens meritum poenae.* Porro iste reatus, ut recte docet Philippus loco notato, est relatio, cujus proximum fundamentum est actus malus, sive iniquitas. Non potest autem relatio a fundamento proximo separari, quia ex ipso fundamento naturaliter et necessario sequitur. Neque enim fieri potest, ut qui genuit filium, non sit ejus pater, et qui genitus est ab alio, non sit ejus filius, quia posita generatione, quae est fundamentum, necessario consequitur in generante paternitas, in genito filiatio. Eodem modo quia scelus , exempli caussa,homicidii fundamentum est reatus, fieri non potest, ut qui homicidium fecit, non sit reus, idest, dignus poena, etiamsi forte judex nolit illum punire, ac tunc praesertim separari non potest reatus a scelere, cum adhuc manet actus, vel desiderium homicidii.

Jam igitur si concupiscentia,etiam in renatis,esset natura sua res digna morte sempiterna , ut adversarii communiter docent, et (ut Philippus fatetur) fundamentum proximum ejus relationis, quae dicitur reatus,certe ab ea reatus sejungi nullo modo posset. Quomodo enim separari potest reatus , idest, dignitas et meritum poenae ab ea re, quae natura sua est digna poena et meretur poenam?Ergo si b. Paulus per damnationem intelligit reatum, evidenter sequitur ut vel falsum sit Apostoli testimonium, vel sit verum quod nos dicimus, concupiscentiam in renatis natura sua non esse rem dignam poena , nec habere veram ac propriam peccati rationem.

Tertio: Etiamsi concederemus , fieri posse , ut concupiscentia esset res digna morte sempiterna, et tamen ab ea tolleretur reatus: tamen certum est ex Scripturis divinis, Deum numquam remittere reatum dum manet ejus fundamentum. Nam *judicium Dei secundum veritatem est*, ad Rom. 2. Et: *Odio habet Deus omnes, qui operantur iniquitatem,et perdit omnes qui loquuntur mendacium* , psal. 5. Et: *Odio est Deo impius et impietas ejus*, Sapient. 14. Denique Ezech. 18. demonstrat Deus aequas esse vias suas, quia manente iniquitate,punit; remota illa, ignoscit. Quare si re vera concupiscentia in renatis (ut adversarii volunt) esset iniquitas digna morte sempiterna, numquam Apostolus dixisset: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Neque enim tam cito oblitus fuisset ejus, quod antea dixerat, judicium Dei secundum veritatem esse.

Quarto: Illa particula, *ergo*, cum Apostolus dicit: *Nihil ergo damnationis est,etc.* significat,eam sententiam deduci ex superioribus verbis: in superioribus autem verbis, non dixerat b. Paulus , Deum non imputare concupiscentiam , aut condonare ejus reatum, sed ostenderat motus concupiscentiae involuntarios non esse peccata, nec posse homini imputari. Id enim significat (ut supra diximus) illud ad Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod odi malum, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Nam si vere dici potest (ut sine dubio potest) de motu concupiscentiae involuntario, non ego operor illum, profecto nobis imputari non potest ejusmodi motus, quippe cujus nos auctores non sumus, qui fit in nobis, sed non a nobis. Quod si motus ille nobis imputari nequit, multo minus (ut supra diximus) pronitas ad eum motum nobis imputari poterit. Quoniam igitur per Baptismum non solum habemus remissionem omnium peccatorum, sed etiam gratiam, qua legi carnis fortiter ac strenue resistamus, et ideo concupiscentia in renatis non habet culpae, sed poenae tantum et aegritudinis rationem, ideo beatus Paulus ait: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Et subjungit rationem similem superiori: *Qui*,inquit , *non secundum carnem ambulant.*

Ex iis rejicitur etiam responsio Illyrici,qui cum videret, quod Lutherus, Philippus, Calvinus dixerant de reatu remisso, non satis esse firmum,addidit aliam responsionem in apologia pro Confessione antuerpiensi,cap. 3. quod videlicet,Nihil damnationis sit iis, qui sunt in Christo, non simpliciter et per se, sed per accidens, accedente videlicet assidua petitione remissionis peccatorum, tum actualium, tum etiam ipsius concupiscentiae. Quae responsio Illyrici absurdissima est. Nam nec pro remissione concupiscentiae orare debent renati, ut s. Augustinus disertis verbis docet lib. 1. cap. 13. contra duas epistolas Pelagianorum, in epist. 200. ad Asellicum,et in libro de perfectione justitiae:nec admitti sine impietate potest, quod Apostoli sententia non sit vera simpliciter et per se,sed tantum per accidens. Inde enim sequeretur, ut simpliciter et per se falsa esset.

Sed accedit praeterea ratio illa quarta, quam at-

tulimus contra Lutheri, Philippi et Calvini explicationem. Nam quemadmodum Apostolus illam conclusionem, *Nihil ergo damnationis*, *etc.* non deduxit ex eo, quod concupiscentia non imputetur, ita etiam non deduxit ex eo quod petentibus remittatur, sed ex eo, quod resistente voluntate per gratiam Dei justificata motibus concupiscentiae, motus illi nostri non sint, nec nobis imputari possint.

Quartum argumentum principale, sumitur ab his testimoniis Scripturarum, quae docent, per Baptismum fieri veram peccatorum remissionem, ita ut non solum condonetur debitum poenae, sed etiam maculae abluantur, purgentur, deleantur, tollantur, etc. Sed quoniam totum hoc argumentum fuse tractavimus in 2. tom. de sacramentis, lib. 1. de Baptismo, cap. 13. ideo supervacaneum duximus hoc ioco Illud repetere.

CAPUT VIII.

Refellitur idem error ex testimoniis sanctorum Patrum.

Accedant secundo loco testimonia velerum patrum, quae ita in hac parte caussae nostrae favent, ut id Calvinus fateri coactus fuerit. Sic enim scribit lib. 3. Institutionum, cap. 3. § 10. *Neque opus est multum investigando laborare, quid hic veteres sentiant, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnaque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis haberi certi volunt. Porro inter illum et nos hoc discrimen est, quod ipse quidem concupiscentiae morbum peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tum demum fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel consensus accedit. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate homo titillatur.*

Quia tamen Lutherus, Kemnitius et ipse etiam Calvinus ad errorem suum stabiliendum Patrum testimoniis, ac potissimum s. Augustini, non minus in hac controversia, quam in caeteris abutuntur, operae pretium esse duxi, aliquot Patrum, tum graecorum, tum latinorum testimonia producere.

Primus, ex Graecis sit s. Methodius, qui apud Epiphanium in haeresi Origenis, quae est num. 64. docet concupiscentiam in nobis relictam esse ad agonem, ut per eam probemur, tamquam aurum in fornace. Constat autem aurum in fornace nullo modo inquinari, sed purgari. Addit etiam, motus concupiscentiae forinsecus contra nos instare. Ex quo intelligimus, eos nobis imputari non posse, cum nostri non sint. Denique hortatur ad resistendum illis, ne forte ob negligentiam capiamur. Quasi dicat, nos capi non posse, ac per hoc nec peccare, nisi velimus: *Confidenter*, inquit, *ipsas* (concupiscentias videlicet) *depellere oportet. Quo enim admittamur in regnum coelorum, per omnes voluptates, ac tristitias probati, si non immutati fuerimus, sed ubique velut aurum incorruptum, per ignem examinati a propria virtute ne discesserimus, contingit hoc, ut a multis mens nostra infestetur.* Et infra: *Vides*, inquit, *quod cogitationes propter inhabitans in nobis peccatum, forinsecus nobis instant, velut canes rabiosi, aut feri, aut audentes latrones, contra nos semper instigati a tyranno, ac principe iniquitatis, probantes nos, an resistere ipsis possimus, et aciem contra instruere. Age igitur, o anima, fortiter resiste, ne forte remittens capiaris.*

S. Basilius in lib. de virginitate, ultra medium: *Naturalis*, inquit, *appetitus ad gulositatem, aut scortationem corpus titillat.* Et in lib. constitutionum monasticarum, cap. 2. copiose de hoc argumento disserens, docet omnes carnis affectus esse naturales, et si quando in iis peccatur, totum esse ex negligentia animae praesidentis. Eundem carnis affectum comparat equo pingui ac robusto, qui si forte sessorem dejiciat, non ipse accusandus est, sed is, qui habenas regebat. Certe si affectus carnis sunt naturales, non erit peccatum illos habere; sed eos non regere ut oportet, eisque cedere, atque succumbere. Dicuntur autem a sancto Basilio naturales, immoderati concupiscentiae motus, non quod fuerint in natura nostra ante peccatum, vel quasi non sint poena peccati, sed quia futuri fuissent in natura nostra, nisi Deus eam supernaturali dono justitiae originalis ornasset: Et jam dono illo per peccatum amisso, natura nostra ad eum statum redierit, in quo futura fuisset, si in puris naturalibus condita esset.

S. Joannes chrysostomus homil. 19. ad populum Antiochenum, ultra medium: *Nisi consuetudinem*, inquit, *vincamus, quomodo concupiscentiam vincemus, cujus radix habet a natura principium? Concupiscere enim naturale; at male concupiscere jam est voluntatis.* Idem homil. 17. in Matthaeum: *Non simpliciter*, inquit, *dixit, qui concupiverit, sed qui viderit mulierem ad concupiscendum, idest, qui concupiscentiam sibi conciverit, quique nullo omnino cogente quiescenti cogitationum feram subito immiserit. Hoc enim non jam naturae est, sed propriae desidiae,* idem homil. 13. in epist. ad Roman. *Ipse*, inquit, *passiones in se peccatum non sunt, effraenata vero ipsarum immoderantia peccatum operata est. Et ut exempli gratia unam illarum tractem, concupiscentia quidem peccatum non est, quando vero egressa modum foras eruperit, tunc demum adulterium fit, non a concupiscentia, sed a nimio et illicito illius luxu.* Istum autem nimium et illicitum luxum a voluntate habere, ut peccatum sit, docet idem Chrysostomus paulo post, exponens illud: Non quod volo bonum, hoc ago: *Quaecumque*, inquit, *culpa esse potest, ea omnis voluntatis est.*

Auctor operis imperfecti in Matthaeum, exponens illa verba capitis quinti, *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam*, hom. 12. aperte docet, praeceptum, *Non concupisces*, non esse datum carni, sed animae rationali, ac propterea sola

carne concupiscere, ratione videlicet reluctante, nullum esse peccatum: *Non mandat*, inquit, *carni, quae mandat. Quis enim sapiens illi ponit praeceptum, qui, etsi vult, non potest obaudire? sed animam alloquitur, et animae mandat, etc.*

Sanctus Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 51. circa medium: *Voluptas quaedam*, inquit, *ante omne peccatum praecurrit, etc.* Vide hunc locum supra citatum, cap. superiore.

Ex Latinis, s. Cyprianus (vel quicumque est auctor) in sermone de ablutione pedum: *Sic*, inquit, *abluit, quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula post ablutionem illam ulla sui vestigia derelinquat.*

S. Hilarius in psalm. 118. exponens vers. 29. *Viam iniquitatis amove a me*, satis aperte distinguit concupiscentiam a peccato, eamque non peccatum, sed viam ad peccatum esse docet: *Promptum*, inquit, *fuerat dicere, iniquitatem amove a me. Sed licet infirmitatis suae conscius, cum meminerit in corpore suo viam inesse peccandi, tamen per timorem Dei a peractione peccati omnis alienus est. Viam igitur peccati, qua ad peccatum pergere promptum est, amoveri a se deprecatur, idest, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiae, aut ignorantiae, qua tamquam per viam ad peccatum itur, ingruere.*

S. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 21. *Non mediocre*, inquit, *est mitigare iracundiam, non inferius, quam omnino non commoveri. Hoc nostrum est, naturae illud. Illae denique commotiones in pueris innoxiae sunt, quae plus habent gratiae, quam amaritudinis.* Idem in psalm. 4. exponens illud: *Irascimini et nolite peccare. Si irascimini*, inquit, *nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam.* Idem in libro de sacramento regenerationis, ut citat s. Augustinus lib. 2. in Julianum: *Beata*, inquit, *mors, quae nos peccato eripit, ut reformet Deo. Numquid naturae fine justificatur a peccato aliquis? non utique quoniam qui peccato moritur, in peccato manet; ille autem justificatur a peccato, cui per Baptismum peccata remittuntur omnia.* Errant igitur Lutherani, qui concupiscentiae peccatum affirmant non posse tolli de medio, nisi per mortem.

S. Hieronymus in epist. ad Oceanum. *Quomodo*, inquit, *justificati sumus, et sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquitur?*

S. Prosper. lib. 3. de vita contemplativa cap. 4. *Peccatum*, inquit, *perpetrare non possum, nisi malae delectationi consentiam.*

S. Gregorius lib. 9. epist. 39. ad Theothistam patritiam, multis argumentis probat, peccata omnia radicitus in Baptismate extirpari: *Si qui sunt*, inquit, *qui dicunt, peccata in Baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere? in quo principaliter ad coelestis munditiae mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis omnibus, soli illi inhaereat, de quo psalmista ait: Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Et infra: *Totus mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit: Sed nemo resistit voci veritatis, quae ait, qui lotus est, mundus est totus: nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit.*

S. Bernardus in serm. de sex tribulationibus: *Peccatum*, inquit, *in foribus est, nisi ipse aperias non intrabit; appetitus in corde prurit, sed nisi sponte cesseris, nihil nocebit; consensum cohibe, ne praevaleant haec, et immaculatus eris.* Idem in serm. 56. in Cantica: *Cura*, inquit, *concupiscentiae totis resistere viribus, ut non pertrahat in consensum, et omnis deinceps malignitatis machina evanescit. Nec est omnino quod sponsum perhibeat appropinquare tibi praeter solum parietem corporis.*

Ultimo loco s. Augustinus accedat, quem praeter caeteros patronum se habere jactant, Lutherus in assertione artic. 2. Philippus in apologia Confessionis augustanae, et alii. Porro s. Augustinus non modo nusquam disertis verbis dicit, concupiscentiam proprie esse peccatum, sed etiam contrarium affirmat in omnibus tomis operum suorum.

Tomo 1. lib. 2. de Genesi, contra Manichaeos c. 14. *Aliquando*, inquit, *ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat, atque compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.* Idem lib. 1. Retractationum cap. 15. *Hoc peccatum, de quo sic est loquutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, et poena peccati est. Quandoquidem de concupiscentia carnis dicitur.*

Tomo 2. in epist. 200. ad Asellicum: *Quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus assensum, non esset unde diceremus Patri nostro, qui est in coelis, Dimitte nobis debita nostra.* Et Lutherus tamen in assertione art. 2. ex oratione Dominica ducit argumentum ad probandum, concupiscentiam in renatis esse vere, proprieque peccatum.

Tomo 3. lib. 14. de Trinitate cap. 17. *Quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quae febribus facta est, revalescere: itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est, secunda curatione sanare? ita prima curatio est, caussam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim perficiendo in renovatione hujus imaginis: Quae duo demonstrantur in psalmo, ubi legitur: qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, quod fit in Baptismo. Deinde sequitur: Qui sanat omnes languores tuos, quod fit quotidianis accessibus cum haec imago renovatur.*

Tomo 4. in lib. de continentia cap. 7. *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit: quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit, sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Et infra: *Propitius fit iniquitatibus, cum peccata dimittit; sanat languores, cum desideria prava compescit; propitius fit iniquitatibus, dando indulgentiam; sanat languores dando conti-*

nentiam. Illud factum est in Baptismo confitentibus, hoc fit in agone certantibus.

Tomo 5. lib. 1. de Civit. Dei cap. 25. *Illa concupiscentialis inobedientia quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Item lib. 20. cap. 26. *Excepto uno mediatore, et post lavacrum regenerationis, quibusque adhuc parvulis, nemo mundus a sorde, sicut scriptum est, nec infans, cujus est vita unius diei super terram.* Comparat hoc loco s. Augustinus parvulos recens natos cum ipso Christo, quoad munditiam a sorde peccati. Quae sane comparatio impia esset, si in parvulis baptizatis adhuc esset, ut Lutherani volunt, sordes vera peccati, quae tametsi eis non imputaretur, tamen imputari posset.

Tomo 6. in lib. de bono conjugali cap. 11. *Opus nuptiarum ab omni crimine defendit Apostolus dicendo: Et si acceperis uxorem non peccasti.* At Lutherus in assertione secundi articuli in ultimis verbis, contendit libidinem inevitabilem sanctorum parentum, dum generant, verum esse peccatum.

Tomo 7. lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 10. *Nulla ergo damnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu: Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiae carnis consentit ad malum.* Et cap. 13. *Dicimus Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est ut baptizatus, et hoc si diligentissime proficit, et spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed haec etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut Scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* Idem repetit lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 23. et addit, posse etiam dici peccatum, quia est caussa peccati, *Sicut frigus*, inquit, *dicitur pigrum, quia facit homines pigros.* Item lib. 6. in Julianum cap. 5. *Omni peccato carent justificati, sed non omni malo.* Idem habet cap. 11. et lib. 2. de peccatorum meritis, et remissione cap. 22.

Tomo 8. tract. in psalm. 50. *Opus hoc castum in conjuge non habet culpam.* Et concione 3. in psalm. 118. iterum docet, petitionem illam: *Dimitte nobis debita nostra*, non pertinere ad motus concupiscentiae involuntarios.

Tomo 9. tract. 41. in Joan. *Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?*

Tomo 10. serm. 6. de verbis Apostoli: *Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas.* Vide etiam serm. 5. et 12.

Ad haec, et similia s. Augustini testimonia variis modis respondere conantur adversarii. Ac primum Bucerus et Kemnitius dicunt s. Augustinum, ubi negat concupiscentiam esse peccatum proprie dictum, non loqui secundum morem Scripturarum, sed more vulgi et politice. Vulgo siquidem eae solum actiones dicuntur peccata, quibus adest voluntatis assensus.

At si ea in re vulgus errabat, quis credat sanctum Augustinum cum vulgo errare voluisse? Deinde quis sibi persuadere poterit, sanctum Augustinum non solum in concionibus et epistolis, sed etiam in libris maxime seriis, in quibus ex Scripturis divinis Pelagianos refellebat, vulgariter et politice contra Scripturarum veritatem loqui voluisse? Denique si vera esset istorum responsio, sanctus Augustinus pernicioso errore populum decepisset. Docuit enim, non esse orandum pro remissione motuum concupiscentiae, nisi eis praebeatur assensus. Pro qua tamen remissione orandum esset, si motus illi peccata essent, ut orari volunt Lutherus in assertione articuli secundi. Illyricus in apologia Confessionis antuerpiensis cap. 3. et alii. Neque id excidit semel Augustino, sed frequenter ab eo repetitum et inculcatum legimus in epist. 200. ad Asellicum lib. 2. de peccatorum meritis et remissione cap. 4. lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 13. libro de perfectione justitiae et concione 3. in psalm. 118.

Altera responsio est ejusdem Kemnitii, apud Augustinum, peccatum dupliciter accipi, uno modo pro eo quod facit reum, alio modo pro eo quod non facit reum, tametsi verum sit peccatum et vera iniquitas, atque hujus generis posterioris esse concupiscentiam in renatis, sed Augustinum loqui de priore genere, cum negat concupiscentiam esse peccatum.

At haec distinctio omnino commentitia est, siquidem apud Augustinum *omne verum peccatum facit reum.* Sic enim ipse loquitur lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 25. hoc est, non habere peccatum, reum non esse peccati, et ideo ipse idem, peccatum, sublato reatu, dicit non esse peccatum, nisi tropice, ut supra citavimus ex lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 23. et idem ipse in Baptismo non solum reatum, sed etiam iniquitatem tolli dixit tractatu 41. in Joannem.

Tertia solutio Calvini est, lib. 3. Institut. cap. 3. § 12. et 13. sanctum Augustinum aliquando timuisse invidiam, quam illi conflare studebant Pelagiani, quasi doceret, per Baptismum non remitti omnia peccata, et ideo abstinuisse a nomine peccati, quando de concupiscentia loquebatur: sed postea prostrato jam errore, et invidia superata, aperte vocasse concupiscentiam peccatum, lib. 3. in Julianum cap. 3. et tract. 41. in Joan. ubi ex propria sententia loquitur.

At licet quidem fortasse ob metum invidiae aliquando celare veritatem, sed numquam licet dicere falsitatem, praesertim in caussa fidei, ut idem s. Augustinus docet in libro de mendacio. In testimoniis vero a nobis adductis non solum non appellatur concupiscentia peccatum, sed apertis verbis dicitur, non esse peccatum, nisi improprie.

Praeterea in illo tract. 41. in Joannem, ubi dicit Calvinus Augustinum loqui sine timore invidiae, et ex propria mente, nonne apertissime dixit, concupiscentiam in renatis reliquam, esse infirmitatem, non iniquitatem? *Numquid*, inquit, *quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?*

Ex quo intelligimus eum de peccato improprie loqui, cum in eodem tractatu semel aut iterum concupiscentiam vocat peccatum, utens verbis illis Apostoli ad Romanos 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et illis ad Roman. 7. *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

Denique si sanctus Augustinus in lib. 3. in Julianum, jam errorem prostraverat, et ideo libere loquebatur, multo magis prostraverat eundem errorem in lib. 6. et tamen in eo lib. cap. 5. sic ait: *Tu autem qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo.* Libri quoque retractationum posteriores sunt libris in Julianum, et tamen lib. 1. cap. 15. apertissime scribitur, concupiscentiam infirmitatem esse, non autem peccatum, nisi per metonymiam. Denique liber de perfectione justitiae posterior est etiam libris retractationum, et tamen in eo libro extremo docet, adeo non esse peccata motus concupiscentiae involuntarios, ut pro eorum remissione non sit opus dicere, *Dimitte nobis debita nostra.*

Quarta solutio est Kemnitii pagina 484. ubi postquam allegaverat pro se locum Augustini ex lib. 3. in Julianum cap. 3. subjungit haec verba: *Haec manifestissima est retractatio, seu explicatio ejus, quod antea incommodius dixerat, reliquam concupiscentiam non esse peccatum, sed poenam et caussam peccati.*

At haec solutio refellitur ex iis, quae paulo ante sunt dicta. Nam si s. Augustinus lib. 3. in Julianum, cap. 3. retractasset sententiam illam qua dixerat, concupiscentiam non esse proprie peccatum, quomodo hoc idem iterum dixisset lib. 6. in Julianum cap. 5. et lib. 1. Retractationum cap. 15. et in lib. de perfectione justitiae.

CAPUT IX.

Refellitur idem error variis rationibus.

Ultimo loco rationes varias ad eundem errorem profligandum adferemus.

Prima ratio: Baptismus non liberat hominem a concupiscentia, igitur vel concupiscentia non est peccatum originis, vel Baptismus non liberat hominem a peccato originis.

Respondet Lutherus in assertione artic. 2. per Baptismum remitti peccatum originis quoad reatum, non quod actum. Sed haec solutio explosa jam est supra cap. 7. Respondent alii, per Baptismum non tolli quidem concupiscentiam, sed tamen tolli ejus dominium. Id enim facit gratia, quae per Baptismum confertur, ut concupiscentia non dominetur.

At haec solutio facile refutatur. Nam si concupiscentia esset peccatum originis, non esset propter dominium, sed propter repugnantiam ad rationem, vel pronitatem ad repugnandum. Siquidem peccatum originis est id, cum quo nascimur, et quod ab origine etiam infantes trahunt: nascimur autem cum pronitate ad repugnandum rationi; dominium autem in infantibus non invenitur, sed postea accedit ex consensu voluntatis, et ideo actuale, non originale peccatum est. Itaque Baptismus etiamsi dominium tollat, non tamen peccatum originis tollit; si concupiscentia est peccatum originis.

Porro quod diximus, concupiscentiam non propter dominium, sed propter repugnantiam, vel pronitatem esse peccatum originis, ex Augustino manifeste colligitur. Nam lib. 6. in Julianum cap. 5. sic ait: *Tale porro, ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte et pertraheret in ultimam mortem, nisi et ejus vinculum in illa, quae fit in Baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur?* Ibidem cap. 8. *Neque enim,* inquit, *nulla iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vivere non sinantur.* Vide etiam lib. 2. de peccato originali cap. 39. Quemadmodum autem intelligi debeat quod s. Augustinus dicere videtur, concupiscentiam carnis esse peccatum originis, in solutione argumentorum explicabimus. Nunc solum demonstrare volumus, eorum sententiam non congruere cum doctrina s. Augustini, qui dicunt, in Baptismo remitti peccatum originis, quia tollitur concupiscentiae dominatus.

Secunda ratio: Concupiscentia est effectus et poena peccati originalis, ergo non est peccatum ipsum originale. Nam tametsi possit unum et idem et peccatum esse et poena peccati, addo etiam, et caussa peccati: tamen hoc sine dubio intelligendum est per comparationem ad diversa. Neque enim intelligi potest, ut res una sit peccatum, et poena, atque effectus ejusdem peccati, quia esset poena et effectus sui ipsius, ac per hoc prior et posterior seipsa.

Esse autem concupiscentiam poenam et effectum peccati originalis, probatur primo ex verbis illis: Apostoli ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Habemus enim ex hoc loco mortem esse poenam et effectum peccati originalis; mors autem est pars ejusdem corruptionis humanae naturae, altera vero pars ejusdem corruptionis est concupiscentia cum ignorantia et aliis ejusdem generis naturae nostrae inflictis vulneribus. Igitur eadem ratio videtur esse mortis et concupiscentiae. Quare sicut mors est poena et effectus peccati originalis, ita quoque et concupiscentia est poena et effectus ejusdem peccati originalis. Quod idem s. Augustinus multis in locis non obscure significat lib. 3. in Julianum c. 3. *Concupiscentia,* inquit, *poena peccati est, quia reddita es meritis inobedientis*, lib. 1. retractationum cap. 15. dicit, hominem nasci implicatum reatu Adae, et ob id poenae obnoxium, et per poenam intelligit concupiscentiam, de qua statim subjungit, eam per tropum vocari peccatum, quia est effectus peccati.

Sed apertissime id habet s. Augustinus, lib. 14. de Trinitate cap. 17. et libro de continentia cap. 7.

quae sunt a nobis citata capite superiore. Ubi comparat peccatum originale febribus, concupiscentiam languori, qui remanet sanatis febribus: *Aliud est*, inquit, *carere febribus, aliud ab infirmitate, quae febribus facta est, revalescere.* Et infra: *Prima curatio est caussam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum, secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo etc.* Vides, quam aperte peccatum, quod remittitur in Baptismo, dicatur caussa languoris, idest, concupiscentiae remanentis. Non igitur ipsa concupiscentia potest esse peccatum originale, nisi idem sit caussa sui.

Tertia ratio: Si homo non nasceretur ex Adamo, et tamen haberet concupiscentiam, quam nunc habet, non posset in eo concupiscentia proprie vocari peccatum, igitur concupiscentia non est ex se, et ex natura sua proprie peccatum. Hujus argumenti antecedens est s. Augustini lib. 3. in Julianum cap. 12. ubi concedit s. August. Juliano hominem non posse juste reprehendi, neque esse reum, vel peccatorem propter concupiscentiam, si cum ea concupiscentia, quam habet, non propagetur ex Adamo, sed creetur a diabolo, et praeter Augustini auctoritatem, res est omnino explorata ac certa. Nam tunc concupiscentia res esset omnino naturalis; propter naturalia autem nemo juste reprehendi potest, ut si quis caecus nascatur, aut fatuus. Quod si concupiscentia non esset peccatum, si naturalis esset, profecto non esset peccatum per se et ex natura sua. Quod enim ex natura sua peccatum est, semper peccatum est, et undecumque tandem oriatur, sive ab homine, sive a diabolo, semper facit reum.

Quarta ratio: Concupiscentia si sumatur pro actu involuntario, idest, pro primis concupiscentiae motibus quibus mens resistit, nullum peccatum est; igitur multo minus peccatum erit, si sumatur pro ipsa pronitate ad actum. Consequentiam hujus argumenti adversarii concedunt, quia pronitatem ideo peccatum esse volunt, quoniam existimant eam pugnare cum lege Dei: Certum autem est, eam non pugnare cum lege Dei, si actus ejus cum eadem lege non pugnat. Probemus igitur antecedens, quod ipsi communi consensu negant: Concupiscentia in pueris, amentibus et dormientibus peccatum non est, quia non est in potestate eorum non concupiscere, ut docent s. Augustinus lib. 10. Confession. cap. 30. s. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 6. et sanctus Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 21. At non est etiam in potestate virorum sapientium et vigilantium, non habere primos illos concupiscentiae motus, ut experientia docet; igitur illi peccata non sunt, et vere dixit beatus Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 25. *Quanto magis concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?*

Praeterea lex Domini non solum non impossibilis, sed etiam facilis ac suavis est habentibus gratiam ipsius, Matth. 11. *Jugum meum suave est et onus meum leve.* 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* 1. Joan. 5. *Et mandata ejus gravia non sunt.* Sanctus Basilius oratione in illud: *Attende tibi*, non procul ab initio, *Impium*, inquit, *est dicere, impossibilia esse spiritus praecepta.* Sanctus Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos, non longe a principio: *Deus*, inquit, *possibilia mandavit, hoc nulli dubium est.* Sanctus Augustinus lib. 2. de peccat. merit. et remiss. cap. 3. *Acute*, inquit, *sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc ullus ignoret quod si nolumus non peccamus, nec praeciperet Deus homini, quod esset humanae impossibile voluntati.* S. Cyrillus lib. 3. in Julianum, circa medium, significat impossibile videri praeceptum illud: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum etc.* sed continuo corrigit se his verbis: *Sed non ita*, inquit, *sapere nos sinit: Nam per gratiam Dei adimpletur ab iis, qui non secundum carnem ambulant.* At impossibile est, nisi privilegio singulari Dei, etiam justis et sanctis non habere motus concupiscentiae, repugnantes legimentis, ut notum est ex ipso Apostolo Roman. 7. et 2. ad Corinth. 12. igitur motus illi peccata non sunt.

Quinta ratio. Haec adversariorum sententia injuriam facit Christo et ejus meritis. Nam si concupiscentia est verum peccatum, et semper manet in homine, quantumvis justificato, certe sequitur, ut Christus nos non vere, sed imputative tantum a peccatis redemerit ac liberaverit, et sit diabolus Christo potentior, cum ille vere potuerit inquinare, iste non potuerit vere mundare. Unde etiam falsa erunt testimonia illa Scripturarum, Joan. 8. *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Et ad Roman. 8. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi ita per unius obedientiam justi constituentur multi.* Nam qui adhuc sunt in peccato, nec vere liberati dici possunt, nec vere sunt justi constituti per Christi obedientiam, sicut vere et non imputative tantum injusti sunt constituti per Adami inobedientiam. Sed de his plura, suo loco in disputatione de justificatione.

Sexta ratio esse posset: Quia sententia adversariorum se ipsa destruit, cum fieri nequeat, ut qui vere sunt iniqui et peccatores, manente in illis videlicet perpetua legis divinae inobedientia, non sint rei divinae indignationis et odii. Sed hanc rationem supra cap. 7. satis fuse persequuti sumus. His igitur omissis, ad argumenta adversariorum diluenda accedamus.

CAPUT X.

Solvuntur argumenta adversariorum, deprompta ex cap. 6. 7. et 8. ad Roman.

Multa sunt argumenta, quae adversarii catholicis objicere solent. Ut igitur a Scripturae sacrae testimoniis ordiamur. Primum ac praecipuum argumentum sumunt Lutherus, Calvinus, Philippus, Kemnitius et alii ex cap. 6. 7. et 8. epist. ad Roman. Sed quia sunt in his capitibus multae sententiae explicandae, proponemus seorsim objectiones, quae ex his testimoniis colliguntur.

Prima objectio. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore Rom.* 6. Non ait Apostolus, Non sit peccatum in vestro mortali corpore, sed non regnet, ut notavit etiam s. August. tract. 41. in Joan. Igitur semper est in nobis peccatum, licet non semper regnet. Loquitur autem Apostolus de concupiscentia, ut patet ex sequentibus: *Ad obediendum concupiscentiis ejus*; concupiscentia igitur semper in nobis est, et semper peccatum est.

Respondeo: Tum hoc loco, tum in sequenti capite saepius, concupiscentiam appellari peccatum improprie, per figuram metonymiae, quod sit caussa peccati, si ei obediatur. Sed contra, exclamat Lutherus in assertione articuli secundi, non licere ipsis angelis, nedum hominibus verba Dei pro arbitrio interpretari, ut quod illa peccatum appellant, nos defectum, et non proprie peccatum esse dicamus. Nam si ita liceat pro arbitrio verba Dei exponere, ubique poterimus nomen peccati per defectum interpretari, et dicere adulterium non esse adulterium, furtum non esse furtum, et de caeteris eodem modo.

At frustra Lutherus ita vociferatur. Nullus enim est, qui majori licentia Scripturas pervertat, quam ipse faciat. Scripturae siquidem passim affirmant, peccata per Christum tolli. Isaiae 53. *Ipse peccata multorum tulit.* Joan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, ad Roman. 11. *Cum abstulero peccata eorum*, et Lutherus tamen in assertione ejusdem secundi articuli disertis verbis dicit: nullum peccatum tolli, sed tantum remitti, idest, non imputari. Ipse igitur vere facit, quod ne angelis quidem licet.

Nos autem non negamus, concupiscentiam dici peccatum, ut Apostolus eam vocat, sed negamus dici peccatum proprie; quod nec Apostolus dixit. Et praeterea colligimus explicationem nostram evidenter ex Scripturis. Nam Scripturae testantur vocem *peccati* esse ambiguam, et nunc accipi pro culpa, nunc pro poena, quae est culpae effectus, nunc etiam pro caussa peccati, nunc denique pro sacrificio, quod est peccati expiatio. Deuteronom. 9. *Peccatum vestrum, quod feceratis, idest, vitulum, igne combussi et in frusta comminuens, in pulverem redegi.* Ubi manifestissime vitulus dicitur peccatum, quia effectus et caussa peccati fuit. Zachariae ultimo, loquens Deus de plagis Aegypti: *Hoc erit*, inquit, *peccatum Aegypti*, idest, poena peccati. Thren. 4. *Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultra Dominus ut transmigret te.* Ubi etiam iniquitas pro poena iniquitatis accipitur. Ad Romanos 7. *Lex peccatum est? absit.* Hic omnium consensu peccatum accipitur pro caussa peccati. Quemadmodum paulo infra eadem lex dicitur mors, idest, caussa mortis 2. ad Corinth. 5. Christus vocatur peccatum, quia sacrificium fuit pro peccato. Ut etiam Oseae 4. dicuntur sacerdotes comedere peccata populi, quia comedunt oblationes pro expiatione peccati. Itaque certum est ex Scripturis, vocem peccati non semper accipi pro culpa, idest, pro peccato proprie dicto.

Rursus ex Scripturis constat, peccata proprie dicta vere tolli in justificatione, ut ex locis, paulo ante adductis, perspicuum est; nec minus constat ex Scripturis, concupiscentiam in justificatione non tolli, cum Apostolus justificatus, de se dicat ad Roman. 7. *Sentio aliam legem in membris meis etc.* Igitur ex Scripturis constat, Scripturas, quae concupiscentiam peccatum appellant, exponendas esse de peccato improprie, idest, de caussa vel effectu peccati.

Id ipsum confirmari potest ex eodem loco Apostoli. Siquidem testatur Apostolus hoc peccatum esse in corpore, non in mente. Ait enim: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et cap. 7. *Non habitat in me, idest, in carne mea, bonum.* At peccatum proprie dictum, non potest esse in corpore, sed in mente. Peccatum enim est injustitia, et ibi solum locum habere potest vera injustitia, ubi locum habere solet vera justitia. Quis autem justitiam veram, proprieque dictam in membris carnis unquam posuit? Igitur Apostolus, cum dicit, concupiscentiam esse peccatum, sed habitare in carne, non in mente, aperte significavit, eam non proprie, sed figurate esse peccatum. Accedat auctoritas s. Augustini, qui (ut citavimus cap. 8.) multis in locis scripsit, concupiscentiam ab Apostolo appellari peccatum, quia est effectus, vel caussa peccati. Quae etiam sententia est concilii tridentini sess. 5. cujus concilii auctoritas vel sola catholicis sufficeret.

Porro argumentatio illa Lutheri, si hoc loco peccatum non accipiatur proprie, posse ubique non accipi proprie; ineptissima est, nam ex particulari propositione non colligitur propositio universalis, quamvis contra ex universali recte colligatur particularis. Quoniam particularis in universali continetur, non contra. Itaque si quis ostenderet, Peccatum ubique in Scripturis, accipi proprie, rectissime colligeret, hoc etiam loco accipi proprie: Sed ex eo, quod in hoc particulari loco certis de caussis peccatum accipiatur improprie, non efficiet, ut ubique accipiatur improprie.

Sed opportune Kemnitius in examine concilii tridentini sess. 5. pag. 476. Luthero suppetias ferens dicit, nullum esse meliorem interpretem verborum Pauli, ipso Paulo. Deinde ex ipso Paulo probat vocem, *peccatum*, accipi debere proprie hoc loco. Primo: Quia Paulus concupiscentiam vocat non bonum. Secundo: Quia vocat malum. Tertio: Quia illud malum describit privative, per illud, perficere bonum non invenio. Quarto: Quia idem malum describit positive per illud, quod od malum illud facio. Quinto: Quia dicit, concupiscentiam pugnare cum praecepto, *Non concupisces.* Sexto: Quia dicit, illud malum esse crucifigendum, mortificandum, destruendum. Septimo: Quia propter hoc malum exclamat, miser ego homo etc. Respondeo: Concupiscentia, quamvis non sit proprie peccatum, tamen est corruptio quaedam incitans ad malum, et ideo recte dicitur non bonum et malum, et malum privativum et positivum, et crucifigendum ac destruendum. Quomodo autem pugnet cum lege, et miserum faciat, paulo post explicabitur.

Secunda objectio, ad Roman. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Hic Apostolus aperte concupiscentiam testatur esse

peccatum. Nam primum dicit se cognovisse peccatum per legem, et postea declarat, peccatum illud esse concupiscentiam; et legem, per quam illud cognovit, dicit esse praeceptum. *Non concupisces.* Neque potest hoc loco accomodari distinctio de peccato proprie, vel improprie dicto. Nam concupiscentia ideo dicitur esse peccatum, quia est praevaricatio divinae legis, *Non concupisces.*

Respondeo: Peccatum hoc loco proprie accipi, idest, pro vera legis praevaricatione: sed concupiscentiam non accipi pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscendi, qui prohibitus est lege, *Non concupisces.* Id ita esse perspicuum est. Cum ex contextu Apostoli, qui cum dixisset, legem non esse peccatum, idest, caussam peccati, sed esse caussam cognitionis peccati; probavit ex eo, quod non cognoscebant homines actus interiores, ut desiderium uxoris, vel rei alienae esse peccata, nisi lex dixisset, Non concupisces. Tum etiam ex loco illo evangelii Matthaei 5. *Dictum est antiquis: Non moechaberis; Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Dominus enim haec dixit contra perversas Pharisaeorum opiniones, qui adhuc docebant, flagitia interna non esse peccata. Quod etiam patet ex Josepho lib. 12. antiquitatum cap. 13. qui scribit motum internum non esse peccatum, nisi exterius se prodat. Item ex David Kimhi in psal. 66. vers. 17. ubi sic exponit illud: *iniquitatem si aspexi in corde meo, non audiet Dominus*, idest, non imputabit ad peccatum desiderium injustum, si tantum sit in corde.

Itaque Dominus ignorantiam illam, quae regnaverat ante legem, et rursus per Pharisaeos inducta fuerat, destruere voluit, cum ait: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum etc.* et non sine caussa addidit *in corde suo*, quia non concupiscentia carnis, sed cordis, idest, voluntaria prohibita est lege, *Non concupisces.* De eadem ignorantia loquitur Apostolus, cum ait: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex, diceret, Non concupisces*, Itaque hoc b. Pauli testimonium, cum de peccato actuali intelligatur, nihil juvat caussam adversariorum.

Unum objici posset contra nostram hanc solutionem, quod videlicet admittamus in eodem capite frequentes aequivocationes in voce, peccati. Sed hoc non est vitium, sed ornamentum, cum aequivocatio non obscurat sententiam. Et certe cogit nos evidentia rei, ut sic exponamus. Nam cum Apostolus dicit: *Quid ergo dicemus, lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem.* Et mox: *Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, Dubitari non potest, quin primo loco peccatum accipiatur pro caussa peccati, alioqui inepte quaereretur, an lex peccatum esset. Secundo loco pro peccato proprie dicto, quod repugnat legi: Tertio loco pro fomite, qui operatur omnem concupiscentiam. Ubi videtur Apostolus explicare, cur fomitem appellaverit peccatum, quia videlicet efficit peccatum, cum operetur in nobis concupiscentiam, eamque voluntariam abstrahendo et illiciendo, ut b. Jacobus in epistola sua scribit.

Tertia objectio: *Scio enim quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*, Roman. 7. Hoc loco b. Paulus fatetur se non servare legem, quia illa spiritualis est, ipse vero carnalis, et non loquitur de lege prohibente actiones voluntarias; hanc enim legem Apostolus servare se dicit, cum ait: *Quod odi facio, et mente servio legi Dei.* Igitur loquitur de lege prohibente concupiscentiam ipsam nobis insitam ex peccato Adae; ac per hoc concupiscentiam ipsam nobis insitam ex peccato Adae: ac per hoc concupiscentia illa repugnat legi, et vere proprieque peccatum est.

Respondeo: Duas esse hujus loci expositiones, et secundum utramque recte argumentum solvi posse. Prior expositio est Chrysostomi, Theophylacti, Ambrosii et aliorum in hunc locum, et Augustini, lib. 1. ad Simplicianum quaest. 1. qui existimant Apostolum non loqui de se, suique similibus, justis; sed induisse personam hominum impiorum, qui non solum fomite vincuntur, et pertrahuntur in varia flagitia; qui recte dicuntur venundati sub peccato quia nondum redempti sunt per applicationem sanguinis Christi; quae fit per fidem et sacramenta. Et secundum hanc expositionem argumentum adversariorum nullas vires habet. Quod vero dicit Apostolus: *Quod odi facio*, et, *mente servio legi Dei*, quae videntur non convenire hominibus nondum justificatis; intelligenda sunt de lumine rationis, et quodam appetitu boni, qui saltem in genere nulli homini deest. Nam etiam perditissimi quique norunt, malum esse furtum, homicidium, adulterium, et in aliis haec ipsa scelera detestantur. *Video*, inquit ille, *meliora, proboque; deteriora sequor.*

Posterior expositio est s. Augustini in omnibus fere libris contra Pelagianos, qui etiam illam priori praefert lib. 2. Retractat. cap. 1. et de praedestinatione sanctorum cap. 4. Item Primum, Anselmi, Thomae et aliorum in hunc locum. Quae expositio posterior nobis etiam magis probatur, praesertim quia b. Paulus ex iis, quae dixerat in 7. cap. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, et, *non ego operor illud, et mente servio legi Dei*, et similibus, deducit illam conclusionem cap. 8. *Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant etc.* Quae conclusio manifeste indicat, Apostolum in cap. 7. de se, et caeteris per Christum renatis esse loquutum. Secundum hanc expositionem dicendum est, beatum Paulum non velle significare, legem spiritualem, non servari a justificatis, quatenus opus est ad vitandum peccatum, sed non servari quantum ad quandam perfectionem, quae est finis praecepti, ac propterea proprie non est in praecepto.

Sciendum est enim in praeceptis interdum significari solum media ad aliquem finem, ut cum dicitur, pugna contra hostes, fac medicinam aegroto. Haec enim sunt media, illud ad victoriam, istud ad sanitatem. Interdum autem significari simul finem et media, ut si quis dicat, vince hostes, sana aegrotum. Hic enim non solum imperantur pugna et curatio, quae sunt media, sed etiam indicatur finis, victoria et sanitas. Caeterum obligatio

praecepti proprie in mediis, quae imperantur consistit, non in fine: et praevaricator est, qui media negligit, non qui finem non assequitur. Neque enim peccat, cui dicitur, vince hostes, si non vincat, modo viriliter pugnet, neque is peccat, cui dictum est, sana aegrotum, etiamsi sanare non possit, modo curet apposite ad sanandum. Finis enim in praecepto indicari potest, proprie imperari non potest.

Praeceptum, igitur, *Non concupisces*, ejus generis est, ut simul media et finem comprehendat. Media sunt resistere concupiscentiis, eisque numquam assentiri, numquam cedere: atque haec ita obligant, ut qui non fecerit, continuo reus existat: finis est funditus concupiscentias extirpare, atque id efficere, ut nullus in carne motus oriatur contra rationem. Hunc autem finem lex proponit, ut intelligamus, quo sit nobis Deo juvante tendendum, non ut rei simus, si id non faciamus, quod facere in nostra potestate non est, et quod ad felicitatem futurae vitae; non ad obligationem praesentis pertinet.

Sic enim s. Augustinus docet in epist. 200. ad Asellicum: *Hoc*, inquit, *lex posuit dicendo, Non concupisces, non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus.* Et lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 29. *Multum*, inquit, *boni facit, qui facit quod scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas: sed non perficit, quia non implet quod scriptum est, Non concupisces. Ad hoc ergo dixit lex, Non concupisces, ut nos in hoc morbo jacere intelligentes, medicinam gratiae, quaereremus, et in eo praecepto sciremus, et quo debeamus in hac mortalitate conari, et quo possit a nobis illa beatissima immortalitate perveniri.*

Ait igitur b. Paulus: *Sciamus quia lex spiritualis est.* Quia videlicet spirituales homines facit, et spirituales omnino requirit, ut perfecte, etiam quoad fidem observetur. *Ego autem carnalis sum.* Quia nondum spirituale corpus habeo (inquit Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10.) non enim carnalem, se vocat Apostolus, quod secundum carnem ambulet; nam id paulo infra aperte negat; sed quod non sit totus spiritualis, qualis post resurrectionem erit. Neque enim absurdum est; ut sit in illa vita etiam caro spiritualis, si potuit esse in hac vita in his, qui adhuc carnalia sapiunt, etiam spiritus ipse carnalis. *Venundatus sub peccato*, non quia Christi sanguine redemptus non sum, sed quia (ut ad Roman. 8. Idem Apostolus dicit) *Et nos primitias spiritus habentes intra nos ingemiscimus adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri.* Itaque venundatus erat Apostolus cum caeteris in praevaricatione primi peccati, et quoniam redemptus erat quoad animam, primitias spiritus habens, expectabat autem redemptionem corporis sui, ideo concupiscentias sentiebat, sed non consentiebat, et propterea adjungit: *Quod enim operor non intelligo*, idest, non scio, non approbo, vel prius id fit, quam ratio in consilium avocetur, et ideo me ignorante, et non consentiente fit: *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Ubi facere se dixit* (inquit Augustinus loco citato) *non affectu consentiendi, sed ipso motu concupiscendi.*

Quare b. Apostolus legem spiritualem, Non concupisces, non omnino perficiebat, qua parte adhuc carnalis erat: nec tamen peccabat, quia lex non obligat ad non sentiendum carnis motus, sed ad non consentiendum eis, ut supra diximus, cum hoc sit medium, illud finis. Atque haec dicta sunt ad mentem s. Augustini, qui praecepto, *Non concupisces*, intelligit prohiberi aliquo modo motus omnes concupiscentiae, etiam involuntarios: assensum vere his motibus prohiberi docet illo alio praecepto: *Post concupiscentias tuas non eas.* Eccles. 18.

Caeterum probabile etiam est, quod alii docent, praecepto, *Non concupisces*, non prohiberi ullo modo motus involuntarios, sed assensum tantum, et hoc praecepto contineri solum media, non autem finem. Quod probatur Primo: Quoniam ab Apostolo haec vocatur lex mentis Roman. 7. Quia non carni, sed menti data est. Secundo: Quia hoc praeceptum habetur in Exodo cap. 20. in Deuteronom. cap. 5. et Matth. 5. cum aliis praeceptis decalogi, *Non occides*, *Non moechaberis*, et caeteris quae intelliguntur omnia de actionibus liberis, planeque voluntariis. Porro illud, *Post concupiscentias tuas non eas*, intelligi commode potest de opere externo, quo concupiscentiae satiantur. Unde mox sequitur. *Si enim praestiteris animae tuae concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Juxta hanc expositionem praecepti, *Non concupisces*, dicendum est, Apostolum, cum ait: *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*, non perfici legem a se, sed caussam peccati non esse legem, quae spiritualis est; sed carnis nostrae corruptionem, quae pullulat prava desideria, etiam reluctante ratione. Dixerat enim paulo ante: *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum; quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit, sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Et continuo, ut hoc probaret, adjunxit; *Scimus enim quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum etc.* Hoc est, lex non potuit mihi mortem operari, quia spiritualis est: sed radix peccati in me est, qui adhuc carnalis sum, venundatus sub peccato, quoad corpus. Unde etiam me ignorante, vel invito oriuntur in carne mea motus concupiscentiae, qui allicere conantur ad assensum. Ex his objectiones reliquiae facili negotio diluentur.

Quarta objectio Roman. 7. *Si quod nolo, facio, consentio legi, quia bona est.* Si mens Pauli consentiebat legi, certe idem volebant lex Domini, et mens Pauli, sed mens Pauli nolebat sentire motus concupiscentiae (ut patet) quia invitus eos sentiebat; igitur ex lege Domini nolebat eos motus existere, igitur motus illi, quamvis involuntarii, repugnabant legi, ac proinde peccatum erant. Unde s. Augustinus sermon. 5. de verbis Apostoli: *Quid*, inquit, *dicis o lex? Non concupisces, et ego nolo concupiscere, non implet legem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.*

Respondeo: Si praeceptum, *Non concupisces*, extendamus cum Augustino ad motus involuntarios, fatemur eos motus repugnare legi, sed negamus esse peccata: quia repugnat legi ut indicanti finem, non ut imperanti media, ut supra explicatum est. Sin autem praeceptum illud restringamus ad motus tantum voluntarios, respondemus ad argumentum, consensum Pauli cum lege, non consistere in eo quod rem eandem velint, aut nolint Paulus et lex; sed quod Paulus velit aut nolit id quod lex jubet eum velle aut nolle. Itaque consensum Pauli cum lege in eo positum esse, quod lex jubeat eum resistere concupiscentiae, et Paulus velit concupiscentiae resistere ac resistat.

Quare sensus verborum Pauli hic erit, si quod nolo, facio; consentio legi, quia bona est; hoc est, si invitus concupisco, non repugno legi, sed ei consentio; ipsa enim vult, ut ego nolim concupiscere, et ego nolo concupiscere; et cum concupisco, id fit praeter et contra voluntatem meam. Posset etiam facilius dici, legem nolle concupiscentiam, ut objectum; et similiter mentem Pauli nolle eandem, similiter, ut objectum. Quemadmodum si quis hominem casu, atque omnino praeter intentionem occideret; is vere dicere posset, Quod nolui, feci; et ideo consentio legi, quae ait, *Non occides*, quia bona est, nec tamen ex his verbis colligi deberet praeceptum, *Non occides*, extendi ad homicidium omnino involuntarium et reum esse, qui praeter intentionem occiderit. Caedes enim involuntaria non est contra legem, nisi materialiter.

Quinta objectio, Rom. 7. *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adjacet.* Ex hoc loco ducit argumentum Calvinus. Videtur enim Apostolus dicere, velle se legem servare, et ita bonum facere, sed non posse, propter malum adjacens, idest, concupiscentiam repugnantem legi.

Respondeo: Locus hic sine dubio ita obscurus est, ut multi interpretes existiment aliquid deesse, et alius alio modo defectum resarcire studeat. Sed b. Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum c. 10. satis commodum sensum indicavit, et in quo nihil subintelligi debeat. Vult enim illud *bonum*, conjungi cum, *lege*, non cum verbo, *facere;* ut hic sit sensus, Invenio igitur legem bonum quoddam esse mihi volenti facere, idest, volenti bene operari, et secundum legem vivere: ideo autem legem invenio esse quoddam bonum, quoniam malum concupiscentiae adjacet mihi. Dum enim ab una parte malum adjacens incitat ad peccatum; ab altera lex Domini bona retrahit a peccato. Itaque non potest ex hoc loco effici, non posse legem servari, aut concupiscentiam involuntariam esse peccatum.

Sexta objectio: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati*, Roman. 7. Hoc loco videmus concupiscentiam repugnare legi et captivare, idest, servum peccati facere, ac per hoc sine dubio esse peccatum.

Respondeo: Non omne quod repugnat legi peccatum est, quamvis omne peccatum legi repugnet. Peccatum enim repugnat legi privative, quia est actio recedens a sua regula, cum posset, et deberet cum sua regula congruere. Multa vere legibus repugnare, quae peccata non sunt, extra controversiam est. Repugnat enim legi homo, qui peccat, et tamen homo non est peccatum proprie, nisi cum Illyrico delirare velimus. Item repugnat legi justae lex injusta, interdum etiam lex unius principis legi alterius contraria est, cum tamen neutra videatur injusta. Potest quoque lex injusta legi item injustae repugnare. Nec tamen lex peccatum proprie dici potest, sicut nec virtus.

Jam igitur concupiscentia repugnat legi mentis, non ut actio recedens a regula, cum posset et deberet regulae congruere; sed repugnat ut lex contraria impellens ad malum; quomodo etiam legi repugnat diabolus, et quicquid incitat ad legis transgressionem. Itaque hoc ipso, quod Apostolus concupiscentiam vocat legem membrorum, significat eam non esse proprie peccatum.

Apposite autem legis nomine concupiscentia appellata est, quia lex nihil est aliud, nisi regula actionum. Et quemadmodum lex mentis est regula bonae actionis, quam si sequaris, bene ages: ita concupiscentia regula est peccandi, quam si sequaris, omnino peccabis. Illud autem, *captivantem me in lege peccati*, recte exponit s. Augustinus lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 30. ubi docet, concupiscentiam dici captivantem, idest, captivare conantem; vel captivantem secundum carnem, non secundum mentem; ut supra dictum est de illis vocibus, Ego autem carnalis, venundatus sub peccato.

Septima objectio, Roman. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc etiam est Calvini argumentum: colligit, concupiscentiam esse peccatum, quia miseros facit homines.

Respondeo: Infelicitas et miseria in Scripturis ut plurimum poenae potius tribuitur, quam culpae ut Proverb. 14. *Miseros facit populos peccatum.* Et psal. 11. *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Kemnitius (ut in 1. objectione diximus) ex hoc loco probabat, concupiscentiam esse peccatum proprie dictum; et rationem reddit, quia Paulus hoc dicens agnoscit, malum illud esse per se dignum morte aeterna. Sed ineptissima ratio est, cum Apostolus de corpore mortali, et passionibus obnoxio liberari cupiat, de morte vero aeterna ne verbum quidem dicat. Nam quod in sequenti capite additur: *Nihil ergo damnationis etc.* ibidem explicatur, cur dictum sit, nimirum, quia renati non secundum carnem ambulant; non autem quia concupiscentia quamvis peccatum, non imputetur.

Octava objectio, Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* At qui non perficit bonum, sine dubio peccat. Et hoc argumentum Calvini est.

Respondeo: Ut quis peccet non faciendo aliquid, requiritur, ut debeat et possit illud facere. Nam si quis debeat, et non possit, miser est, non peccator: si possit et non debeat, minus bonus est, non tamen malus. Id autem de quo agimus, idest, carne non concupiscere, non est in nostra potestate,

et ideo velle adjacet nobis, perficere bonum numquam concupiscendi non invenimus. Et ideo concludit Apostolus: *Infelix ego homo etc.* Hinc s. Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10. *Hoc est*, inquit, *perficere bonum, ut nec concupiscat homo.*

Nona objectio, Roman. 8. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Vel, ut clarius habent graeci textus, Φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεὸν, *inimicitia est in Deum, legi enim Dei non est subjecta.* Hunc locum passim adferunt adversarii, ut probent concupiscentiam esse malum totius hominis et inimicitiam adversus Deum, et repugnantiam contra legem ejus; ac proinde proprie verissimeque peccatum.

Respondeo: Prudentia, sive sapientia, sive sensus carnis (nam his omnibus vocibus ad rem eandem significandam utitur Paulus) vere proprieque peccatum est, sed actuale, non originale. Non enim vocat Apostolus prudentiam carnis illud malum, quod cap. 7. dixit esse in carne, sive in membris. Nam illud malum in se quoque et in aliis sanctis hominibus agnoscit Apostolus; prudentiam vero carnis non ponit nisi in peccatoribus, qui terrena sapiunt, et secundum carnem ambulant. Sic enim loquitur: *Non secundum carnem ambulamus.sed secundum spiritum.Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quae spiritus sunt sentiunt. Nam prudentia carnis mors est;prudentia autem spiritus vita et pax; quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.*

Prudentia igitur carnis est cura et sollicitudo quaedam nimia providendi, quae carni sunt commoda, utilia, suavia, neglecta cura, et sollicitudine eorum, quae ad spiritum pertinent. Talis autem sensus, sive affectus (videtur enim verbum φρονεῖν, unde est vocabulum φρόνημα, apud Apostolum magis ad affectum, quam ad cognitionem pertinere) inimicus est Deo, quia non congruit cum ejus lege, neque congruere potest, dum talis est. Neque enim fieri potest, ut iniquitas cum aequitate concordet, quamvis fieri possit, ut homo gratia Dei adjuvante, deponat prudentiam illam carnis,et ea, quae spiritus sunt, gustare et procurare incipiat. Hinc apparet adversariorum temeritas, qui omnia confundunt et miscent, et argumenta petunt ex his locis, qui nihil ad rem faciunt.

CAPUT XI.

Solvuntur objectiones ex aliis Scripturae locis deprompta.

Constitui loca omnia breviter explicare, quae proferunt adversarii ad probandum concupiscentiam ex natura sua esse peccatum. Igitur praeter loca illa ex epist. ad Roman. quae sunt a nobis superiore capite explicata, haec etiam addunt.

Primum proferunt Kemnitius et alii testimonium ex Genesi cap. 6. et 8. ubi dicitur: *Cuncta cogitatio cordis humani intenta ad malum omni tempore.* Hebraice autem dicitur, *ipsum figmentum cordis humani totum et semper esse malum.* Respondeo: Locus ille Geneseos similis videtur ei loco, quem proxime explicuimus ex cap. 8. ad Roman. describit enim Moyses ingenium illorum,qui vivebant tempore Noë, ac dicit omnes illos secundum carnem ambulasse et quae carnis sunt tantum cogitare et sapere consuevisse. Itaque dicitur figmentum cordis, sive (ut habetur cap. 6.) figmentum cogitationem cordis totum et semper malum, quia nihil fere homines illi cogitabant,nisi quod ad voluptatem, vel utilitatem carnis pertineret.

Sed hoc peccatum erat actuale, non originale, nisi forte, ut latini codices habent, admittant adversarii cogitationem cordis hominum illorum,non tam fuisse actu malam, quam pronam ad malum. Illam enim pronitatem ad malum concedimus esse vulnus ex peccato originali relictum, sed negamus esse proprie peccatum, nisi in actum voluntarium prodeat. Tum vero peccatum quidem esse, sed actuale, non originale, ut saepe jam diximus et probavimus.

Secundum, ex psalm.18. *Delicta quis intelligit?* et psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus.*Haec duo loca producit Lutherus in assert. 2. articuli, ut probet homines etiam justificatos semper habere delicta et cor immundum. Quod non potest esse nisi ratione concupiscentiae, quae remanet in justificatis usque ad mortem. Respondeo: Haec loca non pertinent ullo modo ad peccatum originale, neque ad concupiscentiam, quae remanet post justificationem, tum quia in justificatione peccata omnia remittuntur, tum quia concupiscentia non est res occulta, aut obscura, ut dicendum sit, Delicta quis intelligit? tum denique quia non opus est orare pro concupiscentia, aut ejus motibus involuntariis expiandis,ut s. Augustinus docet in epist. 200. supra citata.

Loquitur igitur David de peccatis actualibus,sive venialibus, quibus raro caremus, sive mortalibus occultis et de quibus non omnino certi sumus, an sint nobis remissa. Itaque David, quamvis justificatum se esse speraret, recte tamen dicebat: *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine.* Et: *Cor mundum crea in me Deus.* Petebat enim mundari cor suum a maculis quotidianis, vel etiam a gravioribus, si forte esset iis quoque ignoranter inquinatus.

Tertium ex Hierem. 17. *Pravum est cor hominis.* At cordis pravitatem quis neget, inquit, Confessio saxonica, vere esse peccatum? Respondeo: Pravum cor apud Hieremiam non est cor malum, sive inquinatum peccatis, sed callidum ac difficile ut penetretur. Nam vox hebraea est עָקֹב non רַע unde etiam septuaginta verterunt βαθεῖα καρδία cor profundum. Et consonat vocabulum sequens et inscrutabile. Sed etiamsi intelligamus, cor hominis malum appellari; id ita accipiendum erit, quasi dictum sit, pronum ex natura corrupta ad

malum. Pronitas autem non est proprie peccatum, ut saepe diximus. Denique loquitur propheta de impiis, quorum cor pravum et immundum esse non negamus, cum e contrario de justis dicatur, Matth. 5. *Beati mundo corde.* Et 1. Timoth. 1. *Finis praecepti charitas de corde puro etc.* Et Act. 15. *Fide purificans corda eorum.*

Quartum ex Matth. 6. *Sola enim oratio Dominica* (inquit Lutherus in assertione artic. 2.) *omnes concludit sub peccato. Nam qui orat ut fiat voluntas Dei, fatetur se non facere voluntatem Dei; qui petit, ut sanctificetur nomen Dei, agnoscit se polluere nomen Dei; qui cupit, ut adveniat regnum Dei, intelligit se sub regno esse diaboli.* Respondeo: Inanissima est objectio. Nam (ut s. Cyprianus recte exponit in sermone de oratione Dominica) *sanctificari petimus nomen Dei in nobis*, ut qui per Baptismum sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, perseveremus. Cupimus *ut adveniat regnum Dei*, quod post resurrectionem et judicium expectamus, ut qui in praesenti vita Christo compatimur, in futura cum illo regnemus. Oramus, *ut fiat voluntas Dei in terra, sicut fit in coelo*, ut infideles, qui terreni adhuc sunt, per fidem voluntatem Dei faciant, sicut eam faciunt fideles, qui coelestes per eandem fidem jam esse coeperunt.

Denique oratio Dominica usque adeo non convincit, in nobis perpetuo haerere originale peccatum, ut Lutherus somniat; ut etiam Christus, qui sine controversia nullum omnino peccatum habuit, oraverit, ut fieret voluntas Dei, Matth. 26. et Augustinus dicat in epist. 200. et alibi nobis orationem illam Dominicam: *Dimitte nobis debita nostra*, non fore necessariam, si nullum aliud haberemus nisi originale peccatum.

Quintum ex Matth. 13. et Luc. 10. *Ubi duabus parabolis* (inquit Lutherus loco citato) *ostendit Dominus non continuo hominem liberari ab omni peccato, sed paulatim, ac per hoc, semper remanere aliquid peccati purgandum.* Prior parabola est de fermento misso in sata tria, quae paulatim fermentata sunt. Posterior est de Samaritano, qui hominem a latronibus vulneratum duxit in stabulum et plagas ejus non in momento curavit, sed paulatim curari voluit.

Respondeo: Parabolae istae nihil juvant caussam Lutheri. Nam ut s. Augustinus recte docet lib. 14. de Trinit. cap. 17. et alibi, cum Scripturae significant, hominem paulatim curari et proficere, non loquuntur de remissione peccatorum, sed de curatione languoris ex peccato relicti. Sicut enim aliud est telum de corpore eruere, aliud vulnus per telum inflictum sanare: sic etiam aliud est peccatum tollere, quod fit in Baptismo, aliud vulnus ex peccato factum, idest, concupiscentiam omnino sanare, quod fit paulatim dum imus de virtute in virtutem. Sed Lutherus caussam cum effectu, idest, peccatum originis cum vulneribus ex eo natis confundit.

Sextum ducit Lutherus ex cap. 15. Joannis, ubi dicit, discipulos esse purgandos, quos tamen cap. 13. dixerat esse mundos. Hinc enim sequitur, post justificationem adhuc remanere peccata. Respondeo: Purgatio in hominibus justificatis necessaria quidem est, sed propter peccata actualia, ac praesertim venialia, quae quotidie subrepunt, non propter originale, quod perfecte remittitur in Baptismo. Vide Augustinum tract. 80. in Joannem.

Septimum sumit ex illo ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum.* Sed jam supra responsum est, concupiscentiam istam non esse proprie peccatum, dum ei spiritus reluctatur, quia non est, nisi in carne, quae sedes peccati esse non potest. Verum enim peccatum non in carne, sed in mente quaeri debet.

Octavum ex illo ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestrae.* Non juberet Apostolus jam renatis (ut objiciunt Lutherus et Calvinus) ut renovarentur, nisi in eis vetustas aliqua superesset. Vetustas autem peccatum est, ex primo homine contractum, sicut novitas gratia est secundi hominis largitate donata. Respondeo: Vetustas in Scripturis duobus modis accipitur. Primo, pro peccato originis. Secundo, pro malis ex peccato relictis. Et ideo potest dici homo, et perfecte renovatus per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, ut dicitur ad Tit. 3. et tamen egere renovatione, et renovari de die in diem.

Hinc s. Augustinus lib. 6. in Julianum cap. 5. *Exponens*, inquit, *verba mea non secundum meum sensum. sed secundum dolum tuum, dixisse me affirmas, quod gratia non perfecte hominem novum faciat. Non hoc dico, attende quod dico. Gratia perfecte hominem novum facit.* Et mox: *Nunc etiam perfecte innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis.* Adde quod vetustas et novitas dicuntur etiam in Scripturis de peccatis actualibus, et malis habitibus inde contractis, et liberatione ab iisdem. Sic enim accipienda videntur quae dicit Apostolus ad Colossens. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, etc.* Et ad Ephes. 4. *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem.* Item: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem etc.*

Nonum ex illo Colossens. 3. *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram; fornicationem, immunditiam, etc.* Colligit hinc Lutherus, justificatos adhuc habere membra ista veteris Adami, quae b. Paulus peccata esse dicit. Respondeo: Per membra, quae super terram sunt, intelligitur concupiscentia, quae lex membrorum dicitur Rom. 7. eadem autem membra vocantur fornicatio, invidia etc. quia caussa istorum omnium est concupiscentia, dum ei praebetur assensus. Jubentur autem justificati mortificare haec sua membra, ne forte illiciendo ad consensum trahant. Quod est idem cum eo, quod dicitur ad Roman. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus.* Justificatos autem non habere jam illa peccata, quae parit concupiscentia, cum illi obeditur, docet idem Apostolus ibidem subjungens, *in quibus et vos ambulastis aliquando.*

Decimum sumit idem Lutherus ex illo Hebr. 12. *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum.* Respondeo: Non vocat Apostolus (ut Luthe-

rus credidit) *circumstans peccatum* concupiscentiam penitus inhaerentem.Nam cum ea deponi non possit, frustra hortaretur ad eam deponendam. Et praeterea b. Paulus per *circumstans peccatum* intelligit sine dubio aliquid extrinsecum, ut omnes fere expositores docent. Concupiscentia autem non est quid extrinsecum, sed res maxime interna. Ex quibus etiam refellitur expositio Bezae in annotat. ad hunc locum. Ubi per circumstans peccatum intelligit naturae pravitatem.

Igitur Apostolus ducit metaphoram ab iis, qui currunt, vel decertant in stadio, quibus duo praecipue sunt cavenda,ut non graventur aliquo onere, et ut non impediantur in certamine, vel cursu ab aliquo obstaculo: *Deponentes*, inquit, *omne pondus, et circumstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen etc.* Et quidem per *pondus* intelligunt expositores curas inanes rerum temporalium; per *circumstans peccatum* intelligunt occasiones, et pericula peccati, sive ipsa peccata, que nobis undique insidiantur.Vox enim graeca εὐπερίστατον significat id, quod facile circumdat et obsidet, qualia sunt quae nobis per sensus corporis undique ingeruntur,a quibus facillime capimur, nisi diligentissime caveamus.

Opponit autem b. Paulus eleganter *circumstans peccatum* circumpositae nubi sanctorum exemplorum; dixerat enim: *Habentes igitur tantam circumpositam* (graece περικειμένον) *nubem testium, deponentes omne pondus etc.* significare volens ita nos undique circumdari exemplis sanctorum Patrum, sicut circumdamur periculis, et occasionibus peccandi,ut ad exempla illa aspicientes discutere possimus omnia jacula adversarii. Ex quo intelligimus verum esse quod supra diximus, per *circumstans peccatum* non posse intelligi concupiscentiam nobis insitam, sed extrinsecas tentationes; sicut extrinseca sunt exempla sanctorum, quae circumstanti peccato Paulus opponit.

Undecimum sumit idem Lutherus in assertione art. 3. ex illo Jacobi 1. *Ut simus initium aliquod creaturae ejus.* Philosophatur enim Lutherus, nos dici initium, quia imperfecte justificamur et semper aliqua ex parte peccatum in nobis remanet, ac si dictum esset, inchoatio quaedam sumus, non complementum, partim justi, partim peccatores. Respondeo: Vox graeca apud Jacobum ἀπαρχή omnium consensu non opponitur complemento, sed primarium et praecipuum significat. Quare multi vertunt, etiam ex adversariis, *ut simus primitiae creaturarum.*

Vult igitur b. Jacobus sanctos et electos esse primitias, idest, partem perfectissimam creaturae. Alioqui si Lutheri sententia vera esset,Christus ipse non perfecte, sed inchoate tantum resurrexisset. Nam 1. Corinth. 15. ubi legimus: *Christus resurrexit primitiae dormientium.* Et rursus? *Omnes vivificabuntur,unusquisque in suo ordine.* Primitiae Christus, deinde ii qui sunt Christi, in utroque loco nomine primitiarum in graeco habetur ἀπαρχή, quo vocabulo (ut diximus) utitur Jacobus cum ait: *Ut simus initium aliquod creaturae ejus.*

Duodecimum sumit idem Lutherus ex illo, 1. Joan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus.* Ubi notat, non esse dictum, habuimus, sed habemus. Nullum est autem peccatum semper in nobis manens, nisi concupiscentia. Respondeo:Loquitur b. Joannes de peccatis actualibus, sed quotidianis ac minutis, quae frequentissima sunt, ut docet s. Augustinus tractat. 1. in epist. Joan. lib. de natura et gratia cap. 36.et alibi passim. Similis est sententia illa b. Jacobi cap. 2. *In multis offendimus omnes.* Ubi tamen clarius explicatur, haec esse peccata actualia, non originalia.

Adde: Posse fieri, ut saltem ad breve tempus aliquis careat omni peccato, etiam veniali; tamen quia vere Job dicit cap. 9. *Si justus fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Ideo de se ipse nemo affirmare potest, se non habere peccatum. Quare recte b.Joannes non ait, Si dixerimus,aliquem non habere peccatum; sed, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus etc.*

Kemnitius in examine concilii pag. 514. plane ridiculum se ostendit circa hunc locum. Clamat enim ingentem esse blasphemiam,si hunc locum de peccatis actualibus intelligendum esse dicamus, quoniam si ita esset ad infantes et dormientes ea sententia minime pertineret. Quasi vero infantes et dormientes unquam dixerint, se peccatum non habere. An non ipse Joannes, cum ait:*Si dixerimus*, apertissime testatur,se de iis tantum loqui,qui sermonis et rationis usum habentes falso pronunciant, se esse quod non sunt? quod certe infantes et dormientes facere non possunt.

CAPUT XII.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Ex Patribus adversarii non pauca argumenta colligunt; praesertim Kemnitius. Nam Lutherus uno vel altero Augustini testimonio, eoque falso citato contentus fuit. Calvinus Ambrosium Augustino adjunxit, Kemnitius Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum produxit. Id quod necessario fecit; Nam concil. trident. sess. 5. docet, per Baptismum tolli quidquid in nobis peccati rationem habet; et concupiscentiam reliquam Ecclesiam catholicam numquam intellexisse, veram peccati rationem habere. Ille igitur reprehendens hanc sententiam tenetur ostendere, Ecclesiam catholicam sensisse, concupiscentiam in renatis verum ac proprium esse peccatum; quod se facturum prolatis vetustissimorum Patrum testimoniis, audacissime pollicetur.

Ex Cypriano igitur Kemnitius in examine concil. trid. pag. 481. quaedam verba profert in medium, quae sunt apud Augustinum lib. 2. in Julian. Sic autem Kemnitius loquitur:*Et Cyprianus apud Augustinum malis motibus de origine venientibus fortiter resistens, inquit:Ne quisquam sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit, Quis*

gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis? Si autem nemo sine peccatis esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est. Respondeo: Incredibilem esse Kemnitii impudentiam et nequitiam, cujus perpetuas in gehenna sine dubio poenas luet.

Sciendum igitur est s. Augustino in 2. lib. advers. Julian. id propositum fuisse, ut ex testimoniis sanctorum Patrum everteret quinque argumenta Pelagianorum. Sic enim ipse loquitur initio libri: *Nunc argumenta ipsa vestra, quibus agitis, ne hominum prima nativitas originali peccato credatur obstricta, eloquiis sunt redarguenda sanctorum.* Et mox, enumerans illa argumenta: *Dicitis*, inquit, *nos asserendo originale peccatum, diabolum dicere hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptismo dimitti universa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere. Haec quippe omnia consequentia esse contenditis, si credamus nasci parvulos, peccato primi hominis obligatos.* Deinde toto libro recitat sanctorum Patrum varia testimonia, quibus modo unum, modo alterum, modo plura simul ex praedictis argumentis evertit. Adfert igitur praeter caetera, testimonium Cypriani, ut evertat argumentum quintum, ac probet, posse hominem perfecte vivere, etiamsi peccatum originale contraxerit, et, eo per Baptismum remisso, relicta sit in membris nostris concupiscentia, cum qua sit perpetuo, dum vivimus, depugnandum.

Testimonium Cypriani ex libro de mortalitate hoc est: *Cum avaritia nobis*, inquit, *cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris saecularibus assidua et molesta luctatio est, etc.* Post hoc testimonium subjungit Augustinus: *Absit autem ut s. Cyprianum aut avarum existimemus, quia cum avaritia; aut impudicum, quia cum impudicitia: aut irae subditum, quia cum ira; aut ambitiosum, quia cum ambitione; aut carnalem, quia cum carnalibus vitiis; aut saeculi hujus amatorem, quia cum illecebris saecularibus confligebat. Immo vero ideo nihil eorum erat, quia his malis motibus partim de origine, partim de consuetudine venientibus fortiter resistebat.* His verbis docet Augustinus, s. Cyprianum victorem fuisse vitiorum, et malos illos motus de vitiata origine venientes, non solum non fuisse in eo vera peccata, sed potius eotem fuisse virtutis et materiam gloriosae victoriae.

Caeterum quia periculum erat, ne Pelagiani colligerent ex hac s. Augustini responsione, posse hominem ita perfecte vivere, ut in nullum unquam laberetur veniale peccatum, qui erat alius ipsorum error: idcirco idem Augustinus subjungit continuo: *Nec ideo tamen in tam periculoso, laboriosoque certamine nullo telo feriebatur hostili, cum dicat in epistola sua de eleemosynis. Ne quisquam sibi de puro, atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus non putet medicinam adhibendam esse vulneribus; cum scriptum sit: Quis gloriabitur castum se habere cor? etc.*

Itaque s. Augustinus ex testimoniis Cypriani a Kemnitio etiam citatis, Duos confutat errores, qui sunt hoc tempore ipsi Kemnitio cum Lutheranis omnibus communes. Unus est, non posse eum, qui habuerit originale peccatum, veram justitiam operari. Existimant enim Lutherani omnia opera nostra esse peccata, quia contaminentur a concupiscentia, quae est, ipsorum sententia, vere proprieque peccatum. Alter est, nullum esse peccatum natura sua veniale, sed omnia per se esse mortalia.

Hinc igitur apparet multiplex Kemnitii impudentia. Primum enim ita conjunxit verba illa s. Augustini, *His malis motibus de origine venientibus*, cum illis Cypriani, *Ne quisquam sibi de puro, atque immaculato pectore blandiatur, etc.* ut videatur Cyprianus dicere, malos illos motus vera esse peccata, etiam cum eis resistitur.

At priora verba non sunt Cypriani, sed Augustini, qui (ut jam diximus) probat ex libro Cypriani de mortalitate, eum qui resistit malis motibus veram virtutem assequi, et non solum non peccare, sed etiam coronam mereri. Posteriora verba sunt Cypriani, sed ex alio libro, ex tractatu videlicet de eleemosyna, ubi Cyprianus ostendit, homines quantumvis justos et perfectos non carere peccatis venialibus, et ideo eleemosynae pharmaco indigere.

Deinde Kemnitius non solum perperam testimonia sanctorum Patrum usurpat, sed etiam incredibili audacia illa ipsa pro se adducit, quibus error ipsius, ut jam ostendimus, manifeste planeque convincitur. Denique addit ad impudentiam, cum ob haec testimonia, Cypriani et aliud Hilarii, quod mox citabimus, his verbis triumphum canit. *Obsecro autem lectorem, ut haec Hilarii et Cypriani verba conferat ad decretum tridentinum, quod affirmant in Baptismo ita tolli, quicquid habet veram et propriam rationem peccati, ut renati efficiantur innocentes, immaculati, puri, innoxii. Patres certe contrarium dicunt; et tamen non verentur tridentini de consensu catholicae Ecclesiae gloriari.* Immo non veretur haereticus pervertere verba Patrum, et cum ceciderit in foveam, quam fecit, ita gloriari, quasi alios dejecisset. Sed videamus, quid ex Hilario Kemnitius proferat.

Hilarius, inquit Kemnitius, *vocat corpora nostra omnium vitiorum materiam. Mala, quae in nobis sunt, malitiam per conditionem originis. Et ubi expresse de renatis, qui concupiscentiae repugnant, Hilarius loquitur, inquit: memores illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiam, pro qua polluti, et sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus.* Et paulo post: *Augustinus etiam hanc Hilarii sententiam citat, Nos in hoc terreni et morticini corporis habitaculo, mundos esse non posse, nisi per ablutionem coelestis misericordiae emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effecta gloriosiore natura.* Rursus: *Ipsis*, inquit, *apostolis verbo jam licet fidei emundatis, atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam, per conditionem communis nobis originis docuit dicens, Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris.*

Respondeo: In primo testimonio ex Hilario addu-

cto habemus, corpora nostra propter morbum concupiscentiae materiem esse omnium vitiorum, quia concupiscentia, quamvis ipsa proprie peccatum non sit, tamen causa est peccatorum, dum ad peccata stimulat et impellit. Et, quantum est ex parte concupiscentiae, nihil mundum, nihil innocens in nobis est, sed variis peccatis polluti et sordidi sumus. Sed quamvis ita se res habeat, tamen si gratia Domini adjuti fortiter concupiscentiae resistimus, non solum non polluimur, aut sordidamur, sed coronam obtinemus, et a peccatis alias perpetratis per hanc victoriam emundamur. Sic enim loquitur idem Hilarius in eodem loco ab Augustino citatus: *Tanta*, inquit, *et tam admirabilis in nos misericordiae Dei bonitas est, ut per quem in Adae offensa generositatem primae et beatae illius creationis amisimus, per eum rursus id quod amisimus obtinere mereamur: tunc enim diabolus invidens nocuit, nunc autem cum nocere nititur, vincitur. Movet enim per infirmitatem carnis nostrae omnia potestatis suae tela cum ad lasciviam accendit, ebrietatem illicit, cum ad odia stimulat, cum ad avaritiam provocat, cum ad caedes instruit, cum ad maledicta exacerbat. Sed cum per infirmitatem animi horum omnium surrepentia incentiva reprimuntur, emundamur a peccato per hujus victoriae gloriam.* Hinc autem deducit per modum conclusionis verba illa, quae citat Kemnitius: *Memores igitur*, inquit, *et conscii, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, pro qua polluti et sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cujus concertatione quodam concertationis nostrae bello dimicemus.*

Ubi non dicit Hilarius nos absolute pollutus et sordidos esse, et nihil mundum, nihil innocens obtinere; sed ex parte concupiscentiae, quae materia est vitiorum, et semper incitat ad peccata, nihil nos nisi pollutionem et sordes habere posse, tamen ex parte gratiae, per quam vincimus concupiscentiae incentiva non solum pollutionem et sordes evadimus, sed magis etiam emundamur, atque purgamur. Alioquin si absolute polluti et sordidi essemus, etiam quando resistimus concupiscentiae (ut Kemnitius docet) non diceret Hilarius, gaudendum nobis esse, quod hostem debeamus (quae verba studiose Kemnitius praetermisit) nam si nihilominus polluimur et sordidamur, et nihil innocens obtinemus, certe non gaudendum, sed flendum nobis est. Neque verba illa: *Memores igitur etc.* idem Hilarius tamquam conclusionem ex verbis illis deduceret, *emundamur a peccato per hujus victoriae gloriam*: quomodo enim emundamur per victoriam, si, etiam pugnantibus nobis nihil innocens obtinemus? Atque haec de primo testimonio.

Alterum testimonium et Tertium ejusdem Hilarii s. Augustinus ad peccata venialia refert. Postquam enim probaverat ex Cypriano, homines justos in hac vita indigere mundatione a peccatis venialibus; idem probat ex Hilario, adductis duobus testimoniis, quae sunt illa, quae citavit Kemnitius. Quamvis enim renati puri, justi et innocentes (ut concilium trident. loquitur) re vera sint, et mundi a peccatis omnibus praeteritis, sive originalibus, sive actualibus per Baptismum, tamen in hac vita, quae tota tentatio est, non possunt longo tempore vivere sine aliqua nova sorde peccati, saltem quotidiani et venialis, unde immundi et mali dici possunt.

Possemus praeterea duo haec Hilarii testimonia exponere de pronitate ad malum, quae tametsi proprii nominis peccatum non sit, tamen malum quoddam est et immundities, ac malitia dici potest. Certe verba illa Domini: *Si vos cum sitis mali*, Matth. 7. Quae Hilarius citat, omnino commode referri possunt ad pronitatem, ut sensus sit: Si vos, qui ex natura corrupta proni estis ad malum, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater coelestis, qui ex natura sua pronus est ad benignitatem, dabit spiritum bonum petentibus se?

Sequitur testimonium s. Ambrosii, quod Calvinus et Kemnitius ex eodem s. August. lib. 2. in Julian. citant. Sed verba ipsa Kemnitii audiamus: *Ex Ambrosio*, inquit, *Augustinus vocat vitia nostra, quae legi mentis ex lege peccati resistunt. Illorum reatus quidem in Baptismo periit, infirmitas vero mansit.* Item, *Ambrosius vocat iniquitatem, non illam quae deletur in Baptismo. Illa namque peccatorum, quae fecimus, fuit, quae cuncta remissa sunt, atque omnino non sunt. Istam vero legem peccati, cujus manentis reatus in sacro fonte remissus propterea vocavit iniquitatem, quia iniquum est, ut caro concupiscat adversus spiritum, quamvis adsit in nostra renovatione justitia.* Ibidem: *Ambrosius dicit quandam delectationem esse divino mandato adversam, et de illa Paulum loqui cum ait: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Ambrosius igitur nostram sententiam ipsissimis verbis reddit et exprimit.*

Respondeo: Tota Kemnitii objectio in tribus vocibus posita est. Quod videlicet s. Ambrosius vocat concupiscentiam, quae est in renatis, *vitium*, *iniquitatem* et *delectationem mandato Dei adversam*. Quod attinet ad vocabulum vitii, dico per eam vocem significari omnem corruptionem et languorem, etiamsi proprie non sit peccatum. Et haec non mea, sed Augustini responsio est. Sic enim ipse loquitur in eodem 2. lib. in Julianum: *Jam ne discernis, jam ne perspicis, jam ne respicis, et in Baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, et cum baptizatis quasi civile bellum interiorum remanere vitiorum? non enim talia sunt vitia, quae jam peccata dicenda sint, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat et concipiat, pariatque peccatum; passiones sunt, vitia sunt, frenanda, cohibenda, sananda sunt, sed dum curantur, infesta sunt.*

Quod ad vocem *Iniquitatis*, dico vocari concupiscentiam ab Ambrosio iniquitatem, quia est deordinatio quaedam, et perversitas naturae contra ordinem in prima creatione positum, non tamen proprie peccatum, cum ejusmodi perversitas non sit in voluntate, quae sola capax est peccati proprie dicti, sed in carne. Nam etsi nunc equus freni impatiens dejiciat sessorem, iniquitas est, quia secundum ordinem a Deo in creatione positum, debuerunt animantia omnia homini obedire. Quia tamen equus nec virtutis, nec vitii pro-

prie capax est, ea non est iniquitas, nisi materialiter et improprie.

Hoc modo intellectam esse in verbis Ambrosii ab Augustino iniquitatem, patet ex Tribus. Primo, quia dicit, hanc iniquitatem esse in carne, non in mente. Propterea, inquit, vocavit iniquitatem quia iniquum est,ut caro concupiscat adversus spiritum. Secundo, quia cum hac iniquitate justitiam in eodem homine esse testatur: *Quamvis*, inquit, *adsit in nostra renovatione justitia.* Non potest autem iniquitas proprie dicta cum justitia in eodem homine commorari. Tertio, quia idem Augustinus tractatu 41. in Joan. dicit, per Baptismum tolli omnem iniquitatem, et solum remanere infirmitatem. Ex quo sequitur,ut concupiscentia remanens, non sit proprie iniquitas, sed infirmitas. Adde quod s. Ambrosius in lib. de Isaac et anima cap. 8. unde sumptum est testimonium,de quo agimus, satis aperte significat,per Iniquitatem se intelligere passionem corporis,quae caret proprio nomine, et iniquitas dici potest per tropum, quia ad iniquitatem perducit. Nam comparat, animam currui, Christum aurigae, quatuor virtutes cardinales quatuor bonis equis, quatuor passiones quatuor malis equis: *Boni equi*, inquit, *virtutes sunt animae, mali equi passiones corporis. Boni equi prudentia, temperantia, fortitudo, justitia; mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas.* Ubi vides opponi prudentiae non vitium stultitiae, sed passionem iracundiae; temperantiae et fortitudini opponi vides non vitia contraria, sed passiones; sic igitur et justitiae non opponit vitium contrarium, quae est iniquitas proprie dicta, sed passionem quandam corporalem, quae non est iniquitas, nisi improprie.

Quod attinet ad ultimum vocabulum, idest, *delectationem divino mandato adversam*; supra copiose respondimus, ubi demonstravimus, concupiscentiam involuntariam legi Dei esse contrariam, solum materialiter, idest, ut objectum, non ut actum. Lex enim proprie ipsi homini prohibet, ne consentiat in concupiscentiam, sive carnis delectationem. Et ideo consensus est proprie actus legi Dei contrarius; delectatio vero solius carnis, spiritu repugnante, non est contraria, nisi materialiter, ac per hoc neque peccatum est, nisi materialiter. Vide. cap.10. in refutatione quartae objectionis.

Ex his intelligi potest quam vana sit illa Kemnitii gloriatio: *Ambrosius igitur nostram sententiam ipsissimis verbis reddit et ex primit*:Ipsissima enim verba Lutheranorum illa sunt, quod concupiscentia in renatis, per se, ex se, et ex natura sua sit verum et proprie dictum peccatum, quod reum facere et damnare in aeternum possit, si Deus imputare velit, et propterea nulla sit in homine vera justitia, sed omnia ejus opera bona sint peccata mortalia, et similia, quæ nec in Ambrosio, nec in ullo alio sancto Patre reperiuntur.

Quarto loco producit Kemnitius s. Hieronymum: *Hieronymus*, inquit, *in 7. cap. Matth. dicit* προπάθειαν *esse primos motus, quando ab initio movent et irritant:* πάθος *vero esse, postquam ad illos voluntatis consensus accesserit, et de primis motibus dicit, quamvis habeant culpam, tamen non teneri crimine.*

Respondeo: Non loquitur s. Hieronymus,in commentar. cap. 5. Matth. (hic enim est locus, non in cap. 7. ut falso Kemnitius citat) de concupiscentia, ut significat pronitatem, quam adversarii peccatum originis esse volunt, sed de actu concupiscentiae: et distinguit duplicem actum, Unum plane voluntarium, et hunc vocat *passionem* et *crimen*, idest, peccatum lethale, ut cum quis consentit desiderio adulterii. Et hoc sine dubio peccatum est, sed actuale, non originale. Alterum non omnino voluntarium, nec omnino involuntarium, ut cum quis visa muliere titillatur delectatione, quam videlicet praecavere potuisset, si diligenter oculos suos custodire voluisset, et hanc vocat *propassionem*, ac dicit vitii culpam habere, non tamen crimen, hoc est, peccatum esse veniale, non mortale. Quod quidem verissimum est, et cum Kemnitii et Lutheranorum caeterorum sententia manifeste pugnat, qui discrimen peccati mortalis et venialis ignorant.

At pro sententia Kemnitii testimonium hoc s. Hieronymi, nullo colore adferri potest. Siquidem ipse cum Lutheranis caeteris concupiscentiam renatorum aut liberant ab omni culpa, si culpa pro reatu accipiatur, aut culpam mortalem, et damnantem illi tribuunt, si culpa pro eo accipiatur, quod natura sua imputari et damnare potest. Sanctus vero Hieronymus apertissime distinguit inter *culpam vitii* et *crimen*:et *pro passioni* tribuit tantum *culpam vitii*, quae polluit aliquo modo, sed non damnat ex natura sua, cum non sit crimen. *Passioni* autem, idest, concupiscentiae omnino voluntariae, tribuit *crimen*, quod facit reum ignis aeterni. Quod si, ut quidam volunt, in textu b. Hieronymi non legatur vitii culpam, sed initii, tum sensus erit, primos motus non esse peccata, sed originem et caussam peccatorum.

CAPUT XIII.

Respondetur ad loca quae producuntur ex Augustino.

Veniamus nunc ad loca, quae citantur ex Augustino. Primum citat Lutherus in assert. 2. art. duo loca unum ex lib. 1. de nuptiis et concupiscentia c. 25. ubi dimitti dicit peccatum in Baptismo, *non ut non sit,sed ut non imputetur.* Alterum ex eodem lib. cap. 27. ubi dicit, idem peccatum *reatu transire, actu manere.* Respondeo: Lutherus (ut supra diximus) crimen falsi commisit. Nusquam enim s. August. dixit, peccatum in aliquo esse, sed non imputari, vel actu manere, reatu transire. Neque enim tam stupidus erat; ut non intelligeret, reatum a peccato separari non posse, cum in eodem lib. cap. 26. scripserit: *Hoc est non habere peccatum reum non esse peccati.* Loquitur igitur s. Augustin. in duobus locis citatis de concupiscentia,eamque dicit in renatis non esse peccatum,

non imputari, nec reos facere, licet maneat, quoad actum, quia non cessat prava desideria excitare.

Sed contra solutionem est argumentum Melanchthonis et Calvini, et aliorum. Sanctus August. non solum in lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 26. sed etiam lib. 2. in Julian. et alibi passim dicit concupiscentiam in Baptismo remitti: *Lex*, inquit, *ista peccati et remissa est in regeneratione spiritali, et manet in carne mortali.* At nihil remittitur, nisi peccatum; igitur ipsa in se vere peccatum erat, antequam remitteretur. Sed manet in renatis eadem, quae antea erat, quoad substantiam, ergo adhuc vere peccatum est, et solum remitti dicitur, quia non imputatur. Respondeo: Sanctus Aug. significat quidem concupiscentiam in non renatis esse peccatum, et propterea remitti per Baptismum; sed intelligit eam peccatum esse, non ratione sui, sed ratione reatus peccati originalis, qui cum ea annexus manet usque ad Baptismum. Sic enim loquitur idem August. lib. 1. de nupt. et concupiscentia cap. 32. *Haec itaque remissio peccatorum quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, idest, ut etiam reatus ejus cum illo sit, qui eum teneat aeterni supplicii debitorem.* Haec ille, qui similiter loquitur in multis locis.

Sed hoc loco diligenter attendendum est, reatum concupiscentiae tribus modis intelligi posse. Primo: Dici potest reatus concupiscentiae, reatus qui ab ipsa oritur, et in ipsa fundatur, ita ut reus sit qui ipsam habet, quia ipsam habet. Sicut dicitur reatus furti is, quo proprie reus dicitur, qui furtum fecit. Secundo: Dici potest reatus concupiscentiae is, quo ipsa facta est, non quem ipsa facit, quomodo si quis sibi ipse manum abscinderet, diceretur esse reus manus abscissae, non quod habere manum abscissam sit peccatum, vel reum faciat, sed quod abscindere sibi manum sit contra rationem et reatum faciat. Sic igitur dicitur reatus concupiscentiae, non quod ipsam habere, faciat hominem reum, sed quod ipsa nata sit ex reatu peccati Adami, qui factus Deo rebellis, meruit in se experiri carnis suae rebellionem. Tertio: Dici potest etiam reatus concupiscentiae is, quem ipsa facit si ad consensum pertrahat, ut non sit proprie homo reus, quia concupiscentiam habet, sed quia concupiscentiae cedit.

Ex his tribus modis adversarii Primum eligunt, et ideo concupiscentiam proprie peccatum esse volunt. Nos autem Secundum et Tertium accipimus; et ideo concupiscentiam non tam peccatum, quam effectum et caussam peccati esse contendimus. Porro secundum illum et tertium modum esse ex mente s. August. probamus ex verbis ejusdem in 2. lib. adversus Julianum, circa medium epilogi: *Quamvis*, inquit, *jam non eodem modo appelletur peccatum, quo facit reum, sed quod sit reatu primi hominis factum, et quod rebellando nos trahere nititur ad reatum.* Rursus in eodem libro paulo superius explicans testimonium Ambrosii de bonis et malis equis, indicat modum tertium, his verbis: *An nondum fateberis, quod reatus eorum perierit, infirmitas manserit, non reatus, quo ipsa rea fuerant, sed quo nos reos traxerant?* His enim verbis ostendit Augustinus vitia cum quibus nascimur, remitti in Baptismo, quia reatus eorum remittitur, licet infirmitas remaneat. Per reatum autem dicit se intelligere reatum malorum operum, quae fecimus concupiscentiae assentiendo.

In eodem etiam lib. 2. in Julianum paulo ante medium libri, meminit secundi modi. Nam cum dixisset, concupiscentiae reatum, ut caetera peccata omnia solvi in Baptismate, et deinceps eam manere ad agonem; objicit sibi dicturum Julianum id malum, contra quod post Baptismum dimicamus, non esse aliquid a parentibus tractum, sed malos habitus ante Baptismum propriis actibus acquisitos. Deinde respondet his verbis: *Si hoc dicis, jam proculdubio cernis, atque concedis esse in homine aliquid mali, quod non ipsum. sed reatus, qui ex illo contractus fuerat, auferatur in Baptismo.* Quibus verbis similem esse docet s. Augustinus concupiscentiam nobis innatam, malo habitui multis malis actibus comparato: et quemadmodum in Baptismo adultorum remittuntur omnia peccata, quibus comparatus est habitus, non tamen ipse habitus tollitur: ita quoque in Baptismo parvulorum remitti peccatum originis, unde concupiscentia nata est, non tamen ipsam concupiscentiam penitus extirpari. Jam vero certum est, eum, qui malos habitus contraxit, non esse reum proprie, quia malos illos habitus habet, sed quia malos actus fecit, unde mali habitus processerunt. Sic igitur qui concupiscentiam habet, non est reus proprie ratione concupiscentiae, quasi peccatum sit illam habere, sed ratione peccati, quo ipsa concupiscentia facta est.

Atque hac ratione remitti dicitur concupiscentia in Baptismo, non ratione sui, sed ratione annexi reatus, qui ejus reatus dicitur, quia per eum, ut diximus, facta est. Idem s. August. lib. 1. Retractat. cap. 15. dicit, homines nasci implicatos reatu Adae, et ob id poenae obnoxios; et paulo post eam poenam, concupiscentiam esse docet: reatus igitur, qui solvitur in Baptismo, non est proprie reatus, quem concupiscentia facit, sed reatus unde poena ista processit. Reatus enim Adae, quo et nos nascimur implicati, non fuit habere concupiscentiam, ut notum est, sed mente averti a Deo, unde nata est aversio carnis a ratione. Quocirca idem Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 17. apertissime scripsit, in Baptismo remitti omnia peccata, non tamen extingui concupiscentiam, quia aliud est caussam removere languoris, aliud ipsum curare languorem: ubi cum dicit in Baptismo per remissionem peccati sive reatus, caussam concupiscentiae removeri, evidenter ostendit, reatum concupiscentiae, qui remittitur in Baptismo, non esse reatum, quem concupiscentia facit, sed per quem concupiscentia facta est.

Denique idem s. Augustinus lib. 6. in Julian. cap. 5. dicit, in Baptismo tolli reatum omnium malorum, non omnia mala, et ponit exemplum de corruptione corporis et de ignorantia, et idem intelligit de concupiscentia, immo de ipsa praecipue loquitur. At certum est reatum corruptionis corporis, qui tollitur in Baptismo, esse reatum, quo ipsa

corruptio facta est, non autem quem ipsa corruptio faciat, quasi peccatum sit esse mortalem.

Sed contra hanc nostram solutionem multa sancti Augustini testimonia ab adversariis adducuntur, quibus ipsi demonstrare nituntur, reatum concupiscentiae qui solvitur in Baptismo,accipiendum esse primo modo superius explicato, idest, esse reatum, qui concupiscentiam ipsam comitatur, ita ut sit reus quicumque concupiscentiam habet, hoc ipso quod concupiscentiam habet, nisi per Baptismum reatus hujusmodi remittatur. Lib. 2. in Julianum ante medium: *Non tamen*, inquit,*ideo malum hoc nihil nocuisset, etiamsi prius quam in illo apparere coepisset. parvulus ex hac vita exisset, quia reatus ejusdem mali, non quo reum malum est, sed quo reum facit, in quo est, sicut generatione contrahitur, ita nisi regeneratione non solvitur.*

Rursus in eodem lib. circa medium epilogi: *Quamvis jam non eodem modo appelletur peccatum, quo facit reum,sed quod sit reatu primi hominis factum.* Ubi illud jam satis aperte demonstrat, concupiscentiam post Baptismum non habere reatum, quo ipsa faciat reum, sed ante Baptismum habuisse. Item lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 23. *Haec*,inquit, *concupiscentia quae solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros, nisi ab illo et ipsi regeneratione solvantur.* Item lib. 6. in Julianum cap. 5. *Tale porro, ac tam magnum malum tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, et pertraheret in ultimam mortem,nisi et ejus vinculum in illa,quae fit in Baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur.* Et in eodem lib. cap. 6. *Nos*, inquit, *eam* (concupiscentiam) *malam dicimus, et manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus,non quo ipsa rea erat, neque enim aliqua persona est,sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus, atque vacuatus.*

Item lib. 1. de nuptiis et concupiscentia, cap. 26. Augustinus dicit, quod, *sicut adulterium actu transit,remanet reatu; ita concupiscentia transit reatu et remanet actu.* Ubi comparat reatum concupiscentiae cum reatu adulterii. Reatus autem adulterii, est reatus quo ipsum adulterium reum facit hominem. Denique lib. 6. in Julian. cap. 8.Augustinus dicit, reatum esse ordinationem divinae legis,ut nulla iniquitas maneat impunita,nisi Christi sanguine expietur. Et mox subjungit, concupiscentiam quae est in renatis, esse iniquitatem, et puniendam fuisse, nisi per Baptismum expiata fuisset: *Neque enim*, inquit, *nulla est iniquitas si in uno homine, vel superiora inferioribus turpiter serviant, vel inferiora superioribus contumaciter reluctentur, etiamsi vincere non sinantur etc.*

Respondeo: In ultimo testimonio (ut ordine retrogrado procedamus) vocat Augustinus concupiscentiam iniquitatem, quia talis est, vel formaliter si in mente sit, ut cum superiora inferioribus turpiter serviunt;vel certe materialiter, si in sola carne sit, ut cum inferiora superioribus reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Nam non esse concupiscentiam solius carnis, quae remanet in renatis, proprie et formaliter iniquitatem, patet ex tract. 41. in Joan. ubi dicit Augustinus, per Baptismum totam deleri iniquitatem, et solam remanere infirmitatem. Haec autem infirmitas, quae est materialis iniquitas, recte dicitur punienda, nisi expiata esset, propter reatum, quo facta est, qui cum ipsa trahitur ex Adam, et cum ipsa manet donec remittatur, quo reatu ipsa concupiscentia dicitur hominem reum facere, non quod absolute illam habere sit peccatum, sed quia peccatum est, illam habere ex propria culpa.

In testimonio penultimo non comparat Augustinus concupiscentiae reatum cum reatu adulterii in omnibus, sed in eo tantum, quod, ut separatur reatus adulterii ab adulterio, ita separatur reatus concupiscentiae a concupiscentia.Nam alioqui idem Augustinus lib. 6. in Julianum cap. 7. dicit, concupiscentiam similem esse habitui, non actui, et cap. 8. dicit, non esse similem adulterio, vel sacrilegio, sed manenti qualitati.

Ad caetera loca dici posset,per eum reatum,quo concupiscentia facta est, ab ipsa concupiscentia fieri hominem reum, donec non remittitur per Baptismum. Potest etiam dici, in his locis loqui Augustinum de concupiscentia, quatenus ea efficit habitum totalem corruptum, ut supra diximus,vere enim ille totalis habitus, sive totalis illa naturae,et omnium potentiarum corruptio, facit hominem reum, etiamsi tantum insit, et nihil operetur, ut in infantibus.

Caeterum in hoc totali habitu pars una, idest, aversio mentis a Deo, est formaliter peccatum, et reum hominem proprie facit; altera, idest, rebellio partis inferioris a superiore,non est peccatum nisi materialiter, nec facit proprie hominem reum, nisi illiciendo pertrahat ad consensum. Quoniam igitur ante Baptismum concupiscentia conjuncta est in homine cum aversione mentis a Deo, ideo recte dicitur habere reatum, non solum per quem ipsa facta est; si consideretur, ut pars illius habitus corrupti, sed etiam quo facit reum, si consideretur ut unum quid cum altera parte ejusdem habitus corrupti. Post Baptismum vero, quia pars illa formalis, idest, aversio mentis a Deo, sanata et sublata est, ideo sola remanet pars altera, idest, concupiscentia carnis, quae non habet reatum, quo facit reum, neque illum quo ipsa facta est; sed eum solum ad quem perducit, si regnare sinitur.

Et hoc modo cohaerent inter se loca omnia s. Augustini; atque etiam excluditur admiratio illa Calvini in antidoto sess. 5. concilii tridentini, ubi miratur, Patres concilii rem eandem, idest,concupiscentiam, dicere non esse post Baptismum, id quod erat antea. Patres enim rectissime dixerunt, concupiscentiam post Baptismum manere, et tamen non esse peccatum, ut erat antea, quia videlicet separata ab aversione mentis non habet annexum reatum, quem habebat antea. Atque haec de primo genere testimonium s. Augustini.

Alterum genus testimoniorum adducitur a Kemnitio eorum videlicet, quae non videntur habere magnas vires, et ideo breviter perstringuntur: *Ipse Augustinus*, inquit Kemnitius, *reliquam concupi-*

scentiam vocat malam; et quomodo hoc intelligi velit, declarat per antithesim:nam dicit esse non bonam, non sanctam, sed malam, contra Julian. lib. 6. cap. 6. et lib. 5. cap. 4. inquit, discerne mala,quae per patientiam sustinemus ab eis malis,quae per continentiam refraenamus. Hoc est, affirmat concupiscentiam non tantum esse malum poenae, sed et malum culpae cap. 5. vocat vitium, contra quod virtute pugnandum est. Est igitur vitium tale, quod virtuti opponitur Lib. 2. contra Julianum, lex repugnans legi mentis, quae in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in Baptismate,non finitur. Lib. 1.de peccatorum meritis et remissione cap. 3.per Baptismum Christi hoc agitur, ut caro peccati evacuetur. Non autem sic evacuatur, ut in carne concupiscentia innata non sit, sed non obsit mortuo, quae inerat vivo. Tractat. 41. in Joannem, Augustinus vocat reliquam concupiscentiam languorem obluctantem saluti nostrae. alibi vocat infirmitatem succumbentem legi Dei. Haec ille pagina 482. addit autem duo alia loca pag. 502. Unum ex lib. 2. de bono perseverantiae cap.5. Alterum ex lib. 4. ad Bonifacium cap. 7. in quibus Augustinus tribuit Pelagianis eam sententiam, quae nunc est catholicorum, quod videlicet per Baptismum homines perfecte renoventur; et nullum habeant omnino peccatum.

Respondeo ad Primum, ex lib. 6. in Julian. cap. 6. recte dicitur concupiscentia non bona,nec sancta, sed mala. Non tamen sequitur, eam esse proprie peccatum. Nam diabolus quoque et angeli ejus non sunt boni, nec sancti, sed mali, et tamen non sunt proprie peccata, nisi juxta doctrinam Illyrici. Itaque idem Augustinus in eodem lib.6. in Julianum cap. 5. dicit, Baptizatum carere omni peccato, non tamen omni malo; et in ipso cap. 6. dicit, per Baptismum remitti omnia peccata, sed non sanari omnes languores. Ubi concupiscentiam vult esse malum et languorem, non tamen peccatum.

Ad secundum ex lib. 5. cap. 4. recte distinguit Augustinus mala, quae per patientiam tolerantur, ut febres, inopiam, persequutiones et similia,quae non incitant per se ad peccandum ab iis malis, quae per continentiam refraenantur, ut passiones immoderatas,quae proprie incentiva sunt vitiorum, quamvis autem haec mala fraenanda, et quoad ejus fieri potest, debellanda sint, tamen non propterea culpae, aut peccata proprie dici possunt. Idem enim s. August. in 2. lib. cont. Julian. de his malis ita scribit: *Non talia sunt vitia, quae jam peccata dicenda sint; passiones sunt,vitia sunt, fraenanda, cohibenda, sananda sunt.* Itaque glossa illa Kemnitii, hoc est, *affirmat Augustinus concupiscentiam non tantum esse malum poenae, sed et malum culpae,* destruit textum. Dicendum affirmari ab Augustino, concupiscentiam non tantum esse poenam, sed esse etiam in se, et absolute malam, quia est quid immoderatum et vitiosum, quamvis non habeat propriam culpae rationem, cum non in voluntate, sed in carne sedem habeat.

Ad Tertium, ex lib. 5. in Julianum cap.5. Recte dicit s. Augustinus, contra concupiscentiam virtute pugnari; sed non omne quod virtuti opponitur, peccatum est proprie dictum: nisi forte novam dialecticam Kemnitius adinvenerit. Virtuti siquidem actus malus repugnat, ut castitati adulterium et hoc est peccatum proprie dictum: repugnat etiam habitus malus, qui non peccatum, sed vitium dici solet. Repugnat denique passio, in qua moderanda et coërcenda virtus occupatur. Porro concupiscentia (ipso Augustino teste) ut paulo ante dicebamus in 2. lib. adversus Julianum, ut passio ac vitium, non ut peccatum, virtuti repugnat.

Ad Quartum, ex lib. 2. in Julianum, quis negat legem carnis repugnantem legi mentis remitti in Baptismate, non finiri? sed, ut nos fatemur, concupiscentiam ratione reatus annexi in Baptismate remitti, et tamen ad agonem remanere; ita fateri (velit nolit) Kemnitius debet, post Baptismum concupiscentiam non peccatum esse, sed vitium.

Ad Quintum, ex lib. 1. de peccatorum meritis et remissione, cap. 3. Non negamus concupiscentiam post Baptismum non ita evacuari, ut non sit; sed, ut non obsit mortuo ratione reatus annexi, quae inerat vivo.

Ad Sextum, ex tractat. 41.in Joan. concedimus, reliquam concupiscentiam obluctari saluti aeternae, quia allicere nititur ad peccatum, non quia ipsa in se proprie sit peccatum. Idem enim Augustinus in illo eodem tractatu disertis verbis dicit, in Baptismo deleri totam iniquitatem,et solam remanere infirmitatem.

Ad Septimum, ex alio loco, Dico, negari non posse, quin infirmitas nostra succumbat legi Dei,si non adjuvetur a gratia. Sed verum est tamen quod s. Augustinus ait in lib. 5. adversus Julianum cap. 4. videlicet, esse concupiscentiam sub animi potestate, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in mortis corpore castigandam, in morte corporis resolvendam, in corporis resurrectione,et mortis morte sanandam.

Ad Octavum, ex lib. 2. de bono perseverantiae, cap. 5. manifesta est Kemnitii impudentia. Siquidem s.Augustinus Pelagianis tribuit errorem illum, quod homo justus in hac vita nullum habeat veniale peccatum.Kemnitius autem ita citat Augustinum, quasi Pelagiani senserint concupiscentiam involuntariam, quae remanet post Baptismum, vere ac proprie esse peccatum. Loqui autem Augustinum de peccatis actualibus, sed venialibus,non de concupiscentia involuntaria, perspicuum est ex eo, quod allegat verba Domini: *Dimitte nobis debita nostra*, quam orationem non esse dicendam pro concupiscentia involuntaria, idem Augustinus saepissime repetit epist. 200. et alibi. Haec enim sunt verba Augustini a Kemnitio recitata:*Etiam hoc Pelagiani audent, audent dicere hominem justum in hac vita nullum habere omnino peccatum? et in talibus hominibus esse jam in praesenti tempore Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam:tamquam sponsa Christi non sit,quae per universam terram quod ab eo didicit, dicit: Dimitte nobis debita nostra.*

Ad Nonum, ex lib. 4. ad Bonifacium cap.7. Non dissimili impudentia Kemnitius abutitur testimonio s. Augustini. Ille enim non reprehendit Pelagia-

nos, quod dicant, per Baptismum perfecte hominem renovari; sed quod malo sensu hanc veritatem depravent, dum ita volunt perfecte hominem innovari; ut deinceps nullum committat veniale peccatum. Kemnitius autem ita citat Augustinum, quasi ille senserit post Baptismum remanere aliquid, quod vere et proprie sit peccatum, et per hoc non perfecte per Baptismum hominem renovari. Haec autem sunt verba s. Augustini integra, non truncata, ut a Kemnitio callide allegantur: *Quid eis* (Pelagianis) *prodest, quod Adversus Manichaeos, qui Baptisma destruunt, isti dicunt Baptismo perfecte homines innovari, atque ad hoc Apostoli adhibent testimonium, qui per lavacrum aquae Ecclesiam de gentibus sanctam fieri, immaculatamque testatur; cum superbo sensu, atque perverso contra orationes ipsius Ecclesiae suas exerant disputationes? Hoc enim dicunt, ut credatur Ecclesia post sanctum Baptismum, in quo fit omnium remissio peccatorum, ulterius non habere peccatum, cum adversus eos illa a solis ortu usque ad occasum omnibus suis membris clamet: Dimitte nobis debita nostra.*

Quod autem s. Augustinus contra Lutheranos doceat, per Baptismum perfecte hominem renovari, perspicuum est ex illis ejus verbis lib. 6. in Julianum cap. 5. *Dixisse me affirmas quod gratia non perfecte hominem novum faciat. Non hoc dico, attende quod dico: Gratia perfecte hominem novum facit; quandoquidem et ad corporis immortalitatem, plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfecte innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis.*

Tertium genus testimoniorum producitur a Calvino et Kemnitio. Quod genus continet ea loca, quae concupiscentiam proprie docent esse peccatum, sive inobedientiam legis, etiamsi illi a ratione et spiritu resistatur. Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 13. dicit Augustinus. *Concupiscentiam vocari peccatum, non tantum quia ex peccato facta est, et quia peccatum facit, si vincit, sed etiam quia peccandi delectatione movetur, etsi ei vincente delectatione justitiae non consentiatur.* Item lib. 3. in Julianum cap. 3. *Concupiscentia carnis*, inquit, *adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, et caussa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Atque ob haec loca, maxime autem ob posteriorem triumphant Kemnitius et Calvinus.

Addunt etiam aliud testimonium Kemnitius et Calvinus ex tract. 41. in Joan. ubi contendunt Augustinum loqui ex propria mente. Loquens enim Augustinus de renatis: *Liberati*, inquit, *sunt a peccato, quia carent criminibus et querela. Sed illa est inchoata non perfecta libertas; nondum est tota, nondum pura libertas; quia video aliam legem in membris etc.* Hinc enim apparet, adhuc renatos esse impuros propter concupiscentiam. Ibidem: *Quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? certe si non remansisset, sine peccato hic viveremus.* Ubi ipsam infirmitatem remanentem appellat Augustinus peccatum. Ibidem: *Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur. Non fiat quod jubet.* Et ibidem tractans discrimen peccati regnantis et non regnantis, inquit: *Non ergo Deus quaedam peccata damnat, quaedam justificat et laudat: nulla laudat, sed odit omnia.* Hic videmus concupiscentiam vocari peccatum, quod *Deus odit et curando agit, ut consumatur;* ut ibidem Augustinus subjungit. Ex quo colligitur Kemnitius falso dixisse concilium tridentinum, Deum in renatis nihil odisse. Atque haec tria testimonia sunt omnium praecipua in iis, quae ab adversariis producuntur.

Respondeo: Utitur in primis duobus locis s. Augustinus nomine peccati largo modo, ut omnem corruptionem et vitium significat. Quemadmodum etiam lib. 2. in Julianum vocavit iniquitatem. Id ita esse probatur Primo ex eo, quod s. Augustinus in primo loco monet, concupiscentiam non esse peccatum. Sic enim ait: *Et ideo jam non sit peccatum, sed sic vocetur, sive quod peccato facta sit, sive quod peccandi delectatione moveatur etc.* Ubi aperte ostendit, moveri delectatione peccandi non esse peccatum proprie, nisi consensus accedat. Nam alioqui perperam posuisset illam particulam adversativam, *sed*. Quod autem in hoc loco dixit, moveri delectatione peccandi, in sequenti dixit, inesse inobedientiam contra dominatum mentis. Neutrum igitur est peccatum proprie et formaliter, sed solum largo modo, vel materialiter.

Secundo idem probatur ex eo, quod (ut supra diximus) inobedientia carnis contra dominatum mentis, non potest proprie esse peccatum, donec mens resistit, quia caro non est capax peccati proprie dicti. Quare s. Augustinus cum rationem illam reddit, cur concupiscentia sit peccatum, quia videlicet inest illi inobedientia contra dominatum mentis; illa ipsa ratione significavit, concupiscentiam proprie non esse peccatum.

Tertio: Quia s. Augustinus in eodem opere adversus Julianum lib. 2. dicit, motus istos concupiscentiae, passiones et vitia esse, non tamen peccata. Et lib. 6. cap. 5. dicit, esse malum, non tamen peccatum: *Omni peccato*, inquit, *baptizati carent, non omni malo.*

Itaque ne s. Augustinum inconstantem faciamus, cogimur dicere ab eo aliquando concupiscentiam appellari peccatum, aliquando negari esse peccatum, quia nunc vocem (*peccati*) largo modo et improprie, nunc proprie formaliterque accipiat. Neque vero hic habet locum, quod dicit Kemnitius, Augustinum in lib. 5. in Julian. cap. 3. retractasse quod antea dixerat. Nam quod antea dixerat, iterum postea repetivit in lib. 6. ut jam ante monuimus. Et si quod habetur in lib. 5. esset retractatio; certe quod habetur in lib. 6. esset retractatio retractationis. Sed quis credat, virum gravissimum lib. 5. revocasse quod scripserat lib. 2. et rursum lib. 6. revocasse quod scripserat lib. 5.

At cur quaeso (dicet aliquis) s. Augustinus non fuit contentus in lib. illo quinto dicere, concupi-

scentiam vocari peccatum, quia est poena et causa peccati? cur addidit ac dixit, *non solum eam poenam et caussam peccati, sed etiam esse peccatum?* Responsio est in promptu, quia Julianus ex eo quod August. in libro de nuptiis et concupiscentia dixerat, concupiscentiam esse poenam peccati, collegerat eam esse bonam et laudabilem. Voluit igitur sanctus doctor ostendere, non esse rem bonam aut indifferentem concupiscentiam, sed malam; et quia poena (ut a Deo est) bona et laudabilis est; et caussa peccati, potest etiam esse res bona aut indifferens, si sit caussa per accidens, ut sunt omnia objecta sensuum delectabilia; propterea s. Augustinus coactus est dicere, concupiscentiam non solum esse poenam et caussam peccati, sed etiam peccatum, idest, rem in se malam et vitiosam, qualia sunt non solum peccata morum, quae proprie peccata dicuntur, sed etiam peccata naturae, ut caecitas et surditas, vel quaelibet monstrositas naturalis, quales sunt etiam habitus mali, qui vitia dici solent, et ipsae passiones immoderatae, quae in statu naturae integrae locum nullum in homine habuissent.

Neque multum refert, quod idem s. Augustinus comparat concupiscentiam cum caecitate cordis, quam dicit esse peccatum, quo in Deum non creditur et simul poenam et caussam peccati. Nam propositum s. Augustino fuit, ostendere posse id, quod est poena peccati, esse etiam peccatum, sive proprie, sive largo modo; et ideo varia profert exempla, non multum laborans, utrum sint in omnibus similia, modo similia sint in eo, de quo agitur.

Jam vero testimonium ex tract. 41. in Joannem si abesset pervicacia, nullo modo ab adversariis proferetur. Nam in eo tractatu s. Augustinus disertis verbis dicit, per Baptismum tolli omne peccatum, ac totam deleri iniquitatem, nec remanere nisi languorem et infirmitatem. Quod vero postea dicit, renatos non esse sine peccato, interdum loquitur de peccatis venialibus, quae post Baptismum fiunt; interdum ipsam concupiscentiam cum Apostolo vocat peccatum per metonymiam, et ideo dicit, peccatum hoc est in membris, non in animo.

Itaque cum dicit, non esse in renatis puram libertatem, ideo dicit, quia non sunt puri a peccatis venialibus; et quia peccatorum venialium caussa est concupiscentia, ideo addit: *Quia video aliam legem in membris etc.* pari ratione cum dicit, si nulla remansisset infirmitas, sine peccato hic viveremus; de peccatis loquitur venialibus, quorum caussa (ut diximus) ut plurimum est infirmitas. Denique non negamus concupiscentiam dici peccatum habitans in membris, et damnari, atque odio haberi a Deo; non ut peccatum proprie dictum, sed ut morbum et languorem. Nam etiam medici non solum febrem, sed etiam remanentem infirmitatem oderunt et pellere sua arte conantur.

Porro in concilio tridentino recte etiam dictum est, Deum in renatis nihil odisse; quia loquitur concilium de odio, quod redundet in personam. Sic enim nihil odit Deus, nisi peccatum. Unde dicitur Sap. 14. *Odio est Deo impius, et impietas ejus.* Odium autem concupiscentiae, quod ponit Augustinus in Deo non redundat in personam. Non enim Deus propter concupiscentiam, quae est in renatis, vult renatos damnare, sed potius vult concupiscentiam paulatim consumere, ut renati perfecte sanentur ac liberentur.

Calvinus in antidoto concilii admittit, Deum nihil in renatis odisse; sed non minus errat ipse, dum hoc admittit, quam Kemnitius dum reprehendit. Nam si concupiscentia esset ex natura sua peccatum, ut ipse dicit, non esset verum, eam a Deo non haberi odio, etiam in renatis. Ut enim s. Augustinus recte ait in hoc ipso tract. 41. in Joannem: *Deus omnia peccata odit.* Nihil igitur Deus in renatis odit, quia nihil remanet post Baptismum, quod habeat veram peccati rationem.

CAPUT XIV.

Solvuntur objectiones ex ratione.

Praeter testimonia Scripturarum et Patrum, proferunt etiam adversarii aliquot rationes.

Prima Ratio: Motus concupiscentiae sunt illiciti, etiamsi nobis nolentibus fiant, ut ex Augustino colligitur lib. 1. de nuptiis et concupisc. cap. 17. igitur lege divina prohibiti sunt, ac per hoc inobedientia legis, et peccatum est illos habere, quamvis justis et fidelibus non imputentur.

Respondeo: Motus concupiscentiae dicuntur illiciti, quia non licet eis praebere consensum, non quia non liceat eos invito animo pati, quemadmodum carnalis copula extra conjugium res est illicita, et tamen si quis per vim turpitudinem pateretur, aut omnino ignoranter committeret, non peccaret. Itaque s. Augustinus loco notato, non dicit eos motus esse illicitos, quia non liceat eos pati, sed quia non liceat eis obedire: *Non enim*, inquit, *si bona et licita desideria essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.*

Secunda Ratio: Id quod per se trahit ad malum, eadem lege prohibetur, qua prohibetur ipsum malum, ut perspicuum est de amplexibus et osculis impudicis: concupiscentia autem, quantumvis involuntaria per se trahit ad malum, Jacobi 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*; igitur ejusmodi concupiscentia lege divina prohibita est, et legem violat qui concupiscit, quamvis invitus.

Respondeo: Id quod per se trahit ad malum, eadem lege prohibetur, qua prohibetur ipsum malum, sed sicut ipsum malum non prohibetur proprie, ita ut reum faciat, nisi cum est in potestate nostra illud non committere, sic etiam, vel potius majori ratione, id quod per se trahit ad malum, non censetur proprie prohiberi, nisi quatenus in arbitrio nostro est illud assumere, vel rejicere. Nam si jure non potest reprehendi, qui stuprum per vim oblatum patitur, quanto minus reprehendi poterit, qui complexum, vel osculum impudicum

pati cogitur, etiamsi inde se stimulari ad flagitium sentiat? Sic igitur concupiscentiae motus,qui reluctante animo interdum exoriuntur in carne, non sunt illiciti, nec prohibiti nisi materialiter:proprie vero ac formaliter solus consensus intelligitur prohiberi.

Tertia Ratio contra solutionem superiorem: Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, et ideo facit contra praecepta justitiae,vere et proprie peccat, ut s. Augustinus docet lib. 1. retract. cap. 15. At in lege justitiae non solum prohibetur opus, ut adulterium,sed etiam desiderium, ut concupiscentia adulterii; igitur sicut opus est vere peccatum, etiamsi resisti bona voluntate non possit; ita concupiscentia ipsa vere peccatum erit, quamvis invito animo oriatur.

Respondeo: Multum interest inter motus concupiscentiae carnalis involuntarios, qui in sola carne sedem habent;et desiderium voluntatis, sive opere compleatur, sive non compleatur. Nam motus ille carnis involuntarius nullo modo est in potestate nostra, et ideo nec peccatum proprie, sed tantum per metonymiam. ut in illo ipso loco idem s. Augustinus docet. Desiderium autem adulterii voluntarium, sive ipsum opus adulterii pariter voluntarium, aliquando non est in nostra potestate immediate, quia divino judicio deserti non habemus vires,quibus cogenti cupiditati resistere valeamus: tamen semper est in potestate saltem mediate, quia possumus a Deo auxilium petere et gratia ejus adjuvante tentationi resistere: *Et ideo* (ut ibidem Augustinus dicit) *tunc facere contra praecepta justitiae,sive opere, sive consensu,sic est peccatum, ut sit etiam poena peccati.*

Quare totum argumentum conceditur, si in consequente de concupiscentia illa sit sermo, quae in ipsa voluntate per consensum oritur. Fieri enim potest ut ea concupiscentia invito animo oriri dicatur, si forte nollet aliquis consentire, et tamen victus tentatione consentiat. Sin autem de concupiscentia carnis agatur,quae nullo modo consensum extorqueat, argumentum nihil omnino concludet; nam in antecedente dicitur esse peccatum id, quod fit cogente carnis cupiditate, quod non est in nostra potestate immediate, sed tantum mediate. Ex quo non sequitur, ut peccatum sit ipsa cupiditas carnis, quae non est in potestate nostra, neque mediate, neque immediate.

Quarta Ratio: Concupiscentiam, quae remanet in baptizatis, Deus odit, ut s. Augustinus docet in psalm. 35. explicans illud: *Malitiam autem non odivit.* Apostolus item illam odio habebat, Rom. 7. *Quod odi facio.* Et nos illam odio habere debemus, juxta illud Judae: *Odientes eam, quae carnalis est,maculatam tunicam.* At nihil odit Deus nisi peccatum, Sap. 14. *Odio est Deo impius, et impietas ejus.* Et cap. 11. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Fecit autem omnia Deus, praeter peccatum. Quare concupiscentia remanens in renatis peccatum est.

Respondeo: Jam supra diximus in explicatione testimoniorum s. Augustini, concupiscentiam odio haberi a Deo, et a nobis odio esse habendam; quia tametsi proprie peccatum non sit, tamen incitat ad peccatum; et cum ea bellum intestinum et assiduum gerere cogimur.

Quod autem Scriptura dicit, Deum nihil odisse eorum, quae fecit,verissimum est;sed illud est falsum, Deum omnia fecisse praeter peccatum. Deus enim fecit ac diligit omnia quae sunt, quia omnia bona sunt. Vidit enim cuncta quae fecerat et erant valde bona, Gen. 1. Proinde malum nullum fecit, et malum omne odit, quatenus malum non est res aliqua,sed rei alicujus privatio.Itaque in eodem libro Sap.cap.1. legimus: *Deus mortem non fecit.* Et de concupiscentia Joan. Apostolus in 1. epistol.cap. 2.dicit *Eam non esse ex patre, sed mundo.*Odit igitur Deus in nobis concupiscentiam,non ut peccatum,sed ut languorem ex peccato relictum,eamque sanando quotidie minuit,donec penitus consumatur. Quomodo autem intelligendum, quod concilium tridentinum dicit,Deum in renatis nihil odisse, explicatum est capite superiore.

Quinta Ratio: Concupiscentia non est a Deo, ut habetur 1. Joan.2. At omnis justa poena est a Deo, ut habetur Amos 3. Igitur. concupiscentia non est solum poena, sed etiam culpa.

Respondeo: Si: Argumentum hoc vires haberet, efficeret etiam mortem corporalem non esse tantum poenam, sed etiam culpam. Nam mors non est a Deo, ut habetur Sap. 1. Et omnis justa poena est a Deo etc. Dico igitur: Concupiscentiam non esse a Deo, quatenus illa est mala, et tamen esse a Deo, quatenus bonum est, ut eo malo puniatur hominis inobedientia. Item concupiscentiam non esse a Deo, quia non fuit ipse auctor peccati, unde illa manavit; tamen esse a Deo, quia in ultionem peccati abstulit donum originalis justitiae, quod carnem spiritui subjiciebat, quo tamquam fraeno quodam sublato, continuo extitit in homine rebellio ista membrorum: *Quia dixi* (inquit s. Augustinus lib. 5. in Julian. cap. 7.) *inobedientiam carnis, quae in carne concupiscente adversus spiritum apparet diabolico vulnere contigisse: et rursus hanc legem peccati repugnantem legi mentis. a Deo esse illatam propter ultionem, et ideo poenam esse peccati;haec inter se asseveras esse contraria. Quasi fieri non possit, ut idem malum et diaboli iniquitate, et Dei aequitate peccantibus ingeratur. Neque hinc sibi ipsa divina adversantur eloquia quia scriptum est, Deus mortem non fecit. Item scriptum est, vita et mors a Domino Deo. Quia deceptor hominis caussa mortis est diabolus, quam non ut primus auctor ejus, sed ut peccato ultor intulit Deus.*

Sexta Ratio: Nulla est poena hujus vitae, quae ob finem bonum expeti non possit, at concupiscentia ob nullum finem recte expeti potest: igitur concupiscentia non est solum poena, sed etiam culpa.

Respondeo: Falsa est propositio. Nam ignorantia earum rerum, quae ad salutem necessariae sunt, sine dubio poena peccati est, et tamen expeti, nisi tentationes Satanae expeti non possunt, cum orare jubeamur:*Et ne nos inducas intentationem*, Matth. 6. et tamen tentationes internae, quibus Satanas imaginationem movet, et inania, vel illicita interdum nos cogitare compellit, poena

peccati sunt. Denique nullas poenas expetendas esse docet s. August. sed omnes tolerandas, cum sic loquitur lib. 10. Confess. cap. 28. *Quis velit molestias et difficultates pati? tolerare jubes eas, non amare. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse quod tolleret. Porro concupiscentia eadem ratione expeti non debet, non quod peccatum sit, si non ei consentiatur, sed quod ad peccandum inducat, et quod molesta sit, et gravius, et ideo non amanda, sed toleranda sit, si debellari nequeat. Neque displicere debet judicium Dei, qui eam ad agonem, et exercitium virtutis remanere voluit, et Apostolo suo dixit: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, 2. Corinth. 12.

Septima Ratio: Christus *per omnia tentari, voluit, sed absque peccato*, ut Apostolus docet ad Hebr. 4. et ideo communes humanae vitae miserias omnes assumpsit, ut fratribus per omnia similis fieret: At concupiscentiam carnis, non assumpsit, neque tentationem ejusmodi, quae a rebellione carnis oriretur, pati voluit: igitur concupiscentia non solum poena ac miseria, sed culpa et iniquitas est.

Respondeo: Non solum concupiscentiam, sed etiam ignorantiam Christus assumere noluit, quamvis neutra sit peccatum, si sit omnino involuntaria. Cur autem ignorantiam et concupiscentiam Christus habere noluerit, docet s. Thomas in 3. part. quaest. 15. art. 2. et 3. Tum quia duae istae miseriae nihil proderant ad redemptionem generis humani, sed potius oberant. Tum etiam quia plenum gratia et veritate Christum esse oportebat, quibus duobus donis concupiscentia et ignorantia manifeste repugnant. Vide s. Augustinum lib. 2. de peccatorum meritis et remissione cap. 29. et lib. 5. in Julianum cap. 9. ubi docet Christum fuisse ab ignorantia et concupiscentia semper immunem.

Octava Ratio: Sic proponitur a Kemnitio pag. 506. in examine concilii, Concupiscentia etiam in renatis est ἀνομία, propterea quod dissidet a norma legis, et cum illa pugnat: et quia lex est norma justitiae, et quicquid ab ea dissidet, et cum ea pugnat, rationem peccati habet. Sed Petrus martyr in comment. epist. Omne quod non est conforme legi divinae, peccatum est, ut patet ex illo 1. Joan. 3. *Et peccatum est iniquitas*, sive ἀνομία, ut habetur in graeco: At depravatio naturae humanae non est conformis legi divinae, eique triplici; repugnat enim Primo legi institutionis primae, quia non est qualis eam Deus condidit; Secundo, legi naturae, quia non potest vivere convenienter rationi; Tertio, legi scriptae: *Non concupisces*. Igitur ea depravatio peccatum est. Hoc argumentum Achilles est (ut vulgo dicitur) Philippi, Buceri, Petri martyris, Calvini, Kemnitii. *Argumenti hujus* (inquit Kemnitius pag. 506.) *mole premi se omnes Pontificii sentiunt, ideo varias quaerunt rimas, ut elabantur.*

Respondeo: Argumentum hoc ex iis, quae dicta sunt facile solvi potest; et adeo non premit sua mole catholicos, ut a multis per jocum eludatur, quippe quod seria responsione non egeat. Nam concupiscentiam esse ἀνομίαν in renatis, largo modo et materialiter supra concessimus cum Augustino, et eadem ratione concedimus esse peccatum largo modo, materialiter, vel improprie, quemadmodum omne vitium, omnisque recessus a regula vel ordine, non solum in moribus, sed etiam in natura et arte, dici potest esse peccatum. Sin autem concupiscentiam renatorum contendant proprie esse ἀνομίαν, quomodo hanc vocem accipit s. Joannes, cum ait, *et peccatum est ἀνομία*, sive *iniquitas* 1. Joan. 3. negamus, concupiscentiam renatorum esse ἀνομίαν.

Neque bona est illa Kemnitii probatio, Concupiscentia etiam in renatis est ἀνομία, propterea quod dissidet a norma legis, et cum illa pugnat. Nam non quod dissidet a legis norma, vel cum illa pugnat, est ἀνομία, sed ipsa discordia, sive repugnantia, vel recessus ac deviatio proprie est ἀνομία et formaliter peccatum. Dissidet enim a lege diabolus tentans ad peccandum, sed non est ipse iniquitas, sed iniquitatis suasor. Dissidet etiam homo qui peccat, sed non est ipse, neque esse dicitur iniquitas et peccatum, sed auctor peccati. Dissidet item a lege voluntas humana, cujus consensu peccatum perficitur, sed nec ipsa dicitur iniquitas, vel peccatum, sed principium, vel caussa peccati. Denique dissidet a lege actio humana, cum non est legi congruens, et ne ipsa quidem est iniquitas, sed iniqua. Iniquitas igitur (ut diximus) est ipsa recessio a norma legis, quae melius explicatur graeca voce ἀνομία. Illa autem recessio, vel deviatio a norma legis immediate inest in ipsa actione, quae secundum legis normam fieri debuisset.

Jam vero concupiscentia repugnat quidem legi mentis, ut Apostolus dicit ad Rom. 7. sed neque est ipsa formalis repugnantia; neque repugnat, ut actio recedens a norma legis; neque ut potentia, vel persona, quae normam sequi teneatur: sed repugnat, ut incitans et impellens ad praevaricandam legem, quemadmodum de diabolo diximus. Tentatur enim unusquisque a concupiscentia sua, ut habemus Jacobi. 1.

Est autem hoc loco notandum, haberi 1. Joannis 3. peccatum esse, ἀνομίαν, quod noster interpres vertit iniquitatem. Sed 1. Joan. 5. non haberi omnem ἀνομίαν, esse peccatum, sed πᾶσαν ἀδικίαν, idest, omnem injustitiam esse peccatum; nostrum autem interpretem in utroque loco vertisse iniquitatem, quia non habebat vocabulum, quo proprie exprimeret ἀνομίαν, quae est recessio a lege. Caeterum quicquid sit de aequivocatione latinae vocis, certum est non esse idem, omnem ἀνομίαν esse peccatum, et omnem ἀδικίαν esse peccatum, ut Kemnitius contendit. Nam ἀδικία species est, ἀνομία est genus. Omnis enim injustitia est recessus a lege, non autem omnis recessus a lege est injustitia. Et quod dicit s. Joannes, omnem ἀδικίαν esse peccatum, verissimum est: quod autem dicit, et saepissime repetit Kemnitius, omnem ἀνομίαν esse peccatum, non est verum, nisi peccatum largo modo accipiatur, ut etiam peccata artis et naturae comprehendit. Sed de his hactenus.

Nam ad mendacia et calumnias et varia Kemnitii absurda, satis respondit Andradius, in quem proprie illa omnia Kemnitius effutiit.

Jam vero ad argumentum, ut texitur a Petro martyre, Respondeo: Propositionem illam: *Omne, non est conforme legi divinae, peccatum est*, veram esse in universum, si peccatum accipiatur largo modo; sin autem agatur de peccato in moribus, debere etiam restringi ad conformitatem legis praecipientis actus morales. Alioqui etiam monstra, quae sunt peccata naturae, essent peccata proprie dicta, et puniri deberent; quod certe est absurdissimum. Assumptionem vero illam: *At depravatio naturae humanae non est conformis legi divinae*, dico etiam esse veram, si agatur de lege in universum, non autem si agatur de lege, cujus praevaricatio inducat reatum, sitque peccatum proprie dictum, de quo nos in praesenti disputamus.

Nam etsi depravatio, quae est in voluntate, si accipiatur pro aversione a Deo, sit vere peccatum, ut postea dicemus; tamen depravatio quae est in intelligentia, vel in carne, necnon pronitas quaedam voluntatis ad obsequendum Deo, non est contra legem ullam, cujus praevaricatio sit peccatum proprie dictum. Et ideo non est per se, et ex natura sua peccatum. Quod enim attinet ad legem primae institutionis naturae, non est ea lex moralis, cujus praevaricatio reum constituat transgressorem. Non enim jussit Deus, ut homo nasceretur cum justitia originali, vel hoc aut illo modo; sed instituit naturam, sicut voluit et ornavit iis donis, quibus ei placuit illam ornare; et eidem attribuit principia, ex quibus propagari posset. Si quando autem contingit, ut aliter res oriatur, quam Deus instituerit, est quidem in ea re peccatum aliquod naturae, sed non tale peccatum quod supplicio dignum sit. Nam non creavit Deus homines caecos, vel surdos, aut claudos, et tamen cum nascuntur aliqui caeci vel surdi aut claudi, nemo eos reprehendendos, aut castigandos censet, etiamsi non congruat eorum natura cum lege primae institutionis.

Quod vero attinet ad legem naturae, quae jubet ut vitam agamus secundum rationem, quam legem; viribus naturae corruptae servare non possumus; dico, posse legem illam bifariam considerari. Primo, ut significat legem moralem, quae proprie imperat voluntati, ut sequatur ductum rationis, non consentiat desideriis carnis etc. et hoc modo vera lex est, sed ejus praevaricatio non est peccatum originale, sed actuale, et ad rem praesentem non pertinet. Secundo, ut significat ordinem et congruentiam naturalem, quae requirit, ut pars superior imperet, inferior subjiciatur, et voluntas sine difficultate rationi obediat etc. Et hoc modo lex ista naturalis eadem est cum institutione naturae, contra quam institutionem pugnant, rebellio carnis et difficultas voluntatis, sed ea non sunt peccata proprie dicta; sed poenae peccati, et defectus consequentes materiam, quemadmodum se habet rubigo in cultro ferreo. Porro de lege scripta, *Non concupisces*, satis multa supra diximus, ubi demonstravimus, eam legem proprie non prohibere nisi desideria voluntaria, quae sunt peccata actualia, non originalia.

CAPUT XV.

Refellitur eorum catholicorum sententia, qui peccatum originis in quaedam positiva qualitate constituunt.

Refutavimus hactenus tres errores hujus temporis haereticorum: nunc refutandae sunt duae catholicorum incommodae sententiae, quae videntur etiam errores nominari posse.

Prima sententia eorum est, qui duas esse docent in homine malas qualitates, unam in carne, alteram in anima, quarum posterior a priori oriatur (animam enim ex contactu carnis pollui existimant), utramque autem concupiscentiam dici posse censent, sed solam posteriorem statuunt esse originale peccatum. Itaque peccatum originis nihil aliud esse volunt, nisi concupiscentiam, hoc est, morbidam in anima qualitatem, prava desideria perpetuo excitantem. Ita docet Petrus Lombardus in 2. lib. sentent. dist. 31. § 2. et 3. quem sequuti sunt Henricus Quodlib. 2. quaest. 11. et Gregorius Arim. in 2. dist. 30. quaest. 11. et ex recentioribus Joannes Driedo in 1. lib. de gratia et libero arbitrio. Hoc tamen interest inter Henricum et Gregorium, quod Henricus arbitratur malam illam animae qualitatem esse propensionem ad omnia mala: Gregorius autem restringit ad inclinationem in bonum delectabile secundum carnem.

Haec sententia tametsi convenit ex parte cum errore Lutheranorum; tamen in eo differt, quod Lutherani non agnoscunt ullam superadditam qualitatem, sed eam potius ridet Philippus in apologia Confessionis, non procul ab initio: *De fomite*, inquit, *disputant, quod sit qualitas corporis, et, ut suo more sint inepti, quaerunt, utrum qualitas illa contagione pomi, an ex afflatu serpentis contracta sit.* Haec ille. Praeterea differt etiam in eo, quod Lutherani concupiscentiam post Baptismum, ex natura sua peccatum proprie dictum esse volunt; auctores autem illi catholici minime id concedunt.

Videtur autem nobis haec sententia nullo modo defendi posse. Quod ut manifestum fiat, pauca quaedam praemittenda erunt, ex quibus controversiae status omnino aperietur.

Sciendum est igitur Primo: Concupiscentiam non semper eodem modo accipi in Scripturis. Interdum enim significat appetitum boni in universum, qua notione multae bonae concupiscentiae inveniuntur, ut s. Augustinus monet concion. 8. in ps. 118. nam concupiscentia sapientiae bona et laudabilis est, quippe quae, ut dicitur Sap. 6. deducit ad regnum. Bona est item concupiscentia, qua spiritus adversus carnem concupiscit, de qua loquitur Apostolus ad Galat. 5. recte quoque concupiscebat, qui dicebat in ps. 118. concupivi desiderare justificationes tuas.

Rursus concupiscentia aliquando significat actum

aliquando potentiam. Nam et concupiscentiam dicimus ipsum desiderii motum, ut patet ex Augustino lib. 6. in Julianum cap.8.et ipsam potentiam seu vim appetendi bona sensibilia, ut patet ex eodem Augustino lib. 4. in Julian. cap. 14. et lib. 6. cap. 7. et hoc modo concupiscentia non est mala, sed bona, vel indifferens. Nam possumus per eandem vim appetendi,et bene et male concupiscere, et sine dubio vis appetendi bona sensibilia fuit in Christo, et in primo homine ante peccatum et rursus in nobis post resurrectionem erit. Itaque s.Augustinus locis citatis fatetur, non ita accipiendam esse concupiscentiam cum agitur de peccato originis.

Est igitur alia notio concupiscentiae,qua concupiscentiam appellamus vitium, quo proni sunt homines ad appetenda bona sensibilia contra ordinem rationis. Et hoc modo accipitur concupiscentia passim ab Augustino in libris adversus Pelagianos; lib. 2. in Julianum ante medium, scribit concupiscentiam non esse substantiam, sed substantiae vitium; et apertius lib. 6. cap. 7. *Ego*, inquit, *tamquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum esse dico homini vitium, quo caro concupiscit adversus spiritum.* Et lib. 1.de nuptiis et concupisc. cap. 25. *Non enim*, inquit, *concupiscentia substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quaedam malae qualitatis, sicut languor.* Et in cap. 31. *Carnem*, inquit, *appellavit,ubi est quidam morbidus carnis affectus, non ipsam corporis conformationem.*

Sciendum est Secundo:Istud vitium in carne potissimum residere, hoc est, in parte hominis inferiore, quae sensualitas dicitur. Id quod supra docuimus ex Apostolo Rom. 7. ubi concupiscentiam dicit esse malum inhabitans in carne;et repugnare legi mentis, etc. Quocirca s. Augustinus in omnibus libris, quos adversus Pelagianos scripsit,semper de concupiscentia loquens, ad vitium partis inferioris recurrit lib. 1. de peccat.meritis et remiss. cap. 29. *Quod igitur*, inquit,*in membris corporis hujus movetur,totumque animum in se dejectum conatur attrahere, et neque cum mens voluerit, assurgit, neque cum mens voluerit, conquiescit, hoc est malum peccati,in quo nascitur omnis homo.* Et lib. 4. in Julianum cap. 4. dicit,libidinem, sive concupiscentiam esse vitium, quo appetimus immoderate delectationem omnium sensuum, sed praecipue gustandi et tangendi. Et lib. 6. cap. 8. *Huic chyrographo*, inquit, *nascuntur obnoxii omnes in carne de carne carnaliter nati. Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine, vel superiora inferioribus turpiter serviunt,vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.* Denique in omnibus libris contra Pelagianos directe scriptis,cum in singulis fere capitibus concupiscentiam saepius nominet, semper fere pro vitio partis inferioris, quae rebellis est superiori, concupiscentiae nomen accipit.

Caeterum negandum non est, etiam in parte superiore simile vitium inveniri. Nam ea quoque animi pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam et alias vanitates, et etiamsi nolimus, interdum parit ejusmodi desideria. Quocirca b. Paulus in epist. ad Galat. cap. 5. cum dixisset carnem concupiscere adversus spiritum, statim enumerans opera carnis, non solum nominavit fornicationem, ebrietatem et alia id genus; sed etiam idololatriam, haereses, inimicitias etc. quod diligenter notavit s. Augustinus lib. 14.de Civ.Dei, cap. 2. 3. et 4. ubi demonstrat. carnem interdum accipi pro toto homine, qualis est, sine gratia Dei, post lapsum Adami, et eum dici carnalem, qui secundum se ipsum, non secundum Deum vivit. Ex quo in explicatione psal. 79. dicit,omne peccatum oriri ex cupiditate male inflammante, vel ex timore male humiliante.

Itaque concupiscentiae vitium licet praecipue in sensualitate, tamen etiam in mente sedem habet. Si autem Augustinus in libris contra Pelagianos, ideo pene ubique loquitur de vitio sensualitatis, quia in sensualitate magis hoc vitium se prodit, non quod ignoraret etiam in mente locum habere. Atque in his omnibus nisi fallor, cum Petro Lombardo, Henrico, Gregorio, et caeteris omnibus convenimus. Solum quaestio manet de hoc vitio, sit ne positiva qualitas, an non,et utrum hoc ipsum vitium sit proprie ac formaliter originale peccatum. Illi affirmant utrumque, Nos utrumque negamus. Dicimus enim sensualitatem esse pronam ad concupiscendum etiam contra ordinem rationis, non ex aliqua insita qualitate eam inclinante, sed ex carentia justitiae originalis, quae eam perfecte rationi subjiciebat. Quemadmodum si equus incitetur ad currendum, non quia admoventur ei calcaria, sed quia sublatum est fraenum: et veluti si aliquid propendeat ad casum non quia premitur aliquo corpore gravi superaddito, sed quia sublatum est aliquid, quod prohibebat ne caderet. Quod autem diximus de sensualitate,de voluntate quoque intelligendum est.

His praenotatis probamus, non esse concupiscentiam positivam qualitatem. Primo, testimoniis sancti Augustini, quem adversarii vel solum pro sua opinione patronum habere se putant. Is igitur in lib. 2. de peccato originis cap. 4. loquens de concupiscentia, cujus reatum dicit esse originale peccatum,ut patet ex capitibus sex praecedentibus, sic ait: *Comparatur homo pecoribus per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, sed naturae. Tantae namque excellentiae est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.* Item lib. 4. adversus Julian. cap. 5. *Haec autem libido*, inquit, *ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Et cap. 14. *Ideo*, inquit,*in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum.* Et in psalm. 103. concio. 4. *Quod equo*, inquit, *natura est, homini crimen est.* In his locis s. Augustinus docet illud ipsum esse in homine vitium concupiscentiae, quod est in animantibus rationis expertibus natura. Certum est autem in animantibus rationis expertibus nullam esse corruptam qualitatem, qua sint prona ad concupiscendum, sed solum appeti-

litum sensitivum, qui rationi utique repugnaret, si ratio in belluis esset. In homine igitur nulla est qualitas positiva, praeter ipsam sensualitatem, sed ipsa sensualitas; ideo vitiosa dicitur, et est in homine, quia deberet rationi obtemperare, quod etiam faceret, nisi homo propter peccatum justitiam originalem amisisset.

Praeterea idem s. Augustinus, lib. 1. de nuptiis et concupiscentia cap. 25. dicit, concupiscentiam non substantialiter manere, sed sicut languorem. Et lib. 2. in Julianum, ante medium, dicit, non esse substantiam, sed substantiae vitium. Solet autem s.Augustinus per substantiam intelligere id omne, quod est in rerum natura, idest, omne positivum. Sic enim ait in psalm. 68. *Quod nulla substantia est, nihil omnino est.*Idem quoque auctor ubicumque concupiscentiae caussam explicat,semper recurrit ad privationem,sive absentiam gratiae. Lib. 1. de peccat. meritis et remiss.cap.16. *Quando ergo*, inquit,*peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus gratiam perdidit, qua ejus animae omni ex parte obediebat;tunc ille extitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate.Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati et mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet.* Et lib. 4. in Julian. cap. ult. *Quid*, inquit, *est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia contegebat? gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Idem repetit lib. 11. de Genesi cap. 31. et lib.13. de Civ. Dei cap. 13.

Vides in his locis, non solum ad gratiae absentiam revocari concupiscentiae vitium, sed etiam vocari libidinem bestialem, quia illa ipsa libido est in homine vitium, quae in bestiis est natura. Et rursus, ideo magna Dei gratia factum esse in paradiso, ut terrenum et animale corpus libidinem non haberet, quia ex se et ea natura sua libidinem habiturum fuisset, nisi magna illa gratia, ne haberet, impedivisset. Non igitur accessit mala qualitas aliqua;sed ipsa sensualitas,ut spoliata originali justitia rationi repugnat, concupiscentia dicitur.

Altera sententia paulo quidem minus liberalis , sed tamen valde mitis, fuit eorum, qui parvulos non baptizatos excludebant a regno coelorum , et vita beata sanctis promissa. Tamen eis dabant vitam aeternam et naturalem beatitudinem sine ulla molestia, aut dolore, extra regnum beatorum, et procul a carcere damnatorum,hoc est, in loco medio inter gehennam et coelum, qualis locus vix potest fingi alius quam terrae convexum. Ita sensisse olim Pelagianos docet s. Augustinus in lib.de haeresibus cap. 88. *Nam*, inquit, *etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei sed tamen aeternam et beatam quandam vitam suam.*

Quod autem per regnum Dei intelligat Augustinus non solum domum coelestem, sed etiam visionem Dei,et quod Pelagiani non promiserint parvulis non baptizatis vitam aeternam supernaturalem, quae consistit in visione Dei , sed solum vitam aeternam, sive beatitudinem naturalem, perspicuum est ex lib. 5. in Julianum cap. 8. ubi, Augustino teste, Pelagiani alienabant parvulos non baptizatos a vita Dei cum alienarent a regno Dei. Quid est autem vita Dei, nisi visio Dei? Sed neque ipsum regnum coelorum in Scripturis aliud significat,nisi felicitatem aeternam,quae in Dei visione consistit, juxta illud: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est, Matth.* 18. Et illud: *Scimus quia cum apparuerit, similes eierimus , quia videbimus eum sicuti est* 1. *Joan.* 3. Et illud:*Haec est autem vita aeterna, ut agnoscant te solum Deum verum etc. Joan.* 14. Itaque Pelagiani non vitam aeternam simpliciter, sed, ut Augustinus loquitur , *quandam suam vitam aeternam*, infantibus non baptizatis promittebant.

Ad quem errorem proxime accessisse videntur , Ambrosius Catharinus in lib. de statu puerorum sine Baptismo decedentium;Albertus Pighius in prima controversia; et Hieronymus Savonarola in lib. de Triumpho Crucis.Docent enim infantes sine Baptismo morientes,futuros post judicium beatos naturali beatitudine,et in quodam veluti paradiso terrestri perpetuo, feliciterque victuros.

Tertia sententia jam aliquanto severior , docet parvulos sine Baptismo decedentes damnari apud inferos aeterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quae dicitur poena damni, ut nullum patiantur omnino dolorem, neque internum , neque externum. Ita docet s. Thom. in quaest. 5. de malo art. 1. 2. et 3. et tum ipse,tum alii aliquot scholastici doctores in 2. sent. dist. 33.

Quarta sententia superiore adhuc severior liberat quidem parvulos ejusmodi a cruciatu ignis et vermis, de quo legimus Marci nono: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*; quae proprie dicitur poena sensus, sed non eos liberat ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiterna felicitatis. Ita docet Petrus Lombardus in 2. lib. sent. distinct. 33.lit. E.Eumque nonnulli alii sequuti sunt, ut referunt s. Thomas, s. Bonaventura, Gregorius ariminensis, et alii in commentar. ejusdem loci.

Quinta sententia severissima, atque extrema, docet, parvulos propter originale peccatum utroque poenae genere, damni scilicet et sensus,in gehenna perpetuo cruciari: in hanc sententiam satis aperte propendet Gregorius ariminensis in 2.sentent. distinct. 33. quaest. 3. et Joannes Driedo in 1. lib. de gratia et libero arbitrio tract. 3. cap. 2.

Haeretici nostri temporis extremis sententiis maxime delectantur et ideo parvulos non baptizatos, aut in coelo cum beatis locant,ut diximus de Zwinglio et Calvino, aut igni sempiterno illos addicunt. Quod manifeste colligitur tum ex Luthero, Melanchthone et aliis, qui, ut ostendimus libro superiore, peccatum originale cum actuali confundunt: tum ex Tilmanno Heshusio, qui in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit.de peccato num.13. numerat inter errores sententiam illam scholasticorum, quae docet, parvulos sine Baptismo decedentes, poenam damni, non sensus apud inferos esse passuros, nunc praedictas sententias paulo diligentius excutiemus.

CAPUT II.

Refellitur prima et secunda sententia, atque asseritur, parvulos sine Baptismo decedentes, mortis aeternae poena esse damnandos.

Ex enumeratis sententiis prima et secunda, non solum falsae, sed etiam haereticae existimandae sunt; et contra, fide catholica tenendum est, parvulos sine Baptismo decedentes, absolute esse damnatos, et non sola coelesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuo carituros.Quo loco illud praefandum esse videtur, misericordiam nostram erga parvulos jam defunctos, nihil eis prodesse, et contra nihil eisdem obesse sententiae nostrae severitatem: multum autem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas, aut Ecclesiam defendamus; idcirco non affectum quendam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturae, conciliorum et Patrum sententiam consulere et sequi debemus.

Quod igitur attinet ad beatitudinem coelestem et vitam aeternam in regno coelorum,extat clarissima Domini sententia Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei;* ad quam rem confirmandam multa protulimus tum in lib. de Baptismo cap. 4. tum in 1. lib. de peccat. orig. c.14. ad quae loca, ne frustra eadem repetamus, lectorem remittimus. Quod autem ejusmodi parvuli absolute damnati et miseri, et ne naturali quidem beatitudine beati sint,his argumentis probamus.

Primum argumentum ex testimoniis divinarum literarum ducitur, Joan. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et infra : *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Jam cum parvuli non baptizati nullo modo respiciant in serpentem,idest, non credant in Christum, neque per se, neque per alios, neque actu, neque habitu, quid sequitur, nisi ut non habeant vitam aeternam, ut pereant in aeternum, ut non videant vitam, ut ira Dei maneat super illos. Recte enim animadvertit s.Augustinus serm. 14. de verb. Apost. non esse dictum. *Ira Dei veniet super eos*, sed, *manet super eos*, ut intelligeremus, fidem in Christum necessariam esse, non solum, ne incidamus in iram Dei, sed etiam ut liberemur ab ira, in quam incidimus per inobedientiam primi hominis. De qua dictum est ab Apostolo ad Ephes. 2. *Eramus enim et nos natura filii irae, sicut etc.*

His accedit illud ejusdem Apostoli ad Rom. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Sunt igitur parvuli sine Baptismo decedentes,secundum Scripturas a Deo condemnati, et iratum contra se Deum habent, et non videbunt in aeternum vitam beatam ac felicem, nam corporalem quidem vitam in communi resurrectione percipient, sed non dicentur resurgere ad vitam, sed ad mortem, qui ideo resurgent, ut perpetuo sint miseri: et non est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, ut s. Augustinus docet in Enchirid.cap.92.

Denique in Apocal. cap. 20. *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem.* Et infra: *Qui non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* At parvuli non baptizati non habent partem in resurrectione prima, nec sunt scripti in libro vitae, igitur in eos mors secunda habet potestatem, et missi sunt in stagnum ignis. Est autem hoc loco notandum, Catharinum in libro suo de statu puerorum etc. definire mortem secundam carentiam omnis felicitatis, tum naturalis, tum supernaturalis.

Alterum argumentum sumi potest ex definitionibus conciliorum. Concilium palestinum, teste s. August. in epist. 106. ad Paul. compulit Pelagium anathematizare, infantes etiamsi non baptizentur, habere vitam aeternam: *Hac autem*, inquit Augustinus, *negata, quid nisi mors aeterna remanebit?*

Concilium carthaginense in epist. apud Augustinum 90. *Quicumque*, inquit, *negat parvulos a perditione liberari per Baptismum Christi, et salutem percipere sempiternam, anathema sit.*

Concilium milevitanum in epist.apud August.92. similia repetit: *Pueros*, inquit, *parvulos si nullis innoventur christianae gratiae sacramentis, ha-*

bituros vitam aeternam, nequam praesumptione contendunt.

Concilium florentinum in ult. sess. *Illorum*, inquit, *animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

Concilium tridentinum sess. 5. consentanee ad antiquiora concilia, disertis verbis docuit, parvulos sine Baptismo ad vitam aeternam non pervenire.

Tertium argumentum sumitur ex testimoniis summorum pontificum. S. Innocentius I. in epistol. ad concilia carthaginiense et milevitanum, quae sunt apud Augustinum 91. et 93. dum approbat decreta illorum conciliorum, simul reprobat Pelagianorum haeresim.

S. Syricius in epist. 1. ad Himerium cap. 2. docet, infantes in periculo vitae constitutos, continuo baptizari debere, et rationem reddens ait: *Ne regnum perdant et vitam.*

S. Leo papa in epist. 86. ad Nicetam jubet, Pelagianos ad Ecclesiam redire volentes, non esse recipiendos, nisi prius suos anathematizent errores, et inter caeteros, quod pueri sine Baptismo de saeculo exeuntes, non possint damnari.

S. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 16. *Nonnulli*, inquit, *prius a praesenti luce subtrahuntur, quam ad perferenda bona malave merita activae vitae perveniant. Quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant, et hic ex proprio nihil egerunt, et illuc ad tormenta perveniant.* Et infra: *Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

Joannes papa, ut habetur 30. quaest. 1. canon. ad limina, laudat quendam laicum, qui necessitate cogente proprium filium baptizavit: *Quoniam* (ut ipse loquitur), *ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda Baptismatis lavit, ut cum de potestate auctoris mortis et tenebrarum eriperet, et in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret.*

Quartum argumentum a testimoniis Patrum, s. Augustinus in epist. 106. ad Paulinum: *Nempe*, inquit, *aliquando fatebuntur, parvulos non baptizatos vitam habere non posse, ac per hoc quoslibet tolerabilius omnibus qui etiam propria peccata committunt, tamen aeterna morte mulctari.* Et lib. 1. de orig. animae cap. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque coelorum quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubi libet quasi medium locum; hoc enim eis haeresis Pelagiana promisit.* Et lib. 2. c. 12. *Novellos haereticos Pelagianos justissime conciliorum catholicorum, et sedis apostolicae damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum, etiam praeter regnum coelorum.* Et lib. 1. de peccat. mer. et remiss. c. 23. *Nulla salus aeterna, praeter Baptismum Christi, promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingeniis praeferenda.* Vide etiam in eodem lib. cap. 28. et lib. 2. de peccato orig. c. 21. lib. 3. in Julian. cap. 8. in enchirid. cap. 93. serm. 14. de verbis Apostoli.

S. Prosper lib. 2. de vocat. gentium cap. 8. *Quid est*, inquit, *quod alienatur a salute perpetua tanta infantium multitudo, totque in his aetatibus hominum millia extra vitam relinquuntur aeternam?*

S. Fulgent. in lib. de fide ad Petrum cap. 3. *Parvulos*, inquit, *quibus nulla possunt vel bona, vel mala inesse propria merita voluntatis, insolubili nexu aeterna damnatio retinet.*

Auctor sermonum de operibus cardinalibus Christi, qui falso inscribuntur Cypriano, cum sint auctoris antiqui et docti, sed Cypriano, immo et Augusto. sine dubio posterioris, in serm. de circumcisione, loquens de poena peccati originalis: *Supererat*, inquit, *post mortem carnis, animae labor et afflictio spiritus: nec poterat ulla ratione absolvi illa damnatio, nisi morti omnium vita omnium subveniret, et pro generali morbo gratia Dei singulare propinaret antidotum.*

Venerabilis Beda in comment. cap. 14. Joan. *Respuendi*, inquit, *sunt a corde christiano, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum coelorum erit aliquid, ubi beate maneant innocentes, qui sine Baptismo ex hac vita migrarunt. Quia sine illo in regnum coelorum ingredi non potuerunt.*

S. Anselmus in lib. de conceptu virginali cap. 27. *Si originale*, inquit, *peccatum est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum, illo non dimisso damnari.*

S. Bernardus in epist. 191. ad Innocentium, prope finem, dicit, *Infantes perire si non baptizentur.*

Quintum argumentum sumi potest ex rationibus quae in scripturis et Patribus fundamentum habent. Prima ratio parvuli non baptizati, tum in hac vita, tum in alia sunt captivi, et in potestate diaboli: non igitur beati, ne naturali quidem beatitudine, sed absolute infelices et miseri. Et quidem quod infanteli, nisi baptizentur, sint in potestate diaboli et captivi, certissimum est. Nam Apostolus ad Col. 1. dicit: *Nos per Christum eripi de potestate tenebrarum.* Ex quo sequitur, ut ante Baptismum simus omnes sub potestate tenebrarum. Quare Act. 26. Christus ipse dicit, se mittere Paulum *ad gentes et populos, ut aperiat oculos eorum et convertantur de tenebris ad lucem, et de potestate Sathanae ad Deum.* Et Lucae 11. comparat Dominus Sathanam *forti armato custodienti atrium suum.* Et Joan. 12. *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras.* Hanc autem diaboli expulsionem in parvulis fieri per Baptismum, docent exorcismi et exsufflationes, quarum in Ecclesia semper fuit usus.

S. Augustinus lib. 1. de pecc. merit. et remiss. cap. 34. *Vellem*, inquit, *aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum adferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?* Et lib. 2. de pecc. orig. cap. 40. *Ipsa*, inquit, *sanctae Ecclesiae sacramenta satis indicant, parvulos a partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari.* Et infra: *Non solum aetate majores, sed etiam pusillos eruit a potestate tenebrarum.* Et lib. 6. in Julian. cap. 2. *Verum est*, inquit, *quod*

antiquitus veraci fide catholica praedicatur et creditur, per Ecclesiam totam: quod filios fidelium, nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum,et a principe mortis erueret: quod in libro meo, cui tu velut respondes, a me positum est. Sed id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi, et a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses. Et eodem lib. cap. 8. *Hoc ergo generi humano inflictum vulnus a diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo.*

Denique lib. 1. de nupt. et concup. c. 20. *Non enim*, inquit, *fides dubitat christiana, quod novi haeretici oppugnare coeperunt,et eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de potestate diaboli,et eos, qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam parvulos filios redemptorum sub ejusdem esse potestate captivos, nisi et ipsi eadem Christi gratia redimantur:ad omnes namque pertinere non dubitamus aetates illud,de quo Apostolus loquitur, beneficium Dei, qui eruit nos de potestate tenebrarum etc.* Et rursus lib. 2. de nup. et concup. c. 18. *Accusat*, inquit, *Ecclesiam, toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, a quo necesse est vasa irae possideantur, cum in Adam nascuntur, si in Christo non renascantur, et in ejus regnum per gratiam facta vasa misericordiae transferantur.*

Similia invenies in omnibus Patribus, et in ipsis etiam pontificum decret. ut in epist. Coelest. ad Gallos, in epistola Zozimi ad omnes episcopos; in epist. Joan. papae, apud Gratianum 30. quaest. 1. can. *Ad limina.*

Ex quibus apparet omnino improbabiliter, ne quid gravius dicam, scripsisse Ambros.Cathar. in lib.de statu puerorum sine Baptismo decedentium, parvulos ejusmodi, post diem judicii non fore amplius sub diaboli potestate. Quoniam, ut ipse ait, etiam pro illis diabolus ejectus erit foras. Nam, ut jam ex s. August. audivimus, secundum fidem universae Ecclesiae non eruuntur infantes de potestate Sathanae, neque ejicitur diabolus foras, nisi per regenerationem, quae est in Christo: et necesse est vasa irae esse sub diabolo, nisi per gratiam Dei in regnum Christi, facta vasa misericordiae, transferantur.

Quis autem negat, nisi manifestus haereticus, parvulos in peccato decedentes, numquam per Christum regenerandos,neque in ejus regnum ullo unquam tempore transferendos? Quid, quod idem s. August. disertis verbis scribit etiam post judicium parvulos sub diaboli potestate futuros? Nam in lib. 1. de nupt. et concup. c. 23. cum dixisset: *Hoc generi humano inflictum vulnus a diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo.*Et paulo post: *Non itaque tenet homines diabolus, sive majoris, sive infantilis aetatis, propter quod homines sunt, sed propter quod immundi sunt etc.* subjungit: *Majores quidem poenas ultimo judicio, quanto est immundior, ipse passurus; verumtamen et quibus in illa damnatione tolerabilius erit, huic sunt subditi velut principi auctorique peccati,quia nulla erit damnationis caussa nisi peccatum.* Igitur parvuli non baptizati, cum semper captivi sub principe diabolo futuri sint, non beati, sed miseri dicendi sunt.

Altera ratio sumitur ex loco, in quo parvuli degunt, et semper degent, siquidem locus eorum est carcer inferni, locus horridus ac tenebricosus, in quo qui degent, sine dubio beati esse non potuerunt, cum beatitudo definiatur status omnium bonorum aggregatione perfectus. Locum autem talium infantium esse carcerem inferni, docent in primis fere omnes theologi scholastici, s. Thomas, s. Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Capreolus,et alii in 2. sent. dist. 33. vel in 4. dist. 45. et praeterea Alexand. Alens. in 2. part. Summae, quaest. 122. membro 10. § 1. et Albertus in 2. part. Summae quaest. 113.

Hoc solum inter veteres istos theologos interest, quod alii constituunt infantes ii parte inferni altiore,quam limbum puerorum appellant, alii cum caeteris damnatis eos locum habere pronunciant. Docent hoc idem Patres concilii florent. in decret. quod habetur in ult.sess. ubi simpliciter definiunt. animas eorum qui in solo peccato originali, vel mortali actuali decedunt, in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas,

Neque ulla est ratio, cur ex eo loco post ultimum judicii magni diem liberandae sint, cum post hanc vitam non sit locus misericordiae, sed justitiae, et in Eccles. 11. scriptum sit: *Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit:* Quam locum s. Hieronymus in comment, et alii communiter exponunt de hominibus, qui in eo statu perpetuo erunt, in quo illos mors invenerit.

Docent hoc ipsum denique sancti Patres,qui non incerta opinione, sed fide certissima contra haeresim Pelagianorum rem istam tenendam esse confirmant. S. August. lib.1.de pecc. merit. et remiss. c. 28. *Nec est*, inquit, *ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc et ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiae sint in vita aeterna,sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad haec ora obstruenda sententiam, ubi ait: Qui non est mecum, contra me est.* Et serm. 14. de verb. Apost. non longe ab initio: *Nullus*, inquit, *relictus est medius locus,ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram, non novi aliud. Si ergo dextera erit, et sinistra, et nullum medium locum in evangelio novimus, ecce in dextera regnum coelorum est. Percipite, inquit, regnum: quod ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? ite in ignem aeternum?*

Auctor hypognostici, qui vel est Augustinus, vel alius omnium consensu antiquus et doctus lib. 5. ultra medium. Primum, inquit, *locum, fides catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse coelorum, unde, ut dixi, non baptizatus*

excipitur: Secundum, *gehennam, ubi omnis apostata, vel a Christi fide alienus, aeterna supplicia experietur.* Tertium, *penitus ignoramus; immo non esse in Scripturis sanctis inveniemus : finge Pelagiane, locum ex officina perversi dogmatis tui , ubi alieni a Christi gratia vitam requiei et gloriae possidere parvuli possint.*

S. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum cap. 27. inter regulas fidei numerat, quod parvuli sine Baptismo decedendes in gehenna locum perpetuum sint habituri.

Venerabilis etiam Beda loco citato in comment. cap.14. Joan.repellendum dicit esse a corde Christiano,quod sit aliqua mansio beatitudinis extra regnum coelorum.

Accedat postremo etiam ratio,quae non obscure docet, infantes, qui non erunt in coelo, non alium locum habituros, quam inferorum subterraneas sedes. Siquidem omnino credibile est, post ultimi judicii diem, elementum aquae, ad locum suum naturalem esse rediturum, totamque terram undique cooperturum : nam ut theologi doctores communi consensu docent in 4. sentent. dist. 47. post diem judicii nullae erunt amplius plantae, nulla animantia, nulla corpora mixta, hominibus dumtaxat exceptis. Neque enim perpetuo duratura sunt, nisi quae vel in toto,vel ex parte incorruptionem ab ipsa natura sortita sunt. Ejusmodi autem sunt primum corpora coelestia, quae et secundum totum,et secundum dum partes incorruptibilia sunt. Deinde elementa quae secundum totum, licet non secundum partes a natura incorruptionem habent. Denique homines, qui secundum partem, quae est anima rationalis, non secundum totum immortales sunt; caetera corpora sunt omnia tum in toto, tum in partibus corruptibilia.

Quare cum aqua initio mundi totam ambiret terram, ut natura ejus postulare videbatur, ac deinde jussu Dei in locum unum congregata fuerit, ut esset locus in terra generationi animantium et plantarum, certe generatione ista sublata ratio ipsa et natura rerum postulat,ut aqua ad locum pristinum revertatur; quae cum ita sint, non solum ex Scripturis, conciliorum et Patrum testimoniis, sed etiam ex rationis conjectura colligimus, locum infantium sine Baptismo decedentium, non alium quam infernum esse futurum, ac per hoc non habituros illos beatitudinem ullam,etiam naturalem, cum ad beatitudinem omnia bona, inter quae non minimum est loci commoditas et praestantia, sine dubio requirantur.

Tertia ratio principalis sumitur ex natura et ratione beatitudinis. Beatitudo enim naturalis, de hac si quidem tota quaestio est, requirit praecipue perfectionem intelligentiae per scientias; non erit autem hujusmodi perfectio in infantibus sine Baptismo decedentibus: igitur non erit in eis ulla beatitudo.

Assumptio hujus argumenti, quae sola probatione indiget, sic probatur. Scientia rerum,vel a Deo coelitus infunditur, vel proprio labore acquiritur: non infundetur parvulis de quibus agimus, ulla scientia, quia neque eam bonis operibus meruerunt, neque gratis eis donabitur, cum post mortem non sit tempus gratiae, sed judicii, et ipsi praeterea sint vasa irae, non misericordiae. Quod autem attinet ad acquisitionem proprio labore,non poterit ea non esse valde tenuis et exigua, cum neque in hac vita didicerint aliquid,et in alia clausi perpetuo futuri sint in carcere tenebricoso, ubi ministerio sensuum parum admodum juvari poterunt.

Sed fortasse animae illorum,dum usque ad diem judicii a carnis onere liberae sunt, sapientia et scientia repleri poterunt. Non ita est, nam ut recte scribit. in 1. parte quaest. 89. art. 1. et seq. animae separatae, si privilegium absit , intelligunt quidem aliquid, sed valde imperfecte et confuse, et ideo naturaliter corpori uniuntur , ut eo tamquam instrumento utantur ad res perfecte distincteque intelligendas.

Eadem ratio est de virtutibus moralibus quarum perfectio ad naturae felicitatem necessaria est. Nam ut ex hac vita discedunt infantes sine vitiis et virtutibus positivis, cum sola habituali aversione a Deo, ita semper erunt aversi habitualiter a Deo, neque proficient in virtutibus , nisi forte admodum imperfecte pro ratione imperfectae cognitionis, quam in eo statu, ut diximus, assequentur.

Quartam rationem adjungere placet proprie adversus Pighium et Catharinum ex absurdo, quod ex eorum opinione consequitur. Nam si verum esset, quod ipsi scribunt , parvulos cum originali peccato decedentes, non solum carituros omni dolore, tum interno, sed etiam beatos ac felices in quodam veluti terrestri paradiso perpetuo vitam acturos, plenos sapientia et virtutibus sua sorte optime contestos, Deum toto corde diligentes et laudantes.Angelorum denique consortio et revelationibus saepe fruentes, si haec, inquam, vera essent, sequeretur infantes melioris conditionis esse, quia peccaverunt in Adamo, quam si in puris naturalibus decessissent.Non enim tanta debentur hominibus in puris naturalibus in infantia decedentibus. Itaque parvuli isti praemium ex peccato referrent.

Sequeretur deinde parvulos debere baptizari ut adoptionem divinam adepti admittantur ad regnum coelorum, non aut quia periculum sit ne damnentur et pereant. Nihil enim eis adest mali praeter carentiam visionis Dei, et nihil eisdem boni deest, nisi visio Dei, hoc est possessio regni coelestis.

Atqui haec est ipsa haeresis Pelagiana, nam ut sanctus Augustinus testatur in lib. 1. de origine animae c. 9. non timebant Pelagiani parvulis damnationem, si non baptizarentur, sed a regno exclusionem; ubi per damnationem non intelligit August. exclusionem a regno, sed aliquid aliud, nam si exclusio esset damnatio , qui exclusionem timebant non baptizatis, damnationem quoque eisdem pariter timuissent. Quare idem August. lib. de haeres. cap. 88. scribit , parvulos secundum haeresim Pelagii Baptismo indigere, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, et non ut non pereant, sed ut de bono transferantur ad melius.

Nos igitur, ut a Pelagianorum errore, quam longissime recedamus, nullam tribuimus, parvulis sine Baptismo vitam beatam, eosque baptizandos asserimus, non tantum ut a regno Dei non excludantur, sed etiam ut a peccato liberati a potestate Sathanae, et ab inferni carcere pariter liberentur, et vitam ac requiem percipient sempiternam.

CAPUT III.

Respondetur ad objectiones contra doctrinam capitis superioris.

Sed operae pretium est respondere ad objectiones aliquas Ambrosii Catharini, quas ille opponendas putavit doctrinae veterum Patrum, quam nos cap. superiore defendimus. Omittam argumenta, quibus ille probare nititur, parvulos non puniendos igne gehennae (id enim etiam nos probabimus in sequenti capite) et ea solum adducam, quibus effecisse se putat parvulos non semper futuros in damnatione mortis, nec semper habituros sedem in locis subterraneis, et denique felicem ac beatam vitam acturos ex extra regnum coelorum.

Prima igitur ejus objectio talis est: *Quod*, inquit, *aeterna damnatio non sit secundum omnem poenam, factum est per Jesum Christum Dominum nostrum, qui venit peccatum illud sufferre, sicut enim dictum est a Paulo; sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et ab eodem dictum est, ita et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Non quod velim dicere, quod ii pueri, nisi applicetur eis vita per Jesum Christum in sacramento, justificentur ad vitam aeternam. Absit haeresis, sed non perpetuae suadentur condemnationi mortis; quia et pro illis ultimo loco inimica destruetur mors, neque sub diaboli perpetuo potestate erunt. Quia et pro illis ejectus erit diabolus foras in die novissimo, ut nihil juris habeat alterius in illos. Illa ergo damnatio ob illud peccatum non erit perpetua.*

Respondeo: Haec argumentatio Catharini, Primum repugnat expressis testimoniis Patrum, quae in cap. superiore citavimus. Deinde sequitur ex ea, ut si damnatio parvulorum non sit aeterna, eadem ratione damnatio majorum non videatur aeterna. Nam quod ipse dicit, Christum venisse, ut tolleret peccatum originis, et propter Christi justitiam omnes justificari, et in novissimo die inimicam mortem perituram, et diabolum foras ejiciendum, aeque valet in majoribus ac parvulis. Christus enim venit omnia peccata tollere: *Dedit enim semetipsum redemptionem pro omnibus*, 1. Timoth. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi*. 1. Joan. 2. propter ejus justitiam omnes non solum parvuli, sed etiam adulti justificabuntur. Nam judicium quidem ex uno, delicto videlicet, in condemnationem, gratia autem ex multis dilectis in justificationem, inquit Aposiolus ad Rom. 5. et inimica destruetur mors, pro omnibus omnino non solum parvulis, sed etiam majoribus; omnes enim resurgent, etiam gravissimi peccatores. Denique et diabolus ejicietur foras, sed Scriptura nusquam indicat, eum deinceps habiturum potestatem in majores, non autem in parvulos.

Itaque si conclusio illa, damnationem videlicet non fore perpetuam, vera est de parvulorum damnatione, vera etiam erit de damnatione majorum. Quod si damnatio peccatorum non sit aeterna, dubitari etiam poterit de beatitudine sanctis promissa, ne forte non sit aeterna, ut s. Augustinus colligit lib. 21. de Civit. Dei cap. 24. Sed his omissis respondeamus breviter ad argumentum.

Quod igitur Catharinus, dicit, Christum venisse, ut peccatum originis tolleret, verum est quoad efficaciam, quia ut ex Joanne citavimus, ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi; a multis tamen non tollitur hoc peccatum, quia non applicatur eis pretium redemptionis. Instrumentum enim applicationis pro parvulis nullum est, praeter Baptismum: proinde sine Baptismo decedentes, expertes sunt redemptionis.

Quod addit, scriptum esse, *Per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae*; verissimum quoque est: sed intelligitur ex communi catholicorum sensu atque consensu, non in omnes simpliciter, sed in omnes, qui ex Christo per Baptismum renascuntur. Sicut enim omnes, qui nascuntur ex Adamo, damnantur; ita omnes qui renascuntur in Christo, justificantur; quare ad parvulos non baptizatos nihil hoc testimonium pertinet.

At in novissimo etiam pro parvulis inimica destruetur mors. Si hic locus de resurrectione simpliciter intelligatur: destruetur quidem mors pro omnibus damnatis, quia omnes resurgent, sed non propterea desinent esse in morte aeterna; nam resurgent non ad resurrectionem vitae, sed ad resurrectionem judicii, ut Dominus dicit Joan. 5. hoc est, resurgent, ut miseri semper in damnatione vivant, et ut mors eorum numquam moriatur.

Sin autem, quod probabilius videtur, verba illa, *Inimica destruetur mors*, intelligantur de resurrectione ad veram vitam, nihil haec promissio ad parvulos pertinet. Resurrectio enim ad veram vitam, fidelium tantum erit atque sanctorum, ut s. Augustinus affirmat in epist. 146. ad Cosentium, qui etiam in epistol. 28. ad Hieron. parvulos in eorum numero ponit, qui resurgent non ad resurrectionem vitae, sed ad resurrectionem judicii, id est, damnationis.

Denique quod affert Catharinus de ejectione diaboli, nihil omnino probat; nam ut supra ostendimus multis testimoniis, diabolus non ejicitur foras, nisi per Baptismum, cujus rei signum est, quod in universa Ecclesia ex antiquissima traditione parvuli baptizandi exorcizantur et exsufflantur.

Altera objectio Catharini pugnat pro tertio loco infantibus assignando, ex cap. 12. Daniel. ubi sic legimus: *Et multi de his, qui dormiunt in terrae*

pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam alii in opprobrium, ut videant semper. Attendite, inquit Catharinus, *non dicit, omnes qui dormiunt, ut clare innuat, superesse aliquos dormientium, qui nec in vitam aeternam nec in opprobrium aeternum vigilaturi sunt. Hi autem quinam esse possunt, nisi pueri isti? Alioqui dent nobis contradicentes, quinam hi sint. Certe hic locis irrefragabiliter contra eos concludit.*

Respondeo: S. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei c. 23. et Theodoret. in comment. hujus loci, nos admonent, vocem illam, *multi*, positam esse hoc loco pro voce, *omnes*, quia re vera multi erunt, qui resurgent, cum omnes resurgent. Simile est illud ad Roman. 5. *Per inobedientiam unius hominis peccatoris constituti sunt multi.* Quos multos vocavit, etiam omnes vocat, cum ait: *In quo omnes peccaverunt.* Et: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Simile est etiam quod habetur. Gen. 17. *Patrem multarum gentium constitui te.* De quibus gentibus rursus dicitur cap. 18. et 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.*

Adde quod s. Augustinus loco notato, s. Ambrosius in 1. psal. et s. Hieronymus in cap. 26. Isai. dicunt, locum istum Dan. idem omnino significare, quod multo post Dominus expressit Joan. 5. cum ait: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Ubi videmus, a Domino ipso declaratum esse, per multos dormientes in terrae pulvere intelligendos esse omnes, qui in monumentis sunt, idest, omnes mortuos. Non igitur irrefragabiliter hic locus contra eos concludit, qui negant parvulos extra coelum et gehennam, sedem quandam tertiam post judicium habituros.

Tertia objectio: *Si verum fuerit*, inquit Catharinus, *quod Augustinus ad Renatum scripsit, videlicet his pueris medium assignare locum inter gehennae supplicium, et coelorum regnum, haeresim esse Pelagianam; consequens est, ut omnis schola haeresim Pelagianam defendat. At cur non potius fateamur, quod Augustinus humani aliquid passus est et excessit in dogmate?*

Respondeo: S. Augustinus in lib. ad Renatum, qui est primus de origine animae, cap. 9. non dicit, esse Pelagianam haeresim, assignare parvulis medium locum inter gehennae supplicium et coelorum regnum, sed inter damnationem regnumque coelorum. Parvulos autem vere esse damnatos, ac per hoc non habere medium locum inter damnationem regnumque coelorum, non solum Apostolus dicit ad Rom. 5. et omnis schola contra Pelagianos defendit, sed ipse etiam Catharinus in illo ipso suo libello confirmat. Sic enim loquitur in responsione ad primum argumentum: *Fateor*, inquit, *quod nemo secundum fidem negari potest omnes in Adam peccasse, et ideo pueros omnes illud vitium contrahere, ac secum ferre damnationem.*

Sed esto, scripsisset Augustinus in libro ad Renatum, non posse assignari parvulis medium locum, nisi ex sententia Pelagianorum, inter gehennae supplicium et coelorum regnum; quod vere scripsit in serm. 14. de verbis Apostoli, et alibi: non propterea consequens erit, ut omnis schola haeresim Pelagianam defendat. Nam tametsi theologi scholastici in eo fere conveniant, ut parvuli sine Baptismo decedentes non patiantur poenam sensibilem ignis corporalis; tamen aperte docent, ut nos supra citavimus; eos in inferno esse, et poenam damni perpetuo luere; ac per hoc non assignant illis medium locum inter gehennae supplicium et coelorum regnum: Sed in ipsa gehenna mitiore poena quam caeteros puniendos esse confirmant. A qua sententia ne ipse quidem Augustinus multum abhorret. Non igitur Augustinus aliquid humani passus esse, aut excessisse in hoc dogmate censendus est; sed illi plane humanum aliquid patiuntur et excedunt, qui parvulos in superiore parte terrae, quasi in terrestri paradiso collocant, eosque beatos ac felices dicunt.

Quarta objectio: *Quia non erat conveniens*, inquit Catharinus, *ut quidquam fraudaretur suo fine, idest, illo qui ei secundum naturam competit: idcirco parvulos ea manebit felicitas, quam homini dignum est competere, ut homo est. Ergo istis pueris, qui humanam naturam sine crimine habebunt, illa, quae humanae naturae convenit, et quodammodo ipso jure debetur felicitas, dabitur. Noscent ergo quatenus naturalis cognitio se extendere poterit, Dominum Deum et substantias separatas longe super omnes philosophos. Non enim ullam habebunt impedimentum ex corpore, neque interius, neque exterius, et in aeternum viventes proficient quasi in immensum.*

Respondeo: Multa sunt in hac ratiocinatione, quae merito negari et reprehendi possunt. Primum, falsum est, non esse conveniens, ut quidquam fraudetur suo fine. Quin potius conveniens est, ut summus provisor omnium rerum, dirigat quidem omnia ad suum finem, sed tamen aliqua ab eo fine excidere permittat; vide sanctum Thom. in 1. quaest. 22. art. 2. et quaest. 23. art. 3.

Deinde falsum est, parvulos sine Baptismo decedentes, naturam humanam habere sine crimine, nisi per crimen actuale peccatum intelli velis. Sed quidquid sit de nomine, certum est, parvulos naturam habere peccato depravatam, et esse filios irae, ac per hoc nullo jure deberi eis felicitatem.

Denique falsum est, naturalem esse felicitatem, vivere in aeternum, cum corpore penitus immortali, proficere in immensum, nullum impedimentum ex corpore habere intelligere Deum et substantias separatas supra omnes philosophos, idque sine labore, sine doctore, sine libris, aliisque discendi instrumentis. Nihil enim horum natura humana per se requirit, quin potius naturale est homini corpus habere mortale, cibo ac potu indigere, pendere a sensibus, corporalibus, in scientiis acquirendis non sine magno labore ad intelli-

gentiam, quamvis exiguam ac tenuem rerum incorporalium pervenire.

Quare non resurgent parvuli, de quibus loquimur, ad vitam immortalem, quod ita postulat eorum natura, vel quod ipsis id valde utile sit futurum, sed ut justitia Dei in eorum perpetua damnatione cernatur. Et ideo corpus habebunt, immortale quidem, sed non impassibile, non spirituale, non gloriosum: mentem quoque habebunt, non quidem actuali peccato inquinatam, sed habitualiter a Deo aversam, nullisque scientiis, aut virtutibus ornatam.

Quinta objectio: *Cum non sint futuri*, inquit Catharinus, *proprie exules a regno Dei, sed relegatis magnis similes, probabile mihi videtur, quod non carebunt angelicis revelationibus et visitationibus, etiam eorum, qui erunt in coelis, qui sic recreabunt eos et solabuntur, ut praeter divinae visionem majestatis, nihil eis deesse intelligamus.*

Respondeo: Inter exulem et relegatum ea differentia constituitur l. 2. ff. de poenis, ut exules jus civitatis amittant, relegati retineant. Quare si parvuli non baptizati, non exules a regno Dei et civitate sancta Hierusalem coelesti, sed relegati dicendi sint: id sequetur, ut ejusmodi parvuli, cives sanctorum, domestici Dei, filii regni et membra corporis Christi haberi debeant; nam cum Ecclesia, quae est in coelis, nunc civitas sancta, nunc domus Dei, nunc coelorum regnum, nunc etiam corpus Christi esse dicantur, qui cives sanctorum sunt, iidem domestici Dei, filii regni et membra Christi nominantur. At quis ferat catholicus, ut homines sine fide et Baptismo dicantur membra Christi? et filii irae sint filii regni? et qui scripti non sunt in libro vitae, sint etiam post hanc vitam cives sanctorum et domestici Dei?

Non igitur relegatis, sed plane deportatis similes sunt parvuli sine Baptismo decedentes, et in locis subterraneis longissime a sancta civitate constituti, neque angelorum, neque hominum beatorum visitatione fruuntur. Hic plane locum habet, quod s. Augustinus in lib. 1. de peccatorum meritis et remissione, cap. 23. et relatum est in decretum de consecratione, distin. 4. can. *Nulla. Nulla ex nostro arbitrio praeter Baptismum Christi, salus aeterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingeniis praeferenda.*

Sexta objectio: *Probabilissimum*, inquit, *judicavi. quod quidam dicunt, habitationem eorum fore super hanc terram, quia locus est proprius hominum, ubi contemplabuntur opera Dei. Et huc aspexit forsan, qui dixit: Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Et fortasse hoc est etiam quod dixit Apostolus: Instaurata per Jesum omnia quae in coelis et quae in terra, idest, quae coelestem habitationem habebunt, et quae terrenam.*

Respondeo: Non est de rebus; quae pendent a divina voluntate, aliquid asserendum, nisi Deus ipse in Scripturis sanctis tale aliquid revelaverit. Scripturae autem, ut sanctus Augustinus, a nobis supra citatus, saepius observavit, nusquam tradunt, post diem judicii futuras hominum sedes, nisi duas, unam in coelo cum angelis, alteram in inferno cum daemonibus, quae sunt etiam duae civitates, Hierusalem et Babylon, et de quibus tam multa scribit idem Augustinus in libris de Civitate Dei. Quare superior terrae facies proprius est hominum locus, dum mortales sunt, et egent aëre ad respirationem, et fructibus terrae ad alimentum, et pro hoc tempore loquitur psalm. *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; immortalibus autem pro ratione meritorum coelum potius, aut gehenna conveniet.

Quod autem Apostolus ad Ephes. cap. 1. scribit. Christum instaurasse quae in coelis, et quae in terra sunt, significat per Christum reparatas in coelo angelorum ruinas, et in terra genus humanum de captivitate redemptum. S. Augustinus in enchirid. cap. 62. *In ipso*, inquit, *instaurantur quae in coelis sunt, cum id, quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur; instaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptionis vetustate liberantur.*

Alia est expositio sancti Hieronymi in hunc locum, qui pro *instaurare*, legit, *recapitulare*, et sensum esse vult, in Christi cruce omnia mysteria diversis temporibus praedicta, vel figurata, ad unam veluti summam esse revocata. S. Joannes chrysostomus aliam adfert expositionem, et quidem valde consentaneam verbis Apostoli: verbum enim graecum ἀνακεφαλαιώσασθαι, exponit, reducere ad unum caput, ut sententia hujus loci sit, factum esse per mysterium incarnationis, ut coelestia et terrena, idest, angeli et homines, unum caput, idest, Christum, haberi inciperent, cum antea propter hominum peccata sejuncta et separata essent a terrenis coelestia. Quod aliis verbis idem Apostolus ad Colossens. cap. 1. scribit, cum ait: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.*

Septima objectio: *Est alia ratio*, inquit Catharinus, *per hoc non rejicienda, quam docti quidam induxere: Quoniam cum terra haec mansura sit in aeternum, et purgatior et pulchrior, sicut scriptum est: Et vidi coelum novum et terram novam; sicut autem coelum non nude pro coelo sumitur, absque habitatore, ita nec terra. Et vere valde incongruum videtur, locum talem et tantum fore perpetuo vacuum sine habitatore; et similiter terrenos homines carere habitatione sua propria, quae est terra haec, nam sub terra manere tales, minus conveniens eorum conditioni videtur.*

Respondeo: Terra quidem manebit in aeternum et purgatior, sed aquis (ut supra diximus) undique cooperta, et ideo non erit conveniens habitationi hominum. Porro coelum novum omnino sine habitatore intelligitur, nisi quis velit post judicium aut daemones, aut aves in coelo hoc degere. Neque enim de coelo sydereo, sed aëreo sermo est. Hoc enim coelum innovabitur et purgabitur, cum, ut loquitur s. Petrus in epist. 2. cap. ult. *Coeli ar-*

dentes solventur. Quod si parum conveniens esset, terram perpetuo vacuam hominibus permanere, eadem ratione parum esset conveniens, aquam piscibus, et aërem avibus perpetuo carituram. Denique conditioni hominum damnatorum optime convenit locus sub terra, idest, carcer, sive ergastulum inferorum.

Octava objectio: *Quod si nunc animae tenentur in limbo, sicut olim sancti Patres detenti sunt, qui locus sub terra esse merito creditur, hoc illi originali peccato datur interim usque ad diem magnae resurrectionis. Quando enim totum Christi corpus resurrexerit, scilicet in sanctis suis, tunc aequum erit et ipsos potiri perfectione sua.*

Respondeo: Si animae parvulorum sine Baptismo decedentium, in poenam originalis peccati detinentur in limbo subterraneo; et peccatum illud numquam dimittetur, ut catholici omnes constanter credunt, certe sequitur, animas eorum parvulorum ex limbo illo subterraneo numquam egressuras. Porro cum totum Christi corpus resurrexerit, resurgent etiam et damnati omnes, tum pusilli, tum magni. Sed non ideo resurgent, ut ibi sint animae, ubi fuerant corpora, sed contra ut ibi sint corpora, ubi fuerant animae. Sequentur corpora sua animas, sive in coelum, sive in infernum.

Objectio Ultima, quamvis non ultimo loco posita, sumitur ex Augustino, qui in lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23. sic ait: *Quis novit quid parvulis, quorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur, quis, inquam, novit, quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus?*

Respondeo: Idem. s. Augustinus in epist. 28. ad Hieronymum explicat haec sua verba, ac dicit, ea se protulisse pro infantibus baptizatis, non autem pro iis, qui sine peccati originalis remissione decedunt.

CAPUT IV.

Refellitur quinta opinio, atque asseritur, parvulos sine Baptismo decedentes, non puniendos poena sensus, sive ignis sensibilis.

Excussimus primam et secundum sententiam, easque ex divinis literis, et ecclesiastica traditione refutavimus. Nunc ad aliud extremum, idest, ad Quintam sententiam accedemus, quae tantum abest, ut parvulis sine Baptismo decedentibus, vitam aeternam promittat, ut etiam eos omni genere poenae, tum damni, tum etiam sensus, et in animo, et in corpore puniri velit. Quae quidem sententia non videtur aperte ab Ecclesia catholica reprobata; rejicitur tamen passim in scholis, et nobis etiam improbabilis esse videtur. Itaque sequentibus argumentibus refutari potest.

Primum sumitur et divinis literis. Legimus enim in Apocalyp. cap. 18. *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. At parvuli nulla se ratione glorificaverunt, neque in deliciis ullis fuerunt; nullum igitur merentur tormentum et luctum. Item Isai. ult. et Marc. 9. conjungitur ignis cum verme: *Vermis*, inquit, *eorum non morietur, et ignis non extinguetur*. Constat autem parvulosn ullam passuros poenam ex morsu vermis, idest, ex conscientia mali operis animum pungente atque affligente; igitur credibile etiam est, nullam esse passuros ignis materialis poenam.

Alterum argumentum sumitur ex epistola decretali Innocentii III. pontificis gravissimi atque doctissimi, quae habetur in lib. 3. decretalium; tit. de Baptismo, et ejus effectu, cap. *Majores*. ubi legimus, peccati originalis poenam esse carentiam visionis divinae, actualis autem gehennae perpetuae cruciatum. Quo loco per cruciatum gehennae non potest intelligi, nisi poena sensus, quae opponitur poenae damni. Neque repugnat haec sententia testimoniis Patrum, qui scripserunt, parvulos aeternis poenis in gehenna torqueri. Illi enim poenam gehennae accipiunt pro generali supplicio, quod tum ad poenam damni, tum ad poenam sensus, tum ad utramque simul referri potest. Innocentius autem gehennae, cruciatum non pro genere infernalium poenarum, sed pro altera specie usurpare maluit.

Tertium argumentum sumitur ex testimoniis sanctorum Patrum, quae non possunt rectius conciliari cum testimoniis, quae sunt a nobis supra citata, quam si dicamus, parvulos non pati in gehenna poenam sensus, sed solius damni.

S. Gregorius nazianzenus, vir sine controversia doctissimus, et in fidei dogmatibus integre conservandis diligentissimus, oratione in sanctum lavacrum, ante medium, tria genera hominum sine Baptismo decedentium esse dicit, quorum Alii Baptismum contempserint, Alii ex negligentia propria amiserint, Alii, hoc est, infantes, aliorum negligentia illo caruerint. De horum omnium poena post hanc vitam ita pronunciat: *Existimo*, inquit, *futurum, ut primi quidem cum aliorum scelerum, tum etiam Baptismi contempti poenas luant: alii autem poenas quidem, sed leviores pendant, ut qui non tam animi pravitate, quam stultitia, a Baptismo aberrarint: postremi denique nec coelesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur, utpote qui licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur. Quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam poenam promeretur*. Non negat hic sanctus doctor, parvulos plecti poena damni, sed potius id fatetur, cum ait, eos esse coelesti honore indignos: negat autem eos plecti alia poena, quae dicitur sensus, quoniam ea proprie improbitati debetur, qua illi carent.

S. Ambrosius, vel quisquis auctor fuit commentariorum in epistolas s. Pauli, quae Ambrosii nomen ferunt, explicans cap. 5. ad Roman. scribit, nos omnes in Adamo, tamquam in massa, peccasse, et tamen paulo inferius adjungit, neminem pu-

niri morte secunda in gehenna, nisi eam sibi propriis malis actibus acquirat. Ubi cum fateatur, omnes peccasse: non potest negare omnes quoque pariter puniendos, nisi remissionem obtineant: Sed certum poenae genus ab illis removet qui nihil propriis actibus meruerunt. Illud autem poenae genus non potest esse aliud, nisi poena sensus.

S. Augustinus lib. 3. libero arbitrio, cap. 23. *Dicunt*, inquit, *qualis in futuro judicio deputabitur, cui nec inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit? quibus respondetur ad universitatis complexum et totius creaturae, vel per locos, vel per tempora ordinatissimam connexionem non posse superfluo creari qualemcumque hominem, ubi folium arboris nullum superfluo creatur: sed sane superfluo quaeri de meritis ejus, qui nihil meruerit, non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter praemium, atque supplicium.*

Hanc sententiam s. Augustinus nusquam, quod ego quidem legerim, retractavit. Et tamen si hoc faciendum esse censuisset, habuit magnam occasionem, tum in 1. lib. Retractationum, cap. 9. ubi diligenter examinat hos libros, tum in epist. 28. ad Hieronymum, ubi disputat de parte quadam hujus ipsius cap. 23. in quo habentur verba, quae paulo ante citavimus. Neque vero in his verbis sanctus Augustinus tribuit parvulis medium locum inter coelum et infernum, sed mediam sententiam inter praemium, quod debetur iis, qui propria voluntate boni aliquid meruerunt, et supplicium, quod iis debetur, qui propria voluntate poenam sibi ipsi pepererunt. Quare parvuli sine Baptismo decedentes non carebunt supplicio communi peccato originali et actuali, quibus amittitur gratia Dei, quae poena est carentia visionis divinae; sed liberi erunt ab ea poena, quae propria est peccati actualis, quae poena ignis, sive sensus appellatur.

Rursus idem Augustinus lib.5. in Julianum,cap. 8. sic loquitur: *Ego autem non dico parvulos sine Christi Baptismate morientes, tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret.* Et infra: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros? quae, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret.*

Ex hoc loco Duo quaedam colligimus, quae ad rem nostram multum pertinent. Habemus Primum, non fuisse ausum sanctum Augustinum pronunciare de parvulis morientibus sine Baptismo sententiam illam Domini: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille*: cum tamen ea sententia de illis omnibus pronunciari posse videatur, qui sempiterno igne in gehenna cruciantur. Deinde intelligimus, s. Augustinum numquam affirmare voluisse parvulos illos, in specie, torqueri poena sensus, sed tantum in genere poenam aliquam sustinere. Non enim dicit solum, se definire non posse, quanta sit ea poena, quod referri potuisset ad solam magnitudinem, sed ait: *Quae, qualis et quanta sit, definire non possum.* Quae verba satis aperte indicant, de ipsa specie poenae Augustinum fuisse incertum. His accedit Petrus Lombardus cum omni schola theologorum, qui in 4. sent. dist. 33. communi consensu docent, parvulos sine Baptismo morientes puniri apud inferos poena damni, non autem poena sensus, ac per hoc liberos esse omnino a supplicio ignis corporalis.

Quartum argumentum sumitur a ratione.

Prima ratio: Peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem,sed supernaturalem,conversionem videlicet ad Deum per donum gratiae supernaturale: Igitur aequum est, ut poena peccati originalis sit privatio boni supernaturalis, qualis est carentia visionis Dei, non autem inflictio poenae sensibilis, quod naturam ipsam laedit.

Secunda ratio: Propter habitualem carentiam virtutum, et habitualem pronitatem ad vitia, nemo puniri solet poena positiva ac sensibili, sed solum propter culpam actualem, non enim suspenduntur a magistratu, qui carent habitu justitiae; vel qui proni sunt ad furta,sed qui re ipsa furantur: possunt tamen qui carent virtutibus,et e contrario proni sunt ad mala, rejici tamquam indigni ab aliqua dignitate adipiscenda: At peccatum originis est culpa solum habitualis; sunt enim infantes propter id peccatum habitualiter proni ad concupiscendum contra rationem: igitur rejici possunt tamquam indigni a coelesti beatitudine adeunda, non tamen puniri debent supplicio ignis et sulphuris, qui sunt poenae sensibiles ac positivae.

Tertia ratio: Propter originale peccatum non injungitur in Ecclesia hominibus baptizandis, quamvis adultis, ulla satisfactio poenalis; neque jubentur ejusmodi homines propter id peccatum, ullam animo tristitiam, doloremve concipere: igitur credibile est,nullam ei respondere sensibilem poenam in saeculo futuro, sed carentiam tantum, ut supra dictum est, beatitudinis sempiternae.

CAPUT V.

Respondetur ad objectiones contra doctrinam capitis superioris.

Sed Objici possunt ac solent, nec pauca, nec levia argumenta adversus ea,quae diximus cap.superiore.

Prima objectio: Matth. 3. praecursor Domini de ipso Domino ita loquitur: *Cujus ventilabrum in manu ejus, et permundabit aream suam,et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*: Sed parvuli sine Baptismo decedentes non sunt grana in horreum inferenda, igitur paleae ignis inextinguibilis pabulum futurae.

Respondeo: Haec parabola nihil omnino ad parvulos pertinet. Siquidem area nihil est aliud nisi catholica Ecclesia,in qua sunt boni malis admixti, ut grana paleis, omnes tamen fideles, nulli infideles, ut sanctus Augustinus docet in libro contra Donatistas, post collationem cap. 10. parvuli si-

ne Baptismo, non sunt in area, ac per hoc neque inter frumenta, neque inter paleas numerantur.

Secunda objectio : Matth. 3. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excindetur, et in ignem mittetur.* At parvuli fructum bonum non fecerunt, et plane inutiles in hoc mundo fuerunt; igitur excisi in ignem mittentur.

Respondeo: Loquitur Scriptura de adultis, qui fructum facere cum possent,minime fecerunt. Nam etiam arbores ante unam diem, vel alteram plantatae non mittuntur in ignem, etiamsi fructum non ferant.

Tertia objectio: Matth. 13. *Sic erit in consummatione saeculi, exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent illos in caminum ignis.* At parvuli sine Baptismo justi non sunt, sed mali et peccatores.

Respondeo: Verba citata conclusio sunt parabolae da sagena missa in mare; bonos et malos pisces congregante. Porro sagena illa non mundum universum, sed Ecclesiam tantum significat, in qua homines boni et mali, sed fideles et baptizati, ut s. Augustinus explicat lib. supra citato, contra Donatistas. post collationem cap. 4. Illa igitur verba: *Separabunt malos de medio justorum,et mittent illos in caminum ignis*,ad infantes non pertinent, qui in sagena Ecclesiae numquam fuerunt.

Quarta objectio : Matth. 25. *Omnibus qui a sinistris erunt*, idest, omnibus malis dicetur: *Ite maledicti in ignem aeternum.* Judicium hoc sine dubio universale erit, igitur etiam parvuli adesse cogentur. Non erunt autem parvuli a dextris: nam alioqui regnum coelorum possiderunt; erunt igitur a sinistris, et sententiam illam excipient: *Ite maledicti in ignem aeternum.*

Respondeo: Judicium universale erit, et omnes omnino aderunt pusilli cum magnis; fideles cum infidelibus,justi cum peccatoribus. Sed non eadem forma omnes judicabuntur ; in evangelio autem Matth. 25. solum describitur forma, qua judicabuntur ii, qui in Ecclesia sunt, atque ita hic locus ad parvulos non pertinet, qui in Ecclesia non sunt.

Describi vero solum formam judicii eorum, qui sunt in Ecclesia, perspicuum est, Primum ex Augustino libro citato contra Donatistas, cap. 4. et libro de fide et operibus, cap. 15. et in quaestionibus ad Dulcitium, quaest. 1.

Deinde ex ipsis evangelii verbis; comparat enim Dominus bonos et malos ovibus et hoedis qui in eodem grege ejusdem pastoris numerantur. Constat autem gregem unius pastoris nihil esse aliud nisi Ecclesiam,in qua sunt boni et mali,sed Christiani. Infideles enim lupis potius et canibus, quam hoedis in Scripturis comparari solent. Illa etiam ratio aeterni supplicii:*Esurivi enim et non dedistis mihi manducare etc.* satis aperte indicat, istam judicii formam ad solos fideles esse referendam, quippe qui non arguuntur, quod rectam fidem non habuerint, sed quod opera fidei non ostenderint.

Denique cum evangelium ad solos fideles pertineat; neque enim fidem habent evangelio, nisi fideles; non erat opus in evangelio describere formam, qua judicabuntur infideles, sed satis fuit in genere dixisse: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. ult. Et: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam.* Joan. 3. Et de parvulis: *Unius delicto in omnes in condemnationem.* Rom. 5.

At, inquies: S. Augustinus ser. 14. de verbis Apostoli, ex hoc loco Matth. 25. probat adversus Pelagianos, parvulos sine Baptismo defunctos, ituros, in ignem aeternum, eo quod ad sinistram pertineant,cum in dextera nulli sint nisi justi,et nullus sit tertius locus praeter dexteram et sinistram. Respondeo.Ex loco evangelii: Matth.25.tantum colligitur,ut, diximus, forma in specie, qua judicabuntur mali catholici: tamen potest etiam colligi,omnes omnino peccatores futuros in sinistra, et sententiam damnationis accepturos. Nam judicium universale erit, ut mali catholici ideo erunt in sinistra, quia ibi erunt daemones et infideles, et omnes operarii iniquitatis. Sic enim legimus Luc. 12. *Quod si dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, et coeperit percutere servos et ancillas, edere et bibere, et inebriari, veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Atque hoc solum probare volebat s. Augustinus in serm. 14. de verbis Apostoli, nimirum parvulos non habituros vitam aeternam, sed futuros in sinistra et damnandos.

Itaque cum dicit, eos ituros in ignem aeternum, accipit ignem aeternum pro loco inferni, ubi est ignis aeternus, sive pro damnatione, non autem proprie pro certa poenae specie,sive qualitate, nam disertis verbis lib. 5. in Julianum, cap. 8. scripsit, se definire non posse qualis et quanta sit futura poena, qua plectentur parvuli, sine Baptismo Christi morientes.

Quinta objectio: Apocalyp. 20. *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem.* Et infra, ut etiam cap. 21. *Mors secunda* dicitur esse *stagnum ignis et sulphuris.* At parvuli non habent partem in resurrectione prima: igitur in eis potestatem habet mors secunda, quae est, ut diximus, stagnum ignis et sulphuris. Rursus in eodem cap. 20. describitur universale judicium, in quo judicabuntur omnes, pusilli et magni, secundum opera ipsorum, et tandem concluditur his verbis: *Qui non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* Certum autem est, parvulos in peccato originali defunctos,non esse in libro vitae scriptos.

Respondeo: Posset fortasse responderi,in his locis Scripturam non loqui nisi de adultis,qui secundum opera propria judicandi erunt. Nam in eodem cap. 20. scriptum est : *Et libri aperti sunt, et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Et cap. 21. declarat Scriptura, qui sint mittendi in stagnum ignis, et ait: *Timidis, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris.et omnibus mendacibus.pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulpure, quod est mors secunda.* Sed certe probabilius est, sententias istas esse generales. Nam ideo in cap. 20. dicitur, pusillos et magnos stetisse ante thronum judicandos; et undique mortuos esse advocatos; et propo-

sitio illa: *Qui non est inventus in libro vitae scriptus, etc.* ad praedestinationem aeternam pertinet, quae non minus infantes, quam adultos complectitur.

Denique sanctus Augustinus in lib. 6. in Julianum, cap. 4. docet, parvulos etiam judicandos in die judicii, secundum ea quae gesserunt in corpore, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Ut referat unusquisque sicut gessit, sive bonum, sive malum.* Nam sicut ad baptizatos pertinet, quod crediderunt per alios, ita ad non baptizatos pertinet, quod peccaverunt per alium.

Potest igitur responderi: Parvulos quidem judicandos esse secundum opera ipsorum, nam etiamsi nihil egerint propria voluntate, tamen per Adamum et in Adamo peccaverunt, et ideo mittendos esse in stagnum ignis, hoc est, in locum, ubi est ignis, nec tamen inflammandos illo igne, aut cruciandos, vel quod sint in parte altiore ejus loci, vel quod ignis vim habeat eos detinendi, non tamen urendi. Siquidem ignis post diem judicii non habebit vim urendi, nisi ut instrumentum divinae justitiae, et propterea alios magis, alios minus, alios etiam nihil laedet.

Sexta objectio ex symbolo Athanasii: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem, et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum.*

Respondeo: Omnes quidem resurgent, etiam parvuli, cum corporibus suis, et reddent de factis propriis rationem, sed parvuli facile se expedient; dicent enim se nihil habere propriorum factorum. Nihil enim boni vel mali, etiam Apostolo teste ad Rom. 9. se propria voluntate gessisse. Quare, quod sequitur: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum*, ad eos non pertinet.

Quamvis autem non explicetur in symbolo, quid de iis futurum sit, qui propria voluntate nihil peccaverunt, sed tantum, ut loquitur s. Cyprianus in epist. 8. lib. 2. contagium mortis antiquae prima nativitate traxerunt, tamen aliud scimus illos non habituros vitam aeternam, et in ipso inferno poena mitissima esse plectendos: sicut e contrario non explicatur in symbolo quid futurum sit de parvulis baptizatis, qui nihil boni propria voluntate fecerunt, sed per alios tantum professi sunt, et in Christum se credere et Sathanae renunciare, et per Baptismum Christum induerunt: tamen aliunde scimus eos fratres Christi esse effectos, et per hoc haeredes, *haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Sed profecto verisimilius est symbolum universalem doctrinam tradere de praemio et supplicio omnium etiam parvulorum.

Dicuntur autem propria facta alicujus non solum quae propria voluntate quis gessit, sed etiam quae ad ipsum jam in corpore viventem pertinent, ut sanctus Augustinus docet lib. 6. in Julianum, cap. 4. et in epist. 107. explicans illud Apostoli: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sicut gessit.* Quod ergo dicitur ituros malos in ignem aeternum intelligendum est, ituros in locum ubi est ignis aeternus, sed puniendos pro varietate culparum, alios ustione, alios sola detentione.

Septima objectio: Ex Patribus Augustino et Fulgentio. Sanctus enim Augustinus satis aperte scribit, parvulos igne sempiterno cruciandos, in serm. 14. de verb. Apostol. et idem firmissime credi jubet s. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 27.

Respondeo: Videntur sancti isti Patres significare voluisse, parvulos cruciandos igne sempiterno per detentionem, non per ustionem. Nam id unum tamquam certum, ubique tradit Augustinus parvulos sine Baptismo defunctos, futuros in eo loco, ubi est ignis aeternus, cum diabolo et angelis ejus. Quae autem, qualis et quanta poena eorum futura sit, se definire posse aperte negavit. Quod si b. Fulgentius forte aliter sensit, non facimus illi injuriam, si beatum Gregorium nazianzenum cum universa schola theologorum sequi malumus.

Octava objectio: Parvuli puniuntur in hac vita poena sensus, cum sint obnoxii fami, siti, morbis, aliisque infinitis propemodum calamitatibus: igitur credibile est, eos in alia quoque vita poena aliqua sensus esse puniendos.

Respondeo: Afflictiones hujus vitae, non infliguntur proprie ac directe parvulis in poenam originalis peccati, sed consequuntur naturam humanam originali justitia spoliatam; nam alioqui similia passi fuissent homines, si in puris naturalibus conditi fuissent, quemadmodum similia patiuntur animantia rationis expertia, non aliqua sua culpa, sed ex conditione naturae. At ignis et sulphuris cruciatus, in alia vita non potest esse naturalis, sed solum ex institutione divinae justitiae, et idcirco si tales poenae infligerentur parvulis, non indirecte et consequenter, sed directe et principaliter infligerentur.

Nona objectio: Parvuli post diem judicii, non habebunt corpora gloriosa, sed passibilia, igitur sine dubio aliquid patientur: *In eis vero* (inquit s. Augustinus lib. 6. in Julianum, cap. 5.) *qui non ad vitam resurgent, concupiscentia non feliciter sed poenaliter erit, non quia tunc quisquam ab ea mundabitur, sed quia tunc malis non in delectamenta, sed in tormenta vertetur.* Et in epist. 146. ad Consentium, quaest. 1. *Proinde*, inquit, *illi, qui ad judicium resurrecturi sunt, non commutabuntur in illam corruptelam, quae nec doloris corruptionem pati potest. Illa namque fidelium est atque sanctorum, isti vero perpetua corruptione cruciabuntur, quia ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur.*

Respondeo: Corpora damnatorum passibilia quidem erunt, tamen non patientur nisi secundum ordinationem divinae justitiae et supernaturaliter. Nam cum post judicium cessare debeat ortus et interitus rerum naturalium, tolletur a corporibus naturalibus vis agendi in alia corpora, ac per hoc non agent, nisi, sicut antea diximus, ut instrumenta divinae justitiae. Quare cum divinae justitiae ratio id non exigat, ut corpora parvulorum ignem patiantur, immunia illa corpora a dolore erunt: quamvis alioqui non gloriosa, sed similia corporibus caeterorum damnatorum futura sint. Sanctus vero Augustinus in locis notatis non tractat quaestionem de parvulis, sed in ge-

nere de corporibus damnatorum loquitur. Quapropter verba ejus verissima sunt, quoniam ut plurimum ita se res habet, ut ipse docet.

Decima objectio: Christus pro peccato originis expiando poenam sensus, et quidem gravissimam passus est, igitur poena ei peccato debita, est poena sensus.

Respondeo : Christus passus est non poenam, quae directe peccatis nostris debebatur : neque enim poenam gehennae sustinuit, sed aliam, quae quoniam infiniti meriti et efficaciae fuit, propter personae patientis dignitatem, ideo pro peccatis omnibus plenissime satisfecit. Adde quod non solum pro peccato originis, sed etiam pro actualibus culpis Christus passus est. Culpae autem actuales poenam sensus sine dubitatione merentur.

CAPUT VI.

Refellitur tertia opinio, et asseritur, probabile esse, parvulos non baptizatos passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum.

Restat ad extremum, ut excutiamus opinionem Tertiam et Quartam, quarum prior parvulos eximebat ab omni dolore tum interno tum externo, posterior internum eis relinquebat, ab externo penitus liberabat; et quidem prior probabilis est propter auctoritatem s. Thom. s. Bonaventurae, et aliorum multorum illustrium theologorum. Sed posterior probabilior nobis videtur propter auctoritatem sanctorum Patrum, Augustini, Fulgentii, Gregorii, et aliquorum, quos nonnulli etiam scholasticorum theologorum sequuti sunt.

Dicimus igitur parvulos sine Baptismo decedentes dolorem animi habituros, quod intelligent se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum et parentum alienos, in carcerem inferni detrusos et in tenebris perpetuis vitam acturos.

Caeterum hunc dolorem in eis levissimum, mitissimumque multis de caussis futurum. Tum quod dispositionem ad beatitudinem non nisi remotissimam habuerint. Tum, quod intelligent non propria negligentia se tantum bonum amisisse, unde etiam verme conscientiae carebunt. Tum, quod delicias, neque coelestes, neque terrenas unquam gustaverint. Facile enim iis bonis caremus, quibus numquam assuevimus. Tum denique, quod videbunt plurimos esse in eodem gehennae carcere se multo infeliciores, ad quorum sortem ipsi quoque pertinere potuissent, si diutius sibi vivere contigisset; quare s. Augustinus multis in locis affirmat, parvulos sine Baptismo decedentes in damnatione omnium mitissima futuros. Vide lib. 1. de pec. mer. et remiss. cap. 16. in enchir. cap. 93. et lib. 5. in Julian. cap. 8. Sed adferamus testimonia Patrum, ad probandum parvulos non vacaturos omni dolore animi.

Primum testimonium est sancti Augustini lib. 1. de orig. animae. cap. 9. *Parvulis non baptizatis nemo promittat quietis aut felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, inter damnationem regnumque coelorum, quasi medium locum, etc.* Negat hoc loco sanctus Augustinus, parvulos habere locum ullum quietis, aut felicitatis cujuslibet. At si nullo omnino dolore, nulla tristitia tangerentur nec interna, nec externa, neque corporis, neque animi, certe magna et perfecta quiete fruerentur.

Secundum testimonium ejusdem Augustini in epist. 106. ad Paulinum: *Nempe fatebuntur parvulos non baptizatos, quamlibet tolerabilius omnibus, qui etiam propria peccata committunt, tamen aeterna morte mulctari.* At vox illa, *tolerabilius*, manifeste requirit ut parvuli aliquid habeant poenale tolerandum; non dicitur autem tolerare, nisi qui sentit dolorem et laborat in perferendo.

Tertium testimonium ejusdem, lib. 6. in Julian. cap. 4. ultra medium, ubi probat parvulis esse malum, non intrare in regnum Dei, et ipsos de hac re dolere: *Si hoc*, inquit, *eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac separatione patientur?* addit etiam idem Augustinus lib. 5. in Julian. cap. 8. parvulis poenam esse futuram, quod separabuntur a consortio piorum parentum. At certe separari a re, quae diligitur, necessario dolorem affert.

Quartum testimonium ejusdem Augustini est in epist. 28. ad Hieronymum, in ser. 14. de verb. Apost. et alibi, ubi docet, parvulos in inferno poenam, vel supplicium esse passuros; quae nomina vix intelligi possunt sine aliquo dolore.

Quintum testimonium est s. Fulgentii in lib. de fide ad Petrum, cap. 3. qui dicit, parvulos sine Baptismo decedentes, interminabilia gehennae sustinere supplicia, at supplicium sine dolore esse non solet.

Sextum est s. Gregorii lib. 9. moral. cap. 16. ubi non semel repetit parvulos perpetua gehennae tormenta percipere ; quis autem tormentum sine dolore esse concedat ?

Septimum est Cypriani, sive quicumque fuit auctor, in serm. de ratione circumcisionis, ubi loquens de poena peccati originalis post mortem : *Supererat*, inquit, *post mortem carnis, animae labor et afflictio Spiritus*, quid clarius ?

Ad haec testimonia accedit, quod nullus hactenus eorum, qui contra sentiunt, congruentem rationem reddere potuit, cur infantes non tristentur dum cogitant, se coelesti felicitate privatos et in carcerem inferni esse detrusos. Aliqui veterum scholasticorum dixerunt, parvulos illos propterea dolorem nullum percepturos ex amissione beatitudinis, quod ignorabunt omnino eam se amisisse, cum id nisi per fidem cognosci non possit, et ipsi fidem numquam habuerint ; hanc rationem approbat s. Thom. in quaest. 5. de malo, art. 3. Sed eandem reprehendit in 2. sent. dist. 33. quaest. 2. art. 3. Defendit quidem eam Durandus in eandem distinctionem ejusdem libri scribens.

Caeterum: s. Thomae (ut dixi) et s. Bonavent. in 2. senten. scribentibus, aliisque viris doctis jure non placuit : nam si ea ratio aliquid efficeret, sequeretur, barbaros adultos, qui multa et gravissi-

ma peccata ad unum illud originale addiderunt, non habituros dolorem de amissa beatitudine ; quandoquidem in hac vita de ea beatitudine , vel de Christo nihil unquam audierunt. Cognoscent igitur esse aliquam beatitudinem, et eam se amisisse, quia cognoscent naturam suam, et in ea naturale desiderium summi boni adipiscendi ab auctore naturae insertum esse non ignorabunt: nam, ut loquitur sanctus Augustinus lib. 1. Confess. cap. 1. fecit nos Deus ad se, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in ipso. Itaque hac inquieti cordis tristitia homines illi vacare non poterunt.

Deinde nonne in die judicii palam aspicient multos sui generis , et fortasse parentes et fratres in coelum cum ingenti gloria ascendere? nonne in eodem judicio , ut justus Deus ab omnibus comprobetur, ratio manifesta erit, tum praemii, tum supplicii omnium hominum? *Tunc enim illuminabuntur abscondita tenebrarum , et manifesta erunt consilia cordium* , ut Apostolus scribit 1. ad Corinth. 4. vide s. Thom. in 4. sent. distinct. 43. quaest. 1. art. 3. quaestiuncula 2. ubi docet, in judicio omnibus notam esse futuram , tum sententiam suam, et aliorum, tum etiam rationem et causam ejus sententiae.

Quod autem Durandus respondet ad judicium proprie non pertinere parvulos , sed solum adultos , qui actualia peccata committunt , Repugnat Apostolo, qui ad Rom. 5. dicit: *Unius delicto in omnes homines in condemnationem.* Neque enim condemnatur, qui non judicatur. Repugnat symbolo Athanasii, in quo dicitur, omnes homines resurrecturos et reddituros judici rationem. Repugnat Augustino , qui serm. 14. de verbis Apostoli dicit , parvulos resurrecturos ad judicium , et judicandos.

Hac igitur ratione explosa, s. Bonavent. aliam excogitavit, scribit enim homines illos simul consideraturos beatitudinem, quam amiserunt, et poenas aliorum damnatorum , quas evaserunt ; et quamquam prior consideratio dolorem , posterior gaudium adferre possit, tamen ita unam temperandam per aliam, ut consideratio amissae beatitudinis, impeditura sit gaudium de evasione poenarum, et consideratio evasionis poenarum, impeditura sit dolorem de privatione beatitudinis, atque ita futurum , ut illi neque tristentur unquam, neque laetentur.

Sed haec etiam ratio non plene satisfecisse videtur, nam si res ita se haberet, viderentur homines illi redacti ad naturam rerum non sentientium. Et sane, probabilius diceretur, eos non simul, sed per vices consideraturos , nunc amissam beatitudinem, nunc liberationem a gravioribus malis, atque eadem ratione, nunc tristes, nunc laetos futuros, aut certe considerationem poenarum quas evaserunt, non penitus sublaturam, sed ex parte mitigaturam tristitiam, quam secum consideratio amissae felicitatis adferret.

S. Thomas aliam rationem adducit, nimirum homines illos , ideo nulla tristitia esse afficiendos , quod probe intellecturi sint, nullam se proportionem ad eam beatitudinem unquam habuisse , cum nec habuerint gratiam , nec usum liberi arbitrii. Non enim tristantur qui recto judicio utuntur, si eo bono careant, ad quod nulla ratione inveniuntur idonei.

Verum neque in hac ratione mens humana penitus acquiescit. Nam tametsi numquam in se parvuli decedentes sine Baptismo proportionem habuerint ad beatitudinem , tamen habuerunt in primo parente , et cognoscent , ut ostendimus , se primi parentis culpa tantum bonum perdidisse.

Richardus in eandem distinctionem 33. lib. 2. sententiarum scribens, cum videret praedictas rationes non plene satisfacere , addidit Quartam, atque ait, quod parvuli cognoscant se beatitudine excidisse, et tamen non inde tristentur, fieri singulari Dei providentia, qui dolorem ab eorum animis removet.

Sed haec ratio nihilo videtur esse melior caeteris, nam cum Deus non impediat, quo minus parvuli in hac vita patiantur dolores, qui sequuntur ex amissione justitiae originalis , cur impediret dolorem , qui post mortem naturaliter consequetur cognitionem amissae beatitudinis? Si enim ulla causa esset impediendi hunc dolorem, illa sine dubio esset , quia non merentur parvuli ejusmodi dolorem , cum nihil mali propria voluntate commiserint , at eadem ratione impedire deberet Deus tot mala, quae nunc parvuli patiuntur.

CAPUT VII.

Respondetur ad objectiones contra doctrinam capitis superioris.

Adversus ea quae dicta sunt nonnullae objectiones fieri solent, quas breviter dissolvemus.

Prima objectio , verba divinae Scripturae , quae supra ex Apocalypsi allata sunt: *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*: Si recte probant, parvulos non esse passuros poenam sensus, certe etiam probant, non esse passuros dolorem animi , cum parvuli nullas omnino delicias, neque corporis , neque animi degustare potuerint. Respondeo: Multum interest inter poenam sensus et dolorem animi. Nam poena sensus post hanc vitam nulla esse potest , nisi a divina justitia directe ac proprie infligatur ; non autem aequum est, ut Scriptura docet, ut poena directe infligatur ei , qui nullam habuit voluptatem. At dolor animi ex amissione beatitudinis non proprie ac directe infligitur, sed per se ac naturaliter sequitur. Itaque sicut in hac vita poena directe inflicta propter originale peccatum , est privatio justitiae originalis, quae partem inferiorem superiori, et corpus animae subjiciebat, poena autem indirecta et consequens sunt omnes labores et dolores hujus vitae : sic etiam post mortem poena directe inflicta propter originale peccatum, est carentia visionis Dei , poena autem indirecta et consequens est animi dolor, qui ex amissae beatitudinis cognitione percipitur.

Secunda objectio : Parvulorum poena post hanc vitam mitissima erit, ut s. Augustinus docet in enchirid. cap. 93. et alibi: at dolor de amissa beati-

tudine gravissimus est, et multis partibus dolorem corporalem superat. Respondeo: Cum sanctus Augustinus dicit, poenam parvulorum fore mitissimam,non comparat poenam animi cum poena corporis, sed poenam parvulorum cum poena majorum. Recte autem dicit fore mitissimam tribus de caussis.Primo: Quia majores punientur poena damni et sensus; parvuli poena damni solius.Secundo: Quia majores ad poenam damni annexum habebunt vermem conscientiae, quo parvuli carebunt. Tertio: Quia majores dolorem de amissa beatitudine gravissimum percipient,parvuli contra levissimum, Tanto enim dolor de re amissa gravior est, aut levior,quanto quis majorem aut minorem ad eam rem adipiscendam dispositionem habuit. Nulli autem damnatorum minorem dispositionem ad coelestem beatitudinem habuerunt, quam ii, qui ante usum rationis de vita migrarunt.

Tertia objectio : Concors doctorum sententia in eam opinionem propendet,ut parvuli nullum omnino dolorem animi patiantur.Respondeo:Non ita est, nam antiquiores doctores Augustinus, Fulgentius, Gregorius, auctor sermonum de cardinalibus operibus Christi magis propendent, ut ostendimus, in contrariam. Deinde Petrus Lombardus in 2. sentent. dist.33. dum solum removet a parvulis ignem corporalem et vermem conscientiae, satis aperte relinquit carentiam beatitudinis cum dolore, qui inde consequitur. Innocent. quoque in cap. *Majores*, de Baptismo et ejus effectu,cum dicit,poenam peccati originalis esse carentiam visionis divinae, actualis autem, gehennae perpetuae crucialum; ignem corporalem, qui proprie gehennae cruciatus dicitur, a poena parvulorum excludit, non autem eam tristitiam,quae carentiam visionis Dei naturaliter comitatur.

Adhaec sanctus Thomas, et sanctus Bonaventura testantur, non defuisse suo tempore scriptores, qui docerent, parvulos non baptizatos passuros animi dolorem,quamvis mitissimum, ex carentia visionis Dei. Denique nostro saeculo Joannes Driedo,ut supra diximus,non solum dolorem internum, sed etiam externum parvulis non baptizatis tribuendum esse censuit. Et Dominicus a Soto lib. 1. de natura et gratia, cap. 14. disputationem suam ita conclusit: *Quocirca vel dicendum est hanc caussam, qua fuerint expulsi, occultam sibi esse, quod magis probaverim, eo quod sit extra naturalem ordinem rerum: aut si eam cognoscunt, ut quidam volunt, vix possum intelligere, quomodo nulla inde eos tristitia molestet.*Ubi vir iste doctissimus et insignis alioqui s.Thomae sectator, aperte fatetur, parvulos dolorem internum passuros, si verum sit, quod nos cum sancto Thoma, sanctoque Bonaventura verissimum esse non dubitamus, notam fore iisdem parvulis caussam, cur a beatitudine coelesti exciderint.

Petrus quoque a Soto in libro de institutione sacerdotum,lectione sexta de Baptismo,prope extrema, inter novitates Catharini vitandas numerat, quod parvuli in die novissimo recepturi sint integram et perfectam naturam solo dono originali, visioneque divina carentem, sed quae nullo modo eis afflictioni vel tristitiae sit futura.

Quarta objectio: Parvuli post hanc vitam intelligent, justa Dei ordinatione se privari coelesti beatitudine, igitur non dolebunt, nec tristabuntur de ea privatione;nam alioqui perversae voluntatis essent non solum habitu, sed etiam actu, et de divinis judiciis obmurmurarent, forte etiam blasphemarent. Quae sunt omnia perabsurda, cum constet eos non futuros pejores,quam essent cum hinc discesserunt. Respondeo : Non est necessarium, ut qui justum Dei judicium in sua afflictione cognoscunt, aut non doleant, aut de Deo obmurmurent. Potest enim fieri, ut vere patiantur, sed patienter et sine querimonia. An in locis purgatoriis animae non agnoscunt se, justo Dei judicio poenas luere? aut dolores et quidem atrocissimos non sentiunt? aut de divinis judiciis obloquuntur? s. Job, Christi martyres, Christus ipse in passione sua, nonne dolores gravissimos senserunt et patientissime pertulerunt, et Dei voluntate se pati certissime cognoverunt? Se de his hactenus.

CAPUT VIII.

Proponitur methodus futurae disputationis de poena peccati in hac vita.

Disseruimus hucusque de poena peccati originalis, quam ii patiuntur, qui vixdum nati ex hac vita sine hujus peccati remissione decedunt. Nunc de poena illa, vel potius de poenis et calamitatibus illis disseremus,quas in hac vita patiuntur,qui aliquandiu supervivunt,et tum praesertim si ad usum rationis accedant. Erit autem Tripartita haec disputatio.Primum enim per modum simplicis narrationis enumerabimus incommoda hujus vitae. Deinde propter Pelagianos quaeremus,sintne haec incommoda poenae peccati originalis. Postremo, quid Lutherani de hac re sentiant excutiemus.

Quod igitur ad Primum attinet, incommoda hujus vitae sanctus Augustinus ad duos veluti fontes reducit, ignorantiam et difficultatem, ex quibus alios duos fontes malorum oriri dicit, errorem et dolorem. Ignorantia enim parit errorem, difficultas dolorem. Vide Augustinum lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. 19. et 20. In enchirid. cap. 24. et in lib. de natura et grat. cap. 67.

Theologi scholastici paulo aliter haec tradunt, scribunt enim quatuor esse vulnera naturae, ignorantiam, malitiam, concupiscentiam, infirmitatem; quorum primum in mente, secundum in voluntate, tertium in appetitu concupiscente, quartum in irascente constituunt. Sed nos operae pretium esse duximus, maxime propter Lutheranos, qui extenuari a nobis effectus peccati originalis existimant, si haec omnia distinctius atque uberius explicemus.

Igitur mala hujus vitae, alia sunt interna, alia externa. Interna voco, quae sunt in ipso homine, ut ignorantiam, concupiscentiam et similia; externa quae sunt extra hominem, ut habere Deum iratum, esse sub diaboli potestate, carere obedientia animantium rationis expertium ; a coelo, ab aëre,

ab aqua, ab ipsa terra multas et varias calamitates perpeti.

Sed rursus Interna alia sunt in parte animae superiore, alia in inferiore; alia in corpore. In Superiore laesa sunt intelligentia et voluntas ; in Inferiore sensus tum interni, tum externi , et utraque appetendi facultas ; in corpore denique plurima sunt incommoda,et ad extremum ipsa mors.Itaque vere scriptum est in concilio arausic. can. 1. et in trident. sess.5.totum hominem secundum corpus, et secundum animam per Adami praevaricationem in deterius esse mutatum.

CAPUT IX.

Enumerantur morbi sive vulnera mentis humanae.

Ut igitur a Prima animi nostri parte incipiamus, in Intelligentia, seu mente humana , plurima sunt vulnera. Primum est ignorantia rerum necessariarum in infantibus tanta , quanta ne in bestiis quidem cernitur. S. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. et remiss. cap.38.*Multorum*, inquit, *pecorum, pulli etiam minutissimi matres agnoscunt , nec sagendis uberibus cura et ope admoventur aliena , sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra, homini nato,nisi opere nutrientis admotis labris papillae uberis ingerantur,nec ubi sint sentiunt, et juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quam sugere.*

Secundum est fatuitas , cum qua nonnulli nascuntur; nullum enim est animal, quod ita nascatur destitutum omnino ab omni operatione naturae suae propria, ut hominum aliqui nascuntur. S.Augustinus deplorans hanc miseriam in epist. 28. ad Hieronymum: *Tam tardi*, inquit, *nonnulli sunt et obliviosi, ut ne prima quidem discere literarum elementa potuerint.Quidam vero tantae sunt fatuitatis , ut non multum a pecoribus differant, quos moriones vulgo nominant.*

Tertium est difficultas discendi , nam sine labore ignoramus, cum labore discimus. Tamque alte radices suas in quorundam mentibus ignorantia jecit, ut malint illi semper in tenebris ignorantiae vivere, quam tantum laboris, quantum ad discendum necessarium esse vident, omnino subire.Sanctus Augustinus lib.22. de Civit.Dei, cap. 22.*Quid*, inquit, *aliud indicat horrenda quaedam profunditas ignorantiae , ex qua omnis error existit , qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit. ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit ?*

Quartum est ignoratio ultimi finis, in cujus adeptione tota hominis beatitudo consistit; non enim solum ignorant omnes homines, nisi divinitus adjuventur, finem supernaturalem,sed etiam maxima pars hominum ab ipso naturali fine intelligendo aberrat.Cujus rei testes esse possunt tam diversae philosophorum sententiae de summo bono.De quibus vide s. August. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 1. et seq. Quid autem miserius fingi potest , quam ignoratio proprii finis, idest, veri ac summi boni ?

Quintum est ignoratio mediorum ad finem,idest, earum rerum , per quas ad bonam beatamque vitam perveniri potest. Nemo est enim tam prudens, qui non saepenumero dubitet, haesitet, caecutiat in deliberatione rerum agendarum , ac praesertim , circa locum, tempus, modum, aliasque rerum circumstantias:*Cogitationes* enim *mortalium timidae et incertae providentiae nostrae*, inquit Sapiens cap. 9.

Sextum est difficultas intelligendi naturas rerum. Nam cum hominis proprium munus esse videatur contemplari res omnes, et ex earum cognitione ad conditoris cognitionem ascendere , et insitum sit homini a natura incredibile sciendi desiderium; unde est illud philosophi in 1. libro metaphysici. *Omnes homines natura scire desiderant.* Et illud M. Tullii, in 1. Tusculan. *Natura inest mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi:* tamen tanta est imbecillitas mentis humanae, ut ne formicae quidem naturam perfecte noverit, ut s. Basilius scribit in epistola 168. ad Eunomium.Itaque vere dixit Ecclesiastes cap. 1. *Cunctae res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.* Et cap. 3. *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Quam autem obscuram ac tenuem de Deo notionem acquirere possit humanum studium, testantur tot monstrosae opiniones ethnicorum, de natura Dei, qui eo usque progressi sunt, ut etiam caepis et alliis divinitatem dare non dubitaverint.

Septimum est ignoratio propriae mentis. Nam caeterae mentes, angelicae videlicet, se ipsae perfecte norunt:mens vero humana nihil minus quam seipsa cognoscit; nec solum naturam suam, sed etiam opera sua ignorat. Hinc sanctus ille propheta ingemiscens clamat in psal. 18. *Delicta quis intelligi? ab occultis meis munda me Domine*, incredibilis plane est infelicitas, ut ipse, qui propria voluntate peccat, non possit saepe discernere, an vere peccaverit, an deliberata voluntate consenserit, quoties, quantumque deliquerit? At qui fieri potest, ut vitam recte instituat, et aegritudinibus suis medicinam faciat , qui se ipse non novit , nec scit quo morbo laboret , ac ne id quidem intelligit , an laboret.

Octavum est, quod mens humana ab ipso corpore, quod ei datum est pro instrumento ad scientias comparandas, impeditur, ne facile perfecteque intelligat: *Corpus enim quod corrumpitur , aggravat animam*, inquit liber Sap. cap. 9. *et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*: Certe autem nullum est aliud corpus quod impediat actionem praestantissimam propriae formae.

Nonum est curiositas quaedam propemodum naturalis. Rari enim sunt, qui non libentius ac diligentius, aliena facta, ac praesertim errata observent, quam sua. Sanctus Joannes chrysostomus in 1. lib. de compunctione cordis affirmat, vix inveniri etiam inter eos qui perfectiorem vitam profitentur, qui non laborent eo vitio, ut videant festucam in oculo fratris, trabem autem in suo non videant. Un-

de data est occasio fabulae de duabus manticis, quarum anterior aliena vitia, posterior propria continet: *Sed non videmus*, inquit ille, *manticae quod in tergo est*. Et alius: *Sed praecedenti spectatur mantica tergo;* magna est haec miseria, nam propria vitia cognoscere semper est utile, saepe autem necessarium: aliena scrutari vix unquam utile, saepenumero noxium ac perniciosum fuit.

Decimum est, quod multa inania, levia, inepta volvimus animo, vel inviti, etiam alienissimo tempore. Deplorant hanc miseriam sancti Patres passim, atque inter caeteros s. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, in aliorum fortasse persona loquens: *Nunc*, inquit, *creberrime in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de foenore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quae dictu erubescenda sunt, gero*. Et s. Augustino in lib. 10. Confess. cap. 35. *Cum*, inquit, *in hujuscemodi rebus conceptaculum sit cor nostrum, et portet copiosae vanitatis catervas, hinc et orationes nostrae saepe interrumpuntur atque turbantur, et ante conspectum tuum, dum ad aures tuas voce cordis intendimus, nescio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta praeciditur*. Itaque quod ait Apostolus ad Rom. 8. *Vanitati creatura subjecta est non volens*, in ipsam etiam humanam mentem optime quadrat.

His accedit, quod cum mens aeterna sit, et ei perpetua debeatur operatio: tamen dum est in corpore, ne mediam quidem temporis partem sibi vindicare potest; nam si detrahas infantiam ac pueritiam, in quibus aetatibus mens, aut nihil, aut parum admodum operatur; si demas tempus, quod sibi corpus sumit tum ad somnum, tum ad alias vitae necessitates, quantulum est quod intelligentiae ad opus suum relinquitur?

CAPUT X.

De morbis, ac vulneribus voluntatis.

Sequitur Altera pars animi, quae dicitur Voluntas; cujua vulnus est etiam multiplex.

Primum est illa, quam graece φιλαυτίαν, idest, amorem sui, nominant. Omnes enim quaerunt quae sua sunt, nisi per Spiritum sanctum charitas Dei in eorum cordibus infundatur. Atque hinc nascuntur illa, quae s. Augustinus enumerat in lib. 22. de Civit. Dei cap. 22. *Mordaces curae, perturbationes, moerores, formidines, insana gaudia, discordiae, lites, bella, insidiae, iracundiae, inimicitiae, fallaciae, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, saevitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, et contra naturam utriusque sexus tot stupra atque immunditiae, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, haereses, blasphemiae, perjuria, oppressiones innocentium, calumniae, circumventiones, praevaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia violentiae, latrocinia, et quidquid talium malorum in mentem non venit, et tamen de vita hominum non recedit*. Verum haec sunt hominum malorum: ab illa tamen erroris et perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur.

Secundum est difficultas, quam experimur in vitiis superandis, et virtutibus excolendis. Nam finis hominis naturalis, quantum ad voluntatem, est vivere secundum rationem. Proinde virtus secundum naturam est, vitium contra naturam; et videmus res omnes libenter, et facile moveri ad ea quae naturae suae consentanea sunt, aegre et difficulter ad ea, quae naturae suae repugnant. At homines *laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*, inquit Sapiens in lib. Proverbior. cap. 2. Et: *Bibunt*, ut inquit Job cap. 15. *sicut aquam iniquitatem*, idest, sine molestia et labore, facile suaviterque peccata committunt.

Testes hujus rei sunt multiplices illae poenae, quas tum in parvulos, tum in majores cogimur exercere, ut homines vel inviti coërceantur a vitiis: *Quid enim* (inquit Augustinus loco citato) *sibi volunt multimodae formidines, quae cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? quid paedagogi, quid magistri, quid ferulae, quid lora, quid virgae, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit, dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus, aut vix possit, aut fortasse non possit? quid agitur his poenis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, et prava cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc saeculo vivimus?*

Quid vero significant majora illa tormenta, quas legum severitas pro majoribus excogitavit, cruces, secures, patibula, rotae, ignes et alia id genus, nisi saevitiam tantam omnino esse necessariam contra pronitatem humanae voluntatis ad malum? Nam cum tanta abundantia vanae cupiditatis, quae in pueris incipit apparere, in hanc vitam intramus, ut rarus omnino sit, qui si dimittatur vivere ut velit, et facere quidquid velit, non in ea facinora et flagitia, quae supra commemorata sunt, vel cuncta, vel multa perveniat; quanta igitur haec miseria est, non posse a magna miseria, nisi per aliam magnam miseriam liberari?

Tertium est incredibilis quaedam negligentia in iis, quae ad beate vivendum, tum in hac vita, tum etiam post mortem pertinent. Nam cum satis constet, beatitudinem in hac vita, in virtute perfecta sitam esse, et simul experiamur viam ad perfectam virtutem esse difficilem; ratio postulat, ut magno studio in hanc rem incumbamus. Si enim qui magnum studium adhibent, non sine labore perveniunt, quid fiet de illis, qui nullum adhibent?

Rursus, cum animam esse immortalem naturaliter cognoscamus, par esset, ut nihil saepius, nihil diligentius, nihil majori cum sollicitudine tractaremus, quam quid nobis sit eventurum post mortem. At contra plerique hominum nihil minus curant, quam de parandis virtutibus vel beatitudine sempiterna; et, quod magis est admirandum, ne in extrema quidem senectute, cum certum est, mortem longe abesse non posse, studium incipiunt adhibere ad procurandam salutem; tanta videlicet oblivio, tantus sopor, tanta securitas genus humanum merito primae praevaricationis oppressit.

Quartum est immoderata sollicitudo in temporalibus lucris captandis. Qui enim in veris et summis bonis quaerendis supra modum negligentes sunt, iidem sunt in comparandis bonis, falsis, inanibus et fugacibus attentissimi. Quam sane calamitatem generis humani non solum noster Ecclesiastes multis in locis deplorat, sed etiam ethnicus ille, qui satyras suas ita coepit: *O curas hominum, o quantum est in rebus inane.* Et quoniam ut s. Aug. loc. not. scribit, desidia, segnities, pigritia, negligentia vitia sunt, quibus labor fugitur; et tamen labor ipse etiam cum est utilis, poena est: ideo sive labore desidiam vincimus, sive desidia laborem fugimus, semper miseri sumus.

Quintum est mira quaedam perversitas voluntatis humanae, quae ad verum Deum colendum tardissima est, etiam cum is se per multa miracula, vel beneficia patefacit: ad colendos autem Deos falsos promptissima, tametsi nihil omnino de eorum divinitate cognoverit. Certe philosophi multi *per ea, quae facta sunt*, ut Apostolus loquitur ad Rom. 1. *Deum cognoverunt, non tamen sicut Deum glorificaverunt.* Hebraei quoque Deum verum per innumerabilia signa et prodigia cognitum facillime fastidiebant ac deserebant; et ad sacrificandum falsis diis etiam filios proprios promptissimi accurrebant, quare Hierem. 2. Deus ipse Judaeis exprobrat inconstantiam Dei veri colendi, exemplo ethnicorum qui in cultu falsorum deorum retinendo constantissimi erant.

Sextum est inconstantia, instabilitas, pugna quaedam et contentio voluntatis humanae, nam res caeterae tam superiores, ut angeli, quam inferiores, ut pecudes, semper idem volunt, aut nolunt, bonum prosequuntur, malum fugiunt. At homines rem eandem modo volunt, modo nolunt, modo neque plane volunt, neque plane nolunt. Placet adulterium, dicit incontinens, sed nolo, quia lex prohibet. Neque solum pars inferior cum superiore, sed superior secum ipsa confligit. *Unde hoc monstrum*, inquit s. Augustinus Confess. lib. 8. cap. 9. *et quare istud luceat misericordia tua, et interrogem, si forte mihi respondere possint latebrae poenarum hominum et tenebrosissimae contritiones filiorum Adam. Unde hoc monstrum, et quare istud; imperat animus corpori, et paretur statim, imperat animus sibi, et resistitur.* Et cap. seq. *Ego cum deliberabam ut jam servirem domino Deo meo, sicut diu disposueram, ego eram qui volebam, ego qui nolebam. Nec plene volebam, nec plene nolebam; ideo mecum contendebam, et dissipabar a me ipso, et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienae, sed poenam meae.*

Septimum est fastidium proprii status. Magnum enim argumentum est corruptionis voluntatis humanae, quod nemo sorte sua contentus vivat; sed laudet diversa sequentes, ut ille ait. Id enim signum est aegritudinis manifestae, nam res caeterae, si subsint quae natura eorum requiret, facillime acquiescunt, neque mutationem ullam expetunt. Proprium autem aegrotantium est nunc unum, nunc aliud velle, fastidire cibos, lectum, modo huc, modo illuc impatienter se convertere: *Nos*, inquit s. Gregorius hom. 36. in evang: *nati in hujus peregrinationis aerumna, huc fastidiosi jam venimus, nescimus quid desiderare debeamus.* Et infra: *Fastidio ergo nostro tabescimus, et longa inediae peste fatigamur.*

Octavum est, quod nullus, nisi per gratiam renovetur peccata omnia mortalia vitare potest, venialia vero, ne renovati quidem possunt, nisi privilegio singulari: quare ita proprium hominibus videtur esse peccatum, ut vulgo dici soleat, *humanum esse peccare.* Unde ille peccatum excusans: *Persuasit*, inquit, *nox, amor, vinum, adolescentia; humanum est.* Et alius quidam: *Nemo sine crimine vivit, optimus ille est, qui minimis urgetur.* Magna est haec voluntatis aegritudo, ut cum nemo peccare possit, nisi velit, et nihil sit magis in potestate hominis, quam velle; tamen non possit semper bene velle, et per hoc absque omni peccato vivere.

CAPUT XI.

De vulnere partis animae inferioris.

In Parte animae Inferiore, in qua sunt sensus, tum interni, tum externi, et duplex appetendi facultas, multa sunt etiam et gravia vulnera.

An vero non est eximium Dei munus libertas arbitrii, quod Nissenus Gregorius, *optimum quiddam, et omnium, quae sunt in homine, praestantissimum* esse definit? quo solo et a brutis animantibus separamur, et proxime ad angelorum naturam accedimus, et ipsius divini numinis imaginem gerimus, et rebus omnibus, quae sunt infra lunam, tamquam Dii quidam terrestres praesumus?

Deinde si tollas arbitrii libertatem, nonne vides una repente concidere omnia pene hominum bona, quae illa videlicet sede, illo fundamento nitebantur? et ubi quaeso erit justitiae splendor? ubi temperantiae decus? ubi virtutum caeterarum chorus? ubi laus benefactorum? ubi praemium meritorum? quid? quod nec sempiternae felicitatis capax esse, si b. Augustino et b. Bernardo credimus, nisi arbitrii libertas potest? *Neque gratia* (inquit Augustinus lib. Hipognostici 3.) *sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia.* Et b. Bernardus: *Tolle*, inquit, *liberum arbitrium, non erit quod salvetur: tolle gratiam, non erit unde salvetur.* Quantum igitur Dei donum illud existimandum est, sine quo nec boni, nec beati, ac ne homines quidem unquam esse potuissemus.

Quod si de populari libertate, qua regius dominatus excluditur, quae melius umbra quaedam, et imago libertatis, quam libertas dici potest, quaeque diutius nisi summo labore non conservatur, et raro salutaris, saepius noxia esse solet, tamen M. Tullius dixisse vere putatur, tantum in ea libertate inesse boni, ut non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expetatur, ac non immerito rebus omnibus, anteponatur: quid nos tandem de naturali illa et germana libertate dicere par est, quae animis nostris a Deo conditore insita et impressa, nihil esse videtur aliud (ut s. ait Bernardus serm. 81. in Cantica) nisi *divinum quiddam praeful-*

gens in animo, tamquam gemma in auro, quod et summum naturae nostrae splendorem, atque ornamentum adfert,et nullis criminibus aboleri, nullis calamitatibus minui, nulla externa vi labefactari, destruive potest?

Sed forte nimis abdita atque abstrusa res est libertas arbitrii, nec nisi a paucis, iisque acutissimis et doctissimis perspici potest.Nolo verbis meis respondere, s. Augustinum, quem unum ex omni vetustate sobrium in hac caussa fuisse Calvinus dicit, si placet audiamus. Is in eo lib, quem de duabus animabus contra Manichaeos scripsit, de libero arbitrio in haec verba loquitur: *Neque hic*, inquit, *libri obscuri mihi scrutandi erant,unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui id non faciat quod facere non potest, nonne ista cantant et in montibus pastores,et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis,et in orbe terrarum genus humanum;* Et in lib. de vera religione. *Atque adeo*, inquit, *hoc est manifestum,ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Quid potuit clarius de hujus quaestionis claritate dici?

Quis igitur eorum sive stuporem, sive furorem non admiretur, qui magistri orbis terrarum haberi volunt, et vel id ignorant,quod et pastores in montibus et in theatris poëtae,et indocti in circulis decantant? vel falsum esse contendunt,quod et docti in bibliothecis, et magistri in scholis et pontifices in templis, et ipsum genus humanum in orbe terrarum clarissima voce, summaque animi consensione verissimum esse testatur? Quid? quod communem hunc sensum et consensum orbis terrae ac praecipue veterum Patrum, majorum nostrorum non ignorant hujus temporis haeretici: et tamen sine ullo pudore, inusitato genere superbiae, incredibilique audacia paucitatem suam, multitudini generis humani; imperitiam suam, sapientiae omnium Patrum; novorum dogmatum vanitatem,auctoritati gravissimae vetustatis totius, ac saeculorum omnium anteponunt. Ac ne aliquid me fingere, vel augere plusquam oporteat arbitremini, eorum ipsorum, quorum de stultitia verba facimus, testimonia proferamus; Ordiamur, si ita videtur,ab historicis, quorum praecipua laus est veritas.

Matthias Illyricus in illa sua centuriata historia, centur. 2. cap.4. col. 59. cum Justini, Irenaei, atque aliquot aliorum Patrum vetustissimorum sententias de libero arbitrio retulisset,haec verba subjecit: *Eodem modo Clemens alexandrinus liberum arbitrium ubique asserit, ut appareat in ejusmodi tenebris* (sic enim liberi arbitrii confessionem vocat) *non tantum fuisse omnes ejus saeculi doctores, verum etiam in posterioribus eas subinde crevisse,*

Non est autem hoc loco praetereundum, eos doctores, de quibus in eo libro Illyricus agit, illos esse, qui vel apostolos ipsos loquentes audierunt, vel certe apostolis proxime successerunt. Quod si doctores illi, omnes ad unum (ut adversarii confitentur) liberum arbitrium ubique asseruerunt, neque fieri potest, ut reliquus coetus fidelium aliud senserit in dogmatibus fidei, quam quod a doctoribus suis didicerat, certe omnis illa prima Ecclesia,quae Christi sanguinem adhuc prope calentem excepit, quaeque ardore fidei ad confessionem promptissima, et fortissimorum martyrum coronis et triumphis celeberrima fuit, illae, inquam, fidelium primitiae,omnes omnino (Illyrici testimonio) eam de libero arbitrio fidem tuebantur, quam ipse Illyricus cum Lutheranis caeteris oppugnat.

Neque solum prima illa aetas, verum etiam posteriores omnes (ejusdem Illyrici testimonio) doctrinam eandem incredibili consensu tenuerunt. Id enim illa verba significant: *Ut appareat in ejusmodi tenebris non tantum fuisse omnes ejus saeculi doctores,verum etiam in posterioribus eas subinde crevisse.* Possem et alia,si per tempus liceret ex eadem historia testimonia decerpere: sed ad caeteros auctores festinat oratio.

Philippus Melanchthon in eo libro, quem de locis communibus primum edidit: *In hoc*, inquit,*loco, cum prorsus christiana doctrina a philosophia et humana ratione dissentiat,tamen sensim irrepsit philosophia in christianismum, quia receptum est impium de libero arbitrio dogma, et obscurata Christi beneficentia per profanam illam et animalem rationis nostrae sapientiam: usurpata est vox liberi arbitrii, a divinis literis, a sensu et judicio spiritus alienissima,qua videmus sanctos viros non raro offensos esse. Additum est e Platonis philosophia vocabulum* rationis *aeque perniciosum. Nam perinde atque his posterioribus Ecclesiae temporibus Aristotelem pro Christo sumus amplexi, ista statim post Ecclesiae auspicia per platonicam philosophiam christiana doctrina labefactata est: ita factum est, ut praeter canonicas Scripturas, nullae sint in Ecclesia sincerae literae.Redolet philosophiam quicquid omnino commentariis proditum est.* Haec ille, qui quidem, nescio an apertius poterat indicare, se bellum cum omnibus Ecclesiae Patribus et doctoribus, gerendum suscepisse, et aliam omnino fidei doctrinam a se tradi, aliam esse eam, quam universa Christi Ecclesia jam inde ab apostolicis temporibus didicerit semper et docuerit. Nec enim alia de caussa nullas esse dicit in Ecclesia sinceras literas et philosophiam redolere omnes veterum commentarios, nisi quia negare non poterat, omnibus omnium Patrum libris,commentariis, historiis, concionibus, liberum arbitrium liberrime atque apertissime praedicari.

Jam vero Philippum sequutus Joannes Brentius in apologia pro confessione sua Wirtembergensi: *Pater*, inquit, *e coelis clamavit, non de Hieronymo, non de Augustino, non de Bernardo, non de concilio arausicano, sed de filio suo Domino nostro Jesu Christo: Hunc audite.* Quasi vero de sanctis Ecclesiae pastoribus et doctoribus, quales in primis Hieronymus, Augustinus, Bernardus, omnesque arausicani concilii Patres fuerunt, Christus ipse non dixerit: Qui vos audit, me audit.

Sed ad caetera progrediamur, et omissis aliis, quos nimis longum esset singulos recensere;Joannis Calvini testimonio ac sententia contenti simus. Is lib. 2. Institut. cap. 2. § 4.posteaquam philosophos omnes incredibili consensione liberum arbi-

trium asseruisse professus esset, ita subjunxit: *Tametsi Graeci prae aliis atque inter eos singulariter Chrysostomus in extollenda humanae voluntatis facultate, modum excesserunt; veteres tamen omnes, excepto Augustino, sic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexe loquuntur, ut certi fere nihil ex eorum scriptis referre liceat, qui postea sequuti sunt, dum pro se quisque in humanae naturae defensione argutiae laudem captat, sensim alii post alios in deterius continuo delapsi sunt.* Haec ille. Ex cujus verbis nemo vestrum (opinor) non facile colligit, propterea scriptores omnes (Augustino excepto) tam veteres, quam recentes Calvino minus placere, quod sententiae ipsius de servo arbitrio nimis libere adversentur. Alioqui quid sibi vult querimonia illa, quae paulo post in eodem libro sequitur? *Nimis*, inquit, *philosophice hac de re loquuti sunt, qui se Christi jactabant esse discipulos. Nam quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit. Graecos vero non puduit multo arrogantius usurpare vocabulum. Siquidem* ἀυτεξουσιαν *dixerunt, ac si potestas sui ipsius apud homines fuisset.*

Ac ne solum de nomine liberi arbitrii, sed etiam de re ipsa loqui eum existimetis, auditi quid cap. 3. § 11. dicat: *Ac voluntatem*, inquit, *Deus movet, non qualiter multis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter efficiendo. Illud ergo toties a Chrysostomo repetitum repudiari necesse est, Quem trahit, volentem trahit.* Itaque non modo Calvini testimonio liberi arbitrii nomen in Ecclesia semper fuit, sed etiam dogma et doctrina Chrysostomi aetate extabat, ac deinceps multis saeculis tradita, credita, propagata, confirmata est.

Sed a partibus suis Augustinum Calvinus habet, ejusque viri longe doctissimi patrocinio fretus, caeteros omnes merito despicit. Omitto primum quod etiamsi b. Augustinus Calvino faveret, tamen neminem tam iniquum judicem esse oporteret, qui unum hominem quamvis doctissimum, omnium saeculorum Patribus et doctoribus, totique Ecclesiae, atque adeo orbis terrae consensui anteferret. Taceo deinde quod b. Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 2. clarissimis verbis Calvinum haereticum pronunciat, cum ait: *Est igitur liberum arbitrium; quod quisquis esse negaverit, catholicus non est.* Id quod sexcentis aliis in locis repetit, ut suo loco palam faciemus. Nihil etiam dico, quod in eodem lib. Calvinus parum ingenue, ne dicam impudenter, ab illo ipso Augustino recedit, quem sibi solum ex omni vetustate patronum reliquerat. Sic enim ait c. 3. § 7. *Sed erunt forte qui concedent voluntatem a bono suopte ingenio aversam, sola Domini virtute converti, sic tamen ut praeparata suas deinde in agendo partes habeat. Quemadmodum docet Augustinus, omne bonum opus gratiam praecedere, et id comitante, non ducente: pedissequa, non praevia voluntate.* Et paulo infra, hanc ipsam b. Augustini sententiam refellens: *Sed quia*, inquit, *reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiae praevenienti pedissequa voluntate obsequatur.* Quid clarius? et ubi nunc est illud, excepto Augustino? ubi tua Calvine jactatio?

Sed his praetermissis, illud unum dicam, quod silere nullo modo possum, adeo parum vero, ac simplici testimonio b. Augustini confisum esse Calvinum, ut ausus non fuerit locum unum, eumque diu quaesitum, et ex omnibus selectum proferre, nisi multis fucatum coloribus, mendaciisque bene suffultum, ac diligentissime fraudibus obvolutum. Sic enim loquitur ad finem ejusdem cap. 3. *Audiamus*, inquit, *nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne aetatis nostrae Pelagiani, hoc est, Sorbonici sophistae, totam vetustatem nobis adversam pro suo more criminentur. Libro de correptione et gratia ad Valentinum fusius exequitur, quod breviter, ejus tamen verbis referam, gratiam persistendi in bono, Adae fuisse datam, si vellet: nobis dari ut velimus, ac voluntate concupiscentiam superemus. Habuisse ergo illum posse si vellet, sed non velle ut posset: nobis et velle dari et posse. Primam fuisse libertatem posse non peccare: nostram multo majorem non posse peccare. Ac ne de futura post immortalitatem perfectione loqui putetur (sicuti perperam Lombardus eo trahit) scrupulum hunc paulo post eximit. Tantum quippe, inquit, Spiritu sancto accenditur voluntas sanctorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo velint, quia Deus operatur ut sic velint.* Haec ille.

Numerate mendacia. Primum, illa verba: *Primam libertatem fuisse, posse non peccare, nostram esse multo majorem non posse peccare;* nusquam in toto Augustino, ne dum in eo libro, inveniuntur. At, si non verba, certe sententia invenitur. Cur ergo dixisti: *Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem?* cur addidisti, *quod ille fusius, ego breviter, ejus tamen verbis referam?* cur b. Augustini verba pollicitus, tua postmodum nobis obtrudis?

Quid? si nec sententiam inveniri demonstravero? nonne s. Augustinus in libro suo de haeresibus, Joviniano haeresiarchae tribuit hanc sententiam, homines justos etiam in hac vita non posse peccare? nonne in libro de spiritu et litera extremo, atque aliis in locis passim docet, neminem esse tam justum, qui non aliquando peccet? Quis igitur credat Augustino verba illa excidere potuisse, quae Joviniani sententiam continent, quaeque omnibus fere libris ejusdem Augustini maxime repugnant? Atque hoc est mendacium primum.

Alterum deinde in illis verbis continetur, ubi Lombardum reprehendit, quod s. Augustini verba de secunda libertate perperam traxerit ad eam perfectionem, quae post hanc vitam erit. Ad quod mendacium refellendum ipsa per se b. Augustini verba sufficiunt. Haec enim sunt vera Augustini verba: *Prima libertas erat, posse non peccare: novissima erit multo major, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multo major, non posse mori. Prima erat perseverantiae potestas, bonum posse non deserere: novissima erit felicitas perseverantiae bonum non posse deserere. Numquid, quia erunt bona novis-*

sima potiora, atque meliora, ideo fuerunt illa prima, vel parva, vel nulla? Ubi non ait Augustinus (ut vult Calvinus) nostra libertas est non posse peccare: sed novissima libertas erit non posse peccare. Quo quaeso pertinet illud, *novissima?* quo illud, *erit?* nisi ad tempus futurum? et si (ut Augustinus dixit) illorum erit non posse peccare, quorum erit non posse mori; quis nisi insanus dicat, nostrum esse non posse peccare,qui non mopo possumus mori, sed etiam non possumus non mori? denique si bonum non posse deserere, perseverantiae mercedem, atque ipsam felicitatem futuram Augustinus dicit, qua fronte, quo ore Calvinus illud ipsum ad hujus vitae brevissimae, atque infelicissimae statum trahere conatur.

Jam vero cum negat Calvinus vetustatem sibi adversari, quod idem et in libro adversus Pighium,et in praefatione Institutionis,et alibi passim repetit, non solum prodige mentitur,sed etiam egregie secum pugnat. Nam si veteris Ecclesiae ea sententia fuit, quae nunc Calvini est, ex necessitate omnia fieri, nullam esse libertatem, nullam contingentiam, quo pacto semper in Ecclesia liberi arbitrii nomen extitit? qui fieri potuit,ut veteres omnes (ne Augustino quidem excepto) nimis philosophice loquuti sint,atque in defensione humanae mentis virium, modum excesserint?

Dicturi sunt fortasse, sententiam suam, sententiam Christi et apostolorum esse,quorum literae omnium Patrum commentariis quemadmodum auctoritate, sic etiam antiquitate praestant. At ego libenter ab eis vicissim quaererem, utrum tandem Christum et apostolos arbitrentur doctrinam suam praedicatione et miraculis propagasse,an vero inutiliter, et sine ullo fructu rem egisse. Non erunt, opinor, tam ingrati,ut Christum et apostolos,atque ipsum etiam Spiritum sanctum qui per ipsorum linguas loquebatur tanto tempore, tot concionibus, tot signis et prodigiis, nihil egisse dicant.

Quod si doctrinam suam Christus et apostoli, ut res est,plurimis hominibus persuaserunt et longe, lateque ad fines usque orbis terrae propagarunt; eaque doctrina ita philosophorum placitis adversatur, ut liberum arbitrium (ut Calvinus dicit) tamquam impium quoddam figmentum penitus tollat ac destruat:cur obsecro semper in Ecclesia,ut idem ait Calvinus, liberi arbitrii nomen extitit? cur nomen servi arbitrii ante Lutheri tempora numquam est auditum? cur illi omnes Patres et doctores,qui apostolis proxime successerunt,quemadmodum ex centuriis Illyrici jam didicimus, liberum arbitrium et non servum potius docuerunt? cur statim post Ecclesiae auspicia (ut Philippus loquitur) libertas arbitrii juxta sententiam philosophorum praedicari coepta est? quo cemento quaeso, quo glutino poterunt sententiae istae ita conjungi, ut aliquo modo inter se cohaereant? Christus et apostoli populis, gentibus, nationibus, orbi terrarum universo, nullum esse in homine liberum arbitrium persuaserunt; tamen nemo unquam id credidit,semper in Ecclesia liberi arbitrii nomen extitit;veteres omnes in defensione liberi arbitrii modum excesserunt; philosophiam redolet quidquid omnino commentariis proditum est.

Quamobrem nemini dubium esse jam debet,quin hujus temporis haeretici,dum contra liberum arbitrium tam audacter disputant, eam doctrinam in Ecclesiam invehant, quam ipsimet intelligunt et confitentur omnibus veteribus Patribus, toti antiquae Ecclesiae, orbi terrarum universo omnium gentium sensui et consensui repugnare.

Quod quidem ejusmodi est,ut ego dum in eorum libris verba ipsorum paulo attentius lego,ita vehementer admirer, ut vix oculis meis credam. Quis enim non obstupescat? quis credat existere potuisse homines tam projectae audaciae,tam incredibilis superbiae, tam insolentis arrogantiae,ut se doctoribus omnium gentium et omnium saeculorum Graecis, Latinis, sacris, profanis, veteribus,recentioribus anteponant? et qui post mille et quingentos annos dicant, nullae sunt in Ecclesia sincerae literae: omnes Patres erraverunt;nos soli sapimus; nos soli videmus; caeteri hallucinantur et delirant universi?

Quae cum ita sint, nulla sane fides, ejusmodi monstris tam absurde delirantibus debetur: praesertim si illud addamus, doctrinam de servo arbitrio primum locum inter adversariorum dogmata obtinere. Sic enim loquitur Lutherus in assertione art. 36. qui est de arbitrii libertate: *In caeteris*, inquit, *articulis de papatu, conciliis, indulgentiis, aliisque non necessariis nugis, ferenda est levitas et stultitia papae et suorum: sed in hoc articulo, qui omnium optimus,et rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire.* Hoc nimirum addendum supererat ad cumulum furoris, ut non solum ipsi furerent, sed etiam eos omnes, qui non pariter furunt, insanire arbitrarentur.

Sed profecto si in eo articulo, qui ipsorum judicio omnium optimus, et rerum Lutheranarum summa est; adeo manifeste vehementerque delirant, ut nullam omnino fidem, nisi forte ab iis,qui pariter insaniant mereantur: multo certe minus in rebus caeteris ulla eis fides ab hominibus sanis et sobriis haberi deberet.

Quia tamen justissimo Dei judicio, peccata hominum castigante ac puniente, non defuerunt,nec desunt permulti, a quibus nova ista haereticorum dogmata, licet absurda et incredibilia sint, avidissime tamen excipiantur et approbentur: nostrae partes erunt,totum hunc locum diligentissime pertractare,et tam in statuenda et confirmanda veritate , quam in evertendis ac refutandis erroribus contrariis operam, laborem, vigilantiam quantam maximam poterimus, collocare: quod effecturum me omnino confido, si Dei primum benignitate ac favore, deinde etiam vestra alacritate et studiis adjuvabor.

CONTROVERSIA TERTIA GENERALIS

DE REPARATIONE GRATIAE

Ordo disputationis

De gratiae reperatione, quae est potissima totius hujus operis pars, tria disputanda se offerunt; Primum enim de gratia et libero arbitrio disserendum erit. Haec enim sunt fundamenta totius aedificii reparandi: *Tolle* (inquit s. Bernardus in libro de gratia et libero arbitrio) *liberum arbitrium,non est quod salvetur;tolle gratiam, non est unde salvetur.* Deinde de ipsa reparatione gratiae, idest, de justificatione impii disputandum erit. Postremo addendum de consequentibus justificationem, idest, de fructibus et bonis operibus justificatorum.

Porro de gratia et libero arbitrio sex erunt libri. Primus, de gratiae acceptionibus et partitionibus. Secundus, de gratiae communicatione et praedestinatione. Tertius, de natura liberi arbitrii. Quartus, de viribus arbitrii et gratiae necessitate in naturalibus.Quintus,de iisdem in moralibus. Sextus, de iisdem in supernaturalibus.

CONTROVERSIA PRIMA PRINCIPALIS

DE

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM

De variis acceptionibus gratiae.

De gratia et libero arbitrio; Deo juvante,scripturus, ab ipsa gratia merito incipiendum esse video.

Igitur gratia inde nomen accepit,quod gratis detur: *Gratia,* inquit s. Augustinus tractat. in psalm. 43. *merito nominatur, quia gratis datur.* Opponitur autem debito, dicente Apostolo, ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et ad Roman. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.*

Porro Tres sunt in sacris literis hujus vocabuli notiones, accipitur Primum amplissima significatione pro quovis beneficio Dei, sive illud naturale sit, sive naturae ordinem gradumque transcendat; qua significatione accipitur gratia in illis verbis Sapient. cap. 16.*Propter hoc et tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiae tuae deserviebant.* Quo loco gratiam vocat Scriptura illam Dei benignitatem et providentiam, quae tamquam nutrix, omnia quae ab ipso Deo creata sunt, conservat et fovet; sic etiam s. Augustinus in psalm. 144. in illud: *Et justitia tua exultabunt. Attendamus,* inquit, *gratiam Dei non solum qua fecit nos, verum etiam qua refecit.* Et in epist. 95. *Quadam,* inquit, *non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, et de hoc tanto beneficio gratias agere debemus. Unde merito et ista gratia dici debet,quia non praecedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.*

Caeterum haec acceptio gratiae non multum ad rem nostram facit, neque solent theologi, cum de gratia Dei disputationem adversus haereticos Pelagianos instituunt,gratiae nomine dona naturalia significare. Pelagiani enim gratiam, hoc primo modo acceptam, non negabant,quin etiam hinc haereses suas quasi quodam pallio tegere conabantur, cum dicerent,sine Dei gratia nihil nos agere posse; gra-

liae autem nomine liberum arbitrium, atque alia id genus naturalia dona intelligi volebant, ut sanctus Augustinus testis est in libro de gratia Christi, cap. 3. et sequentibus.

Accipitur Secundo gratia Dei pro solis illis beneficiis divinis, quae naturae superaddita, neque ad rei naturam constituendam, aut conservandam sunt necessaria, neque ex ipsa fluunt, aut ipsi quoquo modo debentur. Intelligimus autem hoc loco gratiam Dei vocari supernaturalia beneficia generali quadam significatione, ut etiam illa comprehendantur, quae non ex merito Christi, sed ex sola Dei liberalitate,neque in indignos et peccatores, sed in non dignos et non justos conferuntur, quaeque non tam indebita, quam non debita nominanda sunt. Ejusmodi fuisse justitiam originalem et gratiam gratum facientem primo nostro parenti in creatione collatam, paulo post demonstrabimus. De qua gratia, ut etiam de gratia angelorum, quae ad hoc idem genus pertinet, disputat s. Augustinus, cum alibi,tum in libro de correptione et gratia,cap. 10. et 11.

Huc etiam referri potest gratia quam in Christi humanitate fuisse Scripturae testantur,psal. 44.*Diffusa est gratia in labiis tuis*.Luc.2. *Gratia Dei erat in illo*. Joan. 1. *Plenum gratiae et veritatis*. De qua sic loquitur s. Augustinus lib. 1. de praedestinatione sanctorum, cap. 15. *Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus: de ipso Spiritu et hic renatus,de quo est ille natus; eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum*. Haec Augustinus.

Accipitur Tertio gratia Dei maxime proprie pro solis illis Dei beneficiis, quae non modo supernaturalia et non debita sunt, sed etiam indignis hominibus ex Christi merito conferuntur, ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu*. Ubi non satis esse credidit Apostolus,si diceret: *Justificati gratis*, sed addidit: *Per gratiam ipsius*. Et: *Per redemptionem, quae est in Christo*, nimirum ut significaret, justificationem post lapsum Adae, non solum gratis dari, sed etiam indignis et peccatoribus dari, qui nisi per secundum Adamum redimerentur, irae filii et servi Sathanae aeterno tempore permanerent.

Idem quoque beatus Apostolus, cum dixisset ad Roman. 6. *Stipendium peccati mors*, non adjunxit stipendium justitiae vita aeterna, quod antithesis requirere videbatur, et quod sine dubio adjunxisset,si de homine ante lapsum loqueretur,ut sanctus Augustinus disputat in enchiridio, cap. 106. et 107.sed adjunxit: *Gratia Dei vita aeterna*.Tametsi enim , ut loco citato scribit Augustinus, vita aeterna certa sit merces operum, eam tamen gratiam appellare maluit sanctus Apostolus,ut intelligeremus, ipsa etiam nostra merita esse Dei munera, neque id solum, quod sine Dei gratia nulla esse possint liberi arbitrii bona merita, sed quia post illam Adae ruinam nova quadam et singulari Dei gratia liberandum fuit liberum arbitrium, a captivitate ac servitute peccati.

CAPUT II.

De partitionibus gratiae.

Jam vero gratiae Secundo et Tertio modo acceptae, de qua in sequentibus disputationibus multa,Deo juvante, scripturi sumus,multae partitiones sunt. Prima partitio est in gratiam aeternam ac temporariam.Gratia aeterna est ille amor,quo nos Deus ante mundi constitutionem ab ipsa aeternitate dilexit,in cujus gratiae laudem et gloriam nos a Deo praedestinatos esse atque electos in adoptionem filiorum testatur Apostolus ad Ephes. 1. *Praedestinavit*, inquit,*nos in laudem gloriae gratiae suae*. Gratia Temporaria dicuntur beneficia vocationis et justificationis,quae ex aeterna gratia,ut effectus ex caussa, derivantur. Nam *quos praedestinavit. hos et vocavit; quos vocavit,hos et justificavit*, ad Roman. 8.

Altera partitio est gratiae temporariae in gratiam gratis datam,et gratiam gratum facientem. Quae partitio non sic accipienda est, quasi aliqua sit gratia non gratis data, sed uni speciei, quod proprio nomine careat, relinquitur nomen generis. Gratia gratis data est donum supernaturale, absque ullo debito, ad aliorum spiritualem salutem praecipue collatum,prima ad Corinth. 12. *Divisiones gratiarum sunt,etc*. Gratia gratum faciens est donum supernaturale absque ullo debito, ad propriam uniuscujusque spiritualem salutem potissimum datum 2. ad. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*.

Supernaturale donum utraque gratia dicitur,quia non consequitur naturam, sed supra naturam conceditur divinitus:idque absque ullo debito, quia neque debetur naturae,neque cadit sub meritum personae. Quamvis autem ex gratia gratis data interdum beneficia corporalia consequantur,ut bona valetudo aegrotantis:tamen quia finis ultimus omnis gratiae gratis datae,est sanitas animae sempiterna, ideo ad spiritualem salutem eas referri diximus.

Denique addidimus in definitione gratiae gratis datae, ad aliorum praecipue salutem, hoc genus gratiae pertinere, quia licet commune sit gratiae gratis datae cum gratia gratum faciente,ut tam propriae, quam alienae saluti conducant; tamen illud interest, quod gratia gratum faciens datur potissimum ad propriam uniuscujusque salutem,secundario ad aliorum, nimirum, ut nos ipsi primum justi perfectique efficiamur, deinde caeteri videant opera nostra bona et glorificent Patrem nostrum qui in coelis est.

Contra vero gratia gratis data, alienam salutem spectat praecipue, eorum videlicet, qui praedicatione et miraculis vel ad fidem, vel ad poenitentiam pertrahuntur: propriam autem secundario, quia dum per ea dona solerter in proximorum salutem incumbimus, Deum nobis conciliamus, atque ab eo audire meremur : *Euge serve bone et fidelis, etc*. Sicut enim philosophi duo genera virtutum esse volunt, quasdam privatas et necessarias unicuique ubicumque vivat,ut temperantiam et continentiam, quasdam communes et necessarias in republica, propter aliorum societatem, ut justitiam et liberalitatem: ita etiam Deus in republica christiana duo

esse voluit genera adjumentorum ; privatum, quo quisque fit bonus; et commune, quo indigemus ad aliorum juvandam salutem.

Tertia partitio est gratiae gratum facientis, in gratiam permanentem, sive habitualem,et gratiam auxilii specialis. Gratia permanens dicuntur habitus infusi, fidei spei, charitatis, ac praecipue charitatis, ut paulo post demonstraturi sumus. Gratia auxilii specialis definiri posse videtur his verbis: Est motio Dei qua homo ad operationes, quae naturam suam aliquo modo superant, adjuvatur. Motio dicitur, ut distinguatur ab infusis ac permanentibus qualitatibus;neque enim auxilium speciale est habitus infusus aut permanens qualitas,sed actio qua Deus hominem movet ad operandum, vel cum eo operatur, non est autem hoc auxilium necessarium ad operationes, quae vires naturae non superant,quales sunt intelligere et appetere res humanas, ad hujusmodi enim sufficit auxilium generale; sed necessarium est ad eas operationes, quae quoquomodo naturae vires excedunt.

Porro Tribus modis operatio aliqua vires naturae superare potest. Primum simpliciter et absolute,ut si ex genere suo operatio sit ordinis altioris, quam sunt res naturales , quales suut actus virtutum theologicarum, fidei, spei et charitatis, quae non acquiruntur per iteratos et frequentatos actus, sed divinitus in animam infunduntur.

Secundo:Non simpliciter,sed ratione status peccati; quemadmodum enim homo aegrotus movere non potest ingentem aliquam molem,nisi juvetur ab alio, quam ipse idem, si sanus esset,solus movere potuisset;sic homo per peccatum debilitatus,multa non potest sine auxilio speciali efficere, quae in statu innocentiae,sine tali auxilio, facile effecisset.

Tertio: Ratione modi, loci, temporis, personae , aut alterius cujuslibet circumstantiae; saepe enim accidit, ut id, quod neque ex genere suo, neque ratione status, vires naturae superat, easdem tamen superet ratione circumstantiae; ac, ut in exemplo posito perseveremus, poterit homo sanus per se, molem quandam loco movere, non tamen poterit sine alterius auxilio,si alteram manum tantum adhibere cogatur, aut si loco parum commodo, vel moles, vel ipse sit constitutus: ita poterit homo justus praeceptum aliquod decalogi facile adimplere, si nulla extrinsecus diabolica tentatio accedat; si vero tentatio ejusmodi accedat, sine speciali auxilio id facere non poterit.

Ex his autem facile erit colligere, quid intersit inter auxilium Dei generale et auxilium speciale : Generale siquidem datur ad actus omnes tam bonos quam malos, nam et in malis actibus id quod materiale et positivum est,bonum est,nec fieri nisi Deo cooperante potest; Speciale autem non datur nisi ad actus bonos.

Rursus generale auxilium datur a Deo, ut auctore naturae, ad ea opera,quae per naturales potentias exercentur, et ad finem, qui cum natura proportionem habeat, referuntur; speciale vero praestatur a Deo, ut gloriae donatore,ad ea opera,quae naturae vires excedunt , et ad finem sempiternae beatitudinis ordinantur.

Adhaec,generale auxilium, quamvis non sit debitum simpliciter, est tamen debitum aliquo modo ex hypothesi, cum enim Deus res creatas extare et operari voluerit, aequum est, ut eis non deneget auxilium, sine quo nec se ipsae movere, nec aliquid omnino possent efficere; speciale autem nulla ratione est debitum,sed ex nova quadam et infinita Dei liberalitate donatur, praesertim si loquamur de prima gratia hominem praeveniente et excitante:quare nomen gratiae magis proprie convenit auxilio speciali quam generali, sicut etiam magis proprie habitus fidei, spei et charitatis,quam intelligendi,volendique facultates, dona gratiae nominantur.

Quarta partitio est auxilii specialis, in auxilium excitans et auxilium adjuvans ; ad gratiam auxilii excitantis divinae illustrationes, atque inspirationes pertinent, quibus Deus cor nostrum pulsat, ut a somno peccati, vel negligentiae in bonis operibus excitemur : ad gratiam auxilii adjuvantis spectat divina cooperatio , directio ac protectio, quibus juvamur tum ut eligamus,tum ut faciamus,quod Deus praeveniens inspiravit. Apocalypsis cap. 3. *Ecce sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, intrabo ad illum etc.* Hinc est illud in precibus Ecclesiae: *Actiones nostras quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere.* Et illud sancti Augustini lib. 2. de peccatorum meritis et remissione cap. 18. *Quod ad Deum nos convertimus , nisi ipso excitante et adjuvante non possumus.* Et illud beati Bernardi in libro de gratia et libero arbitrio: *Conatus nostri et cassi sunt,si non adjuventur; et nulli, si non excitentur.* Quibus congruit illud concilii tridentini sess. 6. cap. 6. *Disponuntur ad justificationem.dum excitati divina gratia,et adjuti,fidem ex auditu concipientes etc.*

Quinta partitio est auxilii, sive gratiae in auxilium, sive gratiam sufficientem et efficacem. Auxilium sufficiens dicitur, quo Deus ita hominem vocat et excitat, et juvare dirigendo, protegendo, cooperando, paratus est, ut re vera possit ille sic excitatus et vocatus, velle credere , velle converti, velle bonum aliquod facere, tamen re ipsa non velit credere, aut converti, aut bonum illud facere. Auxilium efficax dicitur,quo Deus ita hominem vocat et excitat, et juvare dirigendo,cooperando, paratus est, ut infallibiliter re ipsa velit ille, qui sic excitatur et vocatur, et re ipsa credat convertatur, bonum faciat.

Sexta partitio est gratiae efficacis in operantem et cooperantem: gratia operans est,quae facit ut velimus; cooperans vero, quae facit ut quod voluerimus,impleamus.Quae partitio sumpta est ex verbis illis sancti Augustini libro de gratia et libero arbitrio,cap. 17. *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur, perficiens.* Et infra: *Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus:* De his duabus partitionibus in fine hujus libri plenius disseremus.

Solet adferri alia quaedam partitio gratiae, in praevenientem et subsequentem,cum in psalm. 58. legamus: *Misericordia ejus praeveniet me.* Et in

psalm. 22. *Misericordia tua subsequetur me*: Sed haec partitio nihil novi continet, sed superiores dumtaxat includit: siquidem gratia excitans dici potest praeveniens et adjuvans, subsequens, juxta illud: *Actiones nostras aspirando praeveni, et adjuvando prosequere.* Rursus gratia operans est etiam praeveniens, et cooperans, subsequens: *Nolentem* (inquit sanctus Augustinus in enchiridio cap. 32.) *Praevenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* Et sanctus Gregorius homil. 9. in Ezechielem: *Nos*, inquit, *praevenit ut velimus, et volentes subsequitur, ne inaniter velimus.* Denique omnis gratia prior, praeveniens dici potest, si comparetur ad posteriorem: *Praevenit* (inquit sanctus Augustinus libro de natura et gratia cap. 32.) *ut sanemur, et subsequitur, ut sanati vegetemur; praevenit ut vocemur, et subsequitur ut glorificemur; praevenit ut pie vivamus, et subsequitur, ut cum illo semper vivamus.*

CAPUT III.

Gratiam gratum facientem esse qualitatem, per modum habitus in homine permanentem.

Ex partitionibus praemissis quaedam sunt, quae nonnullas pariunt quaestiones. Ac Primum de partitione gratiae in gratiam habitualem et gratiam auxilii specialis, duae sunt quaestiones: Una, sit ne gratia aliqua habitualis; Altera, utrum ea gratia sit qualitas a charitate distincta.

Quod ad Primum attinet, non instituimus hoc loco disputationem de justitia inhaerente vel imputativa, quam in tractatu de justificatione impii, suo loco pro viribus Deo juvante, tractabimus. Sed solum, an detur gratia habitualis gratum faciens habentem: non enim desunt, qui non admittant gratiam gratum facientem, quae sit habitus, aut certe qualitas per modum habitus in anima permanens. Joannes Calvinus in antidoto concilii tridentini, sess. 6. cap. 7. *Falsum*, inquit, *esse contendo, ullam justitiae partem in qualitate sitam esse vel habitu, qui nobis resideat, sed gratuita acceptione nos esse justos.* Martinus Kemnitius in examine tridentini concilii, prima parte, pagina 640. editionis anni 1566. in parva forma (de qua editione semper intelligendae sunt citationes paginarum in meis libris) reprehendit concilium tridentinum, quod in qualitatibus et virtutibus infusis justificationis gratiam constituerit. Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum (qui liber, ut alibi etiam monui, multo verius inscriberetur de sexcentis mendaciis Lutheranorum, cum nihil fere contineat aliud, nisi apertissima, crassissimaque mendacia), loco sexto, numero secundo, reprehendit catechismum concilii tridentini, quod gratiam gratum facientem esse definiat qualitatem divinam in anima inhaerentem.

Ad hanc sententiam accessit Albertus Pighius, catholicos alioqui doctor, sed in nonnullis quaestionibus ut ante nos Ruardus Tapperus, vir doctissimus, annotavit, ex lectione librorum Calvini misere seductus. Sic enim Pighius loquitur in 5. lib. de libero arbitrio: *Gratiae acceptionem variam non ex scholis; sed ex divinis Scripturis petemus. Quando quidem in illis fere imaginantur gratiam Dei qualitatem aliquam increatam animae nostrae a Deo, vel eandem cum charitatis habitu, vel distinctam ab eodem. Quae commentitia universa existimo, nec ex scripturis ullam auctoritatem habere.* Haec ille.

At sententia communis theologorum tum in primum sentent. distinct. 17. tum in secundum dist. 26. et 27. constanter docet, habitum aliquem supernaturalem a Deo nobis infundi, quo anima exornetur et perficiatur, atque adeo justa Deoque grata et accepta reddatur. Quamvis enim Petrus Lombardus in 1. lib. sentent. dist. 17. charitatem non habitum aliquem, sed ipsum Spiritum sanctum esse dicere videatur, tamen in eodem libro, distinct. 37. docet cum sancto Augustino Spiritum sanctum non solum eos inhabitare, qui eum actu cognoscunt et diligunt, sed etiam parvulos baptizatos, qui eum actu neque cognoscunt, neque diligunt; ex quo sequitur, ut crediderit, Spiritum sanctum per habitum aliquem in parvulis habitare.

Idem etiam Petrus in 2. lib. sentent. distinct. 27. docet, gratiam esse virtutem nobis a Deo infusam: virtutem autem esse bonam animi qualitatem; quare Joannes Scotus in 1. sentent. distinct. 17. quaestion. 1. artic. 3. recte exponi ac defendi posse docet. sententiam illam magistri. Quam tamen sanctus Thomas in 2. 2. quaest. 23. artic. 2. et caeteri theologi magistri sententiam reprehendunt, quasi is negaverit habitum charitatis; nos utrumque, Deo volente, probabimus, et gratiam in genere, et charitatem in specie esse habitum, sive qualitatem creatam.

Neque vero haec sententia, quae habitus infusos defendit, solum theologorum, scholasticorum, sed etiam Ecclesiae totius sententia est; nam extant duorum conciliorum generalium de hac re decreta. Concilium enim viennense sub Clemente V. pontifice maximo in Galliis celebratum, ut habemus in Clementina prima de summa Trinitate et fide catholica, cum de hac re variae theologorum circumferrentur opiniones, statuit eam esse recipiendam, quae asserit infundi in Baptismo tum parvulis, tum adultis habitus gratiae et virtutum.

Concilium etiam tridentinum sess. 6. quamvis definire noluerit, sit ne gratia gratum faciens, habitus proprie dictus, an qualitas alia, tamen esse qualitatem permanentem per modum habitus, atque animae inhaerentem satis aperte definivisse videtur, cum ait cap. 7. justificationem non esse solum remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem et renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Et cum paulo infra in eodem capite addit, in ipsa justificatione cum remissione peccatorum simul infundi fidem, spem et charitatem eaque animae inhaerere. Et cum canone tertio distinguit gratiam justificationis ab actibus fidei, spei, dilectionis et poenitentiae. Et cum canone 11. definit justificationis gratiam non esse tantum externum Dei favorem, sed etiam charitatem in corde diffusam, eique inhaerentem.

Denique hanc fuisse tridentini concilii mentem, praeter alios auctores, testatur catechismus ejusdem concilii, in tractatu de sacramento Baptismi, his verbis: *Est autem gratia, quemadmodum tridentina synodus ab omnibus credendum, poena anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit.* Ac ne quis forte conetur per divinam qualitatem intelligere actionem, non habitum; paulo post idem auctor scribit, per eam qualitatem, quae in cordibus nostris diffunditur, ad omnia christianae pietatis officia nos habiles reddi. Et paulo infra adjungit, ex ea pias honestasque actiones proficisci.

CAPUT IV.

Probatur veritas capite superiore explicata.

Haec igitur vera et communis apud orthodoxos sententia probanda est testimoniis Scripturae et Patrum. Primum igitur eo potissimum testimonio probari mihi videtur, quo eam refellere conatur Calvinus in antidoto concilii, loco citato. Scribit enim Calvinus, non posse justitiam esse qualitatem nobis inhaerentem, sed imputationem solum justitiae Christi, propter illud Apostoli ad Romanos 5. *Per obedientiam unius hominis, justi constituentur multi.*

At nos per obedientiam unius Christi justos multos constitui existimamus in eo sensu, ut merito obedientiae Christi reconcilietur nobis Deus, et ab eo justitia donemur, quae sit qualitas animae nostrae infusa, et inhaerens. Id quod ex antithesi verborum Apostoli manifeste probamus, dixerat enim beatus Paulus: *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Et continuo adjecit: *Ita per obeditionem unius hominis, justi constituentur multi.* Constat autem nos non constitui peccatores per imputationem injustitiae, quae fuit in Adamo, sed per injustitiam nobis vere inhaerentem, per modum habitus, quam contraximus ob inobedientiam primi hominis, cujus filii sumus: igitur justi etiam constituimur, si quid Apostoli antithesis valet, non per imputationem justitiae, quae est in Christo, sed per justitiam nobis vere inhaerentem per modum habitus, quae nobis infunditur ob Christi obedientiam, cujus per lavacrum regenerationis filii efficimur.

Secundo: Probatur haec veritas ex verbis illis Domini, Joan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Fons enim iste Spiritus sanctus est per gratiam inhabitans, sive gratia a Spiritu sancto inhabitante diffusa, ut colligitur, tum ex cap. 7. Joannis, ubi cum Dominus dixisset: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*: subjungit evangelista: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum;* Tum ex Patribus, qui haec loca communiter exponunt de Spiritu sancto, sive de gratia ejus vivificante, haec enim duo in idem recidunt, cum Spiritus sanctus non inhabitet, nisi per effectum aliquem creatum, idest, per gratiam et charitatem; neque charitas et gratia sine Spiritu sancto inhabitante esse possit.

Itaque fontem istum aquae vivae Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 82., et Theophylactus in cap. 4. Joannis, gratiam Spiritus sancti vocant. Hieronymus in cap. 55. Isaiae, et Basilius in psalm. 45. Spiritum sanctum esse dicunt. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 19. et Joannes chrysostomus homil. 31. in Joannem, modo Spiritum sanctum, modo Spiritus sancti gratiam appellant; neque ab his dissentiunt Augustinus, et alii hujus loci interpretes.

Sed quamquam, ut diximus, in idem recidat, sive Spiritum sanctum, sive gratiam ejus, fontem illum esse dicamus, tamen magis proprie videtur hic locus exponi de ipsa gratia creata, quam de Spiritu sancto creatore. Tum quia Dominus ait: *Fiet in eo fons aquae*; Siquidem fieri ad rem creatam pertinet; Tum etiam quia ejusdem sunt generis fons et aqua ex fonte manans, et sancta opera, quae intelliguntur per aquam ex fonte fluentem, magis conveniunt cum habitu gratiae, quam cum Spiritu sancto, ut notum est.

Porro dubitari non potest, quin per fontem intelligatur aliquid permanens et fixum, ac per hoc significetur gratia inhaerens animae per modum habitus permanentis, unde fluant rivi bonorum operum, qui saliant in vitam aeternam; aqua enim tam alte ascendit, quam est altus locus, unde descendit; et quoniam fons iste de coelo descendit, ideo aquae ejus ad coelum usque perveniunt, hoc est, merentur opera justa regnum coeleste, quoniam ex gratia coelesti ac divina proveniunt.

Tertio: Probatur ex illis Scripturae testimoniis, quae significant gratiam diffundi, sive effundi in cordibus, ad Romanos cap. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effundit in nos abunde.* Certe enim tunc Spiritus sanctus abunde effunditur, cum abundanter gratia ejus donatur: effusio autem et diffusio gratiae, sive charitatis in corda hominum, non ad actionem hominis, sed ad donum Dei collatum homini, referri debet. Actiones enim effunduntur ex cordibus: *De corde enim* (ait Dominus Matthaei 15.) *exeunt cogitationes malae etc.* non effunduntur aut diffunduntur in corda, neque donum in corde effusum, externus Dei favor proprie dici potest, sed aliquid ipsum cor attingens, purgans et renovans, ut Apostolus loquitur.

Quarto: Huc pertinent etiam illa loca, ubi gratia comparatur pignori, sigillo, unctioni vel semini, rebus videlicet creatis et permanentibus, 1. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et 1. Joan. 2. *Unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Et cap. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus manet in eo*

Quid enim, quaeso, est aliud semen Dei in nobis manens, nisi charitas habitualis, ex qua fructus operum bonorum nascuntur?

Addamus nunc testimonia veterum, qui tametsi non aperte nominent habitum, vel qualitatem; tamen ita rem describunt,ut parvo negotio possit intelligi, verum esse quod ait concilium viennense, hanc sententiam testimoniis veterum esse conformem.

S. Dionysius areopagita cap. 2. part. 1. lib. de ecclesiastica hierarchia; *Primus*, inquit, *ad divina motus Dei dilectio est. Porro sacrae dilectionis ad divina mandata facienda principalis omnino progressus est secretissima illa et ineffabilis operatio,qua divinus in nobis status efficitur*; Quid, quaeso, divinus status esse potest, nisi divinum quoddam esse nobis collatum.

S. Irenaeus lib. 5. cap. 6. adversus haereses: *Cum autem*, inquit, *Spiritus commixtus anima unitur plasmati.propter effusionem Spiritus spiritalis,et perfectus homo factus est. Et hic est qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei.* Et infra saepius repetit, hominem perfectum tribus constare, corpore, anima et Spiritu Dei, idest,donis et gratia Spiritus sancti. Et certe vocabula commixtionis et infusionis, et hoc, quod est esse quasi partem hominis, rem permanentem demonstrant.

S. Cyprianus in epist. 2. lib. 2. ad Donatum: *Postquam*, inquit, *undae genitalis auxilio,superioris aevi labe detersa in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit, postquam coelitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit: Scis ipse profecto quid detraxerit nobis, quidve contuleril mors ista criminum, vita virtutum.* Infusio luminis,et haustus spiritus, et inde renovatio hominis aliquid permanens in homine significat.

S. Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 26. explicans quemadmodum Spiritus sanctus per gratiam hominem inhabitet, sic loquitur: *Sicut cernendi vis est in oculo sano,sic et operatio Spiritus in anima purgata: et quemadmodum ars est in eo qui nactus est illam, ita gratia Spiritus in eo qui recepit, semper quidem praesens, at non perpetuo operans.* Similitudo virtutis cernendi et artis, sine dubio,gratiam per modum habitus inesse animae ostendunt.

S. Ambrosius lib. 6. hexamer. cap. 8. *Utrum*, inquit, *justificatio secundum corpus, an secundum animam tibi conferri videatur, quaeso respondeas. Sed dubitare non potes cum justitia, unde justificatio derivata est,mentis tuae utique, non corporis sit. Pictus es ergo, o homo, et pictus a Domino Deo tuo, bonum habes artificem atque pictorem.Noli bonam delere picturam,non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam,sed gratia.* Pictura res est permanens,ac per hoc gratiam permanentem demonstrat.

S. Gregorius nazianzenus, oratione in sanctum lavacrum ante medium,loquens de effectu gratiae, quae confertur in Baptismo: *Novos*, inquit, *ex veteribus, ac Dei similes efficit absque igne conflans, et sine confractione irradians.*

Sanctus Hieronymus praefatione commentariorum in threnos Hieremiae,describens animam peccatricem: *Nudata*, inquit, *est domus Dei omnibus ornamentis suis. cunctisque, quae divinitus consequuta fuerat, spoliata muneribus,remansit deformis ac turpis.* Et in commentar. epist. ad Philemonem extremo: *Cum*, inquit,*in Spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem,ut et caro spiritui serviat, et anima non vincatur a carne, et redacta simul in substantiam spiritualem, adhaereant Domino, quia qui adhaeret Domino, unus spiritus est.*

S. Joannes chrysostomus hom.40. in epist.priorem ad Corinth. *Itaque*, inquit, *qui crimine, regis beneficio, absolutus est,inquinatum animum servat; quem abluit Baptisma, non item, sed solis radiis puriorem mentem habet.* Et hom. ad neophitos, quam citat s. Augustinus lib. 1. contra Julianum, scribit etiam,infantibus per Baptismum conferri sanctitatem et justitiam,quae sane nisi habitualis esse non potest.

S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis et remissione cap. 9. *Ille*, inquit, *in quo omnes vivificabuntur, praeterquamquod se ad justitiam exemplum imitantibus praebet,dat etiam sui Spiritus occultissimam gratiam, quam etiam latenter infundit et parvulis.* Hic sane negari non potest, quin s. Augustinus de gratia habituali loquatur, quae et occultissima est, et cujus solius capaces sunt animi parvulorum. Idem auctor in eodem libro cap. 3. dicit, parvulos per Baptismum converti ad Deum, cum antea essent aversi, quod intelligi nequit, nisi de conversione habituali, per infusum habitum charitatis.

S. Cyrillus alexandrinus lib. 4.commentariorum in Isaiam, orat. 2. explicans illa verba, cap. 44, *Memento horum Jacob et Israel: quia puer meus es tu, formavi te puerum etc.* sic loquitur: *Formatur item in filium Dei,intelligibiliter informatus divinarum legum scientia ad speciem effigiemque excellentem, quae virtutum ornatu in animis hominum inhaeret ac insidet, haec autem pulchritudo intelligi potest spiritualis, formatur etiam veluti in Christo per sancti Spiritus participationem,ad ipsius speciem. Scribit siquidem ad Galatas divinus Paulus: Filioli,quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatur autem in nobis Christus sancto Spiritu nobis divinam quandam formam per sanctificationem et justitiam indente, sic enim in animis nostris elucet character substantiae Dei,ac Patris reformante, ut dixi, sancto Spiritu nos per sanctificationem in ipsum.* Haec ille, qui vix poterat apertius de qualitate divina in mentibus nostris inhaerente loqui, cum eam et formam appellet, et in animo inhaerere scribat.

Eusebius emissenus,sive potius Caesarius arelatensis in sermone illo pulcherrimo de corpore Domini, qui inscribitur sermo quintus de paschate: *Teipsum*, inquit, *qui jam es renatus, interroga, dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, a salutis via, intrinsecus mortuus,exulabas. Subito initiatus Christi legibus,et salutaribus mysteriis innovatus,in corpus Ecclesiae non viden-*

do, sed credendo transisti, et de filio perditionis adoptivus Dei fieri, occulta puritate meruisti: in mensura visibili permanens major factus es teipso invisibiliter, sine quantitatis augmento.in exteriore nihil additum est, et totum in interiore mutatum est. Atque haec ex Patribus hoc loco sufficiant. Addemus plura cum ventum fuerit ad controversiam de justificatione.

Probatur ultimo haec eadem veritas rationibus. Prima ratio ex parte Dei, Deus diligit justos, et odit peccatores,ut Scripturae passim loquuntur;nulla autem mutatio in ipso Deo cogitari potest: igitur mutatio fit in homine, cum ex non dilecto incipit esse dilectus; quare concedendum est. in homine justo esse pulchritudinem aliquam veram et spiritualem, ob quam oculis Dei gratus efficitur, praesertim cum Deus non possit decipi aut errare. ut diligat injustum pro justo,et deformem pro formoso. Praeterea Dei dilectio efficax est.igitur cui Deus vult bonum, continuo ille vere efficitur bonus; nihil enim aliud est diligere,nisi velle bonum,et quidem homines multa bona cupiunt amicis, quae tamen ipsi conferre non possunt: At Dei voluntas omnipotens et efficacissima est.

Secunda ratio ex parte hominis,homo ad supernaturalem gloriam conditus, opera supernaturalia operari debet, quibus ad finem illum tendere, ac tandem pervenire queat: sed opera supernaturalia praerequirunt esse supernaturale, sive formam supernaturalem: talia enim sunt opera,qualis est forma, sive essentia,unde opera ipsa procedunt.quod in rebus omnibus cernimus; igitur dat Deus hominibus, quos justificat, formam supernaturalem, quam habitum gratiae nominamus. Et fortasse huc respexit sanctus Petrus, cum ait in epist. posteriore cap. 1.nos effici divinae consortes naturae.Certe haec est ratio s. Dionysii areopagitae, quem supra citavimus, is enim apertissime dicit in lib. de ecclesiastica hierarchia cap. 2. part. 1. non posse hominem divina operari, nisi divinum quendam statum ante recipiat; quemadmodum nec humana opera facere valemus, nisi homines simus.

Praeterea non est homo justus et sanctus eo tempore solum, quo justa et sancta opera facit, sed etiam dum cessat, dum quiescit, dum dormit: non igitur ab opere, sed ab habitu permanente justus et sanctus dicitur. Ipse etiam Aristoteles in secundo libro de moribus, cap. 4. vidit et docuit, non posse vere et proprie nominari justum, qui aliquod opus justum fecerit,sed qui justitiae habitum acquisierit.

Tertia ratio ex parte istrumentorum justificationis,quae sunt coelestia sacramenta;Baptismus non solum homines, qui usum habent rationis, sed etiam infantes, amentes, dormientes quandoque justificat, ac de infantibus quidem supra citavimus Chrysostomum et Augustinum, et possent plurimi alii huc adduci, si opus esset. At in infantibus et caeteris, qui usu rationis carent, nulla inesse potest justitia actualis; erit igitur habitualis.

Praeterea Baptismum non quomodocumque justificat, sed per modum regenerationis, sic enim legimus Joan. 3.*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto etc.* Et ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* At regenerari non est aliquid agere, sed novam naturam et divinam ac supernaturalem formam accipere, unde filii Dei nominemur et simus; justitia igitur, quae per Baptismum acquiritur,non est actualis, sed habitualis, quae per modum formae in anima inhaereat, eamque ad esse quoddam divinus et supernaturale evehat.

Denique sacramenta saltem ex communi catholicorum sententia gratiam conferunt et efficiunt,ut instrumenta Dei, non autem efficiunt actualem in nobis justitiam, ut experientia in plurimis non obscure testatur; efficiunt igitur habitualem. His igitur argumentis efficimus,gratiam justificantem esse qualitatem; quemadmodum autem idem probetur de charitate, vide infra cap.8. neque enim probare necesse est charitatem esse habitum creatum, nisi antea constet gratiam justificantem idem esse cum charitate.

CAPUT V.

Solvuntur objectiones.

Adversus ea, quae capite superiore confirmata sunt, Duae objectiones fieri solent. Prima objectio sumitur ex verbis s. Augustini,qui de gratia ita loquitur ut videatur velle eam non esse habitum,quo nos utamur, sed potius ipsum Spiritum sanctum, qui nos regat et moveat; nam in lib. 3. Hipognostici comparat liberum arbitrium nostrum jumento, gratiam Dei sessori, a quo jumentum gubernatur et regitur, et in epist. 106. scribit in operibus gratiae voluntatem nostram comitem esse, non ducem; pedissequam, non praeviam.

Respondeo: S.Augustinum loqui de gratia simul creata et increata, idest, de Deo, qui per dona sua creata sedet in nobis, et variis modis nos ducit,regit, moderatur et gubernat,non secus ac sessor jumentum. Quod Apostolus ad Roman. 8.illis verbis admonnit:*Qui Spiritu Dei aguntur,hi sunt filii Dei.* Hinc autem non tolluntur habitus creati et infusi, sed potius asseruntur et confirmantur: nam Deus per habitus illos habitat in nobis, quod de fide testatur Apostolus, cum ait ad Ephes. 3. Christum *habitare per fidem in cordibus.* Et de charitate, ad Rom. 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et s. Joannes in epist. 1. cap. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ipse etiam s. Augustinus in epist. 106. citata dicit, Gratiam in nobis augeri et perfici, id quod nisi de gratia creata intelligi nequit: *Gratia*, inquit, *meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici; comitante, non ducente; pedissequa, non praevia voluntate.*

Et quamvis habitibus,qui sunt in nobis,utamur, cum volumus, tamen indigemus praeterea divina cooperatione, directione, protectione, saepe etiam nova inspiratione novoque impulsu, et ideo recte sanctus Augustinus dicit, in operibus gratiae voluntatem nostram comitem potius quam ducem et pedissequam magis esse, quam praeviam.

Secunda objectio sumitur ex verbis ejusdem Au-

gustini, qui dicere videtur, Pelagianorum sententiam fuisse, necessariam esse gratiam habitualem, per quam evehantur homines ad statum filiorum Dei: nam lib. 1. de peccatorum meritis et remiss. cap. 18. sic loquitur: *Sed illi* (Pelagiani videlicet) *movent, et aliquid consideratione ac discussione dignum videntur adferre, qui dicunt, parvulos recenti vita editos visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere Baptismum, sed ut spiritualem procreationem non habentes, creentur in Christo, ipsius regni coelorum participes, fiant eo modo filii et haeredes Dei, cohaeredes autem Christi.* Quam sententiam Pelagianorum refert idem Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 6. et lib. 4. cap. 2. et in lib. de haeresibus cap. 88. refellit autem eam sententiam lib. 6. in Julian. cap. 4. ubi dicit, nullam esse caussam, cur infantes excludantur a regno Dei, si nullum habent peccatum, quamvis non regenerentur in Christo.

Respondeo: Nusquam ab Augustino reprehendi Pelagianos, quod regenerationem et adoptionem filiorum Dei parvulis necessariam esse dicerent ad regnum coelorum obtinendum, sed quod negarent necessariam etiam esse ad peccatum originale purgandum. Pelagiani siquidem tum in parvulis, tum in adultis gratiae necessitatem aliquam non negabant, sed non integre et perfecte ut oportebat veritatem confitebantur, agnoscebant in parvulis gratiam adoptionis; gratiam remissionis peccati originis non agnoscebant, fatebantur adultis necessariam esse gratiam remissionis peccatorum; gratiam quae naturam sanaret, et in bonis operibus faciendis, peccatisque vitandis juvaret, minime fatebantur.

Quod autem Augustinus non reprehendat Pelagianos, quod attinet ad necessitatem Baptismi in parvulis propter regnum coelorum, perspicuum est ex illis verbis lib. 6. contra Julian. cap. 4. *Agimus gratias, quia non hoc putatis: non enim ad regnum Dei natos, nisi perfundantur, idest, baptizentur, admittitis, atque ita perfundi multo melius judicatis, quam nasci.* Et ex illis in eodem capite: *Enumera quae fides vera non dubitet christiana, in quibus ea commemoras, quae pene omnia praedicamus et nos.* Et in lib. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 6. *Si parvulos*, inquit Pelagianos alloquens, *negatis attrahere, quod in Baptismo remittatur originale peccatum, tamen in illo regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis.* Non igitur hanc adoptionem et exaltationem naturae humanae per Christum Augustinus in Pelagianorum sententia reprehendit.

Quid igitur, inquies, sibi vult, cum lib. 6. in Julian. cap. 4. absurdum putat, si parvuli non baptizati excludantur a regno, si juxta Pelagianorum sententiam nullum habeant originale peccatum? Respondeo: Non judicari absurdum ab Augustino, si parvuli non adoptati in filios Dei, quamvis omni peccato carentes, excludantur a regno; sed si non adoptentur, cum nulla sua culpa meruerint excludi ab adoptione, et per hoc a regno: praesertim cum alii permulti sine ullis suis meritis gratiam adoptionis et participationem regni coelestis acquirant. Nunc enim cum quaeritur, cur ex parvulis alios Deus per Baptismum ad regnum coelorum adducat, alios sine Baptismo mori, et a regno excludi permittat; respondere solemus, ut illis misericordiam, in istis justitiam suam demonstret. At si nulla sint peccata, mirum profecto erit, si Deus infantes aliquos innocentes atque ad imaginem suam creatos, nolit in regno suo, atque ut eos ibi non habeat, sine Baptismo interire sinat, cum alios item infantes, et similiter innocentes per Baptismum adoptet in filios, et in regnum suum perducat, non sine dolore aliorum, qui excluduntur.

Hanc esse b. Augustini sententiam, perspicuum est ex verbis ejus; sic enim loquitur lib. 6. in Julianum cap. 4. respondens ad verba Juliani, qui dixerat, Deum infantibus nihil boni, vel mali merentibus regenerationis gratiam tribuisse: *Quid*, inquit, *eum offenderunt, quos pariter innocentes, mundos, a se ad imaginem suam creatos innumerabiles ab isto munere (regenerationis videlicet) alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis praevenit beneficii largitate, separans tot imagines suas a regno suo: si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei. tot innocentes imagines Dei: si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipsa separatione patientur? Postremo ubilibet sint, quomodolibet sint, sub Deo judice, qui nec fato premitur, nec personarum acceptione corrumpitur, in illius regni felicitate non erunt, ubi erunt qui pariter nihil boni, malive meruerunt, sed si nihil meruissent mali, numquam privarentur in communi caussa communione tanti boni.*

Aliae nonnullae objectiones solvendae essent; sed eae proprie pertinent ad quaestionem illam, utrum justificemur per imputationem justitiae Christi, an per justitiam nobis inhaerentem; et ad illam, utrum ad meritum vitae aeternae requiratur, ut opus procedat ex habitu gratiae gratum facientis, an satis sit, ut opus sit conforme legi Dei. Itaque in iis locis, objectiones caeteras, Deo juvante diluemus.

CAPUT VI.

Gratiam gratum facientem re non distingui ab habitu charitatis.

Altera quaestio superest, utrum habitus gratiae, de quo hactenus disseruimus, sit idem cum habitu charitatis. Quae controversia, cum ad fidem catholicam non pertineat, inter ipsos catholicos doctores, salva fide, disputari solet; sed mihi ea de caussa tractanda fuit, ut intelligatur in controversiis consequentibus quid per habitum gratiae gratum facientis intelligi velim.

Igitur quatuor sunt apud theologos de hac quaestione sententiae. Quidam enim volunt, gratiam gratum facientem esse habitum, re et ratione a charitate distinctum, et gratiam quidem in ipsa animae substantia, tamquam in subjecto sedem habere;

charitatem in voluntate. Existimant enim ita se habere gratiam ad virtutes infusas, quemadmodum se habet anima ad suas potentias, et sicut anima dat esse naturale corpori, ex ipsa autem potentiae fluunt, quae sunt actionum instrumenta. Sic etiam gratiam dare animae esse quoddam supernaturale, ex ipsa vero quodammodo fluere habitus virtutum infusarum, qui sint principia proxima operationis supernaturalis. Ita docet s. Thomas in 1.2. quaest. 110. art. 3. et 4. et qu. 27. de verit. art. 2. in 2. sentent. dist. 26. quaest. 1. artic. 3. et lib. 3. contra gentes, cap. 150. Eadem est sententia Capreoli in comment. lib. 2. sentent. Cajet. in comment. ad 1. 2. Ferrar. in explic. librorum contra gentes, Dominici a Soto lib. 2. de nat. et grat. cap. 17. et 18. et aliorum.

Alii distinctionem inter gratiam et charitatem, non realem, sed formalem constituunt, ut Alexander alensis in summa theologica part. 3. quaest. 69. mem. 2. art. 4. Albertus Magnus in 2. sentent. dist. 26. art. 3. et fortasse s. Bonaventura in 2. sentent. dist. 26. quaest. 5. et in 3. dist. 27. art. 1. quaest. 3. is enim non satis explicat, an velit re ipsa, an solum formaliter distingui gratiam a charitate; in eo tamen aperte dissidet a s. Thoma, quod tum gratiam, tum charitatem in voluntate constituit.

Alii gratiam et charitatem neque re ipsa, neque formaliter, sed tantum ratione distinguunt; Docent enim unum atque eundem habitum, qua parte subjectum respicit, atque hominem ipsum: in quo inest, exornat, Deoque gratum et amabilem reddit, gratiam nominari; qua parte respicit opus, et voluntatem promptam efficit ad Deum super omnia diligendum, dici proprie charitatem. Haec sententia est Alexandri alensis, qui forte mutavit opinionem in summa theologica, quaest. 12. de poenitentia, memb. 3. Richardi in 2. sentent. distinct. 26. quaest. 4. item Scoti, Mayronis, Gabrielis, Majoris et aliorum in eandem distinctionem, Henrici a Gandavo quodlib. 4. quaest. 10. et ex recentioribus Andreae Vegae lib. 7. in concil. tridentin. cap. 23. et duobus sequentibus.

Alii denique nihil omnino interesse volunt inter gratiam et charitatem, soloque nomine distingui affirmant, ita Durand. in 2. dist. 26. quaest. 1. num. 8.

Quamvis autem duae priores sententiae, et quarta probabiles sint, et auctores insignes ac doctissimos habeant; tertia tamen probabilior mihi esse videtur, et cum Scripturis et Patribus, et cum ipso tridentino concilio magis congruere.

Et quidem sententia quarta Durandi satis refelli videtur; Tum auctoritate omnium aliorum theologorum, qui distinctionem aliquam inter charitatem et gratiam agnoverunt; Tum etiam quia si gratia facit hominem Deo dilectum, et charitas facit eundem dilectorem Dei, ut communis conceptio et nomina ipsa testantur; profecto aliquid interest inter charitatem et gratiam; neque verum est quod scribit Durandus, fieri hominem Deo per gratiam gratum, per charitatem carum, et ideo non magis esse distincta charitatem et gratiam, quam esse carum et gratum. Nam si proprie loqui velimus, per charitatem, quam quisque in se habet, non est alteri carus, sed habet alterum carum; est enim charitas virtus, qua diligimus, non qua diligimur, quamvis possit ipsa esse ratio, cur ab altero diligamur; amor enim amorem maxime provocat. Quare gratia, qua sumus Deo cari, sive grati, distinguitur saltem ratione a charitate, qua Deum habemus carum. Priores autem illae sententiae, quae distinctionem realem aut formalem inter gratiam et charitatem ponebant, his argumentis refelluntur.

Primo: Concilium tridentinum, tametsi non voluit, quaestionem istam, ut quae ad fidem non pertineat, definire; tamen satis aperte indicasse videtur, cui sententiae magis faveret. Nam sess. 6. cap. 7. ubi proprie de hac re agit, simpliciter affirmat unicam esse formalem caussam justificationis, eamque in charitate consistere: *Deum*, inquit, *unica formalis caussa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit etc.* Et paulo post explicans quid sit illa justitia: *Quamquam*, inquit, *nemo possit esse justos, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem; nam fides nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Et paulo post, hanc fidem vivam, idest, cum spe et charitate conjunctam, esse dicit id, quod ex traditione apostolica petunt catechumeni ab Ecclesia, cum petunt fidem vitam aeternam praestantem. Et mox adjungit hanc ipsam fidem vivam esse veram et christianam justitiam, quam ceu primam stolam per Adami peccatum amissam, et per Christi obedientiam recuperatam, candidam et immaculatam jubentur renati conservare.

At certe si gratia justificans a virtutum theologicarum habitibus distingueretur, jure concilium reprehendi posset, quod hoc loco nullam de istiusmodi gratia mentionem fecisset: An non esset imperfecta et manca tanti concilii doctrina, si in explicatione justificationis illud omisisset, quod est in justificatione praecipuum? Adde quod cap. 10. idem concilium docet, justitiae incrementum ab Ecclesia postulari, cum ita orat: Da nobis Domine fidei, spei et charitatis argumentum.

Alterum argumentum sumitur a doctrina veterum patrum, qui perpetuo justitiam, qua coram Deo justificamur, eique grati, atque accepti sumus, in virtute, ac praesertim in charitate constituunt. Augustinus libro de natura et gratia cap. 42. *Charitas*, inquit, *est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia.* Et in psalm. 118. concione 26. *Justitia*, inquit, *virtus est magna animi praecipueque laudabilis.* Et mox exponens illud: *Feci judicium et justitiam. Justitiae*, inquit *nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus ejus significatum est. quis enim fecit in homine justitiam, nisi qui justificat impium, hoc est per gratiam ex impio facit justum? Unde ait Apostolus justificati gratis per gratiam*

ipsius. Facit ergo justitiam, idest, opus justitiae, qui habet in se justitiam, idest, opus gratiae.

Quo loco s. Augustinus apertissime docet, justitiam, qua justificamur a Deo, esse virtutem divinitus infusam, per quam operamur opera justa; proinde non vult esse habitum aliquem in essentia animae, qui nihil operetur, sed habitum virtutis in potentia operatrice. Vide praeterea testimonia veterum, quae citavimus in libro de statu innocentiae, cap. 2. ad explicandum discrimen inter imaginem et similitudinem Dei. Docent enim ea testimonia conditum fuisse hominem ad imaginem et similitudinem Dei, et imaginem in natura, similitudinem in probitate et justitia sitam esse: per justitiam autem virtutes, ac potissimum charitatem intelligi oportere, non dubium est.

Tertium argumentum peti potest ex divinis literis, in quibus videmus ea omnia tribui charitati, quae ab auctoribus contrarie sententiae tribuuntur gratiae, non solum absolute, sed etiam eam distingui, ut ipsi docent, a charitate. Profecto autem si in charitatem, secundum Scripturas, conveniunt ea omnia, quae soli gratiae jure tribui solent, alterum necesse est, vel in Scripturis falsam doctrinam, quod fieri non potest, contineri, vel, quod nos contendimus, gratiam a charitate aut nullo modo, aut sola ratione distingui.

Gratia proprium esse volunt, ut a charitate ipsorum opinione distinguitur, dare animae quoddam esse supernaturale, ex quo dicatur homo filius Dei per participationem et divinae consors naturae. Id vero totum Scriptura apertissime tribuit charitati, 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Et cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.*

Praeterea tunc accipit homo illud esse supernaturale cum regeneratur ac renascitur, novaque efficitur creatura. Id autem fieri per charitatem ex Scripturis, ita probatur; Semen ex quo regeneramur, est verbum Dei, 1. Petri 1. *Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili per verbum Dei vivi.* Et Jacobi 1. *Genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus.* Verbum autem proprie fidem in nobis gignit eamque vivam, quae per dilectionem operatur, ad Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Fides igitur viva, idest, cum charitate, est id, per quod renascimur, et proinde ipsa dat illud esse divinum et supernaturale, unde dicimur filii Dei.

Et confirmatur hoc ipsum ex illis Apostoli verbis ad Galat. 3. *Omnes enim filii Dei estis per fidem.* Loqui autem b. Paulum de fide viva, perspicuum est ex cap. 5. ubi cum dixisset: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, ex gratia excidistis.* Subjungit explicans quid sit ista gratia, et quid faciat filios Dei; *Nam*, inquit, *in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur.* Et cap. 6. hanc ipsam fidem vivam appellat novam creaturam, cum ait: *In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.* De qua nova creatura dicit idem Apostolus ad Ephes. 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis.*

Et confirmatur rursus ex parte eorum, qui nos regenerant, qui sunt evangelii praedicatores, 1. ad Corinth. 4. *Per evangelium ego vos genui*, ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Christus autem in nobis per fidem formatur et habitat, ad Ephes. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Fidem autem istam debere esse vivam et charitate formatam dubium esse non potest. Quare s. Joan. 1. epist. cap. 3. dicit, Deum per charitatem in nobis manere: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Sunt praeterea multa alia, quae tribui solent gratiae, quae omnia in Scripturis tribuuntur charitati. Neque aliquid afferri potest ita gratiae proprium, ut non conveniat etiam charitati; quare nulla est caussa, cur distincti habitus ponantur gratiae et charitatis, percurramus breviter singula.

Primo: Gratiae proprium esse dicunt, facere hominem Deo dilectum, at Proverbiorum 8. legimus: *Ego diligentes me diligo.* Et Joan. 14. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo.*

Secundo: Gratia dicitur esse animae vita, ut peccatum, mors, at 1. Joannis 3. legimus: *Qui non diligit, manet in morte; et nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.*

Tertio: Gratia donum illud esse dicitur, per quod in nobis habitat Spiritus sanctus. At Rom. 5. legimus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Quarto: Per gratiam a peccato justificamur. At Lucae 7. legimus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et jam antea ex Apostolo ad Galat. 6. ostendimus, novam creaturam esse fidem per dilectionem operantem, et ex tridentino concilio demonstravimus, formalem caussam justificationis esse charitatem mentibus nostris infusam. Neque ullus est theologus aut philosophus, qui justitiae nomine aliud, quam virtutem, intelligat.

Quinto: Gratia est fons et radix omnium virtutum. At Apostolus ad Roman. 13. *Plenitudo*, inquit, *legis est dilectio.* Et 1. ad Corinth. 13. *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est etc. omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet etc.* Et s. Gregorius homil. 27. in evangelia dicit charitatem esse radicem omnium operum bonorum; et s. Prosper lib. 3. de vita contemplativa, cap. 13. dicit, charitatem esse vitam virtutum, mortem vitiorum.

Sexto: Gratia separat filios regni a filiis damnationis: nullus enim cum gratia perit, nullus sine gratia salvatur. At Jacobi 1. legimus, coronam vitae repromissam esse diligentibus Deum. Et sanctus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Sola charitas*, inquit, *dividit inter filios regni et filios damnationis aeternae.*

Septimo: Gratia est donum Dei omnium maximum. At Apostolus 1. ad Corinth. 13. anteponit charitatem omnibus aliis donis. Et ad Coloss. 3. *Super omnia*, inquit, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et s. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 18. *Nullum*, inquit, *est isto Dei dono excellentius: dantur et alia per Spiritum*

sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Et serm. 50. de verbis Domini. *Adde*,inquit, *charitatem, prosunt omnia; detrahe charitatem, nihil prosunt caetera: quale bonum est charitas fratres? quid pretiosum, quid luminosius, quid firmius, quid utilius, quid securius?*

Octavo: Nihil majus gratia facere potest, quam conjungere hominem Deo. At 1. ad Corinth. 6. legimus: *Qui adhaeret Deo*,videlicet per charitatem, *unus spiritus fit cum eo.* Et 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Id quod praeclare explicat s. Bernardus serm. 83.super Cantica, ubi ostendit, nihil esse quod magis hominem Deo conjungat, quam charitatem, *qua*, ut ipse loquitur, *quasi maritatur anima Deo.*

Nono: Gratia facit amicos Deo. At Joan. 15.legimus: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.*

Decimo: Gratia formosos gratiosos facit. At charitas est vestis illa nuptialis,qua qui carent,mittuntur in tenebras exteriores, ut exponit s. Gregor. homil. 38. atque haec ex divinis literis hoc loco sufficiant.

Accedant Postremo argumenta ducta ex ratione. Prima ratio, si gratia ista distingueretur a charitate, caeterisque infusis virtutibus, quemadmodum distinguitur anima a potentiis, vel lumen rationis a virtutibus, ut s. Thom. docet, sequeretur amissa gratia per peccatum, simul amitti virtutes omnes infusas, sicut pereunte anima, pereunt necessario ejus potentiae, et sine lumine rationis nullae omnino virtutes in anima conservantur; at fides infusa non perit gratia recedente,ut catholici omnes fatentur; non igitur distinguitur,neque pendet fides a gratia gratum faciente,ut distinguuntur, ac pendent potentiae ab anima et virtutes a lumine rationis.

Neque vero satisfaciet argumento, si quis dixerit, amissa gratia remanere quidem fidem,sed non perfectam et formatam, et hoc modo solum manare eam,ac dependere ab habitu gratiae. Nam quamvis sine gratia fides imperfecta atque informis sit, est tamen habitus supernaturalis, et operationem habet supernaturalem; docuit autem s. Thomas, non posse esse in anima habitus supernaturales,et operationes supernaturales,nisi antea evecta esset eadem anima ad esse quoddam supernaturale per habitum gratiae, cum operatio praerequirat esse.

Secunda ratio:Si gratia esset habitus a charitate distinctus, id sine dubio esset propter tria quae videntur esse propria ipsi gratiae et charitati non convenire, quorum Primum est, dare animae esse divinum et supernaturale. Alterum esse proprium effectum amoris, erga hominem. Tertium esse id, quo proprie Deo gratius est, quicumque illi gratus est. At haec ipsa tria apertissime quadrant in charitatem, non igitur opus est, alium habitum quaerere.

Probatur assumptio argumenti,nam quod attinet ad esse divinum, certum est, non posse hominem participare divinum esse,nisi accidentaliter;nullum est autem accidens, quo magis participemus esse divinum, quam charitas, ac ne ipsa quidem gratia si esset, ut ponitur a s. Thoma, ita nos eveheret ad esse divinum, ut re vera charitas vehit; gratia enim illa esset accidens ordinis supernaturalis, et daret animae esse quoddam accidentarium supernaturale;at charitas praeterquamquod est accidens ordinis supernaturalis,et dat animae esse accidentarium supernaturale, conjungit animam cum Deo, quam intime atque arcte in hac vita fieri potest; quod non faceret gratia, Deus enim intelligentia et voluntate attingitur, sed intelligentia in hac vita nonnisi per fidem, et in aenigmate Deum attingit; voluntas autem etiam in hac vita immediate,et proprie Deo conjungitur per amorem.

Adde quod cum summa perfectio in Deo sit cognitio et amor, in futura vita participabimus per gloriam, divinam perfectionem visionis Dei,de qua scribit Joannes in 1. epist. cap. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*; nunc autem participamus per gratiam,perfectionem amoris Dei et proximi, de qua dicit Dominus Matth. 5.*Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri etc.*

Quod attinet ad effectum proprium amoris Dei, ille profecto charitas est,quid enim vult nobis Deus, cum nos amat, nisi id quod nobis est optimum:optimum autem nobis charitas est, ut supra ex Apostolo et Augustino docuimus.

Quod autem pertinet ad tertium, de eo quo proprie Deo grati sumus; id vero nihil est aliud, nisi charitas, siquidem in ea consistit summa similitudo ad Deum, quam in hac vita possimus habere. Deus enim diligit sibi similes, et eo nos magis diligit quo sumus ei similiores.Atque hoc est verum amicitiae fundamentum inter nos et Deum,amicitia siquidem oritur ex similitudine, cum omne simile diligat suum simile; Similitudo autem, quae est fundamentum amicitiae,non tam est similitudo naturae, quam morum et virtutum; alioqui inter omnes homines esset amicitia, et inter angelos et homines nulla esset. Porro charitas est regina virtutum, et omnibus aliis virtutibus longe praestat. Quare similitudo in charitate, est prima et summa caussa amicitiae inter nos et Deum.

Tertia ratio: Gratia proprie opponitur culpae,sed culpa est actualis et habitualis deformitas in voluntate; igitur et gratia erit habitus et actus in voluntate.

Quarta ratio: Gratia respondent gloriae, sed gloria non erit habitus aliquis in essentia animae, ut adversus Henricum theologi communiter docent, sed conjunctio cum Deo per visionem et amorem, igitur et gratia non est habitus aliquis in essentia animae, sed fides, spes et charitas ipsius animae potentiis divinitus infusae atque in illis inhaerentes.

Quinta ratio:Per gratiam formaliter justificamur; at justitia communi consensu theologorum et philosophorum, virtus animi est, et in voluntate, non in essentia animae sedem habet.

CAPUT VII.

Solvuntur objectiones.

Adversus ea quae capite superiore confirmata sunt, fieri solent non levia argumenta, quae nunc breviter et ordine diluemus.

Prima objectio sumitur ex duobus conciliis generalibus, siquidem in concilio viennensi,sub Clemente V. ut habetur in Clementina prima,de summa Trinitate et fide catholica definitum est, in Baptismo tam parvulis, quam adultis conferri informantem gratiam et virtutes. Et in concilio tridentino sess. 6. cap. 7. legimus justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum.Et canone undecimo dicitur anathema iis, qui docent, hominem justificari vel sola imputatione justitiae Christi,vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate. In quibus locis videmus semper distingui gratiam a virtutibus et donis, atque adeo ab ipsa etiam charitate.

Respondeo: Concilia ista ac praecipue tridentinum, dedita opera ita loqui voluisse videntur, ut indefinitam relinquerent quaestionem scholasticam, de distinctione gratiae charitate,et solum definirent, quod ab haereticis negabatur, nos justificari per aliquid re ipsa in anima inhaerens ; ea siquidem caussafuit, cur tridentinum concilium, nunc gratiam et charitatem,nunc solam charitatem nominaret; sed quamvis haec ita sint, tamen videntur omnino concilii Patres in eam sententiam inclinasse, quae pro eodem habet gratiam et charitatem; Nam, ut supra ostendimus,in explicatione caussae formalis justificationis,ubi maxime oportebat hujus distinctionis mentionem facere, solam nominaverunt charitatem, cum suis comitibus fide et spe.

Porro ubi concilia ista distincte nominant gratiam et virtutes, vel gratiam et dona; aut per gratiam, intelligunt charitatem, per virtutes et dona, reliquas virtutes, ac si dixissent, gratiam et caeteras virtutes, sive gratiam et caetera dona;aut certe idem significant illae voces, quemadmodum cum dicimus, aliquem esse sanctum et bonum,innocentem et justum etc. id quod in Scripturis sacris, et in Patrum libris passim fieri videmus ad rem, de qua agitur, magis explicandam.

Et hoc modo intelligendus est canon 11. concilii tridentini, ubi damnantur anathemate, qui excludunt a justificatione gratiam et charitatem,nam idem omnino significari eo loco per gratiam et charitatem, colligimus tum ex verbis sequentibus,ubi numero singulari dicitur, quae in eorum cordibus diffundatur, atque illis inhaereat: tum ex cap. 7. ejusdem sessionis, cui respondet canon iste undecimus (neque enim in canonibus nova dogmata traduntur, sed rediguntur ad formam anathematismorum ea, quae in capitibus definita fuerant) verba autem c. 7. ex quibus canon undecimus confectus est, sunt: *Id in hac impii justificatione fit, dum charitas Dei per Spiritum sanctum in eorum cordibus diffunditur, atque illis inhaeret.*

Secunda objectio dicitur ex Patribus. Proferunt autem unum tantum, sed antiquissimum et celeberrimum, is est sanctus Dionysius areopagita,qui in libro de ecclesiastica hierarchia, cap. 2. part. 1. scribit, non posse hominem operari divina, nisi prius adeptus fuerit statum , sive esse divinum, quemadmodum etiam opera humana non ante operari incipimus, quam homines esse coeperimus.

Respondeo: Recte Dionysius docet, non posse hominem operari divina,nisi ante participaverit esse divinum, sed quoniam esse divinum non potest ab homine participari, nisi per aliquod accidens , ideo infunduntur homini divinae qualitates,habitus videlicet fidei et spei et charitatis, ac per eas efficitur homo divinae consors naturae,et divina ac supernaturalia operatur.

Dicet aliquis, non solum opera divina,sed etiam habitus divini praeexigunt esse divinum, est enim habitus juxta philosophum in lib. 7. physicorum , text. 17. dispositio perfecti ed optimum,perfectum autem vocat id, quod est dispositum secundum naturam,quare cum natura humana non sit ex se disposita ad opera supernaturalia, neque ad ea naturalem proportionem habeat, necessario exigitur aliquid quod elevet, et supernaturaliter perficiat naturam humanam, ut in eam habitus supernaturales infundi queant. Praeterea sicut in rebus naturalibus distinguuntur tria, esse, posse, operari, quorum tertium a secundo, et secundum a primo dependet: sic etiam in rebus supernaturalibus distinguenda sunt tria, esse, quod habetur per gratiam, posse, quod habetur per infusas virtutes, et operari, quae sunt ipsae actiones fidei et spei et charitatis.

Respondeo: Habitus acquisiti,de quibus loquitur Aristoteles, praeexigunt naturalem dispositionem subjecti ad opus, quia non dant operari, sed facile ac prompte operari; proinde si natura sine habitu operari non posset, nihil ei prodesset habitus. At habitus divinitus infusi non exigunt naturalem dispositionem in subjecto, sed solum capacitatem naturalem, ipsi autem elevant naturam et proportionem illi conferunt ad actionem supernaturalem. Hanc autem capacitatem esse in anima rationis participe, docet s.Augustinus lib. de praedestinatione sanctorum. cap.5. cum ait: *Posse habere fidem et charitatem,naturae est hominum; habere autem, gratiae fidelium.*

Ad Illud autem, quod addebatur, in omnibus rebus inveniri esse, posse et operari.Respondemus: Id esse verum in substantiis, non in accidentibus; substantiae enim creatae non possunt per se sine instrumentis, idest, sine accidentibus operari, et ideo in eis distinguitur ipsum esse substantiale a potentiis, et potentiae ab actionibus; at vero in accidentibus non distinguuntur ista tria, cum ipsum esse qualitatis operatricis sit potentia seu virtus; proinde cum esse divinum, quod habet anima per gratiam, sit esse accidentarium , non est necessarium,ut distinguatur a virtute,sed unus atque idem habitus, ut respicit subjectum,dici potest esse supernaturale; ut respicit opus,dici potest virtus supernaturalis.

Tertia objectio ex divinis literis, Scripturae testantur, hominem per gratiam renasci, ac per hoc adipisci esse divinum, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, etc.* Et: *Quod natum est ex carne , caro est; quod natum est ex spiritu,spiritus est.* Praeterea secundum Scripturas gratia Spiritus sancti est prior charitate, ac per hoc non possunt esse idem charitas et gratia, ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ubi vides , prius dari

Spiritum, ac deinde diffundi in cordibus charitatem, ad Galat. 5. *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, etc.* 1. Joan. 4. *Non quia nos dilexímus Deum, sed ipse prior dilexit nos.* Quod si prius diligimur, quam diligamus, certe sequitur charitatem, qua Deum diligimus, posteriorem esse gratia, qua Deo grati et amabiles sumus.

Respondeo : Jam ostendimus capite superiore, nos renasci per charitatem, et accipere esse divinum, dum efficimur Deo similes in virtutibus, ac praesertim in charitate. Neque enim participare possumus esse divinum secundum aliquid substantiale, nam cum substantia sit ipsa rei natura, si substantialiter participaremus esse divinum, naturaliter essemus Dii, quod nullo modo fieri potest. Itaque s. Augustinus in lib. contra Adimantum, cap. 5. scribit, homines justos esse filios Dei: *Quia sunt Deo similes in dilectione et in sanctitate.* Et in psalm. 99. explicans ipsum titulum: *In quantum*, inquit, *in te crescit charitas, efficit et revocat te ad similitudinem Dei.* Et ipse etiam sanctus Thomas in secunda secundae, quaest. 23. art. 2. ad 2. dicit, charitatem esse vitam animae.

Quod autem attinet ad eas Scripturas, quae faciunt charitatem posteriorem gratia, Dicimus: Eas Scripturas intelligendas esse de gratia, ut significat benevolentiam Dei erga nos, non autem qualitatem aliquam, quae sit in nobis: Deus enim duobus modis nos diligit ; Uno modo, ut simus justi et sancti. Alio modo, quia sumus justi et sancti. De priore modo loquitur Apostolus ad Roman. 5. *Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ad Ephes. 1. *Elegit nos ut essemus sancti.* Et cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* De posteriore modo loquitur Sapientia, Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Et Dominus Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Et cap. 16. *Pater amat vos, quia vos me amastis.*

Jam igitur charitas, quae in nobis est, cum effectus et objectum sit benevolentiae Dei, ut effectus, est illa posterior ; ut objectum, est prior. Quare cum dicitur charitas diffundi in cordibus per Spiritum sanctum, vel cum dicitur charitas fructus esse Spiritus sancti, non significatur, dari nobis aliquod donum Spiritus sancti, ex quo procedat, atque emanet charitas, sed dari nobis Spiritum sanctum, qui est donum increatum, et ejus primum et primarium effectum in nobis esse charitatem; cum autem dicitur Deus nos prius diligere, quam diligatur a nobis, non significatur esse in nobis aliquid, unde mereamur diligi antequam diligamus; sed a Deo nos diligi, ut ex injustis justi, et ex deformibus formosi efficiamur, ut postea justi, sanctique effecti per donum charitatis, amicitia inter nos constituatur et diligamus ac diligamur.

Quarta objectio sumitur ex rationibus. Prima ratio, effectus formales gratiae et charitatis, diversi sunt, nec unus alium includit, aut necessario comitatur; nam effectus gratiae est facere dilectum, effectus charitatis est facere diligentem, et potest fieri, ut unus diligatur, et non diligat, et contra ; non igitur sunt unum et idem habitus gratiae et charitatis.

Secunda ratio: Effectus gratiae semper est in actu, dum ipsa gratia in homine perseverat, semper enim facit gratum ; at effectus charitatis non est semper in actu perseverante charitate, cum non semper actu diligamus: non igitur sunt idem charitas et gratia.

Tertia ratio: In rebus naturalibus, praeter virtutes acquisitas, est in animo lumen naturale, ex quo aliquo modo virtutes omnes manant; erit igitur etiam in supernaturalibus donis, praeter habitus virtutum infusos, lumen gratiae, ex quo habitus illi profluant.

Quarta ratio: Gratia est donum quoddam universale, quod totum hominem Deo gratum reddit, et omnia opera accepta illi facit, et omni peccato repugnat; at virtutes sunt dona particularia, quae particulares potentias in operibus ipsarum perficiunt, et certis vitiis opponuntur ; igitur non sunt idem gratia et virtutes.

Quinta ratio: Per gratiam reformatur imago Dei, quae per peccatum fuerat obscurata, at imago non est solum in potentiis, sed etiam in ipsa animae substantia; gratia igitur non est sola charitas in voluntate inhaerens, sed etiam habitus aliquis in substantia animae constitutus.

Respondeo: Ad Primam rationem facile est respondere, siquidem facere dilectum et diligentem, ab una et eadem qualitate provenire possunt, si ea diverso modo, ut supra diximus, consideretur; eadem enim charitas, ut forma inhaerens animae, facit eam formosam, et per hoc gratam oculis Dei; ut principium operationis, facit eam aptam et promptam ad diligendum; nec tamen sunt isti duo effectus formales, sed unus, illa enim propensio et promptitudo animae ad Deum diligendum, est ejus pulchritudo, quae gratam eam facit Deo ; et quamvis fieri possit, ut aliquis diligatur, et non diligat, quando fundamentum dilectionis unius, non est dilectio alterius; sed aliquid aliud, ut forma corporis, aut aliquid ejusmodi; tamen si fundamentum dilectionis unius, sit dilectio alterius, ut nos ponimus, fieri non potest, ut qui diligitur non diligat, cum ideo diligatur, quia diligit.

Ad Secundam rationem Respondemus: Effectum formalem gratiae semper esse in actu, et similiter effectum charitatis formalem. Ut enim gratia semper facit gratum, ita et charitas semper facit propensum et promptum ad diligendum; diligere autem actu quod non semper habemus, non est effectus formae, sed efficientis, sive quod est idem, non est effectus charitatis, ut dat esse formale animae, in qua inhaeret, sed ut est principium actionis.

Ad Tertiam dicimus: In rebus supernaturalibus lumen fidei esse loco luminis naturalis, ex fide enim aliquo modo spes et charitas manant, ut ex fide per charitatem formata virtutes omnes, morales, ad finem supernaturalem ordinantur.

Ad Quartam Respondeo : Charitatem dici posse donum universale, quia regina est virtutum, et radix omnis meriti, et ab ipsa actiones virtutum omnium imperantur, et nullum peccatum mortale

secum patitur; quare Apostolus ait: *Qui diligit,legem implevit*, ad Rom. 13. Et: *Charitas patiens est,benigna est etc.* 1. ad Corinth. 13. Et s. Augustinus lib. de natura et gratia cap. 70. *Charitas*, inquit, *inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta,perfecta justitia est.*

Ad Quintam dico: Imaginem Dei esse tum in substantia, tum in potentiis, sed non esse laesam, nisi quatenus in potentiis est, peccatum siquidem lumen intelligentiae obscuravit, voluntatis libertatem debilitavit, appetitum inferiorem superiori rebellem fecit, similitudinem ad Deum, quae in justitia sita erat, plane sustulit: in ipsa vero substantia animae nihil proprie operatum est: quare objectio ista postrema, videtur potius nostram confirmare, quam infirmare sententiam.

CAPUT VII.

Charitatem esse virtutem creatam, non ipsum Spiritum sanctum.

Quoniam charitatem a gratia gratum faciente, non distingui demonstravimus, ut solidius confirmetur, gratiam gratum facientem esse qualitatem, quod probatum a nobis est cap. 4. operaepretium esse duximus hoc loco refellere sententiam eorum, qui docent, charitatem, qua diligimus Deum, non esse habitum creatum, sed ipsam personam Spiritus sancti; quam sententiam supra diximus, Petro Lombardo tribui solere.

Est autem observandum, non fuisse Lombardum tam rudem et hebetem, ut existimaret actionem diligendi, quam nos producimus, quaeque charitas actualis, a theologis nominatur, esse Spiritum sanctum, sed quod docuit Lombardus,id fuit, caussam sive principium proximum dilectionis Dei, esse in nobis Spiritum sanctum, non autem habitum aliquem creatum, quales sunt habitus fidei, spei, caeterarumque virtutum;itaque hoc interesse voluit inter charitatem et alias virtutes, quod in istis, praeter actionem habitus etiam creatus,reperiatur: in illa nullus sit habitus creatus, sed ipse Spiritus sanctus immediate nos moveat ad actionem diligendi. Quam sententiam omnes theologi refellunt in commentariis suis ad distint. 17. libri primi sentent. atque in primis sanctus Thomas acriter eam oppugnat in 2 2. quaest. 23. art. 2. et in quaestionibus disputatis, quaestione de charitate, articulo primo, ubi diluit objectiones viginti quatuor,quae pro sententia Petri Lombardi fieri potuissent.

Probatur igitur charitatem esse qualitatem creatam, Primum ex testimonio illo b.Pauli ad Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In cujus loci explicatione sciendum est, ambiguum videri posse, loquatur ne Apostolus de charitate,qua nos diligit Deus, an de illa, qua nos diligimus Deum, nam commentarius, qui inscribitur Ambrosio, explicat hunc locum de charitate Dei erga nos. Contra autem Augustinus lib. de Spiritu et litera,cap. 32. et Bernardus in epistol. 107. Anselmus et alii nonnulli, in hunc locum, docent, Apostolum loqui de charitate,qua nos diligimus Deum.Plenus commentarius, de utraque, explicat verba b. Pauli, ita enim exponunt in commentario hujus loci Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Sedulius, Oecumenius, Thomas et alii.

Sed tamen proprie loqui Paulum de charitate, quae est in nobis per modum habitus,probatur hoc modo; non loquitur Apostolus de dilectione actuali, sed de re aliqua permanente. Actualis enim dilectio non diffunditur a Deo in cor nostrum, sed effunditur a corde nostro in Deum,juxta illud: *Finis praecepti charitas de corde puro*, 1. ad Tim. 1. in quo loco de actu, non de habitu agitur,actus enim est finis praecepti, non habitus; itaque charitas actualis exit de corde puro, et ad Deum tendit: Apostolus autem ad Roman. 5. loquitur de charitate, quae in cor nostrum a Deo immittitur, et in eo permanet. Rem autem istam permanentem non esse Spiritum sanctum, sed donum ejus, probatur ex voce illa,*diffusa est*,non enim convenit proprie Spiritui sancto diffundi,nisi ratione donorum suorum, quare Actorum 2. b. Petrus dicit: *Dextera igitur Dei exaltatus, effudit hoc donum, quod vos videtis et auditis*; ubi donum creatum dicitur effusum.

Idem etiam probatur ex illis verbis: *Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hic enim distinguitur Spiritus sanctus a charitate in nobis effusa, ut caussa ab effectu, quemadmodum si quis diceret:Effusa est lux in hac domo per lampadem, quae accensa est nobis. Vel effusus est odor per balsamum, quo uncti sumus; neque enim ullus diceret lucem et lampadem idem esse, neque odorem et balsamum,sed unum alterius caussam esse.

Secundo: Probatur ex testimoniis Patrum. s.Augustinus,de cujus sententia tota fere quaestio est, lib. de Spiritu et litera cap. 32. *Charitas*, inquit, *Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur, et Domini salus, qua nos salvos fecit, et fides Christi, qua nos fideles facit.* Hoc loco duobus modis docet s. Augustinus charitatem diffusam in cordibus,non esse Spiritum sanctum, sed virtutem creatam. Primo: Quia similem esse dicit justitiae, saluti et fidei. Secundo: Quia dicit,non esse istam charitatem,qua nos Deus diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Spiritus autem sanctus ex sententia Petri Lombardi, est charitas, qua Deus nos diligit, et qua nos diligimus Deum.

Idem Augustinus in lib.de moribus Ecclesiae catholicae cap. 20.scribit, charitatem esse virtutem animi nostri;quod certe non convenit Spiritui sancto. Idem in lib. de natura et gratia cap. 70. dicit, charitatem esse justitiam, qua justi sumus, et in psal. 118. concione 26. dicit, justitiam, qua justi sumus, esse virtutem animi, quam Deus in nobis efficit, et in epist. 85. ad Consentium. et lib. 15. de Trinitate c. 8. dicit, justitiam, qua justi sumus, esse formam, qua formosi ex deformibus efficimur:

at certe non recte de persona Spiritus sancti diceretur, quod sit virtus animi a Deo effecta, vel forma, qua formosi ex deformibus efficiamur.

Denique lib.15. de Trinitate cap. 18. aperte distinguit charitatem, quae est in nobis, a persona Spiritus sancti: *Dilectio*,inquit, *quae ex Deo est, et Deus est, proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Ubi non dixit dilectionem, quae proprie Spiritus sanctus est, in nobis diffundi, sed per illam diffundi in nobis charitatem Dei, qua videlicet Deum diligimus.

S. Joannes chrysostomus hom. 32. in priorem ad Corinthios, de charitate copiose disputat, ac semper eam virtutem appellat, et ut de vera virtute loquitur s. Cyrillus lib. 9. in Joannem cap. 24. distinguit charitatem,quae est in nobis,ab ea,quae est in Deo, et eam quidem, quae est in Deo, Deum esse docet,nostram autem non Deum,sed virtutem quandam,quae sit quasi forma et imago illius,quae est in Deo. Denique s. Bernardus in epist. 11. ad Carthusienses, et in libro de diligendo Deo, ultra medium: *Recte*, inquit, *dicitur charitas et Deus, et Dei donum;charitas enim dat charitatem, substantiva accidentalem.* Ubi dantem significat, nomen est substantiae; ubi donum, qualitatis.

Probatur Ultimo rationibus. Prima ratio quae est s. Thomae in 2. 2. quaest. 23. art. 2. si nullus est habitus charitatis, vel Spiritus sanctus efficit in animis nostris dilectionem, concurrente et cooperante libera voluntate, vel ea non concurrente, neque cooperante: si primum detur, sequitur actionem diligendi in nobis non esse perfectam, facilem, promptam, suavem: si detur secundum, sequitur eandem actionem non esse voluntariam et liberam,ac per hoc nec meritoriam:utrumque autem est et contra rationem dilectionis, et contra id, quod unusquisque in se experitur. Nihil enim magis voluntarium esse potest,nihil promptius, facilius, suavius charitate, neque solum secundum Scripturas actio diligendi meritoria est, sed principium et radix omnis meriti. Nam, *coronam vitae repromisit Deus, diligentibus se*, Jac. 1.

Sequi autem ex opinione illa magistri, actionem diligendi non esse voluntariam et liberam, aut certe non promptam et suavem, perspicuum est. Nam si Spiritus sanctus dilectionem in nobis efficiat, non cooperante libera voluntate, sine dubio dilectio illa voluntaria esse non poterit; si vero cooperante libera voluntate, sed absque habitu prius infuso, dilectio perfecta et prompta non erit, neque enim potentia perfectam actionem facere potest, nisi ipsa perfecta per habitum, neque potest prompte et suaviter operari,nisi ex forma, quam in se habeat,inclinetur ad operationem. Quare si voluntas humana nullam habeat formam, nullumque habitum, per quem inclinetur ad amorem Dei super naturalem, sed solum extrinsecum auxilium Spiritus sancti, sine dubio perfecte et prompte Deum non diliget.

Secunda ratio: Per charitatem efficimur filii Dei, ut supra probavimus ex epist.1. s. Joannis cap. 3. et aliis multis locis, proinde per charitatem adipiscimur esse divinum, juxta illud psal. 81. *Ego dixi, Dii estis, et Filii excelsi omnes.* Non enim est filius Dei, nisi Deus, sicut nec filius hominis, nisi homo, ergo Spiritus sanctus, si charitas est, homines, quos inhabitat, facit esse Deos, ac per hoc eis communicat naturam suam: non autem communicat personam, id enim singulare privilegium est humanitatis Christi, ut in persona divina sustentetur, communicat igitur naturam, juxta illud beati Petri in epistol. 2. cap. 1.*Ut divinae efficiamur consortes naturae.*Porro Dei natura communicari non potest, nisi per accidentariam aliquam sui participationem, idest, per formam aliquam creatam; charitas igitur est forma creata, per quam nos Spiritus sanctus inhabitat.

Tertia ratio: Spiritus sanctus non solum adultos, sed etiam infantes baptizatos inhabitat, ut s. Augustinus docet in epist. 57. ad Dardanum, efficit igitur in illis charitatem, at non actualem, igitur habitualem.

CAPUT IX.

Solvuntur objectiones.

Argumenta Lombardi partim ex Scripturis, partim ex Augustino petuntur.

Prima objectio est: Deus in Scripturis absolute charitas nominatur, 1. Joan. 4. *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Est igitur vere et proprie charitas, nam ut s. Augustinus monet lib. 15. de Trinitate cap. 17. non dictum est,Deus charitas mea, sicut psal. 58. *Tu es, Domine, spes mea.* Et psal. 70. *Tu es patientia mea*, sed simpliciter, *Deus charitas est.*

Respondeo: Non negamus, Deum absolute, vere et proprie dici posse charitatem, sed qua nos ipse diligit, non qua nos eum diligimus, quemadmodum etiam Deus sapientia et justitia recte dicitur, qua ipse sapiens et justus est,non qua nos sapientes et justi sumus.

At contra, est objectio Secunda, non solum Joannes Deum charitatem esse dixit, sed addidit: *Et qui manet in charitate,in Deo manet, et Deus in eo*, ubi loquitur tam de charitate, qua diligimus, quam de illa,qua diligimur, id enim est manere in charitate, diligere Deum, et diligi a Deo, et hanc ipsam charitatem dicit Joannes esse Deum,cum ait: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Respondeo: S.Joannes rectissime dicit,eum qui diligit et diligitur, in Deo manere et Deum in eo, non quod charitas qua diligimus, sit Deus,sicut illa, qua diligimur; sed quia inseparabiles sunt, et ubi est, ibi est etiam altera, una enim alteram trahit:nam quemadmodum s. Augustinus dicit lib. 12. Confessionum, cap. 15. justitiam Dei esse lumen illuminans, justitiam nostram lumen illuminatum, sic etiam dicere possumus, charitatem Dei esse ignem accendentem, nostram vero ignem accensum,et sicut per inseparabilitatem luminis producti a sole et solis producentis, dicere solemus, eum qui est in lumine a sole producto,esse in sole,

et solem in eo, ita quoque propter inseparabilitatem charitatis creatae, et charitatis increatae,quae est Deus, recte dicimus, eum qui manet in charitate, in Deo manere et Deum in eo, cum charitas sine Deo esse non possit.

Esse autem veram hanc explicationem, colligi potest ex duobus. Primo:Quia in eodem loco idem Joannes ait: *Qui confessus fuerit quoniam Jesus est filius Dei, in Deo manet et Deus in eo.* Nec tamen dicere auderemus confessionem fidei esse Deum, sed solum, sine Deo esse non posse, juxta illud 1. ad Corinthios 12.:*Nemo potest dicere Dominus Jesus,nisi in Spiritu sancto.* Secundo: Quia sicut Joannes scripsit: *Deus charitas est*, sic etiam scripsit: *Charitas ex Deo est.* Charitas enim quae est in Deo, Deus est; charitas quae est in nobis, non Deus, sed Dei donum est.

Tertia objectio: S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiae cap. 11. affirmat, nihil esse melius charitate, id autem, quo nihil est melius, solus Deus est, charitas igitur Deus est.

Respondeo: Cum s. Augustinus docet, nihil esse melius charitate, non loquitur absolute, sed per comparationem ad alia dona, quae in hac vita percipimus a Deo, ut ipse idem clarius explicat lib. 15. de Trinit. cap. 18. Et tamen vere et absolute etiam dici potest, nihil esse melius charitate, cum charitas quaedam, videlicet increata, Deus sit.

Quarta objectio: S. Augustinus lib. 8. de Trinitate cap. 7. ita ratiocinatur: *Qui proximum diligit, consequens est,ut ipsam praecipue dilectionem diligat; Deus autem dilectio est,consequens est ergo ut praecipue Deum diligat.* Et cap. 8. *Nemo dicat, non novi quid diligam. Diligat fratrem, et diliget eandem dilectionem, magis enim novit dilectionem qua diligit,quam fratrem quem diligit, ecce jam potest notiorem habere Deum, quam fratrem.* Et infra: *Ista contextio satis aperteque declarat eandem ipsam fraternam dilectionem non solum ex Deo, sed et Deum esse.* In his locis videtur s. Augustinus ita perspicue docere charitatem, qua nos diligimus Deum et proximum, vere esse Deum, ut nihil contra dici queat,atque hoc est potissimum argumentum Lombardi.

Respondeo: Certum est haec loca sancti Augustini, quamvis alioqui satis obscura, non esse accipienda de charitate nostra habituali,sed de actuali,et ideo nihil omnino contra sententiam nostram, vel pro Lombardo facere; nemo enim unquam sibi in animum induxit, charitatem actualem, quae est liberi nostri arbitrii effectus, esse Deum.

Loqui autem Augustinum de charitate actuali, probamus, quia dicit, eum qui proximum diligit, magis nosse et diligere ipsam dilectionem, quam proximum, quod quidem verum est de charitate actuali, non de habituali; nam qui diligit, amat ipsum diligere, et cognoscit per experientiam certam se diligere, sicut cognoscit se cogitare, videre, audire et similia. Et sine dubio magis novit se diligere, quam fratrem ipsum, quem diligit. Itaque de actuali dilectione verissima sunt,quae s. Augustinus scribit; de habituali autem nequaquam essent vera,siquidem habitus charitatis adeo non est nobis notus, ut multi putent, quamvis falso, nullum esse ejusmodi habitum.

Porro dilectionem actualem s. Augustinus Deum esse dixit, non quod sit Deus per essentiam, sed quod sit imago quaedam,et participatio divinae bonitatis, quam qui cognoscit et diligit,cognoscit et diligit Deum, non in se, sed in sua imagine. Alioqui si de Deo in se loqueretur, numquam diceret, nos videre Deum, et notiorem nobis esse Deum, quam fratrem; neque enim dubitari potest, quin Deus in hac vita non videatur, ut est in se, ab iis omnibus, qui diligunt fratres.

Non absimilis est locus in lib.12. Confessionum, cap. 25. ubi s. Augustinus dicit, nos videre ipsam aeternam et incommutabilem veritatem, quae Deus est, cum aliquod verum cognoscimus: *Si ambo*, inquit, *videmus verum esse quod dico, ubi,quaeso, id videmus? neque ego utique in te, neque tu in me, sed ambo in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate:cum ergo de ipsa Domini Dei nostri luce non contendamus. cur de proximi cogitatione contendimus,quam sic videre non possumus, ut videtur incommutabilis veritas.* Quo loco non vult s. Augustinus dicere, videri a nobis ipsam subsistentem veritatem, quae Deus est,nisi quadam quasi imagine ejus,omnis enim veritas Deum repraesentat, qui est veritas increata, incommutabilis et subsistens; idem igitur et de charitate sentiendum est,non enim Deus magis est charitas, quam veritas.Si quis plura de hac re desiderat, videat s. Thomam in quaestionibus disputatis, quaest. 1. de charitate.

CAPUT X.

Solvuntur dubitationes quaedam circa partitionem gratiae, in gratis datam et gratum facientem.

Jam vero de partitione gratiae in gratiam gratis datam, et gratum facientem, sunt etiam quaedam dubitationes, sed breves ac faciles, eas brevissime percurremus.

Primum igitur quaeri solet a theologis,sit ne gratia gratis data habitus permanens, an motio Dei transiens; nam in tertia partitione divisimus gratiam gratum facientem, in gratiam habitualem et in gratiam auxilii specialis; de gratia gratis data nihil diximus.

Respondeo: Ex novem donis gratis datis, quae enumerantur ab Apostolo 1. ad Corinth. 12. quinque videri habitus permanentes.*Sapientiam,scientiam, fidem, genera linguarum et interpretationem sermonum;* quatuor reliqua, motiones transeuntes, *gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam et discretionem spirituum.* Ratio horum omnium est, Proprium est habituum, ut qui eos habent, pro arbitrio eis utantur. Porro dubitari non potest, quin ii,qui habent donum scientiae, sapientiae et similia, iis uti possint quando velint; contra vere certum est, donum prophetiae

non semper adfuisse prophetis,sed tunc solum cum a Deo ad aliquod praenoscendum illustrabantur, ut s.Gregorius docet hom.1. in Ezechielem,et perspicuum est ex lib. 4. Regum cap. 3. et 4. ubi Helisaeus,egregius alioqui propheta,per psaltem et Dei laudem Spiritum prophetiae in se excitabat, et aperte fassus est, se ignorasse mortem filii Sunamitis; *Anima*, inquit, *ejus in amaritudine est, et Dominus non indicavit mihi.* Idem dicendum videtur de dono sanitatum et operatione virtutum. Ordinarie enim non fiunt miracula, quando volunt homines, sed quando Deus eos ad ea facienda impellit; quod si aliqui donum sanitatis habere videantur,per modum habitus,quales sunt reges Francorum , qui curant morbum strumae, quando volunt, tamen neque in iis donum illud est vere habitus, siquidem miracula non fiunt ex virtute aliqua creata, quae in hominibus inhaereat, sed ex virtute Dei, quae iis assistit, qui miracula faciunt.

Secundo quaeri potest, an gratiae gratis datae sejungi possint, vel a se invicem, vel a gratia gratum faciente.Sed quaestio facilis est.nam certum est, haec dona a se invicem separari,dicente Apostolo 1. ad Corinth.12. *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae,alii sermo scientiae etc.* Quamquam credibile sit, in apostolis omnia dona fuisse. Rursus dubitari non potest, quin a gratia gratum faciente separari queant.Posse enim esse sine charitate donum linguarum, prophetiam, sapientiam,scientiam et fidem, idem Apostolus testatur 1. ad Corinth. 13. constat autem charitatem, vel ipsam esse gratiam gratum facientem: vel ejus comitem individuam. Adhaec, Matth. 7. Dominus ait, multos dicturos in die judicii: *Nonne in nomine tuo prophetavimus, et virtutes multas fecimus?* qui tamen audient: *Nescio vos.* Et,*Discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Denique et Balaam Ariolus multa de Christo vere prophetavit, Num. 22.et 23. et Caiphas,vir alioqui perditissimus,cum esset pontifex anni illius, prophetavit, Joan. 11. Negandum tamen non est, ut plurimum gratias gratis datas, cum gratia gratum faciente conjungi , quia ut s. Gregorius docet hom. 17. in Ezechiel. ejusmodi donis servos suos Deus ornat exterius, ut appareat quid sint apud Deum interius.

Tertio quaeritur: Utrum sermo sapientiae,et sermo scientiae sint idem, quod spiritus sapientiae et spiritus scientiae,de quibus agitur Isaiae 11. Multi enim, quoniam existimant, septem dona Spiritus sancti numquam separari a gratia gratum faciente et charitate, contendunt longe diversa esse,sermonem sapientiae et scientiae,et Spiritum sapientiae et scientiae.

Nobis autem probabile videtur, parum aut nihil interesse inter sermonem sapientiae et scientiae. Et: Spiritum sapientiae et scientiae: ac per haec dona Spiritus sancti, ut a nobis accipiuntur, a charitate et a se invicem separari posse. Nam sanctus Augustinus prolixe disputans de hoc loco b. Pauli 1. ad Corinthios 12. in lib. 12. de Trinitate cap. 14. et 15. et lib. 13. cap.19. et 20. et lib. 13.Confessionum cap. 8. docet, sapientiam, de qua Paulus loquitur,esse contemplationem rerum aeternarum, scientiam autem cognitionem rerum agendarum, vel fugiendarum, quomodo etiam distinxit sapientiam et scientiam, de quibus loquitur Isaias cap. 11. in lib. 1. de serm. Domini in monte.

Ex quo intelligimus, ex sententia s. August.eandem esse sapientiam et scientiam apud Isaiam et apud Paulum; vel uno dono alterum contineri;non enim potest aliquis habere per Spiritum, sermonem sapientiae, nisi habeat per Spiritum donum sapientiae: Sermo enim sapientiae apud Augustinum, loco citato, est sermo de iis rebus quae per sapientiam cognoscuntur,debet igitur per Spiritum donum habere sapientiae, qui per eundem Spiritum sermonem habet sapientiae;certum autem est, sermonem sapientiae non esse in omnibus bonis fidelibus,nam alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae. Unde Augustinus lib.14. de Trinit. cap. 1. *Qua scientia*, inquit, *non pollent fideles plurimi, licet polleant ipsa fide plurimum?*

Igitur nec ipsa dona sapientiae et scientiae sunt in omnibus bonis fidelibus. Quod idem ex ipso b. Paulo colligi potest? Nam b. Paulus 1. ad Corinth. 13. cum ostendere vellet, gratias gratis datas,sine charitate nihil prodesse,ita loquutus est:*Si linguis hominum loquar et angelorum , charitatem autem non habuero, factus sum velut aes sonans, aut cimbalum tinniens, et si habuero prophetiam , et noverim mysteria omnia , et omnem scientiam , et si habuero omnem fidem etc.* ubi quod cap. 12. vocaverat sermonem sapientiae, explicat per illud: *Si noverim mysteria omnia,et omnem scientiam,et si habuero omnem fidem etc.* Et quod vocaverat sermonem scientiae, simpliciter vocat omnem scientiam.

Quare per sermonem sapientiae et scientiae non intelligebat Apostolus solum donum explicandi mysteria, vel dogmata, ut existimant, qui priorem opinionem sequuntur; sed ipsam cognitionem mysteriorum et dogmatum, quam qui habent, sapienter et scienter sermonem proferre possunt: cognitio autem mysteriorum et dogmatum ad ipsum donum sapientiae et scientiae separari queunt, juxta verbum Apostoli jam citatum:*Si noverim mysteria omnia etc.*

Deinde s. August. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 9. docet, timorem illum, de quo scriptum est Proverb. 1. et in psal. 110. *Initium sapientiae timor Domini*, esse unum ex septem Spiritus sancti donis, timorem autem qui est initium sapientiae, esse timorem servilem qui charitati viam parat, et illa introeunte exit: docent sancti Patres, ut Basilius in oratione de initio proverb. et alii. Vult igitur s.Augustinus dona Spiritus sancti sine charitate esse posse; s. etiam Gregorius lib. 1. Moral. cap. 32. disputans de septem donis: *Non enim*, inquit, *idem est sapere quod intelligere, nam multi aeterna quidem sapiunt,sed intelligere nequaquam possunt.* Ubi ostendit, non esse necessario connexa donum sapientiae et donum intellectus.

Adhaec, multi sunt fideles adeo rudes, ut nihil fere capiant, nisi crasso modo, et exemplis corporalibus proponatur: *Quos* (ut loquitur s. Augustinus in lib. contra epist. fundamenti cap. 4. *non*

intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit. His autem tribuere donum scientiae, vel intellectus, ridiculum plane videtur, quos tamen charitate et gratia gratum faciente destitutos esse dicere non possumus.

Postremo:Quorsum in Ecclesia necessarii essent doctores, si omnes dono sapientiae, scientiae et intellectus praediti essent? neque enim probabile est, dona ista nihil esse aliud, nisi qualitates divinitus infusas, quibus mens humana facile duci se sinat a Spiritu sancto: siquidem Scripturae et sancti Patres, per sapientiam, scientiam et intellectum,passim intelligunt cognitionem mysteriorum, aliarumque rerum, quam certum est non in omnibus esse, in quibus est charitas.

Atque haec dicta sint de Spiritu, sive dono sapientiae et scientiae, ut significant notitiam mysteriorum,quomodo accipere videntur sancti Patres,Augustinus et Gregorius. Nam si accipiantur pro quibusdam habitibus divinitus infusis, quibus mens humana recte disponitur,ut a Spiritu sancto ducatur et moveatur,ut ejusmodi dona accipit s. Thom. in 1. 2. quaest. 68. tunc dicendum erit,haec dona (ut s. Thomas recte docet) inseparabilia esse, tum inter se, tum a charitate: et aliud esse sermonem sapientiae et scientiae; aliud Spiritum sapientiae et scientiae. Sed de his nimis multa pro instituto.

Quarto quaeritur, num gratiae gratis datae sint tantum novem, ut colligi videtur ex cap. 12. prioris ad Corinth.

Respondeo: Esse multo plures,neque enim Apostolus eo loco omnes enumeravit, sed tantum aliquas exempli loco posuit. Id patet ex cap. 12. epist. ad Rom. ubi loquens idem Apostolus de eadem re, adjungit ad prophetiam gratiam docendi et exhortandi, item gratiam gubernandi, gratiam ministrandi, gratiam dispensandi,quorum donorum meminit idem Apostolus 1. ad Corinth. 12. ubi ait: *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes virtutes etc.* Itaque multa sunt et varia Spiritus sancti dona, quae ad aliorum utilitatem fidelibus conceduntur: neque opus est curiose certum numerum quaerere,cum is nusquam praecise in sacris literis indicetur.

Quinto quaeritur, utrum potestas conferendi sacramenta, sit gratia gratis data?

Sed facilis est responsio, nam etiamsi potestas illa sit aliquo modo gratia gratis data, tamen proprie non est ex genere eorum donorum: quae a theologis dicuntur gratiae gratis datae. Siquidem gratiae gratis datae cum exercentur,auctorem suum Spiritum sanctum, exterius manifestant,juxta illud 1. ad Corinth. 12. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Quicumque enim audit aliquem loquentem variis linguis,aut miracula facientem, aut prophetantem, aut efficaciter persuadentem, facile judicat auctorem illius doni, esse Spiritum sanctum: at potestas sacramenta conferendi occulta est, et potius eget fide, ut credatur inesse, quam ipsa fidem aliis rebus faciat.

Deinde gratia gratis data non tribuitur unicuique eam volenti, sed distribuitur a Deo, prout ipse voluerit, ut Apostolus docet 1. ad Corinth. 12. Potestas autem sacramenta conferendi datur omnibus, qui sacramentum Ordinis suscipere volunt. Denique potestas conferendi sacramenta datur per homines;gratiae gratis datae immediate a sancto Spiritu conferuntur.

Sexto quaeritur: Utrum gratiae gratis datae sint nobiliores, quam gratia gratum faciens?

Sed respondet Apostolus 1. ad Corinth. 12. Charitatem, quae est gratia gratum faciens, omnibus aliis donis praestare. De hac enim ait: *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Quod idem testantur s. Patres,Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. et Gregorius hom. 17. in Ezechiel. Accedit etiam ratio, quia gratia gratum faciens, immediate hominem cum Deo conjungit, et amicum ac filium Dei facit; gratiae vero gratis datae, veluti quaedam instrumenta sunt, quibus unus homo alios praeparat ac disponit, ut gratiam gratum facientem aliquando recipiant, et per eam in amicitiam Dei, et adoptionem filiorum recipiantur.

CAPUT XI.

Concedendam esse partitionem auxilii specialis in sufficiens et efficax.

De Quinta partitione, quae est gratiae,tum excitantis, tum adjuvantis, in gratiam sufficientem et efficacem, Duae sunt quaestiones.

Prior est, an haec partitio admittenda sit; Posterior, unde sumatur efficacia gratiae, sive quid proprie sit gratia efficax.

Quod ad Priorem quaestionem attinet, eam partitionem haeretici nostri temporis omnino repudiare coguntur, cum apud eos, qui a Deo moventur, necessario bene agant; qui non moventur,non possint bene agere; ac per hoc omnis Dei motio sit efficax, nulla sufficiens. Calvinus lib. 2. Institut. cap. 3. § 10. *Voluntatem*, inquit, *movet gratia, non qualiter multis saeculis traditum est, et creditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter efficiendo.* Nec aliam agnoscit gratiam, ut ex ea sectione et sequentibus perspici potest.

Eandem partitionem sine dubio Pelagiani quoque repudiabant, quippe qui existimabant, ipsum liberum arbitrium esse sufficiens auxilium perveniendi ad salutem,neque aliam agnoscebant potentiorem gratiam, ut ex Augustino intelligi potest, lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap.ultim.Ad utramque haeresim refutandam necessariam esse arbitramur hanc partitionem,quam etiam breviter confirmabimus.

Primum igitur auxilium Dei vere sufficiens adfuisse nonnullis, qui tamen reipsa conversi non sunt, ac per hoc auxilium illud efficax non fuisse, manifesto colligitur ex sacris literis.Isaiae 5.sic loquitur Dominus: *Habitatores Hierusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam, quid est quod ultra debui facere vineae meae et non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscam.* Hi, quos Dominus reprehendit,sine dubio non habuerunt gratiam illam efficacem,quae

a nullo duro corde respuitur; nam si habuissent, fructum bonum utique fecissent.

Si vero sufficientem gratiam, per quam vere et proprie converti possent, non habuissent, non vere diceret Dominus: *Quid ultra debui facere vineae meae, et non feci?* Respondetur enim, posteaquam vineam plantasti, et ex ea fructum ferre cupiebas, debuisti ea omnia circa illam adhibere, quae necessaria erant, ut ea fructum facere posset; quomodo autem omnia necessaria adhibuisti, si defuit illi sufficiens cultura, nec habuit vere quae requirebantur ad fructum faciendum?

Deinde quorsum diceret Dominus: *Expectavi ut faceret uvas*, si non dedisset ei facultatem germinandi, et omnia necessaria ad proferendas uvas? oportet igitur ut fateamur, habuisse illos homines auxilium Dei plane sufficiens ad conversionem, et ad vitam Deo gratam instituendam.

Similis locus habetur Matth. 23. *Hierusalem, Hierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos, qui ad te missi sunt quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* De quibus queritur Dominus, non habuerunt gratiam efficacem, si enim habuissent, voluissent sine dubio sub alas Domini congregari. Nec tamen caruerunt gratia necessaria et sufficienti, qua possent velle quod Deus volebat, alioqui non diceret Christus, *Volui congregare filios tuos et noluisti.* Quomodo enim voluit, et ita voluit ut queratur de nolentibus, si eos, quos sciebat per se non posse velle, non juvit ut possent velle?

Illud etiam quod legimus, Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis*, satis aperte significat quibusdam inspirari bona desideria, et ita inspirari, ut converti possint: et tamen eos nolle converti: Nam si non inspirabantur Judaeis illis bona desideria, quomodo resistebant Spiritui sancto? si non poterant resistere, cur a sancto Stephano tam acriter arguuntur?

Apostolus quoque Paulus idem ostendit, cum ait ad Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* Cur enim quaeso, Deus ad poenitentiam expectaret, quibus non dedisset sufficiens auxilium ad conversionem? ignorat fortasse, neminem posse converti; et poenitentiam agere, nisi cui vires ipse praebuerit?

Denique, ut alia multa similia loca praetream, Apocal. 3. Dominus ait: *Ego sto ad ostium et pulso, si quis aperuit mihi, intrabo ad eum.* Vel igitur ii, ad quorum cor Dominus pulsat, habent sufficiens auxilium aperiendi vel non habent; si habent, est quod volumus; si non habent, cur obsecro, Dominus pulsat? an ignorat eos aperire non posse? an stultus non esset, qui ostium vicini pulsaret, si certo sciret, neminem intus esse, qui aperire posset? Habemus igitur ex divinis literis, dari quibusdam sufficiens auxilium, quibus non datur efficax.

Possumus autem ex iisdem sacris literis demonstrare, quibusdam concedi efficax auxilium, per quod infallibiliter convertantur: Nam Joan. 6. Dominus ait: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Quod si omnis qui audit et discit a Patre, venit ad Christum, nullus est qui audiat et discat, qui non veniat; est igitur quaedam vox Patris intus in corde loquens, quae infallibiliter persuadet. Istam vocem, efficacem gratiam nominamus. Idem probant illa verba Domini Joan. 10. de ovibus suis: *Et non rapiet eas quisquam de manu mea*, ideo enim non rapiet eas quisquam de manu ejus, quia dabit illis gratiam efficacem, per quam infallibiliter convertantur, et in finem usque perseverent.

Eodem pertinet illud Apostoli ad Rom. 8. *Quos vocavit, hos et justificavit.* Loquitur enim de vocatis secundum propositum, nam paulo ante dixerat; *Omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Et mox: *Nam quos praescivit, hos et praedestinavit; quos praedestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et justificavit.* Itaque licet multi sint vocati, qui non respondent, nec justificantur, tamen qui vocantur secundum propositum, omnes respondent et justificantur. Et ideo de his absolute pronunciat Spiritus sanctus: *Quos vocavit hos et justificavit*; ista vocatio secundum propositum, quam nullus vocatus contemnit, gratia est efficax.

Hinc etiam Ezechiel. 36. Dominus dicit: *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis*; Ubi, quia de gratia efficaci sermo est, non dicit Dominus, faciam ut in praeceptis meis ambulare possitis: Sed *faciam ut ambuletis.* Dicente autem Domino: *Faciam ut ambuletis*, quis contra suspicari audebit, forte futurum esse, ut non ambulent, aut quod est idem, ambulare nolint in praeceptis, quos Deus ambulaturos esse confirmat?

Jam vero eandem partitionem, quam ex Scripturis breviter probavimus, s. Augustini testimoniis comprobemus, ac primum sufficientem gratiam, sed non efficacem habemus in lib. 83. quaestionum, quaest. 68. in illis verbis: *Ad illam coenam, quam Dominus dicit in evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate; propterea etsi quisquam sibi tribuit, quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum praemii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit.* Et ibidem asserit Pharaonem, antequam induraretur, fuisse vocatum, et potuisse venire; sed quia noluit, meruisse obdurationem.

Ex hoc testimonio habemus Duo. Unum est, non omnem vocationem esse efficacem, quia multi vocati non veniunt; Alterum, omnes vocatos habere sufficiens auxilium ad veniendum; Nam ideo juste puniri eos dicit Augustinus, qui vocati venire negligunt, quia venire poterant, cum esset hoc in eorum libera voluntate, ut venirent aut non venirent,

posteaquam per vocationem divinam veniendi vires acceperant. Nam quod vocatio, interna videlicet, sit gratia quaedam et vires praebeat voluntati,idem Augustinus clarius docet lib. 1. ad Simplicianum, quaest. 2. cum sic ait: *Noluit Esau et non cucurrit, sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle et currere vocando praestaret.nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus praestat ut velimus, aliter praestat quod voluerimus:ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo; quod autem voluerimus solus praestat, idest, posse bene agere et semper beate vivere.*

Hic audimus, Deum vocando praestare ut velimus et curramus, et nostrum velle,esse Dei et nostrum, Dei vocando, nostrum sequendo: hic etiam videmus ex Augustini sententia,Esau potuisse velle et currere, et tamen non voluisse et non cucurrisse, ac per hoc habuisse gratiam sufficientem, sed non efficacem: idem aperte docet in libro de correptione et gratia cap. 7. ubi docet, omnes justificatos posse perseverare si volunt: quod etiam definitur in concilio arausicano can. 25. et tridentino sess. 6. c. 13. Ex quo sequitur,omnes justificatos habere auxilium sufficiens ad perseverandum; quia vero re ipsa non omnes perseverant, sequitur non omnes habere auxilium efficax.

Habemus igitur in Augustino gratiam sufficientem; ostendamus etiam gratiam efficacem, libro de gratia et libero arbitrio cap. 5.*Ut Paulus de coelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur. gratia Dei erat sola, quia ejus merita erant magna,sed mala.* Libro de praedestinatione sanctorum cap. 8. *Haec,* inquit, *gratia a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Et libro de correptione et gratia, cap. 12. dicit, electis non solum dari, ut perseverare possint, si velint; sed etiam dari, ut velint, et certissime perseverent.

Accedat Ultimo etiam ratio, qua proposita partitio confirmetur, nam si non detur gratia aliqua vere sufficiens,Tria sequuntur incommoda. Primum, quod primus homo non sua culpa cecidisset. nam non habuit primus homo gratiam efficacem ad perseverandum, non enim perseveravit; vel igitur habuit sufficientem gratiam, qua stare posset,vel non habuit; si habuit, est quod nos dicimus:si non habuit, certe non sua culpa cecidit.ut sanctus Augustinus recte colligit libro de correptione et gratia cap. 9.non enim culpae adscribi potest,quod nullo modo vitari potuit.

Alterum, quod videbitur Deus amicos suos deserere, antequam deseratur ab eis, nam cum justus aliquis peccat, certe non habuit gratiam efficacem ad resistendum peccato; si enim habuisset, utique non peccasset, quod si nec sufficientem quidem habuit qua posset resistere, quomodo non fuit a Deo desertus, antequam ipse Deum desereret? absurdum autem esse amicos Dei destitui necessario adjutorio, antequam ipsi Deum cadendo deserant, testatur Augustinus libro de natura et gratia cap. 26. et tract. 2. in Joan. et Prosper in resp. 7. ad objectiones Vincentianas, et ante eos Chrysostomus homil. 80. in Joan. et post eos concilium tridentinum session. 6. cap. 11. et cap. 13.

Sed solent aliqui respondere:Deum non dici deserere, quando non dat auxilium bene vivendi,sed quando ab amicitia alicujus avertitur, et hoc modo non deserere, nisi prius deseratur; licet pro arbitrio suo auxilium illud praebeat, aut deneget.

At concilium tridentinum (ut alia interim omittamus) apertissime docet, Deum non deserere,quia non denegat auxilium: dicit enim eos qui pie, juste et sobrie vivunt, in bono posse proficere, quia Deus non deserit, nisi desertus sess. 6. cap. 11.et rursus debere omnes justos firmissimam spem in Dei auxilio collocare,quia nisi ipsi ejus gratiae desint, Deus ipsis non deerit; at si nullum esset auxilium nisi efficax,non possemus hanc spem in Deo collocare, cum quotidie videamus tale auxilium multis justis deesse antequam ipsi Deum deserant, alioqui numquam peccarent.

Tertium incommodum est, quod nemo poterit vere dicere se non fecisse tantum boni, quantum potuit; neque ullus se merito reprehenderet, quod gratiae Dei non sit cooperatus, quantum potuit et debuit; Nam si nulla sit gratia efficax, nulla erit gratia, cui ulla ex parte unquam resistatur, ac per hoc unusquisque nihil unquam minus aget, quam id sit, ad quod eum gratia divina movet. At certe sancti omnes se ipsi negligentiae et ignaviae accusare solent, ac non se cooperatos esse gratiae, ut par erat, cum gemitu confitentur.

Jam vero, praeter sufficientem gratiam, dari etiam gratiam efficacem, vel unico illo argumento confirmari potest, quia sublata gratia efficaci tollitur fundamentum divinae praedestinationis: *Praedestinatio enim,*ut ait s. Augustinus libro de praedestinatione sanctorum cap. 10. *est gratiae praeparatio, gratia vero ipsa donatio.* At praeparatio gratiae sufficientis communis est etiam reprobis.

Deinde praedestinatio non est sola praeparatio, praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, ut idem Augustinus docet libro de bono perseverantiae cap. 14. novit igitur Deus quaedam esse beneficia, quibus aliquis infallibiliter liberabitur, et ea praeparat, si is ad numerum pertinet electorum, illa autem est gratia efficax.per quam aliquis infallibiliter liberatur. Si qua sunt argumenta quae contra hanc partitionem objici possint, ea facilius in sequenti disputatione solventur.

CAPUT XII.

In qua re sit gratiae efficacia.

Sequitur Altera quaestio, unde sumatur efficacia gratiae, de qua re tres opiniones invenio, duas extremas et unam mediam.

Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu et cooperatione humana,ita, ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, et ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi

auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quae alioquin ex se non esset nisi sufficiens.

Haec opinio aliena est omnino a sententia b. Augustini, et quantum ego existimo a sententia etiam Scripturarum divinarum; Nam s. Augustinus lib. de praedestinatione sanctorum, cap. 8. dicit, gratiam, efficacem videlicet, a nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit; ubi vides, efficaciam tribui gratiae, non voluntati humanae. Et lib. de spiritu et litera c. 34. quaerens, cur Deus uni ita suadeat, ut persuadeat, alteri non ita; non respondet, quia unus consentit, alter non consentit, sed exclamat: *O altitudo divitiarum.* Itaque refert in arcanum divinae voluntatis, cur uni detur gratia efficax, alteri non detur. Et in epist. 107. ad Vitalem, reprehendit eos, qui dicunt omnes homines fuisse accepturos gratiam Dei, si non illi, quibus non datur, eam sua voluntate respuerent.

Ubi sine dubio loquitur de gratia efficaci, nam gratiam sufficientem probabimus paulo infra ex sententia s. Augustini omnibus hominibus dari; non igitur vult s. August. gratiam efficacem pendere ab humana voluntate sed a divina. Denique tam est hoc in operibus s. Augustini frequens et obvium ut supervacaneum sit id pluribus confirmare.

Quod attinet ad Scripturas sacras, verba illa Domini Joan. 6. *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me:* Satis perspicue docent, in quo sita sit efficacitas gratiae, illi enim infallibiliter veniunt ad fidem Christi, sive per fidem ad Christum, qui Patrem coelestem habent doctorem, ita ut infallibilitas effectus non habeat pro caussa studium discipuli, sed excellentiam magistri, allegat enim ibidem Dominus prophetiam Isaiae cap. 54. *Est scriptum,* inquit, *in prophetis, erunt omnes docibiles Dei.* Vel, ut clarius habetur in textu graeco διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, docti a Deo, juxta illud psal. 93. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine.* Vide Augustinum tractantem hunc locum lib. de praedestinat. sanctor. cap. 8.

Alia locus est 1. Corinth. 4. *Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti etc.* Nam si vera esset opinio istorum, fidelem ab infideli plane discerneret liberum arbitrium; Nam si duo sint, qui eundem concionatorem audiant, et eandem interius inspirationem habeant, et unus credat, alter non credat, nonne dicere poterit is qui credidit, se discerni ab infideli per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem acceperit, quam alter rejecit? nonne gloriari poterit contra infidelem, quod ipse Dei gratiae cooperatus sit, quam ille contempsit? et tamen Apostolus hoc omnino prohibet, et ideo non solum posse credere, sed etiam ipsum credere, dicit esse donum Dei, Philippens. 1. et Deum in nobis operari non solum, ut possimus velle, sed etiam ut velimus, Philipp. 2.

Denique haec opinio evertit omnino fundamentum praedestinationis divinae, quam s. Augustinus ex divinis literis solidissime comprobavit; inde enim pendet certitudo, atque infallibilitas praedestinationis, quod electis Deus efficacem gratiam praeparavit. *Quos enim praedestinavit, hos vocavit,* Vocatione illa, ut Augustinus monet in libro de correptione et gratia cap. 7. secundum propositum, de qua dictum est: *Omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Quos autem vocavit secundum propositum, hos justificavit, justificatione videlicet secundum propositum, quae adjunctam habet perseverantiam usque in finem; quos vero ita justificavit, hos magnificavit.

Quod si vocatio efficax non penderet a proposito Dei, sed ab humana voluntate, nullus locus praedestinationi relinqueretur, sed tantum praescientiae, neque Apostolus dixisset, *Ut secundum electionem propositum Dei maneret: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau odio habui,* Rom. 9. Omitto, quod esset abuti vocabulis, vocare gratiam efficacem, eamque a sufficiente distinguere, si nulla omnino in ipsa gratia distinctio esset, et totum discrimen ab humana voluntate penderet.

Est igitur alia sententia in alio extremo aliorum, qui docent gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quae determinat voluntatem ad volendum et eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum; et quia non potest fieri, ut Deus physice determinet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur et velit id, ad quod determinatur, ideo fieri non potest, ut gratia ista non habeat effectum infallibilem.

Haec opinio videtur mihi aut esse omnino eadem cum errore Calvini et Lutheranorum, aut parum ab illo distare. Et quemadmodum opinio superior destruebat gratiam efficacem, et simul praedestinationem; ita haec opinio destruit gratiam sufficientem, et simul tollit e medio liberum arbitrium; Nam ista determinatio voluntatis, quam gratia efficere dicitur, est necessaria ad hoc ut voluntas moveatur. Siquidem sine Dei concursu nihil omnino fieri potest; et ex sententia horum auctorum, Dei concursus nihil est aliud, nisi determinatio, quam Deus efficit in voluntate. Quod si gratia ista necessaria est, non igitur sine ea potest fieri actio bona, ac per hoc, nulla remanet gratia vere sufficiens, quae non sit etiam efficax, destruit igitur haec opinio gratiam sufficientem.

Quod autem tollat ex medio liberum arbitrium, ita probari potest. Nam, posita gratia determinante, non est in potestate liberi arbitrii agere vel non agere, neque est in ejus potestate, ut ea gratia ponatur, vel non ponatur, igitur necessario et non libere voluntas agit; sed quia de hac re fusius disputaturi sumus in 5. lib. hoc loco solum probare instituam non esse hanc opinionem conformem doctrinae s. Augustini. Nam qui eam opinionem sequuntur, ideo potissimum eam sequuntur, quod eam s. Augustini esse sibi persuaserint.

Igitur Quatuor argumentis demonstrari potest, s. Augustini mentem longe aliam fuisse, quam istorum sit: et simul explicari, quae sit vera sententia de efficacia gratiae. Primum argumentum sumitur ab iis testimoniis, in quibus s. Augustinus docet, gratiam efficacem consistere in vocatione, sive persuasione et illustratione interna, ac proinde ad gratiam excitantem pertinere potius quam ad adjuvantem, si per adjuvantem intelligamus physicam Dei

cooperationem. Auctores enim opinionis, quam refutare aggredimur, gratiam efficacem ponunt in illa physica Dei actione, quae producit ipsum actum volendi.

Igitur sic loquitur s. Augustinus in libro de spiritu et litera cap. 34. *Attendat, et videat,* inquit, *non ideo tantum istam voluntatem, divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter creatum est: verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et ut credamus.* Et ibidem: *His modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio si nulla sit suasio. vel vocatio cui credat, profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel dissentire proprie voluntatis est, quae res non solum non infirmat quod dictum est, quid habes quod non accepisti, verum etiam confirmat. Accipere enim et habere anima non potest dona, de quibus audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat et quid accipiat, Dei est: accipere autem et habere utique accipientis et habentis est.*

Hoc loco s. Augustinus Primum ostendit, ipsum velle bonum, esse donum Dei, non quomodo Pelagiani docebant, quia sit ex libero arbitrio, quod nobis a Deo donatum est, sed quia sit ex peculiari gratia Dei. Deinde explicat quidnam illa gratia sit, ac dicit esse suasionem, inspirationem, visorum immissionem, internam vocationem. Denique excludit opinionem illam quae docet, a Deo determinari voluntatem, ac dicit consentire vocationi et suasioni Dei vel dissentire proprie voluntatis esse.

Rursus idem Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quaest. 2. *Noluit,* inquit, *Esau et non cucurrit, sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus praestat ut velimus, aliter praestat quod voluerimus. Ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo; quod autem voluerimus, solus praestat, idest, posse bene agere et semper beate vivere. Et hic videmus, ipsum velle nostrum fieri a Deo, non per physicam actionem determinantem voluntatem, sed per vocationem, quae est moralis inclinatio et impulsio, cui libere consentimus vel dissentimus.*

Idem habemus in lib. 83. quaestionum, quaest. 68. ubi dicit Augustinus, ideo non debere sibi tribuere eos, qui ad coenam magnam venerunt, quia vocati venerunt; vocatio enim gratia fuit, sine qua venire non potuissent. Idem auctor in epist. 107. ante medium: *Si ergo,* inquit, *ita praepararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam, atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta, sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinae accommodaret assensum, proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac praedicare sufficeret, nec opus esset orare ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret.*

Vides hic, gratiam Dei efficacem, quae infidelium corda convertit, et voluntatem bonam, quam operatur in nobis, esse vocationem aliam atque secretam, quae sensum internum, idest, mentem agit atque illi persuadet, ut consensum doctrinae, quae sibi praedicatur, accommodet. Idem lib. de praedestinat. sanctorum cap. 8. explicans illud Joan. 6. *Omnis qui audivit a patre et didicit, venit ad me; Valde,* inquit, *remota est a sensibus carnis haec schola, in qua pater auditur et docet, ut veniatur ad filium; ibi est et ipse filius, quia ipse est verbum ejus, per quod sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis.*

Hic vero non solum discimus ex Augustino, gratiam efficacem esse internam suasionem, quae adhibetur cordis auribus; sed etiam discimus ex evangelio; Christus enim in evangelio de Dei gratia, quae facit nos velle credere, loquitur, cum ait: *Omnis qui audivit a patre et didicit, venit ad me.* Idem Augustinus similia habet in libro de bono perseverantiae cap. 14. quem locum citabimus in argumento quarto; idem auctor libro de gratia et libero arbitrio cap. 5. *Ut Paulus,* inquit, *de coelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, etc.* Hic etiam videmus gratiam efficacem esse vocationem.

Quae autem illa fuerit vocatio, explicat idem Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2. ad finem, ubi sic ait: *Quid volebat Saulus nisi ut invaderet et traheret, vinciret et necaret Christianos? quam rabida voluntas? quam furiosa? quam caeca? qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas, refracta saevitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem.* Illa igitur fuit vocatio efficax, immissio talis visi in mente Pauli, quo ille subito persuaderetur et vellet credere.

Denique idem auctor tract. 26. in Joan. explicans quomodo pater trahat homines ad Christum: *Ramum,* inquit, *viridem ostendis ovi, et trahis illam; nuces puero demonstrantur et trahitur.* Et mox: *Si ergo ista, quae inter delicias et voluptates terrenas revelantur amantibus trahunt, quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas; non trahit revelatus Christus a Patre? quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem?* Hic aperte videmus aptis similitudinibus explicatum, quemadmodum gratia trahat animam, non eam physice determinando, sed invitando, atque alliciendo demonstratis iis, quae congrua sunt ei qui trahitur.

Alterum argumentum sumitur ex iis locis, in quibus s. Augustinus docet gratiam Dei, quae facit nos velle, ac per hoc efficax est, esse gratiam praevenientem et adeo praevenientem, ut sine nobis operetur, proinde esse praevenientem non solum natura, sed aliquando etiam tempore. Hinc enim manifeste sequitur, gratiam efficacem non esse physicam actionem determinantem voluntatem; ea siquidem actio non potest esse prior actu voluntatis humanae, nisi prioritate naturae; et prioritate naturae, non ut significat instans in quo sit illa actio, sed tantum a quo sit: ipsa enim humana volitio, ut

sic loquar, ut a Deo est, dicitur actio Dei, nec intelligi potest, ut in aliquo instanti Deus efficiat illam volitionem, quin intelligatur in eodem instanti illa volitio fieri et esse in nobis, sicut non potest intelligi, ut Deus moveat voluntatem quin illa moveatur. Igitur in epist. 107. *Gratia*, inquit, *meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, comitante, non ducente; pedissequa, non praevia voluntate.* Et ibidem aliquoties repetit, per gratiam praeveniri voluntatem.

Ex qua sententia vidit Calvinus recte colligi, voluntatem a gratia praeparari, non autem ita determinari, ut non sit ei liberum assentiri vel dissentire, et ideo Augustini sententiam audacter rejecit, sic enim scribit in lib. 2. Institutionum cap. 3. § 7. *Sed erunt*, inquit, *qui concedent voluntatem a bono suopte ingenio aversam, sola Domini virtute converti, sic tamen ut praeparata, suas deinde in agendo partes habeat, quemadmodum docet Augustinus, omne bonum opus gratiam praecedere, et id comitante, non ducente; pedissequa, non praevia voluntate.* Et infra: *Sed quia reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiae praevenienti pedissequa voluntate obsequatur.* Haec ille.

Idem Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2. scribit, ipsum velle nostrum, et Dei esse et nostrum; Dei, vocando, nostrum, sequendo; ubi hunc vides esse ordinem. Primum Deus vocat, deinde nos vocatione accepta sequimur. Idem Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 5. *Ut apostolus Paulus*, inquit, *efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Solam vocat gratiam Dei, quia non cooperabatur voluntas humana Deo in illa actione vocandi, qua praeveniebatur et praeparabatur, ut vellet converti. Quare in eodem libro cap. 16. ita scribit: *Certum est nos velle cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod praeparatur voluntas a Domino.* Et cap. 17. *Ut velimus sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Quod antea dixerat, gratia Dei erat sola, nunc explicat per illa verba, *Ut velimus sine nobis operatur.*

Praevenit igitur Deus, et praeparat vocando, idque sine nobis. Deinde nos sequimur, non tamen sine ejus auxilio, vocationi assentiendo. Denique in epist. 107. ad Vitalem, explicans illud psal. 37. *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet.* Observat, primum dictum esse, gressus hominis a Deo dirigi, deinde additum hominem velle: *Quia*, ut ipse loquitur, *voluntas bona donum Dei est, qui gressus hominis propterea primitus dirigit, ut viam ejus velit.* Itaque primum dirigit Deus gressus, praeparans voluntatem interna inspiratione ac suasione, deinde ipsa voluntas praeparata inspirationi ac suasioni, libere volendo assentitur.

Tertium argumentum sumitur ex omnibus illis locis, quibus capite superiore probavimus, dari gratiam sufficientem distinctam ab efficaci. Nam fieri non potest, ut detur gratia vere sufficiens, quae simul non sit efficax, si gratia Dei physice determinat voluntatem; ista enim gratia praesente et operante, habet homo gratiam efficacem; ista absente, ne sufficientem quidem habet.

Postremum argumentum sumitur ex illis locis, in quibus idem s. Augustinus ostendit unde fiat, ut gratia sit efficax, licet non determinet physice, sed tantum moraliter, per modum suasionis: sunt autem Duo loca praecipua. Locus Prior est in lib. 1. ad Simplician. quaest. 2. *Igitur*, inquit, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat iis, qui sequuti sunt vocationem.* Et infra: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Posterior est in lib. 2. de bono perseverantiae c. 14. *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant. Et tamen si Dei altiori judicio a perditionis massa non sunt gratiae praedestinatione discreti, nec ipsa ei adhibentur, vel dicta divina vel facta per quae possent credere, si audirent utique talia vel viderent.*

Praeter haec duo loca, sunt etiam alia, ex quibus hoc idem colligitur, nam in libro de spiritu et litera cap. 34. cum dixisset s. Augustinus, Deum internis inspirationibus agere cum anima, ut velit, et hac de caussa ipsam voluntatem bonam esse donum Dei, subjungit: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadetur, illi autem non ita duo sola occurrunt interim, quae respondere placet, o altitudo divitiarum, et, numquid iniquitas apud Deum?* Ubi potuisset s. Augustinus respondere, uni persuaderi, alteri non ita, quia unus vult assentiri, alter non vult; sed quoniam noverat, posse Deum etiam nolenti assentiri facile persuadere, et ex nolente facere volentem, si vellet ei proponere, quae scit menti ejus et ingenio congruere; ideo ad arcanum divini consilii retulit dicens: *o altitudo divitiarum.*

Idem Augustinus hoc ipsum satis aperte declarat tract. 26. in Joan. ubi explicat, quomodo Deus trahat homines ad fidem, et faciat eos velle credere, nam quemadmodum pastor trahit ovem cum demonstrat ei ramum viridem, quo scit illam delectari, et pueros parentes alliciunt ostensis nucibus, quae aetati illi congruunt: sic etiam, Augustini sententia, Deus homines trahit inspiratione interius oblata, qualem scit aptam esse, ut ab eis non respuatur; quomodo lib. 1. ad Simplician. quaest. 2. in fine, idem Augustinus scribit, apostolum Paulum continuo a Deo fuisse conversum, quia fecit, ut tale visum menti ejus occurreret, quale requirebatur, ut mens illa et voluntas refracta saevitia, retorqueretur et corrigeretur ad fidem.

Denique omnia testimonia in primo argumento allata huc pertinent. Neque enim intelligi potest, quo pacto gratia efficax consistat in illa interna suasione, quae per liberum arbitrium respui potest, et tamen infallibilem effectum habeat, nisi addamus, Deum iis, quos efficaciter et infallibiliter trahere decrevit, eam suasionem adhibere, quam vi-

det congruere ingenio eorum, et quam certo novit ab eis non contemnendam.

CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones quaedam adversus ea, quae dicta sunt de gratia efficaci.

Occurrunt tria, quae objici possent adversus ea, quae in superiore capite disputavimus.

Primum est gratiam efficacem non videri in illustratione et inspiratione, seu vocatione ac suasione constituendam, quod ista omnia ad legem et literam, non ad gratiam et spiritum pertineant; quid enim interest inter suasionem istam internam, et concionem externam? et tamen externa concio litera est, non spiritus.

Respondeo: Multum omnino interesse inter gratiam internae suasionis, et concionem externam; nam concio externa admovetur auribus corporis, concio interna auribus cordis.

Deinde: Concio externa solum proponit objectum, sed non infundit lumen menti ad illud cognoscendum, neque aspirat affectum ad illud diligendum; at interna ac divina suasio aliquando proponit objectum, quod est illi commune cum externa; saepius autem utitur externa pro instrumento; semper autem lumen infundit, et afflat initium bonae voluntatis, quod est quasi semen, unde postea oritur fructus voluntatis perfectae et deliberatae; quamvis autem proponere objectum per se non ad spiritum, sed ad literam pertineat, tamen ad gratiam pertinet, ut ea lectio, vel concio occurrat, quae est accommodata hominis ingenio, praesertim si accedat internus doctor, qui aperiat cor intendere his quae audiuntur, aut leguntur, ut de Lidia purpuraria loquitur Scriptura, Actor. 16.

Denique gratia interna non solum excitat per illustrationem et aspirationem boni desiderii, sed etiam adjuvat voluntatem, eique cooperatur etiam physice ad eliciendum actum voluntatis deliberatae, quamquam gratia magis dicitur efficax, ut supra demonstravimus, ex illa excitatione, quae proprie vocatio dici solet, quam ex cooperatione physica. Vide Augustinum in epist. 107. de spiritu et litera cap. 34. et de praedestinatione sanctorum, cap. 8. in quibus locis aperte tribuit gratiae et spiritui, ut distinguitur a lege et litera, internam suasionem, quam nos gratiam excitantem appellamus.

Secunda objectio: Si gratia efficax est interna suasio, qua ita vocatur aliquis, ut aptum est ei, ut vocantem non spernat; gratia sufficiens, ut ab efficaci distinguitur, nihil erit aliud, nisi interna suasio, qua ita vocatur aliquis, ut aptum ei non est, ut vocantem non spernat. Atqui absurdum videtur, ut Deus vocet aliquem, ut aptum ei non est, ut vocantem non spernat, sive, ut tunc vocet, quando videt non sequuturum, et non vocet quando videt sequuturum.

Respondeo: Certum esse vocari a Deo multos, ut aptum eis non est, ut vocantem non spernant, et eo tempore, quo Deus videt illos non sequuturos, et non vocari eo tempore, quo praevidentur sequuturi, si vocarentur. Nam Dominus Matth. 11. dicit, Tyrios et Sidonios poenitentiam acturos fuisse in cinere et cilicio, si ea signa vidissent, quae Galilaei videbant, qui tamen iis visis non convertebantur. Itaque Dominus signa fecit coram Galilaeis, eosque vocavit, quando vidit eos non convertendos, et noluit signa facere coram Tyriis et Sidoniis, eosque vocare quando videbat eos convertendos, si per ea signa vocati fuissent.

Neque dubitari potest, quin ii qui arguuntur restitisse Spiritui sancto, Actor. cap. 7. vocati fuerint a Spiritu sancto eo modo et eo tempore, quo videbat eis non aptum esse ut obedirent. Nam vocatos esse et non obedivisse, certum est, quia alioqui non reprehenderentur, quod Spiritui sancto restitissent: praescivisse autem Spiritum sanctum eos non obeditutos, si illo modo et illo tempore vocarentur; nec defuisse Spiritui sancto potentiam, qua vocare posset eo tempore et modo, quo videbat illos sequuturos, quis negare audebit, nisi sapientiam aut potentiam Dei infinitam negare velit? vocavit igitur quomodo et quando vidit non sequuturos, et non vocavit quomodo et quando vidit sequuturos.

Quod autem Deus facit, absurdum videri non debet, etiamsi caussam ignoremus: quamquam in hac re non omnino caussam ignoremus, ut ex Augustino colligi potest in epist. 106. et alibi. Deus enim reprobos non vocat, quando videt sequuturos, quia non tenetur ita eos vocare, et juste potest deserere, cum natura sint filii irae. Vocat autem quando videt non sequuturos, tum ut ostendatur vis liberi arbitrii, tum propter electos, ut ipsi in perditione aliorum intelligant, quam gratiam acceperint a Deo, qui eos non solum vocavit, sed ita vocavit, ut videbat infallibiliter sequuturos. Neque reprobi culpam ullam suae inobedientiae in Deum referre possunt, cum non praescientia Dei, sed ipsorum voluntas caussa fuerit, ut vocationi non acquiescerent.

Tertia objectio: Videtur ista explicatio gratiae sufficientis et efficacis, quam nos tradidimus, aut parum, aut etiam nihil differre ab opinione illa, quae efficaciam gratiae, non tam in ipsa gratia, quam in voluntate humana ponit. Quam opinionem initio superioris capitis refutavimus.

Respondeo: Sententiam nostram, quam s. Augustini esse demonstravimus, aliqua in re cum prima illa opinione convenire, sed in multis ab illa discrepare. Convenit enim in eo, quod utraque sententia gratiam sufficientem et efficacem ponit in auxilio excitante potissimum, non in adjuvante: Sed discrepant inter se, quod prima opinio vult efficaciam gratiae pendere a voluntate humana, nostra vero, pendere vult a voluntate Dei.

Et, si proponatur quaestio, Utrum si duo homines habeant eandem omnino gratiam excitantem et adjuvantem, saltem in actu primo, et eundem concionatorem audiant, et eadem signa videant: Utrum, inquam, fieri possit, ut unus credat, alter non credat: Prima illa opinio respondebit, fieri posse, quia libera voluntas manet, et potest pro arbitrio gratiam sequi, vel ei resistere. Quae responsio contradicit

Apostolo, qui 1. Corinth. 4. prohibet fideli ne infletur adversus infidelem, et rationem reddit, quia fides, quae eos discernit, est donum Dei, quod illi est datum, et alteri non est datum. *Quis enim*, inquit, *te discernit? quid habes quod non accepisti; si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

At nostra sententia respondebit: Posse quidem fieri, ut duo homines eadem interna motione accepta eundem concionatorem audiant,et eadem signa videant, et unus credat, alter non credat, tamen non posse fieri, ut si eandem omnino gratiam excitantem duo homines accipiant, unus credat alter non credat. Siquidem ad gratiam non solum pertinet motio, sive excitatio interna, sed circumstantia loci, temporis, personae etc.Si enim eadem motione accepta unus credit, alter non credit, sine dubio unus accepit motionem eo modo,loco et tempore, quo Deus praevidit ejus ingenio congruere, alter non ita accepit;ac per hoc longe majorem habuit Dei gratiam, is qui credit, quam qui non credit.Qui enim non credidit,habuit gratiam per quam posset credere; qui autem credidit, habuit gratiam qua posset et vellet credere.Tunc enim Deus in nobis operatur velle, cum ita vocat,ut videt sequuturos.Et ideo vere non potest fidelis adversus infidelem gloriari aut inflari, quia qui eum principaliter discernit ab infideli, non est ipse per liberum arbitrium, sed Deus per gratiam efficacem, quam ei dedit et alteri non dedit.Vide Augustinum libro de praedestinatione sanctorum cap. 5.

Dices:Si ponamus id quod ponit Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. duos videlicet in omnibus pares, tentatos eadem tentatione, eodem modo,loco, tempore, et aeque affectos, et tamen unus resistat, alter cadat; nonne caussa diversitatis referenda erit in liberum arbitrium? ut eo loco refert Augustinus: nam sine dubio etiam gratia fuit aequalis,si vocatio data est utrique eodem modo, loco et tempore, et cum essent aeque affecti, alioqui non fuissent in omnibus pares.

Respondeo: Caussam diversitatis referendam esse in liberum arbitrium, ut Augustinus eo loco recte probat, sed non primam caussam; nam prima caussa fuit, quia Deus uni dedit inspirationem, quam praevidit ab illo per liberum arbitrium amplectendam, alteri dedit eandem, sed quam praevidit ab eo per liberum arbitrium rejiciendam.

CAPUT XIV.

Quae sit proprie gratia operans.

De Sexta partitione gratiae in operantem et cooperantem, non levis est quaestio,quam sane peperit obscuritas verborum s. Augustini, a quo eam partitionem theologi acceperunt, et apostoli Pauli, unde eam Augustinus accepit. Apostoli verba sunt in epist. ad Philippenses cap. 2. *Deus est,qui operatur in vobis velle et perficere, pro bona voluntate.* Quae verba sic explicat Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 17. *Ipse ut velimus, operatur incipiens,qui volentibus cooperatur perficiens.* Et mox: *Ut velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus,et sicut volumus,ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Multae sunt hujus partitionis expositiones.

Primum enim theologi scholastici, gratiam operantem vocant ipsum habitum gratiae, ut formaliter nos justos et gratos Deo facit; id enim Deus in nobis sine nobis facit. Gratiam cooperantem esse volunt eundem habitum,ut operis meritorii principium est; cum enim opera bona facimus, non sola gratia operatur in nobis, sed et nos ipsi vere operamur.

Haec doctrina verissima est, et eam inferius suo loco adversus haereticos propugnabimus; sed tamen non proprie partitio gratiae operantis et cooperantis, ut ab Apostolo et Augustino accepta est, ad habitum gratiae,sed potius ad auxilium speciale pertinere videtur. Neque enim Apostolus et Augustinus tribuunt gratiae operanti,ut faciat hominem justum,sed ut faciat eum velle et desiderare justitiam: neque efficientia sive operatio proprie dici potest id, quod gratia non efficienter sed formaliter facit.

Est igitur alia explicatio, quod gratia operans non distinguatur a gratia excitante, neque cooperans ab adjuvante; et quia gratia excitans inspirat initium quoddam bonae voluntatis,ad quod non libere concurrimus; gratia adjuvans juvat ad assensum praestandum et eligendum, quod Deus inspiravit, in quo plane liberi sumus: ideo dictum esse volunt auctores hujus sententiae, Deum in nobis sine nobis efficere ut velimus, nobiscum autem cooperari cum volumus; ubi per illud,*ut velimus*, intelligunt imperfectum et indeliberatum desiderium; per illud, *cum volumus*, intelligunt perfectam et deliberatam electionem.

Haec explicatio non videtur satisfacere verbis Apostoli et s. Augustini;uterque enim tribuit gratiae operanti, tamquam effectum proprium, non illud velle indeliberatum et imperfectum, sed velle deliberatum, unde opera bona nascuntur: *Deus* (inquit Apostolus) *operatur in nobis velle et perficere.*Ubi non distinguitur velle indeliberatum a velle deliberato, sed voluntas ab exequutione. Et s. Augustinus: *Ut velimus*, inquit, *sine nobis operatur, cum autem volumus,et sic volumus ut operemur nobiscum cooperatur.* Ubi cooperatio adjungitur operi nostro ex perfecta, ac per hoc, deliberata voluntate prodeunti.

Alia explicatio aliorum est, gratiam operantem esse eam, quae tribuit actum internum,cooperantem quae tribuit externum. Quae videtur esse s. Thomae in 1. 2. quaest. 111. art. 2.

Sed non videtur requiri gratia aliqua specialis ad actum externum; ubi enim aliquid efficaciter volumus, membra corporis ad nutum obediunt, et ideo s.Augustinus in eodem libro de gratia et libero arbitrio cap. 16. dicit, petendum esse a Deo, ut tantum velimus, quantum necesse est, ut volendo faciamus et cap. 17. dicit, eos qui volunt mandata servare, et non possunt, ideo non posse,quia pravam habent voluntatem. Et breviter, in utroque capite hoc docet, posita efficaci voluntate, nullam remanere difficultatem;itaque sufficit auxilium ge-

norale ad opus externum perficiendum, quod auxilium non dicitur proprie gratia, neque operans, neque cooperans.

Dicendum igitur est: Gratiam operantem illam esse, quae efficit in homine primum actum deliberatae voluntatis, qualis est conversio, sive ab infidelitate ad fidem; sive a peccatis caeteris ad poenitentiam: gratiam vero cooperantem esse illam, quae efficit consequentes actus voluntatis, quales sunt, velle orare, velle quaerere sacerdotem, velle bona opera facere et alii similes. Quos continuo sequuntur actus externi, ita ut gratia operans nihil sit aliud, nisi auxilium speciale efficax respectu primi actus voluntatis; gratia vero cooperans sit auxilium speciale respectu actuum sequentium.

Sed quaestio est, eaque non levis: Quomodo sit intelligendum, quod s. Augustinus ait, primum actum deliberatae voluntatis fieri sine nobis. Quomodo enim fit sine nobis, quod nostra libera deliberatione et electione efficitur. Neque enim audiendi sunt Lutherani et Calvinistae, qui contendunt actus bonos internos ita fieri sine nobis, ut non sint actus liberi arbitrii; neque nos eos proprie faciamus, sed immissos a Deo necessario recipiamus. Hunc enim errorem postea suo loco copiose refellemus.

Neque dubitari potest quin ista eorum sententia alienissima sit a mente s. Augustini, de cujus verbis nunc laboramus. Nam in lib. 1. ad Simplic. quaest. 2. *Ut velimus*, inquit, *et suum esse voluit, et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* Item lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. *Homo*, inquit, *praeparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor.* Et paulo post; *Quamvis nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere; os non possumus aperire, tamen os aperimus illius adjumento, et opere nostro; nam quid est praeparare cor et os aperire, nisi voluntatem parare?* Item tract. 72. in Joan. *Credenti in eum qui justificat impium, deputatur ejus fides ad justitiam, in hoc opere facimus opera Christi, quia et ipsum credere in Christum opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non tamen sine nobis.* Item in eodem loco: *Operanti in se Christo cooperatur homo ad salutem aeternam ac justificationem suam.* Haec ille. Non igitur dubitari potest, quin s. Augustinus nihil commune habuerit cum sententia haereticorum, qui nos passive tantum concurrere existimant ad actus pietatis internos.

Caeterum si haec ita se habent, quaestio initio proposita magis jam implicata videtur; nam ex eodem Augustino audivimus, ipsum, ut velimus, Deum operari sine nobis, et non operari sine nobis, Deum solum id operari, et nos ei cooperari; et alia, quae pugnantia esse videntur.

Igitur observandum est, Deum secundum quoddam genus caussae, esse moventem respectu ipsius velle deliberati, et voluntatem non esse moventem, sed tantum motam; cum tamen secundum aliud caussae genus, ad eundem actum volendi producendum Deus concurrat ut movens, voluntas autem tum ut mota, tum ut movens, et ideo utrumque verum esse, Deum operari ipsum velle deliberatum sine nobis, et non operari sine nobis.

Nam si consideremus caussam efficientem et physicam illius actus, ea non solum est Deus per auxilium speciale, sed etiam voluntas per liberum arbitrium, et hoc modo illud velle, est Dei et nostrum, et nos in eo cooperamur Deo, et Deus illud operatur non sine nobis, ut s. Augustinus loquitur in locis paulo ante adductis contra haereticos.

At si consideremus caussam illius ejusdem actus moralem, idest, caussam moventem suadendo, hortando, consulendo, ea solus est Deus; voluntas autem secundum hoc genus caussae non est movens, sed tantum mota. Non enim ipsa se voluntas impellit suadendo et hortando, ut velit quod non vult, sed Deus per inspirationes suas intus animae loquens, ei suadet et persuadet, ut velit. Haec est igitur gratia operans, quae praevenit conatum et industriam nostram, et operatur ut velimus, quod antea nolebamus, sine nobis operantibus ut velimus, non tamen sine nobis libere consentientibus dum volumus.

Atque hinc intelligemus, cur ad primum actum voluntatis tantum, requiratur gratia operans, ad reliquos autem non sit necessaria operans, sed cooperans; nam posteaquam coepimus velle converti ad Deum, jam nos ipsi non tantum per liberum arbitrium producimus Deo juvante reliquos actus, sed etiam nos incitamus et impellimus, Deo cooperante, ad eos.

Ac ut corporali similitudine rem illustremus, sit aliquis cui expediat navigare in orientem, et tamen nolit id facere; si quis ad eum accedat, eique multis allatis rationibus tandem persuadeat, et de nolente volentem faciat; deinde ubi eum velle navigare cognoverit, procuret illi navem, pecunias et caetera, quae navigantibus sunt necessaria; is profecto vere dicere poterit, ego solus feci, ut iste navigationem suscipere vellet; nam etiamsi alter rationes allatas audierit, atque apud se expenderit, et tandem assensum praebuerit; non tamen ipse sibi persuasit, neque se ipse movit, sed amicus ejus illum movit eique persuasit.

Caeterum quod attinet ad exequutionem voluntatis, non potest amicus ille dicere *Ego solus detuli istum in orientem*, sed solum *ego illum adjuvi et cooperatus sum ut commode navigaret.* Siquidem ille qui ab amico persuasus navigare decrevit, sine dubio non sibi ipse defuit, sed cogitare coepit, quid facto opus esset, et conatum atque industriam adhibere ad futuram navigationem.

Hanc esse veram hujus distinctionis explicationem ex ipso Augustino colligi potest; Nam in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 5. sic loquitur: *Ut apostolus Paulus de coelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala.* Ubi soli gratiae tribuitur conversio b. Pauli, ac per hoc fuit illa gratia operans, non quia Paulus non concurrerit libere consentiendo, et per liberum arbitrium actum illum conversionis active producendo, sed quia merita ejus erant magna sed mala, id est, quia non praecesserat ante conversionem ullum meritum, sive studium aut conatus ad conversionem; solet enim Augustinus meritum appellare quemlibet actum bonum, ratione cujus ali-

quid aliud accipimus; ut perspicuum est ex epist. 105. et 106. ubi dicit, solam fidem dari sine ullo merito praecedente, quia eam nullus bonus actus praecedit: remissionem vero peccatorum non dari sine merito, quia fides orando illam meretur. Itaque in libro de gratia et libero arbitrio, cap. 14. *Fides*, inquit, *et non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur*. Et paulo ante dixerat, se fidem appellare voluntatem credendi.

Itaque gratia operans est, quae facit nos velle credere, quia id in nobis fit sine nobis petentibus, ac multo minus laborantibus et conantibus; gratia cooperans est, quae facit nos velle orare, jejunare, eleemosynas dare et sacramenta requirere, quia, id non fit nisi conatu atque industria nostra cooperante. Hinc idem Augustinus in eodem libro cap. 17. non dicit, Deum operari, velle nostrum sine nobis, sed operari, ut velimus sine nobis, nos enim cooperamur Deo volendo, idest, libere producendo actum volendi, sed non cooperamur faciendo ut velimus. Quia non ipsi nos movemus et incitamus ad volendum, sed ipse solus interna inspiratione nos movet atque impellit.

Fortasse etiam sanctus Thomas non est alienus ab hac expositione; quamvis enim loco citato 1. 2. quaest. 111. art. 2. retulerit gratiam operantem ad actum internum, cooperantem ad externum; tamen probabile est, per internum actum eum intellexisse primum internum, per externum autem intellexisse alios consequentes, quos externi sequuntur; Nam in eodem articulo docuit, gratiam operantem necessariam esse in conversione, cum voluntas primo de mala fit bona, et ibidem docuit, gratiam cooperantem esse necessariam ad actus exteriores, quia ii fieri non possunt, nisi Deus confirmet voluntatem in bono et praebeat facultatem bene operandi.

Non igitur s. Thomas voluit, gratiam cooperantem simpliciter referri ad actus exteriores, sed ad interiores, ut ex iis pendent exteriores, et hoc modo cum b. Paulus dicit Deum operari in nobis velle et perficere, per vocem, *perficere*, non est intelligenda sola exequutio externa, sed tam interna quam externa opera, quae nascuntur ex primo actu voluntatis. Et cum s. Augustinus scribit Deum operari in nobis ut velimus, cooperari autem cum ita volumus ut faciamus, per illud, *faciamus*, non est accipienda actio tantum externa, sed etiam opus internum ut oratio, contritio etc.

LIBER SECUNDUS

DE

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

CAPUT PRIMUM

Proponitur quaestio, an auxilium sufficiens omnibus detur.

Expeditis quaestionibus circa partitiones gratiae, tractanda est gravis illa controversia, de communicatione gratiae et praedestinatione divina, videlicet an gratia sufficiens ad salutem detur hominibus, et, si ita sit, quomodo salvetur gratuitae praedestinationis veritas. Cujus controversiae explicatio omnino necessaria est ad sequentes disputationes, de libertate arbitrii et gratiae necessitate. Sunt autem duae sententiae contrarie de proposita quaestione, inter quas media incedit veritas.

Prima sententia Pelagianorum est, et eorum qui Pelagianis in Gallia occulte favebant, Fausti, Cassiani et aliorum. Docet haec sententia, gratiam Dei omnibus hominibus paratam esse, modo ipsi eam petere et excipere velint, posse autem unumquemque ex viribus liberi arbitrii sine alia praeveniente gratia, ipsam gratiam expetere, invocare, excipere. Refert hanc sententiam sive potius haeresim s. Augustinus in lib. 1. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum cap. ult. et in epist. 106. et 107. et in lib. de praedestin. sanctor. cap. 1. et 2. eandem referunt Hilarius et Prosper in epistolis ad Augustinum, et Petrus diaconus in libro de incarnatione et gratia Christi, cap. ult.

Altera sententia priori contraria est eorum omnium, qui non agnoscunt distinctionem inter auxilium efficax et sufficiens, in quorum numero sunt Lutherus in assertione cap. 36. et Calvinus lib. 3. Instit. cap. 22. § 10. et cap. 24. § 15. et 16. hi enim docent multis deesse sufficiens auxilium ad salutem, omnibus iis videlicet, qui non sunt a massa perditionis divina praedestinatione discreti.

Inter has contrarias pugnantesque sententias incedunt theologi catholici quamplurimi, ac fere omnes, qui docent omnibus hominibus pro loco et tempore sufficiens auxilium non deesse, et tamen sine praeveniente gratia, neminem posse gratiam desiderare, petere vel accipere. Vide Alexandrum alensem in 3. par. Summae, quaest. 69. memb. 5. art. 3. Albertum Magnum in 2. sentent. dist. 28. art. 1. S. Thomam in 1. 2. quaest. 109. art. 8. ad 1. et in lib. 3. contra gentiles cap. 159. S. Bonaventuram in 2. sentent. dist. 28. art. 1. quaest. 3. Scotum in 1. sent. dist. 46. et ex recentioribus Adrianum papam in quaest. 3. de poenit. Joannem roffensem in refutatione art. 36. Franciscum ferrarien. in comment. lib. 3. contra gentiles cap. 159. Joannem Driedonem in lib. de captivitate, et redempt. generis humani tract. 5. Ruardum Tapperum in explicatione articuli de libero arbitrio, Dominicum a Soto lib. 1. de natura et gratia cap. 15. et 18. Andream Vegam lib. 13. super concilium tridentinum cap. 13.

Quoniam autem explicatio propositae quaestionis multa continet capita, neque una responsione absolvi potest, per aliquot propositiones rem totam expedire conabimur.

CAPUT II.

Auxilium gratiae non expectare, sed praevenire voluntates nostras, neque aequaliter omnibus adesse.

Sit igitur Prima propositio: *Auxilium gratiae Dei non ita offertur omnibus hominibus, ut Deus expectet homines, qui illud desiderent vel postulent, sed praevenit omnia desideria et omnem invocationem.* Haec propositio est contra Pelagianos et Pelagianorum reliquias, et habetur in concilio arausicano can. 3. et 4. ubi sic legimus: *Si quis per invocationem humanam, gratiam dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae, vel apostolo idem dicenti, Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Item: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus per sancti*

Spiritus infusionem et operationem fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti. Praeparatur voluntas a Domino, et Apostolo salubriter praedicanti: Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Vide quae scripsimus in 6. lib. cap. 2. 4. et 5. nam illa omnia hanc propositionem confirmant.

Secunda propositio: *Auxilium gratiae Dei non aequaliter omnibus adest.* Haec propositio in divinis literis ita luculenter habetur, ut mirum videri possit ab ullo unquam fuisse negatam. Urget s. Augustinus illud Sapient. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animum ejus.* Certe enim non omnibus hoc praestat Deus, ut eos rapiat, antequam in peccata labantur. Urget etiam illud Matth. 11. *Si in Tyro et Sidone haec facta fuissent, in cinere et cilicio poenitentiam egissent.* Ubi videmus Deum mirabili, sed justo et sibi soli noto judicio non solum non aequaliter omnibus gratiae auxilia subministrare, sed etiam iis quos credituros praevidebat, si miracula Christi vidissent, ea miracula non ostendisse, et eadem illis ostendisse, quos praevidebat quibuscumque visis miraculis, minime credituros.

Huc pertinet etiam illud Matth. 15. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem non est datum.* Et illud Rom. 9. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Et Rom. 12. *Unicuique Deus divisit mensuram fidei.* Et 2. Thessal. 3. *Non omnium est fides.* Et Phil. 2. *Vobis donatum est, ut in illum credatis.*

Denique, ut alia innumerabilia praetermittam, si gratia aequaliter omnibus adest, quomodo Deus in praeteritis generationibus permisit omnes ingredi vias suas, nunc autem annunciat ut poenitentiam agant, ut legimus Actor. 14. et 17. cur Paulus illo ipso tempore, qui spirabat minas et caedes in discipulos Domini, divino miraculo, Christo ipso eum vocante convertitur, cum tam multos minus fortasse malos in delictis suis Deus jacere permittat? Cur ex parvulis morientibus interdum filius optimi viri sine Baptismo decedit et perit, filius adulteri, vel incestuosi Baptismo abluitur et regno potitur aeterno? Cur demum inscrutabilia esse dicit Apostolus judicia Dei, et investigabiles vias ejus in electione et reprobatione mortalium, si gratia aequaliter omnibus adest, et ex arbitrio hominum pendet ut eam capiant, vel abjiciant: vide s. Augustinum in lib. de praedestinatione sanctorum; Prosperum in libro contra Collatorem; Petrum diaconum in libro de incarnatione et gratia Christi; Fulgentium in libro ejusdem argumenti; Joannem Maxentium in professione fidei; et totum arausicanum concilium, ubi diligentissime totus hic Pelagianorum error evertitur.

CAPUT III.

Solvuntur argumenta Pelagianorum et Pelagianis faventium, contra duas propositiones capitis superioris.

Argumenta, quibus error Pelagianorum confirmari solet, facile solvi possunt.

Primum sumitur ex cap. 6. Sap. *Aequaliter est illi cura de omnibus.* Respondeo: Vox *aequaliter* non videtur hoc loco referenda ad ipsam curam, quasi Deus non magis curet rem unam quam aliam, sed ad res ipsas, quae curantur, ut sensus sit, nihil omnino subtrahi a providentia Dei, sed res omnes, nulla prorsus excepta, quamvis infirma et vili, divina providentia gubernari. Quod significantius exprimit vox graeca, quae habetur hoc loco, videlicet κοινῇ, idest, communiter.

Sed fac illud, *aequaliter*, referri ad curam et providentiam; nihil tamen Pelagiani inde lucrantur; nam non loquitur Sapiens de beneficio gratiae, sed retributione praemiorum atque poenarum. Praecedit enim illud: *Horrendo et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui praesunt fiet.* Itaque sententia hujus loci est, in extremo judicio Deum non accepturum personas, regum et principum, sed ex aequalitate justitiae sententiam esse laturum.

Secundum argumentum sumunt ex illo Joan. 1. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ubi videtur Christus conferri cum sole, qui lucem suam in omnia loca aeque diffundit. Respondeo: Posset hic locus non incommode referri ad naturalem illustrationem, quae fit in nobis, cum in creatione lumen intelligentiae et rationis accipimus; Tamen quoniam Chrysostomus et Cyrillus in commentario exponunt de lumine gratiae. Respondeo: Sensum hujus loci esse, a Christo illuminari omnes homines, non quod omnes illluminentur, cum multi in infidelitate remaneant, sed quoniam nemo illuminatur nisi per ipsum, vel, si magis placeat, illuminari dicas omnes homines per Christum, quoniam omnibus praebet auxilium sufficiens quo converti et credere possint, quamvis nec lumen aequale omnibus praebeat, neque expectet ut homines illuminari cupiant et expetant, sed ipse desideria et preces illuminando praeveniat.

Porro similitudines non in omnibus rebus convenire debent, ac per hoc neque necesse est, ut si sol non illuminat caecos, id etiam non faciat Christus, et si sol non aperit fenestras domus, neque Christus aperiat fenestras cordis, et si sol lucem suam aequaliter ubique diffundit, Christus quoque non dividat unicuique mensuram fidei et donorum, sed aequaliter omnibus hominibus gratiae suae dona distribuat.

Tertium sumunt ex illo Joan. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Hic enim videmus Deum expectare ut recipiatur, et tum demum his, qui se receperint, dare gratiam, per quam filii Dei fieri possint. Respondeo: Vere Deus expectat ut recipiatur, ut det suscipientibus se potestatem filios Dei fieri.

Caeterum: Quia recipere Deum in hoc loco evangelii nihil est aliud, nisi credere, ut ibidem declaratur, cum subditur, *his qui credunt in nomine ejus;* nemo autem potest credere nisi Deus fidem illi donaverit, dicenti Apostolo Philipp. 1. *Vobis donatum est ut in illum credatis.* Ideo nemo potest eum recipere, nisi gratia eum divina praevenerit: *Gratia estis salvati* (inquit Apostolus Ephes.

2.) *per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ac si diceret, gratia potestatem accepistis, ut filii Dei efficeremini, quoniam per fidem recepistis Deum, quae fides donum ipsius est, vide Augustinum lib. 1. ad Bonifacium cap. 3.

Quartum sumunt ex illa promissione: *Petite et dabitur vobis, omnis enim qui petit accepit.* Et: *Dabit spiritum bonum petentibus se.*Luc. 11.Respondet sanctus Augustinus lib. 4. in Julian. cap. 8. non posse peti spiritum bonum, nisi prius spiritus bonus fidem infundat, et per eam excitet ad petendum. Nam *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt,* Rom. 10. Et: *Postulet in fide nihil haesitans,* inquit Jacobus c. 1. fidem autem donum esse Spiritus sancti docet idem Apostolus ad Ephes. 1. Gratia estis salvati per fidem, et hoc tum ex vobis, Dei enim donum est. Itaque, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, quid enim oremus sicut oportet, nescimus.* Rom. 8.

Quintum sumunt ex illa Christi vocatione: *Venite ad me omnes qui laboratis etc.* Matth. 11. Respondeo,invitat Christus omnes ut veniant,non quod possint homines solis naturae viribus venire, cum scriptum sit Joan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Sed ut admoneat,ut gratiae praevenienti cooperentur,et non resistant Spiritui sancto.

Sextum sumunt ex illis Scripturis, quae testantur, Deum non esse acceptorem personarum. Actor. 10. Rom. 2. 1. Petr. 1.etc. hinc enim sequi videtur, ut Deus non magis ex se faveat uni quam alteri: sed volentes curari, sanet, non volentes, deserat. Respondeo: Acceptio personarum vitium est contra justitiam, et ideo locum non habet in donis gratiae.

Itaque in iis rebus quae quoquomodo justitiam sapiunt, Deus aequus est omnibus, neque personas accipit, sed unicuique reddit secundum opera sua, at in donis gratiae nemini facit injuriam, si uni dat quod alteri negat. Immo in ipso judicio quamvis acceptio personarum esset alicui minus praemium dare, quam justo judicio mereatur, vel majori supplicio afficere quam dignus sit reus, tamen si alicui majus praemium aut minorem poenam dare voluerit, non erit acceptor personarum; etiamsi id non cum omnibus servet, quoniam hoc non est injustitiae, sed liberalitatis, juxta illud Matth. 20. *Amice non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est et vade; volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi; an non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Vide Augustinum in epist. 105. non procul ab initio et lib. 2. ad Bonifacium cap. 7.

Septimum sumitur ex illo 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*Nimirum inquiunt,si ipsi voluerint. Respondeo: Loquitur Apostolus de resurrectione corporali justorum,nam, ut recte explicat s. Augustinus in epistol. 89. quaest. 3. non dicuntur vivificari in Christo, nisi illi qui resurgunt ad vitam beatam, quae sola vita dicenda est: impii enim resurgent quidem, sed ad mortem; idest, ad miseriam sempiternam.Itaque hic locus non facit ad propositum,cum de gloria aeterna, non de gratiae beneficiis intelligi debeat.

Sed instat Faustus,Apostolus comparat Adamum cum Christo seu potius Christum cum Adamo; sed in Adam mortui sunt omnes homines;igitur in Christo vivificantur omnes homines, non autem vivificantur omnes vita gloriae, ergo debet intelligi hic locus de vita gratiae,quam Christus omnibus paratus est dare, modo ipsi velint.

Sed facilis est responsio, nam in Adam non moriuntur omnes homines, sed ii tantum qui ex Adamo nascuntur, quo etiam modo non vivificantur in Christo omnes homines, sed ii tantum, qui per ipsum renascuntur. Quod si de vita gratiae Apostolus loqueretur, promptum esset respondere, omnes in Christo vivificari, non quod omnes homines vivificentur,sed quia nemo vivificatur, nisi per Christum, sicut nemo perit, nisi per Adamum, hoc est, nisi ex Adamo originem trahat.

Denique posset etiam Fausto concedi in Christo vivificari vita gratiae omnes homines, modo ipsi velint: sed addendum esset, neminem velle per Christum vivificari, nisi Deus cum praeveniens, faciat eum velle.Deus est enim qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate, Philip. 2.

Octavum sumunt ex illis locis quae testantur Deum velle omnium hominum salutem,ut 1.Timoth.2.*Vult omnes homines salvos fieri.*1. Timoth. 4. *Qui est salvator omnium hominum.* 2. Petri 3. *Neminem vult perire,sed omnes ad agnitionem veritatis venire.* Respondeo: Haec loca parum ad rem faciunt. Solum enim significant, Deum non impedire quemquam a salute. Immo remedia et auxilia pro omnibus in commune instituisse, praedicationem evangelii et sacramenta voluisse omnibus esse communia etc. sed ex his nemo recte colliget, Deum expectare ut homines suis viribus velint salvi fieri.

Sed, inquiunt: Si Deus vult omnes salvos fieri, cur non fiunt omnes salvi, nisi quia ipsi nolunt? Respondeo: Verissimum est, non fieri omnes salvos, quia ipsi nolunt; nam si vellent, Deus eis utique non deesset. Caeterum nemo vult salvus fieri, nisi Deus praeveniendo ac praeparando voluntatem faciat eum velle; cur autem Deus non faciat omnes velle, quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? itaque sicut verum est non omnes salvos fieri, quia ipsi non volunt, sic etiam verum est, non omnes salvos fieri, quia Deus non vult voluntate illa beneplaciti, de qua scriptum est in psalm. 113. *Omnia quaecumque voluit fecit in coelo et in terra.*Et tamen simul etiam verum est, Deum velle omnes salvos fieri voluntate illa, quam recte theologi antecedentem vocant.

Postremum argumentum adferri potest ex ipso Augustino, a quo vel invito, ut ajunt quidam, testimonium extorsit veritas, nam in comment. psal. 45. tractans illud: *Deus in medio ejus non commovebitur,* sic ait, *quid est Deus in medio ejus? hoc significat, quod aequus est omnibus Deus, et personas non accipit; quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur aequaliter omnibus consulens.*

Respondeo: Loquitur in eo loco s. Augustinus

de iis tantum auxiliis, quae aliquo modo sunt debita, et justitiam sapiunt, ubi locum habere posset acceptio personarum; in his enim Deus omnibus est aequus, et non accipit personas, et aequaliter omnibus consulit, quia neminem impellit ad malum, omnes hortatur ad bonum, neminem punit nisi malum, neminem remuneratur nisi bonum, nulli subtrahi, communia auxilia; alia vero ratio est donorum gratiae, quae nemini sunt debita.

CAPUT IV.

Non posse Deum injustitiae accusari, si non daret omnibus auxilium sufficiens ad salutem, neque de ullo desperandum esse.

Sit jam Tertia propositio: *Nulla esset in Deo iniquitas, si non solum aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret.* Haec certissima est apud eos, qui ex divinis literis peccatum originale noverunt; nam cum per peccatum primi hominis nascamur omnes filii irae (ut Apostolus docet ad Ephes. 2.) nihil nobis jure debetur nisi poena. Hinc Sap. 12. dicit Spiritus sanctus: *Quis stabit contra judicium tuum, aut quis tibi imputabit si perierint nationes quas tu fecisti?* Et Apostolus ad Rom. 9. demonstrat, solam esse misericordiam, qua Deus ex massa perditionis aliqua vasa facit in honorem, unde etiam vasa misericordiae appellat. Et ea caussa est, ut s. Augustinus docet in epistol. 105. cur pauci sint qui salvantur, ut nimirum intelligamus, quid omnibus deberetur; denique prima gratia datur inimicis, ac per hoc modis omnibus est indebita; nulli igitur fieret injuria si ea gratia nemini praeberetur: Itaque s. Augustinus lib. de bono persev. cap. 8. *Non simus ingrati, quod tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus.*

Quarta propositio: *Sive detur sufficiens auxilium omnibus, sive tantum aliquibus non tamen de nullius salute, donec in hac vita fuerit, desperare debemus, neque ab ullo subtrahere correptionem, exhortationem et alia charitatis officia.* Haec quoque sine controversia recipitur ab omnibus, nam tametsi nonnulli ita desererentur a Deo, omnique auxilio prorsus destituerentur, ut nulla ratione converti possent; nos tamen qui nescimus qui sint illi, de omnibus bene sperare debemus, ac dicere cum propheta Joël: *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem?* Joël. 2. Et apostolum Paulum audire, qui jubet ut mansueti simus ad omnes, et cum patientia et modestia corripiamus eos, qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem et resipiscant a diaboli laqueis.

Hinc s. Augustinus lib. de corrept. et grat. cap. 15. *Nescientes*, inquit, *quis pertineat ad praedestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.* Et cap. 16. *Quantum ad nos pertinet, qui praedestinatos a non praedestinatis discernere non valemus, et ob hoc omnes salvos fieri velle, debemus omnibus ne pereant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correptio.* Quod idem repetit in 1. lib. retract. cap. 19. Sanctus quoque Leo in serm. 4. de epiphania: *Dum*, inquit, *hoc in corpore vivitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio, auxiliante Domino, qui erigit elisos, solvit compeditos et illuminat coecos.*

CAPUT V.

Auxilium sufficiens ad salutem, pro loco et tempore, omnibus dari.

Quinta propositio: *Auxilium sufficiens ad salutem pro loco et tempore, mediate vel immediate omnibus datur.*

Dicimus: *Auxilium sufficiens ad salutem*, nam de auxilio sufficienti ad non peccandum, alia ratio est, ut infra suo loco patebit. Itaque hic tantum disserimus de auxilio sufficienti ad resurgendum a peccato, atque ad justificationem et salutem comparandam.

Dicimus: *Pro loco et tempore*, quoniam non definimus hoc loco, utrum omni tempore, omnique momento tale auxilium adsit: de hac enim re paulo post agemus, sed tantum id asserimus, nullum esse, qui non aliquando saltem hoc auxilium habeat.

Dicimus denique: *Mediate vel immediate*, quoniam iis qui usu rationis utuntur, immitti credimus a Deo sanctas inspirationes, ac per hoc immediate illos habere gratiam excitantem, cui si acquiescere velint, possint ad justificationem disponi, et ad salutem aliquando pertingere: iis autem qui rationis usum non habent, quales sunt infantes vel ab infantia mente capti, mediate auxilium donari censemus, quoniam parentes eorum non solum sibi ipsi prospicere, sed etiam filiis suis, praesertim rationis usu carentibus, Baptismum procurare possunt, si voluut.

Haec igitur propositio sic explicata probatur Primum ex divinis literis psal. 18. *Non est qui se abscondat a calore ejus.* Augustinus in hunc locum: *Nullum*, inquit, *mortalium permisit excusare se de umbra mortis, ipsam enim penetravit verbi calor.* Item psalm. 24. *Universae viae Domini misericordia et veritas.* Videtur enim hoc significare Spiritus sanctus, omnibus hominibus primum a Deo exhiberi misericordiam, deinde si ea non utantur, exhiberi judicium; non potest autem recte dici, agi cum aliquo misericorditer, quod attinet ad salutem, neque juste puniri potest, qui ex divino auxilio non proficit, si auxilium non fuit sufficiens.

Item Proverb. 1. *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua dicens, usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quae sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam? convertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea. Quia vocavi*

et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo. Haec certe praedicatio generalis et comminatio item generalis satis aperte significat Dei sapientiam, nullum ita deserere,quin aliquando eum vocet, et auxilium sufficiens illi praebeat.

Item Sap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam; diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti. Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Parcis autem omnibus,quoniam tua sunt Domine,qui amas animas.* Haec certe vix intelligi possunt, nisi fateamur omnibus tribui sufficiens auxilium; quomodo enim miseretur omnium, et parcit omnibus,si non dat saltem eis auxilium, quo ad reconciliationem possint pervenire si velint? Neque debent haec restringi ad electos, nam ratio cur Deus omnibus parcat, et omnium misereatur, redditur hoc loco ex creatione, quia Deus omnes creavit,et quoniam amat animas,et res a seipso factas; at creatio communis est omnibus absolute.

Item Sap. 12. *Si inimicos servorum tuorum, et debitos morti,cum tanta cruciasti attentione,dans tempus et locum per quae possent mutari a malitia,cum quanta diligentia judicasti servos tuos?* At frustra Deus daret tempus et locum peccatoribus, per quae possent mutari a malitia, nisi auxilium etiam praeberet,sine quo mutari non possunt.

Item Ezech. 33. *Sic loquuti estis dicentes, si iniquitates nostrae et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo vivere poterimus? dic ad eos, vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat; convertimini, convertimini, et quare moriemini?* Illa exhortatio, *convertimini convertimini*, irrisoria videretur, nisi Deus dedisset illis vires, quibus converti possent. Non fuisse autem irrisoriam sive ironicam exhortationem, testatur juramentum illud,*vivo ego,dicit Dominus, nolo mortem impii etc.*

Item illud Matth. 5. *Qui solem oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Monet s. Ambrosius serm. 8. in psal. 118. intelligendum esse etiam de sole justitiae et pluvia gratiae. Illa item invitatio: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* Matth. 11. Ne sit frustra, requirit omnino, ut sicut vocatio est generalis, ita et auxilium, quo possint homines venire, sit generale.

Illud item Joan. 1. *Illuminat omnem hominem*, supra diximus ex commentario Chrysostomi et Cyrilli, referri ad lumen gratiae, quo nemo omnino privatur. Illud quoque 1. Tim. 2. *Vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Pet.3.*Non vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam converti.* Exponitur quidem variis modis a s. Augustino, sed illa expositio videtur maxime congruere apostolicae sententiae, quam habet in lib.de spiritu et liter. cap.33. ubi exponit quaestionem, cur Deus non det omnibus velle credere, cum velit homines omnes salvos fieri.Et respondet Deum velle omnes salvos fieri, sic tamen, ut non adimat eis liberum arbitrium,quo vel bene vel male utentes justissime judicentur, et addit, infideles contra Dei voluntatem facere, cum non credunt evangelio, tamen non vincere Dei voluntatem, quoniam experientur in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Et ponit similitudinem Domini, qui vult, ut omnes servi laborent in vinea, sic tamen ut si qui operari noluerint, detrudantur in pistrinum.

Ex his intelligimus hanc fuisse Augustini sententiam de hoc loco Apostoli, Deum velle omnes salvos fieri, quia dat omnibus, unde possint velle credere et salvari, sic tamen ut si ipsi noluerint, non salventur, sed ad supplicia destinentur aeterna, quae fuit etiam expositio s. Prosperi lib. 2. de vocatione gentium cap. 23. 25. et 28. Item commentariorum qui tribuuntur Ambrosio,item Chrysostomi, Theophylacti et Oecumenii, qui dicunt Deum velle omnes salvos fieri, si et ipsi velint, nimirum si velint cooperari divinae gratiae praevenienti.

Illud item 1. Tim. 4. *Qui est salvator omnium hominum maxime fidelium.* Vix potest aliter exponi, quam ut exponit s. Prosper in lib. 2. de vocatione gentium cap. 10. ut videlicet intelligamus, Deum salvatorem esse omnium, quia dat omnibus unde salvari possint, sed maxime fidelium, quia dat illis non solum, ut salvari possint, sed etiam ut salventur.

Denique illud 1. Corinth. 15.*Pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. Timoth. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.*Et 1.Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum autem nostris, sed etiam totius mundi.* Quomodo potest verum esse, si non datur omnibus aliquid, unde Christi mortis participes fieri queant? nam cum non possit ullus sine praeveniente dono particeps esse mortis Christi et pretii redemptionis hujus, frustra Christus pro omnibus pretium solvit, si noluit omnibus viam aperire,qua ad redemptionem pervenire possent.

At ex nostra sententia non sequitur hoc absurdum. Primo: Quia nos parvulos non baptizatos non censemus esse innocentes, sed peccatores.

Secundo:Quia non dicimus Deum non velle salvare ullum absoluta voluntate, immo,ut paulo post explicabimus, credimus Deum absoluta voluntate velle salvare multos, tum parvulos, tum adultos, et absoluta voluntate alios non velle salvare, tum parvulos, tum adultos.

Tertio: Non dicimus Deum antecedente voluntate salvare velle solum adultos, sed etiam ad parvulos hanc voluntatem extendimus, quamvis ut supra ex doctrina s. Prosperi docuimus, aliter Deus parvulis, aliter adultis sufficientia remedia provideat. Nam parvulis in parentibus suis praebet auxilium, adultos autem per se ipse vocat, excitat,illuminat.

Illud tamen est verum, neque a s.Augustino negatur, Deum interdum esse benevolentiorem aliquibus adultis et sceleratissimis, quam multis parvulis minus malis; quis enim inficiari audebit, benevolentiorem fuisse Deum Paulo, Matthaeo, Magdalenae, latroni in cruce secum pendenti, quam plurimis parvulis sine Baptismo morientibus, cum tamen eos adultos longe deteriores fuisse istis parvulis non liceat dubitare.

At si Deus vult antecedente voluntate omnes salvos fieri, non solum adultos, sed etiam parvulos, cur s. Augustinus loco citato contendit per illam vocem (*omnes*) intelligi multos, idest, omnes, qui salvantur, non omnes absolute?

Respondeo:Quia voluit hunc locum exponere de voluntate absoluta, secundum quam Julianus existimabat Deum neminem velle salvare; alioqui autem ipse etiam Augustinus in lib. de spiritu et litera c. 33. ut supra ostendimus hunc eundem locum de antecedente voluntate exposuit.

CAPUT IX.

Proponitur octava propositio, et explicatur definitio praedestinationis.

Octava propositio: *Quamvis gratia sufficiens omnibus detur, tamen praedestinationis divinae nulla ratio ex parte nostri assignari potest.* Haec propositio necessario addenda fuit, quoniam non desunt qui existiment, non posse defendi praedestinationem mere gratuitam, si concedatur dari omnibus auxilium sufficiens ad salutem.

Dicimus autem,nullam rationem assignari posse, ut excludamus non solum merita proprie dicta,sed etiam bonum usum liberi arbitrii, aut gratiae, aut utriusque simul a Deo praevisum, etiamsi non dicatur esse meritum, nisi de congruo, et etiamsi non dicatur vera caussa, sed tantum conditio sine qua non praedestinaretur is qui praedestinatur.

Addimus vero illud, *ex parte nostra*, quoniam ex parte Dei assignari potest caussa in genere, ut ostendatur misericordia et justitia ipsius: in particulari quoque dubitari non potest, quin Deo non desit sua ratio, cur istum potius,quam illum praedestinare voluerit ad vitam, quamvis ea nobis occulta sit: *Eorum* (inquit Augustinus in lib. 1. ad Simplician. quaest.2.) *non miseretur,quibus gratiam non esse praebendam, aequitate occultissima,et ab humanis sensibus remotissima judicat, quam non aperit, sed admiratur Apostolus, dicens; o altitudo divitiarum.* Et in epist. 105. ad Sixtum: *Cur*, inquit, *illum potius quam illum liberet aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum; tamen caveat praecipitium.*

Idem tamen Augustinus in enchirid. cap. 95.affirmat,in aeterna beatitudine manifestum nobis futurum cur ille potius, quam iste fuerit assumptus, cum una caussa esset ambobus; et cur apud quosdam non factae sint virtutes,quae si factae fuissent, egissent illi homines poenitentiam; et factae sint apud eos, qui non fuerant crediturі.

Operae pretium autem erit,antequam ad probandam propositionem nostram accedamus, breviter explicare, quid sit praedestinatio, ut si qui forte scholasticae theologiae non assueti in has nostras disputationes inciderint,intelligant quid sit de quo quaeritur.

Igitur s. Augustinus libro de bono perseverantiae cap.14.praedestinationem ita definit:*Est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Sed posset paulo plenius ex doctrina ejusdem Augustini ita praedestinatio definiri.*Praedestinatio est providentia Dei,qua certi homines ex massa perditio-*

nis misericorditer selecti, per infallibilia media in vitam diriguntur aeternam.

Dicitur *providentia*,quoniam praedestinatio species est providentiae, et rectissime ponitur genus initio bonae definitionis.Dicitur *Dei*,quoniam praedestinare ad vitam aeternam non potest esse actio nisi Dei, qui solus vitam aeternam communicare potest: *Gratiam*,enim *et gloriam dabit Dominus*, psalm. 83. Dicitur, *Certi homines*, quoniam providentia ad res omnes, praedestinatio de qua nunc agimus ad solos homines pertinet ; nam etiamsi angeli quoque dicuntur a s. Augustino praedestinati: tamen alia ratio est praedestinationis angelorum, alia hominum. Addimus autem *certi*, quoniam non omnes praedestinantur ad vitam,sed solum aliqui, et ii non confuse, sed distincte, tales ac tales, Petrus, Andreas, Jacobus etc. Dicitur, *ex massa perditionis* quoniam praedestinatio ex sententia s. Augustini et Scripturarum divinarum,non praecessit, sed sequuta est praevisionem peccati originalis, ob quod universum genus humanum factum est quasi quaedam massa damnata. Unde est illud Apostoli ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?*

Quod autem s. Augustinus scribit lib. 1. retractat. cap. 13. si Adam non peccasset, non fuisse nasciturос homines, nisi usque ad certum numerum praedestinatorum: significat quidem futuram fuisse praedestinationem, etiamsi Adam non peccasset,si nimirum praevidisset Deus hominem non peccaturum, tamen absolute praedestinatio, qualis nunc est, praevisionem peccati sequitur.

Dicitur: *Misericorditer selecti*, quoniam (ut in propositione nostra asserimus) nihil invenit Deus in iis quos eligit ad gloriam, nisi meritum mortis, et propterea misericorditer eos liberat, non reddens eis debitam poenam, sed donans indebitam gratiam. Dicitur *infallibilia media*, quoniam praedestinatio certissima est.Nemo enim rapere potest electas oves de manu pastoris omnipotentis,ut ipse dicit Joan. 10. Dicitur *in vitam diriguntur aeternam*,quoniam in hoc proprie ratio praedestinationis consistit,ut sit directio et quasi transmissio rei praedestinatae per certa media ad suum finem.

Ex hac nostra definitione sic explicata, perspicua erit definitio Augustiniana.Significat enim August. nihil esse aliud praedestinare,nisi praescire quibus mediis infallibiliter certi homines salvari possint, et velle efficaciter ea media praeparare.

Ex quo rursus intelligi poterit, praedestinationem partim ad intellectum pertinere,partim ad voluntatem. Nam praescire, disponere, dirigere,opera sunt intelligentiae; seligere,velle, misereri, voluntatis. Quod etiam in divinis literis observare licet. Nam ad intelligentiam pertinet illud Apostoli ad Rom. 9. *Non repulit Deus plebem suam,quam praescivit.* Et illud 2. Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, novit Dominus qui sunt ejus.* Ad voluntatem vero illud Rom. 9. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Et illud Luc. 12. *Complacuit patri vestro dare vobis regnum.*

Disputant quidem theologi, utrum praedestinatio magis ad intelligentiam, quam ad voluntatem pertineat. Sed nobis placet sententia s. Thomae et Cajetani cardinalis in 1. part. quaest. 23. art. 1, qui docent, praedestinationem esse potius intelligentiae,quam voluntatis,quoniam eadem est etiam s. Augustini sententia in lib.de bono perseverantiae cap. 17. ubi sic loquitur: *In sua, quae falli mutarique non potest, praescientia, opera sua futura disponere, id omnino neque aliud quicquam est, nisi praedestinare.* Eadem est sententia auctoris Hypognostici lib. 6. qui praedestinare nihil aliud esse dicit, nisi providere et praeordinare. Idem significant ipsa nomina, tum graeca, tum latina, nam προορίζειν, qua voce utitur Apostolus frequentissime, quid est nisi praedefinire. ac praedecernere? sicut etiam vox latina *praedestinare*, idem significare videtur, quod praemittere, sive praeordinare.

Itaque secundum modum nostrorum intelligendi , iste fuisse videtur ordo praedestinationis in mente divina. Primum, praevidit Deus,si hominem conderet, eum lapsurum cum omni posteritate, et simul vidit, posse se variis modis liberare vel omnes, vel aliquos pro arbitratu suo. Deinde voluit hominem condere, ac, ut laberetur permittere, et quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis juste relictis. Tertio, excogitavit remedia, salvandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio et passio Salvatoris. Quarto approbavit ea remedia, et tunc elegit Christum, et nos in ipso ante mundi constitutionem. Quinto disposuit,ordinavit et quodammodo imperavit ut ita fieret.

Ex quibus actibus primus fuit intelligentiae,secundus voluntatis, tertius intelligentiae, quartus voluntatis, quintus intelligentiae. Itaque primus , medius et ultimus ad intelligentiam pertinent, et in ultimo potissimum praedestinationis ratio, essentiaque consistit.

CAPUT X.

Praedestinationis nullam esse caussam in nobis, probatur ex divinis literis.

Probanda nunc est octava illa conclusio. Primum ex divinis literis;Deinde ex traditione ecclesiastica; Postremo ex ratione, quae tamen in Scripturis et Patribus fundamentum habeat.

Scriptura igitur docet, quosdam electos esse ex omni genere humano, eosque electos esse ad regnum coelorum, et electos efficaciter, ut infallibiliter ad regnum perveniant, denique electos omnino gratis,et ante omnem operum praevisionem.Esse aliquos electos docent hae Scripturae:*Multi sunt vocati, pauci vero electi*, Matth. 20. et 22.*Congregabunt electos ejus a quatuor ventis*, Matth. 24. *Quis accusabit adversus electos Dei?* ad Rom. 8. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem;* ad Ephes. 1.

Esse electos ad regnum,docet Dominus, Luc.12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Item Apostolus ad

Rom. 10. *Reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.*

Esse infallibiliter salvandos, docet idem Dominus, Matth. 24. *Propter electos breviabuntur dies illi.* Et: *Dabunt signa et prodigia, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et Joan. 6. *Haec est voluntas Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam, sed resuscitem in novissimo die,* hoc est, ut nullum perdam, sed omnes resuscitem. Et Joan. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et iterum: *Nemo potest rapere de manu Patris mei: Ego et Pater unum sumus.* Et Apostolus ad Roman. 11. *Sine poenitentia,* inquit, *sunt dona et vocatio Dei.* Et ad Roman. 9. *Quos praedestinavit hos vocavit;* nimirum secundum propositum; *et quos vocavit,* videlicet secundum propositum, *hos justificavit, et quos justificavit,* item secundum propositum, *hoc magnificavit.*

Esse electos ex mera Dei gratia, et misericordia, docet in primis Dominus Luc. 12. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Certe vox illa: *Complacuit,* indicat puram Dei benignitatem, sed manifestius Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat,* non igitur elegit Deus homines, quia videt se eligendum ab eis, ipsosque boni operis fructum allaturos, et in bono opere perseveraturos, sed elegit ut faciat bene operantes, et in bono perseverantes.

Et adhuc manifestius Apostolus Paulus ad Rom. 11. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal, sic ergo in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt;* non dicit, relicti sunt, aut remanserunt, sed, *ego reliqui mihi;* et ideo reliquias dicit salvari secundum electionem gratiae, idest, non debitam, sed gratuitam.

Et clarius ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati.* Et: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae,* non ait, elegit nos; quia sanctos vidit futuros, sed *ut essemus sancti,* neque ait, elegit nos propter bonum usum liberi arbitrii, aut gratiae, sed *secundum propositum voluntatis suae,* et hoc *in laudem gloriae gratiae suae,* ut laudaretur et glorificaretur gratia ipsius.

Addit etiam in eodem cap. *In quo nos forte vocati sumus praedestinati secundum propositum ejus,* ubi ostendit, vocationem electorum respectu ipsorum hominum dici posse fortuitam, quoniam ipsi nihil agebant, ut vocarentur, ac ne cogitabant quidem de vocatione: sed respectu Dei non esse fortem, sed determinatam electionem et propositum.

Esse Denique electos, non solum gratis, sed etiam absque ulla praevisione operum, docet idem Apostolus ad Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et ad Rom. 11. postea quam dixerat, *Reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt,* addit continuo: *Si autem gratia jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia.* Et 2. ad Timoth. 1. *Collabora evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo ante tempora saecularia.*

Sed explicemus paulo fusius illum locum primarium ex cap. 9. ad Roman. quoniam illum praecipue Ambrosius Catharinus, et alii quidam recentiores non recte exponunt. Propositum erat Apostolo demonstrare, adoptionem filiorum Dei non pendere ex carnali generatione Abrahami, ut Judaei existimabant, neque ex operibus nostris, aut parentum nostrorum: sed ex mero Dei beneplacito. Itaque ut hoc demonstraret, attulit figuram Jacob et Esau, quorum priorem Deus dilexit, posteriorem odio habuit, cum essent inter se omnino pares, nam pares fuisse, demonstrat, quia orti ex iisdem parentibus et eodem concubitu generati, et eodem partu editi, ne forte diceretur, uni profuisse merita parentum, alteri non profuisse. Et non solum pares fuisse dicit, quantum ad parentes, sed etiam quantum ad se, quoniam nihil boni aut mali egerant, neque agere potuerant, quando dictum est de eis, Jacob dilexi, Esau odio habui. Cum igitur inter se pares essent, tantam illam discretionem, non ex operibus eorum, aut parentum profectam esse concludit Apostolus, sed ex voluntate Dei, ut secundum electionem propositum Dei maneret, idest, ut decretum Dei perficeretur, quo unum elegerat, alterum reprobaverat.

Quoniam autem videri posset hoc, aliquo modo, injustum; objicit sibi ipse beatus Paulus: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum?* et respondet, *absit; Moysi enim dicit, miserebor cujus misereor, et misericordiam praestabo, cui miserebor.* Et, *o homo tu quis es, qui respondeas Deo? an non habet potestatem figulus luti facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* At si ex operibus praevisis Deus unum diligeret, alterum odio haberet, promptum fuisset beato Paulo hoc dicere, et omnem suspicionem injustitiae Dei, uno verbo, de medio tollere. Cum autem hoc non fecerit, sed omnia revocaverit ad voluntatem Dei, qui miseretur, cujus voluerit, et cujus non voluerit, non miseretur: certum esse debet ex Apostoli sententia, praedestinationem et electionem, sive discretionem, ex massa perditionis non pendere ex ulla praevisione operum nostrorum, sed ex mero beneplacito Dei.

Ad hoc testimonium Apostoli responderi posset, illud: *Major serviet minori.* Et: *Jacob dilexi, Esau odio habui,* non intelligi de personis illis singularibus, Jacob et Esau, sed de duobus populis, Israëlitico et Idumaeo. Et, quod dicitur de odio et amore, non intelligi de electione et reprobatione aeterna, sed de bonis malisque temporalibus hujus vitae. Nam Genes. 25. cum Rebecca consuleret Deum, cur parvuli, quos gerebat in utero, inter se colliderentur. Responsum est ei: *Duae gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major ser-*

viet minori. Et Malach. 1. cum dixisset Deus, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, explicat; quomodo dilexerit et oderit, dicens: *Posui montes ejus*, nimirum Esau, *in solitudinem et haereditatem ejus in dracones deserti.* Itaque dilexit Deus Jacob, quoniam dedit ei terram fluentem lacte et melle: odio habuit Esau, quoniam dedit ei terram sterilem et desertam.

Quamvis autem Apostolus haec videatur spiritualiter accipere et transferre ad mysteria christiana; tamen non transfert ad electionem et reprobationem singularum personarum, sed ad electionem gentilitatis et reprobationem Judaeorum, quo sensu etiam accipienda videntur, quae dicuntur ad Roman. 11. et ad Ephes. 1. alioqui sequeretur omnes illos et singulos, ad quos Paulus scribebat, fuisse praedestinatos. Nam in genere loquitur de praedestinatione et electione omnium qui ad Ecclesiam vocati fuerant. Solum igitur ex locis allegatis colligi posse videtur, Deum ex mera sua misericordia praedestinasse gentiles ad fidem Christi recipiendam, et per hoc etiam ad salutem.

Respondeo: Non disputare nos hoc loco de testimonio Gen. aut Malach. sed solum de testimonio Apostoli ad Roman. 9. Apostolus enim apertissime loquitur de adoptione filiorum Dei, et de mysteriis regni coelorum; et per Esau intelligit reprobos; per Jacob electos; per terram promissionis vitam aeternam cum Deo; per solitudines draconum mortem aeternam cum diabolo, et quamvis ex mystico sensu non soleat fieri solidum argumentum ad probanda dogmata fidei: tamen cum mysticus sensus in ipsa Scriptura exponitur, solidissimum argumentum conficitur, illa enim expositio mystici sensus Scripturae veteris testamenti non est mystica, sed literalis sententia Scripturae novi testamenti.

At non loquitur Apostolus de electione et reprobatione singulorum hominum, sed gentilitatis et Judaismi. Non ita est, immo loquitur de electione et reprobatione singulorum, tum ex gentilitate, tum ex judaismo: sed quoniam Judaei existimabant, se solos ad Deum pertinere, gentiles autem omnino esse exclusos: ideo saepe beatus Paulus concionatur de vocatione gentium et induratione Judaeorum, et concludit filios Abrahae non debere existimari eos, qui nascuntur ex carne Abrahae, sed qui sectantur fidem Abrahae, sive gentiles sint, sive Judaei; nam in hoc ipso cap. 9. dicit Apostolus, *Ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam, quos et vocavit, non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentibus.* Et cap. 11. *Numquid Deus repulit populum suum? absit, nam et ego Israelita sum, ex semine Abrahae, de tribu Beniamin; non repulit Deus plebem suam, quam praescivit.*

Quod autem loquatur Apostolus de electione et reprobatione singulorum in particulari, perspicuum est ex illa similitudine figuli, massae et vasorum in honorem et in contumeliam. Neque enim vasa in honorem dici possunt soli gentiles, cum multi ex Hebraeis salvi sint; neque soli Hebraei, cum plurimi ex gentilibus salventur; neque etiam contra, vasa in contumeliam dici possunt soli Hebraei, vel soli gentiles, eadem ratione. Vasa igitur in honorem sunt omnes electi, vasa in contumeliam omnes reprobi, sive Judaei, sive gentiles.

Idem etiam patet ex induratione Pharaonis, qui particularis homo erat, et cujus exemplum hoc eodem loco proponit Apostolus. Rursus idem probatur ex eo, quod omnes electi certo salvantur, ut supra ostendimus ex Scripturis. At non certo salvantur omnes gentiles ad Ecclesiam vocati, et per Baptismum in eam admissi; sed solum aliqui, ut notum est. Illi igitur soli vere sunt, et dicuntur electi.

Denique b. Paulus, qui gente judaeus erat, semper se in numero electorum ponit, cum de praedestinatione loquitur, ad Rom. 8. 9. et 11. et ad Ephes. 1. non igitur per electos intelligit solos gentiles, neque loquitur de praedestinatione Ecclesiae gentium in genere, sed de singulis praedestinatis et electis; Quod autem in hoc numero videatur ponere omnes Christianos, ac praesertim in 1. cap. ad Ephes. non repugnat iis quae diximus. Id enim facit Apostolus, quod bene speraret de omnibus quos videbat ad fidem vocatos; non quod affirmare vellet omnes illos vere ac proprie esse electos.

CAPUT XI.

Idem probatur ex traditione Ecclesiae.

Secundo loco probari potest veritas praedestinationis gratuitae, ex traditione ecclesiastica; nam quamvis ante exortam haeresim Pelagianam, veteres Patres quaestionem istam non adeo accurate tractaverint, sed tantum occasione oblata breviter sententiam suam aperuerint, ut s. Augustinus docet lib. de bono perseverant. cap. 20. qui tamen cap. 10. Cyprianum, Ambrosium et Nazianzenum pro hac sententia citat, tamen post illam haeresim exortam omnes omnino, qui sanctitatis nomine in Ecclesia claruerunt, hanc ipsam sententiam apertissime docuerunt, ut perspicuum est ex sancto Augustino in libro de praedestinatione sanctorum, et de bono perseverantiae, in libro de correptione et gratia, in epist. 105. ad Sixtum, et alibi passim. Ex s. Prospero in secundo libro de vocatione gentium cap. 1. et ult. in libro contra collatorem extremo, et in responsione ad capitula Gallorum. Ex sancto Fulgentio in libro de incarnatione et gratia Christi extremo. S. Gregorio lib. 1. dialogorum cap. 8. S. Anselmo, Beda, Primasio, Sedulio, et aliis in cap. 9. ad Rom. S. Bernardo in serm. 23. et 78. in Cantica, sancto Thoma in 1. part. quaest. 23. et s. Bonaventura in 1. sent. distinct. 41. quaest. 2. quo loco scribit quidem sanctus Bonaventura, Deum praedestinare homines ob certas caussas, soli sibi notas, et non ob solam voluntatem suam; sed eas caussas non dicit esse ex parte operum praevisorum; intelligit autem voluntatem Dei non esse irrationalem, sed cum sapientia et consilio conjunctam, ut etiam loquitur Augustinus in enchiridio cap. 95.

Neque solum sancti isti Patres hoc affirmant, sed antiquiores et doctiores ex ipsis, quos caeteri postea sequuti sunt, ad fidem catholicam hanc sen-

tentiam pertinere tradunt, et contrariam ad Pelagianos rejiciunt. Notabo aliqua loca, ut si qui forte contra sentiunt, intelligant ex judicio sanctissimorum Patrum, in quam manifesto errore versentur.

Sanctus Augustinus in libro de bono perseverantiae cap. 18. *Hoc*, inquit, *scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturam sanctam defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et cap. 23. *Praedestinationis*, inquit, *hujus fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit.*

S. Prosper in responsione prima ad objectiones Gallorum: *Praedestinationem*, inquit, *Dei nullus catholicus negat.* Et in epist. ad Ruffin. de libero arbitrio: *Praedestinationem*, inquit, *tam impium est negare, quam ipsi gratiae contraire.* Neque responderi potest, eum loqui de praedestinatione in genere, non de praedestinatione mere gratuita; loquitur enim de praedestinatione, quam s. Augustinus defendebat, et quam Cassianus et alii quidam in Gallia oppugnabant.

Sanctus Petrus diaconus in libro de incarnatione et gratia Christi extremo: *Anathematizamus*, inquit, *Pelagium et Celestinum; simulque Julianum Edanensem, et qui illis similia sapiunt, praecipue libros Fausti, Galliarum episcopi, qui de monasterio lirinensi provectus est, quos contra praedestinationis sententiam scriptos esse non dubium est.*

S. Fulgentius in libro item de incarnatione et gratia Christi cap. ult. in ipso epilogo: *Cujus*, inquit, *praedestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem praedestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitae praesentis, impietatis suae contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et praedestinavit ad regnum.*

His accedit publica Ecclesiae approbatio. Constat enim delatam fuisse ad apostolicam sedem, Celestino pontifice, a Prospero et Hilario querimoniam, quod in Gallia presbyteri quidam doctrinam s. Augustini de praedestinatione reprehenderent. Quid autem Celestinus rescripserit, perspicuum est ex epistola ejus ad Gallos, in qua inter caetera, postea quam magnis laudibus sanctum Augustinum extulit, ita subjunxit: *Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus; nefas est haec pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari.*

Et quoniam Galli respondebant, fuisse quidem a pontifice commendatam s. Augustini doctrinam, sed non approbatos in specie libros illos duos de praedestinatione sanctorum, et de bono perseverantiae; Contra s. Prosper in lib. contra collatorem, extremo, demonstrat, pontificem non potuisse hos libros non approbare, cum Augustini doctrinam probaverit, et hi libri a caeteris non dissentiant; nam sententia de praedestinatione gratuita, quae in his libris accurate defenditur, disertis verbis habetur etiam in enchir. in epist. 105. ad Sixtum et 106. ad Paulinum.

Deinde Celestinus in ea epist. cap. 2. ita laudat Augustinum, ut dicat, eum semper habitum a romana Ecclesia pro magistro optimo, et numquam eum fuisse saltem rumore sinistrae suspicionis aspersum. At quomodo ista dicere potuisset Celestinus, si Augustinus falso scripsisset, fidem praedestinationis in Ecclesia catholica semper fuisse; et contra eam neminem nisi errando disputare potuisse? Nam si Augustini de praedestinatione sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam eam pro fide catholica venditare ausus esset. Quomodo igitur Celestinus eos, qui pro hac ipsa re Augustinum temeritatis et erroris damnabant, ita reprehendit, ut dicat, nefas esse talia audire, et Augustinum pro magistro optimo semper habitum, nec unquam fuisse saltem rumore sinistrae suspicionis aspersum; nisi hanc ipsam de praedestinatione doctrinam, secundum Augustini sententiam, veram esse credidisset?

Post illa Celestini tempora, cum nondum factio illa Gallorum conquiesceret, s. Leo pontifex misit ad concilium arausicanum certa capitula de gratia et libero arbitrio, ex libris s. Augustini verbatim decerpta, quae voluit ab episcopis illis recipi et subscribi, ut etiam factum est. Porro in illis capitulis continentur omnia fundamenta sententiae de praedestinatione gratuita, ut non possit ullus praedestinationem negare, nisi velit illis capitulis contraire.

Denique s. Gelasius in concilio 70. episcoporum, non solum probavit omnia scripta s. Augustini, et s. Prosperi; sed etiam contra damnavit libellos Joannis Cassiani et Fausti regiensis: cum tamen non ignoraret, potissimam contentionem inter Prosperum et Cassianum, ac deinde inter Fulgentium et Faustum, de scriptis s. Augustini de praedestinatione sanctorum, et bono perseverantiae fuisse.

Itaque sedes apostolica non tantum semel, sed etiam secundo et tertio adversus Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiae et praedestinationis sententiam tulit, ut jam haec sententia non quorumvis doctorum opinio, sed fides Ecclesiae catholicae dici debeat: id quod in sequenti capite adhuc apertius, Deo juvante, monstrabitur.

CAPUT XII.

Idem probatur rationibus ex Scriptura, et traditione depromptis.

Proponamus ultimo loco rationes, non ex sola speculatione nostra, sed ex ipsis sacrarum literarum, et traditionis ecclesiasticae fontibus derivatas.

Prima ratio: Sine fide nemo salvari potest: *Qui enim non crediderit, condemnabitur*, Marc. ult. Fides autem donum Dei est, quod non omnibus da-

tur, sed iis tantum quibus eam Deus donare voluerit: *Vobis enim* (inquit Apostolus ad Philip. 1.) *donatum est pro Christo,non solum ut in illum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Igitur soli illi salvantur, quos Deus gratis salvari decreverit. Praescivit vero Deus ante mundi constitutionem, quibus salutem gratis daturus esset, et hoc ipsum ab ipsa aeternitate decrevit, et praeordinavit, cum Dei scientia et propositum aeterna et immutabilia sint. Igitur vera est sententia s. Augustini de gratuita praescientia et praedestinatione divina.

Ad hanc rationem Duobus modis responderi solet,sic tamen ut modus uterque et Scripturis repugnet, et a Pelagiana haeresi non recedat. Primum igitur aliqui respondent, fidem esse donum Dei, sed hoc donum iis omnibus dari, quos Deus praevidit per bonum usum liberi arbitrii dispositos fore ad illud donum recipiendum, hoc est, qui fecerint ante, quod in se est, ex viribus naturae.

Haec responsio manifeste incidit in illam damnatam sententiam Pelagianorum,gratiam secundum merita nostra dari,ut copiose tractabimus in 6.lib. cap. 4. 5. et 6. meritum enim appellant Patres in hac quaestione quodlibet opus bonum, ratione cujus gratia, vel auxilium homini datur, ut patet ex August. in lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. et ex Prospero lib. contra Collatorem, cap. 6. et praeter alia argumenta,refellitur ista solutio ex orationibus Ecclesiae, quae funduntur pro infidelibus et persecutoribus. Si enim Deus ordinarie fidem donaret iis,quos ex bono usu liberi arbitrii dispositos esse videret, frustra oraretur pro infidelibus, maxime obstinatis et persecutoribus. Praeterea si res ita se haberet, initium salutis esset ex nobis, et petenti Apostolo: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?* 1. ad Corinth. 4. responderi posset: discernit me bonus usus liberi arbitrii, et hoc habeo quod non accepi, et hoc modo gratia non omnino esset indebita,ac per hoc non omnino esset gratia.

Dicunt ergo Alii: Fidem esse donum Dei, sed non omnibus dari, quia non omnes eam volunt accipere (Deum enim omnes vocare,et auxilium sufficiens omnibus praebere, quo possint credere, si velint) proinde praedestinationem pendere ex praevisione boni usus gratiae sufficientis: Illos enim esse praedestinatos, quos Deus praevidit cooperaturos gratiae sufficienti, et inde crediturос; illos esse reprobatos, quos praevidit gratiae sufficienti non cooperaturos, et inde non crediturос.

At haec solutio repugnat aperte sacris literis. Nam tametsi pie credamus, omnibus dari pro loco et tempore auxilium sufficiens, quo possint credere; tamen Scriptura docet, re ipsa non credere,nisi illos qui habent auxilium efficax, quo fit ut homo non solum possit credere, sed etiam credat, et hoc auxilium non omnibus dari; nam in primis Joan. 6. Dominus ait: *Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me.* Et ibid. *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me.* Et Joan. 10. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Ubi videmus caussam reddi, cur Judaei isti non crederent, non quia non haberent auxilium, quo possent credere; quorsum enim Dominus illis praedicaret, signa coram eis faceret, hortaretur eos ad fidem, reprehenderet, et inexcusabiles diceret, si non dedisset eis auxilium, quo possent credere? Sed quia, non haberent gratiam illam, quae ita suadet ut persuadeat, et ideo non habuisse gratiam illam, quia non erant de electis ovibus,neque dederat eos pater filio, et ideo ibidem addidit: *Nemo potest ad me venire,* idest, sine dubio nullus veniet,nisi pater traxerit eum. Nam (ut diximus) venire poterant absolute, sed dicuntur non posse,quia certum erat et infallibile, non venturos. Quare ibid. Dominus citans Isaiam ait: *Est scriptum in prophetis; Et erunt omnes docibiles Dei.* Quorum verborum ille est sensus, omnes qui credunt, docentur a Deo, proinde nemo credit, nisi a Deo doctus, idest, tractus et persuasus a Patre.

Deinde Matth. 11. idem Dominus ait: *Confiteor tibi Pater, Domine coeli ac terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus,et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Et: *Nemo novit filium, nisi Pater,neque Patrem quis novit, nisi filius, et cui voluerit filius revelare.* Hic vero non agitur de revelatione per externam praedicationem, nam eo modo revelaverat Deus multis aliis mysteria fidei, non solis iis, qui tunc crediderant,palam enim Christus praedicabat in templo et in synagogis: sed loquitur de interna illa revelatione, quae persuadet fidem,quae non datur omnibus, sed quibus placitum est ante Deum. De qua etiam dicitur Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus qui in coelis est.*

Praeterea cum b. Paulus multis praedicaret,Act. 16. certe omnes poterant credere,alioqui non peccassent, non credendo: tamen sola credidit Lidia purpuraria,cujus rei caussam reddens s. Lucas ait: *Aperuit Dominus ejus cor intendere his,quae dicebantur a Paulo.* Cur autem aperuit Dominus cor ejus, et non aliorum, nisi quia ex eo numero sola ipsa praeordinata erat ad vitam aeternam, ut idem Lucas dicit de aliis, qui crediderunt, Act. 13.

Item, cum idem Paulus tam saepe repetit, fidem esse donum Dei, et non omnium esse fidem, ut ad Ephes. 2. Philip. 1. 2. ad Thess. 3. et alibi, non negat, omnes posse credere, si velint cooperari gratiae praevenienti et sufficienti, neque dicit donum Dei esse fidem, quia Deus praebeat auxilium sufficiens ad credendum, id enim est donum commune omnibus, ac praesertim secundum adversarios. Nihil igitur significat aliud, nisi donum Dei esse ipsum velle credere, et re ipsa credere, quod non habent nisi qui credunt; quoniam eis solis Deus dignatur ita suadere, ut persuadeat.

Denique quod ait idem Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti?* non solum probat, non discerni fidelem ab infideli, per bonum usum liberi arbitrii,praecedentem gratiam, sed etiam non discerni principaliter per liberam cooperationem gratiae praevenientis, quasi ipsa cooperatio non sit donum Dei, nam adhuc posset fidelis inflari, ac dicere, discernit me cooperatio mea; ego enim cooperatus sum,ille cooperatus non est, cum eandem praevenientem gratiam haberemus. Vult autem Apostolus ampulare omnem inflationis occasionem,et ut fideles intelli-

gant, hoc ipsum quod fideles sunt,donum esse Dei sibi gratis datum, aliis autem minime datum.

Altera ratio ducitur a dono perseverantiae, hoc modo. Sine perseverantia nemo salvari potest; *Qui enim perseveraverit usque in finem,hic salvus erit.* Matth. 10. et Apoc. 3. *Tene quod hobes, ne alius accipiat coronam tuam:* At perseverantia donum est Dei, quod non datur ex meritis, sed ex gratia,et quamvis omnes justi perseverare possint, si velint; tamen soli illi perseverant, qui habent hoc donum perseverandi usque in finem, ac per hoc salus et praedestinatio ad salutem ex voluntate Dei simpliciter pendet.

Probatur assumptio hujus argumenti.Primum enim Dominus Joan. 13. cum dixisset: *Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea,* subjungit, *non de omnibus vobis dico; ego scio quod elegerim.* Ubi satis indicavit, non omnibus dari, ut perseveranter faciant, sed solum electis,et cap. 15. loquens istis, quos elegerat: *Ego posui vos,* inquit, *ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Quod est idem ac si dixisset, ego dabo vobis bene operari, et perseverare in bono opere, usque in finem. Et Apostolus ad Roman. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ubi ponit homines velle et currere, idest, credere et operari, ac per hoc habuisse gratiam credendi et operandi, et tamen quia videbat, non perventuros ad bravium, nisi eos,qui ex peculiari misericordia haberent perseverantiam; ideo dixit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Et certe, si solum ex Dei misericordia diceretur pendere perseverantia, quia sine Dei auxilio, non posset homo perseverare, non autem quia faceret hominem ipsa misericordia infallibiliter perseverare, alioqui non perseveraturum, sicut dicitur: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* ita contra dici posset, non miserentis Dei, sed volentis et currentis est hominis. Nam sine voluntate et actione hominis non perficit misericordia Dei, quod intendit. Quod si nemo audebit ita invertere verba divina, ne Spiritui sancto apertissime contradicat, plane sequitur id quod diximus, ut ideo dicatur miserentis esse Dei,non volentis et currentis hominis, quoniam illi soli ex volentibus et currentibus perveniunt, quos Dei misericordia perseveranter volentes et currentes facit.

Item Philippen. 2. *Cum metu,* inquit, *et tremore salutem vestram operamini. Deus enim est qui operatur in vobis velle et perficere, pro bona voluntate.*Quae est ista consequutio,*cum metu operamini, quia Deus est, qui operatur?* nimirum Apostolus monet, ut quamvis bene operemur, non tamen nobis certo perseverantiam promittamus,sed cum metu et tremore Deo subjecti simus, a cujus manu pendet perseverantia nostra. Ipse est enim qui in iis, qui perseverant, operatur velle et perficere pro bona voluntate.

Denique ut alia multa testimonia divina praeteream. S. Joannes in epist. 1. cap. 2. *Ex nobis,*inquit, *prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quem locum ita edisserit s. Augustinus in lib. de bono perseverantiae,cap. 8. *Quid est quae so, non erant ex nobis?nonne utrique a Deo creati,utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, et ab eo, qui dixit, omnem flatum ego feci, unius ejusdemque naturae animas acceperant? nonne postremo utrique vocati fuerant, et vocantem sequuti,utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed si haec; audiret ille, qui sciebat proculdubio quod dicebat, respondere posset, et dicere, vera sunt haec;secundum haec omnia erant ex nobis, veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum:quaenam est ista discretio? non erant ex eis, quia non erant in Christo electi ante mundi constitutionem.* Haec ille.

Dicet fortasse alienis: Loqui apostolum Joannem de discretione ex praescientia bonorum operum, ut sensus sit, non erant ex nobis in praescientia Dei,quia Deus praeviderat eos non perseveraturos. At haec intelligentia nimis frigidam, et quasi puerilem reddit apostolicam sententiam. Idem enim est, non erant ex nobis in praescientia, et non erant perseveraturi. Unde sequitur inepta illa consequutio, nam si fuissent perseveraturi,utique perseverassent. Quae consequutio nihil arcani, aut divini continet.

Dicit rursus alius, illud: *Non erant ex nobis,* posse intelligi de simulatione fidei, ut sensus sit, videbantur exterioribus signis Christiani atque catholici, sed jam praecisi erant corde a nobis. Ita enim exponit idem s. August. tract. 3. in epist. Joan. Respondeo: Utrumque verum esse,et inter se optime cohaerere; nam qui praedestinati,non sunt, et per hoc in praedestinatione discreti ab aliis, qui sunt in Ecclesia electi ac praedestinati; saepe etiam prius corde praeciduntur,quam corpore, et verum est, illos non esse ex nobis etiam cum videntur esse ex nobis,tum quia non sunt ex numero electorum; tum etiam quia sunt a nobis jam corde praecisi. Caeterum, hanc apostolicam sententiam praecipue ad praedestinationem referendam esse, ex eo constat, quod Joannes ita secure affirmat: *Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Non enim id certo asseverari potest de quibuscumque sinceris, verisque catholicis, nisi de numero sint eorum, de quibus Dominus dicit: *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Joan. 10.

Ad haec testimonia, quibus speciale donum perseverantiae comprobatur, addi possunt Duae solidissimae rationes? Altera sumitur ab orationibus, quas jubemur assidue fundere pro dono perseverantiae; Nam si perseverantiae donum nihil esset, nisi auxilium, quo perseverare possimus, non esset opus tanta precum assiduitate; id enim donum semper habent qui justi sunt, non enim deserit Deus, nisi prius ab homine deseratur. Sic etiamsi donum perseverantiae semel impetratum, amitti non posset, hoc est, si ante mortem revera obtineretur; non esset opus usque ad mortem donum illud a Domino petere: jubemur autem quotidie, quantumvis proficiamus, semper dicere: *Sanctificetur nomen tuum, Fiat voluntas tua. Ne nos inducas in tentationem, Libera nos a malo.* Qui-

bus omnibus verbis quid aliud petimus, nisi ut s. Cyprianus loquitur in serm. 6. *Ut in eo,quod esse coepimus, perseveremus?* Itaque recte s. Augustinus in lib.de bono perseverantiae,cap. 17. *Restat*, inquit, *in his bonis,usque in finem perseverantia, quae frustra quotidie, a Domino petitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus orationes exaudit, operatur.*

Altera ratio sumitur a termino ac periodo vitae humanae, quae non ab alio, quam ab ipso hominum conditore statuitur: *Ipse* enim *constituit terminos, qui praeteriri non possunt*, Job 14. *Ipse aufert spiritum principum*, psalm. 75. *Ipse* denique *mortificat et vivificat*, 1. Reg. 2. Cum igitur in manu Dei sit, justum rapere, antequam malitia illum depravet et peccatorem expectare, donec ad sanitatem redeat; et contra,justum in vita relinquere, donec iterum labatur, et pereat,et peccatorem, antequam convertatur, de medio tollere, quis non videt perseverantiam donum esse Dei? *Videte*, inquit Augustinus loc. cit. *a veritate quam sit alienum,negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitae, cum vitae huic, quando voluerit ipse, det finem: quem si dat ante imminentem lapsum.facit hominem perseverare usque in finem.*

Tertia ratio ducitur a parvulorum diversitate, quorum aliqui rapiuntur statim a Baptismo;alii paulo ante Baptismum; quorum priores ad gloriam praedestinatorum, posteriores ad poenam reprobo rum pertinere non dubium est,nec possunt hic alla merita praevisa, ullusve bonus usus liberi arbitrii aut gratiae fingi. Faciunt autem hoc argumentum multo adhuc firmius et solidius apparere vanae responsiones, quas nonnulli magno labore tandem repererunt: *Mirum est*, inquit s. Augustinus in epist. 105. ad Sixtum. *cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta praecipitent,metuentes retia veritatis.*

Respondebant igitur olim quidam: Praedestinatos esse parvulos secundum opera, quae Deus eos facturos fuisse praeviderat, si diutius illis vivere contigisset. Sed refellit hanc responsionem idem August. in lib. de praedest. sanctorum, cap. 12. ex eo, quod Apostolus definit 2. ad Corinth. 5. omnes homines judicandos a Christo secundum propria corporis, idest, prout in hac vita corporali se gesserunt. Item ex eo, quod parum profuisset cuidam, rapi antequam malitia immutaret intellectum ejus, ut dicitur Sapient. 4. et contra multum profuisset Tyriis et Sidoniis, fuisse credituros si Christi signa vidissent, ut dicitur Matth. 11. si judicandi sumus secundum opera, quae facturi eramus.

Respondent igitur Alii: Aliam esse rationem parvulorum, aliam adultorum; quoniam adulti, si non salvantur, in aeternum pereunt; parvuli si non salvantur, non tamen pereunt, sed habebunt extra regnum coelorum suam quandam vitam aeternam et beatam.Sed hanc solutionem incidere in haeresim Pelagianam, docet August. in lib. de bono perseverantiae, cap. 11. et 12. et nos etiam contra hunc errorem disseruimus in lib. 6. de statu peccati. Et certe fidelibus satis esse deberet, quod Apostolus ad Roman. 5. tam aperte dicat, unius delicto omnes homines in condemnationem missos esse.

Respondent Alii postremo: Casu fieri quod ex parvulis alii baptizentur, alii sine Baptismo decedant, quia videlicet alii nascantur apud Christianos, alii apud infideles, alii debiliores sint ex naturalibus caussis, quam ut ad Baptismum usque vivere possint;Alii meliorem nacti sint corporis constitutionem, et ideo ad lavacrum, regenerationemque perveniant. Sed haec responsio non videtur digna Christianis,qui providentiam Dei erga homines ex sacris literis, et ecclesiastica traditione didicerint; Nam si non cadit passer in terram, sine Patre nostro, qui in coelis est,ut Salvator affirmat, quanto magis nos apud Deum pluris sumus illis? et si non disponeret Deus limites vitae et mortis hominum, quomodo diceret psal. 54. *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos?* Quomodo, quod saepe citavimus, lib. Sapient. 4. diceret: *Raptus est,ne malitia immutaret intellectum ejus.*Quomodo in Scriptura Testamenti veteris tam saepe repeteretur, qui casu videbantur occisi traditos esse a Deo in manus hostium, aut ferarum? quomodo in ipsa lege divina promitteretur iis, qui parentes colunt, ut debent,vita diuturna super terram?

Deus igitur non mutat quidem cursum naturae, sinitque res omnes agere motus suos, tamen ante mundi constitutionem sine dubio vidit, qui ab initio usque ad finem accideret, si hoc aut illo modo rerum caussas, totiusque naturae cursum, ordinemque disponeret. Et cum in manu ejus essent omnia, neque aliquid, nisi eo jubente, aut permittente fieri posset, proculdubio, res ita disposuit,ut omnia cooperarentur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Quod igitur parvulorum alius baptizetur, alius sine Baptismi gratia rapiatur, proxima caussa referri poterit in caussas naturales, ut parentum diligentiam, corporis complexionem, aliaque id genus; primaria tamen caussa non alia esse potest, nisi divina voluntas.

Quarta ratio sumitur ab exemplo Christi, qui caput est, et princeps omnium electorum: *Christus enim praedestinatus est filius Dei in virtute*, ut Apostolus loquitur ad Roman. 1. et praedestinatus est omnino gratis, non propter opera aliqua praevisa; non enim aliqua opera facere potuit homo Christus ut filius Dei fieret, cum ex illo coeperit esset filius Dei, ex quo coepit esse homo. Nam filium Dei unicum foemina illa gratia plena concepit, non hominem aliquem, qui postea accedentibus meritis, ad personam filii Dei assumeretur.

Ut igitur Christus ipse gratis omnino praedestinatus est, ita membra Christi gratis praedestinata sunt; praedestinamur enim nos, *ut conformes efficiamur imagini filii Dei*, ut ait Apostolus ad Roman. 8. itaque sicut ille homo praedestinatus est, esse filius Dei naturalis, nullis praecedentibus meritis; ita nos etiam praedestinamur, ut simus filii Dei per adoptionem,nullis praecedentibus meritis. Vide hanc rationem eleganter tractatam ab August. in lib. de praedestinatione sanctorum, cap. 15. et

de bono perseverant. cap. ult. et de corrept. et grat. cap. 11.

Quinta ratio sumitur a fine praedestinationis. Praedestinatio pro fine habet *ostensionem divitiarum gratiae Dei, in vasa misericordiae, et laudem gloriae gratiae suae*, ut Apostolus testatur ad Roman. 9. et 11. et ad Ephes. 1. at si praedestinaret homines Deus propter bonum usum liberi arbitrii, gratiaeve praevisum, non ostenderet divitias gratiae, sed justitiae, aut aequitatis.

At, inquiunt, haec ipsa ingens est gratia, quod Deus ad aeternam gloriam homines praedestinare voluerit, propter bonum usum liberi arbitrii, vel gratiae; non enim tenebatur Deus hoc facere, sed dimittere poterat omnes homines in massa perditionis, et ne sufficiens quidem auxilium ulli concedere. Sed si haec sola esset gratia praedestinationis, non diceret Apostolus: *Deum ostendere voluisse divitias gratiae in vasa misericordiae.* Nec diceret, *reliquias secundum electionem gratiae salvas fieri.* Nec diceret, *nos in Christo praedestinatos in laudem gloriae gratiae suae.* Nam praedestinare velle eos, qui bene operabuntur, gratia est communis toti generi humano, non propria vasorum misericordiae, neque dici potest electio gratiae, sed justitiae, illa electio, qua eliguntur qui praevidentur bene operaturi; quamvis gratia dici possit, bravium hoc decertaturis proponere voluisse. Itaque non dubium est Apostolo repugnare sententiam illorum, qui electionem salvandorum meram gratuitam negant.

Sexta ratio: Discretionem electorum a reprobis Scripturae referuntur inter arcana et sacramenta altissima et inscrutabilia, ut patet ex illo Roman. 11. *O altitudo divitiarum scientiae et sapientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus? quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Quod enim eo loco tantopere admiratur Apostolus, est, *quod Deus omnia concluserit in incredulitatem, ut omnium misereatur*, idest, permiserit omnes fieri incredulos, prius gentiles, posterius Judaeos, ut omnium misereatur, idest, gentium et Judaeorum, et inde factum sit, ut aliquando ex gentilibus paucissimi, ac fere nulli salvarentur, nunc plurimi salventur: Et contra, ex Judaeis multi salvarentur aliquando, nunc paucissimi salventur, et rursus in fine saeculi iterum multi salvandi sint.

At si vera esset adversariorum sententia, nullum hic esset mysterium, nulla caussa admirationis; diceremus enim Deum antiquis temporibus non misisse praedicatores, nisi ad Judaeos, quoniam videbat paucissimos fuisse inter gentiles, qui praedicatoribus fidem habituri essent; nunc autem contra eos mittere ac misisse, quia videbat plurimos futuros qui hoc tempore fidem reciperent. Et idem dici posset de Judaeis; non est autem mirum, si Deus non salvare, sed damnare decrevit eos, quos minime crediturus, maleque operaturos fuisse praevidit; sicut nemo miratur, si videat a judice puniri noxios, liberari innoxios.

Apostolus autem admiratur et exclamat: *O altitudo divitiarum*, quoniam videt in eadem caussa Deum, qui non est acceptor personarum, aliorum misereri, aliorum non misereri; nam ut ostenderet, gentiles hoc tempore facile converti ad fidem, quia Deus miseretur eorum, et antea non credidisse, quia Deus eorum non miserebatur; et Judaeos qui nunc increduli sunt, in fine crediturus, quia Deus eorum nunc non miseretur, sed in fine miserebitur, ita ait: *Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis propter illorum incredulitatem: ita et isti nunc non credunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur*, idest, sicut nunc Deus patitur Judaeos manere incredulos, vestri autem miseretur, eosque convertit ad fidem, sic in fine mundi illorum etiam miserebitur, eosque convertet, et ideo post exclamationem illam: *O altitudo divitiarum*, rursum addit, *quis prior dedit ei, et retribuetur illi? quoniam ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia*, ut ostendat, Deum praevenire omnia merita nostra, et omnem bonum usum liberi arbitrii, et propterea jure mirandum esse, et inter arcana inscrutabilia habendum, cur Deus hujus misereatur, illius non misereatur.

Quintum argumentum: Notitia subsistens in Deo producit active amorem, cum Verbum spirat Spiritum sanctum ; igitur notitia quaelibet etiam non subsistens, producet active amorem ; non enim subsistentia mutare potest genus causalitatis. Quare sanctus Augustinus, lib. 15. de Trinit. cap. 23. et 26. absolute pronunciat, Amorem a cognitione procedere.

Respondeo : Notitia subsistens producit active amorem, non quia notitia est, sed quia divina est, et habet omnia, quae habet Deus Pater, ac per hoc habet etiam voluntatem et ipsum velle Patris. Itaque eadem voluntate, qua Pater, et eadem actione Spiritum sanctum producit. Quod autem s. Augustinus dicit, si de divina cognitione accipiatur, eodem modo intelligendum erit : si de cognitione in universum, tum dicemus a cognitione produci amorem; quia bonum cognitum est caussa finalis et objectiva amoris. Quidquid enim amamus, ideo amamus, quia intelligimus esse bonum, et naturae nostrae conveniens.

Sextum argumentum : Ratio per ultimum judicium practicum trahit voluntatem, et eam quodammodo rapit ad opus : sic etiam cum primum terribile aliquid occurrit animo, non possumus non timere ; cum aliquid valde jucundum, non possumus non laetari: igitur saltem in hujusmodi intelligentia active voluntatem movet.

Respondeo : Voluntas movetur necessario a judicio ultimo rationis, et a repentinis occursibus

rerum magnarum, non quod ratio active moveat, sed quia voluntas in hujusmodi habet se per modum caussae naturalis, quae praesente objecto, non potest non agere.

Septimum argumentum: Si voluntas ad praesentiam extrinsecam objecti, se ipsa active moveret, non posset reddi ratio, cur non essent omnes ejus actus ejusdem speciei, talis enim est effectus, quale est principium formale in ipso agente : cur igitur, si formale principium in voluntate est unum, idest, natura voluntatis, non sunt omnes effectus ejusdem speciei? Item si voluntas ad praesentiam extrinsecam objecti per se operatur, cur non etiam mens ad praesentiam objecti cognoscit, nisi speciem ab illo recipiat? cur item sensus non cognoscit sine immutatione activa ab objecto? cur ligna non se ipsa comburunt ad praesentiam ignis?

Ad explicationem hujus difficultatis, Sciendum est, in omni actione requiri quatuor caussas, materiam, sive subjectum ; efficiens ; formam, et finem ; ex his autem materiam et efficiens, et rursum formam et finem aliquando idem et unum esse. Nam cum actio est immanens, idem est efficiens et subjectum; in rebus vero naturalibus idem est finis et forma; efficiens enim id propositum habet, ut effectum producat similem suae formae. In his autem quae fiunt ex arte, finis et forma sunt idem. Nam non intendit qui facit aliquid ex arte producere effectum similem arti, per quam agit, sed ideae, quam gerit in mente.

Jam igitur in actu voluntatis subjectum est ipsa voluntas, efficiens, eadem voluntas. Nam (ut diximus) actus voluntatis est immanens, qui necessario in eo recipitur, unde procedit. Forma intrinseca, per quam voluntas agit, est inclinatio quaedam naturalis ad bonum, in qua virtute includuntur omnes particulares inclinationes, et est ipsa quasi semen quoddam, unde prodeunt omnes volitiones. Sed quoniam ista inclinatio generalis ex se indifferens est ad multa, propterea requiritur alia forma extrinseca, quae determinet priorem quoad specificationem, et haec est objectum ipsum mente conceptum et judicatum ut conveniens, quod etiam finis est actionis. Tendit enim actio voluntatis ad acquisitionem objecti. Est autem haec actio voluntatis valde similis motui locali animalium, in quo videmus efficiens, et subjectum esse idem ; formam intrinsecam esse vim motricem; finem autem esse ipsum (Ubi) extrinsecum, et ab eo specificari motum.

Sciendum est praeterea, ab objecto in mente concepto, specificari quidem, ut diximus, actionem voluntatis, sed tamen specificari finaliter, non active. Nam non potest in re distingui gradus specificus a generico, quasi possit aliquid active concurrere ad producendum effectum, quoad gradum specificum, nisi concurrat ad eundem effectum producendum, etiam quoad gradum genericum. Eadem enim entitas est substantia rei et species rei. Itaque actus voluntatis specificatur ab objecto, sed non producitur ullo modo active ab objecto: quemadmodum et motus localis specificatur a loco, sive ab (Ubi) a quo tamen nulla ratione producitur.

Ex his ad argumentum propositum Respondemus: Actus voluntatis esse diversarum specierum, quia diversa sunt objecta, ad quae per inclinationem voluntas fertur. Neque id est proprium voluntatis, sed commune est non solum motui ad locum (ut jam diximus), sed etiam actibus intelligentiae et omnium sensuum. Specificantur enim illi omnes non a forma intrinseca ipsarum potentiarum, sed ab objectis. Commune quoque est omnibus artificiatis, et (si quid aliud est) in quo finis non coincidat cum forma intrinseca ipsius agentis.

Ad Aliud de intelligentia et sensibus quae non operantur ad solam praesentiam objecti, nisi ab illo aliquid recipiant, Respondeo: Rationem discriminis esse in promptu. Nam potentiae apprehensivae non sunt in actu primo, nisi recipiant similitudinem objecti, et ideo sunt ex natura sua potentiae partim passivae, partim activae: appetitivae autem potentiae sunt in actu primo per inclinationem generalem ad bonum. Et ideo simpliciter sunt activae, et se ipsae movent ad praesentiam objecti, quamvis ab eo nihil recipiant.

Ad Illud de lignis, quae non se ipsa comburunt ad praesentiam ignis, facilis Responsio est. Nam ligna non continent vim comburendi, neque virtute, neque actu: voluntas autem continet virtutem, per quam omnia bona potest appetere. Atque haec de ista quaestione sufficiant.

CAPUT XII.

Per liberum arbitrium non expeti mala, sed bona.

Sequitur disputatio de objecto liberi arbitrii, propter illam particulam definitionis, in qua dicebamus, liberum arbitrium esse eorum, *quae ad finem aliquem ducunt.* Erit autem tripartita tractatio ; Primum enim quaeremus, Utrum ad objectum liberi arbitrii pertineant bona et mala, an solum bona. Deinde, an bona et praesentia et futura, an futura tantum. Denique, an solum media ad finem an etiam ipse finis.

De Prima quaestione pauca dicenda erunt. Nam tametsi Gulielmus Okam in lib. 3. sentent. quaest. 13. dub. 3. scripserit, voluntatis objectum esse Ens, quod bonum et malum comprehendit; ac per hoc posse voluntatem ferri in malum sub ratione mali: tamen communis sententia theologorum est, Voluntatis objectum proprium et primarium esse bonum, sive aliquid apprehensum sub ratione boni; malum autem non pertinere ad objectum voluntatis, nisi secundario et per accidens, quatenus videlicet malum nolumus, et ideo nolumus, quia bono, quod per se volumus, contrarium est. Id quod tum alii permulti, tum praecipue s. Thomas docet in 1. par. quaest. 20. art. 1. Item in 1. 2. quaest. 8. art. 1. et in lib. 3. contra gentes, cap. 16. et 17.

Rationes pro hac vera communique sententia hae sunt. Prima est auctoritas. Sic enim docent ex nostris, Clemens alexandr. lib. 1. stromatum, pag. 65. Dionys. in lib. de divinis nominibus, cap. 4. Augustinus lib. 2. Confess. cap. 6. Boëthius lib. 4.

de consolatione, Damasc. lib. 2. de fide, cap. 22. Ex externis, Aristoteles lib. 1.ethic. cap.1. et Seneca in lib. 4. de beneficiis, cap. 7. Deinde sunt haec argumenta.

Primum: Inclinatio voluntatis in suum objectum est naturalis,igitur auctor ejus est Deus. Quare non potest esse nisi bona. At si objectum voluntatis esset malum, et inclinatio ejus esset mala; immo esset inclinatio in perniciem propriam; quod sine dubio naturali inclinationi repugnat;proinde esset naturalis et non naturalis,a Deo et non a Deo;quae sunt contradicentia.

Secundum: Ens, ut omnia omnino comprehendit, est proprium objectum intelligentiae,non igitur esse potest objectum voluntatis. Neque enim diversarum potentiarum idem objectum esse potest.

Tertium: Voluntas magis appetit id quod est utilius appetenti, quam quod est in se praestantius, vel nobilius. Quis enim non multo malit unum aureum nummum, quam decem muscas, aut viginti culices? igitur objectum voluntatis non est ens absolute, sed bonum et conveniens.

Quartum: Objectum appetitus non potest esse, nisi id quod est appetibile. At bonum est, quod omnia appetunt, ut scribit philosophus initio primi libri ethicorum. Igitur bonum proprie est objectum voluntatis.

Sed videamus quid contra adversarius adferat. Argumentum Gulielmi non est nisi hoc; si quis non possit velle malum, et nolle bonum, non poterit mereri et demereri circa hos actus, quod videtur absurdum.Nam si Christianus judicet malum esse colere idola, non poterit velle colere idola,ac proinde non poterit circa hoc peccare et demereri; et similiter non poterit mereri detestando cultum idolorum,quia circa quod non possumus demereri, circa idem nec possumus mereri.

Respondeo: Poterit Christianus velle colere idola, tametsi judicet id esse malum absolute, quia poterit judicare id esse bonum sibi,vel ad evadenda tormenta, vel ad conciliandam sibi gratiam ethnicorum, vel alia quacumque de caussa.Quod si quis apprehendat cultum idolorum solum sub ratione mali, non poterit quidem illum velle, tamen mereri poterit et demereri,quoad exercitium actus, qui poterit non detestari eum actum, quando tenetur detestari; poterit etiam detestari,quando libere posset non detestari, et hoc modo demerebitur vel merebitur.

Praeter hoc argumentum solent proponi alia quatuor argumenta. Primum est ex Scriptura,quoniam Ecclesiastici 15.*Ante hominem vita et mors, bonum et malum.Quod placuerit ei,dabitur illi.* Respondeo: Bonum potest rejici, quia potest apprehendi sub ratione mali; et malum potest eligi, quia potest apprehendi sub ratione boni.Atque hoc solum est, quod docet Ecclesiasticus.

Secundum argumentum ex Augustino et Bernardo, scribit enim s. Augustinus in lib. 2. confess. cap. 4. se in furto non amasse nisi peccatum. Et s. Bernardus serm. 35. ex parvis,scribit,diabolum et alios quosdam diligere malum, quia est malum. Respondeo: S.Augustinus explicat in eodem libro, cap. 9. se amasse in eo furto ipsum peccatum,sed sub ratione boni delectabilis, quia videlicet gaudebat cum aliis sociis suis fallere vicinum suum. Ad quem modum intelligendum est etiam quod scribit sanctus Bernardus; diabolus enim diligit malum nostrum sub ratione boni sui, existimat enim sibi utile esse, si multi pereant.

Tertium argumentum:Intelligentia cognoscit verum et falsum; cur igitur et voluntas non velit bonum et malum? Respondeo: Intelligentia apprehendit verum et falsum; sed cum judicandum est, vero consentit,a falso dissentit. Porro voluntas sequitur intelligentiam non simpliciter ut apprehendentem, sed ut judicantem. Idcirco sicut intelligentia veritati consentit,a falso dissentit;ita voluntas eligit bonum, rejicit malum.

Quartum argumentum: Potest voluntas nolle bonum sub ratione boni,quia potest Deum, qui summum ac purum est bonum, odio habere,sicut eundem potest diligere; igitur potest etiam velle malum sub ratione mali; siquidem nolle bonum et velle malum ejusdem rationis sunt. Respondeo: Potest quidem voluntas humana Deum odisse, sed sub ratione mali, idest, gravis et incommodi. Sic enim impii Deum cogitant judicem severum. Et quia nollent poenas dare scelerum suorum, ideo Deum esse, vel certe omnia scientem et omnipotentem esse nollent. Quare negandum est posse voluntatem nolle bonum sub ratione boni,sicut etiam contra velle malum sub ratione mali. Sed de his hucusque dictum sit.

CAPUT XIII.

Liberum arbitrium esse tum praesentium, tum futurorum.

Altera quaestio circa objectum liberi arbitrii est, Utrum liberum arbitrium sit etiam praesentium,an tantum futurorum; hoc est,habeat ne homo in potestate actiones suas futuras tantum,an etiam praesentes. Tres enim de hac re sententiae esse videntur.

Prima Petri Lombardi in lib. 2. sentent. distin. 25. Item Gulielmi Okam et Gabrielis in 1.sentent. distinct. 38. qui docent, actiones praesentes esse necessarias, quoniam id omne quod est, dum est, necesse est esse; proinde solum futuras in potestate esse liberi arbitrii.

Altera sententia est Gregorii ariminensis, in 1. sentent. distin. 39. qui censet inchoationem actionis etiam in praesenti liberam esse posse, tamen continuationem aliquam omnino esse necessariam. Nam etiamsi possit aliquis non inchoare actionem, et ideo libera sit inchoatio: tamen si inchoë ur, non potest in illo ipso puncto temporis desinere, quia esset et non esset, quia sunt contradicentia, si in illo ipso instanti desineret, in quo primum extitit: nec potest in proximo etiam instanti desinere, quia non inveniuntur duo instantia immediata; igitur necessario ad tempus aliquod continuabitur.

Tertia sententia communior in scholis, ac sine

dubio verior est, quam praeter caeteros explicant, et tuentur Joan. Scotus in 1. sentent. distin. 39. Capreolus in 2. distin. 25. Et Hervaeus quodlib. 1. quaest. 1. dub. 6. Habet igitur haec sententia, liberum arbitrium in potestate sua non solum futuras actiones habere, sed etiam praesentes, nec tantum inchoationem, sed etiam continuationem.

Probatur pars prior. Nam si liberum arbitrium non esset praesentium, sequeretur, ut nec posset esse futurorum. Non enim vere dici potest, hoc libere fiet,si in praesenti non potest vere dici,hoc libere fit. Sed neque vere dici poterit, hoc libere factum est; si non potuit in praesenti vere dici, hoc libere fit. Itaque tota peribit libertas.

Deinde:Si praesentium actionum nulla esset vera libertas, Deus non esset vere liber, quippe cui nihil est praeteritum, nihil futurum. Hoc autem falsum, atque absurdum esse suo loco postea demonstrabimus.

Tertio sequeretur: Christum in primo instanti conceptionis, et angelos in primo instanti creationis, neque boni aliquid meruisse, neque mereri ulla ratione potuisse, quod certe doctrinae scholarum minime consentaneum esse videtur.

Quarto: Illud quoque efficeretur, ut numquam piis operibus aliquid mereremur. Non enim meremur quando nihil agimus,ut notum est,neque meremur quando aliquid agimus,quia non libere agimus, si ad praesentia non est libertas, numquam igitur meremur.

Denique accedit et illud absurdum, ut qui peccant, tunc minime peccent, quando maxime peccant: nam tum maxime peccat quis, cum est in ipso actu et ardore peccati, at si praesentium non est liberum arbitrium, ille qui actu peccat, non libere peccat, proinde nec peccat.

Quo argumento probatur etiam pars illa posterior de continuatione.Nam si necessario continuari debet actio, et in ipsa continuatione non est libertas, sequitur, hominem per aliquod tempus bene operando non mereri, et male agendo non peccare. At certe valde absurdum est, ut bona vel mala actio, per hoc solum quod perseverat et continuatur, desinat esse bona vel mala.

Neque argumenta contraria aliquid efficiunt.Objiciunt enim Primo sententiam illam philosophi, *Omne quod est, dum est, necesse est esse*, lib. 1. de Interpretatione, cap.ult.Sed facilis est Responsio:Loquitur enim philosophus de necessitate conditionata, non de absoluta. Quemadmodum enim si quis dicat, si homines inter se disputant,necessario loquuntur; disputant autem,igitur necessario loquuntur: illa propositio necessario loquuntur, non intelligitur absolute,sed ex hypothesi,in hunc sensum, posito quod illi disputent, fieri non potest,quin loquantur;absolute tamen libere loquuntur, non necessario, quia poterant pro arbitrio disputationem non inchoare, et inchoatam eadem possunt libertate dimittere:sic etiam cum dicimus, Id quod est, quando est, necessario est,de necessitate conditionata, non de absoluta accipi debet. Siquidem actio,si libera sit,non potest quidem non esse, quando est,tamen absolute non necessario, sed contingenter fluit a sua caussa, et in quolibet momento potest interrumpi et dimitti.

Posset etiam per aliam distinctionem argumentum solvi. Nam id quod fit, potest considerari Duobus modis.Uno modo, ut est jam in se, et extra caussas suas, et hoc modo ipsum fieri, transiit in factum esse, et praesens in praeteritum,et ideo non potest res illa non esse, dum est, quia non potest non facta esse, quae facta est: Alio modo,ut fluit a caussa, sive ut habet ordinem ad caussam, et hoc modo, si caussa est libera, aut contingens, potest res illa non esse, et contingenter est, non necessario, quia videlicet ordinem ad caussam non necessarium, sed contingentem habet.

Objiciunt Secundo:Liberum arbitrium eorum esse, quorum est consultatio; at consultationem non praesentium sed futurorum esse; igitur et liberum arbitrium non praesentium,sed futurorum esse. Respondeo:Liberum arbitrium non solum esse eorum, quorum est consultatio, sed etiam eorum, quorum fuit consultatio, et ipsius quoque consultationis. Nam et libere in praesenti consultamus de futuris: et libere eligimus in praesenti,quod antea consultavimus.

Objiciunt Tertio: Non posse in eodem instanti aliquid fieri et desinere, quia simul esset et non esset, quae sunt contradicentia; et rursus non posse desinere in proximo instanti, quia non datur proximum instans; proinde necessario actionem esse continuandam ad aliquod tempus,ac per hoc actionem, dum continuatur, non esse liberam, sed necessariam. Respondeo:Non posse quidem in eodem instanti aliquid esse, et non esse, tamen posse in eodem instanti incipere et desinere. Quia quae desinunt in instanti, in quo fiunt, incipiunt per primum sui esse, et desinunt per ultimum sui esse.

Itaque non dicitur de ejusmodi rebus, haec res nunc est, quia incipit esse; et nunc non est, quia desinit esse: sed dicitur haec res nunc est,quia incipit esse, et post hoc non erit, quia desinit esse. Porro multa esse quae non continuantur,sed in eodem instanti pereunt, in quo nascuntur, perspicuum est ex ipsis instantibus in tempore, et mutatis esse in motu. Actiones etiam spirituales omnes et ipsam illuminationem corporalem in instanti fieri, et per primum sui esse incipere,ac per ultimum sui esse desinere, notissimum est. Nihil igitur argutiae Ariminensis contra veritatem efficiunt.

CAPUT XIV.

Liberum arbitrium non esse finis, sed mediorum ad finem.

Postrema quaestio est, sit ne objectum liberi arbitrii finis, an id quod est ad finem, siquidem philosophus in lib. 3. ethicorum, cap. 2. et 3. non semel repetit, electionem et consultationem non esse finis, sed mediorum tantum ad finem. *Nemo enim* (ut ipse dicit) *consultat, an debeat esse felix, neque elegit felicitatem, sed consultat de mediis; et ex iis illa eligit, quae optima videntur esse ad felicitatem assequendam.*

Contra autem s. Joannes damascenus, in 2. lib.

de fide, cap. 22. scribit, hominem non solum libere consultare et eligere, sed etiam libere appetere et velle. Appetere autem et velle proprie ad finem pertinere videntur. Nam ex appetitione et voluntate finis movemur ad quaerenda et eligenda media. Sanctus etiam Thomas in 1. 2. quaest. 10. art. 2. docet, hominem esse liberum, quoad exercitium, etiam circa appetitionem summi boni.

Denique non videtur posse in dubium revocari, quin libere diligamus Deum,qui est summus atque ultimus finis, quandoquidem amor Dei est actus maxime meritorius, et ei corona vitae, tamquam merces parata est, dicente apostolo Jacobo, *Accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se*, Jac. 1.

Sed res est facilis, nam si consideremus quidquid aliquo modo pertinet ad liberum arbitrium, tunc non solum media, sed etiam finis ad liberum arbitrium pertinebit: siquidem intentio finis libera esse potest, ut Damascenus recte docet. Si vero consideremus praecipuum actum liberi arbitrii,qui est electio, tunc sola media, non autem finis ad liberum arbitrium pertinebunt,ut Aristoteles probat. Caeterum saepe finis induit rationem medii, et eo modo ad objectum liberi arbitrii pertinere potest. Et quidem in finibus subordinatis nemo nescit, quin unum et idem nunc finis nunc medii rationem habeat, ac per hoc res eadem, ut finis, sub consultationem et electionem non cadat,ut medium, cadat. Exempli caussa, sanitas finis est medicinae. Propterea non consultat medicus, an expediat curare aegrotum. neque eligit sanitatem,sed appetit, atque intendit sanitatem, et ex amore hujus finis movetur ad quaerenda media, et eligenda pharmaca. Judex autem, cujus finis non est sanitas privati hominis, sed pax et incolumitas, consultat non solum de sanitate. sed etiam de vita privatorum hominum, an videlicet utile sit certos homines membrorum truncatione, aut etiam morte mulctare pro pace et salute civitatis. Porro magnus aliquis princeps, qui multis civitatibus imperat,non habet pro fine pacem unius civitatis, sed regni totius incolumitatem, ac proinde consultare poterit aliquando, utrum expediat ad regni totius conservationem civitatem aliquam rebellem penitus evertere ac delere.

Quod autem attinet ad ultimum finem,non potest ille quidem induere rationem medii, sed potest tamen appetitio ejus esse medium ad eundem finem assequendum. Itaque. desiderium felicitatis. dum peregrinamur a patria. liberum est quoad exercitium, et ipsa dilectio Dei medium est aptissimum ad assequendam beatitudinem. Atque hac ratione omnia conciliantur, quae initio parum inter se cohaerere videri poterant.

Sed existit non exigua dubitatio de primo amore finis, qui in voluntate oriri coepit, cum ipsa ab actu omnino cessaret, an videlicet ille etiam amor sit liber, an vero necessarius. Tres enim theologorum sententiae numerantur, duae extremae, tertia media.

Prima Scoti et Henrici est, ille enim in quodlib. 21. hic in quodlib. 12. quaest. 26. docent,primum factum voluntatis, sive primum amorem finis non solum elici a voluntate, sed etiam simpliciter esse liberum.

Altera sententia in altero extremo est Capreoli, qui eam s. Thomae etiam attribuit. Capreolus igitur in 2. sentent. distinct. 24. quaest. 1. art. 3. ad 8. et distin. 25. quaest. 1. art. 3. ad 7. docet, primum actum voluntatis esse quandam complacentiam actualem erga bonum in universum, eamque ita fieri a solo Deo, ut ad eam voluntas, non nisi passive concurrat.

Tertia sententia plane media, et meo judicio verior est Cajetani in 1. 2. quaest. 9. art. 4. Et Ferrariensis in lib. 1. contra gentes, cap. 23. et in 3. cap. 89. qui docent, primum actum voluntatis fieri efficienter ab ipsa voluntate, sed tribui Deo auctori, quoniam sit naturalis, et sequatur ex inclinatione illa naturali, quam Deus in voluntate impressit: ad eum fere modum quo gravia et levia dicuntur moveri a generante. Et haec sententia videtur esse vere s. Thomae in 1. 2. quaest. 6. art. 4. et 6.

Et quidem primum actum voluntatis elici active ab ipsa voluntate, contra Capreolum, facile probari potest.quoniam si complacentia illa est actualis, ut is fatetur, certe erit actus voluntatis;si actus voluntatis, certe immanens et vitalis,ergo ab ipsa voluntate active procedet.

Propter hanc rationem idem Capreolus in eadem quaest. 1. distinct. 25. art. 3. in responsione ad 1. Henr. contr. 2. conclusionem,dicit complacentiam illam non esse actum secundum (fatetur enim omnem actum secundum elici active a voluntate) sed actum primum. Et si quidem per actum primum intelligeret inclinationem naturalem, quae semper est in voluntate.facile cum aliis s. Thomae sectatoribus conveniret: sed cum addit in eodem loco,actum istum primum numquam esse sine actu secundo, aperte significat,per illam complacentiam actualem intelligendum esse aliquid superadditum inclinationi naturali, quod imprimatur a Deo in voluntate quotiescumque illa est proditura in actum. Istud autem superadditum, videtur omnino gratis excogitatum, et cum non sit potentia, neque habitus, neque actus, vix intelligi potest quid sit.

Jam vero primam appetitionem finis esse naturalem, et Deo auctori tribuendam,hac ratione probat egregie s. Thomas: Omne quod agit, agit propter finem, sive ex appetitione finis:ergo quando voluntas movet se et agit, ex appetitione finis se movet et agit: ergo antequam se moveat et agat,debet habere appetitionem finis:ergo ad primam finis appetitionem non se ipsa movet, neque proprie agit, sed movetur et agitur ab auctore naturae, per naturalem inclinationem voluntati impressam.Alioqui enim si ad primam appetitionem finis se ipsa moveret et ageret, deberet ex alia appetitione finis se movere et agere, et sic daretur appetitio prior prima, vel certe processus in infinitum.

Et confirmatur haec ratio a simili. Nam intelligentia dicitur agere et se movere, cum ex principiis per proprium discursum indagat conclusiones; at cum ipsa principia cognoscit non dicitur proprie agere aut se movere,quia non per discursum investigat eorum principiorum cognitionem, sed illam habet ex naturali lumine a Deo creatore impresso:

sic igitur et voluntas proprie agit, cum ex amore finis per consilium eligit media ad assequendum finem: non autem cum ipsum finem ex naturali inclinatione sibi a Deo indita, incipit appetere.

At contra Objiciunt aliqui:Si voluntas ad primam appetitionem finis moveatur a Deo, sequi, ut actus ille sit naturalis, ac per hoc non sit liber:id autem repugnat non solum experientiae, sed etiam ipsi sancti Thomae doctrinae. Nam in 1. par. quaest. 63. art. 5. concedit s. Thomas, in primo instanti suae creationis,angelos meruisse apud Deum: non est autem meritum, ubi non est libertas. Respondeo: Primus actus voluntatis naturalis dicitur, et a Deo, quia nascitur ex naturali inclinatione, non ex appetitione actuali finis: tamen idem actus liber esse potest, quoad exercitium, ac proinde in tantum liber, in quantum requiritur ad meritum. Nam idem sanctus Thomas in 1. 2. quaest. 10. art. 2. docet, quoad exercitium in hac vita,hominem esse liberum, respectu cujuscumque objecti,etiamsi sit ipsum bonum in communi.

Objiciunt Secundo: Nullam fore discrimen inter animalia et inanima,si ipsa etiam humana voluntas non se ipsa moveat, cum elicit actum suum, sed moveatur a Deo eo modo, quo gravia et levia moventur a generante. Respondeo:Discrimen inter animalia et inanima, non est quaerendum in primo actu (quamvis et in eo non desit aliqua differentia) in quo animalia operantur per modum naturae,sed in seq. actib. Nam praehabita cognitione et appetitione finis, animalia per se quaerunt modum acquirendi illum finem; inanima vero, quae non cognoscunt, neque appetunt proprio aliquo actu finem, non possunt per se quaerere modum acquirendi finem, sed sicut naturaliter inclinantur ad suum finem,sic etiam naturaliter ad illum feruntur ab illo acta et mota, qui naturam eis dedit.

Inter animalia vero rationis expertia et ratione praedita hoc interest,quod tametsi utraque naturaliter appetant finem, quoad specificationem;tamen rationis expertia naturaliter eum appetunt, etiam quoad exercitium; ratione praedita quoad exercitium appetunt libere. Item, quod ex amore finis animalia rationis expertia se movent ad media,quae ducunt ad illum finem motu animali, et sine deliberatione: ratione praedita, motu rationali, idest, cum consilio et collatione mediorum ac per hoc cum deliberatione et electione.

CAPUT XV.

Subjectum liberi arbitrii non posse esse nisi naturam intelligentem.

Discutienda nunc est illa particula definitionis (*intelligentis naturae*) quae breviter explicat subjectum liberi arbitrii, idest, quae res praeditae sint libero arbitrio.

Sex omnino sunt res, quae in quaestionem venire possent, res inanimae, plantae, bestiae, homines, angeli,Deus. Ac ut certa separemus a dubiis. Primum, extra controversiam est nihil eorum,quae cognitione carent, sive sint inanima,ut elementa et lapides, sive animata, ut herbas et plantas liberum arbitrium habere posse. Neque enim fieri potest, ut non careant libero arbitrio, quae omni arbitrio carent.

Deinde certum est, animantia rationis expertia praedita esse quadam imagine, et quasi adumbratione liberi arbitrii,non tamen vero proprieque dicto libero arbitrio. Praeditas esse bestias imagine quadam liberi arbitrii, quae liberum arbitrium metaphorice nominari possit, perspicuum est ex eo, quod earum appetitio aliquo modo est indifferens ad multa, non ita ad unum tantum alligata, ut potentia calefactiva ignis ad calefaciendum et similes. Deinde, quod quasi judicio quodam uti videntur. Oves enim in campis unam herbam carpunt, aliam negligunt, lupum fugiunt, canem sequuntur; equi et canes terrentur minis, alliciuntur blanditiis. Denique quod non solum judicium, sed quaedam etiam miram prudentiam et sagacitatem prae se ferant in operibus suis, ut aranea, formica, apis, hirundo et alia. Quocirca Plutarchus opusculum quoddam inscribere ausus est,quod animantia bruta ratione utantur. Laurentius autem Valla, non per jocum, ut Plutarchus, sed serio bestiis rationem attribuit in sua Dialectica, cap. 9. attributurus iisdem sine dubio etiam liberum arbitrium, nisi illud hominibus denegasset.

Caeterum carere bestias omnes libero arbitrio proprie dicto, testatur philosophus in 2. lib. de anima, text. 157. testatur Gregorius nyssenus in 1. lib. de philosophia, cap. 1. Et in lib. 5. cap. 4.testantur omnes theologi et philosophi,quos longum esset, minimeque necessarium huc adducere. Testatur ipsa divina Scriptura in psalm. 31. cum ait? *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est, intellectus.* Et in psalm. 48. *Comparatus est jumentis insipientibus, etc.* Testatur denique etiam ratio. Nam potentia suprema, quae est in bestiis, sive imaginatio, sive aestimativa nominetur,corporalis ac materialis est, proinde pertingere non potest ad cognitionem universalem, quae fundamentum est ratiocinationis, neque potest reflecti ipsa in se et judicare de suo judicio, quod est fundamentum libertatis.

Neque his repugnat,quod earum appetitio videatur indifferens ad multa. Nam indifferentia illa determinatur per naturale judicium,cui reluctari non queunt. Et quemadmodum homines in certis rebus habent conditionalem necessitatem, sed absolutam libertatem: sic etiam contra, bestiae habent conditionalem libertatem, et absolutam necessitatem. Possunt enim hoc potius, quam illud appetere, si aestimativa eorum ita judicet; sed aestimativa necessario judicat unum. Habent enim bestiae a natura determinata judicia,neque possunt unum conferre cum altero,ut supra diximus. Atque hinc nascitur, ut omnia animantia ejusdem generis, semper eodem modo operentur. Omnes enim oves lupos fugiunt; omnes hirundines eodem modo nidificant. Omnes apes eodem modo mellificant,omnes araneae eodem modo insidiantur muscis, omnes formicae eodem modo grana recondunt,neque praeterea aliud norunt.

At (inquiunt), terreri minis, atque allici blanditiis,videtur esse manifestum judicium rationis. Sed

non ita est. Illud enim oritur ex eo, quod ex memoria verberum, aut beneficiorum cognoscunt aliquid boni vel mali sibi demonstrari, et non possunt id non cognoscere et aestimare, aut judicium ejusmodi non sequi.

Adhaec certum est. hominem absolute consideratum esse liberi arbitrii. Neque enim haeretici de hac re contendunt, sed solum de homine per peccatum primi parentis, de statu suo dejecto, de qua re in sequenti libro disseremus. Perspicuum est autem illud Ecclesiastici testimonium cap. 15. *Reliquit hominem in manu consilii sui, etc.*

Neque minus est certum, angelos libero arbitrio praeditos esse, praesertim si absolute secundum naturam suam consideretur, ante confirmationem in bono, vel obfirmationem in malo. Nam in primis literae sacrae de angelis ita loquuntur, ut de rebus intelligentibus, ut constat ex Genes. cap. 18. et 19. ex Tobia, cap. 12. ex Luc. cap. 1. et 2. et ex aliis plurimis locis. Ubi autem intelligentia est, ibi sine dubio et libertas est. Deinde, Scriptura testatur angelos esse naturae praestantioris, quam homines, psalm. 8. *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Igitur si homines libero arbitrio praediti sunt, cur non multo magis angeli? Adhaec, Scriptura divina testatur, angelos aliquando peccasse, et punitos esse, 2. Petr. 2. *Angelis peccantibus non pepercit.* At peccatum et poena peccati sine arbitrii libertate esse non possunt. Denique, sancti Patres disertis verbis liberum arbitrium angelis tribuunt. Vide Irenaeum lib. 4. cap. 71. Basilium in lib. de Spiritu sancto, cap. 16. August. in lib. de correptione et grat. cap. 10. Gregor. homil. 7. in Ezech. et Damascenum lib. 2. de fide, cap. 3. et 4.

Una superest dubitatio, sit ne Deus etiam vere ac proprie liberi arbitrii. Nam et multi contra senserunt, et argumenta non contemnenda difficilem quaestionem efficiunt. Primum igitur non defuerunt ex philosophis, qui dicerent, Deum ex necessitate agere, quorum sententiam refert s. Thom. in lib. 2. contra Gent. cap. 23. et quamvis s. Thomas non indicaverit nomina eorum philosophorum, tamen commentator ejus Franciscus Ferrarien. scribit, eos esse Aristotelem et Avicenam. Et sane non solus Ferrariensis, sed etiam Henricus, Scotus, et alii in horum philosophorum numerum referunt Aristotelem, nec sine caussa, ut cognosci potest ex lib. 8. physic. text. 10. et seq. Et lib. 12. metaph. text. 30. et 38.

In eodem errore versatus est ex Christianis, Petrus Abailardus, teste Thoma Waldensi lib. 1. doctrinalis fidei, cap. 10. docuit enim praedictus Petrus, Deum non posse facere, nisi ea quae facit. Quod idem postea docuit Joan. Wiclef. ut constat ex ejus trialogo, cap. 10. et 11. Et ex Thoma Waldensi, qui eum refellit, lib. 1. doctrin. fidei, cap. 10. et seq. Idem approbat Lutherus, qui assertione art. 36. dicit, veram esse Wiclefi sententiam, quae habet, omnia ex necessitate absoluta evenire. Martinus quoque Bucerus in lib. de concordia doctrinae, cap. de libero arbitrio, satis aperte tradit, Deum necessario agere quidquid agit, nec posse aliter facere.

Denique Joannes Calvinus, lib. 1. Instit. cap 16. § 3. docet, Deum non posse facere, nisi id quod facit: *Sane*, inquit, *omnipotentiam sibi vendicat, ac deferri a nobis vult Deus, non qualem sophistae fingunt, inanem, otiosam, et fere sopitam; sed vigilem, efficacem, operosam et quae in continuo actu versetur.* Et paulo post: *Ideo*, inquit, *censetur omnipotens, non quod possit quidem facere, cesset autem, sed quia etc.* Ubi vides a Calvino reprehendi communem theologorum (quas ipse sophistas vocat) sententiam, quae habet, Deum multa posse facere, quae non facit, et contra, posse multa non facere quae facit, et idcirco vere, proprieque liberum esse.

Argumenta pro sententia adversariorum multa sunt et gravia. Videtur enim libertas arbitrii, qua quis potest velle hoc aut illud, et velle hoc aut non velle, repugnare aeternitati, immutabilitati, simplicitati, aliisque attributis Dei. Immo cum velle in Deo sit idem quod esse, si velle Dei posset non esse, ipse etiam Deus posset non esse: vel si esse Dei est simpliciter necessarium, quomodo velle Dei non erit etiam simpliciter necessarium? Sed haec omnia planius exponentur, cum refellenda erunt.

CAPUT XVI.

Probatur, Deum esse liberi arbitrii.

Sententia theologorum, quae sine dubio verissima est probabitur a nobis Primum ex divinis literis et testimoniis Patrum, adversus haereticos. Deinde, naturalibus rationibus adversus philosophos. Psal. 113. *Omnia quaecumque voluit, fecit.* Psalm. 111. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus.* Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Et 1. Corinth. 12. *Haec autem operatur unus et idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Et his, et similibus locis efficitur, Deum operari per cognitionem et voluntatem, et res creatas tales esse, quales Deus esse voluit, non quales necessitas coëgit.

Sed rursus habemus alia loca, quibus ostenditur, Deum posse facere quae non facit, et contra non facere quae facit. Daniel. 3. *Potens est Deus, nos de manibus tuis, o rex, liberare; quod si noluerit, statuam tamen quam fecisti, non adoramus.* Hoc loco Scriptura docet, potuisse fieri, ut Deus nollet liberare tres pueros de fornace, quos tamen liberare voluit, et re ipsa liberavit. Hester 13. *Non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreverit salvare nos, continuo liberabimur.* Hic praeterquam quod significatur, potuisse Deum non facere quod fecit, habetur etiam vocabulum decernendi, quod proprie ad liberum arbitrium pertinet.

Similis locus est Sapien. 11. *Non erat impossibilis manus tua, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones etc.* Nec tamen id fecit: quare poterat facere quod non fecit. Ibidem: *Misereris omnium, qui omnia potes, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam.* At certe non vere dicitur dissimulare peccata is, qui non punit, quia non potest, sed is, qui cum possit non vult. Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis susci-*

tare filios Abrahae. In quem locum Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, necnon Ambrosius in cap. 3. Luc scribunt, ex veris,propriequedictis lapidibus posse Deum excitare filios Abrahae,quamvis id numquam fecerit, Matth. 19.*Facilius est camelum per foramen acus transire,quam divitem intrare in regnum coelorum.* Et paulo post:*Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt.*

Nec valet, si quis dicat posse fieri ut camelus transeat per foramen acus, si redigatur ad subtilitatem tenuissimi fili.Quemadmodum olim Pelagiani docebant, posse divitem salvum fieri, si venditis omnibus pauper fieret, alioqui non posse. Hoc (inquam) non valet, quoniam Dominus ait,hoc impossibile esse hominibus: Deo autem esse omnia possibilia. Non est autem impossibile hominibus efficere, ut camelus transeat per foramen acus, si ad fili tenuitatem antea redigatur. Itaque s. Gregorius nazianzenus lib. 4. de theologia, affirmat ex hoc evangelii testimonio posse Deum facere, ut camelus, manens camelus, transeat per foramen acus; quod tamen nec fecit, nec unquam fortasse faciet.

Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum,et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?*Poterat igitur Christus orare Patrem,ut mitteret ad se plusquam duodecim legiones angelorum , et Pater mittere poterat: et tamen neuter fecit, quod poterat facere. Ad hunc locum respondit Wiclefus, potuisse Christum a Patre legiones petere,non a quibus defenderetur, sed quae sibi eo tempore adessent. Potuisse quoque Patrem mittere eas legiones, si voluisset, sed non potuisse velle.

At inepta responsio est. Primum enim certum est, hoc loco non agi de simplici assistentia angelorum , sed de praesidio adversum vim , quae in Christum parabatur. Dicuntur enim haec verba apostolo Petro, qui nitebatur gladio Dominum protegere, ut intelligeret, non esse opus Christo talis defensione, qui aliam longe majorem in promptu haberet.

Deinde: Esto de simplici assistentia ageretur,adhuc probamus, posse Deum facere quae non facit, quia potuit mittere plusquam duodecim legiones angelorum , qui Christo assisterent , quas tamen non misit.

Denique: Deum potuisse, si vellet, sed non potuisse velle, ineptissime dicitur, nisi Christum ipsum inepte loquutum esse dicamus. Voluit enim Christus docere, se libere, non autem coactum subire mortem. Id autem demonstrat ex eo, quod poterat a Patre praesidium multorum millium angelorum impetrare. Quae Christi demonstratio nihil valebat,si Pater non poterat velle mittere praesidium, quod petebatur. Vide Hieronymum et Chrysostomum in commentario ad hunc locum.

Marci 14.*Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me.* Perspicuum est ex hoc loco, possibile Deo fuisse transferre calicem passionis a Christo, quod tamen factum non esse scimus. Roman. 1.Reprehendit Apostolus gentiles, quod cum Deum cognovissent,non sicut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt : at non debetur gratiarum actio nisi ei, qui libere agit, et beneficia praestat, cum possit non praestare: igitur Deus libere agit, et libere procurat res humanas.

Accedant nunc testimonia Patrum. S. Gregorius nazianzenus in epist. priore ad Calidonium: *Asserunt,* inquit , *Deo possibile esse, hominem etiam sine mente salvare. Possibile etiam sine carne, solo velle.* Ubi sanctus Gregorius respondet objectioni Apollinaristarum, qui dicebant,Christo in incarnatione defuisse mentem humanam; Verbum enim pro mente fuisse. Id autem probabant, quia possibile erat Deo salvare genus humanum,etiamsi mentem non assumpsisset: respondet (inquam) Gregorius, possibile Deo fuisse salvare genus humanum, etiamsi non solum mentem,sed etiam carnem non assumpsisset. Sola enim voluntate sine incarnationis mysterio potuit Deus mundum instaurare. Fecit igitur Deus ex Gregorii sententia id quod potuit non facere;proinde non necessario,sed libere fecit.

S. Gregorius nyssenus. in lib. de Fato,cap. ult. *Non enim,* inquit, *sub necessitate est Deus,neque voluntatem ejus servire necessitati , fas est dicere. Etenim necessitatis est conditor.* Et infra: *Omnipotens,* inquit, *neque naturae necessitate,neque legis praescripto operatur, sed sunt illi omnia contingentia, etiam necessaria.*

S. Ambrosius in 2. lib. de fide, cap. 3. *Haec operatur,* inquit, *unus et idem Spiritus sanctus dividens singulis prout vult, idest,pro libero voluntatis arbitrio , non pro necessitatis obsequio.*

S. Augustinus in enchiridio. cap. 95 *Tunc,* inquit,*in clarissima luce sapientiae videbitur,quam multa possit* (Deus) *et non velit; nihil autem velit, quod possit.* Et in lib. 13. de Trinit. cap. 18. dicit,Deum potuisse sumere carnem aliunde,quam ex Adam; et tamen hoc maluisse. In lib. de natura et grat. cap. 7. dicit, Christum potuisse resuscitare Judam a morte spirituali,quo modo excitavit Lazarum a morte corporali, nec tamen fecisse. In libro de bono perseverantiae , cap. 8. et 9. dicit, Deum posse facere ut omnes perseverent usque in finem: nec tamen facere. Petrus autem Damianus in epist. 4. ad Desiderium, quae est de omnipotentia Dei; probat Deum multa posse facere quae non vult facere, nec facit.

Adde etiam testimonia Hieronymi, Chrysostomi et Theophylacti supra citata. Probatur hoc idem ratione fundata in divinis literis. Qua ratione utitur Nyssenus loc. citat. lib. de Fato prope extremo. Multa Deus operatur praeter ordinem naturae, ut cum solem stare fecit ad vocem Josue; et eundem retrocedere ad preces Isaiae;et obscurari tempore plenilunii ob mortem Salvatoris; Item cum Virgini partum, coecis visum, surdis auditum, mortuis vitam donavit. At si Deus operaretur ex necessitate naturae, semper eodem modo operaretur; nec posset nunc servare naturae ordinem,nunc immutare; igitur libere operatur, et pro arbitrio agit,non ulla necessitatis vi ad operandum impellitur.

Jam vero adversus philosophos,qui Scripturis fidem non habent, his argumentis uti possumus.

Primo:Deus est caussa efficiens omnium rerum,

intelligentiarum, coelorum, elementorum, etc.Igitur non necessitate, sed voluntate operatur.

Antecedens probatur.Nam si intelligentiae carerent efficienti caussa, et unaquaeque earum suum coelestem orbem produxisset (ut videtur sensisse philosophus),nulla ratio reddi posset, cur tot essent intelligentiae, et non plures; cur tantae virtutis,et non majoris aut minoris;cur ita inter se subordinatae; Quis deinde procreasset elementa. Si Dicas, non carent intelligentiae caussa efficiente, nec tamen omnes productae sunt ab una; sed prima produxit secundam,secunda tertiam,et sic deinceps. Contra, nam tunc non posset reddi ratio,cur ultima intelligentia non produxerit aliam. Deinde, saltem hoc habebimus a prima substantia, quae Deus est, non solum productum esse primum orbem coelestem, sed etiam secundam intelligentiam.

Probatur nunc ejusdem argumenti consequutio. Nam si prima intelligentia produxit omnia per se, vel saltem suum orbem coelestem,et alteram intelligentiam; non potuit non libere operari.Nam quae operantur ex necessitate naturae, determinata sunt ad unum,nec possunt producere,nisi unum aliquid simile sibi.Igitur intelligentia,quae producit res tam varias, quales sunt aliae intelligentiae, et corpora, non operatur ex necessitate naturae, sed ex consilio et arte; ac per hoc libere. Et confirmatur exemplo hominis, qui naturaliter nihil producit, nisi alium hominem ; at ex arte res plurimas, et inter se maxime discrepantes, variasque producit.

Secundo: Deus est infinitae potentiae ac virtutis, igitur potest res perfectiores et meliores facere, quam re ipsa faciat, ac per hoc numquam operatur secundum totam suam virtutem, quod est proprium eorum, quae operantur ex necessitate naturae. Negabunt philosophi fortasse, Deum esse potentiae infinitae, sed certe id plane manifestum esse videtur. Nam quod ex se est illimitatum et infinitum,non potest limitari et finiri, nisi vel a caussa efficiente, vel a subjecto: esse autem ex se, est illimitatum est infinitum ; et in Deo non potest limitari et finiri,cum Deus caussa efficiente et subjecto careat; igitur in Deo esse, est illimitatum et infinitum. Quod si, esse in Deo est infinitum ; cur non etiam potentia in Deo sit infinita ? Esse enim est propter operationem, nec dari potest esse, cui non respondeat potentia operandi, quoniam otiosum esset.

Tertio: Si Deus ex naturae necessitate, non libere, et pro arbitrio faceret quae facit, frustra opem ejus homines implorarent, frustra essent omnes arae, sacrificia, vota. Respondebunt fortasse philosophi, frustra esse haec omnia, sed refellet eos communis naturae instinctus et sensus, atque consensus omnium gentium. Omnes enim natura duce in calamitatibus tollunt oculos ad coelum, et numinis opem implorant. Tertullianus in apologetico cap.7. cum dixisset, ipsos etiam paganos in angustiis suis non ad Capitolium, sed ad coelum respicere,ac ita loqui solere,Deus videt,Deo commendo, Deus mihi reddet ; subjungit, *O testimonium animae naturaliter christianae.*Nimirum naturale esse docuit, in aerumnis unum Deum invocare. Vide similia apud s. Cyprianum in tractatu adversus Demetrianum.

Quarto: Nihil est quod necessario appetatur, nisi finis, et quae cum fine necessariam connexionem habent: At res creatae non sunt finis Dei, neque cum fine Dei necessariam connexionem habent ; Deus enim est finis omnium rerum, ac per hoc ipse sibi est finis, neque eget ulla re ad finem suum assequendum, cum se ipse carere non possit ; igitur non necessario vult res creatas, sed libere.

Quinto : Homo est liberi arbitrii, ut philosophi etiam fere omnes docent: ergo et Deus liberi arbitrii est. Neque enim fas est ullam perfectionem homini tribuere, quae non excellentius reperiatur in Deo.

CAPUT XVII.

Solvuntur argumenta contraria.

Solvenda restant argumenta, quae contra Dei libertatem fieri solent. Sed ut ea facilius solvi possint, Duo quaedam sunt breviter praenotanda.

Primum igitur sciendum est, ex doctrina s. Thomae in quaest. 24. de veritate art. 3. non esse de ratione, et essentia liberi arbitrii posse velle bonum et malum; aut posse nunc velle unum, postea nolle ; aut non posse eligere, nisi consultatio re ipsa praecedat: sed satis esse, si quis habeat optionem diversarum rerum, et electio fiat cum pleno, atque perfecto judicio rationis. Nam posse velle bonum et malum, pertinet ad liberum arbitrium, non simpliciter, sed ut est in natura creata, quae quoniam ex nihilo facta est, deficere et peccare potest.

Itaque talis libertas non solum Deo non convenit, sed neque etiam angelis et hominibus jam beatis; neque posse eligere malum, perfectio, sed imperfectio est dicenda libertatis. Idem intelligendum est de mutatione actus; posse siquidem actum mutare, et nunc nolle quod antea volebat, non est liberi arbitrii simpliciter, sed liberi arbitrii naturae creatae, quae quia facta est ex nihilo, conversioni et mutationi est obnoxia. Denique, quod electionem praecedat consultatio, non pertinet ad liberum arbitrium, nisi in natura humana, quae ratiocinando scientiam sibi parat. Nam angeli, qui simul caussam et effectum cognoscunt, non egent praecedente consultatione, sed simul consilium capiunt, judicant et eligunt.

Sciendum est Secundo: Ex doctrina Hervaei in quod lib. 1. quaest. 1. Ipsum velle Dei, duobus modis considerari posse. Uno modo absolute, et ut est idem quod esse Dei, et hoc modo, non liberum, sed necessarium esse. Altero modo, ut dicit ordinem ad objectum, et hoc modo si objectum est intrinsecum ipsa videlicet divina essentia, sapientia, potentia, bonitas et similia ; esse etiam necessarium; sin autem objectum est extrinsecum, ut sunt res omnes creatae, tum demum velle Dei non esse necessarium, sed liberum. Nam Deus non potest non velle suam essentiam, potentiam,

bonitatem, sapientiam, et caetera similia : potest tamen non velle res creatas.

Quare cum dicimus : Deus libere vult hoc aut illud, et potest non velle ; non significamus rem illam, quae est velle, in Deo esse rem liberam, et posse non esse; sed significamus, ipsum velle Dei non necessario terminari ad rem istam, vel illam. Neque loquimur de possibilitate, sed de existentia rerum creatarum. Nam possibilitas rerum nihil ponit in re, nisi divinam essentiam infinitis modis participabilem, divinam sapientiam,qua cognoscat omnes modos, quibus divina essentia participabilis est; et divinam potentiam, qua possit res producere, quibus divina essentia participetur. Non potest autem Deus non habere essentiam infinitis modis participabilem et sapientiam, qua cognoscat res creatas esse possibiles, et potentiam qua possit eas re ipsa producere.

Cur autem possit voluntas Dei non terminari ad existentias rerum extra se,et libere super eam cadat, ratio est, quia res illae non sunt Deo necessariae,cum neque sint finis ejus,neque media cum eo fine ex necessitate connexa;ac per hoc non sunt appetibiles absolute,sed solum ex hypothesi,idest, posito quod velit Deus per eas, gloriam suam manifestare. Ex his facile erit ad argumenta omnia respondere.

Primum argumentum tale est, Arbitrii libertas in eo posita est, ut quis possit velle et non velle, et velle hoc et non illud: at hoc repugnat immutabilitati divinae. Respondeo: Velle et non velle in Deo, non significat mutationem actus, sed quod terminetur,vel non terminetur ad tale, vel tale objectum. Unde non in Deo, sed in creatura contingit mutatio.

Sic etiam precatur Jacob (quod erat Secundum testimonium) ut Deus det filiis suis invenire misericordiam coram viro, idest, aspiret viro benevolentiam erga filios suos etc. Quod autem irruisse dicitur spiritus Domini in Saul (quod erat Tertium) significat spiritum zeli et fortitudinis,donatum fuisse a Deo ipsi Sauli, per quem inclinabatur et incitabatur ad praelium contra Ammonitas.

Quod vero non audierit Absalon consilium Achitophel (quod erat Quartum) factum est, quia Deus fecit, ut Chusai iis rationibus refutaret sententiam Achitophelis, quas idem Deus praeviderat probandas ab Absalone. Idem dicendum est de eo, quod non audivit Roboam consilia seniorum, sed juvenum; et quod filii Heli non audierunt admonitiones patris sui; quae erant testimonia Quintum et Decimum.

Ad illa vero de pavore immisso in corda Philistinorum vel Hebraeorum; quae erant Sextum et Septimum,respondemus ea pertinere ad eundem modum. Facile enim potuit Deus efficere, ut occurrerent cogitationi eorum rationes,ob quas timendum esse judicarent:et contra non occurrerent rationes, ob quas in spem erigi possent.

Quod vero sequuti sunt Saulem ii, quorum Deus tetigerat corda (quod erat Undecimum) factum est, quia Deus immisit in eis venerationem erga regem, sive infundendo bonam qualitatem,sive persuadendo mentibus eorum bonum esse obedire regi a Deo electo.

Denique ad illud: *Sicut divisiones aquarum,ita cor regis in manu Domini*; Duae dari solent responsiones. Una, ut hic locus intelligatur de exequutione, et sensus sit, solum Deum posse impedire exequutionem regiarum voluntatum. Nam in graeco sic legitur hoc proverbium Ὥσπερ ὁρμὴ ὕδατος,οὕ τω καρδία βασιλέως ἐν χειρὶ τοῦ Θεοῦ,*hoc est, sicut impetus aquae non potest impediri et coerceri, nisi a magna aliqua vi: sic etiam quod reges volunt, impediri non potest, nisi a Deo.*

Alia est responsio, ut hic locus intelligatur de ipsis voluntatibus regum, et sensus sit, facile esse Deo mutare voluntates hominum,etiamsi reges sint. Nam in hebraeo non fit mentio impetus, sed simpliciter nominatur aqua פלגי מים לב ביד יהוה מלך *rivi aquarum, cor regis in manu Dei,* hoc est,quam facile est agricolae ducere ab aliquo fonte rivos aquarum quocumque voluerit, cum aqua facillime fluat,qua via datur: tam est facile Deo flectere corda regum quamvis potentium et superborum, nimirum interius eis proponendo, quae novit eorum ingenio congruere.Atque ita soluta sunt argumenta omnia, quae ex divinis literis adversarii protulerunt.

CAPUT XII.

Respondetur ad objectiones ex testimoniis s. Augustini.

Ex Augustino plurima profert Calvinus testimonia contra liberum arbitrium; sed pertinent fere o-

sitis ad actionem liberi arbitrii, sed de comitantibus: illa autem est potentia libera, quae positis omnibus praerequisitis potest agere et non agere, vel quia, ut docent alii,concursus Dei determinans humanam voluntatem,non impedit quo minus homo plenum atque perfectum habeat judicium rationis, et proinde judicet aliud medium esse contingens, aliud cum fine ex necessitate connexum. Haec enim est radix libertatis, et ubicumque radix ista reperitur, ibi etiam libertas reperitur.

Haec sententia mihi probari non potest, multis de caussis. Primo, quia rationes,quibus ipsi defendunt libertatem arbitrii, non videntur solidae: falsum enim est, quod Almaynus dicit,concursum Dei non esse de praerequisitis. Nam si voluntas humana est de praerequisitis, quia est caussa actionis, cur concursus Dei, qui est etiam caussa actionis, non erit de praerequisitis? loquimur enim de concursu Dei in actu primo,neque verum esse videtur, quod scribit quidam, satis esse ad liberum arbitrium, ut homo plenum, atque perfectum habeat judicium rationis. Requiritur enim praeterea,ut homo sit Dominus suae actionis,et possit agere et non agere.Ideo enim Graeci liberum vocant αὐτεξούσιον, idest, suae potestatis. Qui autem determinatur ab alio ad aliquam actionem, certe non est Dominus illius actionis.Quocirca licet beati habeant plenum, et perfectum judicium, respectu visionis divinae, tamen non sunt liberi circa illam, quia determinati sunt ad unum, nec possunt illam non velle. Et nos omnes non minus perfecto judicio cognoscimus media necessario connexa cum fine,quam media connexa contingenter,et tamen circa posteriora liberi sumus, non circa priora, quia videlicet, posteriora possumus non eligere, non autem priora.

Itaque verum est, ibi esse liberum arbitrium, ubi est radix libertatis, idest, cognitio contingentiae mediorum;non quia non requiratur dominium actionum,sed quia Deus nemini dedit illam cognitionem contingentiae mediorum, cui etiam non dederit dominium actionum. Frustra enim dedisset illam cognitionem, nisi dedisset vim consultivam, et frustra dedisset vim consultivam, nisi dedisset dominium actionum, et indeterminationem, in qua consistit vera libertas.

At, inquies, Deus non potest velle et non velle, sed ab aeterno est determinatus ad unum:et tamen quia judicat res creatas non esse sibi necessarias, liberum arbitrium circa eas habere dicitur. Respondeo: Deum determinatum esse ad unum ab aeterno, sed a se ipso, non ab alio, et potuisse determinare se ipsum ad aliud, et ideo vere et proprie Dominum esse actionum suarum ad extra: quare ipse etiam homo,qui ad imaginem Dei creatus est, ut sit vere liber, non solum habere debet plenum et perfectum judicium, sed etiam dominium actionum suarum, ut se ipse determinet.

Deinde: Videtur haec sententia parum consentanea Scripturae, quae Eccles. 15. dicit, hominem relictum in manu consilii sui, ut ad quodcumque voluerit extendat manum suam. Quomodo enim relinquitur in manu consilii sui, qui in omnibus actionibus determinatur ab alio, cui resistere nullo modo potest? Scripturae etiam, quas supra citavimus, quae dicunt hominem habere optionem eligendi hoc, aut illud, sine dubio significant, hominem Dominus esse suarum actionum et indeterminatum.

Tertio: Videtur repugnare testimoniis Patrum. Sic enim loquitur s. Joan. chrysostomus hom. 11. in Joan. *Anima sui juris vim in se habet operandi, neque ulla in re Deo, nisi velit, obtemperat.* Item hom. 42. ad popul. Antioch. *Oportet,* inquit, *nos prius eligere bona, et ille sua tunc inducit: nostras non praevenit voluntates, ne nostram temeret libertatem.* Quo loco sanctus doctor non negat gratiam praevenientem vel Dei cooperationem, quam alibi saepe confitetur, sed negat praeventionem determinantem ad unum,ita ut non sit vere in potestate hominis facere, vel omittere.

S. Hieronymus in comment. cap. 26.Hieremiae: *Verbum,* inquit, *ambiguum (forsan) majestati Domini non potest convenire,sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium,ne ex praescientia ejus quasi necessitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus scit, futurum aliquid,idcirco futurum est, sed quia futurum est Deus novit.* Hoc loco s. Hieronymus negat, praescientiam esse caussam futurorum, ne liberum destruatur arbitrium. At si praescientia destrueret liberum arbitrium, si esset caussa futurae actionis humanae; quanto magis illud destruet praedeterminatio divinae voluntatis,si ponatur caussa actionum humanarum, cum longe magis libertati repugnet praedeterminatio, quam praescientia? Idem Hieronymus in epist. ad Damasum de filio prodigo: *Dedit,* inquit *homini mentis propriae libertatem, ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, idest, non ex necessitate, sed ex voluntate.* Ubi illud (*non ex imperio Dei*) non significat,liberum esse hominem ab obligatione praeceptorum Dei,sed liberum esse a necessitate determinante ad unum.

S. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei cap. 30. *Sic,* inquit, *administrat omnia, quae creavit,ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat.* At certe proprium est liberi arbitrii, Dominum esse suae actionis, atque ad eam se determinare, non ab alio determinari.

S. Gregorius nyssenus lib. 7. de philosoph.cap. 1. et 2. docet, actiones liberi arbitrii non esse referendas ut in caussam, in Deum,sed in nos ipsos; et ideo eas dici esse in nostra potestate.

S. Joannes damascenus in lib. 2. cap. 30. *Operae pretium,* inquit, *est agnoscere, omnia praescire Deum non autem omnia praedefinire ac praedestinare.Praescit enim,et ea quae in nobis, non praedefinit autem haec.*

Quarto, repugnat praecipuis auctoribus scholasticis. Nam s. Bonaventura in 2. dist. 37. quaest. 1. ad ultimum: *Ad illud,* inquit, *quod objicitur, quod Deus est principale movens in tali actione, dicendum, quod verum est: attamen non sequitur ex hoc,quod excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem. Excitatio enim dicit aliquem effectum gratiae praevenientem ipsam voluntatem. Haec autem requiritur in bonis meritoriis: in aliis autem operibus indifferenti-*

bus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio divinae virtutis,quae existens in creatura potentialiter, essentialiter et praesentialiter, sicut conservat eam in essendo; sic adjuvat in operando.Propter quod conceditur ibi esse operationem, non praeventionem.

Gregorius ariminensis in 2.dist.34.et 37.quaest. 1. art. 3. *Deus,* inquit, *sequitur determinationem voluntatis: non quod determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta a voluntate et actu ejus,quae primo fiat a voluntate,sicut imaginari videtur argumentum; nec etiam intelligendo, quod prius natura voluntas agat actum illum, quam Deus, proprie loquendo de priori natura; quoniam tunc sequeretur,quod posset illum agere Deo coagente, sicut patet ex definitione prioris secundum naturam: sed ad hunc sensum dico, Deum sequi determinationem voluntatis,quoniam ideo Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit, et non quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo dicitur magis proprie Deus coagere voluntati talem actum caussando, quam voluntas dicatur coagere Deo.*

Scotus in 2. sent. dist.37. quaest. 1. § solutionem istorum etc. disserens de cooperatione primae caussae cum secunda libera, docet, nullo modo prius agere Deum, quam voluntatem,ac per hoc non praedeterminari voluntatem a Deo: *Sicut,* inquit, *in uno instanti naturae materia materiat, et efficiens efficit: ita duae caussae efficientes ordinatae in instanti naturae caussant effectum communem, ita quod neutra tunc caussat sine altera: sed quod effectus non rectus caussetur, hoc non est tunc propter caussam priorem, quae quantum est ex se, recte caussaret, si secunda caussaret, sed propter defectum caussae secundae,quae in potestate sua habet concaussare primae caussae, vel non concaussare,et si non concaussat illi, ut tenetur,non est rectitudo in effectu communi amborum.*

S. Thomas in 1. 2. quaest. 9. art. 6. ad 3. sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo determinat se per rationem ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum.* Ubi illa particula adversativa, *sed,* ostendit, determinationem particularem referendam esse in ipsam voluntatem, non in Deum prius determinantem, determinationem autem universalem in bonum in communi,referendam esse in Deum,qui est caussa universalis.

Idem in 1. 2. quaest. 10. art. 4. *Quia,* inquit, *voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet,quod non ex necessitate ad unam determinat,sed manet motus ejus contingens, nisi in his, ad quae naturaliter movetur.*

Idem in 1. 2.quaest. 80. art. 1.ad 3. *Dicendum,* inquit, *quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et a diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.* Item in 2. 2. quaest. 174. art. 1. docet juxta Damascenum, Deum praedestinare ea, quae non sunt in nostra potestate,praescire autem, sed non praedestinare, ea quae sunt facienda per liberum nostrum arbitrium. Denique in quaest. 3. de potentia art. 7. ad 13. sic ait: *Voluntas dicitur habere dominium actus, non per exclusionem caussae primae, sed quia caussa prima non ita agit in voluntate,ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam:et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.*

Cajetanus in comment. 1. par. quaest. 19. art. 8. inquit:*Cooperatio Dei in unoquoque est secundum naturam uniuscujusque, sic enim disponit omnia suaviter. Unde sive necessario, sive libere cooperetur Deus,nihilominus creata voluntas libere utitur illa cooperatione.*

Quinto repugnat rationi. Nam in primis posita determinatione voluntatis a Deo facta, non videtur posse salvari libertas arbitrii. Illa enim dicitur libera potentia, quae potest agere et non agere; at voluntas humana non potest agere,antequam a Deo determinetur ex doctrina adversariorum;postquam autem a Deo determinata est, non potest non agere, quia intelligi non potest, ut Deus eam moveat, et ipsa non moveatur, sive ut Deus eam determinet, et ipsa non determinetur; igitur numquam dabitur tempus, quo ipse vere possit agere et non agere.

Deinde: Si Deus esset agens necessarium,et determinaret humanam voluntatem, illa non libere, sed ex necessitate ageret: ut adversarii admittunt. At perinde est voluntati, utrum Deus eam necessario, vel libere moveat; nam actus voluntatis non ideo libere procedet a voluntate, quia libere procedit a Deo: quemadmodum si Deus libere moveat pecudem ad herbam depascendam, non propterea pecus libere herbas depascet.Neque ideo servus ex electione vertit molam pistrini, quia Dominus ex electione cogit illum ad molam pistrini vertendam. Itaque sive Deus libere,sive ex necessitate determinet voluntatem, voluntas a Deo determinata non libere, sed necessario agit.Nam Deus quidem libere determinat,quia est in potestate ejus non determinare: at voluntas a Deo praeventa et determinata non habuit in potestate id efficere, ne praevenire-tur et determinaretur.Proinde actus ejus liber quidem est, ut exit a Deo, non tamen est liber, ut exit ab ipsa, et ideo ipsa non est caussa libera, sed necessaria.

Adhaec si ponatur ista determinatio, non poterit intelligi, quomodo Deus non sit caussa peccati, et quomodo homines qui peccant, non sint digni excusatione. Nam si Deus in omni actu positivo voluntatem determinat, et movet ad agendum; certe etiam determinabit et movebit ad volendum furari, fornicari, mentiri, blasphemare etc. quis autem capiat hominem dignum esse poena, si id velit quod Deus determinando et movendo facit eum velle? Sed de hac re multa diximus in 2. lib. de statu peccati.

CAPUT XV.

Explicatur una ratio concordiae divinae cooperationis cum libero arbitrio.

Illa igitur sententia refutata,Duae nobis rationes occurrunt satis accommodatae, ad explicandam concordiam divinae cooperationis cum libero arbitrio, et objectionem superiore capite propositam diluendam.

Una ratio est juxta sententiam Gregorii ariminensis, Scoti, Gabrielis, et aliorum, in 2.sent. dist.37. qui docent, cooperationem divinam se tenere ex parte effectus, non ex parte caussae, hoc est,concursum Dei non determinare voluntatem nostram, nec aliquid in illam imprimere, aut operari, sed immediate influere in effectum, eumque producere illo ipso momento, quo a voluntate nostra producitur.

Hinc enim sequitur, ut neque Deus determinet, sive necessitet voluntatem, neque voluntas Deum. Nam et uterque concursum suum libere adhibet, et si alter nolit concurrere, opus non fiet. Simile est, cum duo ferunt ingentem lapidem,quem unus ferre non posset: neuter enim alteri vires addit, aut eum impellit, et utrique liberum est onus relinquere. Quamquam Deus nisi extraordinarie miraculum operari velit, semper concurrit, quando voluntas nostra concurrit, quoniam ad hoc se libere quodammodo obligavit, quando liberam voluntatem creavit. Ex quo etiam sequitur, ut licet in eodem prorsus momento temporis et naturae,Deus et voluntas operari incipiant, tamen Deus operetur quia voluntas operatur, non contra. Et hoc est, quod aliqui dicunt, voluntatem prius natura operari, quam Deum, non prioritate instantis in quo, sed a quo. Sed operae pretium erit solvere argumenta,quae adversus hanc sententiam fieri solent.

Primum argumentum, Inter primam caussam, et secundam est ordo quidam essentialis,ut prima secundam moveat, et secunda non agat nisi mota a prima; est autem Deus prima caussa; voluntas nostra, secunda; igitur Deus voluntatem movet,et applicat ad opus.

Respondeo: Inter caussam principalem, et instrumentariam est ille ordo,ut una alteram moveat. Inter primam autem caussam et secundam, cum secunda non est proprie instrumentum, non est ordo, ut una alteram moveat, sed ut una sit prior altera perfectione, illimitatione et necessitate; quia videlicet sit caussa perfectior et nobilior, et rursus universalior, cum non limitetur ad unum vel alterum effectum, et denique summe necessaria, cum sine ea nullus effectus fieri possit.

At, inquies, Scriptura indicat, homines esse instrumenta Dei, nam Isaiae 10. dicitur; *Assur virga furoris Dei.* Et ibidem appellatur securis et serra. Sed facile est respondere, nam dicuntur homines instrumenta Dei, non proprie, sed metaphorice, quia potest Deus, quando vult, ita flectere eorum animos, quomodo artifex flectit instrumenta sua. Nam alioqui homo est etiam caussa principalis,cum sit liber et dominetur animantibus caeteris. Quomodo autem Deus flectat animos hominum,et tamen non tollat arbitrii libertatem, explicatum est supra.

Secundum argumentum: Si Deus operatur, quia voluntas operatur, et non contra; certe sequitur, ut Deus pendeat a voluntate,et aliquo modo ab illa determinetur: absurdum est autem,ut Deus pendeat a creatura,et a temporali determinetur aeternum.

Respondeo: Deus non pendet, nec determinatur a voluntate humana, licet operetur, quia illa operatur: nam libere Deus condidit liberam voluntatem et potuisset non condere: et rursus libere voluit,et ab aeterno decrevit, concurrere ad opus liberae voluntatis, quando ipsa operari voluerit:et denique potest etiam, quando vult, non concurrere, si velit praeter ordinem a se constitutum aliquid fieri. Itaque Deum operari, quia voluntas operatur, non est Deum pendere a creatura, sed ab aeterna sua institutione et voluntate.

Tertium argumentum: Deus est caussa omnium rerum, quae quoquo modo habent esse; at quod voluntas nostra se determinet et applicet ad operandum, sine dubio est aliquid, igitur hoc ipsum facit Deus. Deus igitur facit,ut voluntas se determinet et applicet, ac per hoc ipsam movet, determinat et applicat.

Respondeo: In eo quod est, voluntatem se determinare ad opus, sive (quod idem est) re ipsa operari, cum antea non operaretur; Tria considerari possunt, voluntas, actio ejus et egressus actionis a voluntate, sive relatio et habitudo actionis tamquam effectus ad voluntatem,ut ad caussam.Ex his tribus, voluntas sine dubio a solo Deo facta est; actio quoque fit a Deo, quamvis non solo; denique relatio proprie non fit,sed consequitur:tamen ut est idem re cum actione, ab eo fit, a quo actio ipsa fit.

Itaque nihil est, quod non fiat a Deo, et tamen non dicitur Deus determinare, vel applicare voluntatem ad opus,quia relatio illa non refertur ad Deum, sed ad solam voluntatem. Referretur autem etiam ad Deum, si ipse uteretur voluntate tamquam instrumento ad illam ipsam actionem faciendam.

Quartum argumentum: Actus voluntatis est actio vitalis et immanens, igitur non potest immediate fieri, nisi a principio intrinseco et vitali. Proinde Deus non concurrit ad illam actionem immediate producendam, sed mediante voluntate nostra.

Respondeo:Concursus Dei est generalis et indifferens quidam influxus, qui a caussis secundum modificatur et determinatur,saltem quoad specificationem, ut diximus in lib. de caussa peccati. Et colligitur etiam ex s. Thoma in lib. 3. contra gentes cap. 66. ubi dicit caussas secundas esse particulantes (sic enim loquitur) et determinantes actionem primi agentis. Porro actio immanens,et vitalis non potest produci, nisi ab intrinseco principio,vel ab extrinseco modificato et determinato ab ipso intrinseco.

Quintum argumentum: Providentia Dei extenditur ad omnia, etiam singularia, et contingentia et libera: igitur Deus ab aeterno determinavit omnes effectus, ac per hoc etiam determinavit caussas secundas ad eos producendos.Nam alioqui si effectus liberi, et contingentes non essent praedeterminati a Deo, sed tales essent,quia tales sunt caussae se-

cundae; praeter intentionem Dei fierent, quod absurdum esse demonstrat s. Thomas in 1. part. quaest. 19. artic. 8. ubi concludit; Deum praeparasse caussas alias necessarias, alias contingentes, vel liberas, quia tales esse voluit effectus;non contra,ideo voluisse effectus esse alios necessarios,alios contingentes , vel liberos, quia tales sunt caussae.

Respondeo:Deus ab aeterno determinavit omnes effectus, sed non ante praevisionem determinationis caussarum secundarum, praesertim contingentium et liberarum: et rursus determinavit omnes effectus, sed non eodem modo; alios enim determinavit futuros se operante, vel cooperante, alios se permittente, vel non impediente: neque ratio providentiae postulat, ut Deus ante omnem praevisionem omnia praedeterminaverit,sed solum ut nihil fiat sine ejus praevisione et cooperatione, vel permissione.Alioqui enim etiam peccata praedeterminasset ante praevisionem malae voluntatis, et ideo malam voluntatem esse voluisset,ut inde peccata jam ante praedeterminata prodirent, quae est haeresis absurdissima,et aperta blasphemia.Neque Dominus in evangelio diceret, unum ex passeribus non cadere in terram sine Patre nostro:sed diceret, unum ex passeribus non cadere in terram, quem Pater noster in terram non dejiciat.

Quod autem s. Thomas dicit, Deum instituisse quasdam caussas contingentes vel liberas, quia tales esse voluit effectus; videtur intelligendum de effectibus in universum, non in particulari, idest, quia voluit Deus in hoc mundo non omnia fieri necessario, sed aliqua contingenter, vel libere, ideo caussas instituit tum necessarias,tum contingentes et liberas: tamen in particulari non ideo instituit istam caussam liberam, quia voluit hunc effectum liberum , sed contra volunt hunc effectum esse liberum , quia caussam habet liberam. Nam hoc modo neque res contingentes eveniunt praeter intentionem Dei, neque prima radix contingentiae sunt caussae secundae, et tamen providentia non impedit liberum arbitrium.

Quod autem s. Thomas loquutus sit in genere,et non in particulari,cognosci potest ex 1.part.quaest. 23. art. 7. ubi dicit,Deum determinasse numerum partium essentialium mundi, ut coelorum,elementorum, et omnium specierum; tamen non determinasse numerum individuorum corruptibilium, ut culicum, muscarum, etc. neque ut haec musca hodie nascatur, cras illa; sed tantum in genere providisse, et providere, ut non deficiat species ulla animalium. Quod si providentia divina non praedeterminavit in particulari individua substantialia, licet ea praeviderit futura,et voluerit cooperari caussis secundis in eorum productione, multo minus determinavit in particulari omnes actiones transeuntes liberas, licet eas praeviderit et decreverit cooperari, vel impedire, vel permittere; si malae sint, et bonum aliquid ex eis elicere.

Sextum argumentum: Si Deus non omnia praedeterminaret ante praevisionem determinationis secundarum caussarum,non posset omnia certo praescire. Nam actiones liberas futuras non videt Deus in ipsis actionibus,quia non sunt;nec videt in caussa secunda, idest, voluntate humana, quia illa indeterminata est,et omnibus positis,quae requiruntur ad agendum, potest non agere; nec videt in caussa prima exemplari, idest, in idea, quia illa repraesentat omnia possibilia, sive futura sint,sive non sint: nec videt in aeternitate sua, quae ambit omnia tempora. Nam etiamsi aeternitas coëxistat omni tempori,tamen tempus futurum non coëxistit aeternitati, nisi quando re ipsa existit, idest, cum praesens est: proinde futurum, dum est futurum , non est, neque in se cognosci potest. Adde quod Deus cognoscit etiam quaedam, quae numquam erunt, ut cum 1. Reg. 23. petenti David, num tradent me viri Ceilam, respondit, tradent; et cum Matth. 11. praedixit Dominus Tyrios et Sidonios poenitentiam acturos fuisse, si miracula vidissent, quae Capharnaitae viderunt. Haec et similia conditionalia Deus certo praenoscit, et tamen in se ipsis numquam extabunt,neque aeternitate unquam coëxistent. Igitur aut videt in sua voluntate, tamquam in prima caussa efficiente et efficacissima,aut nullo modo videt.

Respondeo: Res est omnino difficilis, et fortasse in hac vita incomprehensibilis, qua ratione Deus futura praenoscat. Et hoc videtur indicasse David in psal. 138. cum ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me. confortata est, et non potero ad eam.* Illud enim (*ex me*) hebraica phrasi significat (*prae me*) sive (*super me*) ut sensus sit, mirabilior est modus scientiae tuae, quam ut ego cum comprehendere possim. Quomodo videlicet, intellexeris cogitationes meas de longe,et omnes semitas meas investigaveris etc.

Probabile tamen nobis videtur, Deum futuras actiones liberas non videre nisi in humana voluntate. Id enim significat in primis Scriptura, cum dicit, Deum scrutari renes et corda, et in hoc psalm. 138. Deum investigare omnes semitas nostras. Nam si videret eas in sua voluntate praedeterminante omnia; non diceretur scrutari corda nostra et investigare semitas,sed intueri voluntatem suam. Deinde non esset mirabile, Deum omnia praenoscere, si omnia praedeterminaret. Nam et nos facile praescimus et praedicimus, quae facturi sumus: at s.David in toto illo psal. 138. miratur scientiam Dei, qua praevidet omnes vias nostras,et intelligit cogitationes nostras de longe etc.

Adhaec s. Augustinus lib. 11. Confess. cap. 18. satis aperte hoc docet, cum ait: *Quoquo modo se habeant arcana praescientiae futurorum; videri nisi quod est, non potest; quod autem jam est, non futurum, sed praesens est. Cum ergo videri dicuntur futura, non ipsa, quae nondum sunt, idest, quae futura sunt, sed eorum caussae, vel signa forsitan videntur,quae jam sunt. Ideo non futura, sed praesentia sunt jam videntibus ex quibus futura praedicantur animo concepta.* Haec ille.

Deus igitur quia perfecte cognoscit omnes propensiones, et totum ingenium animi nostri, et rursum non ignorat omnia,quae illi possunt occurrere in singulis deliberationibus,et denique perspectum habet, quid magis congruum et aptum sit, ut moveat talem animum tali propensione et ingenio praeditum, infallibiliter colligit,quam in partem sit ani-

mus inclinaturus. Et hoc fortasse sibi volunt, qui docent, Deum cognoscere futura omnia tam libera, quam necessaria, et tam absoluta, quam conditionalia, quia cognoscit omnem veritatem; et quis omnia, quae quoquo modo futura sunt aliquo modo vera sunt; verum enim est dicere, hoc erit,quando re vera est futurum.

Haec, inquam, sententia videtur coincidere cum nostra. Nam verum, et ens convertuntur, et ideo non est verum modo aliquid esse futurum,nisi illud *modo*,habeat aliquod esse, nimirum in caussa;non autem habeat esse in caussa id, quod est libere, et contingenter futurum, nisi quando in caussa est aliqua determinatio.Et quoniam in ipsa contingente caussa praecise considerata, nulla est determinatio, ideo vere dixit philosophus, de futuris contingentibus, non esse determinatam veritatem; respexit enim ad ipsam solam caussam contingentem. Tamen si quis conjungat non caussa contingente, vel libera omnia quae possunt occurrere et impedire, et videat propensiones et aptitudines tum ipsius caussae, tum omnium objectorum et circumstantiarum, quod solus Deus facere potest, existet inde aliqua determinatio, et ratione illius verum erit dicere: hoc erit tali tempore.

CAPUT XVI.

Explicatur altera ratio concordiae libertatis cum cooperatione Dei, et solvitur objectio cap. 14. proposita.

Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione divina, et fortasse etiam probabilior est juxta sententiam s. Thomae, qui docet, cooperationem divinam ita concurrere cum secundis caussis etiam liberis, ut non solum eis dederit, et conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, et applicet ad opus, ut cognosci potest ex 1. part. quaest. 105. artic. 5. et lib. 3.contra gentes, cap. 70. et in quaest. 3. de potentia art. 7. quae sententia videtur valde consentanea, tum Scripturae, quae dicit nos in Deo esse, vivere et moveri, Actor. 17. tum etiam rationi et ordini, quem habet prima caussa cum secundis, neque laborandum est in hac sententia, ut ostendamus, nihil omnino fieri sine Deo. Sed tamen habet etiam haec sententia suas difficultates, quas breviter explicabimus antequam exponamus, quemadmodum juxta hanc sententiam salvetur liberum arbitrium.

Objiciunt igitur aliqui contra sententiam s. Thomae, non posse intelligi quomodo Deus moveat, et applicet caussas secundas. Nam si Deus movet caussas secundas,vel movet locali motu, vel alterativo; non locali, quia caussae secundae,ut plurimum immotae; secundum locum agere possunt; ignis enim non eget motu locali, ut comburat stupam vicinam; et multo minus humana voluntas eget motu locali, ut aliquid velit. Non etiam alterativo,quia tunc aliqua qualitas imprimi deberet in caussa secunda. Nulla autem talis qualitas necessaria est, neque ex parte Dei, qui operatur omnia per actum suae voluntatis; neque ex parte caussae secundae, quae jam habet virtutem operatricem a natura.

Dices: Necessariam esse ex parte Dei,et ex parte caussae secundae; ex parte Dei, ut per eam qualitatem attingat effectum,ex parte caussae secundae, ut determinetur, et applicetur ad operandum Contra: Nam Deus non eget qualitate, ut attingat effectum; et praeterea si egeret qualitate. ut effectum attingeret non in caussa, sed in effectu, illam imprimeret: porro caussa secunda praesente objecto, non videtur indigere alia determinatione vel applicatione.

Ad hanc objectionem Respondeo:Deum non movere localiter caussam secundam,neque in illa qualitatem ullam imprimere, sed tantum illa uti tamquam instrumento ad opus efficiendum, quocirca virtus a Deo impressa per modum transeuntis,dum caussa secunda operatur, non distinguitur ab ipsa virtute naturali, sed est illa eadem. qualenus illa Deus utitur ad illam actionem perficiendam. Est autem necessaria haec motio Dei ex parte caussae secundae, quae cum sit talis, idest, secunda,habet necessariam dependentiam a caussa prima, in cujus virtute operatur. Vide quae diximus de virtute Dei in sacramentis impressa per motum lib. 2. de sacramentis in genere cap. 11.

His explicatis, ut ostendamus, juxta hanc s.Thomae sententiam, recte defendi liberum arbitrium, Sciendum est, influxum, seu virtutem Dei qua voluntas movetur et applicatur ad opus, recipi in caussis secundis,secundum earum dispositionem (ut idem s. Thomas in quaest. 3. de malo art. 2.) *Attendendum*, inquit, *quod motus primi moventis, non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum.* Et in 1. 2. quaest. 10. art. 4. *Ad providentiam.* inquit, *Dei pertinet, naturam non corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem.* Et infra: *Quia*, inquit, *voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius. nisi in his, ad quae naturaliter movetur.* Haec ille.

Porro iste modus, seu conditio in voluntate, secundum quam recipitur in ea motus Dei,nihil aliud est, nisi negativa quaedam determinatio, praecedens tum influxum Dei, tum actum elicitum voluntatis. Nimirum quod voluntas sinat se moveri ab objecto per rationem sibi proposito, vel non sinat. Haec enim determinatio dicitur negativa quia non consistit in actu positivo, sed in negatione actus, cum tamen voluntas non minus sit libera ut agat, quam ut non agat.

Explicat id s. Thomas in quaest. 1. de malo artic. 3. ubi dicit, Non uti regula rationis praeintelligi in voluntate ante inordinatam electionem: hujus autem quod est, non uti regula rationis, non oportere quaerere aliam caussam, nisi voluntatis libertatem, quia videlicet in ejus potestate est, ut sinat se moveri a ratione, vel non sinat. Et rursus in quaest. 3. de malo art. 2. idem s. Thomas dicit, requiri in homine dispositionem quandam ad recipiendum influxum Dei, et juxta eam dispositionem produci bonum, vel malum actum. Non po-

test autem praerequiri ante inflexum Dei ulla dispositio positiva, cum nihil positivum sine Deo fieri possit. Sola igitur praerequiritur dispositio negativa.

Atque hinc fit, ut voluntas sit vere libera, et se ipsa determinet, tametsi Deus illam moveat, et applicet ad opus, quoniam ipsa Dei motio in ejus potestate est, sive (ut loquitur Cajetanus in 1. part. quaest. 19. art. 8.) Dei motione voluntas nostra libere utitur. Nam si se moveri sinat ab objecto proposito, Deus eam applicat, et movet ad actum eliciendum; si non sinat, Deus eam non applicat, neque movet. Et ideo s. Thomas in 1. 2. quaest. 10. art. 4. ad 3. concludit, posita Dei motione, impossibile esse ut voluntas non moveatur; absolute autem non esse impossibile. Quia videlicet potest voluntas non se disponere per negativam determinationem ad motionem Dei recipiendam.

Simile est, quod supra diximus de concordia ultimi judicii practici, et liberae electionis. Sicut enim posito ultimo judicio practico fieri non potest, ut voluntas non eligat id, quod tunc ei a ratione proponitur; et tamen electio libera est, quoniam ipsum judicium practicum est in potestate voluntatis, propter negativam praecedentem determinationem: sic etiam posito influxu Dei fieri non potest, ut voluntas non operetur; et tamen operatio libera est, quoniam influxus Dei non ponitur, nisi prius voluntas per negativam determinationem ad illum recipiendum se disponat.

Adversus hanc sententiam fieri possent duo postrema argumenta, quae facta sunt adversus sententiam capitis superioris, de providentia rerum omnium in particulari, et de modo, quo Deus cognoscit futura contingentia: sed ea jam proposita et explicata sunt.

Ex his igitur facile responderi potest ad objectionem Calvini propositam initio cap. 14. Erat autem haec objectio, Voluntas divina est prima caussa omnium rerum, et jam ab aeternitate decrevit quid velit fieri: nulla igitur esse potest in homine libertas arbitrii; nam prima caussa efficacissima est, et secundum Scripturas non potest ullus divinae resistere voluntati.

Respondeo: Voluntas divina est quidem prima caussa omnium rerum, et ab aeterno decrevit quid velit, aut non velit fieri; sed in particularibus, et maxime liberis actionibus, id non decrevit, nisi praecognita prius dispositione et determinatione secundarum caussarum, ut supra ostendimus. Quocirca licet nemo possit divinae resistere voluntati, manet tamen integra libertas humanae voluntati, quia Deus ipse, cui nemo resistere potest, hoc voluit, ut animus humanus liber esset, et actiones suas in potestate haberet, et ideo decrevit ei cooperari, vel eam applicare et movere, quotiescumque per negativam determinationem se ipsa disponeret.

Addebat Calvinus confirmationem ab experientia, quod in rebus minime perplexis saepe nobis consilium deficiat: et contra in rebus obscuris nonnumquam repente lux affulgeat: et similiter quod attinet ad affectum, saepe in rebus minime arduis animus flaccescat, in difficilibus autem erigatur. Quod argumentum esset, mentes nostras a Deo regi et gubernari.

Respondeo: Verissimum est Dei providentia regi animos nostros, et interdum a Deo suppeditari expeditum consilium, et ingentem fiduciam in rebus arduis; et in rebus facilibus non suppeditari. Caeterum nihil id facit contra libertatem arbitrii, nam suppeditatio, consilii, et inflammatio voluntatis, non determinat ex necessitate homines ad eligendum unum potius, quam alterum. Alioqui sapientes et eloquentes homines, qui saepe auditores suos ducunt, ac flectunt prout ipsi volunt, libero arbitrio illos privarent.

Sed est etiam caussa naturalis ejus rei, quam tantopere Calvinus miratur. Naturale enim est, ut homines difficultate rei perspecta excitentur, et contra nitantur, facilia vero et tuta despiciant. Mirum autem non est si consilia suppetant, cum animus ad rem cogitandam vehementer intenditur, et si consilium non occurrat, cum res negligitur. Sic nimirum et ferrum cote acuitur, et per antiperistasin contraria ad contrariorum praesentiam vehementius roborantur.

LIBER QUINTUS

DE

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

CAPUT PRIMUM

Proponitur quaestio de cognitione veri moralis.

Disseruimus hactenus de viribus humanis, et libertate arbitrii, circa res naturales.Nunc de moralibus agendum erit. Primum, An possit viribus naturae cognosci verum aliquid morale. Deinde, An iisdem viribus fieri possit actio aliqua vere bona moraliter. Postremo, Sitne homo liberi arbitrii in hujusmodi actionibus peragendis vel omittendis.

Quaeritur igitur, possitne homo viribus naturae, sine auxilio gratiae specialis verum aliquod morale cognoscere. Ubi Tria praemittenda sunt, ut quaestionis status clarius innotescat; quid intelligamus nomine *gratiae*, quid nomine *veri moralis*,et quid nomine *cognitionis*.

Per auxilium gratiae non intelligimus gratiam justificantem, sed motionem et directionem divinam, qualem peccatores quoque habere possunt. Satis enim constat tum ex testimonio s. Augustini lib. 1. Retract. cap. 4. tum ex communi omnium consensu, injustos et peccatores, aliqua vera, non solum naturalia, sed etiam moralia et supernaturalia posse cognoscere. Sed utrum id possint viribus suis, an Deo speciali auxilio juvante in controversia est.

Nomine autem *veri moralis*, non accipimus verum morale universe consideratum, ut Deum esse colendum, parentes venerandos, filios diligendos; id enim non minus facile potest intelligi, quam verum naturale theoricum: Sed verum morale cum omnibus circumstantiis, quae necessarie sunt, ut actio voluntatis,ei vero conformis sit actio virtutis, ut cum quis judicat,sibi hoc tempore eleemosynam faciendam; vel quod mutuo est acceptum, esse restituendum hoc tempore, quia ratio justitiae nunc id fieri postulat.

Denique nomine *cognitionis* non intelligimus simplicem apprehensionem, sed etiam judicium, et judicium non illud ultimum,ad quod ex necessitate sequitur electio.Id enim ex voluntate dependet,sed judicium, praecedens imperium voluntatis, quale inter consultandum exerceri solet.

His praenotatis ad propositam quaestionem quidam theologi respondent, nullum verum morale posse ab intellectu humano, in statu naturae corruptae, sine speciali Dei auxilio, cognosci. Ita docuit Gregorius arimin. in 2. sent. dist. 26. quaest. 1. art. 1. conc. 2. et dist. 29. quaest. 1. art. 2. quem sequutus est ex antiquioribus Joannes Capreolus in 2. dist. 28. quaest. unica, artic. 3. in responsione ad argumenta contra primam conclusionem, ex recentioribus Gaspar Cassalius lib. 1. de quadripartita justitia cap. 32.

Contra sentiunt, posse cognosci viribus naturae, et auxilio Dei generali, aliquod verum morale,Omnes fere alii theologi, ut Albertus in 2. dist. 28. artic. 1. S. Bonaventura ibidem artic. 2. quaest. 3. Scotus ibidem quaest. unica. Richardus ibidem. Durandus ibidem, quaest. 1.Dominicus a Soto lib. 1. de natura et gratia, cap. 20. et idem docere videtur s. Thomas in 1. 2. quaest. 109. art. 1. Quae sententia posterior verissima nobis esse videtur,et eo libentius eam amplectimur et defendimus, quo magis displicet adversariis, ac praesertim Joanni Calvino in 2. lib. Institut. cap. 2. § 24. 25. et 26.

CAPUT II.

Probatur, posse hominem suis viribus cognoscere aliquod verum morale.

Dicimus igitur in statu naturae corruptae non ita extinctum esse lumen rationis practicae, quin possit cum solo auxilio Dei generali, aliquod verum

morale cognoscere,quamvis alioqui in multis saepe fallatur et erret, nisi divina illustratione et gubernatione dirigatur.

Posteriorem hujus sententiae partem,satis probat experientia, neque opus erit de ea disserere, cum neque ab ullo negetur, et multa sint a nobis dicta in 3. lib. de peccato originis cap. 9. Priorem partem probare possumus ex divinis literis, ex Patrum testimoniis, et ex ipsa ratione.

Ex divinis literis habemus in primis illud psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ubi propheta docet non posse excusari per ignorantiam homines, si non servant praecepta moralia,cum ab ipsa natura lumen in corde impressum habeant, ut s. Cyrillus exponit lib. 1. in Joan. cap. 9.

Non dissimilis locus est in psalm. 57.*Si vere utique justitiam loquimini, recte judicate filii hominum.* Significat enim propheta, omnes homines habere in corde impressa quaedam praecepta justitiae, et ideo inexcusabiles esse,cum ea non servant, quae ignorare non possunt: *Cui iniquo*, inquit Augustinus in comment. hujus loci, *non facile est loqui justitiam? aut quis de justitia interrogatus, quando caussam non habet, non facile respondeat quid sit justum?*

Huc etiam pertinet illud ad Rom. 1. *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* Ostendit enim Apostolus, potuisse gentiles per cognitionem unius Dei ex creaturis acceptam, abstinere a cultu idolorum, et ideo esse inexcusabiles, quod veritatem Dei in injustitia detinuerint,et mutaverint gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.

Sed est et aliud insigne testimonium in eadem epistol. ad Rom. cap.2. ubi sic Apostolus loquitur: *Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt,ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis,testimonium reddente illis conscientia ipsorum etc.* Quo loco demonstrat Apostolus, ethnicos, qui legem scriptam non acceperunt, solo lumine rationis quaedam cognoscere, quae ad honeste vivendum pertinent. Id enim significat illud: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis;* hoc est, ostendunt,in corde se scriptum habere, quid sit faciendum, ut recte, et cum ratione vivatur. Quia vero hic locus insignis est, et non solum quaestioni , quam nunc tractamus, sed etiam sequenti deserviet, paulo diligentius considerandus est.

Duae sunt hujus loci explicationes a veteribus indicatae. Una est Origenis et Ambrosii, in comment. ad hunc locum. Item s. Augustini in lib. de spiritu et litera cap.26.et 27.qui totum hunc locum referunt ad Christianos, ex gentibus conversos. Illud autem: *Naturaliter quae legis sunt, faciunt,* docet Augustinus non excludere gratiam, sed positum esse ad significandum, virtutem esse secundum naturam, vitium contra naturam. Ratio potissima hujus sententiae est, quoniam in hoc ipso capite b. Paulus dicit, factores legis justificari, ex quo sequitur, ut gentes,quae legem non habentes, quae legis sunt, faciunt, omnibus justificentur. Constat autem ex hac eadem epist. cap. 3. et 4. neminem sine Christi fide justificari: Quare necesse est, ut gentes, de quibus hic agitur,non sint infideles, sed fideles.

Altera expositio est communior, haec apostolica verba de gentibus illis esse intelligenda,quae Christum ignorantes, solo naturali lumine ducebantur. Ita exponunt Graeci communiter,ut Chrysost.Theodor. Theophyl.et Oecumen. in comment.hujus loci. Et auctor operis imperfecti in Matth. hom. 8. Item multi ex Latinis, ut s. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 99. S. Hieronymus in epist. ad Algasiam, quaest. 8. et Haymo in hunc locum. Sanctus etiam Augustinus in libro de spiritu et litera, cap. 28. non reprobat hanc expositionem posteriorem,tametsi priorem magis probet. Idem autem in lib. 4. adversus Julian. cap. 3. utramque expositionem admittit, et in psalm. 118. Conc. 25. solius posterioris mentionem facit, eaque utitur ad probandum , omnes peccatores esse praevaricatores legis, quandoquidem juxta hunc locum Apostoli , etiam ethnici, qui legem videntur non habere, legem naturae scriptam in corde gerant.Denique eadem est sententia recentiorum, ut s. Thomae, Cajetani, Dominici a Soto, et aliorum in hunc locum, Joan. driedon. in lib. de capt. et redemptione humani generis, tract. 4. cap. 2. part. 2. et Ruardi Tapperi in defensione articuli de libero arbitrio.

Haec explicatio, ut est communior, ita quoque est verior. Nam id constat in primis ex proposito et intentione b. Pauli. Voluit enim ostendere in 1. part. epist. necessitatem fidei christianae , sine qua nemo coram Deo justificari potest,sive is gentilis sit,sive Judaeus.Ad hoc ostendendum demonstravit in 1. cap. principes et magistros primarios gentilium, videlicet philosophos, qui sapientissimi et optimi habebantur, gravissimis sceleribus etiam contra naturam coopertos fuisse.

Deinde in 2. cap. idem ostendit de Judaeis, qui tametsi legem scriptam digito Dei acceperant, nihilominus multis maximisque,peccatis inveniebantur obnoxii. Ex quibus effecit, omnes esse peccatores, et egere gloria Dei, et quicumque in lege peccaverunt, per legem esse judicandos, qui autem sine lege peccaverunt, sine lege perituros. Quoniam vero durum et iniquum esse videbatur,ut qui sine lege peccaverunt, tamquam praevaricatores punirentur. Ideo addidit, eos etiam qui sine lege, scripta videlicet in tabulis, peccaverunt, non omnino sine lege fuisse,quandoquidem ex eo,quod interdum faciunt aliqua opera legis, ostendunt se habere in cordibus legem a Deo impressam.

Deinde idem intelligi potest ex illa voce,*gentes*, nam Scriptura sacra nomen, gentis, absolute positum. fere semper usurpat pro infidelibus,ut Matth. 6. *Haec enim omnia gentes inquirunt.* Luc. 18. *Tradetur enim gentibus et illudetur.*1.ad Corinth. 1. *Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, nobis autem etc.* 1. ad Corinth. 5.*Fornicatio auditur inter vos.qualis nec inter gentes.* 1. ad Corinth. 10. *Sine offensione estote Judaeis, et gentibus, et Ecclesiae Dei.* 1. ad Corinth. 12. *Scitis enim cum gentes essetis,ad simulacra muta prout ducebamini etc.*

Accedit etiam illud: *Qui legem non habent*, quod recte dicitur de gentibus nondum conversis ad Christum; de gentibus autem, quae per fidem, et Baptismum in Ecclesiam intraverunt, recte dici non potest; cum in ipso initio catechumenis tradatur decalogus, cum symbolo fidei.

Denique vox illa, *naturaliter*, satis aperte significat, Apostolum loqui de lumine, quod habetur ex natura. Declarat enim idem Apostolus quid sit *naturaliter*, cum ait: *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum.* Quod est idem, ac si dixisset, ideo naturaliter quae legis sunt faciunt, quia si secus facere velint, conscientiam reclamantem sentiunt, et certe in Scripturis vox, *naturaliter*, ita solet accipi, ut id fieri dicatur naturaliter, quod fit dictante et movente natura, ut in epist. Judae: *Quaecumque naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Et 2. Petr. 2. *Hi vero velut irrationalia pecora, naturaliter in captionem et perniciem, in his quae ignorant, blasphemantes; in corruptione sua peribunt.*

Neque argumentum illud de justificatione pro sententia priore concludit. Nam cum Apostolus dicit, factores legis justificandos, loquitur de illis, qui totam legem observant: Nam ut dicitur Jacobi 2. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Hoc autem loco non docet Apostolus, gentes, quae legem non habent, naturaliter totam legem observare; sed eas ostendere opus legis, scriptum in cordibus suis, quando quae legis sunt faciunt, idest, cum aliquid operantur, juxta normam legis.

Ad haec loca Scripturae fortasse responderi posset, non colligi ex his, cognosci naturali lumine verum morale in particulari, sed solum in universali. Quod quidem Calvinus admittit et adducit testimonium Aristotelis, qui docet incontinentem vere judicare de propositione universali, sed errare in particulari.

Caeterum haec responsio facile refellitur, nam quod attinet ad Primum locum ex psalm. 4. interroganti: *Quis ostendit nobis bona?* Non satisfaceret propheta, dicens: *Signatum est per nos lumen vultus tui*: Si eo lumine non posset cognosci bonum in particulari, eo modo, quo cognosci necesse est, ut fiat opus bonum. Quid enim prodest cognitio illa universalis, ad hoc ut fiat opus bonum, nisi colligi possit ex ea naturaliter cognitio particularis? actiones enim singulares sunt, non universales. Pari ratione in secundo et tertio testimonio accusantur peccatores, quod cum cognoscant quid sit justum, non tamen juste operentur: at certe digni essent excusatione, si solum in universali verum morale cognoscerent, in particulari vero id cognoscere non valerent. Denique in postremo loco b. Paulus colligit ex operatione cognitionem; scribit enim, gentes ostendere opus legis scriptum in cordibus, ex eo quod faciunt ea quae legis sunt. Atqui opera legis in particulari fiunt, erit igitur etiam cognitio particularis. Praeter haec testimonia Scripturae, non desunt etiam apertissima loca sanctorum Patrum.

Sanctus Joannes chrysostomus homil. 54. in Genes. in ipso principio: *Nullus*, inquit, *praetexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem vitae ducem et demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam, et fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum, et non faciendorum.*

S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 8. *Lex*, inquit, *quae in corde scribitur, omnes continet nationes, et nullus est, qui hanc legem nesciat. Unde omnis mundus sub peccato est, et universi homines praevaricatores legis sunt, et idcirco justum judicium Dei est.*

S. Augustinus in psalm. 57. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scripsit, Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, et quibus lex non esset data.*

Ut igitur intelligamus, quid sit quod sanctus Augustinus in retractationibus explicat, ex libris de libero arbitrio; Sciendum est, liberum arbitrium Adami ante peccatum, duabus in rebus potentius fuisse, quam nostrum; nos enim etsi liberi simus in actu voluntatis, et possimus pro arbitrio velle et non velle, eligere et non eligere; tamen saepe non sumus liberi in actibus aliarum potentiarum, sive in exequutione voluntatis: et pati cogimur rebellionem partis inferioris, et dicere cum Apostolo quod nolo hoc facio. Adam vero ante lapsum liber erat, non solum in actu voluntatis, sed etiam in exequutione, cum nulla esset in ejus corpore rebellio, et omnia membra illi servirent ad nutum.

Deinde nos egemus protectione et adjutorio Dei speciali contra tentationes et eo non praesente, necessario cedimus et succumbimus, quamvis absolute non necessario succumbamus, cum adjutorium Domini ad non peccandum nemini denegetur, ut in 2. lib. demonstravimus. Adam vero isto adjutorio non egebat, quia rebellio carnis, et concupiscentia, unde tentationes oriuntur, in eo non erat. Utrumque Pelagiani negabant, et liberum nostrum arbitrium nulla in re libero arbitrio Adami concedere contendebant, et ad hanc falsam sententiam suam, ipsius etiam Augustini verba in libris de libero arbitrio scriptis, eidem Augustino objiciebant. Hac igitur de caussa in lib. 1. retractationum, cap. 9. sanctus Augustinus clarius explicat sententiam suam, et monet in lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. non se tacuisse hanc diversitatem inter liberum arbitrium nostrum, et Adami ante peccatum. Quare verba illa: *Cum autem de libera voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est loquitur.* Non significant, ut Calvinus falso credidit, omnia loca horum librorum exponenda esse, de solo libero arbitrio Adami; sed omnia loca, in quibus asseritur libertas eligendi sine resistentia partis inferioris, et sine ulla ignorantia, et difficultate, intelligenda esse de libero arbitrio quale fuit ante peccatum, non quale nunc est post peccatum.

Id autem ita esse, confirmari potest ex verbis ejusdem capitis decimi octavi, libri tertii, de libero arbitrio: *Nec mirandum*, inquit, *quod vel ignorando non habet liberum arbitrium, ad eligendum quid recte faciat vel resistente carnali consuetudine, videat quid recte faciendum sit, et velit, nec possit implere. Illa est enim peccati poena justissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet.* Nota illud, *velit, nec possit implere.* Significat enim, quod diximus, libere hominem velle, sed non libere implere, propter resistentiam partis

inferioris. Et ibid. *Approbare falsa pro veris ut erret invitus, et resistente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis,sed poena damnati. Cum autem de libera voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est,loquimur.* Vides hic libertatem recte faciendi, quae homini instituto conceditur, opponi necessitati errandi et concupiscendi contra voluntatem? Poterat igitur Adam non errare invitus, et temperare ab omnibus motibus carnis, quod nos minime possumus, etiamsi velimus. Atque haec est prima diversitas inter nos et Adamum.

Idem Augustinus in eodem lib. 1. retractationum, cap. 9. explicat alteram differentiam inter liberum arbitrium nostrum et Adami, quod nos egeamus adjutorio, quo ille non egebat: *Novi*, inquit, *haereticl Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiae non relinquant locum, non se extollat, quasi eorum egerim caussam,quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio.quae illius disputationis caussa poscebat.* Et infra: *In his, atque hujusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani,vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant.*

Idem etiam Augustinus in libro de natura et gratia, cap. 67. demonstrat in 3. lib. de libero arbitrio, non fuisse omnino praeteritam gratiae mentionem. Nam cum Pelagiani objecissent illud ex eodem lib. 3. *Quis enim peccat in eo quod caveri non potest?* Respondit,neminem peccare in eo quod vitare non potest, sed non ideo vitari posse peccata,quod adhuc sit integra natura ut erat in Adamo, sed quoniam Dei gratia praesto est. Et addit, id se non tacuisse in 3. lib. de libero arbitrio: *Ex ipsis*, inquit. *libris oportet me commemorare, quod iste si sentiret, atque in suis literis poneret,nulla inter nos de hac re controversia remaneret.*

Et mox recitat multa, et inter alia aliud ex cap. 19. lib. 3. *Cum ubique sit praesens, qui multis modis per creaturam suam aversum vocet,doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam,quod invitus ignorans, sed quod negligis quaerere quod ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis,sed quod volentem sanare contemnis.* Ex his omnibus habemus s.Augustinum in libris de libero arbitrio, sic Manichaeos,et per hoc etiam Calvinistas, vere ac solide confutasse. ut tamen caussam Pelagianorum nulla ex parte adjuverit; licet non ita diligenter, et copiose gratiam commendaverit, quam tunc nemo negabat, sicut postea fecit, cum occasio illam defendendi se obtulit.

Tertium testimonium sumitur ex libro de vera religione. cap. 14. ubi sic loquitur sanctus Augustinus: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem manifestum est adeo, ut nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Et infra: *Et quoniam peccari non dubium est,ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse,Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.* Non potest ad hunc locum responderi, Augustinum argumentari ex concessis,et non serio explicare quid sentiat.Quid enim potuit apertius ex sententia sua dicere, quam ita esse manifestum, animas habere liberum voluntatis arbitrium, ut nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat?

Calvinus igitur ad alterum perfugium se conferens dicit, Augustinum loqui de peccato primi hominis, quod vere non necessitate, sed voluntate commissum est. Id autem probat ex lib. 1. retractationum, cap. 13. ubi hunc locum explicans Augustinus ita loquitur: *Potest videri falsa haec definitio, sed si diligenter excutiatur, invenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam poena peccati.* Item probat ex libro de natura et gratia,cap. 65. ubi proponitur objectio Pelagii. ex verbis illis Hieronymi lib. 2. in Jovinianum: *Liberi arbitrii nos condidit Deus,nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui ubi necessitas, neque corona,neque damnatio est.* Ad quam objectionem respondet Augustinus: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter condita humanam neget esse natura? sed in recto faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis,quia est libertas charitatis?*

At nihilominus constanter asserimus, non posse locum Augustini citatum a nobis ex lib. de vera religione ita exponi. ut ad solius Adae peccatum pertinere doceatur. Nam quod peccatum sit omnino voluntarium, et si non sit voluntarium, non sit peccatum, probat Augustinus ex communi consensu generis humani, dum dicit, nullam hic indoctorum turbam dissentire, at certe turba indoctorum, et vulgus generis humani, cum praedicat, non esse peccatum quod voluntate non fit, sed necessitate, non respicit ad peccatum Adami, sed ad experientiam suam, et naturale lumen omnibus insitum.

Deinde affirmat Augustinus non debere corripi peccatores, si non voluntate, sed necessitate peccant, si autem non corripiantur, omnem de medio tolli religionem. Ubi sine dubio non loquitur de Adamo, sed de peccatis, quae fiunt ab hominibus, qui hoc tempore vivunt.

Denique scribit Augustinus, ideo sine ulla dubitatione animas liberum habere voluntatis arbitrium, quod dubium non sit, multa peccata fieri. Ubi sicut absque controversia, loquitur de peccatis,quae nunc fiunt, ita etiam sine controversia intelligi debet de libero arbitrio, quod nunc est.

Ad objectionem igitur propositam ex retractationibus, Respondeo: Sanctum Augustinum significare voluisse definitionem peccati, in qua ponitur voluntarium, perfectissime et plenissime convenire primo peccato, sed tamen etiam caetera omnia peccata debere esse voluntaria, et alioqui non esse peccata. Quod autem dicit Augustinus, definitionem illam, nisi diligenter discutiatur, videri posse falsam, dicit propter peccatum originale, quod mini-

mum habet de voluntario, non propter peccata actualia, de quibus modo nos loquimur, quae quidem adeo sunt manifeste voluntaria, ut de illis potissimum intelligatur, quod nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.

Distinguit igitur Augustinus Quatuor genera peccatorum. Primum est peccatum illud, quod nullius praecedentis est poena peccati, et tale fuit peccatum primum Adami, quod quia plenissime voluntarium fuit, ideo fuit etiam plenissime perfectissimeque peccatum.

Alterum eorum est, qui dominanti cupiditati consentiunt, quod quidem est aliquo modo poena peccati (nam cupiditas ex peccato nata est), et est necessarium ex hypothesi, quoniam non potest non cadere is, in quo regnat cupiditas, tamen absolute non est necessarium, sed voluntarium, quoniam potest homo cum Dei auxilio facere, ut cupiditas in se non regnet, ac per hoc est etiam absolute, simpliciterque peccatum.

Tertium est infantium, qui contrahunt ex parentibus originale peccatum, et hoc non est voluntarium, nisi primi parentis voluntate, et ideo non dicitur actuale, sed originale, et est aliquo modo alienum, aliquo modo proprium, et simul est peccatum et poena peccati. Et propter hoc (ut jam diximus) sanctus Augustinus monet, respiciendum esse ad peccatum primi hominis, si quis intelligere velit, quomodo omne peccatum, etiam originale, sit voluntarium.

Quartum est eorum, qui ex ignorantia peccant, cum id faciunt, quod ignorant esse peccatum, atque hoc etiam est poena peccati, quia ignorantia ex peccato est, et est aliquo modo voluntarium, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quoniam volunt facere quod faciunt, sed si scirent esse peccatum, non vellent facere, nec facerent. Et idcirco hoc est improprie voluntarium, proinde etiam improprie peccatum.

Ad objectionem ex libro de natura et gratia, facillima Responsio est. Non enim eo loco sanctus Augustinus negat, peccatum esse voluntarium, sed addit, gratiam esse necessariam ad peccata vitanda, quod nos non negamus; atque utinam adversarii sic liberum arbitrium non oppugnarent quomodo nos gratiam libentissime, gratissimeque defendimus.

Quartum testimonium sumitur ex lib. de duabus animabus, cap. 11. ubi haec habentur: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Nec hic libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantat in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum?* Et cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summae iniquitatis est, et insaniae. Quamobrem illae animae quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, idest, si libero ad faciendum, et non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo nulla potestas conceditur, peccato earum teneri non possumus.*

Ad hunc etiam locum responderi non posse argumentari Augustinum ex concessis, et non loqui ex propria mente, extra controversiam esse debet. Siquidem ipse se insaniae argueret, si crederet, reum peccati teneri eum, qui non habet liberum arbitrium, ut possit facere et non facere. Respondet igitur Calvinus more solito, loqui Augustinum de peccato primi hominis, quod libera voluntate commissum fuit. Et probat ex lib. 1. retractationum, cap. 15. ubi recognoscens sanctus Augustinus locum a nobis citatum, sic ait: *Definitio peccati, qua diximus, peccatum est voluntas retinendi, etc. propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam poena peccati.*

At non dicit Augustinus, solum illud esse verum peccatum, quod ita est peccatum, ut non sit etiam poena peccati, alioqui nullum verum peccatum esset poena peccati, et sanctus Augustinus secum ipse pugnaret. Quod si id, quod est poena peccati, potest etiam verum esse peccatum, certe potest illi etiam peccati definitio convenire. Significat igitur Augustinus, definitionem illam, in qua ponitur libertas, ad utrumlibet, praecipue convenire peccato Adami, quoniam illud ita libere factum est, ut nulla fuerit necessitas neque conditionalis, neque absoluta peccandi. Unde etiam paulo ante in eodem capite, idem Augustinus apposuit illam particulam. Praecipue, dicens: *Peccatum quod nusquam est nisi in voluntate, illud Praecipue intelligendum est, quod justa damnatio consequuta est.*

Peccata vero, quae fiunt cogente cupiditate (de his enim loquitur hoc loco sanctus Augustinus) sunt quidem absolute voluntaria, et absolute illis convenit definitio supra posita, tamen habent aliquid necessitatis admixtum, quoniam ex hypothesi, idest, nisi auxilio Dei reprimatur cupiditas, evitari non possunt, et ideo non tam perfecte illis convenit definitio peccati, ac peccato primi hominis conveniebat.

Denique non velle Augustinum in retractationibus dicere, definitionem a se positam, in libro de duabus animabus, soli peccato primi hominis convenire, certissimum esse debet. Nam ipse dicit, cantari a pastoribus in montibus, a poëtis in theatris, et ab indoctis in circulis, neminem peccare si non facit, quod facere non potest. Certe autem pastores, poëtae indocti, cum illa cantant, non cogitant Adami peccatum, sed peccata sua, suique similium. Deinde cum ibidem Augustinus addit, si anima nostra non habet liberum arbitrium ad faciendum et non faciendum, peccato ejus nos teneri non posse: nonne apertissime de nostro, non de Adami peccato, loquitur?

Quintum testimonium sumitur ex lib. 2. Actorum, cum Felice Manichaeo, cap. 3. ubi habentur haec verba: *Esse liberum arbitrium, et inde peccare quemque, si velit, non peccare, si nolit, non solum in divinis Scripturis, quas non intelligitis, sed etiam in verbis ipsius Manichaei tibi probo.* Et infra: cap. 4. *Audi ergo de libero arbitrio, pri-*

mo ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti, audi dicentem, aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite; potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arbores potest. Sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quae bona sunt, et esse arbor bona; aut eligere quae mala, et esse arbor mala.

Hunc locum sanctus Augustinus nusquam retractavit. Nam in lib. 2. retractationum, cap. 8. recensens hos libros, tantum admonet, se non disputasse de gratia, quia non erat necesse. Itaque vera esse illa omnia existimavit, nec pugnare libertatem arbitrii, ut revera non pugnat eum necessitate gratiae.

Neque dici potest, illum argumentari ex concessis et ad hominem. Nam is (cum quo disputabat) non concedebat, sed negabat liberum arbitrium, et ideo ex divinis literis illud probandum ipse suscepit. Confugit igitur Calvinus ad suam veterem cautionem de libero arbitrio primi hominis. Sed haec jam est intolerabilis impudentia, cum Augustinus dicat, esse liberum arbitrium, et unumquemque (non solum igitur Adamum) inde peccare si velit, non peccare, si nolit. Et id probet ex testimonio evangelii, quod non ad Adamum, sed ad Judaeos a Domino dictum erat, et denique, cum Augustinus adversus Manichaeos disputet, non de Adami peccato, sed de nostris, quae illi negantes liberum arbitrium excusare, et in principem quendam tenebrarum referre solebant.

CAPUT XXVIII.

Adferuntur testimonia sancti Augustini pro libero arbitrio scripta, post exortam haeresim Pelagii

Jam vero quod attinet ad secundum ordinem librorum sancti Augustini, eorum videlicet, quae scripta sunt post exortam haeresim Pelagii, multa Calvinus disputat, quae parum, aut nihil ad rem faciunt. Jactat enim magna confidentia, eos omnes libros pro se facere, quod in illis Augustinus identidem repetat, nihil boni hominem facere posse sine adjutorio gratiae. Atqui ista alia quaestio est, neque nos negamus necessitatem gratiae, sed contendimus praesente auxilio gratiae, hominem vere ac proprie adhuc esse liberi arbitrii, ut possit praecepta servare, si velit, et non servare, si nolit. Et quoniam adversarii, et Calvinus in primis contra affirmant, praesente auxilio gratiae non posse hominem male facere, eo vero absente non posse bene facere, ac per hoc numquam habere liberum voluntatis arbitrium, et hoc ipsum vocabulum non recte usurpari, cum sit titulus sine re, idcirco testimonia Augustini ad liberum arbitrium confirmandum adferimus.

Omissis ergo parergis, Primum testimonium sit illud, quo sanctus Augustinus simpliciter libertatem arbitrii confitetur, in libro de gratia et libero arbitrio, cap. 1. *Revelavit*, inquit, *Deus per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Similia habet in epist. 46. et 47. ad Valentinum, et alibi multis in locis.

Respondet Calvinus, quod attinet ad nomen liberi arbitrii, sanctum Augustinum cessisse inveteratae jam consuetudini, cui resistere non valebat. Quantum autem ad rem, non agnosci ab Augustino libertatem arbitrii, nisi a coactione. At si beatus Augustinus prudenter cedendum esse judicavit receptae consuetudini in Ecclesia per annos quadringentos, quanta est Calvini temeritas, qui cedendum esse non judicat consuetudini jam per annos mille et quingentos inveteratae?

Deinde, si cupiebat Augustinus (ut Calvinus indicat) hoc nomen aboleri, quare non tentavit saltem id facere? quare non solum id non tentavit, sed contra potius eam consuetudinem diligentissime fovit? fovisse enim manifeste colligimus ex eo, quod ipse monet, ut nemo propter gratiae praedicationem negare audeat arbitrii libertatem: *Credite* (inquit in epist. 46.) *divinis eloquiis, quia liberum est hominis arbitrium.* Et rursum in epist. 47. *Quantum potuimus*, inquit, *egimus cum istis vestris et nostris fratribus, ut in fide sana, catholica perseverarent, quae neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia valeat aliquid.* Et in libro de gratia et libero arbitrio, cap. 1. *Quoniam*, inquit, *sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, et caeteri, qui simul Deo servitis, compellente charitate curavi.*

Neque possunt haec Augustini loca detorqueri ad liberum arbitrium a sola coactione. Nam illud liberum arbitrium sanctus Augustinus confitetur, et confitendum esse monet, quod a Valentini monachis negabatur. Illi autem non negabant liberum arbitrium a coactione, sed a necessitate, quod solum difficulter cum gratia conjungi posse videtur. Libertas enim a coactione facillime cum gratia copulatur; immo etiam cum fato, et quavis alia causa determinante ad unum; et ideo nemo unquam illud negavit.

Secundum testimonium sumitur ex illis locis, ubi recitantur haereses Pelagii. Ubicumque enim sanctus Augustinus Pelagianos errores, circa libertatem arbitrii commemorat, semper dicit Pelagianos nimis multum tribuisse libero arbitrio. Nusquam autem dicit errasse in eo, quod liberum arbitrium praedicarent. At certe si assertio liberi arbitrii erronea esset, ad errores Pelagii sine dubio pertineret. Vide hoc testimonium in lib. 1. retractationum, cap. 9. in epistol. 107. in lib. de haeresibus, cap. 88. et lib. 1. ad Bonifacium contra duas epist. Pelagianorum, cap. ult. nam in his locis enumerantur errores Pelagii. Nec solum Augustinus non ponit inter errores Pelagii, agnoscere liberum arbitrium, sed probat hoc in Pelagianis, dum scribit lib. 4. ad Bonifacium, cap. 3. eos in

laude legis et liberi arbitrii delitescere. Quia videlicet laudabant Pelagiani legem, et liberum arbitrium, quae sciebant a catholicis non negari,et lib. 2. de nuptiis et concupiscentia, cap. 3. *Liberum*, inquit,*in hominibus esse arbitrium,et Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus, non hinc estis Caelestiani et Pelagiani.*

Denique sanctus Augustinus valde aegre ferebat, quod Pelagiani dicerent, ab ipso negari liberum arbitrium, quod certe non aegre tulisset, si credidisset haeresim esse Pelagianam,liberum arbitrium confiteri, sicut hoc tempore non aegre ferunt Lutherani et Calvinistae, si dicamus, eos liberum arbitrium in servum arbitrium permutasse. Lib. 2. de nuptiis et concupiscentia, cap. 3. *Non est*, inquit, *ita ut loqueris multum falleris, vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium.* Et lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. *Quis nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et lib. 4. adversus Julianum, cap. 8. *Multo minus*, inquit, *dicerem, quod me dixisse mentiris, negari liberum arbitrium,si gratia commendetur,et negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium.*

Tertium testimonium sumitur ex locis illis, ubi s. Augustinus numerat inter haereses Manichaeorum, negare liberum arbitrium. Nam ut omittam libros tres de libero arbitrio, quos contra Manichaeos proprie scriptos esse testatur idem Augustinus lib. 1. retractationum, cap. 9. certe in lib. 4. ad Bonifacium, cap. 4. apertissime scribit, Manichaeos se manifestare dum vituperare audent legem, nuptias, naturam,sanctos veteris Testamenti, et liberum voluntatis arbitrium; hoc est,ostendere se manifestos haereticos,dum quinque ista negant et damnant, quae catholica recipit et commendat Ecclesia.

Habet igitur Augustinus Lutheranos et Calvinistas pro haereticis manifestis,quoniam liberum voluntatis arbitrium ita perspicue negant et damnant, ut libros suos de servo arbitrio inscribere non vereantur. Neque recurrere poterit Calvinus ad liberum arbitrium a sola coactione, cum certum sit, non hoc esse, quod Manichaei vituperabant.

Quartum testimonium sumitur ex iis locis, ubi sanctus Augustinus profert argumenta pro libero arbitrio. Siquidem iisdem argumentis probat liberum arbitrium post haeresim Pelagii exortam, quibus idem probabat ante exortam illam haeresim, nam in libris de libero arbitrio, et in libro de vera religione quos scripsit antequam nomen Pelagii audiri coepisset,probat Augustinus liberum arbitrium adversus Manichaeos, his potissimum rationibus, quod alioqui tollatur judicium Dei, tollantur leges, admonitiones, cohortationes, poenae, praemia et alia id genus, at iisdem omnino rationibus idem liberum arbitrium probat in epist. 46. et 47. et in libro de gratia et libero arbitrio, quae scripta esse constat occasione haeresis Pelagianae. Sic enim loquitur in epist. 46. *Si non est gratia Dei, quo modo salvat mundum? si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Et infra: *Nisi libero arbitrio intelligeremus, atque saperemus, non nobis praeciperetur dicente Scriptura,Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite.* Et libro de gratia et libero arbitrio cap. 2. *Illa praecepta divina homini non prodessent,nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret.*Et infra: *Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium?* Vides igitur s. Augustinum non mutasse sententiam de libero arbitrio, propter exortam haeresim Pelagianam.

Quintum argumentum sumitur ex illis locis, ubi sanctus Augustinus scribit, liberum arbitrium adjuvari gratia Dei. Non enim adjuvatur,nisi id quod est, nec auxilio eget libertas a sola coactione, sed libertas a necessitate, ut etiam supra diximus. In epist. 89. quaest. 2. *Valet*, inquit, *liberum arbitrium ad bona opera, si divinitus adjuvetur.* Et infra: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur.*Et hoc millies in suis scriptis contra Pelagianos repetit.

Sextum testimonium sumitur ex illis locis, in quibus disertis verbis docet, esse in potestate hominis velle et non velle. In expositione psalm. 7. prope finem: *Diabolo*, inquit, *non consentire in potestate nostra esse voluit, qui nos fecit.* Item in libro de spiritu et litera, cap. 33. *Liberum*,inquit, *arbitrium naturaliter attributum a creatore animae rationali, illa media vis est, quae vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Et cap. 34. *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriae voluntatis est.* Satis igitur probatum existimamus, s. Augustinum libertatem arbitrii in eo sensu semper praedicasse, in quo nunc illud catholica praedicat, semperque praedicavit Ecclesia.

CAPUT XXIX.

Solvuntur argumenta adversariorum ex verbo Dei petita.

Porro adversus ea, quae diximus, et docuimus, Duo proferunt adversarii genera argumentorum. Unum ductum a Verbo Dei, Alterum ex libris sancti Augustini.

Primum testimonium objecit Lutherus ex cap.41. Isaiae: *Bene agite, aut male si potestis.*

Respondeo: Argumentum est satis ineptum ac pingue, ut caetera Lutheri esse solent.Neque enim propheta de hominibus, sed de Idolis gentium loquitur. Nam quemadmodum sanctus David simulacra gentium irrisit dicens: *Oculos habent, et non videbunt,aures habent,et non audient etc.*psalm. 113. sic Isaias exprobrat illis imbecillitatem, quod cum Dii habeantur a stultis hominibus,tamen nulli prodesse, aut nocere possint.

Secundum testimonium sumunt ex illis verbis Ezechielis cap. 36. *Dabo vobis cor novum, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis.*Qui non habent cor novum, non possunt in praeceptis Domini ambulare, qui habent cor novum, non possunt in iisdem praeceptis non ambulare, quoniam alioqui falsa esset illa promissio, faciam ut in praece-

ptis meis ambuletis, igitur nulli habent simul potestatem ambulandi in praeceptis, et non ambulandi,ac per hoc nulli habent liberum arbitrium in moralibus.

Respondeo: Qui non habet cor novum, non potest praecepta Domini omnia, sicut oportet, observare; dum talis est, hoc est, dum gerit cor vetus ; tamen absolute potest, si velit omnia mandata Domini, sicut oportet, observare, quia potest exuere cor vetus, et induere novum, si velit vocationi Domini acquiescere, seque ad Deum ex toto corde convertere. Scriptum est enim: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Ezechiel.18. pari ratione qui habet cor novum, non potest, dum talis est, non ambulare in praeceptis Domini,tamen absolute potest, quia potest exuere cor novum, si velit se avertere a Deo, juxta illud ejusdem prophetae in eodem cap. 18. *Si averterit se justus a justitia sua etc.* Potest igitur absolute homo per liberum arbitrium bene facere si velit, et non facere si non velit.

Tertium testimonium ex illo psal. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Et 3. Regum 8. *Inclinet cor nostrum ad se Dominus, ut servemus mandata ejus.*

Respondeo: Probant haec testimonia, sine Dei gratia non posse a nobis omnia mandata servari, quod (ut saepe diximus) libentissime confitemur. Non autem probant hominem non esse liberi arbitrii. Quoniam non inclinat Deus corda nostra cogendo, aut necessitatem adferendo, sed interna inspiratione suadendo et invitando, ita ut in potestate voluntatis relinquatur consentire vocanti et suadenti, vel non consentire. Atqui dicet aliquis,Quid aliud facit Deus cum nos inclinat, quam operari, ut consentiamus? Ita est; Facit Deus per auxilium gratiae suae, ut vocanti consentiamus, sed hoc facit adjuvando infirmitatem,non tollendo libertatem. De qua re plura dicemus in sequenti libro.

Quartum testimonium ex illo Joan.8. et ad Rom. 6. et 2. Petri 2. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* At servitus et libertas opponuntur.

Respondeo:Servitus et libertas generatim accepta sine dubio opponuntur, sed non quaevis servitus cuivis libertati opponitur. Alioqui non diceret Apostolus ad Rom. cap. 6. Eos, qui sunt servi peccati, liberos esse justitiae, et contra, liberatos a peccato, servos esse justitiae. Itaque servitus peccati opponitur libertati a peccato, non libertati naturae, quae proprie dicitur liberum arbitrium. Nam qui servus est peccati, non potest suis viribus excutere jugum peccati,et ad libertatem justitiae pervenire, potest tamen per liberum arbitrium,adjuvante Deo, liberari a peccato, et potest, si velit,per se manere in servitute peccati. Sicut etiam e contrario, servitus naturae, idest, naturalis determinatio ad unum, qualis est in pecoribus,opponitur libertati naturae, idest, libero voluntatis arbitrio; non tamen libertati a peccato. Immo quae caret libertate naturae, hoc ipso quod illa carent, non possunt ullo modo servire peccato.

Quintum testimonium ex illo Joan.15.*Sicut palmes non potest a semetipso ferre fructum, nisi manserit in vite, ita et vos, nisi in me manseritis.* Palmes, inquiunt, a vite praecisus non potest non arescere, in vite autem insitus,et ex ea vivens non potest non ferre fructum: igitur nec homines, qui palmitibus comparantur, habent ullo tempore libertatem ad opposita.

Respondeo:Homo rectissime palmiti comparatur, quia sine succo vitis coelestis, quae Christus est, non potest producere opera salutifera et coelestia; tamen quoniam idem homo palmes est rationalis, potest per liberum arbitrium, cum est in vite, ab illa sponte recedere et arescere,et a vite praecisus per idem liberum arbitrium,adjuvante summo agricola, potest in vite rursum inseri et fructum ferre. Itaque probant istae similitudines necessitatem gratiae, sed non excludunt arbitrii libertatem.

Sextum testimonium ex illo prioris ad Corinthios cap. 4. *Quid enim habes quod non accepisti?* At si nihil habemus proprii et nostri,certe non sumus Domini actionum,nec illae sunt in nostra potestate.

Respondeo: Idem Apostolus in 3. cap. ejusdem epistolae, fatetur,nos habere aliquid proprii et nostri, cum ait,Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem, ubi quod latinus interpres reddidit (*suum*) in graeco fonte est, ἴδιον, idest, *proprium*.Habemus igitur dono Dei liberum arbitrium, sed hoc dono accepto, domini sumus actionum, et quia possumus eas pro arbitrio facere, vel omittere, propriae et nostrae esse dicuntur, et quamvis opera sancta, de quibus loquitur eo loco b. Paulus,sint etiam peculiari ratione dona Dei, quatenus non fiunt sine gratia, tamen sunt etiam opera nostra propria,quatenus poteramus per liberum arbitrium ea non facere, et ideo (ut jam diximus) eodem Apostolo teste, debetur eis merces propria, et non immerito labores nostri, et proprii nominantur.

CAPUT XXX.

Solvuntur argumenta ex testimoniis s. Augustini.

Jam vero ex b. Augustino,in quo magnum praesidium habere se gloriantur adversarii, Primo proferunt illud ex enchiridio cap. 30. *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum. Nam cum libero peccaretur arbitrio,victore peccato amissum est et liberum arbitrium.*

Respondeo: Dicitur homo perdidisse liberum arbitrium, quia deterius illud fecit; quomodo dicitur perdere filium, aut servum, aut discipulum,qui nimia lenitate flagitiosum fieri sinit. Alioqui non periisse liberum arbitrium, neque esse extinctum, quasi non sit amplius in rerum natura,perspicuum est ex eo, quod Augustinus dicit,*et se perdidit, et ipsum.*Non enim se perdidit extinguendo ac perimendo, sed deteriorem efficiendo. Quemadmodum autem deteriorem fecerit, explicat cum dicit,victore peccato amissum esse liberum arbitrium. Amittitur enim liberum arbitrium, non cum perit,quod fieri non potest, sed cum a diabolo captivatur;quomodo dicuntur amissa,quae tempore belli in potestatem hostium devenerunt. Unde etiam adfert Au-

gustinus testimonium Domini dicentis:*Si vos filius liberavit, vere liberi eritis.* Et aperte dicit, victore peccato amissum, quia videlicet in potestatem victoris venit.

Explicabitur autem commode totus hic locus ex lib. 1. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. *Qui nostrum*, inquit, *dicat,quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum,sed illa, quae in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.Unde natura humana divina indiget gratia, dicente Domino , si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Itaque liberum arbitrium perditum et amissum nihil est aliud,nisi deterius factum per captivitatem,qua periit libertas gratiae, non libertas naturae.

Secundum testimonium sumunt ex hoc ipso loco proxime citato, idest, ex lib.1. ad Bonifacium cap. 2. et 3. nam cum s. Augustinus dixisset, non periisse liberum arbitrium de humano genere; subjungit, ideo non periisse, quia per illud peccant, quicumque cum delectatione peccant. Idque saepius repetit,ut videatur non agnoscere liberum arbitrium nisi a coactione, et ad malum.

Respondeo: S.Augustinus propter insidias Pelagianorum, qui ex libertate naturae colligebant libertatem a peccato: vix unquam audet liberum arbitrium asserere, quin aliquid adjungat, unde intelligi possit, illud sine gratia Dei non posse liberum esse a peccato. Id autem facilius assequemur si breviter exponamus sententiam totius illius loci.

Initio igitur secundi capitis libri primi ad Bonifacium, proponit s. Augustinus objectionem, seu verius calumniam Pelagianorum, qui de catholicis ita loquebantur: *Dicunt illi, quia peccato primi hominis, idest, Adae,liberum arbitrium perierit, et nemo jam potestatem habeat bene vivendi,sed omnes in peccatum carnis suae necessitate cogantur.* Haec est Pelagianorum objectio, qua calumniabantur catholicos, quasi negarent liberum arbitrium, et inde callide intendebant efficere, ut gratia Dei ad bene vivendum non videretur esse necessaria.

Hanc fraudem his verbis Augustinus detegit: *Liberum*, inquit, *arbitrium defendendo praecipitant, ut de illo potius ad faciendum justitiam , quam de Domini adjutorio confidatur, atque in se quisque, non in Domino glorietur.* Quibus verbis non negat, defendi debere liberum arbitrium, sed prohibet nimis multum illi tribui. Deinde addit, calumniam superiorem refellens: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum,sed illa,quae in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.propter quod natura humana divina indiget gratia.*

His verbis Augustinus Primam negat illam partem objectionis Pelagianae: *Dicunt, quod peccato primi hominis.perierit liberum arbitrium.*Deinde explicat illam alteram partem (*et nemo jam potestatem habeat bene vivendi*) dicens,hominem non posse bene vivere sine auxilio gratiae, et in hanc miseriam incidisse per peccatum, a quo non liberamur, nisi per illum, qui dixit: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Subjungit Deinde probans, ex eo quod peccatur, liberum arbitrium non periisse: *Nam*, inquit, *liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit,ut per illud peccent, maxime omnes, qui cum delectatione peccant.*

Non vult autem hoc loco s. Augustinus significare, libertatem arbitrii in eo sitam esse,ut quis cum delectatione peccet. Nam etiamsi aliquis sine delectatione peccaret, ut qui metu mortis fidem negaret, libere tamen peccare diceretur: sed indicare voluit, maxime libere eos peccare, qui cum delectatione peccant, quoniam qui ejusmodi sunt Duplici libertate gaudent. Una,quae opponitur necessitati,quaeque communis est omnibus qui peccant, et dicitur proprie libertas naturae, sive libertas arbitrii; Altera, quae opponitur servituti justitiae, et dicitur proprie libertas peccati, sive etiam servitus peccati. Eadem enim est servitus peccati, et libertas peccati,quoniam qui servus est peccati, libere, idest, libenter, et cum delectatione peccat, sicut etiam eadem est libertas justitiae et servitus justitiae, quoniam qui servi sunt justitiae, libenter et cum delectatione justitiam faciunt.

Refellit Postremo in cap.3. illam tertiam partem ejusdem objectionis Pelagianae:*Sed omnes in peccatum carnis suae necessitate cogantur.* Et ait: *Non itaque sicut dicunt, nos quidem dicere, et iste audet etiam scribere, omnes in peccatum velut inviti carnis suae necessitate coguntur. Sed jam in ea aetate sunt,ut propriae mentis utantur arbitrio, et in peccato sua voluntate retinentur, et a peccato in peccatum sua voluntate praecipitantur.Neque enim agit in eis etiam qui suadet et decipit,nisi ut peccatum voluntate committant. Sed haec voluntas, quae libera est in malis,quia delectatur malis,ideo libera in bonis non est,quia liberata non est.*

Quibus verbis respondet Augustinus directe, ad illud *necessitate cogantur*,et docet non cogi,idest, non invitos trahi homines ad peccatum, sed liberrime potius peccare, quoniam non solum libertate naturae, sed etiam libertate peccati, ut plurimum homines peccant, et ne Pelagiani more suo colligerent, posse hominem peccatorem suis viribus bene facere, addit voluntatem hominis impii, quae est libera in malis libertate peccati, non esse in bonis liberam libertate gratiae,nisi prius a Christo Domino liberetur.

Tertium testimonium sumunt ex lib. 1. retractationum cap. 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati.*Et infra: *Nam quando tale est, ut idem sit et poena peccati, quantum est quod valet voluntas, nisi forte, si pia est, ut oret auxilium? in tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Ex hoc loco colligunt, impiam voluntatem non esse liberam, sed omnino ex necessitate peccare; quoniam nihil potest in bono, ac ne auxilium quidem petere, et tamen vere peccat, quoniam alioqui non vere peccatum esset poena peccati.

Respondeo: Voluntas,quae cogenti cupiditati resistere nequit,libera est absolute, quoniam illa im-

potentia conditionata est,non absoluta.Potest enim Dei auxilium implorare; quod si non facit, culpa sua non facit. Nemini enim deest auxilium, quo saltem possit vires a Deo petere. Nemini autem deesse auxilium necessarium ad non peccandum , in alio libro probavimus.

Quartum testimonium sumunt ex epist.144.*Sine gratia Dei non potest esse libera voluntas, cum cupiditatibus vincentibus, et vincientibus subdita sit.*

Respondeo: Sine gratia Dei accipiendo gratiam largo modo pro auxilio necessario ad non peccandum non est libera voluntas , quoad exercitium, idest, non habet usum liberi arbitrii; tamen absolute libera est,quoniam (ut diximus) auxilium gratiae necessarium ad non peccandum nulli deest. Simile est, si quis ita colligeret, sine lumine non potest oculus cernere, igitur absolute non potest oculus cernere, et nos saepe jam diximus, non negari a nobis gratiae necessitatem, dum asserimus arbitrii libertatem. Id enim quod volumus,hoc est, praesente auxilio necessario, posse hominem peccare et non peccare. Neque contrarium hujus sententiae in Augustini libris unquam reperietur.

Quintum testimonium sumunt ex libro de spiritu et litera cap. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiae contra peccatum, per gratiam sanatio animae a vitio peccati, per animae sanitatem libertas arbitrii, per arbitri libertatem dilectio justitiae, per dilectionem justitiae impletio legis.* Et infra: *Ut quid miseri homines audent superbire de libero arbitrio antequam liberentur, nec attendunt in nomine liberi arbitrii sonare libertatem etc.*

Respondeo: Loquitur hoc loco s. Augustinus apertissime de libero arbitrio, ut denominatur a libertate gratiae, non a libertate naturae. Nam si libertas naturae, idest, liberum arbitrium proprie dictum, inciperet primum in nobis esse post fidem et justificationem, quo modo idem Augustinus in eodem libro cap. 33. diceret, liberum arbitrium naturaliter attributum animae rationali, esse vim illam mediam, qua vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest? quo modo enim intenditur ad suscipiendam fidem, si non incipit existere nisi post fidem ? loquitur igitur de libertate gratiae, per quam anima sanata viam mandatorum Domini cum delectatione currit. De qua loquitur etiam in libro de correptione et gratia cap. 8. cum ait: *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem.*

Sextum testimonium sumunt ex libro de correptione et gratia cap.12.*Si relinqueretur ipsis sua voluntas,ut in adjutorio Dei manerent,si vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet,et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent.* Videtur enim hoc loco s. Augustinus dicere,justos homines etiam cum adjutorio gratiae sanantis animam,non posse perseverare in bonis operibus nisi a spiritu Dei perpetuo agantur; atqui hoc est non habere liberum arbitrium ad utramque partem.

Respondeo: Significat Augustinus, non sufficere homini post lapsum primi hominis,adjutorium gratiae habitualis (id enim vocat adjutorium, in quo permanet homo, si vult, quod etiam in eodem loco cum alimentis comparavit, quibus si volumus, utimur, si nolumus, non utimur) sed necessarium esse praeterea,propter tentationes,auxilium Dei protegens, et dirigens, sine quo etiam justi perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent.

Caeterum haec impotentia non est absoluta, sed conditionalis; quamvis enim non possit homo justus, sine auxilio speciali perseverare in operibus bonis, absolute tamen potest, quoniam Deus non deserit nisi desertus.Quocirca in eodem libro cap. 7. idem Augustinus dicit, non posse excusari eos, qui non perseverant, quoniam poterant perseverare si vellent.

Septimum testimonium sumunt ex eodem libro cap. 13. ubi cum dixisset s. Augustinus eos, qui peccant, peccare per liberum arbitrium,corrigit se continuo, ac dicit: *arbitrium*,inquam, *liberum,sed non liberatum.* Videtur enim (ut notat Calvinus) voluisse dicere, arbitrium liberum esse nomine, non re.

Respondeo: Jam saepe diximus Augustinum propter Pelagianos arbitrium vocare liberum, non liberatum, quoniam sine gratia Dei servum est peccati, licet sit liberum a naturali necessitate.

Octavum testimonium sumunt ex libro de perfectione justitiae, responsione 9. *Per arbitrii libertatem factum est, ut esset homo cum peccato,sed jam poenalis vitiositas subsequuta, ex libertate, fecit necessitatem.* Et infra: *Quia peccavit voluntas,sequuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas.*

Respondeo: Multiplex est necessitas, sed non omnis repugnat arbitrii libertati. Prima est, patiendi motus carnis repugnantes legi mentis. Nam etiam justissimi quique dicere possunt cum Apostolo ad Romanos cap. 7. *Sentio aliam legem in membris meis etc.*Sed haec non repugnat libero voluntatis arbitrio,quoniam etiamsi necessario motus illos sentimus, tamen non necessario consentimus, et tunc cum Apostolo dicimus:*Si quod nolo facio, jam non ego operor illud.*

Secunda necessitas est peccandi ex ignorantia , nam *delicta quis intelligit?* Sed neque haec repugnat libero arbitrio,quoniam etiamsi non possimus quaedam non ignorare, tamen possumus non velle ignorare. Ille enim reprehenditur, qui noluit intelligere, ut bene ageret, non qui voluit, sed non potuit. Ac de his necessitatibus loquitur s. Augustinus in priore parte objectionis. Nam ibidem subjungit: *Unde ad Deum fides clamat: De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi, vel non possumus, quod volumus intelligere, vel quod intelleximus, volumus, nec valemus implere.*

Tertia necessitas est divinae gratiae, tam ad remissionem peccati contracti, quam ad vitanda ea , quae contrahi possent. Sed neque haec tollit liberum arbitrium,quoniam ut saepe diximus,et in secundo libro probavimus, Deus nemini denegat adjutorium necessarium.

Quarta necessitas est,habendi peccatum aliquod veniale. Nam etiam homines justi quotidie necesse

habent illa oratione uti ad Deum, *Dimitte nobis debita nostra*. At neque haec necessitas pugnat cum arbitrii libertate, quoniam si ratio vigilet, ut debet, possumus vitare singula venialia; quamvis fieri nequeat, ut omnia evitemus, sine privilegio speciali. Et de hac necessitate loquitur Augustinus in posteriore parte objectionis, ut perspicuum est legenti eum locum. Immo totus liber ideo de perfectione justitiae inscriptus est, quoniam hoc potissimum agit, ut probet adversus Pelagianos, non posse in hac vita nos ita perfecte adimplere justitiam, ut non semper oratio illa necessaria sit, *Dimitte nobis debita nostra*.

Quinta necessitas est faciendi actus malos, posita mala et efficaci voluntate. Nam qui efficaciter vult finem, non potest non velle media, quae ad eum finem judicat esse necessaria. Ita qui vehementer aliquem odit, non potest illi ex animo benefacere. Sed neque haec necessitas repugnat libertati, quia conditionalis est. Non absoluta. Potest enim homo si velit, non velle finem ullum efficaciter, ex cujus amore ad media eligenda quodammodo cogebatur.

Sola igitur illa necessitas libertati arbitrii proprie repugnat, quae absolute facit, ut homo non sit dominus propriae voluntatis; quam necessitatem in Augustini libris adversarii nostri, quamtumvis Augustinum suum esse jactent, numquam demonstrare poterunt.

LIBER SEXTUS

DE

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

CAPUT PRIMUM

Proponitur quaestio, An possint credi mysteria fidei, sine auxilio speciali.

Sextus Hic liber tres Postremas quaestiones absolvet, quid possit videlicet intelligentia humana in rebus supernaturalibus fide percipiendis, quid voluntas in iisdem appetendis et eligendis, et num in ejusmodi rebus, vere proprieque liberi simus.

Prima quaestio, quae ad intelligentiam pertinet, non minus breviter, quam facile explicari potest. Convenit enim inter nos et adversarios, sive ii Pelagiani, sive Lutherani sint, Tria potissimum esse necessaria,ut mysteria supernaturalia percipiantur a nobis. Primum est, divina revelatio, quae per Scripturas aut praedicatores a Deo missos proponitur. Cum enim haec supernaturalia sint,nulli unquam mortalium venissent in mentem, nisi Deus ipse illa manifestare voluisset. Sic enim loquitur b. Paulus in priore epistola ad Corinthios cap. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est*: Et mox: *Sicut*, inquit, *scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.quae praeparavit Deus diligentibus se, nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.* Et ad Roman. 10. *Quomodo credent in eum,quem non audierunt? quomodo audient sine praedicante*? Et Dominus Joan. 15. *Si non venissem et loquutus fuissem, peccatum non haberent.* Quia videlicet sine praedicante credere non potuissent, ideo non credendo minime peccassent.

Hinc etiam videmus Marci ultimo mandari apostolis: *Praedicate evangelium omni creaturae.*Et Act. 8. mitti Philippum, ut praedicaret Eunucho : Act. 10. mitti Petrum, ut praedicaret Cornelio: Actor. 17. mitti Paulum, ut praedicaret Macedonibus: quia videlicet ordinarie necessaria ad fidem est praedicatio. Quocirca Dominus in psalm.2.non vi et armis,sed verbo praedicationis regnum se collegisse testatur: *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus.* Atque hoc (ut dixi) ne ipsi quidem Pelagiani negabant,quippe qui gratiam Dei in doctrina a Deo nobis revelata et tradita praecipue constituebant.

Alterum est, persuasio aliqua, sive per signa et prodigia, sive aliqua alia ratione. Non enim satis est ad hoc, ut homines credere teneantur,si solum eis doctrina a Deo revelata proponatur, sed necesse est, ut accedat etiam aliquid, quod eam doctrinam credibilem faciat. Hinc enim Dominus Exod. 4. cum mitteret Moysem ad praedicandum, dedit illi potestatem operandi miracula, quibus fidem faceret, praedicationem suam vere esse divinam. Et Christus Matth. 10. cum dixisset: *Praedicate dicentes, appropinquabit regnum coelorum*; adjunxit continuo, *infirmos curate, mortuos suscitate etc.* Et Joan. 15. sicut ait: *Si non venissem et loquutus fuissem,peccatum non haberent.*Sic etiam ait:*Si opera non fecissem in eis,quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Adde etiam id, quod ait Ecclesiasticus cap. 19. *Qui cito credit, levis est corde.* Valde autem cito credit,qui res longissime remotas ab humanis sensibus, et quae omnem intelligentiam superant sine ulla persuasione credit. Idem enim faceret, si res absurdissimas,ac omnino improbabiles ei proponerentur. Qua levitate credendi peccant hoc tempore Mahumetani, qui sine ullis miraculis, aut alia congrua persuasione doctrinam absurdissimam Mahumeti recipiunt.Nec longe ab his absunt Calvinistae, qui non solum sine ullis signis et prodigiis,sed etiam contra doctrinam, confirmatam innumeris mi-

raculis,et totius orbis terrae,atque omnium saeculorum consensione multa nova et mira credere potuerunt.

Tertium est, imperium voluntatis.Quoniam enim nulla est persuasio, quae cogere possit hominem ad credendos articulos supernaturales, ac ne ipsa quidem miracula omnino mentem convincere queant, ideo requiritur inclinatio voluntatis, quae moveat intellectum ad assentiendum iis, quae vim intelligentiae superant. Non posse autem quaevis miracula cogere aliquem ad finem, si is nolit credere. Satis aperte indicat illud Joan. 12. *Cum tanta signa fecisset,non credebant in eum.* Quocirca b. Paulus in posteriore ad Corinthios cap. 10. docet, captivandum esse intellectum in obsequium fidei, hoc est pio affectu quasi cogendum, ut iis assentiatur, quae cum ratione pugnare quodammodo videantur. Denique s. Augustinus tract. 36. in Joannem: *Intrare*, inquit, *quisquam in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens,credere non potest, nisi volens.*

Cum igitur adversarii velint, non minus nos ex necessitate operari in iis, quae ad conversionem, fidem et pietatem pertinent, quam ex necessitate determinati sumus ad bonum sectandum et malum fugiendum, et non magis nos liberos faciant in iis, quae pertinent ad conversionem,fidem et pietatem, quam ad dona prophetiae, linguarum et miraculorum,expediant,si possunt,cur peccata et bona merita,praecepta et consilia,diligentiam et industriam in conversione, fide, pietate, locum habere consentiant.

CAPUT XIII.

Diluuntur objectiones adversariorum, depromptae ex divinis literis.

Multa proferunt adversarii testimonia divinae Scripturae, quae nos ordine diluemus.

Primo loco proferunt illud Ezech. 36. *Auferam a vobis cor lapideum,et dabo vobis cor carneum, spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis.* Observant cor lapideum, ideo nominari malam hominis voluntatem, quoniam sicut in lapide nulla est cooperatio, si debeat verti in carnem,sic etiam nulla est cooperatio voluntatis humanae, in sua mutatione, de mala in bonam, et ideo non dixisse Deum, faciam, ut in praeceptis meis ambulare possitis, sed faciam,ut ambuletis.Qui enim cor carneum habent, illi soli ambulant in praeceptis, qui habent lapideum, non ambulant.

Respondeo: Liberum arbitrium non est cor lapideum, neque carneum, sed vis quaedam media et naturalis, quae formam lapidis,idest, peccati duritiem et formam carnis, idest,gratiae teneritudinem recipere potest. Sic loquitur s. Augustinus in lib. de Spiritu et litera cap. 33. ubi dicit, liberum arbitrium et naturaliter attributum creaturae rationali, esse vim illam mediam, quae intendi ad fidem, et inclinari ad infidelitatem potest. Et lib. 2. de peccat. merit. et remiss. cap. 18. *Voluntatis arbitrium*, inquit, *huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est,quibus et male uti malus potest.* Haec autem vis media et naturalis, quando per peccatum talis est, ut dicatur cor lapideum, non habet ex se potestatem,qua se convertat ad Deum, et fiat carneum, sed eam recipit per gratiam Dei praevenientem. Liberum enim arbitrium per gratiam praevenientem excitatum et praeparatum, potest per vires, quas a Deo recipit, cooperari ad suam ipsius conversionem.

Neque obstat similitudo lapidis; non enim similitudines convenire debent in omnibus. In eo tantum similitudo locum habet, quod sicut lapis ex se non habet, ut cooperetur, si forte convertatur in carnem, sic etiam liberum arbitrium ex se non habet, ut cooperetur ad suam ipsius conversionem; potest tamen a Deo recipere potestatem operandi per gratiam praevenientem, quod non potest lapis. Atque ad hanc dissimilitudinem,sive disparitatem, forte significandam, idem propheta Ezechiel cap. 18. dicit: *Facite vobis cor novum et spiritum novum.* Neque possunt Kemnitius et Calvinus hanc disparitatem negare,cum ipsi fateantur,non excludi in conversione peccatoris actionem voluntatis humanae, qui tamen lapidi non concederent similem actionem,si vere in carnem convertendus esset.

Quod autem Deus dicit: *Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*, nihil nocet arbitrii libertati. Nam qui habet cor carneum, dum tale cor habet, idest, charitate imbutum,non potest non ambulare in praeceptis Domini, quia charitas non est otiosa, et plenitudo legis est dilectio: potest tamen absolute ambulare et non ambulare in praeceptis Domini, quia potest retinere, vel abjicere charitatem, idest,manere carneum, vel in lapideum commutari.

Ex qua solutione detegitur deceptio, vel fraus Kemnitii. Scribit enim: Catholicos in ea sententia esse, ut liberum arbitrium per gratiam excitatum exerat vires, quas habebat etiam antequam excitaretur, et per illas suas vires vocationi divinae consentiat; ita ut gratia praeveniens, non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet. At non hoc sentiunt catholici, sed agnoscunt quidem liberum arbitrium in homine, etiam antequam eum gratia divina praeveniat,quia liberum arbitrium est res naturalis,quae per peccatum non amittitur,sed tamen non dicunt, nec sentiunt,liberum arbitrium habere ex se potentiam ullam,saltem proximam ad actus pietatis, sed eam accipere a Deo per gratiam praevenientem.

Secundo loco proferunt illud psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Videtur enim his verbis significari, nihil omnino cooperari gratiae Dei in se operanti, quo modo non cooperatur ad suam creationem id, quod recens creatur.

Respondeo: Facilis est solutio. Non enim cordis substantia in justificatione creatur, sed mundities ipsa efficitur, quae per peccatum perierat: nihilque aliud est, cor mundum creari, nisi cor ipsum mundari, atque purgari. Quare non est absurdum, si substantia ipsa cordis spiritualis,accepto semine divinae gratiae, cooperetur ad fructum conversionis suae, et pietatis opera germinanda.

Tertio: Proferunt illud psal. 99.*Ipse fecit nos et non ipsi nos.* Videtur enim propheta loqui de regeneratione potius, quam de prima creatione, cum paulo post subjungat: *Populus ejus, et oves pascuae ejus.*

Respondeo: Ad literam loquitur David de prima creatione, ut ipse etiam s. Augustinus exponit in

commentar. quod beneficium non minus pertinet ad sanctos, quam ad impios, et ideo propheta sanctos hortatur, ut pro hoc beneficio gratias agant, dicens: *Populus ejus,et oves pascuae ejus,introite portas ejus, in confessione etc.*

Sed et illud praeterea libenter agnoscimus de justificatione dici posse: *Ipse fecit nos,et non ipsi nos.* Deus enim est, qui justificat,et qui regenerat in spem vivam, et nos ejus factura sumus creati in Christo Jesu,in operibus bonis, ut Scripturae loquuntur. Caeterum, sicut respiciendo terminum justificationis. idest, habitum charitatis infusum, ipse facit nos, et non ipsi nos, quoniam solus ipse habitum charitatis infundit, ita respiciendo dispositionem ad justificationem, ipsi nos,Deo adjuvante, facimus, quod expressit Ezechiel cap. 18. cum ait: *Ipse animam suam vivificabit.*

Quarto, proferunt illud Joan. 6. *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Hinc enim sequitur, non esse liberum homini gratiam recipere, vel rejicere. Alioqui fieri posset, ut aliquis audiret et non veniret.

Respondeo: Omnis qui audivit, et ita audivit, ut disceret, sine dubio venit, quia discere est persuaderi et credere. Qui autem persuasus est, non potest non venire, in sensu composito, tamen absolute potest non venire, quia potest audire, et non discere, nec persuaderi. Nec enim frustra clamat propheta in psal. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite abdurare corda vestra.*

Quinto, proferunt illud 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Nulla igitur virtus liberi arbitrii manet in nobis,quae juvante Deo perficiatur.

Respondeo: Hic locus maxime nobis favet, non enim negat Apostolus, nos sufficientes esse, sed negat, nos esse sufficientes ex nobis, continuo enim addit: *Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Itaque sufficimus aliquid cogitare, immo etiam velle et facere; sed posteaquam vires a Deo accepimus, et nisi liberi essemus arbitrii, non recte diceremur non sufficere ex nobis, sicut non recte diceret aliquis, jumentum aut lapidem non sufficere ex se aliquid cogitare de Deo.

Sexto: Proferunt illud 1. ad Corinth. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.*

Respondeo: Sed non nisi cooperantibus nobis salutem nostram operatur. Alioqui frustra dixisset Dominus Joan. 6. *Operamini non cibum, qui perit etc.*

Septimo: Proferunt illud ad Philipp. 2.*Qui operatur velle et perficere pro bona voluntate.* At operari ipsum velle, non est juvare, ut possimus velle, sed est simpliciter facere ut velimus.

Respondeo: Cum Deus operatur in nobis velle, non juvat solum, ut possimus velle, sed excitat et juvat, ut re ipsa velimus.Proinde non facit hoc sine nobis, alioqui non diceret ibidem Apostolus: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini,* sed diceret, nihil est, quod vos operemini, nam solus Deus operatur in vobis velle et perficere.

Octavo: Proferunt illud 1. Joan. 3.*Qui natus est ex Deo, non potest peccare, quia semen Dei manet in eo. Citra controversiam* (inquit Calvinus) *elicitur ex verbis Joannis sic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili affectu sequantur.*

Respondeo: Nomine seminis non intelligit s. Joannes gratiae auxilium, quod hominem determinet ex necessitate ad operandum, ut Calvinus sentire videtur, sed gratiam charitatis infusae, ut cognosci potest ex Hieronymo in lib. 2. adversus Jovinianum, et ex Augustino tract. 5. in epist. Joannis. Quod etiam manifeste colligitur ex verbis ipsius Joannis. Non enim dicit, peccatorem non posse non converti, aut non credere, quia semen Dei manet in eo: Sed non posse peccare eum,qui jam ex Deo natus est, idest, hominem justum, quia semen Dei manet in eo. Itaque vocat semen Dei ipsam nativitatem ex Deo, sive id, per quod homo est natus ex Deo, et est filius Dei, quae est ipsa charitas infusa in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.Porro qui habet charitatem (ut saepe jam diximus) neque peccat, videlicet lethaliter,neque peccare potest, dum manet in eo charitas, sed absolute charitatem amittere, immo etiam abjicere potest et peccare.

Nono: Proferunt testimonia ex cap. 2. et 5. ad Ephes. et ex cap.5. Joannis,ubi peccatores dicuntur mortui et sepulti, nec nisi per Christi gratiam revocantur ad vitam. Certe enim mortui homines et sepulti, nec cooperantur Deo, si forte velit eos ad vitam revocare, neque liberum est eis in morte permanere, aut a morte resurgere.

Respondeo: Hoc argumentum recte probat (ut nos supra ostendimus) peccatorem, quia mortuus est, non posse ex se,aut suis viribus vitam recuperare,aut ullo modo ad vitam recuperandam se praeparare. Sed non probat, non posse eundem peccatorem per gratiam praevenientem excitatum et adjutum Deo, se ad vitam revocanti, cooperari. Id enim non facit ut mortuus, sed ut vitalem virtutem a Deo habens.

Adde quod (ut supra diximus) similitudines non in omnibus conveniunt. Quare tametsi cadavera proprie dicta,quoniam omnibus modis mortua sunt, nec ullum vitae genus retinent,nullo modo cooperentur ad suam excitationem: tamen qui sunt mortui in peccatis, quoniam vivunt vita naturae, licet non vivant vita gratiae, poterunt non ut mortui,sed ut vivi uno genere vitae cooperari ad suam vivificationem, secundum alterum genus vitae, si virtutem cooperandi a Deo receperint.

CAPUT XIV.

Diluuntur objectiones ex testimoniis s. Augustini.

Ad Argumenta ex divinis literis addunt adversarii non pauca testimonia ex libris sancti Augustini.

Primum testimonium ex lib. 2. de peccat.merit. et remiss. cap. 18. *Laborant,* inquit, *homines,invenire in nostra potestate, quid boni sit nostrum. quod nobis non sit ex Deo, et quomodo inveniri possit, ignoro.*

Respondeo: Loquitur s. Augustinus adversus eos, qui docebant, hominem habere ex se, idest, sine ulla praeveniente gratia, initium fidei, aut dilectionis Dei, idest, piam aliquam voluntatem, et rectissime docet, nihil omnino boni esse in nostra voluntate, quod nobis non sit ex Deo. Sed nihil id facit contra liberum arbitrium. Tametsi enim non possit liberum arbitrium ex se solo cooperari Deo; potest tamen ex dono gratiae praevenientis.

Secundo: proferunt illud ex lib. de gratia Christi cap. 14. *Arbitrium sic adjuvatur, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit, etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet, non per legis literam, sed per Spiritus gratiam ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.*

Respondeo: Nihil hoc loco dicitur contra sententiam nostram, siquidem omnia ista libentissime confitemur: et ex iis liberum arbitrium comprobamus. Si enim adjuvatur arbitrium, Tum in cognoscendo et sciendo, Tum in volendo et agendo, certe adest, et manet, et operatur. Non enim adjuvatur quod non est, aut non operatur.

Tertium testimonium ex lib. de bono perseverant. cap. 13. *Hoc nobis expedit et credere et dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, et submissa confessio, et detur totum Deo.*

Respondeo: Et hoc quoque nihil facit ad rem. Nos enim non ponimus in homine initium bonae voluntatis ex libero arbitrio, et perfectionem ex Deo, neque partimur opera cum Deo, et priores partes accipimus nobis, posteriores damus Deo, ut faciebant illi, quos in eo libro et praecedente, s. Augustinus reprehendit, sed damus totum Deo, nobis autem nihil omnino, quod non sit ex Deo.

Quartum testimonium ex lib. de corrept. et gratia cap. 12. *Provisum est*, inquit, *ut voluntas humana indeclinabiliter et inseparabiliter*, etc. Et cap. 14. *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle aut nolle, in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et infra: *Non est dubitandum, voluntati Dei voluntates humanas resistere non posse.*

Respondeo: Haec loca manifestant gratiam efficacem, quae datur electis, et infallibilitatem adjunctam habet, non necessitatem. Nam quos Deus praedestinavit, hos vocavit; et quos vocavit, hos justificavit; et quos justificavit, hos magnificavit, ad Rom. 8. et sicut qui sunt praedestinati omnes infallibiliter vocantur: ita qui sunt vocati, secundum propositum videlicet, nam de hac vocatione loquitur sine dubio Paulus, omnes justificantur, proinde vocatio illa efficax est, et numquam rejicitur, quoniam alioqui falli posset praedestinatio: Et eodem modo qui sunt justificati, secundum propositum, omnes infallibiliter perseverant et glorificantur, ne forte incerta reddatur electio.

Habet igitur gratia efficax, ut etiam praedestinatio, cujus praedestinationis gratia illa est effectus, infallibilem certitudinem: et hoc significant testimonia illa s. Augustini: non tamen habet necessitatem, nisi ex hypothesi, ac per hoc non impedit arbitrii libertatem. Nam ut explicuimus in lib. 1. cap. 12. gratia efficax dicitur illa, qua Deus ita vocat hominem, ut videt congruere illi, ut vocationem non respuat. Quare non magis inducit necessitatem, aut impedit libertatem gratia efficax, quam praescientia; de qua copiose disseruimus in lib. 4.

Atque hinc est, quod s. Augustinus ut plurimum cum loquitur de gratia efficaci, non dicit, eam non posse respui, sed de facto non respui. Si quando tamen dicit, non posse respui, intelligendum est de hypothesi, non absolute, ut sensus sit, non posse fieri, ut is Deum vocantem non sequatur, quem Deus vocavit eo modo, quo praevidit eum secuturum: tamen absolute posse non sequi. Sed tunc Deus non eum praevidisset secuturum, et alio modo eum vocasset, quo secuturum praevidisset. Et quoniam Deus praevidet eos, quos vocat secundum propositum, libere secuturos, sicut non potest fieri, ex hypothesi ut non sequantur, ita non potest fieri, ut non libere sequantur. In neutro enim falli potest providentia Dei, neque in eo, quod videt aliquem secuturum, neque in eo, quod videt libere secuturum.

Quintum testimonium ex lib. de grat. et liber. arb. cap. 17. *Ut velimus*, inquit, *sine nobis operatur: cum autem volumus, et sic volumus, ut operemur, nobiscum cooperatur.* Hic triumphant adversarii quasi deprehenderint nos in manifesto errore, quod dicamus, nos cooperari Deo in ipsa prima conversione, et ad actum volendi non solum excitari, sed etiam adjuvari, cum Augustinus perspicue dicat, ut velimus, Deum operari sine nobis, et proinde in hoc nos non juvari, sed simpliciter hoc a Deo in nobis fieri.

Nec desunt alia loca, quae pro adversariis facere videantur, ut illud in enchir. cap. 32. *Totum Deo dandum est, qui hominis voluntatem bonam, et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa.*

Respondeo: Hoc argumentum vehementer nos terrere potuisset, si obliti essemus, quam frequenter supra dicentem Augustinum audiverimus, quod nos ad Deum converti, nisi ipso excitante et adjuvante, non possumus. Et velle suum, esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Et in opere credendi, cum incipimus velle credere, nos operari opera Christi, et cooperari Deo etc. Vide loca notata cap. 11. in hoc eodem lib. Sed praeterea totum hoc argumentum solutum est in 1. lib. hujus tract. de grat. et liber. arb. cap. 14.

Summa autem solutionis haec est, Deum operari in nobis, sine nobis, ut velimus, uno quodam genere caussae, nimirum moralis, non autem omni genere caussae. Nam efficit in nobis Deus, ut velimus interna inspiratione et suasione, quo modo nos non operamur, ut velimus, non enim nos ipsi nobis persuademus; si enim id faceremus, jam vellemus. Sed quamvis Deus sine nostro praevio conatu nos moveat ad volendum, non tamen efficit ipsum velle, sine nobis cooperantibus consentiendo. Et ideo non ait Augustinus, velle facit sine nobis; Sed, ut velimus, facit sine nobis. Eodem modo vo-

luntatem bonam praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam, quia illo genere caussae, quae facit ut velimus, sine nobis facientibus ut velimus, praeparat voluntatem nobis non praeparantibus eandem simili excitatione et suasione, et ideo in hac re non juvamur, cum sine nobis fiat. Sed tamen alio genere caussae nos praeparamus voluntatem, adjuvante Deo, cum vocationi divinae consentimus: *Homo*, inquit Augustinus lib. 2. ad Bonifac. cap. 8. *praeparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor.* Haec ille.

Quid si tunc ostendamus, hunc locum, de quo tantopere triumphare videntur adversarii, adversus ipsos pugnare gravissime? nam s. Augustinus posteaquam dixerat: *Ut velimus, sine nobis operatur*, subjunxit: *Cum autem volumus, et sic volumus, ut operemur, nobiscum cooperatur.* Quaero ab adversariis, quid sit *nobiscum cooperamur?* Nam si nobiscum Deus cooperatur, certe et nos operamur. Non autem dicimur operari, Deoque cooperari, quia producimus actum illum, ut instrumenta naturalia, ab alio mota, quoniam hoc modo operamur etiam ipsum velle, Calvino et Kemnitio testibus, cum tamen ipsi idem negent, nos cooperari Deo in actu volendi.

Igitur fateri debent ex mente Augustini, nos operari opera externa, et in eis cooperari Deo, non tantum producendo actum, sed etiam libere producendo, ut vere dicamur cooperari Deo, et ab illo adjuvari. At non potest intelligi, quemadmodum sit libera actio externa, si non fuit libera electio, sive voluntas interna. Actiones enim externae non habent libertatem, nisi in sua caussa. Necessario enim sequuntur electionem voluntatis, et imperium rationis. Non dat libere eleemosynam, nisi qui libere voluit dare; neque libere orat, aut jejunat, nisi qui libere elegit orare et jejunare. Quare ex eo, quod admittere coguntur, nos libere operari opera pietatis externa coguntur etiam, velint nolint, admittere liberum arbitrium in ipso actu voluntatis interno.

Aliud testimonium profert Calvinus ex lib. de corrept. et grat. cap. 11. ubi dicit, Augustin. affirmare, Adamum habuisse gratiam, per quam posset non peccare, nos habere multo majorem, per quam fit, ut non possimus peccare. Sed jam in praefat. ostendimus, hoc non argumentum, sed impudentissimum esse mendacium. Non enim dicit Augustin. nos non posse peccare, sed in futura vita eam libertatem sanctos habituros, ut non possint peccare. Vide quae diximus in praefatione.

CAPUT XV.

Compendium disputationis de cooperatione gratiae et liberi arbitrii, aliquot sententiis comprehensum.

Ad Extremum totius disputationis operae pretium esse duxi, si per modum compendii sententiis aliquot comprehenderem, quid de cooperatione gratiae et liberi arbitrii sentiam, adjuncta simul auctoritate, non solum concilii, aut veteris alicujus patris, sed etiam Joannis Driedonis, et Ruardi Tapperi, qui hac nostra aetate totam hanc materiam diligentissime pertractarunt; ut habeat lector, ubi plura legere possit, si velit.

Septem quasi tempora hominis per Spiritum renascentis, his nostris sententiis concludemus. Primum dici potest, cum omni gratia Dei caret, et in tenebris peccati, vel morte jacet. Secundum cum a Deo, per internam vocationem excitatur. Tertium, cum vocationi acquiescens, eligit poenitentiam. Quartum, cum incipit opera poenitentiae facere, orare, jejunare, flere, eleemosynas dare. Quintum, cum illi per actionem poenitentiae disposito, gratia justificationis infunditur. Sextum, cum justificatus, opera justitiae facere statuit. Septimum, cum ipsa opera faciens viam mandatorum magna alacritate percurrit.

Prima sententia: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solum ad opera naturalia et moralia, sed etiam ad opera pietatis et supernaturalia.* Docet hoc s. Augustinus in lib. de spir. et liter. cap. 33. ubi dicit, liberum arbitrium esse vim naturalem et mediam, quae ad fidem et infidelitatem inclinari potest. Vide Driedonem in lib. de concordia liberi arbitrii, et praedestinationis cap. 3. et Tapperum in explicatione art. 7.

Idem etiam probatur ratione. Nam liberum arbitrium non potest dari nec tolli per gratiam, neque per peccatum: Manet igitur ante gratiam, et post peccatum. Non dari per gratiam, certum est, quia libero arbitrio possumus bene et male uti, et non nisi per ipsum peccamus, quando peccamus, ut s. Augustinus docet lib. 2. de peccator. mer. et remiss. cap. 18. at gratiae donis nemo potest male uti. Neque per gratiam ullus peccat. Nec minus certum est, non dari liberum arbitrium per peccatum, quoniam nemo potest bene uti peccato, libero autem arbitrio (ut dictum est) bene et male utimur. Non tolli per gratiam, extra controversiam est, quoniam gratia perficit, non destruit naturam: Non tolli etiam per peccatum, inde constat, quod peccatum laedere potuit naturalia bona, non tamen extinguere, ut supra multis argumentis probatum est.

Secunda sententia: *Habet homo ante omnem gratiam, potentiam remotam, et imperfectam ad opera pietatis facienda.* Docet hoc idem Augustinus libro de praedest. sanctorum cap. 5. *Posse habere fidem et charitatem naturae est hominum.* Idem lib. de gratia Christi cap. 50. citat Ambrosium his verbis: *Naturalem possibilitatem, peccato esse vitiatam, enervem, infirmamque testatur venerandus Ambrosius.* Vide Driedonem loco notato. Denique intelligi non potest, quomodo ad opera pietatis active voluntas humana concurrat, si non habeat ex se potentiam activam, saltem remotam.

Tertia, *Non habet homo ante omnem gratiam potentiam proximam et perfectam ad opera pietatis, et ideo nihil omnino in hoc genere ex se facere potest.* S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 22. *In potestate*, inquit, *hominis est, mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi detur*

a Deo: de quo scriptum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Atque hinc solvitur illud dilemma Kemnitii. Aut habet homo ex se aliquas vires, quamvis exiles, aut nullas omnino. Si habet aliquas, ergo potest aliquid sine Deo, contra illud Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Si nullas, igitur extinctum est liberum arbitrium, neque gratiae cooperari potest. Sed hoc dilemma ex dictis in hac et superiore sententia, plane solutum manet. Habet enim potentiam remotam, et vires imperfectas, et ideo nihil per se potest, sed si perficiatur ea potentia, et vires addantur, poterit multa praestare.

Dices: quomodo liberum est arbitrium ad utrumlibet ante gratiam, si bonum facere non potest? Respondeo: Liberum est, sed ejus libertas est quasi ligata et impedita; solvitur autem et expeditur, cum potentia proxima ad operandum per Dei gratiam praevenientem ei confertur. Simile aliquid experimur in potentia videndi: nam absente specie sensibili, habet homo potentiam et libertatem videndi; non enim ea species caussa est libertatis, aut potentiae videndi; tamen potentia remota est et libertas ligata, donec accepta specie potentia perficiatur, et in actum prodire possit.

Quarta: *Gratia excitans interna necessario praecedere debet hominis conversionem, sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccato ad justitiam, neque sufficit gratia adjuvans.* Haec est contra quosdam, qui existimant, sufficere externam excitationem per evangelii praedicationem, vel lectionem, cum auxilio Dei concurrente ad eliciendum actum conversionis.

Sed probatur nostra sententia ex loco illo evangelii, Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Tractus enim non est gratia adjuvans, sed excitans, quia praevenit nolentem, ut faciat volentem; gratia enim adjuvans non praevenit, sed comitatur, neque dicitur trahi, qui juvatur, sed qui impellitur. Neque per hunc tractum potest intelligi praedicatio externa. Dominus enim jam praedicaverat istis, quibus dicebat: *Nemo potest ad me venire etc.* sed quoniam multi ex iis non convertebantur, ideo adjunxit: *Nemo potest etc.* et addidit: *Omnis, qui audivit a Patre meo et didicit, venit ad me.*

De hoc tractu loquens Augustinus in lib. de praedestin. sanct. cap. 8. *Valde*, inquit, *remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Pater auditur, et docet, ut veniatur ad filium. Ibi est et filius, quia ipse est verbum ejus, per quod sic docet, nec agit hoc cum carnis aure sed cordis.* Non igitur hic tractus est praedicatio externa, quae non est remota a sensibus carnis. Immo carnis autem potissimum pulsat.

Idem probatur ex can. 7. concilii arausicani, ubi dicitur, haeretico spiritu falli eum, qui dicit, posse hominem evangelizanti praedicationi consentire, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti. Et ex illo canon. 14. concilii ejusdem: *Nullus miser de quantulacumque miseria liberatur, nisi eum misericordia divina praevenial.* Jam autem diximus, gratiam adjuvantem proprie non praevenire, sed comitari. Tunc enim solum juvamur, cum re ipsa conversionis actum producimus.

Sed hoc ipsum clarissime docuit concilium tridentinum, quod illi non spernunt, sed explicare conantur, contra quos in praesenti disserimus. Igitur concilium sess. 6. cap. 5. generatim loquens de conversione tam fidelis, quam infidelis, dicit exordium justificationis sumi a Dei vocatione, seu excitatione, et declarat hanc excitationem fieri, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, ubi aperte loquitur de excitatione interna. Deinde cap. 6. de infidelibus dicit: *Disponuntur, dum excitati divina gratia, et adjuti etc.* Et cap. 14. de fidelibus lapsis: *Qui vero*, inquit, *accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, per Poenitentiae sacramentum, merito Christi, amissam gratiam, recuperare procuraverint.* Et can. 3. *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Nec puto ullum fore tam audacem, ut hunc locum in eam sententiam detorquere conetur, ut per praevenientem Spiritus sancti inspirationem intelligendam esse velit externam praedicationem. Multo etiam minus probanda est illorum interpretatio, qui dicunt, concilium loqui de modo ordinario, et communi vocationis, non de omni vocatione. Nam concilium non dicit, neminem credere aut poenitere, sed neminem posse credere aut poenitere, sine praeveniente inspiratione.

Idem probari potest ex Patribus. Nam certe Augustini verba clarissima sunt in 2. lib. de peccat. mer. et remiss. cap. 18. *Quod nos ad Deum convertimus, nisi ipso excitante et adjuvante non possumus.* Et ne trahatur excitatio ad praedicationem externam, repetatur locus paulo ante citatus, de praedestinatione sanctor. cap. 8. et consulatur totus liber de gratia Christi, sed praesertim cap. 7. et sequent.

Sanctus vero Gregorius, non solum praedicationem hominum, sed ipsam Dei vocem externam non sufficere sine interna inspiratione, confirmat in lib. 11. Moral. cap. 5. *Cain*, inquit, *divina voce admoneri potuit, et mutari non potuit, quia exigente culpa malitiae, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.*

Et s. Fulgentius in lib. de incarnat. et grat. Christi, in ultimis verbis; *Frustra*, inquit, *sermo divinus exterioribus auribus sonat, nisi Deus spirituali munere, auditum hominis interioris aperiat.*

S. Prosper in lib. contra Collatorem, cap. 28. reprehendit Cassianum, quod diceret, inesse animae semina virtutum, sed excitanda per externam praedicationem. Ponit enim haec verba Cassiani: *Ad perfectionis incrementum semina haec pervenire non poterunt, nisi opitulatione divinae fuerint excitata.* Et addit: *Ut scilicet opitulatio Dei sit cohortatio, atque doctrina; mens autem, quae virtutum est opulentia seminibus, utatur facultate, quam possidet etc.*

Denique s. Bernardus, ut alios omittam, in libro de grat. et liber. arbit. *Conatus*, inquit, *liberi ar-*

bitrii et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli,si non excitentur.

Accedat Postremo etiam ratio, nam gratia adjuvans, requiritur ad exercitium actus, gratia excitans ad specificationem. Illa enim est ratio agendi, et quasi semen fructus futuri, ut eam appellat sanctus Prosper in 2. lib. de vocatione gentium, cap. 26. et sicut aqua, ut possit calefacere, non solum exigit concursum divinum, quo adjuvetur, sed etiam ut prius in ipsa imprimatur forma caloris,quae sit ratio agendi; et terra, ut possit germinare, non solum eget cooperatione Dei, sed etiam conceptione seminis: sic et humana mens, ut pariat actum pietatis.non auxilio tantum eget cooperationis Dei, sed etiam semine Spiritus sancti,quod in gratia excitante ac praeveniente, idest, in illuminatione cordis et boni desiderii inspiratione consistit.

At objiciunt aliqui, Primo: Si semper requiritur excitatio praeveniens, quomodo aliqui convertuntur in momento? Secundo:Si semper requiritur excitatio praeveniens,non igitur in potestate hominis erit conversio. Non enim excitatio illa est in hominis potestate. Tertio: Fideles, quamvis peccatores, fidem habent,igitur per eam orare possunt, ac per hoc non egent gratia excitante. Quarto: Possumus nos addere testimonium s. Augustini ex lib.de spiritu et litera cap. 34. ubi sic loquitur: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, sive intrinsecus,ubi nemo habet in potestate,quid ei veniat in mentem.*

Respondeo ad Primum: Conversionem fieri semper in momento, si conversio accipiatur pro actu voluntatis, quo vocationi Dei consentimus: sed si accipiatur pro toto illo opere, quo vocantem audimus et vocationem percipimus, ac demum illi acquiescimus, non posse fieri in momento, sed in tempore brevissimo,quod non inusitate momentum dici poterit. Illos enim repente converti vulgo dicere solemus, qui statim ut audierint vocem aliquam concionatoris, aut sententiam aliquam legerint, vitam mutare constituunt, ita ut neque dies, neque horae, sed tempus longe brevius inter vocem concionatoris, et conversionem peccatoris intersit.

Ad Secundum Respondeo: Conversionem semper esse in potestate liberi arbitrii,quoniam potest semper converti, quando voluerit. Id enim dicitur esse in potestate (ut Augustinus definit lib. de spiritu et litera cap. 31. et lib. 5. de Civit. Dei cap. 10.) quod adest, quando volumus, et quando nolumus non adest. Quo sensu admittit Augustinus ibidem, fidem esse in potestate liberi arbitrii, quia credit homo, si vult, et si non vult,non credit. Caeterum ipsum velle credere, aut converti, non potest homo habere, nisi per gratiam praevenientem acceperit, ut possit. Neque est in potestate hominis, ut Deus illum vocet atque excitet; alioqui non diceret Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Ne quando det eis Deus poenitentiam, et convertantur a diaboli laqueis.* Neque tam anxie oraret Ecclesia pro infidelibus, aliisque peccatoribus, si possent ipsi suis viribus, absque divina inspiratione converti.Atque hoc est, quod supra diximus, habere hominem ad actus pietatis, ante omnem gratiam, liberum arbitrium et potentiam remotam, sed non proximam.

Ad Tertium Respondeo: In homine peccatore fidem quidem esse, sed mortuam. Quae nihil operari potest in ordine ad salutem, nisi per divinam inspirationem et vocationem excitetur.

Ad Quartum Respondeo: Ad gratiam excitantem pertinere,ut proponat objectum aliquod congruum menti, per quod homo persuaderi possit; et praeterea ut excitet mentem ad illud considerandum,et ut moveat voluntatem, eamque inclinet ad illud acceptandum. Quod igitur attinet ad repraesentationem objecti, non est necessarium, ut id semper fiat interius, sed satis est, si fiat extrinsecus per evangelicam exhortationem,et hoc est quod dicit eo loco s. Augustinus, ubi non negat requiri, ut Deus intrinsecus excitet ad intendendum praedicationi, et ad eam amplectendam. Quamvis illa etiam sit gratia Dei, quod talis exhortatio extrinsecus offeratur, quae menti sit congrua, ut idem Augustinus docet in lib. de bono persever. cap. 14.Vide Driedonem in libro de captiv. et redempt. generis humani, tract. 5. cap. 2. par. 2. Tapperum in explicat. art. 7. ante medium, idest, ante illa verba capitalia; tractantur circa hanc materiam etc. pag. 315. in alia editione 320.

Quinta sententia: *Gratia excitans datur homini sine ullis meritis praecedentibus, ac sine ulla praeparatione.* Haec satis probata est supra cap. 4. et 5. at manifestissima est, nam cum haec absolute prima gratia sit,non potest ulla ratione cadere sub meritum, ne gratia non sit gratia, et cum haec eadem sit prima dispositio ad justitiam, non potest eam ulla ratione praecedere alia dispositio.

Sexta: *Gratia excitans non datur homini sine actione ipsius, quamvis sine cooperatione liberi arbitrii detur.*Haec etiam probata est supra in cap. 9. et non minus est certa,quam superior, Nam gratia excitans, duo quaedam complectitur, initium bonae cogitationis, et initium boni desiderii. Cogitare autem, et desiderare sunt actus mentis et voluntatis. Quare fieri non potest, ut quis sine suo actu ad cogitandum et desiderandum excitetur.Quia tamen sunt repentini quidam motus, et omnem deliberationem rationis praeveniunt, ideo non sunt actus liberi arbitrii; qualia sunt etiam saepe immunda desideria, et sordidae cogitationes, quas diabolus interdum nobis etiam invitis immittit. Et sicut de malis motibus, quos inviti patimur, quoniam liberi non sunt, vere dicit Apostolus: *Jam non ego operor illud,sed quod habitat in me peccatum.*ad Roman. 7. Ita de istis motibus bonis eadem ratione, quia liberi non sunt, dicere possumus. Jam non ego operor illos,sed quae praevenit me gratia Dei. De iis Augustinus in lib. de spir.et lit. cap. 34.scribit: *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes. sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quod ei veniat in mentem.*

Septima: *Ad assentiendum gratiae excitanti, seu divinae internae vocationi, requiritur necessario gratia adjuvans.* Haec nota est ex testimoniis supra citatis, concilii tridentini sess. 6. cap.5. Disponuntur ad justificationem, dum excitati et

adjuti, libere moventur in Deum. Et s. Augustini in enchiridio cap.32. *Hominis voluntatem,et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam.* Et lib. 2. de peccator. meritis et remiss. cap. 18. *Quod nos ad Deum convertimus, nisi ipso excitante, et adjuvante non possumus.* Et s. Bernardi libro de grat. et liber. arbit. *Conatus liberi arbitrii, et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli, si non excitentur.*

Est autem hoc loco breviter annotandum, a nonnullis distingui. Quatuor motus,qui possunt in homine existere, cum a Deo interna inspiratione excitatur. Vel enim qui vocatur, rejicit vocantem;Vel neque rejicit, neque recipit, sed sinit Deum pulsare ad ostium cordis, et tamen nullo modo afficitur ad pulsantem; Vel neque rejicit,neque recipit, sed gaudet tamen ea vocatione , et incipit affici ad vocantem ; Vel denique simpliciter vocantem amplectitur, et se trahi sinit quocumque ille voluerit.

Et quidem de primo et postremo cordis motu, nulla potest esse discordia. Certum est enim,posse hominem sine auxilio gratiae rejicere vocantem: non enim Deus nos ad peccandum adjuvat:nec minus est certum, non posse hominem sine Dei gratia, vocantem amplecti. Ac de his duobus motibus loquitur s. Augustinus , cum ait in lib. de gratia Christi cap. 14. *Hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest esse, nisi adjutum,si venit.* De secundo et tertio aliqui ambigunt, sed vix est ulla justa caussa ambigendi. Nam secundus pertinet ad primum , et tertius ad postremum.

Secundus (inquam) ad primum pertinet, quoniam audire vocantem, et non sequi,quid est aliud nisi eum contemnere ac rejicere? certe qui pauperem clamantem audit, et non movetur ad misericordiam , neque aliquid ei donat , repellere illum dici potest, quamvis neque verbo, neque manu illum abigat.Et qui longo tempore audit suadentem, et non persuadetur,nonne dicitur suadenti resistere? Quare s. Augustinus, loco notato, non ait: Hoc arbitrium potest esse solum, si Deum repellit, sed ait : *Potest esse solum , si non venit.* Itaque non solum repellere vocationem contrario aliquo actu, sed etiam non eam admittere, et non venire, rejicere est.

Tertius autem motus ad postremum pertinet,nec sine adjutorio gratiae haberi potest, quoniam gaudere de vocatione Dei, initium est bonae voluntatis, piique affectus erga Deum; et licet non sit absolute venire, tamen est inclinari ad veniendum,et quasi itineris inchoatio.

Octava sententia: *Neque gratia excitans, neque adjuvans, ullam imponit homini necessitatem, quo minus possit libere consentire, aut dissentire Deo vocanti.* Nam in primis gratia excitans, si solum sit sufficiens, non autem efficax, rejici potest , et re ipsa rejicitur , ut experientia docet. Si vero sit efficax, non rejicitur unquam neque potest rejici ex hypothesi , sed absolute rejici potest, ut ostendimus capite superiore; et ratio est, quoniam gratia, quantumvis efficax, nihil est aliud, nisi suasio, quae non determinat voluntatem, sed inclinat per modum proponentis objectum: Sed ideo numquam rejicitur, quia Deus sic suadet, ut videt aptum esse homini, ut suasori acquiescat.

Gratia vero adjuvans Tribus in rebus consistit. Primo, in directione hominis. Secundo, in protectione ejusdem, contra varias hostis nostri diaboli impugnationes. Tertio, in cooperatione intrinseca, ad eliciendum actum cum ipsa voluntate. Et quidem directio et protectio nullam imponunt necessitatem, cum non attingant ipsum actum liberae electionis,sed tantum removeant impedimenta. Cooperatio autem illa intrinseca non alio modo concurrit , quam auxilium generale. Sicut enim ad opera naturalia facienda necessarium est auxilium generale,sic ad opera supernaturalia auxilium speciale: et sicut illud numquam deest iis,qui habent formas naturales, per quas operari queant: ita neque hoc deest unquam iis, qui habent formam supernaturalem, idest, habitus infusarum virtutum, vel certe gratiam excitantem: et sicut denique auxilium generale ita concurrit cum omnibus rebus in actionibus naturalibus , ut tamen non impediat libertatem et contingentiam,ut ostendimus in quarto libro hujus disputationis : ita speciale auxilium adjuvans, ita concurrit ad omnes actiones supernaturales,ut non impediat hominis libertatem;quoniam eodem prorsus modo auxilia ista concurrunt, ut recte docet Ruardus Tapperus in explicat.art. 7.

Neque hoc negari potest a catholicis, salva concilii trid. auctoritate, quod disertis verbis in 6. sess. cap. 5. et can. 4. docet, hominem excitatum et adjutum, libere moveri in Deum, quoniam vocationem Dei et recipere et rejicere potest. Sed refutandae sunt distortae quaedam hujus canonis explicationes.

Dicunt enim aliqui , hominem libere moveri in Deum, cum ab ejus gratia excitatur et adjuvatur, quoniam sponte et cum pleno atque perfecto judicio rationis movetur,tametsi necessario moveatur.

At concilium non solum dicit , hominem libere moveri , sed etiam adjungit rationem : quia potest gratiam non recipere et vocationi resistere , quod certe non posset, si necessario moveretur. Deinde, nonne beati, qui Deum vident, sponte feruntur per amorem in Deum, et cum pleno atque perfecto judicio rationis,et tamen ex communi sententia theologorum non libere moventur, quia non possunt non moveri? Denique Calvinus ipse , qui praeter caeteros hujus temporis haereticos, liberum oppugnat arbitrium, non negabit, hominem libere moveri in Deum, si hoc sit libere moveri, sponte, et cum pleno judicio rationis moveri.Sic enim loquitur in lib. 2. adversus Pighium: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, et constanter assevero, et pro haeretico habeo,quisquis secus sentiat.*Quid igitur concilium contra haereticos hujus temporis laboravit in canonibus condendis, si Calvinus nobiscum sentit, aut nos potius cum illo sentimus?

Dicunt Rursus,hominem posse dissentire, si velit, sed tamen non posse id velle, si gratiam Dei habeat; et hanc ipsam sententiam fuisse concilii.

At concilium non solum dicit, posse hominem dissentire, si velit, sed etiam dicit absolute, posse hominem gratiam Dei excitantem abjicere,ut patet

ex cap.5.sessionis sextae. Deinde, non posse velle dissentire, pugnat omnino cum libero arbitrio, si ponatur (ut adversarii ponunt), ideo non posse velle dissentire, quia gratia determinat voluntatem active, et intrinsece ad contrarium. Nos quidem supra saepe diximus, posse hominem credere aut diligere Deum, si velit, non tamen posse velle sine adjutorio gratiae. Sed hoc recte dicebatur, quia liberum arbitrium ad bonum est infirmum, et ideo indiget adjutorio; sed adjutorio praestito, dicebamus, posse hominem velle et non velle, et eo modo vere ac proprie esse liberum. At si gratia Dei praesente non potest homo velle dissentire, ea vero absente, non potest velle consentire, nulla est arbitrii libertas, neque ab haereticorum opinione receditur.

Dicunt Iterum, posse hominem, juxta concilii decretum consentire et dissentire, quia potest fieri, ut habeat gratiam, et potest etiam fieri, ut non habeat gratiam. At hoc non facit hominem liberum, sed Deum, qui pro arbitrio gratiam tribuit, vel non tribuit. Alioqui dici posset liberum etiam jumentum quia potest currere et non currere, si placeat sessori calcaria adhibere vel non adhibere, et habenas laxare vel non laxare. Sed respondent: Jumentum numquam posse dici liberum, quia naturaliter determinatur ad unum; homo vero non naturaliter, sed beneficio gratiae determinatur ad bonum.

At nos non quaerimus nunc, unde tollatur libertas, ex natura, an ex gratia, sed, an tollatur, et an sit verum, quod Scriptura dicit, Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere malum et non fecit; et quod concilium dicit, hominem libere recipere gratiam internae inspirationis, quoniam eam rejicere etiam potest. Quidquid enim sit de Deo et beatis, qui peccare non possunt, Ecclesia catholica in hominibus mortalibus, secundum Scripturas divinas, et communem Patrum consensum, eam libertatem defendit, per quam possint bene agendo mereri praemium, quia poterant non bene agere; et male agendo mereri poenas, quia poterant non male agere, ut in 4. et 5. lib. satis abunde monstravimus.

Dicunt Postremo: Concilium loqui de gratia excitante, non de adjuvante, cum dicit, posse ab homine gratiam rejici, et posse hominem dissentire, si velit: se autem non gratiam excitantem, sed adjuvantem asserere ita efficacem, ut voluntatem determinet, et rejici non possit.

At isti falluntur Primum in eo, quod gratiam efficacem putant esse gratiam adjuvantem, cum secundum Scripturas, et sanctum Augustinum gratia efficax sit ipsa vocatio, sive excitatio secundum propositum, ut copiose probavimus in lib. 1. cap. 12. Unus hic locus sufficiet ex lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 5. *Ut Paulus*, inquit, *tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Ubi vides, gratiam efficacem esse ipsam vocationem. Quae autem fuerit illa vocatio, explicat idem Augustinus in lib. 1. ad Simplicianum, extremo: *Una*, inquit, *desuper voce prostratus, Paulus videlicet, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas, refracta saevitia reoju-queretur et corrigeretur ad fidem.* Gratia igitur efficax in conversione beati Pauli fuit vox de coelo, cum interna tali inspiratione et suasione, qualis congruebat, ut Paulus eam non sperneret. Vide locum citatum, ubi perspicue haec veritas demonstratur.

Neque solum in eo labuntur isti, quod gratiam efficacem in adjuvante, non in excitante constituunt; sed etiam in eo, quod dicunt, excitantem gratiam respui posse, non adjuvantem. Nam cum ad hoc detur adjuvans, ut excitans non respuatur, sed ei consentiatur: Quomodo potest respui gratia excitans, si respui non potest adjuvans? Adde quod si proprie loqui velimus, recipi et rejici, non potest convenire gratiae adjuvanti, quia gratia adjuvans non est aliquid, quod homini offeratur, sed est ipsa productio actus, quae non est, nisi quando actus producitur; quando autem actus producitur, non potest fieri, ut non producatur, et in hoc sensu non potest rejici gratia adjuvans, sicut nec ipsa cooperatio nostra, quae sunt omnino simul. Et ideo concilium non dixit, posse rejici gratiam adjuvantem, sed solum excitantem.

Sed quamvis gratia adjuvans, proprie loquendo, non possit rejici, tamen adhuc remanet quaestio, an operatio illa Dei, determinet prius natura voluntatem nostram, nec ne. Nam si non determinat, ut nos probavimus in 4. lib. fere extremo, in nostra potestate est, ut ea gratia ponatur vel non ponatur, et sic in quodam sensu potest rejici; quomodo auxilium generale in nostra quodammodo potestate est, et in quodam sensu potest rejici, quia si volumus operari, ponitur; si nolumus, non ponitur. At si gratia illa determinat prius natura voluntatem nostram, tunc quidem in nullo sensu potest rejici, sed tollitur libertas arbitrii, ut loco citato satis probasse nos credimus.

Nona sententia: *Fieri potest, ut eadem motione interna duobus adhibita, unus convertatur, alius non convertatur, et unus magis, alius minus proficiat.* Haec est Ruardi Tapperi loco citato, et colligitur ex iis, quae ante dicta sunt. Nam motio divina relinquit hominem plane liberum, ut possit converti et non converti, et magis minusque proficere. Et confirmatur ex parabola seminantis, Matth. 13. ubi Dominus caussam diversitatis, cur idem semen alicubi multum, alicubi parum, alicubi nihil omnino protulerit, refert in variam terrae dispositionem. Denique accedit etiam communis piorum confessio, qui negligentiam suam accusant, et ingenue profitentur, se non tantum proficere, quantum possent, si gratiae divinae majori studio cooperarentur.

Dices: Si res ita se habet, poterit, qui convertitur, aut qui magis proficit, gloriari adversus alterum, qui ex eadem vocatione et auxilio converti noluit, aut minus proficere studuit. At id est contra illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?*

Respondeo: Qui non convertitur, aut minus proficit, merito poterit negligentiam suam accusare, quod gratiae divinae cooperari noluerit: qui vero

convertitur, aut magis proficit, non habet unde glorietur, nisi in Domino, quoniam dono Dei habuit, non solum posse converti et proficere, ut alius, sed etiam velle converti et magno fervore proficere. Tametsi enim eadem fuit motio in utroque, quod attinet ad substantiam motionis, tamen uni fuit congrua, alteri non fuit. Et quoniam gratia Dei singularis est, ut dignetur ita movere hominem, sicut videt congruum atque aptum esse illi, ut persuadeatur, atque consentiat, ideo non diximus, posse fieri, ut unus convertatur, alius non convertatur, si eadem utrique gratia donetur; id enim falsum esse censemus: Sed si eadem utrique motio adhibeatur. Potest enim, ut diximus, eadem motio uni esse congrua, alteri non congrua, ac per hoc uni dari ut possit, alteri ut possit et velit.

Decima sententia: *Conversio hominis ad Deum, ut etiam quodlibet aliud opus pium, quatenus opus a libero arbitrio est tantum, non tamen secluso auxilio generali; quatenus pium, a sola gratia est; quatenus opus pium a libero arbitrio et gratia simul.* Haec est ejusdem Ruardi ibidem. Et probatur, quoniam caussa efficiens actionis humanae, ut est actio, est ipsa voluntas hominis; ut est libera, est libertas arbitrii, ut est pia, est divinum semen, et auxilium tali semini conveniens. Proinde gratia solum facit, ut actio humana sit talis, idest, pia et supernaturalis, ad quod sane viribus suis numquam ipsa natura pertingeret.

Undecima: *Ad opera, quae sequuntur actum conversionis tam interna quam externa, idest, ad opera poenitentiae, quibus ad justificationis gratiam praeparamur, non videtur requiri necessario nova aliqua gratia, sed solum continua directio, et protectio, et conservatio divini seminis jam concepti et formati.* Est Ruardi ibidem, et probatur, quoniam posita voluntate efficaci, non est dubium, quin caetera opera necessario consequantur. Nam qui vult efficaciter vitam mutare, orare, jejunare, eleemosynas dare, continere se a deliciis et voluptatibus, ista omnia non difficulter exequitur. *Certum est* (inquit Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 16.) *nos mandata servare, si volumus, sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Et infra: *Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit ut faciamus, praebens vires efficacissimas voluntati.* Et in lib. 8. Confess. cap. 9. totam caussam, cur non posset abdicare a se carnis voluptates, eam fuisse dicit, quia non plene volebat.

Adhaec, sicut in operibus mentis, ex principiis cognitis, possumus discurrendo conclusiones colligere: Sic etiam in operibus voluntatis ex amore finis, sive naturaliter excitato, sive ex divina inspiratione concepto, possumus sine dubio, absque nova inspiratione progredi ad inquisitionem, et electionem mediorum. Gratia siquidem non tollit aut impedit, sed juvat ac perficit naturalem efficaciam liberae voluntatis. Qui ergo Deo misericorditer praevenienti et vocanti acquiescens, firmissime statuit mutare vitam, poterit sine novae gratiae inspiratione inquirere et accipere media ad hoc utilia, modo, ut diximus, non desit divinae directionis ac protectionis auxilium.

Et quidem fidem non justificare, ut respicit historias, probant, quoniam non docet, quomodo ab ira Dei liberemur, sed potius auget pavores et desperationem. Quod enim est signum terribilius irae Dei, quam placari Deum non alia victima potuisse, nisi morte filii.

Eam item fidem non justificare, quae proponit minas et judicium Dei justum in peccatores, eadem ratione probant, quoniam fides justificans facit quaerere Deum, fides autem minarum et judicii absterret potius et fugere compellit.

Eam quoque fidem, quae docet mandata et legem operum, non justificare, probant, quoniam illa fides adigit homines ad desperationem, cum requirat exactam legis implètionem, quam nemo praestare potest.

Denique fidem promissionum generatim solum propositarum non justificare, probant, quia promissio non adfert pacem et tranquillitatem animae, nisi speciali applicetur. Restat igitur ut illa sola fides justificet, quae respicit promissionem salutis, ut in speciali ad nos pertinet. Quocirca Lutherus in comment. ad 1. et 3. cap. ad Galat. totam vim promissionum sitam esse dicit in pronominibus, *Nostris*, *nobis*, *Me* etc. Ut cum dicitur Galat. 1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Et cap. 3. *Factus est pro nobis maledictum.* Et cap. 2. *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

Respondeo: Adversarii non male ratiocinantur apud suos, quibus persuaserunt, fidei justificantis officium esse, reddere homines securos ac certos de remissione peccatorum et salute sempiterna. Hoc enim admisso principio, non est difficile probare, fidem justificantem non respicere historias, aut leges, aut minas, sed promissiones tantum et gratiam. At catholici, qui vident eos assumere, quod erat probandum, rident ejusmodi argumenta.

Nam cum dicunt, fides justificans non respicit historias, idest, res gestas, quae narrantur in Scripturis, quoniam illa pavores et desperationem auget. Negamus consequutionem, quod attinet ad pavores. Non enim ideo non justificat fides, quia pavores auget, immo pavores augendo justificat, non (ut illi vellent) securitatem adferendo, sed ut Scripturae docent, revocando a peccato et disponendo ad justitiam: *Initium enim sapientiae, timor Domini.* Prov. 1. Deinde negamus, ejusmodi historias augere desperationem. Nam etsi historia mortis Christi summam summi Dei iram contra peccatum ostendit, tamen simul ostendit, mortem illam pretium fuisse redemptionis, et propitiationem pro peccatis totius mundi. 1. ad Timoth. 2. Et 1. Joan. 2. Denique multae sunt historiae, quae in spem erigunt peccatorem, et ad quaerendum potius Deum, quam ab eo fugiendum hortantur, quales sunt historiae de conversione Pauli, Matthaei, Zachaei, Magdalenae et similium. Atque hoc idem Respondeo: Ad aliam partem argumenti, de fide respiciente minas, et justa Dei judicia.

Ad illud autem de fide respiciente leges et mandata, Respondeo: Eam quoque justificare, quoniam excitat in homine propositum bene operandi, sine quo (ut infra suo loco dicemus) nemo justificari potest. Neque verum est, hac fide adigi homines ad desperationem. Neque enim recta fides docet, Deum requirere a nobis, ut propria virtute legem praesumamus implere, sed contra potius, ut sine dubitatione credamus, sine ipsius auxilio nihil omnino nos posse, omnia autem posse in eo, qui nos confortat.

Denique quod dicunt de promissionum generalium applicatione, propter illa pronomina, *nostris*, *nobis*, *me* et similibus: recte dicunt, posse unumquemque promissiones generales sibi applicare per fidem. Nam quemadmodum fide catholica credo, Christum mortuum esse pro omnibus, ita eadem fide credo mortuum esse pro me, qui sum unus ex omnibus. At illae promissiones, quae absolute re-

periuntur in Scripturis, testantur sufficientiam pretii nostri, idest, meritorum Christi. Fuit enim Christi passio, quoad sufficientiam, propitiatio pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi.

Nulla autem est promissio generalis, quae testetur, Christi mortem in omnibus sortiri suum effectum, absque ulla conditione ex parte ipsorum, sed omnes conditionales sunt, quod attinet ad efficaciam, cum fidem et sacramenta requirant. Legant adversarii nobis ex libro Dei talem aliquam generalem promissionem, et tunc suo jure poterunt eam sibi ratione pronominum applicare.

Quid? quod ipsi quoque inficiari non possunt, exigi saltem conditionem fidei. Non enim admittunt, per Christi mortem promissam esse indulgentiam omnibus hominibus, etiamsi in Christum credere nolint. Cum igitur non sit facta promissio remissionis peccatorum, ipsi etiam adversariis confitentibus, sine conditione fidei, quomodo possunt absolute credere, sibi remissa esse peccata, cum ex nullo verbo Dei dicerint, se habere fidem, qualis requiritur ad remissionem illam obtinendam?

At (inquiunt) nonne s. Joannes in 1. epist. cap. 5. absolute, et sine conditione dicit: *Haec scribo vobis, qui creditis in filium Dei, ut sciatis. quia vitam habetis aeternam?* Oportet igitur absolute credere, nos habere vitam aeternam: alioqui, ut ibidem idem Joannes ait: *Mendacem facimus Deum.*

Respondeo: S. Joannes verissime dicit, omnes qui credunt, videlicet sicut oportet, habere vitam aeternam, nimirum in spe. Nam spe salvi facti sumus, Roman. 8. Caeterum non dicit, omnes qui arbitrantur se credere, sicut oportet, re vera credere sicut oportet. Itaque ait quidem, Haec scribo vobis, qui creditis, ut sciatis, quia vitam habetis aeternam; sed non ait, Haec scribo vobis, ut sciatis, vos habere fidem, qualis requiritur.

Sententia igitur Apostoli conditionalis est; scribit enim iis, qui credunt, ut sciant, se habere vitam aeternam, si re vera (sicut oportet) credant, hoc est, si fidem habeant, quae per dilectionem operatur.

CAPUT XII.

Proponitur secunda quaestio, an fides sola justificet.

Sequitur nunc Altera quaestio, an fides sola justificet. Quo loco illud est initio Observandum, quaestionem istam disputari posse de dispositionibus ad justitiam, an fides videlicet per modum dispositionis sola justificet; Item de ipsa formali justificatione, an, ut homo sit formaliter justus, requiratur obedientia legis saltem in habitu, an vero sufficiat fides apprehendens Christi justitiam. Denique de consequentibus justitiam, nimirum utrum ad justitiam retinendam et conservandam requirantur opera bona, an fides sola sufficiat. Caeterum hoc loco primam tantum quaestionem suscepimus explicandam. Nam de aliis duabus in sequentibus libris disserendum erit. Quare nemo mirari debet, si multa hoc loco praetermittimus, quae alii scriptores de sola fide justificante, vel potius de fide non sola justificante disputant.

Porro haeretici hujus temporis una in re conveniunt inter se, et dissentiunt a catholicis; in aliis tribus dissentiunt etiam inter se. Conveniunt: Fidem solam justificare, hoc est nulla re alia justificationem acquiri, vel ut ipsi loquuntur, apprehendi, nisi fide.

Dissentiunt autem Primo de modo, quo fides justificat. Nam Lutherus sensisse videtur, fidem esse veram caussam justificationis. Sic enim scribit in 2. cap. ad Galat. *Fides est formalis justitia, propter quam homo justificatur, non propter charitatem.* Ubi non solum vox illa, *formalis*, significat veram caussam; sed etiam antithesis, qua fidem opponit charitati. Nam cum negat, nos justificari propter charitatem, certe negat, charitatem esse caussam justificationis: igitur cum asserit propter fidem nos justificari, afferit fidem esse causam justificationis.

Eandem sententiam in colloquio Altemburgensi, tribuunt Illyriciani Wittembergentibus, affirmantes a Georgio majore, dictum esse, fidem esse caussam, cur detur justificatio. Alii tamen plurimi, ac fere omnes hoc tempore docent, fidem non justificare, per modum caussae formalis, aut efficientis physicae vel meritoriae, quasi aut ipsa sit justitia, vel initium justitiae, aut ejus intuitu, sive respectu Deus nos justificet, sed solum relative, quia respicit ac recipit oblatam indulgentiam.

Itaque sensum hujus propositionis: Homo fide justificatur, hunc esse volunt, Homo justificatur per gratiam Dei, non imputantis peccata, quam gratiam fides credendo recipit. Explicant sententiam suam exemplo manus, qua pauper eleemosynam a divite recipit. Nam manus illa recipiens eleemosynam, non est ipsa eleemosyna, neque est causa efficiens eleemosynae, neque propter ipsam, quasi sua pulchritudine id mereatur, datur eleemosyna, sed solum relative concurrit ad eleemosynam obtinendam, quoniam dare et accipere, sunt relativa, neque enim dari potest eleemosyna, nisi ab aliquo recipiatur. Ita explicant modum, quo fides justificat, Philippus in locis communibus, titulo de bonis operibus, in dilutione argumentorum. Et Kemnitius, in examine concilii tridentini sess. 6. Et Joannes Calvinus, in antidoto concilii, ad canon. 11. sess. 6. Item in colloquio Altemburgensi, non solum Illyriciani, sive Saxonici, sed etiam Wittembergenses Electorales convenerunt in eo, quod fides non sit dicenda caussa, sed merum organum justificationis, et verba Georgii majoris sibi objecta, non tam defenderunt, quam excusarunt. Ex quo intelligimus Lutheranos, qui se jactant omnia tribuere soli fidei, re vera nihil omnino ei tribuere, sed eam plane contemnere ac nihil facere.

Secundo: Dissentiunt de actibus aliarum virtutum, sive operum, ut spei, dilectionis, poenitentiae et similibus, an videlicet requirantur ad justificationem aliquo modo. Nam etsi conveniant in eo, quod isti actus non sint caussa justificationis, neque dicantur justificare, tamen aliqui existimant, requiri eorum praesentiam, vel ut signa verae fidei, vel aliis de caussis. Ita docent Wittembergenses, in colloquio Altemburgensi, idem etiam docet Philippus, in locis communibus, paulo ante citatis. *Clare*, inquit Philippus, *docemus, oportere in homi-*

ne existere notitiam articulorum, item contritionem, bonum propositum, inchoari dilectionem. De his dimicant adversarii, quae tamen fatemur ipsi, in homine oportere existere. Sed addimus oportere accedere fidem, idest, fiduciam misericordiae, quod propter filium Dei habeamus remissionem peccatorum, non propter has nostras virtutes.

Calvinus item in antidoto concilii, ad artic. 11. sess.6. docet, fidem solam justificare, sed eam fidem non esse solam,quo modo solis calor solus accendit, quamvis non sit solus, sed cum splendore conjunctus. Similia habet Kemnitius loco notato.

Contra autem Illyriciani, sive Saxonici, hoc est, rigidi Lutherani in eodem Altemburgensi colloquio contendunt,ita solam fidem justificare, ut illud solam, non solum meritum,sed etiam praesentiam aliarum virtutum excludat. Et hanc fuisse volunt Lutheri sententiam. Et sane Lutherus in cap. 2. ad Galat. ita loquitur: *Fides sine et ante charitatem justificat.* Et in disputatione; Utrum opera faciant ad justificationem , an non , tom. 1. operum suorum, sic ait, in 3. propositione. *Fides,nisi sit sine ullis etiam minimis operibus,non justificat,immo non est fides.*

Tertio: Dissentiunt de voce *sola*, an sit omnino necessaria , an vero posset justa aliqua de caussa reticeri. Non desunt enim inter Lutheranos,qui dicant,voculam illam *sola* in propositione:Fides sola justificat, etiamsi non exprimatur, subintelligi, et ideo non esse de ea pertinacius altercandum,praesertim cum non inveniatur in sacris literis , immo posse utiliter reticeri concordiae caussa. Alii tamen contra, pro vocula *sola* acerrime dimicandum esse censent , atque omnia , priusquam ut ea vox sibi eripiatur, toleranda esse contendunt. Vide de hac eorum digladiatione Joan. Cochlaeum in Actis Lutheri, anno 1530. Et Laurentium Surium,in commentario rerum gestarum,ejusdem anni,vel ex haereticis, Joan. Sleidanum, ad eundem annum,et Davidem Chythraeum, in hist. confess. Augustanae, et ipsum etiam Altemburgense colloquium , ubi multa de hac re ab Illyricianis referuntur. Sed nos parum laborantes de ipsorum contentionibus, ad eam tantum controversiam explicandam aggredimur, quam nobiscum, idest,cum catholicis habent.

Igitur adversarii , ut paulo ante diximus, Sola fide justificationem acquiri,sive apprehendi docent: Catholici contra , ac praesertim synodus ipsa tridentina (quam omnes catholici ut magistram sequuntur) sess. 6. cap. 6. Septem actus enumerat, quibus impii ad justitiam disponuntur, videlicet fidei, timoris, spei, dilectionis, poenitentiae, propositi suscipiendi sacramenti , et propositi novae vitae , atque observationis mandatorum Dei. Quam sententiam veram esse in sequentibus capitibus, Deo bene juvante, probabimus.

CAPUT XIII.

Fidem justificare, sed non solam, idem enim facere timorem, spem, dilectionem etc.

Hominem non sola fide justificari, Quinque argumentis principalibus, demonstrare conabimur.

Primum argumentum petimus ex eo, quod Scripturae et Patres tribuunt vim justificandi non soli fidei, sed etiam aliis virtutibus,quas concilium tridentinum, inter dispositiones ad justitiam numeravit, deinde addemus alia argumenta variis ex locis petita.

Prima igitur dispositio, ex doctrina concilii, fides est, de qua supervacaneum est ostendere, per eam justificari impium , cum adversarii id non negent. Quare probabimus, Fidem non tam justificare, quam justificare ut initium, et radicem primam justificationis, hinc enim sequetur, non ipsam solam justificare, sed sic eam agere in hoc negotio, quod suum est, ut etiam caeteris virtutibus locum relinquat. Simul etiam refellemus adversariorum impudentiam, qui concilio tridentino vitio vertunt, quod fidei nihil amplius dederit, quam ut esset initium justificationis, cum ipsi tamen (ut paulo ante ostendimus) nihil ei reipsa tribuant, et sit re vera apud ipsos, Fides justificans, titulus sine re, vel res de solo titulo, ut Lutherus falso scripsit,de libero voluntatis arbitrio.

Igitur Fidem esse initium justificationis , docet Apostolus, ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere,quia est etc.* Ubi tribuitur fidei prima motio in Deum , per quam is qui longe erat, jam incipit propinquare. Idem Apostolus ad Rom. 10. *Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Sed quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent sine praedicante? quomodo praedicabunt nisi mittantur?* Ubi hunc ordinem justificationis describit Apostolus, ut Primo fit missio praedicatorum. Secundo , ipsa praedicatio evangelii. Tertio, fides. Quarto , invocatio. Quinto, salus, idest, justificatio, quae est sanitas animae a morbo peccati. Ex quibus missio et praedicatio extra nos sunt, proinde prima inchoatio justificationis in nobis est fides quam sequitur invocatio, et caetera ordine suo.

S. etiam Joannes cum ait: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Joan. 1. aperte docuit, eos , qui per fidem Christum recipiunt , nondum esse filios Dei, sed posse fieri, si pergant ulterius, ut etiam sperare et diligere incipiant. Dilectio enim proprie filios Dei facit , ut patet ex cap. 2. 1. epistolae ejusdem Joannis. Sed jam audiamus etiam veteres Patres.

Clemens alexandrinus lib. 2. strom. ante medium: *Fides*, inquit, *est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, et spes et poenitentia.*

Cyrillus hierosolymitanus , catechesi 1. scribit, Fidem esse quasi oculum et lampadem ad viam salutis inveniendam.

Eusebius Emissenus, hom. 2. de symbolo,Fidem appellat lumen animae ostium vitae, fundamentum salutis.

S. Joannes chrysostomus hom. de fide, spe et charitate, nominat fidem, originem justitiae.

S. Cyrillus alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 9. *Janua*, inquit, *et via in vitam, fides erit.*

S. Ambrosius lib. de sacram. 1. in ipso principio: *In Christiano*, inquit, *prima est fides.*

S. Hieronymus in comment. ad cap. 3. episto-

lae ad Ephesios: *Fiduciae*, inquit, *atque accessus ad Deum principium, atque origo fides in Christo est.*

S. Augustinus, in expositione capitis tertii epistolae ad Galatas: *Efficiuntur*, inquit, *filii sapientiae, praeparante ac praestante in fide mediatoris.* Fides igitur praeparatio est ad justificationem, per quam efficimur filii Dei. Item in lib. de Praedestinat. sanctor. cap. 7. *Fides*, inquit, *prima datur ex qua caetera impetrantur.* Et in libro de bono perseverantiae cap. 2. *Quod initium*, inquit, *verius homini christiano, quam credere in Christum?* Et in libro de Spiritu et litera cap. 30. *Per legem*, inquit, *cognitio peccati, per fidem impetratio gratiae, per gratiam sanitas animae etc.* Ubi post legem, quae extra nos est, primo loco inter ea, quae in nobis sunt, constituit fidem, secundo orationem, tertio gratiam etc. Et in serm. 22. de verbis Apostoli: *Domus*, inquit, *Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Vides quomodo fides solum inchoat aedificium, et sine spe et charitate non perficit?

S. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 21. *Fides*, inquit, *est justitiae fundamentum, quam nulla bona opera praecedunt, et ex qua omnia procedunt.* Et respons. ad dubium octavum Genevensium: *Fides est*, inquit, *virtutum omnium fundamentum.*

S. Gregorius lib. 2. Moralium cap. 33. *Si fides*, inquit, *non prima in corde nostro gignitur, reliqua quaque esse bona non possunt.*

His testimoniis addi potest ratio naturalis, nam potest aliquis credere, quod non sperat neque diligit, non potest sperare aut diligere, quod non credit: igitur fundamentum spei et charitatis est fides, non contra fundamentum fidei spes, aut charitas. Rursus in corporalibus morbis initium salutis est credere se aegrotum et medico curare volenti fidem habere: non tamen sola illa fides est integra sanitas.

Secunda dispositio est Timor, quem quidem bonum esse ac salutarem ostendimus in 2. lib. de Poenitentia, cap. 17. et 18. Nunc adferemus solum ea loca, quae docent illum concurrere ad justificationem eo fere modo, quo fides ipsa concurrit.

Primum igitur: Fidem justificare didicimus ex Apostolo, qui ait: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11. Sed hoc idem dicitur de timore: Ecclesiastici. 1. *Qui sine timore est, non poterit justificari.*

Deinde: Fides justificat, quia est initium justitiae et salutis, ut paulo ante docuimus: *At timor Domini est initium sapientiae*, ut legimus psalm. 110. et Proverb. 1. Et per sapientiam intelligitur perfecta justificatio, quae totum hominem componit, ut sanctus Augustinus demonstrat in lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 9. per timorem autem istum, qui est initium sapientiae, intelligunt timorem servilem, qui est in peccatore (de quo timore hic disputamus) fere omnes Patres, ut sanctus Basilius, oratione in principium Proverbiorum. Sanctus Augustinus tum loco citato, tum tractat. 9. in epistolam Joannis. Sanctus Gregorius, homil. 19. in Ezechielem. Beda in comment. ad 1. cap. Prov. S. Bernardus hom. 23. in Cantica, et alii.

Praeterea: Fides justificat, quia per eam quaerimus Deum, atque ad eum accedimus, ut etiam adversarii docent, sed idem facit timor, scriptum est enim in psalm. 77. *Cum occideret eos quaerebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebat ad eum.* Et rursus in psalm. 82. *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine.* Et Jonae 3. Ad timorem incussum a Jona, rex et populus niniviticus ad Deum rediit. Ex quo loco intelligimus, quam procul aberret a vero Martinus Lutherus, qui in comment. ad 2. cap. ad Galat. dicit, Impossibile esse, ut peccator audiens ex lege judicium Dei, non fiat impatiens, et non murmuret, et oderit Deum. Et in assertion. articuli. 6. affirmat, peccatorem quandiu timore agitur, semper fieri deteriorem in se ipso, quamvis fortasse aliis minus noceat.

Adhaec: Fides justificat, quia per eam *formatur Christus in nobis*, ut dicitur ad Galat. 4. At de timore scribit Isaias cap. 26. secundum interpretationem 70. *A timore tuo concepimus et peperimus spiritum salutis.*

Rursus: Fides justificat, quia *justus ex fide vivit.* Habacuc 2. Et de timore scriptum est: *Timor Dominus fons vitae.* Proverb. 1.

Denique: Fides justificat, quia purgat peccata, ut Apostolus docet Actor. 13. Roman. 3. Galat. 3. et alibi. At de timore quoque legimus Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum.*

Neque desunt etiam in hac parte testimonia Patrum. S. Augustinus tractat 9. in epistolam Joannis: *Stimulat*, inquit, *timor, sed noli timere, intrat charitas, quae sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit. Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas: Timor medicamentum, charitas sanitas.* Idem in libro de catechizandis rudibus cap. 5. *Rarissime*, inquit, *accidit immo vero numquam ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.* At certe introducere charitatem, et compellere ad quaerendum lavacrum regenerationis, disponere ad justificationem est.

S. Basilius, in psal. 33. tractans illud: *Timorem Domini docebo vos. Timor*, inquit, *salutaris, qui ad sanctitatem ducit, et animae divinitus insitus qualis existat, si cupis audire, attende etc.*

S. Hieronymus in comment. ad 1. cap. Malachiae: *Vult*, inquit, *Dominus, ut a malis per supplicium formidinem recedamus, et de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus.*

S. Gregorius, hom. 34. in evangelia: *Prava*, inquit, *mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.*

Joannes Cassianus, lib. 4. de institutis renunciantium cap. 39. *Principium nostrae salutis, ejusdemque custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim et initium conversionis, et vitiorum purgatio, et virtutum custodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur.* His adde locum ante citatum ex Clemente alexandrino, qui post fidem subjungit timorem in negotio acquirendae salutis.

Accedat Postremo etiam ratio;natura enim timoris est, ut fugiat mala et quaerat remedia, quibus illa possit evadere. Hinc enim s. Joannes Baptista dicebat, Matth. 3.*Quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?* Et nos quotidie videmus,numquam esse homines de salute aeterna magis sollicitos, quam cum ingens aliquis timor,aut pestis,aut naufragii,aut tonitruum et coelestium fulminum ingruit.

Tertia dispositio Spes est,quae nascitur ex fide, non secus ac timor. Eadem enim fides,quae docet, Deum judicem esse justissimum, et vindicem peccatorum acerrimum, et ideo gehennam ignis inextinguibilis peccatoribus obstinatis,et impoenitentibus praeparasse, docet etiam eundem esse Patrem clementissimum, et nolle mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant; et ideo Filium suum in terras misisse,ac paratum esse propter merita Filii sui peccatores omnes in gratiam recipere, si poenitentiam agere, et ad se toto corde redire velint.

Hanc igitur spem obtinendae veniae, dispositionem esse ad justitiam et remissionem peccatorum, docet Sapiens, Proverb.28.*Qui sperat in Domino, sanabitur.* Et David in psal. 36. *Salvabit eos,quia speraverunt in eo.* Et ps. 90.*Quoniam in me speravit, liberabo eum.*Et Dominus,Matth. 9.*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Non enim (ut quidam falso docent) prius Dominus paralyticum justificavit, quam ei diceret, confide fili, sed contra (ut concilium tridentinum significat, sess. 6. cap. 6.) prius dixit, Confide fili, et cum eum erectum in spem salutis vidit, adjunxit, remittuntur tibi peccata tua.

S. Ambrosius, lib. 1. de poenitentia cap. 1. *Nemo potest bene agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.*

S. Augustinus, in lib. de catechizandis rudibus, cap. 4. *Quicquid narras,ita narra, ut ille cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet.*

S. Cyprianus,in serm.5.de lapsis: *Gravissimum conscientiae crimen agnoscite, nec desperantes misericordium Domini, nec tamen jam veniam vendicantes.* Quibus verbis satis aperte refelluntur adversarii,qui non prius resipiscere incipiunt,quam certo certius sibi persuadeant, se jam Deo carissimos et amicissimos esse factos. Et inter cherubim et seraphim locum, et sedem se habere confidunt.

Quarta dispositio, dilectio est. Statim enim ac incipit aliquis sperare ab alio beneficium, incipit etiam eundem diligere, ut benefactorem,atque auctorem ejus boni, quod sperat. Itaque qui sperat a Deo justificationem,incipit Deum diligere (ut concilium tridentinum loquitur) ut justitiae fontem.

Porro dilectionem aliquam priorem esse remissione peccatorum, vel tempore, si sit dilectio imperfecta, vel certe natura,si sit perfecta, et ex toto corde, atque ad eam disponere, docet in primis Ecclesiasticus cap.2. nam posteaquam dixerat:*Qui timetis Dominum, sperate in illo*, subjungit: *Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra.* Docet deinde etiam ipse Salvator, cum ait, Luc. 7. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Docet quoque Apostolus Paulus, cum scribit ad Galat. 5.*Neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per dilectionem operatur.* Docet item Apostolus Joannis, in epist. 1. cap. 3. dicens: *Translati sumus de morte ad vitam,quoniam diligimus fratres.* Docet denique concilium arausicanum. canon. ult. *Deus*,inquit, *fidem et amorem sui prius inspirat, ut sacramenta Baptismi fideliter requiramus.*

At objiciunt adversarii pauca quaedam argumenta, ut probent,dilectionem non posse priorem esse justificatione. Nam prius diligit nos Deus,quam nos diligamus Deum, ut sanctus Joannes affirmat in epistol. 1. cap. 4. Deus autem diligens justificat, quos diligit, quoniam dilectio ejus non est inanis, sed efficax.

Item, nemo diligit Deum, nisi Spiritum sanctum habeat inhabitantem, juxta illud Roman. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; At nemo Spiritum sanctum habet inhabitantem, nisi sit justus; igitur nemo diligit Deum, nisi justificatus.

Denique non potest aliquis Deum diligere, nisi credat eum sibi placatum.Iratum enim odit potius, quam diligit, at pax oritur ex justificatione facta per fidem, juxta illud Rom. 3. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.*

Respondeo ad Primum: Deus prior diligit nos,et diligendo facit justos, sed paulatim, et per certa media. Quos enim diligit, primum vocat ad fidem, tum spem et timorem et dilectionem inchoatam inspirat, postremo justificat et perfectam charitatem infundit.

Ad Secundum: Nemo diligit Deum ex toto corde et perfecte, ut ejus dilectio proprie charitas dici possit; nisi Spiritum sanctum inhabitantem habeat ut Apostolus scribit: tamen imperfecta et inchoata dilectio sine Spiritu sancto inhabitante haberi potest, quamvis non sine auxilio Dei speciali, ut ostendimus in lib. 5. de gratia et libero arbitrio.

Ad Tertium: Falsum est, non posse diligi Deum iratum; praesertim si quis credat, illum juste esse iratum, et tamen propensum esse ad clementiam. et speret brevi placandum. Aliud autem est pax, aliud dilectio, et fieri potest, ut quis diligat eum; quem laesit, et cum quo pacem inire cupit, quamvis nondum ei reconciliatus sit. Itaque recte dicit Apostolus, pacem ad Deum per justificationem acquiri; sed non negat, ante justificationem inchoari dilectionem.

Quinta dispositio est Poenitentia, dolor videlicet ac detestatio peccati, de qua multa extant in divinis literis testimonia. Sed nos ea solum adducemus, quae probant, per eam disponi homines ad justificationem et remissionem peccatorum. Tale est illud, Actor. 11.*Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ac vitam.* Et illud 2. Corinth. 7. *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Et illud Ezech. 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit.* Quid clarius dici poterat? Si poenitentia datur a Deo ad vitam, idest, ad obtinendam vitam; si dolor de peccatis,propter Deum susceptus, poenitentiam in salutem operatur; si is, qui poenitentiam agit, ipse animam suam vivificare

dicitur, quomodo fides sola justificat? Aut quomodo poenitentia non justificat? Sed de hac re satis multa diximus in 2. lib. de Poenitentia.

Sexta dispositio est Propositum, ac desiderium sacramenti re ipsa percipiendi. Nam cum scriptum sit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*,Joan. 3. et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. Qui jam didicit,necessariam medicinam ad curanda peccata, lavacrum esse Baptismi; et post Baptismum reconciliationis potestatem sacerdotibus a Christo esse concessam; certe non potest recte dispositus dici ad justificationem, nisi ejusmodi media ab ipso Domino instituta desideret ac requirat. Itaque s. Petrus, Actor. 2.utrumque conjunxit, cum ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.*

Septima dispositio est Propositum novae vitae et observationis omnium mandatorum, de qua Dominus loquitur, Ezech. 18. *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Scripsit de hac re librum integrum s. Augustinus,qui inscribitur de fide et operibus. Refellit enim quorundam errorem,qui docebant admittendos esse homines ad Baptismum, etiamsi vitam et mores emendare non vellent.

CAPUT XIV.

Fidem solam non justificare, probatur ex alio principio.

Venio nunc ad Alterum argumentum principale, quod hac ratiocinatione concludi potest, si fides a spe et dilectione, aliisque virtutibus separetur.sine dubitatione justificare non poterit; non igitur fides sola justificare potest.Consequutio hujus argumenti probatur hoc modo. Si tota vis justificandi esset in sola fide, ita ut caeterae virtutes,quamvis praesentes adessent, ad justificationem nihil omnino conferrent, ut adversarii docent, profecto fides ipsa tam justificaret illis praesentibus, quam absentibus.Igitur si absentibus illis justificare non potest, efficitur ut vis justificandi non sit in ipsa sola, sed partim in ipsa, partim in aliis.

Porro Antecedens ejusdem argumenti, propositio videlicet illa conditionata,si fides a spe et dilectione, aliisque virtutibus separetur, sine dubitatione justificare non poterit: hac ratione probatur; Fides ex doctrina adversariorum relative justificat, igitur posita fide in homine,in eodem puncto temporis ponitur et justitia: relativa enim simul ponuntur, et simul tolluntur, cum non possit unum esse, aut intelligi sine altero. Et hoc quidem adversarii libenter admittunt, quippe qui docent, per omne peccatum amitti fidem.

Rursus: Si fides sola justificat, quia relative justificat, non potest esse in animo hominis.quin simul in eodem sit etiam justitia, at sine dilectione non potest esse justitia, quoniam *qui non diligit, manet in morte*, 1. Joan. 2. Et ex Augustino, in lib. de natura et gratia cap.ult.*inchoata charitas, inchoata justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est.* Igitur fieri non potest, ut fides a dilectione sejuncta justificet. Ac per hoc non ipsa sola justificat, quoniam (ut probatum est) si sola justificaret, etiam ab omnibus aliis virtutibus sejuncta justificaret.

Praeterea: Si fides a virtutibus caeteris separata justificare posset, posset etiam id praestare cum vitiis,quae virtutibus illis contraria sunt;nam quemadmodum nihil prodest fidei, quod attinet ad officium justificandi, praesentia aliarum virtutum, quia ipsa sola justificat,ita nihil oberit ei, quod attinet ad officium justificandi, praesentia vitiorum, quia per accidens cum ea junguntur,sive vitia,sive virtutes, et ipsa sola justificat. At nulla ratione cogitari aut fingi potest, ut ille sit justus qui odit Deum et proximum, quique voluntatem gerit fornicandi, furandi, necandi, mentiendi,blasphemandi; esset enim justus is, qui non solum non est justus, sed etiam sceleratus et injustus. Igitur non potest fides, cum vitiis conjuncta, et a virtutibus omnibus disjuncta ita justificare, ut statim atque ipsa adest, et justificatio adsit. Id autem faceret, si sola ipsa justificaret, ut aperte probatum est,igitur non sola ipsa justificat, sed eget necessario ad officium justificandi non solum praesentia, sed etiam ope et efficientia timoris, spei, dilectionis, poenitentiae, aliarumque virtutum.

Respondebunt ad hoc argumentum, nos assumere aliquid impossibile, fidem videlicet esse posse solam. Id enim ipsi passim negant; sic enim Lutherus loquitur in commentar. ad cap. 15. Genes. *Scio, has virtutes esse insignia Dei dona, scio fidem sine his donis non existere. Sed nunc nobis quaestio est, quid cujusque proprium sit, tenes manu varia semina, non quaero ego quae quibus conjuncta sint,sed quae cujusque propria virtus sit. Hic aperte dico, qui faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit.Sola autem fides apprehendit remissionem, credit promittenti Deo, Deo porrigenti aliquid admovet manum et accipit, hoc proprium solius fidei est.* Et infra: *Scimus quod fides numquam est sola, sed adfert secum charitatem, et alia multiplicia dona, sed non ideo confundendae res, et quod solius fidei est, aliis tribuendum.*

Joannes Calvinus in antidoto concilii, ad canon. 11. sess. 6. *Sola*, inquit, *fides est, quae justificat, fides tamen, quae justificat, non est sola. Sicut calor solis solus est, qui terram calefacit, ipse tamen calor, non est solus in sole, sed cum splendore.* Idem docent Philippus, tum in locis, tum in apologia confess. Brentius in catechismo, Kemnitius in examin. concilii, et alii.

Sed haec responsio multis modis labefactari potest. Primo: Quoniam patriarcha Novatorum omnium Lutherus disertis verbis scripsit, in cap. 2. ad Galat. *Fides sine et ante charitatem justificat.* Et in disputatione, utrum opera faciant ad justificationem: *Fides nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat, immo non est fides.* Quae certe cum verbis paulo ante citatis, non bene cohaerent. Calvinus quoque summus propheta Genevensium, in antidoto ad canon. 28. sess. 6.

conc. trid. admittit, semen aliquod fidei manere inter gravissimos lapsus, atque id quantulumcumque est, particulam esse verae ac vivae fidei. At si particula verae et vivae fidei manet inter gravissimos lapsus, idest, cum mortiferis peccatis; quomodo non potest separari a charitate? Quomodo non potest esse sola? Quomodo facit esse justos eos, qui illo ipso tempore gravissime peccant?

Secundo: Quoniam nostrum argumentum non assumit, fidem esse posse solam; sed, si fides sola justificaret, id praestituram, etiamsi esset sola. Hac enim conditionata propositione concessa, quicquid sit de absoluta, ratiocinatio nostra manifeste, efficaciterque concludit. Conditionatam autem illam propositionem satis aperte paulo ante probavimus. Et confirmari potest similitudine solis, quam Calvinus adducit. Quamquam enim fieri nequeat, ut solis calor a splendore separetur, tamen si id fieret, nihilominus calor ille solis terram calefaceret, sicut etiam contra, splendor si a calore disjungeretur nihilominus illuminaret. Quid? quod (si s. Basilio credimus oratione in psalm. 33.) Ignis gehennae vim habet urendi, et omni splendore caret.

Tertio: Quoniam si verum esset, quod adversarii docent fidem numquam esse solam, ideo verum esset, quoniam ut ipsi dicunt, fides vera gignit, tamquam arbor bona fructus bonos, dilectionem aliasque virtutes. At hoc etiam concesso, fides est prior dilectione, aliisque virtutibus omnibus, si non tempore, certe natura. Nulla enim est caussa, quae non sit prior suo effectu, ac proinde quae non possit intelligi, sine suo effectu. Fides autem non potest esse, nec intelligi prior, ne natura quidem, ipsa justificatione, cum sint relativa, ut ipsi dicunt, Deus justificans, et fides justificationem accipiens; relativa enim simul omnino esse debent, ut ne intelligi quidem possit unum sine altero. Igitur fides prius, saltem natura, justificabit, et cum justitia conjuncta esse intelligetur, et quam dilectionem, aliasque virtutes attulerit. Proinde sequentur absurda, quae supra notavimus, ut homo sit justus et non justus, justificatus et sceleratus, vivens et mortuus, quia justus ex fide vivit, et tamen qui non diligit, manet in morte.

Quarto denique: Quoniam falsum est, quod ipsi dicunt, fidem veram non posse a virtutibus caeteris esse disjunctam, et cum peccatis vitiisque conjunctam. Quod in sequenti capite, ut omnis falsitati aditus praecludatur demonstrare aggrediar.

CAPUT XV.

Fidem veram posse re ipsa a dilectione, aliisque virtutibus separari.

Igitur fidem veram et christianam, quae per modum dispositionis justificat impium, posse a dilectione, aliisque virtutibus separari, his argumentis probatur.

Primo: De principibus Judaeorum ita scribitur, Joan. 12. *Verumtamen multi ex principibus, crediderunt in eum, sed non confitebantur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.* Hic evangelista testatur, in illis principibus fuisse fidem absque charitate.

Respondent adversarii, non habuisse principes illos veram fidem, sed tantum notitiam quandam Christi imperfectam. At si licet ita interpretari Scripturas, nihil unquam probari poterit.

Praeterea: In eodem capite saepe eadem phrasi utitur Scriptura, ubi tamen per id, quod est (credere in Christum) omnes intelligunt veram fidem: *Cogitaverunt*, inquit evangelista, *principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judaeis, et credebant in Jesum.* Et infra: *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiae impleretur, Domine quis credidit auditui nostro?* Quem locum Isaiae allegat etiam beatus Paulus ad Roman. 10. cum disserit de fide justificante. Et infra: *Dixit Jesus, qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Et rursus: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Cum igitur haec omnia loca de vera fide justificante intelligantur, cur non etiam ille, qui in eodem capite habetur, *Multi ex principibus crediderunt in eum?* Eadem enim sunt verba et eadem phrasis.

Adde Ultimo etiam commentarium s. Augustini, ut alios interim praetermittam. Nam tract. 53. in Joannem: *Videte*, inquit Augustinus, *quemadmodum notaverit evangelista, et improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit, qui in hoc ingressu fidei, si proficerent, amorem quoque humanae gloriae proficiendo superarent.* Quod si fides ista proficere poterat, et amorem humanae gloriae proficiendo superare, certe vera fides erat. Eadem enim est fides incipiens, proficiens et perfecta, sed non semper aeque magna. Alioqui si fides cum proficit non est eadem, quae antea erat; non illa profecit, sed alia nascente, ipsa defecit.

Idem etiam Augustinus, Tract. 54. in ipso initio, eundem locum evangelii tractans: *Quidam*, inquit, *crediderunt praedestinati in vitam aeternam, quidam vero non crediderunt. Eorum autem qui crediderunt, alii usque adeo confitebantur, ut palmarum ramis acceptis venienti occurrerent, in eadem laudis confessione laetantes. Alii vero ex principibus confiteri non audebant, ut de synagoga non ejicerentur.* Ubi s. Augustinus eandem fidem tribuit illis, qui confitebantur Jesum manifeste, et illis qui confiteri non audebant: neque dubitari potest, quin fides confitentium vera fides in Christum fuerit: erat igitur vera et non confitentium, sed in prioribus per dilectionem operabatur, in posterioribus sine dilectione otiabatur.

Alterum testimonium est apostoli Pauli, in priore ad Corinth. cap. 13. ubi sic loquitur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Respondent ad hunc locum duobus modis. Primo, Apostolum duxisse argumentum a conditione impossibili, ut ostenderet necessitatem dilectionis; quod probant ex principio capitis: *Si linguis hominum loquar et angelorum.* Secundo, loqui Apostolum de fide signorum, non de fide promissio-

num,quae sola est fides vera et justificans. At neutra responsio solida est; Primum enim, argumentum Apostoli non ducitur a conditione impossibili, sed ab hyperbole in sacris literis valde usitata.Sententia enim ejus loci est,Eloquentiam quamvis maximam, scientiam omnium rerum, fidem summam et certissimam, eleemosynas profusissimas, et omnia alia bona, sine charitate ad vitam aeternam consequendam minime prodesse. Ex quo sequitur, ut sicut eloquentia, scientia,eleemosynae sine charitate esse possunt, sed non prodesse, ita et fides sine charitate possit esse, non prodesse.

Deinde: Loquitur hoc loco Apostolus de fide, per quam miracula fiunt, ut patet ex illis verbis:*Si habuero omnem fidem,ita ut montes transferam.* Hanc autem fidem re ipsa separatam in quibusdam fuisse a charitate, testatur Dominus, Matthaei 7. cum ait: *Multi mihi dicent in illa die, Nonne in nomine tuo prophetavimus, et daemonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Quibus confitebor, quia numquam novi vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Non igitur Apostolus ducit argumentum ab impossibili, sed ab eo, quod aliquando factum est, et fieri solet.

Postremo: Si argumentum Apostoli ab impossibili duceretur, probaret saltem conditionatam illam propositionem,quam superiori capite ego probare institui. Nam si fides sine charitate esset,eam nihil profuturam Apostolus disertis verbis affirmat; ex quo evidenter efficitur, eam non justificare,nisi a charitate juvetur, ac per hoc non solum praesentia, sed etiam ope charitatis egere ad officium justificandi. Nam si charitatis ope non egeret, nulla esset caussa, cur absente charitate justificare non posset: quod si illa absente, justificare posset;falso pronunciasset Apostolus,si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.

Jam vero quod dicunt, Apostolum loqui de fide signorum, non de fide promissionum, facile refellitur. Nam fides signorum nihil aliud est, nisi ipsa vera fides christiana, sed excellens, ut supra probavimus ex ultimo capite Marci, ubi posteaquam dictum fuerat: *Qui crediderit, salvus erit*; Subjungitur: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur, etc.* Et ex cap. 11. ad Hebr. ubi de eadem fide dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum,extinxerunt impetum ignis etc.* Idem patet ex illo, Lucae 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis,dicetis huic arbori moro, eradicare, et transplantare in mare,et obediet vobis.* Nam hoc dixit Dominus respondens apostolis, qui petierant, adaugeri sibi fidem. Ostendit enim Dominus signum auctae fidei esse, si per eam miracula efficiantur. Quod etiam indicat Apostolus hoc loco, cum ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Illa enim particula (*omnem*) significat omnem gradum fidei, ita ut etiam ad magna miracula se extendat.

Denique illa conjunctio hujus fidei, cum spe et charitate, cum dicitur: *Nunc manent tria haec,fides, spes, charitas, major autem horum est charitas;* Apertissime declarat, eandem fidem esse, quae cum opus est montes transfert, et quae cum spe et charitate justificat. Adde huc etiam testimonium s. Augustini, lib. 15. de Trinitate cap. 18. ubi ex hoc loco Apostoli docet, fidem sine charitate esse posse, prodesse non posse.

Tertium testimonium est s. Jacobi, qui in epistola sua non solum docet, sed etiam probat, Fidem sine operibus non justificare,et tamen sine operibus inveniri posse. Sic enim ait, cap. 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit, fides salvare illum?*

Respondet Calvinus lib. 3. Instit. cap. 2. et cap. 17. Jacobum loqui non de vera fide, sed de umbra quadam fidei, hoc est, de inani quadam cognitione articulorum fidei. At nos probamus, eum loqui de vera fide, quae, si non desinit caetera quae requiruntur, omnino justificat. Primum enim Jacobus eam absolute fidem appellat. Quod nomen in sacris literis semper veram fidem significare solet.

Secundo: In eodem capite, ac de eadem fide loquens, dicit,fidem Abrahami cooperatam esse operibus ejus, et ex ipsis operibus consummatam. At certe fides Abrahami non umbra fidei, nec inanis articulorum notitia, sed fides verissima fuit.

Tertio: Ibidem Jacobus concludit: *Videtis quod ex operibus justificatur homo,et non ex fide tantum?* At umbra fidei nullo modo justificat,hic vero Apostolus fidem justificare concedit,sed non solam.

Quarto: Idem probatur ex duobus exemplis,quae s. Jacobus adfert, ut probet fidem sine operibus non justificare. Primum enim comparat hominem habentem fidem sine operibus ei, qui videns pauperes egentes cibo et vestibus contentus sit ea cognitione, et nihil eis eleemosynae largiatur. Sicut enim nihil prodest pauperibus, quod divites sciant eorum inopiam, etiamsi verissima sit ea cognitio, nisi secundum eam cognitionem necessaria illis praebeant; ita nihil prodest vera fides,nisi quis juxta eam vivere studuerit. Deinde, comparat fidem sine operibus corpori sine spiritu,quod certum est verum esse corpus licet mortuum.

Quinto: Accedant testimonia Patrum, qui semper hunc locum de vera fide intellexerunt. Vide Hieronymum in cap. 5. ad Galat. Chrysost. homil. 2. in Genes. et hom. 2. in epist. ad Philemon.Augustinum lib. 21. de Civ. Dei cap. 26. et lib. de unico Baptismo cap. 10. et Cyrillum lib. 10. Joan. cap. 18.

Sed objicit Calvinus, Primo: Apostolum dixisse: Quid proderit, si quis fidem habere se dicat, cum potius dicere debuisset; Quid proderit, si quis fidem habeat. Secundo: Quod explicuerit Jacobus, se loqui de fide essentiae Dei,non de fide benevolentiae, quae sola justificat, cum ait: *Tu credis, quia unus est Deus.* Tertio: Quod fides sine operibus comparata sit cum fide daemonum: quos constat fidem veram,et justificantem non habere.Quarto: Quod fidem sine operibus mortuam esse dixerit: quod enim mortuum est, non est.

Ad Primum Respondeo: Notasse Apostolum, jactantiam improborum, qui de sola fide gloriantur. Haec enim est sententia ejus loci. Si quis fidem habere se dicat, idest, si quis fide sola fretus, eam jactet, seque ea contentum esse affirmet, sciat ni-

hil sibi fidem hujusmodi profuturam. Quod enim Apostolus ea phrasi noluerit negare, fidem esse in iis, qui non operantur, perspicuum est ex verbis sequentibus: *Numquid fides poterit salvare illum?*

Ad Secundum: Fateor, s. Jacobum explicare voluisse fidem essentiae, non benevolentiae; non enim lutheranam fidem, sed catholicam docebat. Fidem autem benevolentiae solam justificare, in controversia est, proinde non debet assumi tamquam certum ab adversariis, nisi velint vitium illud disputando incurrere, quod vocatur petitio principii.

Ad Tertium: Fides hominum improborum partim convenit cum fide daemonum, partim ab ea dissidet. Convenit in eo, quod utraque est vera et recta fides ex parte objecti, et tamen utraque infructuosa. Et hoc modo comparat apostolus Jacobus fidem hominum improborum cum fide daemonum. Sanctus autem Augustinus in lib. de unico Baptismo cap. 10. usque adeo veram et catholicam esse docet daemonum fidem, ex parte objecti, ut eam comparet cum fide s. Petri, quam Dominus laudavit, Matth. 16. Differunt autem fides hominum malorum et daemonum, quod hominum fides libera est, captivante nimirum pia voluntate intellectum in obsequium Christi: fides vero daemonum est coacta et extorta ab ipsa rerum evidentia. Quod insinuavit idem Jacobus dicens: *Daemones credunt et contremiscunt.* Nos enim non credimus contremiscentes, idest, inviti et coacti, sed sponte ac libenter.

Ad Quartum: Fides dicitur mortua, non quomodo homo dicitur morluus, qui post mortem non est, sed quomodo corpus dicitur morluum, quod post mortem est, sed non vivit. Vita enim non est de essentia fidei, quemadmodum est de essentia hominis; sed per metaphoram dicitur fides viva cum operatur, mortua cum non operatur; sicut etiam aqua dicitur viva, quae continuo fluit, ut in fonte et fluviis; mortua, quae non movetur, ut in stagnis et paludibus: cum tamen utraque vere proprieque sit aqua.

Quartum argumentum sumitur ex illis testimoniis, quae docent in Ecclesia esse bonos et malos, ut Matth. 3. ubi ponitur similitudo palearum et tritici in eadem area. Matth. 13. ubi ponitur similitudo piscium bonorum et malorum in eodem reti. Matth. 22. ubi ponitur similitudo venientium ad nuptias sine veste nuptiali. Matth. 25. ubi ponitur similitudo virginum prudentium et fatuarum, et ovium atque hoedorum. Quoniam enim, qui sunt in Ecclesia, fideles sunt, si iidem mali esse possint, certe sequitur fidem, unde dicuntur fideles, cum peccato, unde dicuntur mali, posse esse conjunctam.

Respondebunt fortasse: Malos, qui sunt in Ecclesia, habere fidem, sed historicam, idest, notitiam articulorum, sed non fidem specialis benevolentiae. Sed facile hoc refellitur, nam in primis (ut saepe jam diximus) non debent assumere tamquam certum, id quod est in quaestione, idest, fidem benevolentiae solam esse veram fidem.

Deinde: Si omnes mali, qui sunt in Ecclesia, fide vera carerent, quaecumque illa sit: certe ob id potissimum reprehendi deberent, quod praeter alia peccata, exciderint a vera fide, at non reprehenduntur de amissione fidei, sed de omissione operum. Nam Matth. 22. reprehenditur, qui non habet vestem nuptialem, non alia de caussa, nisi quia vestem illam non habet. Illa autem vestis charitatem significabat, teste Hieronymo, Chrysostomo et aliis in eum locum, et Gregorio hom. 38.

Item Matth. 25. non reprehenduntur virgines fatuae, nisi quod oleum, idest, opera misericordiae non habuerint, ut in eum locum notat Chrysostomus, et in eodem cap. 25. non damnantur ii, qui ex grege dominico, a sinistris erunt, nisi propter mala opera, non autem propter carentiam fidei, ut admonet s. Augustinus, in lib. de fide et operibus cap. 15. Sanctus etiam Paulus, 1. Corinth. 5. Incestuosum quendam Corinthium, severe puniri jubet, nec tamen eum arguit infidelitatis, sed solius incestus, et s. Petrus Act. 5. non reprehendit Ananiam et Saphiram, et cap. 8. Simonem magum, propter infidelitatem, sed propter alia peccata. Itaque ex his et similibus locis satis aperte colligitur, fidem in peccatoribus esse posse.

Cur igitur (inquit Cathar.) *Concilium non excepit specialem revelationem, cum definivit, neminem esse, qui de sua gratia formidare non possit?* Responsio est in promptu, quia privilegia semper intelliguntur excepta. Concilium enim cum docet, neminem esse certum certitudine fidei sibi esse remissa peccata, loquitur de certitudine, quae habetur per media ordinaria, qualia sunt Scripturae, sacramenta, opera bona et alia id genus. Porro idem concilium disertissimis verbis damnat errorem enchiridii coloniensis, cum sic loquitur sess. 6. can. 13. *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et dispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.*

CAPUT IV.

Probatur testimoniis Salomonis incertitudo proprie gratiae, atque justitiae.

Sed jam ad argumenta veniamus, ac primum ad ea, quae ex testimoniis divinae Scripturae ducuntur. Primum testimonium habetur in variis locis Proverbiorum, Ecclesiastae et Ecclesiastici. Primus locus est in lib. Proverb. cap. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato.* Notat hoc loco venerabilis Beda in comment. recte Salomonem non dixisse, neminem esse mundum corde et purum a peccato, sed neminem posse dicere, mundum est cor meum, et, purus sum a peccato. Nam nisi possent homines per gratiam Dei mundum cor habere, non diceret David psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Neque in psalm. 118. *Beati immaculati in via.* Neque Dominus. Matth. 5. *Beati mundo corde.* Sed quoniam illi ipsi, qui mundi sunt, non possunt hoc certo scire, neque testimonium aliquod infallibile habent de sua justitia, ideo nemo potest gloriari ac dicere, mundum est cor meum.

Calvinus lib. 3. Institut. cap. 13. § 3. respondet, hoc dictum esse, quia nemo est in hac vita vere mundus; et ideo egent omnes Christi justitia imputata. At repugnant loca paulo ante citata:

Beati mundo corde. Et: *Beati immaculati in via.* Et: *Cor mundum crea in me Deus.* Et illud ad Ephes. 1. *Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.* Et cap. 5. *Mundans eam lavacro aquae.* Et ad Tit. 2. *Mundans sibi populum acceptabilem, etc.*

Catharinus respondet: In hebraeo esse; Quis potest dicere, mundavi cor meum? et purificavi me a peccato meo? proinde reprehendi hoc loco superbiam eorum, qui suis viribus existimabant se posse justificari, non autem praedicari incertitudinem propriae gratiae. Sed quamquam in hebraeo verba sint activae vocis, tamen sine dubio eum habent sensum, quem et 70. Interpretes, et sanctus Hieronymus reddiderunt. Nam apud Hebraeos constans erat fides, purgationem peccatorum a solo Deo fieri. Id enim significat Job, cum ait cap. 14. *Quis potest facere mundum de immundo, conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Unde et David a Deo petit, *Cor mundum crea in me Deus.* Et pharisaei, cum audiebant Christum dicentem: *Remittuntur tibi peccata tua*; dicere solebant, *hic blasphemat, quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Marc. 2. Luc. 5. et alibi. Itaque, mundavi cor meum, significat, mundum est cor meum, ut etiam Rabbini ipsi hunc locum enarrant.

Posset fortasse solidius responderi, Salomonem hoc dixisse propter peccata venialia. Sed haec solutio Primum nihil juvat Lutheranos, qui non distinguunt peccatum mortale a veniali. Deinde, non est probabile, Salomonem loqui de solis venialibus, quoniam sola venialia non impediunt, quo minus homines mundi et immaculati esse dicantur. Non enim peccatis venialibus carebant, de quibus dicitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Rectus igitur sensus eorum verborum est, ut nemo sit, qui quantumvis sibi conscius non videatur, esse peccatorum, non possit merito de sua justitia formidare.

Secundus locus est in lib. Ecclesiastae, cap. 9. *Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; Et tamen nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Addamus huic loco commentarium sancti Hieronymi, *Sensus*, inquit, *est, inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, et ambiguos fluctuare, utrum ad probationem sustineant, quae sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, et in vultu eorum sunt omnia, idest, antecedet eos, cum de hac vita discesserint, notitia istius rei. Quia tunc est judicium, et nunc certamen. Et quicumque adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Job, an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum.*

Ad hunc locum respondere nituntur, non solum haeretici, Bucerus, Calvinus, atque Kemnitius, sed etiam Ambrosius Catharinus. Quare ipsorum objectiones breviter refellendae erunt.

Primum igitur queritur Kemnitius, locum hunc esse depravatum, ad stabiliendum dogma de dubitatione fidei in justificatione. Nam ad verbum ex hebraeo sic reddi posset: *Et amorem et odium non sciens homo, omnia ante eos.*

Sed hoc facile refellitur. Nam cum editio vulgata antiquissima sit, non potuit depravari ad stabiliendum dogma, quod ipsi recens et Papistarum proprium esse dicunt. Vel certe fateri debent, sententiam nostram esse antiquissimam, et sanctum Hieronymum, qui Ecclesiastem vertit ex hebraeo, ut nos habemus in editione vulgata, egregium fuisse Papistam. Caeterum, versio sancti Hieronymi non reddidit quidem verbum verbo, sed sententiam fideliter et eleganter expressit, ac praesertim in Ecclesiaste, ut omnes eruditi fatentur, et si id Kemnitius neget, hoc ipso se imperitum linguae hebraicae et rationis interpretandi demonstrabit.

Secundo dicunt: Salomonem non absolute negare, posse hominem scire, sit ne dignus odio vel amore, sed negare, id posse cognosci ex eventis externis. Id vero probant, quoniam alioqui sequeretur, non posse homines manifeste impios scire, se dignos esse odio, non amore, quod absurdissimum est.

Sed facilis est responsio. Nam Salomon non loquitur, nisi de justis, ut verba illa declarant: *Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo* (justus videlicet) *utrum odio vel amore dignus sit.* Idem perspici potest ex commentario sancti Hieronymi supra citato, qui sic ait: *Inveni justorum opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse.*

Tertio objicit Calvinus lib. 3. Institut. cap. 2. § 38. verba quae locum citatum proxime consequuntur, *Eo quod universa, aeque eveniant justo et impio.* Haec enim ratio satis aperte ostendere videtur, loqui Salomonem de notitia, quae haberi potest ex eventu externo.

Respondeo: Non est necesse, ut ratio aeque late pateat, atque ipsa conclusio, quae ratione probanda est, Salomon igitur probare voluit, non posse homines justos certo cognoscere, utrum diligantur a Deo, id autem recte probat ex eo, quod si possent id certo cognoscere, maxime cognoscerent ex beneficiis Dei. At beneficia Dei communia sunt justis et impiis, et universa aeque eveniunt justo et impio. Deus enim ut suos in humilitate conservet, interdum sinit eos affligi, et rursus ne desperent, interdum eos mirifice consolatur. Et similiter impios nunc ut alliciat ad se, beneficiis temporalibus cumulat, nunc ut eosdem deterreat a peccatis, severe punit. Ita beneficia et flagella divina nec odii, nec amoris certa sunt indicia.

Falsam autem esse illam interpretationem; nesciunt an odio vel amore digni sint, idest, nesciunt id non absolute, sed ex praesenti rerum eventu, perspicuum est ex illis verbis proxime sequentibus: *Sed omnia in futurum servantur incerta.* Non enim post hanc vitam servatur nobis cognitio, an digni essemus odio vel amore, quantum ad signa praesentium eventuum, sed absolute. Nam si sciremus, nunc esse nos justos et dignos amore, quamvis non sciremus ex eventu praesenti, non esset verum, omnia in futurum incerta servari, neque nos de futuro solliciti essemus contenti cognitione praesenti.

Quarto objicit Calvinus similem locum ex cap. 3. ejusdem libri Ecclesiastae. Nam cum Salomon ait, non posse sciri quid intersit inter animam hominis et animam jumenti, cum utrumque similiter intereat; certe non significat ignorari absolute, utrum anima hominis sit immortalis, anima jumenti mortalis; sed non posse id colligi ex morte corporali, cum illa communis sit homini cum jumento.

Respondeo: Loquitur in eo cap. Salomon ex persona insipientium, qui omnia metiuntur praesenti voluptate, aut dolore, quique ex eo, quod cernunt homines et jumenta similiter interire, vix adduci possunt, ut credant, animam hominis esse immortalem: *Quis novit*, inquit, *utrum spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum?* idest, quotus quisque est ex vulgo hominum, qui intelligat aut cogitet spiritum hominis redire ad Deum, ut ab illo pro factis judicetur; spiritum autem jumentorum descendere deorsum, idest, resolvi in terram, unde sumptus erat. Ipsum enim Salomonem hoc non ignorasse, perspicuum est ex cap. 12. ubi disertis verbis dicit, spiritum hominis redire ad Deum, qui dedit illum: Quod si multi ob istam mortis communionem, quam cum jumentis habemus, ignorant id quod alioqui naturali ratione discere potuissent, quanto magis ignorabunt omnes homines statum gratiae, qui nisi ex divina revelatione cognosci non potest?

Quinto objicit Catharinus, posse exponi locum Salomonis, propositum de cognitione, quam habet homo, ut homo, non autem de ea, quam habet, ut est filius Dei. Neque enim scire potest homo, ut homo, idest, per solam ratiocinationem humanam, utrum dignus sit odio vel amore, sed tamen id scire potest ex testimonio spiritus, quem habemus in corde, si filii Dei sumus.

Respondeo: Potest quidem homo justus, si spiritus ei perspicue id revelare voluerit, scire, se dignum esse amore, non odio: tamen ordinarie spiritus id non revelat per manifestam notitiam, sed per experimenta quaedam et internas consolationes, quae non faciunt certam fidem, ut infra suo loco dicemus. Hoc autem loco Salomonem absolute loqui de incertitudine, quam habent justi, sive ut homines, sive ut filii Dei, de propria gratia, intelligi potest ex duobus, Primum ex illis verbis: *Sed omnia in futurum servantur incerta.* Deinde, ex intentione Salomonis, quae erat ostendere, unam ex miseriis hujus vitae, eamque non minimam esse, quod homines justi merito formidare possint, ne forte non sint vere justi. At si scirent, se vere esse justos, undecumque id scirent, non omnia in futurum servarentur incerta, neque miseriam illam experirentur, quam Salomon docet, justis omnibus esse communem.

Sexto: Idem Catharinus non dedignatur testimonium accipere a Rabbi Salomone, qui hunc locum ita exponit: *Nescit homo, idest, carnalis et peccator.* At Rabbi Salomon regi Salomoni manifeste repugnat. De justis enim, non de peccatoribus se loqui testatur, cum ait: *Sunt justorum opera in manu Dei, etc.* Deinde carnales et peccatores facile scire possunt, se odio esse dignos, non amore. Non enim tam difficile est cognoscere se peccatorem, quam cognoscere se justum, cum peccatum sit opus nostrum, justitia inhaerens et infusa, de qua loquimur, sit opus solius Dei, et quidem occultum et abditum valde. Denique mirum est, cur Catharinus velit nos homini Judaeo, et fabellarum architecto, potius fidem habere, quam sancto Hieronymo, Ecclesiae doctori, et non solum linguarum, sed etiam dogmatum peritissimo.

Ultimo objiciunt aliqui, quod hic locus a sancto Bernardo exponi soleat de incertitudine praedestinationis, ut in serm. 1. de septuagesima, et in serm. 2. in octava paschae, de verbis Joannis; *Tres sunt qui testimonium dant in coelo.*

Respondeo: Non pugnant inter se incertitudo justitiae praesentis, et incertitudo praedestinationis, immo ex una colligitur altera. Et ideo hic locus de utraque recte exponi potest.

Tertius locus est in libro Ecclesiastici, cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Hic locus mirifice pungit haereticos hujus temporis. Ipsi enim proprie illi sunt, qui ubi fide sibi visi sunt Christi justitiam apprehendisse, nullo deinceps metu tanguntur. Et quamvis adjiciant peccatum super peccatum, putant sibi salutem perire non posse, quia miseratio Domini magna est, et credentibus non imputat multitudinem peccatorum. Quos sane vanissimos judicat Ecclesiastes cap. 8. cum ait: *Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Sed et hoc vanissimum judico.*

Respondet ad hunc locum Kemnitius verba illa depravata esse a Papistis, cum ex graeco legendum esse constet *de propitiatione, non de propitiato.* Addit praeterea, locum istum pugnare contra carnalem securitatem eorum, qui spe misericordiae peccare non desinunt.

Sed inane est, quod queritur de corruptione verborum. Idem enim prorsus est sensus, sive dicas, de propitiato peccato, sive de propitiatione peccati. Non enim loquitur de propitiatione futura, sed praeterita. Nam de futura adjungit quae sequuntur: *Et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

Similis est hic locus illi, qui habetur cap. 21. *Fili peccasti, ne adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Ubi duplicem sollicitudinem injungit. Unam pro futuris; Alteram pro praeteritis. Sic igitur et hoc loco Primum admonet, ut de propitiato peccato, sive de propitiatione peccati, quam quis existimat se accepisse, non sit absque metu, sed adhuc sollicite oret, ut sibi dimittatur. Deinde, ut caveat in futurum. et non adjiciat peccatum super peccatum spe facilis indulgentiae.

Sed, si daremus, loqui Ecclesiasticum de propitiatione futura, adhuc error adversariorum non difficulter everteretur. Nam ideo de propitiatione futura non possumus esse securi, quia nescimus, an habebimus spatium poenitentiae. Quod explicat idem Ecclesiasticus. cum ait: *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim veniet ira illius.* Proinde requiritur ad

obtinendam indulgentiam aliquid etiam ex parte nostra, nimirum seria conversio et poenitentia. Quis autem potest certus esse, praesertim ex fide divina, se veram habere conversionem et poenitentiam?

Itaque loquitur quidem Ecclesiasticus contra carnalem securitatem, sed eam securitatem non solum constituit in eo, quod aliqui spe misericordiae adjiciunt peccatum super peccatum: sed etiam in eo, quod aliqui non precantur pro pristinis,ut sibi dimittantur, sed certo credunt, sibi esse remissa, ob id solum, quia credunt sibi esse remissa;et cum Luthero auctore carnalis securitatis, dicunt,se non posse perdere salutem suam, etiamsi velint, modo nolint credere.

CAPUT V.

Idem probatur testimonio, et exemplo Job, Davidis et Pauli.

Secundo loco petemus argumentum a testimonio et exemplo trium perfectissimorum hominum, Job, Davidis et Pauli. Nam si viri isti tam insignes,quorum Unus dicebat,*Non reprehendit me cor meum, in omni vita mea.* Alius: *In innocentia mea ingressus sum.* Tertius: *Nihil mihi conscius sum;* non audebant sibi certitudinem propriae gratiae arrogare. quis erit ille, qui de propria justitia non formidet?

Igitur sanctus Job, cap. 9. *Si venerit,* inquit,*ad me, non videbo eum: Si abierit, non intelligam.* Item; *Si justificare me voluero,os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et infra: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et cap. 31. *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Dominus? Et cum quaesierit, quid respondebo illi?*

Addamus ad haec loca comment. sancti Gregorii lib. 9. Moralium, cap. 17. et 19. *Quid de aliis loquar, qui ipse pro me testimonium ferre non valeo?* Et infra: *Si subtili,* inquit, *discussione nos requirimus,plerumque inter vitia virtutesque caligamus.* Et infra: *Conditoris contra me judicia, qua temeritate redarguo,qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro?* Et infra: *Sed justorum corda, quia ad perfectam se examinare nequeunt: aegre hoc exilium caecitatis ferunt. Unde et bene subditur,* et *taedebit me vitae meae. Taedet justum vivere, quia et operando vitam non desinit quaerere: et tamen ejusdem vitae suae meritum non valet invenire.*

Ad hunc locum Catharinus respondet, sanctum Job non ignorasse, justum se esse,cum in toto hoc libro, contra amicos suos disputando, defendat:sed noluisse jactare justitiam suam, nec sibi aliquid superbe arrogare. At sancti humiles esse debent, sed non mendaces. Proinde si Job certus fuisset, certitudine fidei, de sua justitia,non potuisset sine mendacio, vel etiam sine perfidia dubitationem illam ostendere: *Si simplex fuero,hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et: *Verebar omnia opera mea, etc.* Neque enim sine peccato dubitare, vel dubitationem ostendere possumus in iis rebus, quas fide tenemus. In toto autem libro sanctus Job asserit quidem innocentiam suam, quia nullius criminis sibi conscius erat, et docet,se non puniri tam graviter propter scelera sua, ut amici ejus existimabant: sed non dicit, se certo scire se justum esse in oculis Dei: immo formidare se affirmat, sicut vere formidabat, ne forte de se ipso aliud esset judicium suum, aliud judicium Dei.

Jam vero sanctus David in psalm. 18. *Delicta quis intelligit?* inquit, *et ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.* Sanctus Hieronymus lib. 1. et 2. adversus Pelagianos, et sanctus Bernardus in epist. 42. sententiam hujus loci esse volunt, neminem esse justorum, qui plene intelligat, careat ne peccatis, an non. Et quamvis hic locus interdum exponi soleat de peccatis venialibus; tamen probabilius est extendi ad omnia, cum sententia sit generalis, et nihil sequatur absurdi,si generaliter exponatur. Praeterea distinctio peccati mortalis et venialis nihil adversarios nostros Lutheranos et Calvinistas juvat, qui omnia peccata mortalia esse contendunt.

Quod autem Catharinus dicit, ab Augustino et Hieronymo hunc locum exponi de peccatoribus, qui dum in tenebris sunt, peccata sua videre non possunt: non infirmat argumentum nostrum. Loquuntur enim sancti illi Patres de visione peccati, utili ad ea curanda,neque enim dicere volunt,peccatores non intelligere, homicidium et adulterium, et similia, quae ab illis committuntur, esse peccata; Sed indicare volunt, peccata non videri a peccatoribus, quia non cogitant peccatores quam magna sint illa mala, et quam graviter per ea ipsi laedantur, quod tamen cognoscere incipiunt, cum a Domino convertuntur, et ideo quasi tunc primum ea vidissent magno horrore concutiuntur,et de eorum curatione magno studio satagunt. Haec autem doctrina, quae verissima est, nihil impedit, quo minus justissimi quique dicant: *Ab occultis meis munda me,Domine,* meluentes videlicet, ne forte hoc ipso peccatores sint et excaecati,quod peccata non vident. Nam David sanctus erat, et tamen dicebat; *Ab occultis meis munda me Domine:* et ipse etiam s. Augustinus conc. 2. in hunc psalmum, pro se, et universo populo dicit: *Ab occultis meis munda me, Domine.*

Sed jam ad Apostolum veniamus. In epist. priore ad Corinth. cap. 4. *Nihil,* inquit, *mihi conscius sum,sed non in hoc justificatus sum.* Propositum Apostoli erat deterrere Corinthios a judiciis temerariis, quibus unus alium aut justum, aut peccatorem judicat.Ostendit autem judicium de nostra justitia Deo esse relinquendum, cum ne nos quidem ipsi nos plene cognoscamus: *Mihi,* inquit, *pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die,* idest, non magnifacio aliena judicia de me, quia non ignoro, quam sint incerta: sed neque me ipsum judico, idest, nec meo judicio fidere audeo, quoniam etiamsi nihil mihi conscius sim, tamen non in hoc justificatus sum, idest, non ideo justus

sum, quia bonam conscientiam habeo. Fortasse enim Deus videt in conscientia mea id, quod ego ibi non video: *Qui autem judicat me, Dominus est*, idest, solus Deus est verus judex, ille solus omnia novit, et tunc vere justum me putabo, cum Dominus me justum esse pronunciabit: *Nolite itaque ante tempus judicare, quousque veniat Dominus, qui revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.*

Ad hoc testimonium alio atque alio modo respondent Lutherani et Catharinus. Lutherus in assertione articuli decimiquarti, Calvinus lib. 3. Institutionum, cap. 17. § 14. Petrus martyr in commentario hujus loci, et Kemnitius in examine concilii dicunt, Apostolum significare potuisse, se contra maledictos et obtrectatores, innocentiam suam testari, tamen coram Deo se non esse justum ex ulla virtute, aut qualitate, aut opere bono, sed ex sola Dei misericordia, quae propter Christum peccata credentibus non imputat.

Haec expositio Primum absurda esse convincitur, ex illis verbis: *Nihil mihi conscius sum:* Nam Vel significant illa verba; Non agnosco in me ulla peccata, quasi re vera in me existentia et inhaerentia; Vel significant; Video mea peccata per misericordiam Dei tecta, et ideo existimo, non esse amplius mea, quamvis in me sint, et vivant: Si dixerint Primum, falsum erit Apostolum non fuisse justum coram Deo, ex ulla virtute et qualitate. Quomodo enim non est justus ex interiori puritate et virtute, si re vera nullum in eo peccatum inhaeret? vel si vere peccata in illo inhaerebant, immo omnia ejus opera, juxta doctrinam Lutheranorum, erant peccata mortalia, falso dixit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum*, et contra potius dicere debuit, Multa mala mihi conscius sum, quoniam omnia mea opera sunt ex se peccata mortalia. Si dixerint Secundum, falsum erit illud: *Non in hoc justificatus sum.* Nam si beatus Paulus nihil sibi conscius erat, quia peccata non imputari sibi, et per non imputationem tecta esse credebat, certe per hoc ipsum justificabatur ex sententia Lutheranorum. Quomodo igitur opponit illud: *Nihil mihi conscius*, illi, *Sed non in hoc justificatus sum?* debuisset igitur dicere, Multa bona opera, et multas bonas qualitates, et virtutes me habere, mihi conscius sum, sed non propter eas, sed propter solam Dei misericordiam justificatus sum.

Respondebunt fortasse, illud, *Nihil mihi conscius sum*, hunc habere sensum, non agnosco in me ulla ex illis criminibus, quae humano judicio damnari solent, tamen non ideo justificatus sum, quoniam illa ipsa opera, quae videntur bona, in me peccata sunt. At haec responsio refellitur ex illis verbis: *Sed neque me ipsum judico.* Apostolus enim cum dicit: *Nihil enim mihi conscius sum*, non reddit caussam, cur non timeat externa judicia, sed cur non audeat ipse se judicare. *Sed neque*, inquit, *me ipsum judico, nihil enim mihi conscius sum etc.* non igitur loquitur de criminibus, quae externo judicio damnari solent, sed de peccatis, quae ipse ad suum internum tribunal adducere posset. Potuisset autem ipse se facile judicare, si vera esset sententia Lutheranorum, facile enim cognosceret opera sua per se esse mala, sed a Deo non imputari.

Praeterea tota haec haereticorum expositio repugnat scopo, sive proposito Apostoli. Nam ut ante diximus, cupiebat deterrere Corinthios a judicio temerario, et ideo ait: *Nolite ante tempus judicare.* Et: *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer.* Et: *Neque me ipsum judico.* Et: *Qui judicat me, Dominus est.* Ad hoc autem propositum nihil pertinet illa ratio, non justificor ex virtutibus, aut qualitatibus meis, sed ex Dei misericordia non imputante peccata: multum autem pertinet illa: ita incerta sunt humana judicia, ut nemo possit etiam ipse se, nedum alios judicare, quod attinet ad justitiam et peccata.

Postremo, repugnat ista Lutheranorum expositio, communi Patrum interpretationi, qui omnes ex hoc loco colligunt incertitudinem gratiae.

Sanctus Ambrosius (vel quicumque est auctor commentariorum illorum) hunc locum enarrans, *Humiliat*, inquit, *se, et loquitur ut homo, qui possit peccatum incurrere nescius.*

S. Joannes chrysostomus in hunc eundem locum: *Non Corinthios*, inquit, *tantum, sed seipsum quoque hoc privat judicio, quod cognitione sua majus testatur.* Et infra: *Qua ratione*, inquit, *si res meas non satis exploratas habeo, aliena potero judicare?*

Sanctus Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos: *Qui hoc*, inquit, *dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat, sed quia legerat: Delicta quis intelligit, idcirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset.*

Sanctus Augustinus in psalm. 41. tractans illud: *Abyssus abyssum invocat*, dicit omnes sanctos, quantumvis proficiant, adhuc esse abyssum, quoniam non se ipsi noverunt, et adducit hunc locum Apostoli: *Quanta*, inquit, *abyssus sit, audite, tantam profunditatem credit esse in homine, quae lateat ipsum hominem, in quo est; cum enim dixisset: Nihil mihi conscius sum, adjecit, sed non in hoc justificatus sum?*

Sanctus Bernardus in epist. 42. ad Henricum Senonensem archiepiscopum, *Cum Apostolus* inquit, *diceret: Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die, adjecit, Sed neque me ipsum judico. Quare? non possum, ait, ratam de me proferre sententiam. Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum. Non ex toto corde credo me vel ipsi conscientiae meae; quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum. Neque potest judicare de toto, qui totum non audit. Qui autem judicat me, Dominus est; Dominus, inquit, cujus utique scientiam non fugit, sententiam non subterfugit. etiam quod propriam latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse, qui cogitat.*

Vide quae citavimus cap. 7. et praeterea Theophylactum, sanctum Anselmum, sanctum Thomam, et alios hujus loci interpretes, qui omnes in eandem sententiam manifeste conveniunt.

Jam vero Ambrosius Catharinus in commentario hujus loci, ne sententiam suam de certitudine gra-

tiae, ex tam aperto Apostoli testimonio refutari posse concederet, ita hunc locum exponi voluit, *Nihil mihi conscius sum*, idest, ego quidem scio me justum et innocentem esse, *tamen non in hoc justificatus sum*, hoc est, sed non propterea justus coram hominibus, qui justitiam meam internam videre non possunt; *Qui autem judicat me, Dominus est*, idest, Deus ipse in extremo judicio, me justum esse coram aliis omnibus declarabit.

Haec expositio Primum refellitur: Quia est nova et contraria Patribus paulo ante citatis.

Secundo: Quia non bene cohaeret cum verbis illis, *Sed neque me ipsum judico*. Hujus enim sententiae caussam reddit cum ait, *Nihil enim mihi conscius sum, etc.* Quae est autem ista connexio, Ego me ipsum non judico, quia scio me esse justum, sed non ideo justus sum apud homines?

Tertio: Quia repugnat scopo et proposito Apostoli, ut ostendimus.

Quarto: Quia concilium tridentinum session. 6. cap. 16. hunc locum intelligendum esse docuit, juxta communem Patrum sententiam, de certitudine gratiae: *Unusquisque*, inquit, *sicut misericordiam et benignitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare, quoniam omnis hominum vita, non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.*

CAPUT VI.

Idem probatur ex variis locis prophetarum et apostolorum.

Eadem veritas probari potest testimoniis prophetarum et apostolorum, quae vel requirunt ex parte nostra varias conditiones, ut justificemur, vel indicant incertum esse, an qui agit poenitentiam, consequatur remissionem, vel admonent, ut non simus nimium securi, quasi certi sumus de justitia jam adepta.

Primi generis sunt haec testimonia, Deuteron. 4. *Cum quaesieris ibi Dominum* (nimirum post varia peccata) *invenies eum, si tamen in toto corde quaesieris eum, et in tota tribulatione animae tuae.* 2. Paralip. 6. *Si peccaverint tibi, et iratus fueris etc.* Et infra; *Si conversi fuerint ad te in toto corde suo, et in tota anima sua, tu exaudies de coelo, et dimittes populo tuo.* Isaiae. 1. *Quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite justitiam etc. et venite et arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur, et si fuerint rubra sicut vermiculus, sicut lana alba erunt.* Ezech. 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet etc.* Joan. 13. *Vos amici mei eritis, si feceritis, quae ego precipio vobis.* Luc. 13. *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Act. 8. *Si credit in toto corde, licet.*

Haec et similia testimonia manifeste significant requiri aliquid in nobis, ut justificemur. Neque adversarii hoc negare possunt, qui tametsi dicant, remissionem non pendere a conditione operum, neque poenitentiam, aut fidem, aut ullum actum nostrum, esse caussam aut meritum justificationis, tamen non negant, requiri fidem, et poenitentiam, et fidem vivam, et poenitentiam seriam, et sine his neminem justificari. At nemo certus esse potest, praesertim certitudine fidei, se toto corde conversum esse ad Dominum, et fidem ac poenitentiam habere, qualis requiritur, cum in nulla Scriptura testimonium ejusmodi inveniatur de fide et poenitia nostra in particulari: igitur nemo certus esse potest, certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Haec plane theologica demonstratio est, de qua satis multa diximus in lib. 1. ubi probavimus, non esse veram fidem illam, qua quis credit, sibi remissa esse peccata.

Secundi generis sunt haec testimonia, Daniel. 4. *Forsan ignoscet Deus delictis tuis;* Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro etc.* Et paulo post: *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus.* Jonae 3. Idem habetur, *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus.* Act. 8. *Poenitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi.* Haec et similia, quae significant incertitudinem remissionis, non faciunt dubias promissiones Dei, quibus promisit vere poenitentibus indulgentiam, illae enim certissimae sunt; sed respiciunt incertitudinem nostrae dispositionis. Undecumque autem veniat incertitudo, semper probant haec testimonia non debere hominem ita esse securum, ut non semper a Deo petat seriam poenitentiam et peccati remissionem.

Sic exponit sanctus Hieronymus illud Jonae. 3. *Ideo*, inquit, *ambiguum ponitur, et incertum, ut dum homines dubii sunt de salute, fortius agant poenitentiam, et magis ad misericordiam provocent Deum.* Huc etiam pertinere docet s. Augustinus illud psalm. 50. *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.* Ubi etiam allegat locum Jonae; *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus. Incertum est*, inquit, *cum dicitur, quis scit. De incerto poenitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt.*

Tertii generis sunt haec testimonia, Prover. 2. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* 2. ad Corinth. 10. *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* At certe si quis certitudine fidei sciret, se justum esse, posset utique se commendare, et probatus esset, quia sine dubio minime falleretur. Ad Philip. 2. *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* 1. Petr. 1. *In timore incolatus vestri tempore conversamini.* 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* At si per bona opera certitudo vocationis quaerenda est, certe etiam justificationis. Nam *quos vocavit, hos et justificavit:* ad Rom. 8. Quod si certitudo justificationis ex bonis operibus pendet: non igitur certus est homo de sua justificatione, mox atque justificatus est. Rursus, non igitur, ex sola fide pendet certitudo justificationi. Denique, non igitur certa est justificatio nostra certitudine fidei, quae infallibis est, sed certitudine ope-

rum, quae conjecturalis atque imperfecta certitudo est.

CAPUT VII.

Idem probatur testimoniis sanctorum Patrum.

Adferemus nunc testimonia veterum Patrum, ad rem eandem comprobandam.

S. Ambrosius serm. 3. in psalm. 118. tractans illud, *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum*, sic loquitur: *Sui volebat auferri opprobrium, quod suspicatus est, vel quia cogitaverat in corde, et non fecerat, et poenitentia licet abolitum, suspectus tamen erat, ne forte adhuc maneret ejus opprobrium, et ideo Deum precatur, ut illud auferat, quia solus novit, quod nescire potest etiam ipse qui fecit.* Et addit testimonium Apostoli : *Nihil mihi conscius sum etc.*

S. Basilius in constituit. monasticis, cap. 2. *Multa*, inquit, *peccantes, plurima neque intelligimus. Quapropter dicit Apostolus, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, hoc est, multa pecco, et non intelligo.*

S. Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos : *Sunt*, inquit, *justi, ad quos pervenit quasi opus impiorum; et sunt impii, ad quos pervenit quasi opus justorum. Hoc idcirco dicitur, quia certum judicium solius Dei est.* Idem lib. 3. in Hieremiam, exponens cap. 13. *Homo*, inquit, *videt in facie, Deus in corde, et quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.*

Sanctus Joannes chrysostomus, hom. 87. in Joannem, sanctum Petrum, sic loquentem inducit; *Propterea contristatus sum, ne forte me amare arbitratus, non amem ut ante, cum me fortem et constantem putarem, imbecillis inventus sum.* Et homil. 11. in priorem ad Corinth. *Multis de caussis incertum est*, inquit, *nostrum judicium, una, quod multa opera nostra nos lateant etc.*

Sanctus Augustinus in psalm. 41. tractans illud: *Ad me ipsum anima mea turbata est ; Novi*, inquit, *quia justitia Dei mei manet, utrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus, dicens; Qui se putat stare, videat ne cadat.* Idem serm. 23. de verbis Domini : *Fortasse*, inquit, *tu nihil invenis in conscientia tua, invenit ille, qui melius videt.* Idem homil. 35. *Quandiu*, inquit, *vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus, non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus.* Idem in psalm. 50. super illud : *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi; Quae occulta*, inquit, *et quae incerta? quia Deus ignoscit et talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum.* Idem in libro de perfectione justitiae, post medium: *Quantalibet*, inquit, *justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum.*

Theodoretus in comment. ad cap. 4. prioris ad Corinth. enarrans illud: *Nihil mihi conscius sum, Non me*, inquit, *a peccato immunem pronuncia-bo, sed Dei sententiam expectabo. Saepe enim evenit, ut etiam ignorantes peccent, aequum et justum esse existiment, sed hoc aliter videt universorum Deus.*

Sanctus Gregorius lib. 6. epist. 22. ad Gregoriam, Augustae cubiculariam : *Quod vero*, inquit, *dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quo ad usque scribam, mihi revelatum esse, quia peccata tua dimissa sunt: rem et difficilem etiam et inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat. Inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitae tuae ultimo, plangere eadem peccata minime valebis. Quae dies, quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.*

Sanctus Beda in comment. ad cap. 20. Proverb. *Potest*, inquit, *hic versus, et de electis accipi, Qui habent aliquando latentia in mente mala, quae ab aliis videri non possunt hominibus, quae tamen ipse Dominus cernit.* Et infra : *Sunt*, inquit, *multi mundo corde, et juxta humanae possibilitatis modum, puri a peccato, nec tamen se ipse quisquam mundicordem et immunem a peccato absque temeritate pronunciaverit.*

Sanctus Bernardus serm. 3. de adventu : *Accedit*, inquit, *ad sollicitudinis cumulum et pondus timoris, quod cum et meam, et proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota, utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est, et nihilominus exigitur a me utriusque custodia.* Idem in epist. 107. *De qua tamen*, inquit, *percepta suimet ex parte notitia, interim quidem gloriatur in spe, nondum tamen in securitate.* Idem serm. 2. in octava paschae : *Novit Dominus, qui sunt ejus, quis vero scit hominum si est dignus amore, an odio?* Idem serm. 1. de septuagesima : *Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? si quis haec inquam dicere potest reclamante Scriptura, nescit homo, si dignus sit amore an odio? certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur.*

His accedat Innocentius III. papa doctissimus, qui cap. ult. de purgatione canonica, scribit, juramentum cujusdam hominis, qui jurare paratus erat se a certis criminibus immunem esse, quae per poenitentiam sibi dimissa fuisse credebat, esse juramentum temerarium et indiscretum, eo quod nemo scire possit, an, ut oportet, egerit poenitentiam ac per hoc an ad veram pervenerit indulgentiam.

CAPUT VIII.

Idem probatur rationibus variis.

Praeter testimonia Scripturarum et Patrum, non desunt etiam egregiae rationes, quibus haec veritas comprobetur. Probabimus igitur ratione Primum: non posse haberi certitudinem fidei de propria justitia. Secundo : Neminem teneri ad illam

habendam, etiamsi forte possent haberi. Tertio : Non expedire, ut ordinarie habeatur. Quarto Reipsa non haberi, nisi a paucis, quibus a Deo specialiter justificatio propria revelatur.

Prima ratio: Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediate contineatur in verbo Dei; aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur: Fides enim non est, nisi verbi divini auctoritate nitatur. Neque de hoc principio vel catholici, vel haeretici dubitant. At in verbo Dei non continetur immediate particularis ista propositio ; Talis vel talis homo vere justificatus est, exceptis enim paucissimis, ut Magdalena, et quodam paralytico, qui ab ipso Christo audierunt, *Remittuntur tibi peccata tua* : Caeteris homines in sacris literis, ne nominantur quidem. Universales autem promissiones, conditiones suas requirere, ut singulis applicentur, jam supra in 1. lib. demonstravimus. Oportet igitur ut ex verbo Dei, per evidentem consequentiam id colligat, quisquis eam certitudinem habere se jactat. Id autem fieri non posse probamus hoc modo.

Ratiocinatio, qua quis certitudinem fidei de sua justitia ex verbo Dei concluderet, haec esse deberet. Verbum Dei testatur, omnes vere conversos ad Deum, et poenitentiam serio agentes peccatorum, indulgentiam et gratiam obtinere: Mihi autem evidens est mea vera conversio et poenitentia; igitur mihi certum est, certitudine fidei, me indulgentiam et gratiam accepisse.

Hujus argumenti assumptionem dico non solum falsam, sed etiam impossibilem esse, nisi adsit revelatio, nam In primis *pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognoscet illud* ? inquit Hierem. cap. 17. Deinde videmus reipsa multos falli, qui se putant habere quod non habent. Certe b. Petrus, cum dicebat, *Tecum paratus sum in carcerem et in mortem ire ;* paratum se esse credebat mortem subire pro Christo ; et tamen vere paratus non erat, ut eventus ostendit. Et apostolus Paulus, cum in Christianos fureret, magna se Dei charitate flagrare arbitrabatur, et tamen ex ignorantia fallebatur. Et quis est, qui certus sit, se non laborare ignorantia aliqua non probabili, sed crassa et ex ea peccandi affectum gerere,quem ipse non videat ? Denique, nulla sunt clariora signa verae conversionis et gratiae jam adeptae, quam opera charitatis, et praesertim, si quis animam pro Deo ponat: at hoc ipsum potest esse signum fallax, cum Apostolus dicat prima ad Corinth. 13. posse hominem sine vera charitate Dei consumere in cibos pauperum omnes facultates suas, et tradere corpus suum ita ut ardeat. Et reipsa interdum videmus, haereticos pro defensione perfidiae suae mortem libenter oppetere, qui se Deum ardentissime amare non dubitant, cum tamen ne micam quidem verae charitatis habeant.

Dicent fortasse adversarii , non requiri talem conversionem, sufficere solam fidem. At hoc jam saepe refutatum est, praesertim cum ipsi quoque Lutherani veram fidem a charitate et poenitentia separari non posse contendant. Sed fortasse Catharinus respondebit, non exigi necessario perfectam conversionem et poenitentiam, nisi extra sacramentum, cum sacramento autem sufficere, ut quis obicem non ponat. At neque potest quis certus esse certitudine fidei, se non ponere obicem, cum possit ex ignorantia crassa gerere affectum ad peccatum, neque potest certus esse certitudine fidei, se percipere verum sacramentum, cum sacramentum sine intentione ministri non conficiatur, et intentionem alterius nemo videre possit. Nec ignoro quid de intentione, in sacramentis conficiendis, sentiat Catharinus; sed ejus sententia definitioni ecclesiasticae contraria esse convincitur, ut alibi demonstravimus.

Secunda ratio erit ad probandum : Neminem teneri certo credere certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Nam ejusmodi articulus in nullo symbolo fidei continetur. Et ejusmodi praeceptum in nullo canone ecclesiastico reperitur. Percurrantur symbola, apostolicum, nicaenum, constantinopolitanum, Athanasii, nusquam reperietur talis articulus, *Credo me esse justum*. Quod autem in symbolo apostolico dicitur: *Credo remissionem peccatorum*, significat in Ecclesia dari Baptismum in remissionem peccatorum, ut explicatur in symbolo constantinopolitano.

Porro in conciliis ecclesiasticis non solum non habetur tale praeceptum fidei, sed habetur etiam expresse contrarium in concilio tridentino, sess. 6. can. 13. idest, non teneri homines ad credendum, sibi remissa esse peccata.

Adde quod ei ejusmodi articulum fidei haberemus, sequeretur, omnem hominem, qui peccat, quocumque genere peccati mortalis, continuo fieri haereticum, atque ita nullum esse peccatorem,qui non simul esset haereticus, neque enim potest,qui voluntarie peccat, credere, se justum esse, nisi falsum, dedita opera, credere velit. At certe inauditum est, in Ecclesia nullum esse peccatorem, qui non sit haereticus. Et praeterea cum omnes haeretici ab Ecclesia separentur, et foris sint, sequeretur,nullum peccatorem in Ecclesia esse posse, quae fuit haeresis Donatistarum, et ab Augustino et caeteris Patribus ex evangelio manifeste refutata est.Quid enim sunt grana et paleae in eadem area, boni et mali pisces in eodem reti, oves et hoedi in eodem ovili,nisi justi et peccatores in eadem Ecclesia? Viderint igitur Lutherani, qui per omne peccatum fidem justificantem, idest, veram fidem excuti dicunt, quomodo se ab haeresi Donatistarum expediant, et quomodo non aperte cum ipso evangelio pugnent.

Tertia ratio probabit: Non expedire ut homines habeant ordinarie certitudinem de propria gratia. *Nam* (ut sanctus Augustinus ait in lib. de corrept. et gratia, cap. 13.) *in hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Unde etiam s. Gregorius scribit lib. 9.Moralium cap. 17. *Si scimus nos gratiam habere, superbimus.* Et ipse Dominus Luc. 18. per parabolam pharisaei et publicani ostendit, eos, qui se justos esse confidunt, facile se caeteris anteponere, eosque despicere: *Non sum*, ajunt, *sicut caeteri hominum, velut etiam hic publicanus.* Contra autem ignoratio hujus secreti humilitatem conservat, et auget, facit enim ut se fideles superiores invi-

cem arbitrentur, et unus alium honore praeveniat.

Dices: Si ita est, cur Deus aliquibus justificationem propriam revelat? Quoniam sicut speciali hoc favore dignos illos judicat, ita etiam praevidet, sic in humilitate et charitate radicatos esse, ut non sit illis ab hac elatione periculum, quod tamen infirmioribus et imbecillioribus facile imminere posse cognoscit.

Quarta ratio docebit: Reipsa fidelibus, ejusmodi certitudinem non adesse. Nam in primis quibusdam singulari beneficio revelatum esse constat, ipsis remissa fuisse peccata. Id enim testatur de sancto Antonio magnus Athanasius in ejus vita; de sancta Galla s. Gregorius in lib. 4. dialogorum, cap. 13. de sancto Francisco, sanctus Bonaventura in ejus vita, cap. 3. nec desunt alia ejusdem generis exempla. Quorsum autem Deus id certis hominibus revelaret, quasi speciali praerogativa, si fidelibus omnibus esset notitia ista communis?

Deinde non minus constat, alios quosdam, alioqui perfectissimos, in obitu suo propter hoc incertum non mediocriter trepidasse. Refert s. Hieronymus, b. Hilarium in morte dixisse: *Egredere anima mea, quid times? egredere, quid trepidas? Septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times?* Similia exempla trepidantium sanctissimorum Patrum recenset Joan. Climacus. At certe si viri etiam sanctissimi propter incertitudinem gratiae, et abyssum judiciorum Dei trepidant, quomodo credibile erit, omnibus fidelibus certitudinem adesse de propria gratia atque justitia?

Denique idem apertissime probat experientia hujus temporis haereticorum. Nam cum omnes omnino hanc certitudinem jactent; tamen ipsorum sententia falluntur plurimi, nostra autem, omnes. Neque pertinet ad rem, quod dicit Kemnitius, falli Sacramentarios, et Anabaptistas, et alios, praeter suae sectae homines, quoniam illi errant contra fundamentum fidei. Hoc, inquam, ad rem non facit; nam si per fundamentum fidei intelligatur fides in mediatorem Christum, non descendendo ad particulares articulos, tenent illi quoque fundamentum. Sin autem per fundamentum intelligantur omnia dogmata fidei, quae in Scripturis habentur, errant quidem illi contra fundamentum, ut etiam errat ipse Kemnitius; tamen isti errores sunt in fide historica, non in fide justificante, omnes enim eodem prorsus modo credunt. se justos esse propter Christi merita imputata, et easdem promissiones fide amplectuntur. Unde igitur fit, ut illi fallantur, et non isti? *Quoniam* (inquit Bucerus) *in illis ista certitudo non est ex motu Spiritus sancti.* At hoc ipsum est, quod quaerimus, cur non sit ex motu Spiritus sancti, si fidem justificantem habent.

Dicent, eos non habere fidem justificantem, quia fides justificans, cum errore conjuncta esse non potest. At experientia docet, fidem quam ipsi justificantem esse definiunt, cum errore facile permanere. Nam Anabaptistae et Sacramentarii, quos Lutherani errare contendunt, firmiter credunt, sibi propter Christum, fide apprehensum, remissa esse peccata.

Deinde: Quo certo indicio Lutherani docebunt, Anabaptistas et Sacramentarios errare, se autem non errare, cum omnes jactent Scripturas, et non sit apud eos ullum commune judicium, quo ipsorum controversiae dirimi queant?

Denique undecumque accidat, ut fallantur Anabaptistae et Sacramentarii, judicio Lutheranorum, et contra Lutherani, judicio Anabaptistarum et Sacramentariorum, nos evidenter concludimus, atque hoc potissimum urgemus, maximam partem eorum, qui hanc certitudinem jactant, ipsis etiam testibus, sine dubio decipi.

CAPUT IX.

Solvuntur argumenta adversariorum, ex testimoniis Scripturarum deprompta.

Quoniam testimonia Scripturarum quae Calvinus, Kemnitius et Catharinus adducunt, plurima sunt, ut saltem multitudine testimoniorum speciem aliquam probabilitatis efficiant, nos illa omnia secundum ordinem Scripturarum proponemus et refellemus.

Primum igitur testimonium Catharinus profert ex cap. 17. Luc. *Cum feceritis haec omnia, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* At hoc quomodo potest quis dicere, nisi certo sciat, se fecisse omnia quae praecepta sunt? qui autem certo scit, se omnia mandata complesse, certo quoque scit, se diligere Deum, et diligi a Deo, et justum esse; *Qui enim diligit me, sermones meos servabit.* Et: *Qui diligit me diligetur a Patre meo*, Dominus ait. Et: *Qui facit justitiam, justus est*, inquit Joannes.

Respondeo: Absit ut Christus eo loco nos hortetur, ut dicamus vel existimemus, nos fecisse omnia quae praecepta sunt nobis. Id enim esset ad jactantiam et superbiam exhortari; cum contra potius ad humilitatem nos eo loco salvator informet. Sententia igitur Domini est, ut cum bona fide fecerimus, quae praecepta sunt nobis, ita ut cor nostrum nos non reprehendat, non inde superbiamus, sed dicamus, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

Secundum testimonium profert ex cap. 3. Joan. *Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* At quis auderet venire ad lucem, idest, ad Christum justitiae solem, et opera sua dijudicanda proferre, nisi certo sciret, illa esse vere bona? Respondeo: Sententia hujus loci est, hanc esse naturam operum malorum, ut quaerant latebras, quoniam reprehensionem timent, contra vero naturam esse operum bonorum, ut si opus sit proferri in lucem, non erubescant, nec timeant reprehendi. Ex hac autem generali, verissimaque doctrina non debet colligi, eundem nobis esse ad Christum, ut apud eum praedicemus opera nostra. Neque etiam colligi debet, omnes qui ad Christum libenter accedunt esse perfecte justificatos. Multi enim ad illum accedunt, ut justificentur, juxta illud, *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. 11. sed colligi debet id quod ipse Christus in eo loco colligit, qui ejus consortium

fugiebant, ut pharisaeos et scribas, hoc ipso fuisse homines malos, fugiebant enim Christi consortium, quia timebant reprehensionem; qui autem ad eum accedebant, ut publicanos et peccatores, vel etiam veros Israëlitas, in quibus dolus non erat, ut Nathanaëlem et Nicodemum, hoc ipso fuisse bonos, vel voluisse fieri bonos, et denique bonam fuisse illam voluntatem, qua Christum quaerebant.

Quod si peccatores ad Christum accedere poterant, et hoc ipso veritatem faciebant, et veniebant ad lucem, nec timebant manifestari opera sua, idest, desiderium et voluntatem suam, quam habebant recuperandae salutis: multo magis possunt, qui non sunt sibi conscii peccatorum,sincero corde ad Christum accedere, non ut jactent opera sua, sed ut ab eo illuminentur et proficiant, si boni sunt, vel corrigantur, si forte boni sibi videntur et non sunt.

Tertium testimonium profert ex illo Joan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quanto igitur magis poterit unusquisque cognoscere,se vere discipulum fuisse Christi, si dilectionem proximi habere se videat?
Hoc testimonium concilium tridentinum citavit, vel potius suum fecit sess. 6. cap. 11. Ideo respondet Kemnitius, Augustinum fuisse vexatum a Pelagianis ista quaestione, essent ne Dei praecepta possibilia, et ad cavendam invidiam abstinuisse a voce impossibilitatis, interdum etiam concessisse esse possibilia, sed sine praejudicio veritatis. Nam in libro de perfectione justitiae resp. 16. dicit Augustinus, non esse quaestionem, an possit homo vitare omnia peccata, sed quando, et per quem. Potest enim vitare, sed in alia vita, non in ista et per gratiam, non per naturam, quod est idem, ac si dixisset, legem esse possibilem, sed in coelo, non in terris, post mortem non in vita. Item in lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 7. dicit, gratiam Dei dedisse homini studium praecepta servandi, et eandem gratiam ignoscere, si quid minus fit. Quibus verbis videtur s. Augustinus dicere voluisse, mandata non esse impossibilia, non quod impleri possint, sed quia quod non impletur, indulgetur.

At Kemnitius confundit more suo duas quaestiones, Utrum praecepta servari possint, et an possit homo vivere absque peccato. Istae enim quaestiones adeo diversae sunt, ut ad priorem semper Augustinus responderit affirmando, ad posteriorem responderit semper negando. Peccata enim venialia non sunt contra, sed praeter mandata, et etiamsi essent contra mandata, non tamen necesse est, ut in quolibet opere peccatum veniale admisceatur. Itaque sanctus Augustinus constanter docet, non posse hominem in hac vita cavere omnia peccata venialia, lib. de natura et gratia, cap. 34. de spiritu et litera, cap. ult. lib. 1. ad Bonifacium contra duas epist. Pelagianorum, cap. 14. in epist. 89. et 93. et in toto libro de perfectione justitiae.

Atque hoc modo intelligitur, quod objicit Kem-

nitius ex libro de perfectione justitiae, non enim Augustinus dicit, mandata servari posse in coelo, non in terra, sed in coelo non in terra habituros nos eam perfectionem, ut vivamus omnino absque peccato, etiam veniali. Immo in altero loco nobis objecto, idest, in lib. 3. ad Bonifacium, cap. 7. cum Pelagiani colligerent ex sententia Augustini id, quod nunc Kemnitius colligit, legem videlicet in coelo impleri posse, non in terra, respondit Augustinus, valde illos errare, praecepta enim ad hanc vitam, non ad aliam pertinere: *Hic*, inquit, *praecipitur nobis, ut diligamus, ibi autem diligere non obedientia, sed felicitas erit.*

Quod autem ibidem subjungit, gratiam Dei praebere studium ad implenda mandata, et indulgentiam, si quid minus impletur, non arguit praecepta esse impossibilia, seu hominem non esse impeccabilem. Sensus enim eorum verborum est, ex gratia Dei hominem habere, ut velit, et studeat implere mandata. Quod si forte aliquando labatur et non impleat, ex gratia item indulgentiam esse sperandam.

Jam vero quod s. Augustinus ad priorem quaestionem semper respondeat affirmando, haec loca testantur. Lib. de natura et gratia cap. 69. *Eo ipso quo firmissime creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus, Omnia quippe facilia fiunt charitati, cui uni Christi sarcina levis est.* Lib. 2. de peccat. merit. et remiss. cap. 3. *Non praecipere t Deus aliquid, quod esset humanae impossibile voluntati.* Et in eodem lib. cap. 6. *Dubitare non possum nec Deum aliquid impossibile homini praecepisse, nec Deo ad opitulandum et adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse.* Lib. de gratia et libero arbitrio cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri. quis hoc nescit?* In psal. 56. *Non imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret.*

CAPUT XIII.

Legem Dei non esse impossibilem, probatur rationibus.

Accedant postremo etiam rationes. Prima ratio, potest homo facere plus quam Deus praecipiat, igitur multo magis potest implere praeceptum. Posse autem fieri plus quam Deus praecipiat, testatur Dominus Matth. 19. qui posteaquam dixerat: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, et quidam responderat, *haec omnia servavi a juventute mea*; Rursus eidem ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, etc.*

Testatur quoque s. Joannes chrysostomus loco citato hom. 8. de poenitentia: *Multi*, inquit, *et ipsa superant mandata.*

Testatur denique s. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: *Non grande onus impositum est virginibus, major amor imposuit majus onus, tamquam dicerent, quid jubes? ne adulterae simus hoc praecipis? amando te plus facimus, quam praecipis.*

Secunda ratio: Si praecepta essent impossibilia, neminem obligarent, ac per hoc praecepta non essent praecepta. Neque enim fingi potest, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitare non potest. Quod si non peccat, qui legis transgressionem vitare non potest, profecto nec legem transgreditur, nec legem ullam habet. Non enim fieri potest, ut legis transgressio non sit peccatum, cum nihil sit aliud peccatum, nisi transgressio legis.

Tertia: Si lex Domini esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliorem et stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo solvere posset, et leges ferret, quas sciret a nemine observandas. Quod vero Philippus et Kemnitius dicunt, non esse audiendam politicam justitiam, quae docet, nihil praecipi posse aut debere, quod servari non possit, fortasse locum haberet, nisi huic justitiae politicae; vel potius rectae rationi Scripturarum et Patrum testimonia consentanea non haberemus. At cum politica in hac parte mirifice cum divinae Scripturae auctoritate consentiat, quid ni rationem politicam potius, quam Lutheri delirationem audiamus.

Quarta ratio: *Christus passus est, ut justificatio legis impleretur in nobis*, ut dicitur ad Roman. 8. Item docuit nos orare: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*, Matth. 6. ubi petimus gratiam implendi praecepta, ut exponunt s. Cyprianus in sermone de oratione dominica. Et s. Augustinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 7. Denique Christus *factus est omnibus obedientibus sibi caussa salutis aeternae*, Hebr. 5. At si lex impleri non potest, Christus non obtinuit quod voluit, frustra nos oramus quotidie, et nemo omnino salvari poterit. Nam si lex impleri non potest, justificatio legis numquam impletur in nobis, etiamsi Christus venerit in similitudinem carnis peccati, et de peccato, idest, victima pro peccato, damnaverit peccatum, nec fit unquam Dei voluntas in terra, sicut in coelo, etiamsi Christo magistro freti hanc orationem assidue frequentemus, nec unquam vere obedimus Christo ac per hoc nulli nostrum erit caussa salutis aeternae.

Quinta ratio: Omnes vere justificati Spiritum sanctum habent, ut Scripturae passim testantur, Rom. 5. et 8. 1. Corinthios 3. Galatas 3. Titum 3. et alibi: At Spiritus sanctus fructus suos parit, qui numeratur ad Galat. 5. *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Qui vero hos fructus habet, non accusatur a lege, quippe qui eam non praevaricatur, sed implet. Idem enim significat quod in eodem loco subjungitur, *adversus hujusmodi non est lex.* Non enim lex habet, in quo accuset eos, qui sunt praediti charitate, patientia, etc. et ideo paulo ante dixerat idem Apostolus: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et ad Roman. 8. *Lex spiritu vitae liberavit me a lege peccati et mortis.* Quia videlicet lex in corde scripta, idest, Spiritus sanctus in corde diffusus facit implendo legem, ut lex non accuset amplius, neque occidat, ut praevaricatores: ergo de primo ad ultimum, qui est justificatus, pro-

pter Spiritum, quem accipit, legem omnino implet et si non implet, nec spiritum accepit, nec vere justificatus est.

Sexta ratio: Omnes justificati ex Deo nati sunt ut perspicuum est ex plurimis locis divinae Scripturae, Joan. 1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.* 1. Petr. 2. *Quasi modo geniti infantes.* Jacobi 1. *Genuit nos verbo veritatis.* 1. Joan. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est.* Roman. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus* Abba Pater. *At qui natus est ex Deo, non peccat, nec potest peccare, quia ex Deo natus est,* ut habetur 1. Joan. 3. qui autem non peccat, non praevaricatur, sed implet legem, qui enim legem non implet, hoc ipso praevaricatur et peccat. Igitur omnis, qui vere justificatus est, implet legem, nec potest fieri, ut justificatus maneat, et legem non impleat. Quare qui legem impossibilem esse dicunt, contra Scripturarum apertissima testimonia, hominem justificatum ex Deo natum esse negare coguntur.

CAPUT XIV.

Solvuntur objectiones haereticorum.

Superest ut argumenta haereticorum breviter dissolvamus.

Primo objiciunt Calvinus in antidoto, et Kemnitius in examin. illud s. Petri Actor. 15. *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.* Haec enim verba dicuntur fidelibus, non infidelibus, ne forte respondeatur, legem esse jugum importabile sine gratia et non renatis, non autem renatis, et qui gratiam Dei habent. Praeterea intelligi debent haec verba de omni lege, tam caeremoniali, quam morali, tum quia solae caeremoniae legis non superant vires humanas, tum quia particula adversativa *sed* opponit gratiam legi simpliciter, tum quia si caeremonialis lex jugum est importabile, quanto magis lex moralis jugum erit importabile?

Respondeo: Non loquitur s. Petrus nisi de lege caeremoniali. Id quod evidenter probo, Primum ex occasione illorum verborum. Scribit enim s. Lucas, surrexisse quosdam ex discipulis, qui dicerent, oportere gentiles conversos ad fidem circumcidi, et Moysis legem omnino servare: atque istam fuisse caussam, cur apostoli concilium coëgerint, ut viderent de verbo hoc. Perspicuum est igitur, de circumcisione aliisque id genus caeremoniis apostolum Petrum esse loquutum.

Secundo: Idem probatur ex decreto illis concilii, quod juxta Petri sententiam constitutum fuit. Sic enim habet decretum: *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, a sanguine, suffocato et fornicatione.* Quaero igitur, utrum ista dicantur sola necessaria ex lege caeremoniali Judaeorum, an ex omni lege simpliciter. Si ex lege caeremoniali Judaeorum, habemus quod volumus. Si ex omni lege simpliciter, id sequetur absurdi, ut non sit necessarium Christiano non colere idola, non moechari, non furari, non occidere, non falsum testimonium dicere, et alia, de quibus Apostolus ait 1. Corinth. 6. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Dicent fortasse, necessaria quidem esse haec omnia, sed non inde homines justificari. At num ex illis quatuor, quae sola dicuntur necessaria, homines justificantur?

Tertio: Probari potest res eadem ex ipsa summa decreti, et verborum Petri. Volunt enim Petrus et apostoli caeteri removere jugum legis a cervicibus discipulorum. Quid vero est removere jugum legis? tollere ne obligationem, atque abrogare legem an tollere opinionem justificationis, ac docere, neminem per eam legem justificari? Si dixerint, removere jugum, esse tollere obligationem, ergo nulla jam amplius lex obligabit Christianos, excepta lege de immolatis simulachrorum, sanguine, suffocato et fornicatione, si per legem intelligatur lex omnis non solum caeremonialis, sed etiam moralis. Atqui hoc absurdissimum esse neque ipsi quidem adversarii negare audebunt. Si dixerint tollere jugum, non esse tollere obligationem, sed opinionem tantum justificationis, ergo lex caeremonialis de circumcisione, sabbathis, neomeniis, sacrificiis pecorum non erit sublata, quoad obligationem.

Atqui id repugnat Apostolo, qui ad Galatas 5. scribit: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Cogimur igitur dicere, apostolos jugum importabile appellasse legem caeremonialem, atque ejus obligationem declarasse per Christum omnino esse sublatam. Voluisse tamen eosdem apostolos paucas quasdam caeremonias de sanguine, suffocato et immolatis idolorum a gentibus ad tempus observari, quibus adjunxerunt continentiam a fornicatione, quod fornicatio apud gentiles non haberetur pro peccato, sicut habebatur adulterium, homicidium, perjurium et alia id genus.

Ad illud igitur quod objiciunt, caeremonias legis non superare vires humanas praesertim addita gratia Dei, Respondeo: Verum esse, et ideo Zachariam et Elisabetham ambulasse in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela, sed tamen dici jugum importabile, quoniam aegre ac difficulter portabatur, ut recte exponit s. Thomas in 2. sentent. dist. 28. quaest. unica, art. 4. ad 3. et Nicolaus Lyranus in hunc locum Actorum. Et Theophylactus exponens illud Matth. 23. et Luc. 11. *Alligant onera gravia et importabilia in humeros hominum.*

Ad illud autem, quod adversativa particula, *sed per gratiam Dei etc.* videatur opponere gratiam legi simpliciter, Respondeo: S. Petrum duas rationes indicasse, cur non essent obligandi Christiani ad caeremonias legis. Unam, quod eae caeremoniae essent jugum gravissimum.

Alteram, quod essent inutiles ad justificationem. Itaque sensus hic est verborum s. Petri, Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare

potuimus? praesertim cum non per eas caeremonias, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credamus salvari, sicut et illi salvati sunt: ubi in illa particula adversativa includitur, sive implicite continetur altera illa ratio de inutilitate caeremoniarum.

Ad illud quod lex moralis sit gravior caeremoniali, ac proinde justius dicenda sit jugum importabile, quam caeremonialis, Respondeo: Legem caeremonialem non debere comparari cum morali praecise, sed conferri debere legem caeremonialem adjunctam morali, cum ipsa morali remota caeremoniali. Non enim lex caeremonialis dicitur jugum importabile,quia sola ipsa sit importabilis, sed quoniam adjuncta legi morali, auget vehementer onus, et fit jugum fere importabile homini jam onerato lege morali.Quare lex moralis,remota caeremoniali Judaica, non est jugum importabile habenti gratiam Dei, sed jugum suave et onus leve; et lex caeremonialis Judaica, adjuncta morali, jugum est gravissimum, ita ut importabile dici possit. Quamvis enim per gratiam Dei portatum fuerit a nonnullis, tamen recte dicuntur etiam illi portare non potuisse, quod non sine magno labore et sudore portarunt.

Secunda objectio Calvini ejusmodi est, Paulus ad Galat. 3. pro confesso assumit legem esse impossibilem, cum dicit: *Qui ex operibus legis sunt sub maledicto sunt. Scriptum est enim, maledictus omnis qui non permanserit in omnibus,quae scripta sunt in libro legis hujus.* Ubi hoc argumentum texit Apostolus, Maledictus est qui non servat totam legem, ut Moyses dicit: *Maledictus omnis qui non permanet etc.* igitur qui ex operibus legis sunt, idest,qui justificari volunt implendo legem, maledicti sunt. Quae consequutio nulla est, nisi subintelligatur assumptio ista. Atqui nullus legem totam servare potest. Sic igitur argumentum integrum conficiendum erit, Maledictus omnis, qui totam legem non servat; Nemo potest legem totam servare; igitur maledictus omnis qui ex operibus legis est, idest, qui ut legi subjectus ex ipsius observatione justificari quaerit.

Respondeo: Assumptio necessaria, ut argumentatio Apostoli concludat, quod ipse intendit, non est illa: Atqui nemo totam legem servare potest, sed ista: Atqui nemo suis viribus, sine fide et gratia servare potest totam legem. Illud quoque: *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, non significat, eos esse maledictos, qui legem implendo justificari quaerunt, cum dicat idem Apostolus ad Rom. 2. *Factores legis justificabuntur*; sed significat,maledictos esse eos, qui suis viribus sine fide et gratia legem implere, et justificari se posse credunt. Nam paulo ante dixerat, eos qui ex fide sunt, benedicendos esse cum fideli Abrahamo, quia scriptum est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Inde opponens fidei opera sine fide, subjungit: *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*

Itaque argumentum apostolicum est hoc:Maledictus est omnis qui non servat totam legem, At nemo potest suis viribus, sine fide et gratia totam legem servare, igitur maledicti sunt omnes illi, qui ex operibus legis sunt, idest, qui suis viribus, sine fide et gratia totam legem servare, et eo modo justificari quaerunt.Atque hinc intelligimus id quod sequitur: *Christus nos liberavit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Non significare, ut adversarii credunt, nos liberatos a lege per non imputationem praevaricationis, sed (ut nos saepe diximus) nos liberatos a maledicto, quia per Christi fidem et gratiam legem implere possumus et implemus.

Dicet aliquis: Apostolus Paulus loquitur eo loco de lege circumcisionis, non de lege morali, ut nos etiam supra diximus cum ageremus de libertate christiana: legem autem circumcisionis omnino tollendam, vel sublatam esse contendit: non igitur maledictos eos esse dicit, qui legem non serviant ex fide et gratia, sed qui eam quomodocumque servare volunt.

Respondeo: Beatus Paulus in epistola ad Galatas, ut etiam in epistola ad Romanos, duos errores Judaizantium, quorum unus est ratio alterius, refellit, Unus error eorum erat, servandam esse legem circumcisionis, atque aliarum id genus caeremoniarum.

Alter error erat,ideo servandam esse legem circumcisionis,quoniam observatio legis esset necessaria praeparatio ad fidem et gratiam Christi, et ideo possent et deberent omnes servare legem, et justificari, ut digni essent evangelio et promissis Christi. Apostolus igitur contra priorem errorem , dicit legem caeremonialem fuisse quasi paedagogum, et ad tempus impositam, non esse amplius servandam, et hoc diximus cum ageremus de libertate christiana. Contra posteriorem errorem,qui perniciosior erat, Apostolus dicit, ex operibus legis sine fide nullam posse esse justitiam, et alioqui Christum gratis mortuum esse,et in hac disputatione contra posteriorem errorem loquitur de omni lege, non solum caeremoniali, sed etiam morali. Nulla enim lex est, quae sine fide et gratia justificare possit.

Tertia objectio sumitur ex illis verbis Apostoli ad Roman. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.*

Respondeo:Loquitur Apostolus de actu concupiscendi, quem saepe sentimus, quando etiam non consentimus.Quamvis enim non sit peccatum sentire carnalem concupiscentiam, et non consentire, tamen nollet homo castus eam sentire, et in partem infelicitatis suae ponit, quod cogatur etiam nolens, carne servire legi peccati.Hinc igitur Apostolus dicit: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Et: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vide Augustinum tract. 41. in Joan. lib. 6. in Julian. cap.11. et lib. 1. ad Bonifacium cap. 10.

Quarta objectio: Nemo potest vitare omnia peccata, cum scriptum sit Jacobi 2.*In multis offendimus omnes.* Et 1. Joan.1.*Si dixerimus quia peccatum non habemus,nos ipsos seducimus.* At qui legem omnem impleret, nullum haberet omnino peccatum: igitur fieri non potest, ut lex omnis a nobis, etiam cum fide et gratia, impleatur.

Respondeo: Ab hoc argumento,quod valde Kem-

nitius urget, non tam facile se expediunt qui concedunt, peccatum veniale esse proprie contra legem, ut Vega lib. 11. in concilium cap. 20. coguntur enim dicere, legem non esse impossibilem, non quod tota simul servari possit, sed quod servari possit major ejus pars, et a meliori parte fiat denominatio. Sed videndum est illis, quid respondeant apostolo Jacobo dicenti: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Solida igitur responsio est: Peccata venialia, sine quibus non vivimus, non esse peccata simpliciter, sed imperfecte, et secundum quid, neque esse contra legem, sed praeter legem, ut s. Thomas recte docet in 1. 2. quaest. 88. art. 1. hinc enim omnia cohaerent. Nam qui offendit in uno, praevaricans videlicet unum praeceptum, factus est omnium reus, et injustus simpliciter constituitur, et tamen in multis offendimus omnes, quin tametsi nihil facimus contra legem, tamen multa facimus praeter legem. Et qui natus est ex Deo non peccat, transgrediendo legem, et tamen si dixerimus, quia peccatum non habemus, nihil videlicet praeter legem faciendo, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

Quinta objectio: Christus Mediator est non solum in prima reconciliatione, sed etiam postea in toto vitae nostrae tempore, ergo semper egemus intercessione Christi, ac per hoc semper peccamus legemque transgredimur, alioqui post primam reconciliationem Christus otiosus esset. Hoc argumentum commune est Calvino, Philippo, Kemnitio et aliis, qui inde concludunt, si qua est in nobis legis impletio, illam non tam esse operum, quae respondeant perfectioni legis, quam fidei, quae perpetuo apprehendit remissionem.

Respondeo: Christus semper nobis mediator est, nec unquam est otiosus, idque duplici ratione. Primo, quoniam semper nobis vires et gratiam subministrat, per quam bona opera faciamus. Ideo siquidem recte comparavit se ipse viti et nos palmitibus. Ut enim palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, et succum traxerit ex vite, sic nec nos nisi manserimus in Christo, et spiritum hauserimus ex ipso.

Secundo: Quoniam peccata nostra, quamvis levia et quotidiana, ipse purgat, et sanguis ejus emundat nos ab omni peccato. Et si forte legem praevaricando a justitia excidamus, ipse nihilominus propitiatio est pro peccatis nostris, et non septies, sed septuagies septies nos Patri reconciliat, si per ejus gratiam conversi serio poenitentiam agere incipiamus. Itaque non facimus nos, qui legem impleri posse dicimus, Christum mediatorem otiosum, sed vere faciunt adversarii Christi merita inefficacia, cum docent Christum tam insigni obedientia id efficere non potuisse, ut justificatio legis impleretur in nobis.

Sexta objectio sumitur ex s. Augustino, qui in lib. 1. Retract. cap. 19. sic ait: *Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.*

Respondeo: Loquitur eo loco sanctus Augustinus de summa perfectione implendi praecepta, quam dicit expressam fuisse a Domino per illa verba, Matthaei 5. *Jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant*; quaerit autem num haec perfectio possit haberi in hac vita, et respondet, non posse haberi, nisi in hoc sensu quod omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non sit ignoscitur. Nam inter alia mandata implenda est etiam illud, ut oremus: *Dimitte nobis debita nostra.* Ex quo intelligimus eam imperfectionem in lege divina servanda asseri ab Augustino, quae non sit praevaricatio integri praecepti, sed carentia perfectionis in ipsa legis observatione, quomodo qui scribendo, aut proferendo legem, proferret quidem omnes dictiones et syllabas, sed literulam, aut literae partem aliquam non exprimeret. Hac enim similitudine Dominus usus est, cum non ait, verbum unum, sed *jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.*

Atque haec dicta sint ad mentem sancti Augustini in eo testimonio explicandam. Alioqui enim si aperte dixisset Augustinus omnia mandata facta deputantur, quando si quod mandatum violatur, ignoscitur: non deberet, nec posset inde colligi, legem Domini esse impossibilem. Potest enim fieri, ut quis multa mandata integre servaverit, et postea tamen aliquod aliud mandatum non impleat, cujus praevaricationis poenitentiam agat, et indulgentia impetrata ita salvetur, ac si mandata omnia custodisset.

Addi posset alia objectio ex praeceptis: *Diliges, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* et, *Non concupisces.* Haec enim duo in hac vita impleri non posse probant adversarii ex Augustino et Bernardo. Sed haec a nobis fuse tractata sunt in lib. 2. de monachis, cap. 13. et in lib. 2. de peccato originis, qui est quintus de statu peccati, cap. 10. Ideo videntur hoc loco praetermittenda, ne fatigemus nimia repetitione lectorem.

CAPUT XV.

Justorum operae non esse peccata, sed justitiam, probatur ex divinis literis.

Nunc veniendum est ad alterum caput hujus controversiae de veritate justitiae actualis, in quo probandum erat, opera bona justorum non esse peccata, sed vere justa, ut etiam justitia actualis dici possint.

Primum igitur testimonium ad hoc probandum sumitur ex libro Job cap. 1. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, nec stultum aliquid contra Deum loquutus est.* Ubi Scriptura reddit testimonium sancti Job, quod in tanta occasione impatientiae, ne verbo quidem peccaverit, ac ne forte Lutherani rabbinos quosdam imitari velint, qui dicunt, Job non peccasse labiis, tamen corde peccasse; audiamus Deum ipsum in 2. capite ita loquentem ad Satanam: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit illi similis in terra vir simplex, et rectus, et recedens a malo, et ad huc retinens innocentiam?* Certe si innocentiam-

retinebat, et si a malo recedebat, neque lingua, neque corde peccaverat.

Adde quod cum Satan nihil aliud quaereret tot suis tentationibus, nisi Job ad peccandum inducere, contra autem Deus illa omnia tentamenta permitteret, ut patientia et virtus sancti viri demonstraretur, si Job peccasset, Deus ipse quodammodo a Satana superatus fuisset. Quare certum est, opus illud patientiae s. Job nullo peccato maculatum fuisse, et Lutheranos, qui id negant, a partibus diaboli contra Deum pugnare.

Secundum testimonium sumi potest ex verbis David, psal. 7. *Judica me Domine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.* Psalm. 6. *Exaudi Domine justitiam meam. De vultu tuo judicium meum prodeat. Oculi tui videant aequitatem. Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Psalm. 17. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Psalm. 25. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Psalm. 118. *Feci judicium et justitiam, non calumnientur me superbi.* In his locis David non solum opera sua justitiae nomine ornanda censebat, sed etiam confidebat ea in judicio Dei posse consistere, alioqui petens judicari secundum justitiam suam, damnationem pro absolutione quaesisset. Igitur David credebat posse hominem cum Dei gratia facere opera vere justa.

Neque vere satisfacit Philippi et Calvini responsio, qui dicunt Davidem non velle in his locis affirmare, opera sua fuisse absolute justa, sed per comparationem ad opera adversariorum suorum, nec id etiam absolute, sed incerta aliqua caussa. Haec, inquam, responsio non satisfacit, quoniam verba Davidis generalia sunt, atque illa praesertim: *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Item: *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* Item: *Feci judicium et justitiam. Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.*

Tertium testimonium, Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Et Luc. 11. *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Hoc loco describitur opus perfecte bonum, quod videlicet sit bonum ex genere suo, et ex intentione, aliisque circumstantiis. Nam oculus simplex, est intentio recta; corpus lucidum, est opus bonum, de quo dicitur Matth. 5. *Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona etc.* Tale autem opus pronunciat Dominus esse lucidum totum, nec ullam habere partem tenebrarum.

At si illud opus peccatum esset mortale natura sua, ut Lutherani dicunt, magnam partem haberet tenebrarum, immo esset tenebrosum totum, ut Dominus ibidem dicit de opere quod mala intentione foedatur. Sicut enim mala intentio, ita quodlibet aliud vitium reddit opus malum, quamvis ex genere suo bonum esset.

Quartum testimonium ex Apostolo in priore ad Corinth. cap. 3. *Si quis superaedificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, etc.* Quo loco indicantur esse quaedam opera supra fundamentum verae fidei aedificata adeo bona, ut nihil omnino habeant vitii. Id enim primum ostendit comparatio ad aurum, argentum, lapides pretiosos.

Deinde quod illa opera in igne divini judicii manere dicantur, et mercedem accipere. Certe enim peccata nec aurum dici possunt, nec in divini judicii igne subsisterent, nec mercedem, sed poenam, suppliciumque perciperent.

Quintum testimonium ex Jacobo cap. 3. *In multis offendimus omnes.* Quare, quaeso, non dixit, in omnibus offendimus omnes? Nam si omnia opera justorum sunt peccata mortalia, certe non tantum in multis, sed etiam in omnibus offendimus, sed noverat ipse quid diceret. Nam capite secundo distinxerat opera bona a peccatis, dicens: *Si legem perficitis regalem secundum Scripturas, diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis: si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores.*

Sextum testimonium sumitur ex illis locis, quae hortantur hominem ad non peccandum, psalm. 4. *Irascimini, et nolite peccare.* Isaiae 1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere.* Joan. 5. *Noli amplius peccare.* 1. ad Corinth. 15. *Evigilate justi, et nolite peccare.* 2. Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: haec enim facientes non peccabilis aliquando.* 1. Joan. 2. *Haec scribo vobis ut non peccetis.* Quorsum enim pertinent hae cohortationes, vel admonitiones, si in omni opere, quantumvis bono, non possumus non peccare?

Septimum testimonium sumitur ex illis locis, quae docent opera justorum placere Deo; Malach. 3. *Placebit Deo sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies saeculi et sicut anni antiqui.* Sapient. 9. *Sapientia custodiet me in potentia sua, et accepta erant opera mea.* Actor. 10. *Qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* 1. Petri 2. *Offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo.* Philippens. 4. *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quae misistis in odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo.* Atqui Deo nihil placere potest, nisi quod est vere bonum et purum ab omni vitio, ut ipse etiam Calvinus fatetur lib. 3. Institut. cap. 12. § 1.

Quod vero idem Calvinus ait, placere Deo ejusmodi opera, non ratione propriae dignitatis, sed quia Deus per indulgentiam lavat operum foeditatem, omnino est absurdum, nisi forte non solum peccatoribus imputari velit Christi justitiam, sed ipsis etiam peccatis, quod nullo modo fieri potest. Nam si quis dixerit, Deum ignoscere culpas, non velle punire, non imputare, facile intelligetur; at ipsum peccatum per indulgentiam fieri hostiam placentem Deo in odorem suavitatis, quis tandem intelliget?

Octavum testimonium ex locis illis, quae absolute justorum opera, bona opera nominant, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est.* 1. ad Timoth. 6. *Divitibus praecipe non superbe sapere, diviles fieri in operibus bonis.* Tit. 3. *Curent operibus bonis praeesse, qui credunt Deo.* Ephes. 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

At si opera omnia justorum essent peccata mortalia, dicenda essent potius mala, quam bona. Nam ut ex Dionysio in cap. 4. de divinis nominibus theologi colligunt, malum dicitur opus absolute ex quocumque vitio, bonum non dicitur absolute, nisi integre ut bonum. Quomodo igitur Scriptura praedicat absolute opera bona, si non sunt bona, nisi secundum quid, sed absolute et simpliciter mala? Omnino necesse est, ut vel Spiritus sanctus in hac parte fallatur, vel Lutherus et Calvinus erret. Utrum autem horum sit verius, ipsismet sectariis judicandum relinquo.

CAPUT XVI.

Opera bona non esse peccata, sed vere bona, probatur ex Patribus.

Quod attinet ad testimonia sanctorum Patrum si producere vellemus in medium, quae illi dicunt in commendationem operum bonorum, nullus esset finis. Solum igitur pauca quaedam notabimus, ex quibus colligi possit, agnovisse Patres opera simpliciter bona, atque a peccatis, vere proprieque distincta.

S. Ambrosius in libro da Apologia David, cap. 6. *Etenim*, inquit, *quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cavendum est, ne plura peccata sint, quam opera virtutum.* Ubi distinguit aperte s. Ambrosius opera virtutum a peccatis, quod non faceret, si existimaret, omnia opera, quantumvis bona, vere esse peccata.

S. Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos: *Hoc*, inquit, *et nos dicimus, posse hominem non peccare si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara.* Et infra *: Qui cautus est et timidus, potest ad tempus vitare peccata.* Quo loco s. Hieronymus non laborat, ut probet, posse hominem aliqua facere bona, quae non sint peccata.

Id enim in controversiam nondum venerat, sed nititur contra Pelagianos ostendere vitam humanam, etiam justorum, non ita esse posse perfectam, ut longo tempore caveat omnia peccata, etiam quotidiana et levia. Ubi tamen admittit, saltem aliquanto tempore, posse hominem diligentem ita vivere, ut nullum peccatum, ne veniale quidem admittat, ac per hoc aliqua opera facere ab omni vitio pura et integra.

Sanctus Augustinus in libro de spiritu et litera, cap. ultim. *Dici potest quaedam justitia minor, huic vitae competens, qua justus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, et ideo per fidem ambulans, nondum per speciem; non absurde dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet. Neque enim si nondum esse potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenae, perfectaeque debetur, jam culpae deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditem. Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam eam potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum, sicut etiam in his, quae adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi.* Hoc loco sanctus Augustinus fatetur quidem justitiam nostram in hac vita esse minorem, quam sit futura in alia vita, tamen disertis verbis affirmat, ad hanc etiam justitiam nostram pertinere, ut non peccet; et posse ac debere hominem nullam sequi cupiditatem.

Idem in libro de bono conjugali, cap. 6. *Conjugalis*, inquit, *concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiae vero satiendae, sed tamen cum conjuge propter fidem thori, venialem habet culpam ; adulterium vero, sive fornicatio lethalem habet culpam.* Et cap. 7. *Continentia meriti est amplioris ; reddere debitum conjugi nullius est criminis; exigere ultra generandi necessitatem culpae venialis fornicari, vel macchari, puniendi criminis.* In his quatuor gradibus operum, quos distinguit Augustinus, assignare debent adversarii discrimen aliquod ; vel potius necessario confiteri, in primo et secundo nullum omnino esse peccatum, neque mortale ex natura sua, neque veniale per misericordiam Dei.

Nam si continentia ab omni concubitu peccatum est mortale ex natura sua, et veniale per misericordiam Dei, quid erit concubitus gignendi caussa, nisi peccatum omni ex parte mortale? et si concubitus gignendi caussa peccatum est omni ex parte mortale, quid erit concubitus caussa libidinis satiandae, nisi peccatum in Spiritum sanctum, quod non remittitur, neque in hoc saeculo, neque in futuro? At s. Augustinus huic tertio gradui tribuit culpam venialem : secundo gradui nullam culpam, primo gradui meritum ingens. Tantum videlicet interest inter sententiam s. Augustini et Novatorum.

Idem deinque sanctus Augustinus lib. 4. in Julianum cap. 3. et aliis in locis plurimis, contendit opera infidelium esse peccata, non quod non sint, vel esse possint bona ex genere suo, sed quoniam deest illis intentio bona dirigendi opera illa ad verum Deum, quem ignorant, cum fidem non habebant. Igitur opera fidelium ex sententia s. Augustini poterunt esse simpliciter et absolute bona. Nam si fidelium quoque opera essent omnia peccata, et quidem morte digna, quorsum tantopere laborasset Augustinus, ut probaret opera infidelium esse peccata ?

S. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 8. *Si in sermonibus*, inquit, *suis dicimus Job deliquisse, quod sentire nefas est, Deum dicimus in sua propositione victoriam perdidisse.* Item lib. 9. cap. 26. *Ipsa*, inquit, *bona nostra insidiantis culpae eva-*

dere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie timore muniantur. Ubi admittit s. Gregorius posse fieri, ut bona nostra insidiantis culpae gladium vitent. Idem in epist. ad Augustinum respons. 10. *Bonarum*, inquit, *mentium est, ibi etiam aliquo modo culpam agnoscere, ubi culpa non est.*

S. Bernardus in libro de praecepto et dispensatione distinguit inter bonum obedientiae, et malum inobedientiae, et ponit aliquot gradus, ut supra s. Augustinus ponebat in concubitu: *Bonus*, inquit, *obedientiae gradus est, si juxta magistri nostri sententiam, propter metum gehennae, seu propter professionem sanctam, quam professus est, quispiam obedierit. Melior tamen cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis.* Et infra de obedientia: *Haec*, inquit, *generalis regula sit universorum, quae per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut propria cujusque professione, aut divina institutione fixa non sunt, ut non jussa quidem, licite utrumlibet, vel admittantur, vel omittantur, jussa vero, sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur. Ubique enim et culpabilis neglectus et contemptus damnabilis est.*

Ubi s. Bernardus cum dicit, obedientiam ex metu gehennae esse bonam, ex charitate meliorem, intelliget bonam simpliciter, et sine ullo peccato, etiam veniali posse praestari. Alioqui non distingueret eam ab inobedientia propter neglectum, quam dicit esse culpam venialem, et inobedientia propter contemptum, quam dicit esse criminalem atque damnabilem.

CAPUT XVII.

Opera bona justorum non esse peccata, sed vere bona probatur rationibus.

Jam vero potest eadem veritas manifestis rationibus comprobari.

Prima ratio: Si opera bona justorum essent omnia vitiata et corrupta, ita ut peccata mortalia ex natura sua dici deberent, id sine dubio, vel ex innata concupiscentia, vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex admixtione peccatorum venialium nasceretur. Istas enim caussas adversarii reddere solent, cur opera ex genere suo bona, vel a Deo mandata et bona intentione facta, tamen peccata mortalia esse contendunt. At nihil horum trium contaminare potest opera justorum bona.

Nam in primis concupiscentia: ipsa peccatum non est, sed infirmitas, nisi ei consentiatur. Unde s. Augustinus in libro de perfectione justitiae, et alibi saepe repetit, non oportere pro motibus concupiscentiae involuntariis dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Deinde etiamsi peccatum esset, tamen non semper movetur, ut idem testatur Augustinus lib. 6. in Julianum, cap. 8. ac per hoc opera bona fieri possunt aliquando ex charitate sine ulla admixtione cupiditatis.

Defectus autem charitatis, quod videlicet non faciamus opera nostra tanto fervore dilectionis, quanto faciemus in patria, defectus quidem est, sed culpa, et peccatum non est, ut s. Augustinus docet in libro de spiritu et litera, cap. ultim. Unde etiam charitas nostra, quamvis comparata ad charitatem beatorum sit imperfecta, tamen absolute perfecta dici potest, ut eam s. Joannes appellat, in 1. epist. cap. 2. et 5. s. Augustinus in lib. 1. de doctrina christiana, cap. 39. lib. 1. de pecc. merit. et remiss. cap. 13. et alibi.

Admixtio denique venialium peccatorum non impedit veram justitiam. Tum quia non est necesse, ut in singulis operibus admisceatur veniale peccatum, ut ex Patribus probatum est, et experientia ipsa docet. Tum etiam quia peccatum veniale non est contrarium charitati, nec proprie contra legem, sed praeter legem, ut supra diximus. Itaque Scriptura divina quamvis dicat, In multis offendimus omnes, et si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus; tamen absolute vocat homines quosdam justos, sanctos, immaculatos, perfectos; quod nullo modo faceret, si veniale peccatum justitiam impediret. Gen. 6. *Noe vir justus fuit, atque perfectus.* Ephes. 1. *Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.* Philipp. 3. *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Similia habet s. Augustinus in lib. 2. de peccatorum meritis et remissione cap. 12. et 13. et in lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2.

Secunda ratio ducitur ab absurdis, nam si omnia justorum opera essent peccata, etiam opus fidei quo justificamur, esset peccatum; et illa oratio, quam fundimus, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, esset peccatum. At nonne absurdissimum est, hominem per peccatum justificari, et per peccatum quaerere et impetrare remissionem peccati?

Item si omnia opera justorum sunt peccata, qua fronte dicere potuit apostolus Paulus: *Nihil mihi conscius sum?* nullum ne bonum opus fecerat? aut ignorabat, illa ipsa bona opera peccata esse mortalia? et nonne major adhuc fuisset audacia pro ejusmodi operibus, idest, peccatis mortalibus expectare a justo judice coronam justitiae?

Praeterea si omnia justorum opera essent peccata mortalia, sequeretur, ipsum Deum peccare mortaliter: *Deus enim est, qui operatur in nobis.* Cum bona opera facimus, ut dicit Apostolus ad Philipp. 1. et 2. neque adversarii id negant.

Item fieret ingens injuria Redemptori, qui, ut Apostolus ait ad Titum 2. *Dedit semetipsum, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Nam a nulla nos iniquitate vere redemisset, nec vere populum suum mundasset, nec sectatores nos operum vere bonorum, sed peccatorum mortalium effecisset.

Adhaec si omnia opera bona sunt peccata mortalia, sequitur, ut aliqua peccata mortalia sint opera bona; ut posse fieri hos syllogismos: Omnia opera bona sunt facienda, aliqua peccata mortalia sunt opera bona, igitur aliqua peccata mortalia sunt facienda. Item: nullum peccatum mortale est faciendum, omnia opera bona sunt peccata mortalia,

igitur nullum opus bonum est faciendum. Dignae sane Lutheranis conclusiones, aliqua peccata mortalia sunt facienda, et nullum bonum opus est faciendum.

Denique quis non videt, opera bona esse peccata mortalia, contradictionem implicare, atque involvere? Nam erunt opera bona et non bona; digna praemio et poena; et per ea serviemus Deo et diabolo, et simul erimus filii Dei et filii diaboli.

Dicent fortasse, quod Lutherus dicit in assert. art. 6. eadem opera esse bona, ut fiunt a Deo, mala ut fiunt a nobis, vel in nobis. Vel esse bona ex genere suo, sive ex objecto, mala ex circumstantia, idest, propter cupiditatem, qua fiunt.

At Prior distinctio inanis est, cum Deus non faciat nostra opera bona, nisi per nos, idest, faciendo ut nos illa faciamus; ac per hoc si ut a nobis fiunt mala sunt, simpliciter mala, non bona sunt. Id quod ex ipso Lutheri exemplo intelligi potest: *Si quis*, inquit, *securi corrosa et dentata secet, licet operator sit bonus faber, tamen securis facit malas, et difficiles, et deformes incisiones, sic Deus per nos operans etc.* Ex hac similitudine manifeste colligitur, opera nostra non esse bona et mala, sed tantum mala. Bonus enim faber per malam securim non facit bonas, sed malas incisiones: sic igitur Deus per nos operans non faciet opera bona, sed mala.

Posterior quoque distinctio non solvit nodum. Nam opera bona ex genere, sive ex objecto, sed mala ex circumstantia, non sunt bona simpliciter, sed mala. Quoniam (ut supra diximus) bonum non existit nisi ex integra caussa, malum vero ex quolibet vitio. Quare Dominus Matth. 6. et 7. orationes, jejunia et eleemosynas, quae sunt bona ex genere suo, simpliciter damnat, et mercede apud Deum carere dicit, si fiant intentione captandae aurae popularis. Pugnantia igitur adversarii docent, cum opera bona justorum bona opera, et peccata mortalia simul esse definiunt.

CAPUT XVIII.

Opera bona non solum esse vere justa, sed etiam justificare, probatur ex cap. 2. Jacobi.

Nunc antequam argumenta haereticorum contra justitiam operum proponamus, probare nitemur id, quod Tertio loco probandum esse diximus in cap. 10.

Operibus igitur bonis hominem justum magis justificari, atque adeo fieri justiorem probamus ex epist. s. Jacobi, qui sic loquitur cap. 2. *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus ejus, et ex operibus fides consummata est? et impleta est Scriptura dicens, credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? similiter autem et Raab meretrix nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios, et alia via ejiciens?*

Ad hoc testimonium respondere conatur Joannes Calvinus in lib. 3. Institut. cap. 17. § 11. et 12. et in summa Tria dicit.

Primo: Scopum Jacobi fuisse ostendere, quae sit vera fides.

Secundo per fidem: Quae sine operibus non justificat, Jacobum accipere veram fidem, sed umbram quamdam verae fidei.

Tertio: Nomine justificationis hoc loco non intelligi imputationem justitiae Christi, sicut apud Paulum ad Rom. 4. sed declarationem justitiae. Ex his efficit, ut cum Jacobus dicit, Abrahamum ex operibus justificatum fuisse, intelligere debeamus justum fuisse declaratum, et ideo justum, quia veram fidem haberet.

In omnibus tribus ab eo dissentimus; Primum enim dicimus, scopum Jacobi fuisse demonstrare, non quae sit vera fides, sed fidem veram, atque catholicam ad salutem sine operibus non sufficere, et fidelem, qui bene operatur, in justitia crescere; qui male operatur, justitiam amittere, et fidem in eo mortuam, otiosamque manere.

Id ita esse non esset nobis necesse probare, cum sententiam suam Calvinus nulla ratione probaverit, tamen habemus In primis testimonium s. Augustini, qui in lib. de fide et operibus, cap. 14. disertis verbis affirmat, scopum epistolae Jacobi, ut etiam Petri, Joannis et Judae, dirigi adversus haeresim tunc recens exortam eorum, qui dicebant fidem sine operibus ad salutem sufficere: *Quoniam*, inquit, *haec opinio tunc fuerat exorta, aliae apostolicae epistolae Petri, Joannis, Jacobi, Judae, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse.* Deinde, scopus Jacobi in hac epistola satis aperte colligitur ex ipso contextu verborum ejus. Nam ad finem cap. 1. concludit: *Estote factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos etc.* Et ad initium cap. 2. *Fratres mei*, inquit, *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi*; hoc est, Nolite cum fide quam habetis in Christum, simul peccata nutrire, quale est acceptio personarum. Deinde pergit explicare, magnum esse malum personas accipere, et hoc unum sufficere ad aeternam damnationem, sicut etiam quodcumque aliud lethale peccatum: *Quoniam*, ut ipse dicit, *qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Deinde quoniam sciebat pseudoapostolos multum gloriari de fide, qua juxta Paulum justificamur, continuo subjungit: *Quid proderit, fratres mei, si quis dixerit fidem se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare illum?* Atque hinc sumpta occasione demonstrat fidem, si operibus destituatur, reddi otiosam; si vero opera illi adjungantur, hominem justum fieri justiorem, quod ostendit exemplo Abrahae et Raab. Atque haec de scopo.

Quod attinet ad fidem, disseruimus de toto hoc loco in 1. lib. cap. 15. ubi ostendimus multis rationibus Jacobum loqui de vera fide, et objectiones Calvini diluimus, et certe res clarior est, quam ut probatione indigeat. Jacobus enim dicit, hominem justificari ex fide, sed non ex fide tantum, et fidem

cooperari operibus; umbram autem fidei neque justificare, neque operibus cooperari posse, non dubium est.

Jam vero de nomine justificationis, praecipua controversia est: Calvinus enim contendit, justificationem hoc loco necessario pro declaratione justitiae accipiendam esse, quoniam alioqui manifeste pugnaret Jacobus cum Paulo, cum Jacobus dicat hominem ex operibus justificari, Paulus autem ad Roman. 4. dicat, non ex operibus justificari. Quos ita Calvinus conciliat, ut dicat Paulum loqui de justificatione, quae fit per imputationem justitiae Christi, Jacobum vero de declaratione justitiae. In utroque a veteribus, et ab ipsa veritate dissentit.

Nos igitur dicimus, Paulum loqui de prima justificatione, qua homo ex impio fit justus; Jacobum de secunda, qua justus efficitur justior. Et ideo recte Paulum dicere, justificari hominem sine operibus; Jacobum, justificari ex operibus. Quemadmodum enim nemo potest opere suo se ipse procreare, aut a morte revocare; procreatus autem, vel a morte revocatus, ipse se, comedendo et bibendo, nutrit et auget: sic etiam homo per peccatum mortuus, non potest merito operum suorum se justificare, sed posteaquam a Deo justus factus est, potest recte vivendo justitiam in se alere et augere, atque ita operibus justificari. Ita conciliat haec loca tridentinum concilium sess. 6. cap. 8. et 10. et multo antea s. Augustinus praefatione in psalm. 31. in lib. de fide et operibus cap. 14. in quaestion. ad Dulcitium quaest. 1. et lib. 83. quaest. 76.

bus, quam idololatriam objiciunt, siquidem et sanctorum invocationem, et reliquiarum atque imaginum cultum, et ipsum missae sacrificium idololatriam esse clamitant. At si tot Deos a romanis pontificibus coli existimatis,quot sunt beati spiritus in coelo, unde tandem vobis in mentem venit,ut eosdem pontifices Antichristos faceretis? an vero Daniel, et Paulus illum Antichristum fore praedixerunt, qui Deorum multitudini sese prosterneret, et non eum potius, qui se supra omne numen elevaret? An non sentitis, quam parum cohaerentia cum divinis literis, et quam ipsa secum aperte pugnantia sint, quae dicitis? Quale autem mendacium est, in sola Italia, atque Hispania romanum pontificem non ut Antichristum repudiari, sed pro vero Christi vicario agnosci et coli? Quid? in ipsa Germania, nonne imperator, ejusque fratres et archiepiscopi electores, dux Bavariae potentissimus, aliique plurimi tum ecclesiastici, tum politici principes vivunt, qui una cum populis, quibus imperant, romano pontifici, ut Christi vicario parent? In Polonia nonne reges semper catholici cum episcopis item catholicis, et magna nobilium ac plebejorum multitudine romanam fidem professi sunt,et adhuc hodie profitentur? Svecia, Hungaria, Scotia nonne suos habent catholicos? In Anglia vero nonne catholicorum pro romana fide pugnantium pleni sunt carceres?Nonne quotidie gloriosa martyria exhibentur? Nonne libris in ipsa Anglia editis catholici Lutheranos et Calvinianos exagitant? Quid de Gallia dicam? Rex ipse christianyssimus totius regni caput, romanum pontificem splendidissima legatione non honoravit? non eum Christi loco in terris esse agnovit? non obedientiam illi suo nomine praestari jussit?Episcopi totius Galliae nonne catholici sunt, et summum pontificem debito cum honore suscipiunt? Quis vero principes, quis populos numeret, qui pro romana fide vitam ipsam et sanguinem profundere tota Gallia parati sunt? Quid igitur sibi volebat ille mendaciorum architectus , cum paucos dumtaxat caecos , eosque in sola Italia et Hispania esse pronunciabat , qui romanum pontificem Antichristum esse non crederent ? et tamen Europam nondum sumus egressi: nam si lustrare Asiam et Africam, et novi orbis vastissimas regiones animo velimus, inveniemus profecto in America, in Brasilia, in exteriore Africa, in Arabia, in sinu Persico, in India,in insulis Moluccis in aurea Chersoneso, apud Sinas, apud Japones, ubi nondum Lutheri et Calvini nomen penetravit, plurimos optimosque esse Christianos,qui sub rom. pontificis obedientia Christum colant;Ante nonnullos annos ex ultima Japonia nobilissima legatio trium annorum itinere confecto ad romanum pontificem, ut verum Christi vicarium agnoscendum ac venerandum venit, neque multi menses praeterierunt, cum ad hunc ipsum, qui nunc b. Petri sedem tenet, Clementem VIII. pontificem literae a patriarcha alexandrino ex Aegypto missae sunt, quibus eum is patriarcha caput Ecclesiae universae Christique vicarium confitetur, ut nihil hic de Armenis et Maronitis dicam,qui inter tot sectas haereticorum et paganorum, quae orientem premunt, romanae Ecclesiae fidem et obedientiam retinent; quae cum ita sint, quanta vanitas, atque temeritas ejus hominis fuit, qui in sola Italia atque Hispania paucos quosdam invenire potuit qui sedem apostolicam, ut aequum erat, venerarentur? Sed caetera videamus.

CAPUT IV.

Multis verbis inaniter, ut dixi, profusis, inepte philosophatur adesse jam annum a Lutheri praedicatione septuagesimum, proinde initium liberationis a tam diuturna captivitate sese aperire atque ostendere. Sed instar phrenetici nesciens omnino quid diceret, vere significavit septuagesimum annum jam agi Lutheranae captivitatis, si enim ulla captivitas Luthero exoriente exorta est, ea certe romana esse non potuit, cum nulla mutatio in urbe romana per id tempus facta sit, sed eadem fides, eadem religio, eadem forma christianae reipub. quae ad eam diem fuerat, esse perseveraverit.At in Germania, Satana auctore et administro Luthero, Christi religio in perditissimam haeresim mutata est, nec solum externus Dei cultus, et sacramenta omnia mutilata, vel sublata sunt, sed ipsum etiam hominum arbitrium, ex libero ac soluto in miseram captivitatem redactum, annos jam amplius septuaginta apud Saxonicam Babylonem servit.

CAPUT V.

Pergit deinde libelli auctor et Calvinianos haereticos non esse ea ratione demonstrare aggreditur quia haereticus non est, qui evangelio credit, quique nullum articulum symboli apostolici inficiatur. Et quoniam apostoli in eo symbolo *Unam Ecclesiam catholicam et apostolicam* esse docuerunt, romanae autem mentionem nullam fecerunt, vitio vertit ipse romanis pontificibus, quod ad articulum de Ecclesia vocem illam, romanam, adjecerint.Sed hac responsione indicat se nescire quidem quale sit apostolicum symbolum, neque quid sit fides, aut haeresis unquam didicisse, neque id sane mirum,cum in amatoriis canticis Petrarchae, non in dogmatibus christianae religionis aetatem contriverit.Disce igitur quicumque es famosi libelli auctor, non illos tantum esse haereticos, qui evangelium, aut symbolum aperte rejiciunt, sed illos etiam qui in evangelii et symboli interpretatione judicium ipsi suum Ecclesiae judicio praeferunt; alioqui enim neque Ariani, neque Macedoniani, neque Nestoriani, neque Pelagiani,neque alii permulti haeretici erunt, quos tamen non solum catholici, sed etiam Lutherani et Calviniani pro haereticis habent. Siquidem illi omnes evangelium et symbolum, quod attinet ad verba, integre recipiebant, sed perperam tamen, ut omnes haeretici faciunt, interpretabantur. Quid? nostra aetate qui in Polonia et Hungaria duo primaria religionis christianae mysteria destruunt, personarum divinarum Trinitatem,et incarnationem Verbi Dei,nonne totum evangelium, totumque symbolum apostolicum, praeter caeteros homines tueri se ac defendere profitentur? Ita omnino;et tamen qui sunt hoc tempore magis haeretici?Denique si evangelio cre-

dere, et nullum articulum symboli pernegare, sufficere vobis videtur, ut quis haereticis non esse judicetur, cur tam audacter pontificem romanum, et qui illi adhaerent, haereticos pronuncialis, quos evangelium et symbolum integre colere, amplecti ac sequi non ignoratis? Quod enim pontificem accusatis, quasi is apostolicum symbolum depravarit adjectione vocis, romanam, ad voces, catholicam et apostolicam in articulo de Ecclesia, inscitiam vestram prodit: nam neque in symbolo apostolico fuit unquam vox, apostolica, neque a pontificibus addita est vox romana, sic enim symbolum habet, *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem* etc. sic olim veteres legebant, sic hodie in horariis precibus legimus, sic in omnibus Ecclesiae catechismis invenies. Solemus quidem extra symbolum cum veram fidem aut Ecclesiam describimus, eam catholicam, apostolicam, romanam appellare, quia (ut s. Cyprianus scribit lib. 1. epist. 3.) *Ad romanam Ecclesiam perfidia habere non potest accessum.* Et Ambrosio teste in oratione de obitu Satyri; *Is cum episcopis catholicis convenit, qui cum romana Ecclesia convenit.* Et auctore s. Gregorio nazianzeno in carmine de vita sua, *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, et semper eam retinet, sicut decet urbem, quae toti orbi praesidet,* et ut loquitur s. Hieronymus lib. 3. apologiae adversus Ruffinum. *Romana fides apostolica voce laudata, praestigias haereticorum non recipit, etiamsi angelus aliter annunciet, quam semel praedicatum est, Pauli auctoritate munita non potest mutari.* Et denique, ut sanctus canit Augustin. in psalmo contra partem Donati, *Romanorum successio episcoporum ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.*

CAPUT VI.

Venit tandem adversarius ad argumenta, et primum testimonia Pauli, Joannis et Danielis de Antichristo profert, quae quidem nos libenter admittimus, sed probandum erat adversario, romanum pontificem per ea testimonia designari, quod nec fecit, nec in aeternum faciet. Progreditur deinde ad testimonia caeterorum patrum, et iis affirmare conatur, romanum pontificem a veteribus quoque pro Antichristo habitum, ea testimonia paulisper inspiciamus. Primo loco s. Irenaeum producit in medium, qui alicubi scribit, *Antichristus licet sit servus, volet tamen adorari ut Deus,* haec enim sunt verba sua. *Ireneo dice appunto così: L'Anticristo quantunque sia servo, vorrà nondimeno essere adorato come Dio. Le quali parole se bene le considererai, Italia mia, troverai ottimamente dipingerci il vero ritratto del papa, il quale si noma, non senza alto mistero dell'eterno Dio, servo dei servi.* Si dialecticam nosses, admonerem te, ne tam aperte in paralogismum incideres, siquidem ex sententia Irenaei Antichristus non se nominabit servum, sed erit servus: Pontifex noster contra, servum se ex humilitate nominat, cum pater sit omnium, etiam regum et imperatorum. Sed paralogismum tibi condono, crimen falsi condonare certe non possum, locus Irenaei habetur lib. 5. cap. 25. in haec verba: *Cum sit servus, regem se vult praeconari.* Non igitur (ut tu fingis) Irenaeus dicit. *cum sit servus, quasi Deus vult adorari, sed regem se vult praeconari.* Romanus autem pontifex neque ipse se regem appellat, neque ab aliis appellari cupit. Sed quid si ex eodem Irenaei loco planum faciam non posse nisi per summam impudentiam Antichristi nomen ad romanum pontificem trahi? Antichristum futurum genere Judaeum atque ex tribu Dan Irenaeus affirmat. Eundem Hierosolymis regnaturum, et in templo quod Salomonis dicebatur sessurum scribit; tribus annis cum dimidio cum regnaverit, ab ipso Christo interficiendum docet. Denique addit idola omnia submoturum, ut ipse unus pro idolis omnibus adoretur. Porro ab eo tempore quo Lutherani romanum pontificem Antichristum appellare coeperunt, nullus fuit pontifex de tribu Dan, nullus Hierosolymam vidit, nedum in templo Salomonis sedit, nullus tribus annis cum dimidio rerum potitus est, sed alii longiore, alii breviore tempore Ecclesiae catholicae praefuerunt. Denique idola quidem summus pontifex noster re vera non patitur, sed opinione vestra, tot idola erexit quot sunt imagines in ecclesiis: quare si Irenaeo credimus, neque romanus pontifex Antichristus est, neque eum Lutherani possunt, nisi secum ipsi pugnent, Antichristum nominare. Secundo loco Tertullianum et Hieronymum in testes adducit, qui per Babylonem de Apocalypsi Romam significari voluerunt. Poterat addere testimonium longe majus apostoli Petri, qui in ultimo capite epistolae primae, eandem Romam Babylonem appellat. Sed nihil omnino ista faciunt ad rem. Nam et Petrus et Joannes, et post eos Tertullianus ac Hieronymus cum Romam per Babylonem significari volunt, de Roma loquuntur ethnica, non de Roma christiana, de Roma inquam illa, qua sub Nerone ac Domitiano imperium tenebat super reges terrae, et ebria erat, ut Joannes scribit, de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Alioqui Romam christianam idem Tertullianus in lib. de praescriptione adversus haereticos mirifice laudat, et s. Hieronymus in lib. 2. Contra Jovinianum extremo, sic Romam christianam alloquitur: Ad te loquar, quae scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti. Itaque fuit aliquando Roma magna illa meretrix, fuit Babylon mater fornicationum, sed ut idem Joannes praedixit, brevi periit, vel potius in sanctam Hierusalem et civitatem Dei, atque in arcem religionis et (ut Hieronymus loquitur) in tutissimum christianae communionis portum commutata est.

CAPUT VII.

Tertio loco sancti Gregorii verba producit, qui eum Antichristi praecursorem appellat, qui episcopi universalis, aut summi pontificis nomen usurpat. Sed locum nullum adducit, ubi nomen summi pontificis s. Gregorius averselur. Quod nomen a sancto Bernardo, sanctoque Anselmo, romano pontifici passim tribuitur. Quin etiam idem s. Gregorius, lib. 1. dialogorum cap. 4. praedecessorem

quendam suum disertis verbis summum pontificem nominat. Quamobrem et hoc inter mendacia numeretur. Porro nomen episcopi universalis in Joanne constantinopolitano sanctus Gregorius duplici de caussa merito reprehendit, nam et in eo sensu ab illo accipiebatur, quasi solus ipse esset episcopus, quo sensu nomen episcopi universalis nulli homini convenit: et licet in alio quodam sensu appellatio illa in romanum pontificem optime quadret, ut etiam a conc. chalcedonensi s. Leoni tributum idem Gregorius refert, lib. 4. epist. 38. tamen Joanni constantinopolitano nulla ratione conveniebat. Itaque optimo jure s. Gregorius antistitem illum constantinopolitanum ingentis superbiae notat, et praecursorem Antichristi facit. Sed quid hoc ad rem, de qua nunc agimus, pertinet? Nam in primis romanus episcopus non se episcopum universalem, sed servum servorum appellat: deinde nomen episcopi universalis, si bene accipiatur, merito illi tribuitur qui toti Ecclesiae ab ipso Christo praepositus est. Denique non dicit Gregorius, Antichristum esse, sed Antichristi praecursorem, qui se ipse universalem episcopum vocat: quare si se romanus pontifex universalem episcopum diceret, in eo etiam sensu, quem Gregorius reprehendit, hoc ipso Antichristus non esset, quod ejus praecursor esset, neque enim idem esse potest is, qui praecurrit cum eo, quem praecurrit, nisi Christum cum Joanne, dominum cum servo, regem cum praecone confundas.

CAPUT VIII.

Quarto testimonium adfert Arnulphi cujusdam episcopi aurelianensis, qui cum ante 600. annos in conventu quodam Remensi multa in romanum pontificem maledicta congereret, inter alia etiam Antichristum, appellare ausus est. Sed ista non pluris facimus, quam tuas, quicumque es auctor famosi libelli, et tui similium criminationes. Satis enim constat eum hostem romani pontificis fuisse, et inimico animo quicquid stomachus suggerebat evomuisse. Sed opponam illi uni Gallo episcopo testimonia omnium episcoporum Galliae, qui tempore Joannis papae VIII. ante annos 700. Concilium apud Trecas celebrantes excommunicationem a roman. pontifice in principes quosdam latam his verbis comprobarunt; Domine sanctissime ac reverendissime Pater Patrum, Joannes catholicae atque apostolicae Ecclesiae, sanctae videlicet romanae primae sedis papa. Nos filii, famuli ac discipuli vestrae auctoritatis, Galliarum et Belgicarum episcopi, his quae super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri diaboli addentes in sanctam matrem nostram ac magistram omnium ecclesiarum commiserunt, et dolori vestro conflentes condolemus, atque judicium vestrae auctoritatis, quod privilegio b. Petri, et sedis apostolicae in eos et complices eorum juxta sacros canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, ac secundum ejusdem sanctae romanae sedis pontificum praedecessorum vestrorum decreta protulistis, voto, voce et unanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus, cujus gratia in episcopali ordine sumus consecrati, gladio spiritus sancti, quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur, scilicet quos sicut praediximus, excommunicatis, excommunicatos tenemus: quos ab Ecclesia abjecistis, abjicimus, quos anathematizastis, anathematizatos esse judicamus, et quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas, et apostolica sedes receperit, recipiemus; Haec ex Aimoino lib. 5. de gestis Francorum cap. 27. ad verbum transcribere volui, ut prudentes judicent, uni ne episcopo Gallo, an synodo episcoporum omnium provinciae ejusdem fidem habere oporteat.

CAPUT IX.

Quinto loco adversarius nesciens omnino quid loqueretur, ad sanctum Bernardum judicem provocavit, ac ut stultitiam ejus magis mirere, ipsa ejus verba ponam: (*Leggi. o Italia mia. quello che scrisse san Bernardo ha più di quattro cento anni nelli libri delle sue considerazioni del papa, de' vescovi e del clero. e poi non dubito punto che tu non confessi. che di tai persone non si poteva dire, a voler dire la verità. meglio di quello che dice*). Prodeat igitur sanctus Bernardus, et temerarium istum juvenem sua auctoritate confundat. Non solum enim in libris quinque quos de Consideratione ad Eugenium scripsit, ne verbo quidem sanctus Bernardus pontificem romanum Antichristum esse significavit, sed etiam in iis libris et in epistolis passim ejusdem pontificis auctoritatem mirifice praedicavit, atque defendit. Primum librum ita exorditur. *Subit animum dictare aliquid, quod te papa beatissime Eugeni vel aedificet, vel delectet, vel consoletur; sed nescio quomodo vult; et non vult exire laeta quidem, sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt, majestas, atque amor.* Ita nimirum sanctus Bernardus Antichristum alloqueretur, ita illum aedificare, delectare, consolari cuperet, ita simul diligeret et timeret. In secundo autem libro accurate exponens, quid sit papa, *Age*, inquit, *indagemus adhuc diligentius qui sis quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quid responsurum putas ille iniquus, homo peccati. filius perditionis. aperte denique dicam Antichristus? Audi quid respondeat; Quis es? sacerdos magnus, summus pontifex; tu princeps episcoporum, tu haeres apostolorum. tu primatu Abel. gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus. unctione Christus: tu es, cui claves traditae. cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae caeteris nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor.* Porro initio libri tertii una brevissima sententiola idem Bernardus expressit quousque se jurisdictio romani pontificatus extendat, ne forte adversarius noster reges ac principes conetur excipere. *Orbe*, inquit, *exeundum ei, qui forte vellet explorare, quae non ad tuam summi pontificis pertineant*

curam. Librum quartum idem sanctus Bernardus semper sui similis ita concludit, ut summum pontificem nominet *christianorum ducem, pastorem plebium, ultorem scelerum, malorum metum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terrae, orbis lumen, sacerdotem altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, Deum Pharaonis.* Haec igitur sunt quae sanctus Bernardus in libris de Consideratione de pontifice maximo scribit, quibus vel ipso adversario teste, nihil verius dici poterat. Ac ut intelligatis, quis ad Bernardum judicem provocavit, summum pontificem ex Bernardi sententia non tantum non esse ut Antichristum fugiendum, sed etiam ad eum proprie pertinere caussas fidei judicare, et non egredi limites suos, ut iste fingit, si de fide Gallorum sententiam ferat, audiamus initium epistolae 190. ad Innocentium papam, de petro Abailardo, qui intra Gallias haereses seminabat, *Amantissimo patri et domino Innocentio summo pontifici frater b. Claraevallis vocatus abbas, modicum id quod est. Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ac praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei ubi non possit fides sentire defectum, haec quippe hujus praerogativa sedis.* Legat igitur Italia, ut adversarius cupit, legat etiam Gallia, legat Ecclesia universa doctorem illum sanctum, sapientem, disertum et illi potius, quam stolido isti juveni, qui tamen Bernardum judicem de hac controversia fecit, de summo pontifice credat.

CAPUT X.

Sexto loco producit ad medium verba quaedam Eberhardi episcopi salisburgensis, quae apud Joannem Aventinum extant. Sed ea neminem movere debent, cum Joannes Aventinus auctor sit parum probatae fidei, et non sine caussa illa omnia in odium pontificum vel finxisse vel amplificasse credatur, nihil enim tale extat apud alios historicos, ac ne apud ipsos quidem Germanos Wymphelingium, Krantzium, Nauclerum, qui eandem historiam literis consignarunt. Deinde, licet historia ab Aventino vere conscripta esset, illud tamen in dubium revocari non potest, quin episcopus ille hostis acerrimus fuerit Gregorii IX. pontificis, et contra Friderico II. imperatori addictissimus. Cum autem ob discordiam illam inter pontificem et imperatorem omnia bello arderent, et factiones illae Guelphorum et Gibellinorum tunc primum exortae, quasi rabie quadam accensae furerent, qui pontifici favebant in Fridericum, et qui Fridericum sequebantur, in pontificem omnia convicia et maledicta jaciebant, quae in mentem venire ullo modo potuissent. Quare non quid irati homines tunc effutirent, sed utri bonam caussam tuerentur, considerare operaepretium erit; quod quidem illa etiam de caussa utile erit, quod auctor iste paulo ante videlicet pag. 4. scribere ausus sit, Fridericos imperatores sanctos fuisse, et injuste a pontificibus oppugnatos. Nolo scriptores italicos producere, sanctum Antoninum, Blondum, Sabellicum, Platinam et caeteros, qui adversario suspecti esse possent; sed Germanos tantum, qui ante exortam Lutheri haeresim sine praejudicio anticipatae opinionis, rem ipsam, ut erat, literis prodiderunt. Jacobus Wymphelingius in epitome rerum germanicarum cap. 36. de Gregorio IX. a Friderico II. miris modis afflicto, ita scribit. *Tum pontifex humanis destitutus auxiliis, ad rem divinam supplicationesque animum divertit, quibus, Deo agente, Fridericum avertit hostem.*

Habes hic testimonium hominis Germani, et quod majus est, Friderico imperatori addictissimi, quippe qui cap. 39. summis eum laudibus effert, qui tamen satis aperte meliorem caussam pontifici tribuit, cum ab ipso Deo pontificem ab imperatoris impetu defensum scribit. Joannes Nauclerus in 2. volumine suae chronographiae generatione 41. de Friderico II. loquitur ad hunc modum: *Romam veniens mores mutavit; spreta jurisjurandi religione multa, et quidem enormia aggressus, ditionem vexabat pontificiam, pontifices et archiepiscopos ponens in Ecclesiis suo modo, et institutos a papa expellens, collectas ab Ecclesiis exigens;* et infra, *admonitus super his, ipsi non obtemperabat: admonentem magis, magisque in dies sprevit, unde eum percussit pontifex anathemate etc.* Accedat Albertus Krantzius, ut in ore trium testium stet omne verbum. Hic insignis auctor in lib. 8. Saxoniae, cap. 8. *Imperator*, inquit, *Fridericus a papa multis ex caussis excommunicatus, quas in bulla declaravit, diu permansit in sordibus,* et paulo post, *pontifex sollicitavit archiepiscopos et episcopos, ut imperatorem excommunicatum cunctis denunciarent: Sed episcopi Theutoniae ne hoc fieret, supplicarunt, veriti tyrannidem ejus. In Francia autem, Anglia et Dania denunciabatur sine timore.* Et paulo infra. *Imperator interim, cum papa concilium praelatorum evocasset ad succurrendum terrae sanctae, revocatis cardinalibus de sua quemque legatione, omnes vias terrae, marique occupavit, et itinerantes ad urbem captos protraxit in carcerem cardinales, episcopos, praelatos, nobiles, doctos cujusque generis et ordinis, ab orbe christiano ad summum pontificem missos oratores. Doluit christianismus tantum esse vulnus in visceribus, ab eo praesertim, qui omnia tueri susceperat, et sacramento se adegit, cum interim Turci et Saraceni premerent Christianos in terra sancta.* Deinde in cap. 9. horribilem Friderici crudelitatem his verbis exponit: *Perductos ad se Romanos partim quaternis ad crucis formam perfodit vulneribus; partim caput in crucis modum quadrifariam scidit; partim fronte eodem ferro cruce reddidit insignitos, clericos vero detonsam in vertice coronam ferro caesim in crucem vulneratam, ut dicebat, jussit ornari, quorum unus inflictum vulnus nimis patienter tolerare visus, in palearum cumulum funiculo est pertractus: et cum benedicere ac laudare Deum perseveraret, igni supposito est crematus.* Et post multa similia

summae crudelitatis exempla subjungit cap. 10.de perfidia atque impietate ejusdem: *Friderici*,inquit, *rem in Sicilia administrantes,in nullum sacrum locum magis saevierunt, quam in monasterium Cassinense divi Benedicti: aurea cujus et argentea vasa fregerunt, quae Fridericus conflata redegit in nummos.et monachis inde vi ac convicio deturbatis, satellites sunt in habitationem ruinamque profecti; et quod impietatem auget, Saracenos adeo fovit Fridericus, ut eos mercede conductos magis, quam caeteros Christianos in militia charos habere sit visus: praeterque arma tractantes multos ex ea barbarie per Italiam et Siciliam honoribus et magistratibus evexit, ejusque gentis amore in Christianos usque adeo est debachatus, ut Luceriam Apuliae civitatem ejectis populariter Christianis,Saracenis dederit habitandam*, et paulo post, *legem in regione promulgavit,qua Saracenos adeo voluit salvos esse, ut contendentes cum illis impune occiderentur: caesorum autem Saracenorum quaestio, si captus non esset, qui vim attulerat, in vicinae regionis populos haberetur, quae aeris summa ac totidem capitum supplicio punirentur. Quin etiam alia impietate, atque insania, ut Saraceno non magis militanti.quam in Africa agenti commodaret, est usus, qui forma praestantiores per Siciliam mulieres, et suum Italiae regnum concupitas virgines a parentum sinu, matronasque a maritorum complexu rapi et passus fuerit et curaverit.Tunetis Africae regis fratrem baptizari volenti Panormi prohibuit.* Haec ille: atque haec sunt videlicet pia illa opera ob quae sanctum imperatorem, et unctum Dei adversarius appellavit,et cur pontifex Gregorius Antichristus jure habendus videatur, quia eum anathemate notatum ab Ecclesia ejecit. Sed pergamus ad caetera.

CAPUT XI.

Septimo loco Joachimum calabrum testem adducit, a quo in explicatione Apocalypsis romanum pontificem Antichristi nomine appellatum affirmat. Sed impudens est mendacium,quod certe nobilem virum, qualem iste se jactat minime decebat, tantum enim abest, ut Joachimus abbas ullo in loco romanum pontificem Antichristum esse significarit, ut contra potius frequenter de illo summo cum honore scripserit. In ipsa epistola, quam toti illi operi praemisit, jubet suum opus apostolicae sedis judicio subjici, ubi etiam certa fide se credere dicit, non posse portas inferi contra romanam Ecclesiam praevalere, neque usque ad mundi consummationem fidem ejus ullo unquam tempore perituram. Deinde in prima parte expositionis explicans textum septimum capitis secundi aperte scribit:Ecclesiam constantinopolitanam finem esse habituram, romanam autem ut veram Hierusalem et thronum David semper mansuram. Rursus in expositione undecimi textus capitis sexti habet haec verba. *Quicumque Petri Ecclesiam moribus,viribusque impugnant,Babylonis se filios contremiscant.* In expositione autem secundi textus capitis septimi per angelum, ascendentem ab ortu solis, atque habentem signum Dei vivi,romanum pontificem intelligendum esse dicit, qui cum coëpiscopis suis signo crucis electos muniet in illa ultima tribulatione, quam Antichristus videlicet excitabat. Sed quid opus est pluribus, cum adversarius locum nullum attulerit pro mendacio suo? Unus extat locus in expositione textus undecimi capitis noni, qui forte pro adversariis facere videatur. Sed in eo loco non verum pontificem romanum, sed principem quendam Patarenorum haereticorum, ab Ecclesia romana jam olim damnatorum, quem illi suum apostolicum dicebant, Antichristi praecursorem futurum esse Joachimus suspicatur. Sed nihil ad rem nostram hoc pertinet.

CAPUT XII.

Adducit postremo testimonia trium auctorum, qui lingua italica scripserunt, Dantis, Petrarchae atque Bocacii, quos testes esse dicit omni exceptione majores, quod papae domestici, quod antiqui, quod venerabiles ob vitae et morum integritatem, quod summa doctrina praediti fuerint, quod sine perturbatione animi scripserint,quod denique etiam praeviderint ruinam pontificatus romani, ut non tam poëtae, quam prophetae fuisse videantur. Et quidem quid isti auctores scripserint,paulo post videbimus. Nunc breviter laudes illas quibus ab adversario afficiuntur discutiamus. Ait in primis ejusmodi esse testes,ut eis nulla ratione contradici possit. At si carmina amatoria, si fabulas, si somnia scripserunt, unde illis auctoritas tanta, ut contradici nequeat? Quid si Dantem ipsum qui maxime serius ac sobrius ex tribus illis fuit, falsitatis, ne dicam mendacii, manifeste coarguam? Certe enim quae scribit de Anastasio pontifice, ut suo loco ostendam, defendi nulla ratione possunt. Denique si testes isti adeo sunt veraces, ut fides omnino illis habenda sit, cur auctor iste pag. 22. fidem Danti habendam esse negat, cum donationem Constantini et leprae ejus Baptismo curatam affirmat? Ait deinde papae domesticos fuisse: quod de Dante et Bocacio simpliciter est falsum. Dantes enim factione Gibellinus, non modo non domesticus, sed etiam hostis pontificum fuit. Bocacius vero nullius pontificis domesticus fuisse legitur. Quod autem de eruditione et antiquitate dicit, antiquior et doctior s. Bernardus fuit, antiquiores etiam et doctiores innumerabiles alii, qui summi pontificis dignitatem totis viribus defenderunt. Sed risum vix tenui,cum Petrarcham et Bocacium a morum sanctitate vitaeque integritate laudari vidi, cum eorum scripta italica,ob quae ab isto juvene tantopere commendantur, nihil fere nisi turpes amores contineant, quorum etiam ipsum Petrarcham aliquando vehementer puduit. Talibus videlicet sanctis prophetis digni sunt Lutherani et Calvinistae, qui juventutem libris suis corrumpant, qui deam Venerem et prolem ejus Cupidinem pro summis numinibus venerentur, qui vel triumphos amoris canant, vel confictis fabulis expugnandae pudicitiae artes doceant. Istud credo, evangelium ab antistite vestro Beza

didicistis, cujus exstant tot carmina amatoria in Candidam, quaedam etiam turpissima in eandem ac puerum Audebertum; et qui non alia de caussa praefationem in psalmos poenitentiales latinis versibus scripsit, nisi ut formam Bethsabeae impudicissime (ut fecit) nobis depingeret. Disce miser, aliquando tandem, quanto sit Ecclesiae catholicae, quam vestrae sanctior disciplina, cum illos ipsos libros vos appelletis sacros, et iterum, atque iterum typis excusos populo obtrudere nitamini, quos censura Eclesiae catholicae legi ob impuritatem, et corruptelam juventutis prohibet. Jam quod addit hos auctores sine animi perturbatione de romano pontifice esse loquutos, quis credat, cum Dantes factione, ut dixi, Gibellinus eos fere pontifices solum reprehendat qui Gibellinis praeter caeteros adversabantur. Nicolaum III. Bonifacium VIII. Clementem V. Nam a Petrarcha tria illa cantica in curiam romanam non sine magna animi perturbatione scripta, cum aulicis infensus esse coepisset, clarius est quam ut sit a nobis necesse dici. Quod denique ad vaticinium illud pertinet, quo illi romani pontificatus ruinam praesignificasse vobis visi sunt, si quidem illi tale aliquid praedixerunt, id ipsum de vaticinio ipsorum dicimus, quod de similibus prophetis olim Ezechiel cap. 13. pronunciavit; Veh prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Tentaverat quondam Martinus Lutherus horum omnium, qui nunc in Ecclesiam catholicam debachantur, parens. futura praedicere, ac in epistola quadam anno 1521. cum illa inscriptione edita fidelem admonitionem ad omnes Christianos, audacter praedixit, post biennium fore, ut papae, cardinales, episcopi, presbyteri, monachi, moniales turres, campanae, et quicquid ecclesiasticum est, in auras diffluueret, atque evanesceret, modo, ipse illo biennio concionari et scribere, ut coeperat, sineretur, sed permissus est non duos, ut petebat, sed fere viginti et duos annos summa libertate scribere ac docere, nec tamen quidquam eorum quae praedixit, evenit. Atque eundem exitum omnia ejusmodi vaticinia necessario sortientur. quae cum prophetae illius omnipotentis vaticinio pugnant: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam Matth. 16.

CAPUT XIII.

Quia vero Pius V. pontifex optimus et sanctissimus carmina illa Petrarchae, quae adversus urbem Romam impie scripta fuerant, abradi jussit, inde sumpta occasione, adversarius in extrema declamatione sua tragice deplorat, quod libri sacrae scripturae non passim lingua vulgari unicuique permittantur. Sed caussam istam tam inepte et imperite agit, ut nisi inscitiam ejus ex toto ipsius opere deprehenderem, suspicaret fortasse eum praevaricari dedita opera voluisse. Primum ait, Ecclesiae catholicae praesules et pastores id unum satagere, ut hominibus persuadeant, eos qui legunt scripturas sacras novi ac veteris testamenti, haereticos fieri. Sed quale est hoc mendacium? An non scripturae sacrae utriusque testamenti summo pontifice, non solum approbante, sed etiam jubente passim publice et privatim in templis, in scholis, in domibus leguntur? Deinde addit, impie prohiberi lectionem bibliorum lingua vulgari, non Moyses in lege veteri jusserit ut sacerdotes ad populum lingua materna conciones haberent? O acumen, quasi vero Ecclesiae catholicae sacerdotes non lingua materna ubique ad populos concionentur. Tertio dicit Christum quoque id ipsum discipulis imperasse, ut videlicet ad populum vulgari idiomate loquerentur. Et quamquam vulgaris idiomatis nulla in evangelio, ut nec in lege Moysis, mentio fit, admittimus tamen ad gentes ad quas docendas missi erant, apostolos lingua vulgari esse concionatos, quod ut dixi, etiam hoc tempore faciunt catholici sacerdotes. Sed iidem cur quaeso lingua minime vulgari epistolas conscripserunt, si eas a vulgo legi voluerunt? Nam certe b. Paulus ad Romanos non romano sed graece scripsit, et Apostoli Petrus et Jacobus ad Hebraeos non hebraice sed graece literas dederunt; et s. Joannes Parthis non particam sed graecam epistolam misit. Quarto dicit, ab apostolo Paulo serio Christianis omnibus denunciari, ut sacras literas investigent ac scrutentur. Atqui hoc praeceptum apostolicum in 14. quae extant, Paulinis epistolis non invenitur; si Calviniani quintam decimam forte habent, non graventur eam cum caeteris communicare. Sed quando Paulus apostolus hoc juberet, qui ut dixi, ad Romanos ea lingua scripsit, quam vulgus non intelligebat; qui serio monet ad Ephes. 4. positos in Ecclesia doctores et pastores, ut videlicet non deessent, qui divinas literas imperitiae multitudini exponerent? Postremo argumentum inde petit adversarius, quod Mahomethus populis suis persuaserit, ad eos non pertinere libros legis Domini per se evolvere, cum id proprium sacerdotum sit, sed utrum Mahomethus id praeceperit, adversarius noster viderit. Nos vero non in Alcorano pseudoprodhetae Mahomethi, sed in Malachia sancto, fidelissimoque propheta legimus. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem requiretis ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est.* Malach. 3. et sanctum Basilium gravissimum doctissimumque patrem, praefecto culinae imperatoriae locum e divina scriptura proferenti respondisse scimus, *Tuum est de pulmentis cogitare. non dogmata divina decoquere*, id quod refert Theodoretus lib. 4. historiae eccles. cap. 17. Sanctum quoque Hieronymum, clarissimum Ecclesiae catholicae lumen, non ignoramus quam acriter reprehenderit, in epistola ad Paulinum, prava n illam consuetudinem, qua sibi divinas literas omnes vendicabant, cum tamen alioqui veteri proverbio, tractent fabrilia fabri. Atqui hactenus de illa declamatione, qua summum pontificem Antichristum esse frustra probare adversarius contendebat.

CAPUT XIV.

Responsio ad ea, quae ex Dante Alighierio contra sedem apostolicam adferuntur.

Venio nunc ad ea, quae ex Dante poëta italico in medium adferenda libelli auctor judicavit. Ea licet

multa et varia sint, tamen omnia ad quinque capita revocari possunt. Primum enim in opere illo Dantis certorum pontificum et cleri etiam totius vitia deteguntur; deinde locus Apocalypsis de Babylone ad summos pontifices applicatur; tertio sacrificium missae juxta Lutheranorum errorem improbari videtur; quarto Lutheri adventus et praedicatio prophetico spiritu, si adversariis credimus, praesignificatur; quinto indulgentiae pontificiae reprehendi videntur. Ordiamur a primo. Quinque pontifices a Dante reprehensos adversarius annotavit, Anastasium II. Nicolaum III. Bonifacium VIII. Clementem V. et Joannem XXII. Addere poterat ad alios etiam Celestinum V. hos enim sex ex tam ingenti numero summorum pontificum in toto illo opere reprehendit. Sed in Anastasio ex inscitia turpiter lapsus est. Scribit enim Anastasium inter haereticos in gehenna puniri, ob haeresim quandam Photini.

Cant. 11. dell'Inferno.
Ci raccostammo dietro ad un coperchio
D'un grande avello, ov'io vidi una scritta
Che diceva, Anastasio papa guardo,
Lo qual trasse Fotin da la via dritta.

Commentarius adversarii ad hunc locum habet, Photinum in Thessalia docuisse Spiritum sanctum a Patre non procedere; et Filium minoris auctoritatis esse quam Patrem: atque hanc haeresim ita placuisse Anastasio II. pontifici, ut eam etiam publice defendere sit conatus, proinde jure a Dante inter haereticos numerari. Ac Dantes quidem aliqua venia dignus est, quippe qui Martinum Polonum, Gratianum et alios quosdam erroris sui habuit auctores. Illi enim Dante antiquiores scriptum reliquerunt, Anastasium pontificem in eo peccasse, quod Acacium Eutychianae haeresis fautorem, et a praedecessoribus suis juste depositum, in sedem constantinopolitanam revocare voluerit, quodque Photino cuidam thessalonicensi Acacii amico sine consensu episcoporum caeterorum temere communicaverit. Addunt etiam, praedictum Anastasium ob id peccatum divina ultione percussum misere periisse. Quae omnia falsa fabulosaque sunt, nam certissimis testibus constat, Acacium multo ante obiisse diem suum, quam Anastasius pontifex fieret: testantur id Evagrius lib. 3. histor. cap. 23. Nicephorus lib. 15. cap. 17. et Liberatus in breviario de caussa Nestoriana cap. 18. Quomodo ergo fieri potest, ut Anastasius Acacium ad sedem revocare voluerit, quem jam olim defunctum esse constabat? Deinde, nonne extat epistola doctissima et pulcherrima hujus Anastasii pontificis optimi ad Anastasium imperatorem, in qua totis viribus persuadere nititur, ne nomen quidem Acacii tolerandum esse? Sed occasionem fabulae dedit, quod illo ipso tempore vixit Anastasius imperator, haeresi Eutychiana infectus, qui et Acacio favebat, et fulmine ictus interiit, ut scribunt Cedrenus, Zonaras et Paulus diaconus in ejus vita. Quod ergo ad Anastasium imperatorem proprie pertinebat, vel inscitia, vel malitia scriptorum ad Anastasium pontificem retulit, atque haec ad Dantem. Ad commentarium Adversarii breviter respondemus, in eo tria splendida mendacia contineri. Non enim Anastasius IV. ut iste somniat, sed secundus fuit, de quo loquitur Dantes. Nec Photinus ille Spiritum sanctum a Patre procedere, ut iste sine ullo fundamento affirmat, inficiabatur, sed Acacio tantum Eutychianistae favebat. Nec denique Anastasius Photini errorem publice defendisse usquam legitur, nisi apud istum vere commentitum commentarium. Auctores enim supra citati, quos Dantes sequutus videtur, tantum scribunt, Anastasium sine consensu episcoporum et clericorum totius Ecclesiae Photino communicasse. Jam vero in Celestino V. nihil aliud Dantes reprehendit, nisi quod pontificatu sponte se abdicarit; sic enim habet:

Cant. 3. dell'Inferno.
Guardai e vidi l'ombra di colui.
Che fece per viltate il gran rifiuto.

Sed hunc locum neque Adversarius annotavit, quod nihil ad rem ejus pertineret, neque Dantes vere judicavit. Fuit enim Celestinus vir sanctissimus, et tam ante pontificatum, quam etiam post, miraculis plurimis illustris, ut ex ejus vita intelligi potest, quam et docte et fideliter scripsit cardinalis cameracensis Petrus ab Alliaco. Caeteros quatuor pontifices Nicolaum, Bonifacium, Clementem et Joannem, et generatim clericos omnes, Dantes quidem non parum vituperat, sed ob vitam et mores, non ob fidem et doctrinam, neque haereticos aut Antichristos usquam vocat. Quid autem mirum esset, si in tam numeroso summorum pontificum ordine, pauci quidam invenirentur vitae parum integrae et probatae, an ideo quia pauci quidam minus sancte vixerunt, sedes ipsa apostolica antichristiana dicenda est, cum et antea et postea plurimi viri sanctissimi, eandem apostolicam sedem tenuerint? An vero non possemus cum sancto Augustino de summis pontificibus disputante, libere dicere, in ullum ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, jam usque ad Clementem VIII. qui nunc in eadem cathedra sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil praejudicaret Ecclesiae et innocentibus Christianis, quibus Dominus praevidens, ait de praepositis malis: *Quae dicunt facite, quae autem faciunt, facere nolite: dicunt enim et non faciunt*, ut certa sit spes fidelis, quae non in homine, sed in Domino collocata numquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur. Quid? quod, ut supra dixi, Dantes factione Gibellinus in reprehensione pontificum et cleri merito suspectus haberi debet, cum odio potius inimicorum; quam veritatis amore adscribendum animum appulisse videatur. Accedit postremo, quod adversarius etiam noster in quibusdam rebus Danti fidem habendam esse negat, quod eum vulgi opinionem sequutum esse dicat, ut in donatione et lepra Constantini. Quod si adversario licuit Danti, quem ut prophetam coli voluit, fidem interdum non habere: cur nobis non liceat eidem Danti, quem poëtam non prophetam fuisse scimus, interdum etiam fidem non habere? atque haec de primo.

CAPUT XV.

Alterum caput erat de loco Apocalypsis de quo sic loquitur Dantes:

Cant. 19. dell'Inferno. *Apoc.* 17.
Di voi pastor s'accorse 'l Vangelista
Quando colei che siede sopra l'acque
Puttaneggiar co'regi a lui fu vista.
Quella che con le sette teste nacque
E da le dieci corna ebbe argumento
Fin che virtute al suo marito piacque.

Hic vero triumphat adversarius, sed plane ante victoriam. nam in eodem cantico Dantes agnoscit verum Ecclesiae catholicae pastorem fuisse Nicolaum illum tertium de quo loquebatur, cum summos pontifices per mulierem illam meretricem significatos esse diceret.

E se non fusse, ch'ancor lo mi vieta
La reverenzia dalle somme chiavi,
Che tu tenesti nella vita lieta.
I'userei parole ancor più gravi.
Che l'avarizia vostra il mondo attrista
Calcando i buoni, e su'levando i pravi.
Di voi pastor s'accorse 'l Vangelista etc.

Cum igitur ob summarum clavium reverentiam, quas Nicolaum pontificem habuisse in terris confitetur, ne in inferno quidem Dantes audeat contumeliose illum alloqui: certe non Antichristum, sed verum Christi vicarium fuisse illum censebat, etiamsi ob avaritiam cum meretrice illa de Apocalypsi eundem conferri posse judicaverit. Deinde quis neget veteres Patres doctissimosque Scripturae sanctae interpretes uni Danti anteponendos esse? Porro nullus unquam veterum hunc locum Apocalypsis de romana Ecclesia, aut summo ejus pontifice accipiendum esse docuit. Sanctus Augustinus tract. in psalm. 26. et Arethas, Haymo, Beda et Rupertus in comment. hujus cap. 17. Apocal. per magnam illam meretricem universam diaboli civitatem, idest, omnem impiorum multitudinem significatam volunt. Caeteri, ut Tertullianus et Hieronymus supra citati, de Roma quidem locum illum exponunt, sed de Roma ethnica et imperatoribus ejus paganis, qui Christi Ecclesiam in ipsa urbe ita persequebantur, ut plane juxta verba Joannis meretrix illa magna ebria dici posset de sanguine martyrum Jesu. Sed jamdudum Roma ad Christi fidem per apostolorum principes conversa, ut idem sanctus Hieronymus ait lib. 2. contra Jovinianum, blasphemiam in fronte scriptam Christi confessione delevit, et ut magnus loquitur Leo, sermo de ss. Petro et Paulo, *De magistra erroris discipula facta es veritatis: et per ejusdem sancti Petri sedem caput orbis effecta latius praesides religione divina, quam dominatione terrena.*

CAPUT XVI.

Tertium ad sacrificium missae pertinet, et in illis verbis continetur:

Cant. 33. del Purgatorio.
Sappi che 'l vaso che 'l serpente ruppe
Fu e non è: ma chi n'ha colpa creda
Che vendetta di Dio non teme suppe.

Hunc enim locum Adversarius ita exponit, ut velit, vas quod fuit et non est, esse romanam Ecclesiam designatam per bestiam illam, de qua dicitur in Apocalypsi cap. 17. fuit et non est, et quia *suppa* lingua italica significat panem vino maceratum, scribit impius iste juvenis, per eam vocem significari Eucharistiam, ac sententiam Dantis esse non placari Deum sacrificiis catholicorum sacerdotum, quae in specie panis et vini Domino offeruntur. Et quidem quod attinet ad vas illud confractum, non negamus eo vase romanam Ecclesiam designari, quam Dantes ob corruptam morum disciplinam in deterius mutatam cum cerneret, dixit, fuisse, sed non esse: quod autem dixit non esse, per comparationem accipiendum est, non absolute, neque enim significare voluit, non esse jam Romae Ecclesiam, sed non esse talem qualis aliquando fuerat, si de moribus et vitae integritate agatur, nam alioqui Ecclesiam Romae esse, et summos pontifices Christi locum in terris gerere ex ipso Dante paulo post luce clarius ostendemus. In eo vero quod de pane et vino scripsit Dantes, explicando, toto coelo adversarius aberravit; nam Landinus, qui commentaria in Dantem scripsit, ubi ad hunc locum venit, ex testimonio Imolensis antiqui interpretis hujus poëtae, et ex monumentis quibusdam filii ejusdem Dantis, et ex communi Florentinorum consensu docet, allusisse Dantem hoc loco ad superstitionem, quae suo tempore vigebat Florentiae; existimabant enim illius aetatis homines eos qui homicidium perpetrassent, non posse in manus inimicorum devenire, si super occisi tumulum panem vino maceratum comedissent, atque ea de caussa cognati ejus qui caesus fuerat, diligenter tumulum custodiebant, ne forte homicidae super eum tumulum cibo illo vescerentur, antequam caedem alia caede ulti essent. Ad hanc igitur sui temporis consuetudinem, sive potius superstitionem, Dantes respiciens, minatur divinam vindictam iis, qui Ecclesiam male vivendo deformant: atque addit eis minime profuturum superstitionem illam, quam sibi prodesse parricidae falso atque impie credunt.

CAPUT XVII.

Sequitur Quartum caput, quo carmina illa continentur, quibus Lutherum a Dante praesignificatum Adversarius credit.

Cant. ult. del Purgatorio.
Non sarà tutto tempo senza reda,
L'aguglia, che lasciò le penne al carro
Perchè divenne mostro, e poscia preda.
Ch'i veggio certamente, e però 'l narro
A darne tempo già stelle propinque
Sicure d'ogni intoppo, e d'ogni sbarro
Nel quale un cinque cento dieci e cinque
Messo di Dio anciderà la fuja
E quel gigante che con lei delinque.

Hic Adversarius, ut se acutissimum aenigmatum interpretem esse demonstret, tempus significari affirmat, quo Lutherus conciones suas adversus Ecclesiam et summos pontifices exorsus est. Is enim annus fuit quingentesimus septimus decimus su-

pra millesimum.Parum autem interest inter annum quingentesimum quintum decimum notatum a Dante, et annum quingentesimum septimum decimum quo Lutherus apparuit.Sed non advertit novus iste Oedipus, Dantem per eum numerum non tempus, sed personam significasse, non enim ait, anno quingentesimo quinto decimo nuncius Dei venit, sed tempus erit, cum quidam a Deo missus adveniet, qui per numerum 515. significatur.in qua re imitari voluit Dantes locum illum cap. 13. Apocalypsis, ubi nomen Antichristi per numerum 666. describitur. Deinde si numerum annorum Lutheranae praedicationis Dantes praevidisset, cur a vero per integrum biennium aberrasset? cur etiam mille annos omisisset? Adhaec cum tam aperte Dantes per nuncium illum Dei imperatorem designet, cum dicat, non semper aquilam haerede carituram,unde quaeso in mentem venire potuit ulli homini, ut per eum nuncium Lutherum ex monacho apostatam ac privatum hominem intelligeret? et cum Dantes praedicat,nuncium illum non solum oppressurum meretricem, sed etiam gigantem,qui cum ea fornicabatur, et per gigantem adversarius noster Philippum Pulchrum Galliarum regem, qui Clementis V. temporibus vixit, significatum fuisse concedat, quanta quaeso amentia fuit, per eum nuncium Lutherum accipere et interpretari, quasi Lutherus Philippum illum debellaturus esset, qui ante obiit quam Lutherus nasceretur? Vera igitur expositio, quae ex ipsius Dantis testimonio colligitur, haec est, per numerum quingentorum quindecim, nomen describitur trium literarum videlicet. dux, siquidem numerus ille latine sic scribitur DXV.eaedem vero literae transpositae faciunt DUX. Porro per eum ducem principem Veronae intelligi voluit, qui Canes Scaligerus nominabatur, cum enim ab eo principe multa beneficia Dantes accepisset, atque ei more poëtico adulari vellet, praedicit fore, ut is aliquando imperio romano ac praesertim per omnem Italiam potiatur : et non solum Ecclesiam ditione temporali spoliet, sed etiam regem Galliae Philippum in ordinem redigat. Id ita esse perspicuum est ex primo cantico de rebus inferorum,ubi similia praedicens et nomen canis exprimit, et civitatem ejus describit:

Molti son gli animali a cui s'ammoglia,
E più saranno ancora in fin che 'l veltro
Verrà che la farà morir con doglia.
Questi non ciberà terra, nè peltro.
Ma sapienza ed amore e virtute
E sua nazion sarà tra Feltro e Feltro.

Sita enim Verona est inter Feltrum Romandiolae, et Feltrum Marchiae Trivisanae. Idem etiam aperte colligitur ex cantic. 17. Paradisi. Caeterum vaticinium istud non alium exitum habuit.quam inanis adulatio, et poëticum somnium merebatur.

CAPUT XVIII.

Restat postremum caput, in quo adversarius indulgentias pontificias a Dante reprehendi credit, haec sunt verba Dantis:

Cant. 29. del Paradiso.
Ma tal uccel nel becchetto s'annida,
Che s'il volgo'l vedesse, vederebbe
La perdonanza, di che ei si confida.

Sed hic locus nihil omnino facit contra indulgentias, siquidem ut exponit Landinus.et res ipsa clamat, eos concionatores Dantes reprehendit, qui falsas indulgentias praedicant, et turpis lucri gratia venias peccatorum auditoribus pollicentur.cum pontificis testimonium nullum proferre possint, quos quidem concionatores, si qui jam sunt.ut impostores et falsarios catholici omnes reprehendunt; loqui autem de ejusmodi Dantem impostoribus patet ex versibus qui proxime sequuntur.

Per cui tanta stultizia in terra crebbe,
Che senza prova d'alcun testimonio,
Ad ogni promission si correrebbe

et paulo infra:

Pagando di moneta senza conio.

Ubi significat, ejusmodi concionatores iis, a quibus eleemosynas accipiunt ratione indulgentiae,solvere pecunias sine impresso ullo signo,quae nihil valent.

CAPUT XIX.

Atque hactenus respondimus ad ea, quae ex Dante protulit adversarius,nunc audire eum necesse erit ex eodem Dante, quae forte non cuperet. Proferemus enim testimonia plurima atque apertissima Dantis, non solum pro summa roman.pontificis auctoritate et dignitate, sed etiam pro aliis nonnullis fidei nostrae capitibus, ut adversarius intelligat, se Dante judice non modo caussa cecidisse, sed etiam plane haereticum et impium esse.

De sancto Petro sic loquitur Dantes:

Cantic. 24. del Paradiso.
. . . . O luce eterna del gran viro,
A cui nostro Signor lasciò le chiavi,
Ch'ei portò giù da questo gaudio miro.

De urbe Roma sic:

Cantic. 2. del Inferno.
Non pare indegno ad uomo d'intelletto,
Ch'ei fu de l'alma Roma, e di suo impero
Nell'empireo ciel per padre eletto.
La quale, e 'l quale a voler dire il vero
Fur stabilite per lo loco santo
V'siede il successor del maggior Piero.

Audisne, Romam non Antichristi locum esse, sed urbem almam et locum sanctum, de coelo stabilitum, ubi successor Petri sedem habet?

Alio loco Nicolaum III. papam jam defunctum sic alloquitur:

Cantic. 19. dell'Inferno.
E se non fusse, ch'ancor le mi vieta
La riverenzia delle somme chiavi
Che tu tenesti nella vita lieta,
Io userei parole ancor più gravi.

Audisne qua reverentia Dantes pontificem, etiam mortuum prosequatur, licet ei, praeter caeteros infensus esset.

Alio loco describens captivitatem Bonifacii VIII. ita cecinit:

Cant. 20. del Purgatorio.
Veggio in Anagna entrar lo fior d'aliso,
E nel vicario suo Cristo esser catto.
Veggiolo un'altra volta esser deriso;
Veggio rinovellar l'aceto e'l fiele,
E tra vivi ladroni esser anciso.
Veggio'l novo Pilato sì crudele,
Che ciò no'l sazia, ma senza decreto
Porta nel tempio le cupide vele.
O Signor mio quando sarò mai lieto
A veder la vendetta, che nascosa
Fa dolce l'ira tua nel tuo secreto.

Audisne illum ipsum pontificem Bonifacium, quem ob malos ejus mores, vel ob contrariam factionem Dantes saepe reprehendit, vicarium Christi nominari, et injuriam illi factam, Christo factam judicari? Non igitur Dantes more Lutherico et Calvinistico pontificem summum Antichristum esse putabat, etiamsi alioqui illum reprehenderet, quod vitam et mores minus probatos habere videretur.

Alio loco de eodem sic loquitur:

Cant. 22. dell'Inferno.
Nè sommo officio, nè ordini sacri
Guardò in sè.

Audisne ut summum officium, sacrosque ordines cum pravis moribus in Bonifacio Dantes agnoscat?

Alio loco scribit se occurrisse animae Adriani V. pontificis, et continuo in genua procubuisse ut cum ea anima loqueretur ob summam dignitatem, quam in terris gesserat:

Cant. 19. del Purgatorio.
Io m'ero inginocchiato, e volea dire,
Ma com'io cominciai ed ei s'accorse
Solo ascoltando del mio riverire,
Qual cagion, disse, in giù così ti torse?
E io a lui per vostra dignitate.

Alio loco de papa Agapeto ita scribit:

Cant. 6. del Paradiso.
Ma benedetto Agapito, che fue
Sommo pastore alla fede sincera
Mi ridrizzò con le parole sue.

Alio loco de Clemente V. quem praeter omnes alios reprehendere solet, scribit:

Cant. 30. del Paradiso.
E fia perfetto nel foro divino.
Allor tal che in palese ed in coverto
Non anderà con lui, con un camino;
Ma poco poi sarà da Dio sofferto
Nel santo officio.

Alibi contra eos, qui sectarios audiunt omissa doctrina Ecclesiae, ac summi pastoris, ut hoc tempore Lutherani et Calvinistae faciunt:

Cant. 5. del Paradiso.
Siate cristiani a movervi più tardi,
Non siate come penne ad ogni vento,
Et non crediate ch'ogni acqua vi lavi,
Avete il vecchio e'l novo Testamento,
E'l pastor della Chiesa che vi guida,
Questo vi basti a vostro salvamento.

Alio loco docet merita operum bonorum, quae Adversarius noster cum magistro suo Calvino non agnoscit:

Cant. 25. del Paradiso.
Speme, diss'io è un attender certo
Della vita futura, il qual produce
Grazia divina, e precedente merto.

Alio loco asserit arbitrii libertatem, cujus ne nomen quidem Calvinistae ferre possunt:

Cant. 1. del Paradiso.
Lo maggior don, che Dio per sua larghezza
Fesse creando, e alla sua bontate
Più conformato, e quel ch'ei più apprezza,
Fu della volontà la libertate,
Di che le creature intelligenti
E tutte e sole furo, e son dotate.

Et alibi de eodem libero arbitrio:

Cant. 18. del Purgatorio.
Questo è'l principio là onde si piglia
Cagion di meritare in voi secondo,
Che buoni e rei amori accoglie e viglia.

Alio loco signum crucis approbat, a quo Calvinistae non minus quam daemones fugiunt:

Cant. 2. del Purgatorio.
Poi fece il segno lor di santa croce.

Alio loco invocationem sanctorum describit, quae idololatria a Calvinistis judicatur:

Cant. 13. del Purgatorio.
Udì gridar, Maria ora per noi
Gridar, Michele, e tutti gli altri Santi.

Item alibi inducit s. Bernardum sic loquentem de intercessione b. Virginis Mariae:

Cant. 32. del Paradiso.
Orando grazia convien che s'impetri
Grazia da quella che puote aitarti.

Item alibi ad eandem Virginem:

Cant. ultimo del Paradiso.
Donna sei tanto grande, e tanto vali
Che qual vuol grazie, e a te non ricorre
Sua disianza vuol volar senz'ali.

Alio loco de reliquiarum veneratione:

Cant. 25. del Paradiso.
Mi disse mira, mira, ecco'l Barone
Per cui la giù si visita Galizia.

Alio loco de imaginibus:

Cant. 4. del Paradiso.

E santa Chiesa con aspetto umano
Gabriel, e Michael vi rappresenta,
E l'altro che Tobia rifece sano.

Alio loco de votis, quae sine pontificis auctoritate, commutari nequeunt, in quo se maxime alienum ab haereticis nostri temporis Dantes ostendit:

Cant. 5. del Paradiso.

Ma non trasmuti carco alla tua spalla,
Per suo arbitrio alcun senza la volta,
E della chiave bianca e della gialla.

Alio loco contra quosdam, qui virginem Deo dicatam ex monasterio sanctae Clarae rapuerunt, quod nostro tempore fecit Lutherus, tantopere ab Adversario laudatus:

Cant. 3. del Paradiso.

Dal mondo per seguirla giovinetta
Fuggiimi. e nel suo abito mi chiusi,
E promisi la via della sua setta.
Uomini poi al mal più ch'al ben usi
Fuor mi rapiron della dolce chiostra,
Dio lo si sa qual poi mia vita fusi.

Alio loco de poenis purgatorii, quas Calvinistae ut fabulas rident:

Cant. primo dell'Inferno.

Color, che son contenti
Nel foco, perchè speran di venire
Quando ch'e'sia, alle beate genti.

Alio loco de suffragiis pro defunctis, quae similiter negantur a Calvinistis:

Cant. 26. del Purgatorio.

Fagli per me un dir di Pater nostro,
Quanto bisogna a voi di questo mondo,
Ove poter peccar non è più nostro.

Item alibi de eadem re:

Cant. 11. del Purgatorio.

Ben si dee lor aitar lavar le note,
Che portaron quinci. sì che mondi e lievi
Possan uscir alle stellate rote.

Alio loco de duobus gloriosissimis ducibus minorum et praedicatorum:

Cant. 11. del Paradiso.

Due principi ordinò in suo favore,
Che quindi e quinci le fusser per guida
L'un fu tutto Serafico in amore,
L'altro per sapienzia in terra fue
Di cherubica luce uno splendore.

Item ibidem de approbatione regulae sancti Francisci per apostolicam sedem:

E regalmente sua dura intenzione,
Ad Innocenzio aperse, e da lui ebbe
Primo sigillo a sua religione.

Item:

Di seconda corona redimita
Fui per Onorio dall'eterno spiro
La santa voglia d'esso archimandrita.

Item de primis sociis sancti Francisci:

Cant. 12. del Paradiso.

. . . . il venerabile Berardo
Si scalzò prima, e dietro a tanta pace
Corse, e correndo li parve esser tardo.
O ignota ricchezza, o ben ferace:
Scalzasi Egidio, scalzasi Silvestro.
Dietro a lo sposo sì la sposa piace.

Sed finis sit: neque enim omnia adducere debemus, et haec abunde sufficiunt, ut juvenem illum, qui Dantem judicem appellavit, si frontem habet, erubescere cogat.

CAPUT XX.

Responsio ad ea, quae adferuntur ex Petrarcha.

Transeo nunc ad ea, quae ex Francisco Petrarcha in medium Adversarius protulit, ea sunt partim cantica quaedam, partim fragmenta epistolarum, sed omnia in unam atque eandem sententiam conveniunt, ut videlicet romanam curiam multorum vitiorum accusent, ac propterea etiam Babylonem quandam nominari posse affirment. Fateor illa in libris Petrarchae exstare, sed quae vitia hominum damnent, non pontificum, aut sedis apostolicae dignitatem imminuant, id quod ipse testatur lib. 11. Senilium epistolarum ad Franciscum pontificis maximi secretarium scribens. Nam cum admoneretur, ne tam multa scriberet in cardinales, aliosque rom. curiae praelatos, respondit, se non homines, sed vitia hominum insectari, neque id facere, quod sibi nocuerint, sed quia injuriam male vivendo faciunt romanae urbi, Ecclesiae Dei, Christo ipsi, atque apostolis ejus Petro et Paulo. Nam alioqui in iisdem libris innumerabilia extant loca, ex quibus fides et cultus Petrarchae erga summam illam ac Deo proximam romani pontificis potestatem agnoscas, lib. 1. Senilium epistolarum ad Talanandum cardinalem. Quis, inquit, quaeso non stupeat, simulque non gaudeat, si amicus sit vicario Jesu Christi? lib. 7. Senilium ad Urbanum V. pontificem, quem ut Romam redeat adhortatur, Mihi, inquit, apud te, summum culmen Ecclesiae, non de mea aetate, sed de tua humanitate fiducia nascitur; audio enim te libenter audire, quae vera sunt, etsi acria sint: falsa autem quamvis dulcia, aspernari; neque id mirum; Veritatis vivae vicarius es in terris; et infra: Ubicumque rite colitur Christi nomen, illic sedem tuam esse nec nego nec dubito. Illud mihi non negetur, quod inter omnes alias singulare tecum aliquid, immo quamplurimum, habeat urbs Roma. Caeterae enim omnes suos habent sponsos, tibi quidem uni subditos. sed suis ecclesiis praesidentes: illa vero nullum habet, nisi te. Itaque summus in reliquis, in romana urbe solus es pontifex, solus sponsus; et infra, Quo a-

nimo,da quaeso, misericors Pater, temerarie devotioni meae veniam, quo, inquam, animo tu ad ripam Rhodani sub auratis tectorum laquearibus somnum capis,et Lateranum humi jacet; et ecclesiarum mater omnium tecto carens et ventis patet ac pluviis;et Petri et Pauli sanctissimae domus tremunt; et apostolorum quae nunc aedes fuerant, jam ruina est, informisque lapidum acervus lapideis quoque pectoribus suspiria extorquens? et infra: Romam almam ac sacrosanctam urbem, reginam urbium, arcem christianae fidei, locum Deo gratum, hominibus venerandum, sacram tellurem, rerum caput, non semel appellat: et ibidem: Nullam esse toto orbe terrarum civitatem, ubi magis religio ac devotio erga res divinas conspiciatur, affirmat. Ibidem de Bonifacio papa VIII. Ananiae a Columnensibus comprehenso loquens: Nulla, inquit, homini in vicarium Dei sui caussa sufficiens est offensionis. Idem lib. 9. Senilium ad eundem Urbanum: Vere, inquit,summus ac romanus est pontifex,vere Urbanus, vere Petri successor, vere vicarius Jesu Christi. Item in eodem libro ad Franciscum Brunum scribens. Illud,inquit, neque tuum,neque cujusquam animum moveat, quod papam romanum quo nihil majus, immo cui par nihil orbis habet, alloquor; quasi illius reverentia stylum cohibere debuerit, mihi enim ut vides, magna hinc pars fiduciae orta est, quod vicario veritatis nulla veri particula occultanda videretur. Idem lib. 11. Senilium, epist. ult. Roma, inquit, proculdubio sacrosanctissimus mundi locus est, ubi Christianus verus et vivere optet et mori. Idem in apologia contra Galli calumnias: Non quidem, inquit, sic insanus sum, ut romano pontifici legem ponam, cum ipse sit legifer omnium Christianorum. Idem lib. 1. Invectivarum contra medicum,romano pontifici, inquit: Omnes, qui christiano nomine gloriamur, non modo consilium, sed obsequium insuper et obedientiam debemus. Neque vero solum de summi pontificis dignitate multo aliter sentit Petrarcha, quam adversarius crederet; sed etiam de caeteris omnibus fidei nostrae capitibus. Nam lib.11.Senilium ad Bonaventuram scribens,laudat monachum quendam, quod et monasticam vitam religiose duxerit, et missas devotissime celebraverit, lib.13.in epist. ad Franciscum Brunum,orat pro anima pontificis defuncti, lib.14. in epist. ad Philippum cardinalem multa scribit de sacra illa spelunca,in qua sancta Maria Magdalena habitasse dicitur, eamque illo carmine invocat:

Dulcis amica Dei lachrymis inflectere nostris;
Atque humiles attende preces, nostraeque saluti
Consule, namque potes.

In lib. 2. de vita solitaria cap. 11. Sacra stigmata sancti patris Francisci et ordinem ab illo institutum debitis laudibus celebratum,lib. 1. de otio religiosorum monachos sic alloquitur: O felices animae, o excubitores assidui intentique; o sollicita et devota Christi mancipia, proque brevi servitio non libertatem modo perpetuam, sed ingenuitatem filiationemque promerita, o mercimonium optabile, faustaque rerum alternatio, servire modicum, non ut diu regnes, sed ut semper. Denique, ut alia praetermittam, extat etiam ipsius Petrarchae testamentum, in quo multa sunt catholici animi signa; sed illud in primis, quod b. Virginem ac sanctos caeteros magna devotione implorat. Nec solum latinis, seriisque operibus, sed etiam in italicis illis versibus, quos tantopere adversarius admiratur, et in libello, quos de vitis pontificum et imperatorum conscripsit,et summum pontificem Christi vicarium vocat, et alia non pauca scribit adversus ea, quae nostri temporis haeretici docent, De summo pontifice ita loquitur:

E'l vicario di Cristo con la soma
De le chiavi, e del manto al nido torna:
Si che s'altro accidente nol distorna
Vedrà Bologna, e poi la nobil Roma.

Item alibi Ludovicum IV. imperatorem non alia de caussa solum idolum appellat,et nomen habere dicit sine re; nisi quia summi pontificis auctoritate, et ab imperio dejectus,et extra communionem fidelium ejectus fuerat.

Latin sangue gentile
Sgombra da te queste dannose some;
Non fare idolo un nome
Vano senza soggetto.

Alio loco romanam urbem domicilium Dei nomina, quia videlicet sedes est vicarii ejus:

Le donne lagrimose, e'l volgo inerme
De la tenera etate, e i vecchi stanchi;
E'hanno sè in odio e la soverchia vita,
E i neri fraticelli, e i bigi, e i bianchi
Con l'altre schiere travagliate e inferme,
Gridan: o Signor nostro aita, aita:
E la povera gente sbigottita
Ti scuopre le sue piaghe a mille a mille.
Ch'Annibale, non ch'altri farian pio.
E se ben guardi a la magion di Dio
Ch'arde oggi tutta, assai poche faville
Spegnendo, fien tranquille
Le voglie che si mostran s'infiammate,
Onde sien l'opre tue nel ciel lodate.

Alio loco pie describit peregrinationem ad urbem Romam, et cultum fidelium erga sacras reliquias atque imagines,quas vos Calviniani irridere soletis:

Movesi'l vecchiarel canuto e bianco
Del dolce luogo, ove ha sua età fornita,
E da la famigliuola sbigottita,
Che vede 'l caro padre venir manco:
Indi traendo poi l'antico fianco
Per l'estreme giornate di sua vita;
Quanto più può col buon voler s'aita
Rotto da gli anni, e dal camino stanco.
E viene a Roma seguendo il desio
Per mirar la sembianza di colui,
Ch'ancor là su nel ciel vedere spera.

Alio loco Virginem Deiparam magno affectu implorat: et simul damnat amores et amatoria cantica, quae juveni sibi exciderant:

Per te può la mia vita esser gioconda,
S'a'tuoi prieghi, o Maria,
Vergine dolce e pia,
Ove'l fallo abbondò, la grazia abbonda.
Con le ginocchia de la mente inchine.
Prego che sia mia scorta,
E la mia torta via drizzi a buon fine.

Et infra:

Mortal bellezza, atti e parole m'hanno
Tutta ingombrata l'alma;
Vergine sacra ed alma
Non tardar, ch'io son forsi all'ultim'anno.
I dì miei più correnti, che saetta
Fra miserie e peccati
Sonsen' andati: sol morte n'aspetta.

Et infra:

Se dal mio stato assai misero e vile
Per te tue man resurgo,
Vergine, i'sacro e purgo
Al tuo nome, e pensieri, e'ngegno e stile;
La lingua e'l cor, le lagrime e sospiri
Scorgine al miglior guado;
E prendi in grado i cangiati desiri.

His adjungam duo illa cantica, ubi deplorat pretiosum tempus in nugis, idest, in amatoriis versibus amissum:

Tennemi amor anni vent'uno ardendo
Lieto nel foco, e nel duol pien di speme;
Poichè Madonna, e'l mio cuor seco insieme
Saliro al Ciel, diece altri anni piangendo.
O mai son stanco, e mia vita riprendo
Di tanto error; che di virtute il seme
Ha quasi spento; e le mie parti estreme,
Alto Dio, a te devotamente rendo.
Pentito e tristo dei miei sì spesi anni,
Che spender si doveano in miglior uso,
In cercar pace ed in fuggir affanni.
Signor, ch'in questo carcer m'hai rinchiuso
Trammene salvo da gli eterni danni
Ch'io conosco 'l mio fallo e non lo scuso.

I' vo piangendo i miei passati tempi,
I quai posi in amar cosa mortale,
Senza levarmi a volo avendo io l'ale
Per dar forsi di me non bassi esempi.
Tu che vedi i miei mali indegni ed empi,
Re del Cielo invisibile, immortale,
Soccorri all'alma disviata e frale,
E'l suo difetto di tua grazia adempi.
Sì che s'io vissi in guerra, ed in tempesta,
Mora in pace ed in porto; e se la stanza
Fu vana, almen sia la partita onesta.
E quel poco di viver che m'avanza,
E al morir degni esser tua man presta;
Tu sai ben, ch'in altrui non ho speranza.

CAPUT XXI.

Claudam hunc locum cum illis ejusdem Petrarchae testimoniis, quae in eo libro italico continentur, quem scripsit de vita et moribus pontificum romanorum. Omittam autem, quae ille dicit de pontificibus, qui ante ipsius tempora sederant, quos tamen ut plurimum laudat, ea solum testimonia, quae ad eos pertinent, quos ipse optime noverat, Joannem videlicet XXII. Benedictum XII. Clementem VI. Innocentium VI. et Urbanum V. de Joanne sic loquitur: *Costui fu ottimo e glorioso pastore; fece molti beni; et haeretici per zelo della fede condannò.*

De Benedicto. *Fu nell'adolescenza di buona et intera vita, dipoi maestro in theologia, e fatto che fu papa, riformò l'Ordine di s. Benedetto. Nel dare i beneficii era duro, havendo grande cura, che non fussero conferiti a chi non gli meritava. Era fervido nella fede, e nelle buone opere zelatore; et però era ad alcuni non troppo caro. Fu rigido et aspro in modo, che fingeva di non riconoscere li parenti, dicendo, che il papa non ha parenti.*

De Clemente: *Fu et per nome, et per fatti di molte virtù pieno.* De Innocentio: *Fu grandemente de'religiosi amatore. Fu in ragione canonica eccellente. All'ultimo havendo santamente tradotta la vita, si morì.* De Urbano: *Fu nelle sacre Scritture dottissimo, e santamente visse.* Haec sunt Petrarchae testimonia de pontificibus romanis, quorum temporibus ipse vixit; quae quidem non ab assentationis studio, sed a veritatis amore profecta non dubitabit, qui cogitabit ea scripta post obitum omnium illorum fuisse, et ab eo qui et liberrime vitia romanae curiae taxare solebat, et qui nihil unquam a romano pontifice ambierat, et oblatum etiam episcopatum constantissime recusavit, ut ex variis ejus epistolis cognosci potest. Ex tot locis, a nobis adductis, tria quaedam colligi possunt; Primum non potuisse Petrarcham, cum Romam, sive Avenionem ob curiam summi pontificis Babylonem appellavit, de fide, de religione, de potestate ecclesiastica, sed de vitiis tantum, quae tunc vigebant ea dicere. Neque illi unquam venisse in mentem quod adversarii mentiuntur, ut scriberet romanum pontificem Antichristum factum, aut Ecclesiam ipsam romanam ab antiqua fide degenerasse. Quomodo enim Antichristum esse crederet, quem tot in locis vicarium Dei nominare non dubitat? Aut quando romanam urbem Antichristi sedem esse diceret, qui eam almam, sacrosanctam, domicilium Dei, locum Deo gratum, arcem christianae fidei, sacram tellurem, sacrosanctissimam sedem appellat, ubi omnis verus christianus et vivere optet et mori? An vero placere illi unquam potuisset nefarium istud bellum in summum Ecclesiae catholicae pastorem et patrem, ad quod reges inflammare Adversarius noster pro viribus nititur, cum disertis verbis scriptum reliquerit, nullam esse posse homini christiano in vicarium Dei sui sufficientem caussam offensionis? Deinde ex iisdem locis intelligemus Pium V. pontificem nullam fecisse Petrarchae injuriam, quod tria ejus cantica abradi jusserit. Nam si Petrarcha suspicari potuisset, futuros fuisse aliquando homines, qui ejus versibus abuterentur ad fidem catholicam labefactandam, atque ad eos confirmandos errores, quos ipse toto pectore execrabantur, sine dubio manibus ipse suis versus illos in ignem conjecisset. Quin etiam, si summus pontifex, quem ille tam frequenter vicarium Dei sui nominare so-

lebat, totum illud opus amatoriarum cantiunculorum flammis adjudicaret. Equidem arbitror spiritum ejus in coelesti Hierusalem, ut ex ejus poenitentia pie confido, cum Deo conjunctum, ingenti laetitia perfundendum; et Deo atque ejus vicario de ea re gratias acturum. Cur enim non gauderet, si cerneret opus illud exuri, cujus ipsum jam antea poenituerat: quod multis caussa sempiterni exitii esse posset; ob quod denique vix ipse gehennae ignem effugisset? Cognoscimus ad extremum ex iisdem illis locis, adversarium nostrum, vel ipso Petrarcha teste, seu potius judice, judicem enim Adversarius fecit, haereticum esse; atque adeo extra veram Christi Ecclesiam cum apostatis et fugitivis contra veritatem arma gerere. Siquidem Petrarcha, ut supra demonstravimus, in ea fide et religione vivebat, quae romanam Ecclesiam, ut omnium ecclesiarum parentem veneratur; quae summum pontificem Christi vicarium, totiusque orbis christiani patrem et pastorem agnoscit; quae reliquias, atque imagines Christi et sanctorum colit; quae b. Virginem et sanctos caeteros invocat; quae pro defunctis orat; quae monasticam vitam laudat. Atque hanc solam unicam et veram esse religionem idem Petrarcha in lib. 1. de remediis utriusque fortunae apertissime docet. Adversarius autem eorum se socium esse fatetur, qui pro romana Ecclesia genevensem synagogam; Pro summo pontifice Christi vicario, Lutherum, aut Calvinum, vicarium Satanae colunt; Orare pro defunctis otiosum, sanctos invocare impium credunt. Sanctorum reliquias, atque imagines tantum abest, ut venerentur, ut etiam illas in flumina, istas in ignem abjiciant. Monasticen vero tanto prosequuntur odio, ut potius lupanaria, quam monasteria tolerare posse videantur. Quare nulla dubitatio remanet, quin Petrarcha judice, inter hostes verae fidei numerandus sit nobilis ille juvenis, qui ad Petrarchae, quasi egregii cujusdam prophetae, in gravissima caussa religionis judicium provocavit.

CAPUT XXII.

Responsio ad ea, quae ex Joanne Bocacio adferuntur.

Unus restat Bocacius ex ternario illo testium numero omni exceptione majorum, ex quibus vulgo Italorum summum pontificem Antichristum esse persuadere voluit Adversarius. Sed quam ingeniose et argute Bocacius fabulas texit; tam imperite atque inepte juvenis noster argumenta concinnat. Producit enim in medium ex Bocacii fabulis pauca quaedam loca, in quibus vitia clericorum et monachorum attinguntur. Sed ex iis non sequi, ut propterea falsa religionis, fideique doctrina habenda sit (ut Adversarius vellet) ipse idem Bocacius docet. Nam in secunda fabula, quam imprudenter adversarius praeter caeteras elegit, ut eam nobis objiceret, scribit quidem Bocacius multa, et gravia esse vitia romanae curiae; sed addit hoc ipsum manifestum argumentum esse veritatis fidei ac religionis, quae Romae colitur. Cum enim non solum pagani et haeretici illam oppugnent, sed etiam ipsi, qui eam profitentur ac docent, moribus perversis destruere, ut ipse quidem loquitur, atque ad nihilum redigere moliantur, et ea tamen semper vigeat ac floreat, quis, ambigere possit, quin ea sit opus Dei et non humano consilio, prudentia, viribus, romanam religionem consistere. sed ejus qui dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam?* In prima quoque fabula jure Bocacius a catholicis reprehenditur, quod sacramentum Confessionis, atque extremae Unctionis, fabulae fundamentum fecerit. Caeterum in illa ipsa fabula satis ostendit nil sibi commune fuisse cum Novatoribus istis, qui praeter Baptismum et Eucharistiam nulla alia sacramenta recipiunt. Siquidem ipse cum honore de sacramento Confessionis et Unctionis extremae, necnon de religioso illo sacerdote, quem ut ministrum sacramentorum illorum introducit, semper loquitur; et in extrema fabula perditum illum execratur ac damnat, qui sancto viro sacerdoti suo imposuit, et ad sacrosancta illa mysteria plane indignus accessit. Neque vero in caeteris fabulis sui dissimilis fuit. Etsi enim passim monachorum ac sanctimonialium vitia sub occasione fabularum carpat, non tamen inde colligit, quod Adversarius facit, monasticen ipsam universe esse damnandam; sed contra potius eos reprehendit, qui sanctimoniam ac decorem religiosorum male vivendo obscurant. Quorsum igitur, inquies, pontificum jussu hae fabulae ita corriguntur, ut ubique nomina sacerdotum, monachorum, sanctimonialium, aut deleantur, aut in alia commutentur? Caussa est in promptu. Nescit enim vulgus, cujus manibus vulgares ejusmodi libri teruntur assidue, vitium a persona et mores a dignitate secernere. Si sacerdotes ac monachos flagitiorum ac scelerum argui videat, facile sacerdotium ipsum ac monachatum contemnit: neque cogitat, quod paucorum est, non esse omnibus tribuendum; neque ordinis sanctitate personarum vitiis inquinari; nec pauci sunt, qui sacerdotum vitia libentius multo quam virtutes imitari velint. Quin etiam licere sibi credunt, quod sacerdotes, sive recte, sive perperam agunt. Quanti autem facienda sit sacerdotum bona existimatio, vel ex uno illo imperatoris Constantini facto, ab omnibus scriptoribus mirifice laudato, colligi potest. Quod ego, quia ad rem nostram non parum facere videtur, Theodoreti verbis referam lib. 1. histor. cap. 11. Erant, inquit, quidam calumniandi studio flagrantes, qui quosdam episcopos accusabant, et criminationis libellos imperatori offerebant. Ille istis ante concordiam constitutam acceptis, primum cum eos vinculo constrinxisset, annuloque suo obsignasset, servari jussit. Deinde cum concordiam inter eos conciliasset, libellos in medium adductos, illis ipsis praesentibus, igne absumendos curavit; jurejurando adjecto, se ne verbum quidem in illis scriptum per legisse; nam sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda; ne ille inde caussa offendiculi arrepta licenter peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoque adjecisse memorat: Si suis oculis episcopum alienae uxori stuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecturum, ne

facinoris aspectus eos, qui idem ipsum cernerent, ulla ex parte laederet. Haec Theodoretus. Sanctus autem Cyprianus longius etiam progressus scribit Christum ipsum, et apostolos ejus, de sacerdotibus aaronicis, licet jam sacrilegi, atque impii essent, tamen ob ipsum, quamvis inane nomen, et umbram quamdam sacerdotii, honorifice esse loquutos.Quod si vera crimina sacerdotum populo aperienda non sunt, et verenda Patrum non cum maledicto Cham detegenda, sed potius cum optimis ejus fratribus contegenda, quis ferat eos, qui oblectandi gratia falsa crimina affingunt, aut fabulosis narrationibus in contemptum eos adducunt? Poteram hoc loco multa quoque ex libris Joannis Bocacii adferre, ex quibus intelligeret juvenis noster in caussa religionis se cum caeteris Calvinistis ab hoc etiam auctore damnari.Nam in libro qui inscribitur Corbaccio, et in altero,qui dicitur Filocopo multa Bocacius de invocatione b. Mariae, de laude virginitatis, de libero arbitrio, de igne purgatorio, de precibus pro defunctis, de sacrificio missae plane catholice scribit.Sed nolui tam multa italica verba huic nostro latino opusculo inserere, neque tam saepe de rebus iisdem verba facere.

CAPUT XXIII.

Jam vero quoniam Adversarius tribus testibus probare conatus est plurima esse vitia catholicorum, ut videlicet inde colligeret catholicam Ecclesiam in Antichristi regnum esse conversam, non debet moleste ferre, si nos etiam vicissim tribus aliis testibus, quos rejicere nullo modo possit, ei probemus, deteriores esse Lutheranorum mores, quam unquam fuerint catholicorum. An autem inde efficere velit, Lutheranorum sectas ad regnum Antichristi pertinere, liberum illi permitto, nos enim ejusmodi argumentis non egemus, ut certo certius eorum conventicula Satanae synagogas, et eorum multitudines agmina quaedam, Antichristum praecurrentia, esse credamus. Primus testis Lutherus sit, quem Adversarius nuncium Dei a Dante praedictum appellare non erubuit. Is enim in postilla super evangelium dominicae primae adventus ita loquitur: *Mundus in dies fit deterior; sunt homines magis vindictae cupidi. magis avari. magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti et indisciplinati. multoque deteriores. quam fuerint in papatu.* Haec ille, qui nihil fere aliud vere scripsit in tot libris suis. Alter testis Jacobus Andreas Smiddelinus esse poterit, qui adhuc vivit, et primas tenet inter Lutheranos, adeo ut eorum Papa non male a quibusdam nominetur. Is in concione 4. et super caput 21. Lucae, sic habet: *Ut totus mundus agnoscat eos* (Lutheranos videlicet, nam de his loquitur) *non esse papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum operum nullum exercent penitus, jejunii loco comessationibus,et perpotationibus nocte dieque vacant. Ubi pauperibus benigne facere oportebat,eos deglubunt. et excoriant: precationes vertunt in juramenta,blasphemias, et divini nominis execrationes; idque tam perdite, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus,elatio, atque hoc universum vitae genus ab illis evangelicum dicitur institutum.* Haec ille, de quo sane illud Apostoli usurpare tuto possumus *testimonium hoc verum est.* Sed accedat etiam testis tertius Erasmus Roterodamus, qui res eorum optime noverat, et ab ipsis maximi fieri solet. Is in epistola ad Volturium Neocomum: *Circumspice*, inquit, *populum istum evangelicum, et observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniae, quam faciant ii, quos detestamini? Profert mihi quem istud evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem. ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* Haec Erasmus,qui non carmina fabulosa, sed narrationem seriam et verissimam in ea epistola de moribus pseudoevangelicorum, de quorum numero Adversarius noster se esse gloriatur, instituit.

CAPUT XXIV.

Responsio ad ea, quae Adversarius in satyris suis pontifici maximo petulanter objecit.

Restat pars ultima anonymi libelli, quae satyras quinquaginta et unam italicis rithmis comprehendit. Eas ego diligenter excutiens, reperi partem earum maximam consumi tum in repetitione eorum, quae supra ex Dante et Petrarcha dicta fuerant; tum in congerendis in pontificem maximum conviciis, et maledictis. Vix autem succum aliquem argumentorum aut certe sententiarum, quae aliquam argumenti speciem praeseferrent, iterum atque iterum premendo exprimere potui. Quicquid autem illud sit, quam brevissime refutabo, licet alioqui carmen tam impolitum et sordidum contemni sine ulla auctoris injuria potuisset.

Satyra prima et quarta, et aliis nonnullis, Christum caput Ecclesiae esse dicit, atque inde efficit, summum pontificem caput Ecclesiae esse non posse, nisi monstrum aliquod biceps Christi Ecclesiam faciamus. Sed hoc argumentum tam saepe jam est a catholicis refutatum, ut mirum sit, cur non pudeat adversarios tam putidae repetitionis. Christum igitur caput esse Ecclesiae universae libentissime confitemur, neque ullum hominem, ac ne angelum quidem illi aequamus; non esset proprie duo capita in Ecclesiae corpore constituere. At, quin sub Christo summo capite vicarius ejus in terris caput, ut sic dicam, ministeriale non principale recte nominetur, negari nullo modo potest. Siquidem,ut in republica temporali caput omnium principale rex est, sub rege deinde capita sunt provinciarum ii, qui dicuntur proreges,et sub proregibus capita sunt urbium singularum certi quidam praetores, et sub praetoribus quaelibet familia suum habet caput, ipsum videlicet patremfamilias: et in exercitu caput est omnium militum imperator, sub imperatore legati capita sunt legio-

num, sub legatis tribuni, sub tribunis centuriones, sub illis decani suo quodam modo capita dicuntur, et sunt; nec tamen aut regnum, aut exercitum ob tot capitum multitudinem monstrum videri ullus unquam scripsit: ita quoque in Ecclesia Dei summum caput omnium hominum, et angelorum Christus est. Sub Christo in terris caput omnium Christianorum est pontifex maximus, sub illo episcopi, sub episcopis parochi capita sunt christianae multitudinis. Et quamvis plurima veterum Patrum testimonia huc adferri possent, duo tamen, unus graecus, alter latinus hoc loco sufficient. Sanctus Joannes chrysostom. homil. 55. in Matth. *Deus*, inquit, *concedere, solus potest, ut Ecclesia tot tantisque fluctibus irruentibus immobilis maneat, cujus pastor, et caput homo piscator, atque ignobilis.* Sanctus Hieronymus lib. 1. in Jovinianum: *Inter duodecim*, inquit, *unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.*

Satyra 3. Pontifices arguit quod se Christi successores esse glorientur, cum Christus non successores, sed ministros apostolos fecerit. At hoc mendacium nisi forte licentia poëtica, sive potius haeretica, excusari non potest. Siquidem summi pontifices, cum et ipsi se vicarios Christi nominent, et ab aliis passim hoc nomine designentur, certe non successores, sed ministros Christi se faciunt. Nam successores morientibus, vicarii viventibus dantur: et successores pares sunt iis, quibus succedunt, vicarii vero multo inferiores, ac plane ministri habentur eorum, quorum vices interim gerunt. Sed noster poëta furore illo poëtico in fraenesim actus, quid inter vicarium et successores discriminis esset, videre non potuit.

Satyra 6. Satis pulchre sibi demonstrare visus est, non esse haereticos, qui romanam veram Ecclesiam esse non credunt, quod in symbolo apostolico catholicam, idest, universalem Ecclesiam confiteamur; romana autem particularis sit, nec sine detrimento caeterarum universalis appellari queat. Sed non mirum est si nesciat satyricus iste poëta, de quibus loquatur, neque de quibus affirmet, ut apostolus Paulus de similibus hominibus loquitur 1. Timoth. 1. cum majorem operam in fabulis Bocacii, quam in theologis legendis, et meditandis posuerit. Neque enim Ecclesiam universalem romanam dicimus, quod in sola urbe Roma Christi Ecclesia sit; sed quod Ecclesia toto orbe diffusa, cum romana, ut cum sua matre, magistra, radice, fonte consentiat: quodque, ut loquitur s. Cyprianus lib. de unit. Ecclesiae, caeterae a romana divisae, nihil sint aliud, nisi rami a radice divulsi, rivuli a fonte praecisi, radii a solari corpore separati. Ad hanc enim Ecclesiam, ut vetustissimus Irenaeus scriptum reliquit lib. 3. cap. 3. propter potentiorem principalitatem oportet omnem convenire Ecclesiam: hoc est omnes qui sunt undique fideles. Itaque quicumque in symbolo unam catholicam Ecclesiam confitentur, ii nec vere unam, nec vere catholicam tenent, nisi radicem et matricem catholicae Ecclesiae, quae sola romana est, ut eam Cyprianus vocat lib. 4. epist. 8. agnoscant.

Satyra 11. et 12. audacter mentitur ab apostolo Paulo romanum pontificem Antichristum esse nominatum. At nos in quatuordecim, quae extant epistolis Paulinis, tale testimonium non habemus. Fingat ipse, si ita videtur, pro ea licentia quidlibet audendi, quam pictoribus atque poëtis Horatius tribuit, epistolam 15. Legimus quidem in Apostolo 2. Thessal. 2. futurum aliquando hominem quemdam peccati, qui sese efferet super omne, quod dicitur Deus, at hunc romanum pontificem esse, non apostolus Paulus, sed apostata Lutherus scriptum reliquit. Lutherum autem, et quotquot eum sequuntur hac in re esse mentitos, satis aperte initio demonstravimus. Tantum enim abest, ut romanus pontifex sese efferat super omne, quod dicitur Deus, ut se non solum Christi famulum, sed etiam servum servorum Dei libenter appellet.

Satyra 33. Hoc ipsum nomen servi servorum exagitat; miratur enim quo pacto ista cohaereant, ut, qui servus servorum dicitur, regibus etiam imperare velit. Sed (ut magis poëta miretur) addo ego, non tantum posse fieri, ut servus servorum, regibus imperet, sed etiam ut imperando serviat, et imperet serviendo; neque enim omnes qui serviunt obedire eos necesse est. Serviunt siquidem alii obediendo, ut mancipia; alii jubendo, ut magistratus; magistratus enim populo servit, si legitimus non tyrannicus sit. Quare b. Paulus 2. Cor. 4. servum se Corinthiorum vocat; et 1. Cor. 4. iisdem Corinthiis ita minatur, ut dicat: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Et cum omnes praepositos ecclesiarum servos esse, docuisset loco ante notato 2. Corinth. 4. ait tamen Hebr. 13. ad filios ecclesiarum: *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis.* Sic igitur summus pontifex servus omnium servorum Dei vere dicitur et est, quod omnibus Christianis, ut communis omnium pastor et doctor, monendo, dirigendo, imperando, castigando etiam et corrigendo, serviat. Nam etiam Christus, cujus ille vicarius est, minister fuit circumcisionis Apostolo teste; nec ministrari veneral, sed ministrare, et tamen docebat, imperabat, e templo negotiantes ejiciebat, et se adorari, sibique a populis supplicari patiebatur.

Satyra 20. Non posse dici Ecclesiae fundamentum apostolum Petrum ex eo colligit, quod b. Paulus ait 1. Corinth. 3. non posse poni fundamentum aliud praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Sed loquitur Apostolus de primario Ecclesiae fundamento, quod a nullo alio pendeat, quod etiam Ephes. 2. summum angularem lapidem nominavit. Quod si post Christum non esset etiam Petrus Ecclesiae fundamentum, cur eum quaeso Dominus in evangelio, Cepham, idest, petram appellaret? et de petra eadem dixisset: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam?* Neque enim Petri nomen a petra dicitur, ut Adversarius credit, sed est ipsum petrae vocabulum cum masculina terminatione, ut commodius auribus accideret. Dominus enim, qui hoc nomen Simoni imposuit, syriace Cepham dixit: Cephas autem syriace non petreum, vel petrinum, sed petram significat; ut etiam graecum nomen πετρὸς; Idque etiam Patres omnes una voce confessi sunt. Origenes homil. 5.

in Exod. *Vide*,inquit, *magno illi Ecclesiae fundamento, et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quod dicatur a Domino: Modicae fidei, quare dubitasti?* Tertullian. in lib. de praescript. adversus haereticos: *Latuit*, inquit, *aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum?* Sanctus Cyprianus in epist. ad Quirinum: *Petrum Dominus primum elegit, et super eum aedificavit Ecclesiam.* Sanctus Hilarius in comment. a l cap. 16. Matth. *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra,quae inferorum leges dissolveret. O beatus coeli janitor.* Sanctus Gregorius nazianzenus in orat. de moderatione in disputationibus servanda: *Petrus*, inquit, *petra vocatur.* Sanctus Epiphanius in Ancorato: *Dominus*, inquit, *constituit Petrum, apostolum, petram firmam, supra quam Ecclesia Dei aedificata est.* Sanctus Ambrosius in hymno,qui tota Ecclesia celeberrimus est: *Hoc ipsa*, inquit, *petra Ecclesiae, canente culpam diluit.* Sanctus Hieronymus in comment. ad cap. 16. Matth. *Secundum metaphoram*, inquit, *Petre, recte dicitur ei, aedificabo Ecclesiam meam super te.* Sanctus Joannes chrysostomus homil. 55. in Matth. *Tu es*, inquit, *Petrus; et ego super te aedificabo Ecclesiam meam.* Sanctus Augustinus in psalmo contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri; ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* Sanctus Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 2. *Nec Simon*, inquit, *fore jam nomen illi, sed Petrus, praedicit, vocabulo ipso commode significans, quod in eo tamquam in petra, lapideque firmissimo suam esset aedificaturus Ecclesiam.* Sanctus Paulinus in epist. 4. ad Severum: *Petra*, inquit *est Christus, sed etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, cui ait: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Theophilactus in comment. ad cap. 22.Lucae, Christum inducit ita loquentem ad Petrum: *Post me Ecclesiae petra es, et fundamentum.* In quam sententiam sic etiam Euthymius scribit in comment. ad cap. 26. Matth. *Te ponam fundamentum credentium, aedificabo super te Ecclesiam meam.* Sed stultus videar fortasse,et ab istis ipsis Patribus merito reprehendar,quod tam graves auctores levissimae satyrae objiciendos putaverim. Veniam igitur ad postremam criminationem, et apologiae finem imponam.

Satyra 2. 9. 14. 35. vitio vertit Sixto V. et Pio etiam V. humilitatem generis, et quod ex claustris monasteriorum ad pontificatum ascenderint.In quare satis prodit se cujusdam quinti evangelii discipulum ac sectatorem esse. Non placent illi videlicet evangelia quatuor Matthaei, Marci, Lucae et Joannis, in quibus ab ipso Christo ad summas Ecclesiae dignitates lectos videmus humiles piscatores, ex Bethsaida vinculo Galilaeae. Non sapit illi quod Apostolus ait: *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus,ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt,ut ea quae sunt, destrueret.* Non probat Adversarius consilium Dei,qui regem secundum cor suum in pascuis quaesivit, et invenit, et sustulit eum de gregibus ovium, et de post foetantes accepit eum pascere Jacob servum suum, et Israël haereditatem suam. Credo etiam Moysem contemnet, qui ad principatum a Deo vocatus est non ex aula Pharaonis, sed ex deserto, ubi soceri sui gregem pascebat. Ac ne sapientes quidem mundi hujus Adversarius audiret, qui gloriosius esse ducebant posteris suis facem praelulisse,quam splendorem a majoribus accepisse: et virtutis ac sapientiae laude, quam generis nobilitate, aut majorum commendatione viam sibi ad summos honores patefecisse.Quae cum ita sint, aut solus Adversarius noster sapit, et sapientes omnes, ac ipse etiam Deus, et Christus et apostoli desipiunt, aut quod est verissimum, sic ipse unus desipit, ut id vituperet, quod summa laude dignum erat. Quod vero attinet ad monasteria: quis nescit optimos, sapientissimosque pontifices, atque Ecclesiae catholicae utilissimos ex monasteriis ad summi pontificatus fastigium omnibus aetatibus fuisse promotos? Monachus certe fuerat s. Dionysius, qui vicesimus sextus a b. Petro, et omnium consensu doctissimus et optimus, magna cum laude Ecclesiae praefuit. Monachus fuerat s. Gregorius, qui ob doctrinae et pietatis excellentiam, ac rerum gestarum magnitudinem Magni cognomen invenit. Monachus fuerat insignis ille Agatho, qui VI. synodum oecumenicam magno suo labore ac diligentia congregavit; et doctrina ac miraculis claruit. Nec minor in Adeodato pontifice et monacho, qui Agathonem praecesserat innocentia vitae, morumque integritas fuit. Monachi fuerant Stephanus IV. Paschalis I. Joannes IX. laudatissimi pontifices. Monachus fuerat Gregorius VII. qui velint nolint haeretici, inter optimos, sapientissimos, constantissimos sanctissimosque pontifices semper est numeratus. Tametsi enim concubinarii et simoniaci, quos ille summo studio persequebatur, multas in eum criminationes confingerent, tamen *signa et prodigia* (ut loquitur Lambertus Scaphnaburgensis in historia rerum Germanorum, qui eo tempore vixit et scripsit, et Germanus, non Italus fuit) *quae per orationes Gregorii papae frequenter fiebant, et zelus ejus ferventissimus pro Deo, et ecclesiasticis rebus satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Monachi fuerant Victor III. Urbanus II. et Paschalis II. qui ordine post Gregorium VII. in apostolica sede constituti, scriptorum omnium consensu vitae sanctitate, et rebus gestis claruerunt. Monachus fuerat Eugenius III. qui ob egregiam sanctitatis famam ad pontificatum assumptus, in summo illo fastigio moderationem pristinam retinens, miraculis et vivus et mortuus floruit. Monachus fuerat Adrianus IV. qui cum doctissimus et optimus haberetur ab Eugenio III. cardinalis creatus, et in Norvegiam missus, eam provinciam Christo suis laboribus acquisivit, ac deinde pontifex factus laude constantiae et magnitudinis animi insignis fuit. Monachi fuerant In-

nocentius V. ex ordine praedicatorum, ac non diu post Nicolaus IV. ex ordine minorum, quos uno ore historiae omnes optimos probatissimosque pontifices fuisse testantur. Ac ut Benedictum XI. Urbanum V. et alios laudatos pontifices praetermittam. Monachus fuerat s. Petrus Moronus, qui Coelestinus V. in summo pontificatu appellatus est; cujus quidem ea fuit apud Deum devotio ac fides, ut miraculis maximis claruerit, ea rerum humanarum despicientia, et solitudinis, ac divinae contemplationis amor, ut ipso se pontificatu sponte abdicaverit.

Neque vero solum in ordine summorum pontificum ex monasteriis viros clarissimos invenire licet, sed etiam in ordine praesulum caeterorum. Siquidem s. Gregorius nazianzenus, s. Basilius magnus, s. Martinus turonensis, s. Augustinus clarissimum lumen Ecclesiae, s. Paulinus Nolanus, Severus Sulpitius, s. Anselmus, aliique innumerabiles viri doctissimi et omni virtutum laude celeberrimi ex monasteriis ad episcopatum assumpti fuerunt. Desinat igitur Adversarius, nisi plane stultus haberi velit, in summis pontificibus Sixto Pioque id reprehendere, quod in tam multis aliis cogitur laudare. Et quoniam omnis Adversarii conatus, ut etiam caeterorum Calvinistarum, eo potissimum spectat, ut sedis apostolicae auctoritatem et dignitatem imminuat, sancti Leonis magni viri sapientissimi. atque optimi verbis apologiam claudam: *Quisquis huic sedi principatum aestimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiae suae, semetipsum in inferna demergit.*

DISPUTATIO

DE EXEMPTIONE CLERICORUM

CAPUT PRIMUM

An clerici sint liberi a jugo potestatis saecularis.

Postrema restat quaestio de libertate ecclesiastica, de qua in hac ultima editione paulo fusius disputare institui, quod animadverterim his proximis annis non defuisse, qui testimoniis hujus libri abuti voluerint ad oppugnandum ecclesiasticam libertatem.

Primum igitur haeretici permulti contendunt, clericos tum majores, tum minores, jure subjectos esse debere saeculari potestati tum in solvendis tributis, tum in judiciis et caussis. Marsilius de Padua, et Joannes de Janduno docuerunt, ipsum etiam Christum non fuisse liberum a solvendis tributis, et quod fecit, Matth. 17. cum tributum solvit, id fecisse non voluntate, sed necessitate. Ita refert Joannes de Turrecremata lib. 4. Summae de Ecclesia, par. 2. cap. 37.

Joannes Calvinus lib. 4. Institut. cap. 11. § 15. docet: Clericos omnes, praeterquam in caussis mere ecclesiasticis subjectos esse debere legibus, et tribunalibus saecularium magistratuum. Idem docet Petrus martyr in cap. 17. ad Romanos, ubi etiam addit: Principes non potuisse concedere clericis privilegium, ut non subjicerentur magistratibus politicis, cum id sit contra jus divinum: et ideo non obstante concessione principum, debere clericos subjectos esse magistratibus saecularibus. Joannes Brentius in prolegomenis, et Melanchthon in locis, cap. de magistratu, in rebus etiam et caussis ecclesiasticis subjiciunt clericos politicis tribunalibus.

Ex catholicis nonnulli censent, jure divino liberos esse clericos, et eorum bona a potestate principum saecularium. Ita docet glossa, et nonnulli ex canonistis in can. *Si imperator*, dist. 96. et in cap. *Quamquam*, de censibus in 6. et ex theologis Joannes Driedonius lib. 1. de libertate christiana c. 9. Nonnulli vero existimant, clericos liberos esse partim jure divino, partim jure humano, idest, in caussis ecclesiasticis, et spiritualibus jure divino; in aliis, jure humano. In his videntur esse Franciscus Victoria de potestate Ecclesiae, Relect. 1. quaest. ult. Dominicus a Soto in 4. dist. 25. quaest. 2. art. 2. Joannes Medina in codice de restitut. quaest. 15. et ex canonistis Didacus Covarruvias in lib. practicarum quaestionum cap. 31.

Sit igitur prima propositio: *In caussis ecclesiasticis liberi sunt clerici jure divino a saecularium principum potestate.* Vocantur caussae ecclesiasticae, quarum cognitio non pendet a legibus civilibus, sed ab evangelio, vel a canonibus pontificum, aut conciliorum, quales sunt controversiae de fide, de sacramentis et aliae id genus.

Probatur primum ex divinis literis. Nam ex doctrina Scripturarum sanctarum regimen ecclesiasticum est distinctum a politico, et illo etiam sublimius, ut a nobis demonstratum est in lib. 1. de summo pontifice cap. 7. et lib. 5. cap. 7. Ergo caussae ecclesiasticae judicari non debent a politicis magistratibus. Praeterea, secundum Scripturas tota auctoritas regendi Ecclesiam a Christo commissa est apostolis, et praecipue Petro: ergo in rebus ecclesiasticis laici omnes, etiam principes sunt oves et subditi, non pastores et judices, ut locis notatis demonstratum est.

Secundo probatur ex conciliis. Nam in milevitano can. 13. et matisconensi can. 8. Clerici graviter puniuntur, si caussam Ecclesiae ad imperatoris terreni judicium deferant.

Tertio ex Patribus. Severus Sulpitius in lib. 2. sacrae historiae refert, sanctum Martinum aliquando exclamasse, novum esse et inauditum nefas, ut caussam Ecclesiae judex saeculi judicaret. Item sanctus Ambrosius in epist. 78. ad Theophilum et sanctus Augustinus in epist. 162. reprehendunt eos, qui caussas Ecclesiae terrenis judicibus judicandas exponunt.

Quarto ex apostolorum exemplo. Apostoli enim Ecclesias gubernaverunt, quo tempore nulli erant principes christiani, proinde numquam ad eos caussam Ecclesiae judicandam detulerunt. Et si apo-

stolus Paulus 1. Cor. 6. jubet lites etiam civiles Christianorum non deferri ad judicium ethnicorum, quo modo permisisset ad eos deferri lites ecclesiasticas? Ultimo ex Justiniano seniore imperatore, qui idem affirmat novella 83.

Secunda propositio: *Non sunt exempti clerici ab obligatione legum civilium, quae non repugnant sacris canonibus, vel officio clericali.* Loquimur hic potissimum de legibus politicis, quae dirigunt actiones humanas in commerciis temporalibus, ut cum princeps vel magistratus constituit pretia rebus venalibus, vel jubet noctu neminem incedere cum armis, vel sine lumine, vel non asportare frumentum extra provinciam, et his similia. Nec volumus dicere his legibus teneri clericos obligatione coactiva, sed solum directiva, nisi eaedem leges ab Ecclesia approbatae fuerint. Quod si de iisdem temporalibus rebus disposuisset etiam lex ecclesiastica, eam sequi deberent clerici et tunc legem civilem ne directive quidem observare tenerentur.

Probatur igitur clericos ad observationem legum civilium directive teneri in defectum legis ecclesiasticae; Nam clerici praeterquamquod clerici sunt, sunt etiam cives, et partes quaedam reipublicae politicae: igitur ut tales vivere debent civilibus legibus: non sunt autem aliae, ut nunc ponimus, nisi quae a politico magistratu sunt latae: igitur illas clerici servare debent. Alioqui magna perturbatio, et confusio in republica oriretur, si clerici non servarent civiles leges in commerciis civilibus et humanis.

Secundo probatur ex confessione pontificum et imperatorum. Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem prope finem dicit. Deum divisisse pontificiam auctoritatem ab imperiali, ut et christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur. Imperator Valentinianus in epist. ad episcopos Asiae, quam refert Theodoretus lib. 4. hist. cap. 7. scribit, probos episcopos non solum Dei, sed etiam regum legibus obtemperare. Denique, s. Joannes chrysostomus in cap. 13. ad Rom. dicit Christi evangelio non tolli politicas leges, et ideo debere etiam sacerdotes et monachos eis parere.

Tertia propositio. *Non possunt clericis a judice saeculari judicari, etiam si leges civiles non servent.* Probatur primo ex concilio chalcedonensi can. 9. ubi sic legimus: *Si clericus adversus clericum habet negotium, non relinquat episcopum suum, et ad saecularia judicia non recurrat.* Concilium agathense can. 32. adhuc clarius in haec verba loquitur. *Clericum nullus praesumat apud saecularem judicem, episcopo non permittente pulsare.* Idem habent concilium carthaginiense III. can. 9. toletanum III. can. 13. matisconense can. 8.

Secundo probatur ex imperatorum constitutionibus. Nam eximit Justinianus clericos et monachos a saeculari judicio in novellis 79. 83. et 123. quamquam non eximit in caussis criminalibus, sed in civilibus tantum, in criminalibus autem, vult a praetore cognosci caussam, non tamen condemnari clericum, nisi prius ab episcopo fuerit degradatus. At nihilominus lex canonica simpliciter eximit clericos in omnibus caussis tum civilibus, tum criminalibus, et perspicuum est ex epist. Caji papae ad Felicem episcopum; item ex epist. 2. Marcellini, et ex lib. 11. Registri s. Gregorii epist. 14. ad Joannem Defensorem. Debet autem lex civilis caedere legi canonicae cum possit summus pontifex imperatori praecipere, in iis praesertim, quae ad Ecclesiam pertinent.

Tertio probatur ratione: nam omnino absurdum est, ut ovis pastorem suum quocumque modo judicare praesumat. Itaque non sine magna laude refert Ruffinus lib. 10. hist. cap. 2. et post eum b. Gregorius lib. 4. epist. 75. vocem illam Constantini ad episcopos: *Vos Dii estis a summo Deo constituti, aequum non est, ut homo judicet Deos.*

At objicit Calvinus lib. 4. Institut. cap. 11. § 15. epist. Constantini imper. ad Nicomedienses, quam refert Theodoretus lib. 1. hist. cap. 20. ubi dicit Constantinus se Eusebium episcopum nicomediensem in exilium ejecisse, et subjungit: *Si quis episcoporum inconsulte tumultuatus sit, ministri Dei, hoc est, mea exequutione illius audacia coercebitur.*

Respondeo: More solito Calvinum imponere simplicibus. Nam Constantinus in illa epistola scribit, se quidem ejecisse in exilium Eusebium episcopum, sed addit, eum ante fuisse a *Nicaeno* concilio depositum ab episcopatu propter haeresim. Nos autem non negamus, quin debeat magistratus saecularis punire clericos, quando ab Ecclesia damnantur et degradantur, et judicibus saecularibus traduntur. Verba autem Constantini, quae Calvinus subjungit, ab ipso depravata sunt. Non enim minatur eo loco poenam Constantinus episcopis, sed laicis. Dicit enim se graviter animadversurum in plebem nicomediensem, si iterum redire velit ad episcopos haereticos a concilio generali damnatos, et non acquiescat suscipere probum et catholicum antistitem. Haec enim sunt verba ejus: *Sin autem quisquam* (non dicit, episcoporum, ut Calvinus addidit) *temeritate et audacia accensus, eas Ecclesiae pestes, idest, episcopos arianos, vel memoria vel laudibus celebrare aggrediatur, confestim opera ac diligentia ministri Dei, hoc est, mea, poenas suae inscitiae dabit.*

Objicit secundo Petrus martyr: *Jure divino subjecta est omnis anima sublimioribus potestatibus, idest regibus, ut constat ex epist. ad Rom. cap. 13. Ergo non potuerunt reges eximere ullos Christianos a sua potestate. Et confirmatur argumentum ex doctrina catholicorum, qui ea ratione probant, non posse ullum eximi a potesate papae, quia jure divino omnes subjiciuntur papae.*

Respondeo: Nihil ea ratiocinatione concludi, quamvis enim jure divino sit omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta, ac per hoc etiam regibus, dum sublimiores potestates sunt, tamen fieri potest, ut qui nunc est sublimior potestas, paulo post non sit, ut si ipse subjiciat alteri partem sui regni, vel jure belli, aut alio justo titulo regnum,

vel regni partem amittat. Quoniam ergo clericos partim ipsi principes subjecerunt in omnibus causis, etiam temporalibus et civilibus episcopis suis: et postremo summus pontifex clericos omnes exemit a subjectione principum saecularium,sequitur, ut respectu clericorum non sint principes superiores potestate,ac proinde non teneantur clerici principibus parere neque jure humano, neque jure divino; nisi quantum ad leges quasdam directivas ut diximus.

Ad confirmationem respondeo:Non esse eandem rationem pontificatus et regnorum. Nam regna non sunt immediate a Deo instituta, sed ab hominibus, et ideo ab hominibus mutari possunt in alias regiminis formas: Pontificatus autem a Deo immediate est institutus, et ideo non potest ab hominibus immutari.

Quarta propositio: *Bona clericorum tam ecclesiastica, quam saecularia libera sunt, ac merito esse debent a tributis principum saecularium.* Quod libera sint de facto, perspicuum est ex concilio lateranensi sub Alexandro III. part. 1. cap. 19. ex concilio lateranensi sub Innocentio III. c. 46. Item ex cap. *Ecclesia sanctae Mariae*, de constit. ex cap. *Quamquam*. de cens. in 6. Extravaganti. Quod olim, de immunit. Eccles. Item ex cap. *Quia nonnulli*. et cap. *Clericis*, de immunit. Eccles. in 6. Praeterea, ex legibus principum quae habentur in cod. Theodosiano lib. 16. tit. 2. l.16. et 26. et in cod. Justiniani l. *Sancimus*, de sacrosanctis ecclesiis, et in lib. 10. hist. Eusebii cap.7. ex versione Christophorsoni. Ubi tamen est observandum, ante Justiniani tempora legibus priorum principum immunes fuisse clericos a tributis personalibus, ut etiam indicat s. Hieronymus in comment. ad cap. 17. Matth. non tamen fuisse liberos a tributis,quae pendi solent ratione possessionum, ut colligitur ex s.Ambrosio in orat.de tradendis basilicis, ubi dicit: *Agri Ecclesiae solvunt tributum;* et ex Theodoreto lib. 4. hist. cap. 7. ubi scribit, Valentinianum seniorem in epistola ad episcopos Asiae illa verba posuisse: *Boni episcopi tributa pensitant regibus.*

Quod autem haec exemptio jure facta sit, et quo jure, humano ne solum, an etiam divino, in sequentibus propositionibus exponemus.

Objicit adversus hanc propositionem Marsilius de Padua exemplum Christi, qui tributum solvit.ut habemus Matth. 17.Sed facilis est responsio.Christus enim solvit tributum, quia voluit, non quia debuit.Id quod ex eodem loco intelligi potest.Nam cum dictum esset Petro ab iis qui exigebant tributum. *Magister vester non solvit didrachma?* Dominus Petro ait: *Quid tibi videtur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis, suis, an ab alienis?* Respondit Simon: *Ab alienis.* Ait Dominus: *Ergo liberi sunt filii, sed ut non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem. qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me, et pro te.*Duae sunt autem interpretationes ejus loci: *Ergo liberi sunt filii*, et secundum utramque rectissime Dominus ostendit, se liberum fuisse a tributo solvendo. Prior expositio est s. Hilarii, qui docet, agi hoc loco de tributo, quod imposuerat Deus omnibus filiis Israël Exod. 30. in usum templi, quod tributum proprie erat didrachma, et secundum hanc expositionem, quae verissima nobis videtur, vis argumenti haec est: Reges terrae non exigunt tributum a filiis suis, sed ab alienis: igitur neque rex coeli exiget tributum a me,qui sum ejus proprius et naturalis filius. Posterior interpretatio est s. Hieronymi, qui verba Domini de tributo, quod Caesari solvebatur, exponit. Quae sententia minus probabilis esse videtur, quia tributum, quod solvebatur Caesari, tempore Christi, non erat didrachma, sed denarius, ut perspicuum est ex cap. 22. Matth.*Ostendite mihi numisma census.At illi obtulerunt ei denarium.*Neque potest ulla solida ratione demonstrari.consuevisse didrachmi tributum Caesari solvi, nisi post Christi ascensionem in coelum. Scribit enim Josephus in lib. 7. de bello Judaico cap. 26. post eversum templum a Vespasiano imperatore, institutum fuisse, ut tributum didrachmi, quod Judaei omnes templo solvebant singulis annis, deinceps in capitolium deferretur. Sed tamen ex hac etiam sententia recte colligitur, Christum non fuisse ullius tributi debitorem, quamvis enim non esset filius Caesaris, qui tributum, juxta hanc sententiam exigebat: erat tamen filius Dei, cujus ministri sunt omnes reges et principes terrae, ut legimus Sap. 6. et Roman. 13. Neque debent ministri regis a filio regis tributum petere. Praeterea, tributa solvuntur regibus ratione vitae hujus corporalis, timoribus et periculis obnoxiae, ut s. Thomas docet in 2. 2. q. 104. art. 6. ad primum;et ideo justi etiam homines. licet secundum animam liberi sint a servitute peccati, tamen ratione corporis, cujus redemptionem adhuc expectant, ut ait Apostolus ad Rom. 8. subjecti sunt tributis et potestati civili. At Christus non solum secundum animam.sed etiam secundum corpus liber erat, non servus;neque redemptionem, sed solam resurrectionem corporis expectabat, carebat enim omni morbo concupiscentiae, et omni lege peccati, neque periculis, aut injuriis obnoxius erat, nisi quantum ipse permittebat: *Oblatus est*, inquit Isa. cap. 53. *quia ipse voluit.* Itaque nulli regi tributum debebat.qui nullius regis defensione indigebat, et merito damnata est, ut haeretica, sententia Marsilii Paduani a Joanne XXII. pontifice in Extravag. licet,quam refert. Joan. de Turrecr. lib. 4. summ. de Eccles. par. 2. c. 37.

Quinta propositio: *Exemptio clericorum in rebus politicis tum quo ad personas, tum quo ad bona, introducta est jure humano pariter et divino.* Et quidem quod jure humano introducta sit, patet ex iis testimoniis, quae attulimus in tertia et quarta propositione probanda. Quod autem sit etiam introducta jure divino, probandum est hoc loco. Sed antea tamen observandum est. nos per jus divinum non intelligere praeceptum Dei proprie dictum, quod extet expresse in sacris literis: sed quod ab exemplis vel testimoniis Testamenti veteris, vel novi per quandam similitudinem deduci

possit.Atque hinc forlasse conciliari poterunt theologorum, et juris peritorum sententiae. Illi enim cum negant, exemptionem clericorum esse juris divini,praeceptum divinum proprie dictum expresse in Scripturis extare negant: isti vero cum affirmant, eandem exemptionem esse juris divini, id solum affirmant, quod theologi minime negant,deduci per similitudinem ab exemplis, et testimoniis sacrae Scripturae,Deum voluisse, ut clerici, et ipsorum bona libera essent a potestate et jurisdictione laicorum.

Certe Geminianus, Ancharanus, et alii insignes doctores, exponentes caput, *Quamquam*, de Censibus in 6. notant.in eo capitulo haberi textum expressum, quo immunitas ecclesiasticorum dicatur esse juris divini.Sed quomodo id sit intelligendum a glossa petendum esse monent. Glossa vero in idem caput, docet, esse juris divini eam immunitatem, quia deducitur ab exemplo Josephi patriarchae, qui eximit sacerdotes Aegyptiorum Genes. 47. et Artaxerxis regis Persarum, qui exemit sacerdotes israeliticos 1. Esdrae 7. Nam ut recte ait Alexander pontifex in concilio lateranensi, unde extat cap. *Non minus* de immunit. Eccles.*Non decet Ecclesiam Dei minus liberam esse tempore principum Christianorum quam fuerit tempore Pharaonis.*

His igitur notatis, probatur nostra propositio, primo testimoniis Scripturae divinae. Nam praeter loca jam citata ex Genes. et ex lib. Esdrae, habemus alia duo non minus illustria: siquidem in lib. Numerorum cap. 3. Deus non semel, sed saepius repetit, levitas proprie suos esse, atque eos sibi ex omni populo delegisse: et in eodem loco dono dari jubet omnes levitas Aaroni,et filiis ejus.idest, summo sacerdoti et successoribus ejus.Quos enim sibi ipse delegit ad ministerium templi, rerumque sacrarum, soli pontifici, qui locum Dei repraesentabat in terris, subjectos esse voluit, ac per hoc a jurisdictione terrenorum principum liberavit. Constat autem id esse nunc in Ecclesia clericos, quod erant levitae in testamento veteri; et pontificem Christianorum non minoris esse auctoritatis, sed longe majoris in Ecclesia Christi, quam fuerit Aaron in synagoga Judaeorum. *Nunc* (inquit s. Leo serm. 8. de passione Domini) *et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior unctio sacerdotum.*

Sequitur igitur ut quemadmodum in Testamento veteri liberi erant levitae jure divino a potestate principum saecularium: ita sint etiam clerici in Testamento novo.

Alius locus est is, quem supra tractavimus ex cap. 17. Matth. *Ergo liberi sunt filii.*Nam cum filii regum a tributis eximuntur, non ipsorum personae tantum, sed etiam servi et ministri, atque adeo ipsorum familiae a tributis eximuntur. Certum est autem clericos omnes proprie ad familiam Christi, qui filius est regis regum, pertinere. Atque id videtur Dominus significare voluisse, cum ait Petro:*Ut autem non scandalizemus eos,sumens staterem da illis pro me, et pro te*, quasi diceret, et se et familiam suam, cujus praefectus erat Petrus, liberos a tributis esse debere. Quod etiam intellexisse videtur s. Hieronymus in commentario ejus loci, cum dicit, clericos propter honorem Domini tributa non solvere,et s.Augustinus lib.1.quaest. evangel. quaest.23. cum scribit, in omni regno terreno non esse vectigales filios regni illius,sub quo sunt omnia regna terrae.

Secundo probatur eadem propositio ex testimoniis sacrorum canonum. Concilium tridentinum generale nostris temporibus celebratum sess. 25. cap. 20. de Reformat. sic loquitur: *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione,et canonicis sanctionibus instituta est.* Concilium coloniense paulo ante ipsam tridentinam synodum celebratum par. 9. cap. 20. *Immunitas*, inquit, *ecclesiastica vetustissima res est, jure pariter divino et humano introducta, quae in duobus potissimum sita est, primum ut clerici eorumque possessiones a vectigalibus et tributis, aliisque muneribus laicis libera sint, deinde ne rei criminis ad Ecclesiam confugientes inde extrahantur.* Concilium lateranense sub Leone X. celebratum sess. 9. *Cum a jure*, inquit, *tam divino, quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes, et singulas constitutiones*, et concilium lateranense sub Innocentio III. cap. 43. *Nimis*, inquit, *de jure divino quidam laici usurpare conantur, cum viros ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad praestanda sibi sibi fidelitatis juramenta compellunt.* Bonifacius VIII. in cap. *Quamquam*, de censibus in 6. tamquam de re nota et explorata loquitur, cum ait,jure divino et humano clericos et eorum bona libera esse a saecularium potestate.Joannes item VIII. can. *Si imperator*. dist. 96. *Non a legibus* inquit, *publicis, non a potestatibus saeculi, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus christianae religionis clericos et sacerdotes voluit ordinari et discuti.* Et quod de personis affirmat Joannes pontifex, affirmavit multo ante Simmachus papa cum tota synodo III. romana de bonis ecclesiasticis. *Solis* inquit, *sacerdotibus disponendi de rebus Ecclesiae indiscusse a Deo cura commissa est.* His addi potest Innocentius IV. pontifex,quamvis non ut pontifex, sed ut doctor particularis de hac re scripserit. In commentario enim ad cap. 2. *De majoritate et obedientia* posteaquam docuerat: Clericos exemptos fuisse a potestate laicorum per summum pontificem imperatore consentiente,addit, hanc non esse plenam exemptionem,et ideo dicendum esse, clericos ab ipso Deo fuisse exemptos. Hoc testimonium Innocentii ea de caussa addendum putavi,quoniam Covar.in lib.practicar.quaest. cap. 31. scribit: Praedictum pontificem in loco a nobis citato affirmasse, exemptionem clericorum non esse juris divini, quod falsum esse verba citata palam ostendunt,et ante nos in hanc eandem sententiam Innocentium allegavit Panormitanus, in cap. *Nimis*, de jurejurando: ubi etiam idem auctor recte refellit eos, qui per jus divinum intelligunt jus canonicum, et fortasse ad ejusmodi explicationes excludendas concil.tridentinum non utitur vo-

cibus juris divini et humani, quae possent trahi ad significandum jus canonicum et civile, sed ait: *Ordinatione divina, et ecclesiasticis sanctionibus immunitatem Ecclesiae, per personarum ecclesiasticarum fuisse institutam.*

CAPUT II.

An exemptio clericorum sit juris divini naturalis.

Disseruimus hactenus de jure divino positivo; nunc de jure naturali disserendum est, quod plane divinum esse in dubium revocari non potest, cum jus naturale sit illud, quod est ab auctore naturae in animis nostris impressum. Sed antequam explicare incipiam, an ad hoc jus pertineat exemptio clericorum, distinguendi sunt gradus juris naturalis. Tres enim sunt gradus naturalium praeceptorum. Primus est eorum, quae ita perspicue sunt impressa in cordibus hominum, ut solo lumine rationis, sine ulla disciplina vel arte, immo sine novo discursu rationis judicentur ab omnibus justa; talia sunt prima quaedam principia, ut bonum esse appetendum, malum fugiendum, conservandam vitam cibo et potu, propagandam et educandam sobolem ad conservandum genus humanum, Deum esse colendum, non esse faciendum alteri, quod tibi non vis fieri. Haec maxime proprie sunt praecepta juris naturae, de quibus ita loquitur s. Ambrosius in epist. 71. ad Irenaeum: *Lex naturae, quam Deus singulorum infudit pectoribus, non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur*; et s. Hieronymus epist. ad Algasiam q. 8. *Lex, quae in corde scribitur, omnes continet nationes; et nullus hominum est, qui hanc legem nesciat, et idcirco, justum judicium Dei est scribentis in corde humani generis, quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.* Et s. Augustinus in tract. psal. 57. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur et quibus lex non esset data.* Nec dissentiunt Graeci, ut Chrysostomus hom. 54. in Gen. nec scholastici, ut s. Thomas in 1. 2. q. 94. art. 2. neque etiam ipsa jura, ut patet ex can. Jus naturale, dist. 1. et l. 1. ff. de just. et jure. Secundus gradus est eorum praeceptorum, quae deducuntur ex illis primis principiis, tamquam conclusiones proximae, et quasi naturaliter fluentes per facilem, evidentem et necessariam consequentiam, ut non sit opus arte vel disciplina, sed simplici discursu, qualem omnes homines habere possunt. Talia sunt omnia praecepta decalogi: nam ex illo principio in corde omnium impresso, Deum esse colendum, sequitur continuo non esse colenda idola, neque esse pejerandum; ex illo altero principio, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, sequitur non esse occidendum, non esse moechandum, non esse furandum etc. Et sane aliqua hujus generis praecepta aliquando ob nimiam hominum excaecationem deleta sunt de cordibus hominum, ut patet ex lib. 6. Caesaris de bello gallico, ubi legimus apud Germanos furtum non fuisse vitium, sed virtutem, et ex s. Hieronymo lib. 2. in Jovinianum, et ex Theodoreto lib. 9. ad Graecos, qui referunt multa vitia contra naturam, quae a populis quibusdam, et etiam a legislatoribus eorum tamquam licita et justa approbabantur. Sed quamvis ejusmodi praecepta a nonnullis ignorarentur, vere tamen et proprie ad jus divinum naturale pertinent, ut docet s. Thomas in 1. 2. qu. 94. art. 5. et qu. 100. art. 8. ubi scribit, in praeceptis decalogi, quia sunt proprie juris naturalis, nullam cadere posse dispensationem: et certe, sicut ea, quae deducuntur per necessariam consequentiam ex articulis fidei, pertinent ad fidem, quia non possunt negari, quin articuli ipsi negentur: ita quae deducuntur per necessariam consequentiam ex primis principiis juris naturalis pertinent etiam ad jus naturale, quia non possunt destrui, quin destruatur natura. Tertius gradus praeceptorum naturalium est eorum, quae deducuntur quidem ex principiis juris naturae, sed per consequentiam non absolute necessariam, nec omnino evidentem, et ideo egent humana constitutione. Et haec sunt quae theologi proprie referunt ad jus gentium, et ea distinguuntur a jure civili, quod jus civile non deducatur ex jure naturae per modum conclusionis deductae ex principiis, sed per modum determinationis eorum quae generatim praecipiuntur a jure naturae, quae doctrina est s. Thomae in 1. 2. q. 95. art. 2. et 4. Et quamvis idem s. Thomas in praedicta q. 95. art. 4. Isidorum sequutus, dicat, jus gentium esse speciem juris positivi; contra vero in 2. 2. q. 57. art. 3. et clarius lect. 12. in lib. 5. ethic. dicat esse speciem juris naturalis, et alleget jureconsultos veteres, qui jus naturale aliud esse docebant, quod est commune omnibus animalibus, aliud quod est commune omnibus hominibus: tamen non pugnat ipse secum, nec Isidorus cum jureconsultis pugnat. Nam et idem s. Thomas in 1. 2. q. 95. art. 4. ad primum, scribit jus gentium esse aliquo modo naturale, et aliquo modo positivum, ac per hoc est medium inter jus naturale purum, et jus civile. Jus enim naturale purum, est illud, quod nullo modo pendet ex humana constitutione; jus civile autem quod ex sola hominum constitutione pendet, et ideo pure positivum dici potest. Jus vero gentium partim est naturale, partim positivum, quia pendet quidem ab humana constitutione, idest, a consensu omnium gentium, sed non pendet ab auctoritate principis, vel magistratus particularis. Ex quo sequitur, ut ea quae sunt de jure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, ideo prohibeantur quia sunt mala: contra autem quae sunt de jure civili, quia sunt pure positiva, ideo sint mala, quia prohibentur. Rursus sequitur, ut ea quae sunt de jure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, non possint a principibus vel magistratibus abrogari, vel immutari: contra autem, quae sunt de jure civili, quia sunt pure po-

sitiva, sicut a principe, vel magistratu constituuntur, ita posse a magistratu, vel principe abrogari. His ita explicatis, dicendum videtur, exemptionem ecclesiasticorum non pertinere ad primum, vel secundum naturalium praeceptorum gradum, nec tamen esse juris tantum positivi sive canonici, sive civilis,sed referenda esse ad tertium gradum praeceptorum juris naturae, sive quod idem est, ad jus gentium. Haec mihi videtur esse sententia fere omnium theologorum et canonistarum, et in re non arbitror dissentire Joannem Driedonem, qui in lib. 1. de libertate christiana cap. 9. cum canonistis dicit,exemptionem clericorum esse juris divini naturalis, a Victoria in Relectione 1. de potestate Ecclesiae q. ult. et Soto in 4. sent. dist. 25. q. 2.qui dicunt, esse juris humani ac positivi. Nam Joannes Driedo non dicit esse juris naturalis, quia sit primum aliquod principium juris naturae, aut conclusio proxima,et quasi naturaliter deducta ex primis principiis, sed dicit esse juris naturalis, quia est omnino conformis et consentanea rationi naturali. Victoria vero et Sotus negant esse juris divini naturalis, quia per jus naturale intelligunt jus pure naturale, quo modo etiam negat idem Sotus jus gentium esse naturale; tamen iidem auctores, et maxime Sotus, addunt hanc exemptionem esse omnino consentaneam rationi, et ipsi naturae. Neque dicere volunt solum esse rationabilem, idest, non contrariam rationi, sic enim nihil dixissent, cum omnis justa lex etiam pure positiva non debeat esse contraria rationi; sed dicere volunt, esse deductam ut conclusionem ex jure naturae,et vim habere ex jure naturae,et ideo addunt,in hanc exemptionem consensisse omnes gentes, ac propterea non posse mutari, vel abrogari a regibus et principibus, etiamsi omnes simul conjuncti eam abrogare conentur. Neque dissentit s. Thomas, licet in commentar. ad cap. 13. ad Rom. scripserit: Clericos privilegio principum liberos esse a tributis: Nam in eodem loco addit, id factum esse ob naturalem aequitatem.

Hanc igitur sententiam probare possumus his argumentis. Primo ex consuetudine omnium gentium, quod enim ubique fit,ex natura ipsa descendit, quae omnibus communis est.Constat apud Hebraeos, levitas fuisse liberos a tributis ex c. 30. Exod. et cap. 1. Num. Constat apud Aegyptios sub rege Pharaone sacerdotes fuisse exemptos,ex cap. 47. Genes. Constat idem de sacerdotibus Hebraeorum sub rege Artaxerse ex lib. 1. Esdrae cap. 7. Idem cognosci potest de sacerdotibus gentilium ex Aristotele in lib. 2. Oeconom. ex Caesare lib.6.de bello gallico; ex Plutarcho in Camillo, et ex aliis. Apud Christianos imperator aperte christianus, continuo natura docente ecclesiasticos immunes a communibus reipublicae oneribus declaravit, ut patet ex epistola ejus ad Avilinum, apud Eusebium lib. 10. hist. eccles. cap. 7. quod idem multi alii imperatores fecerunt, et notanda sunt verba Justiniani I. *Sancimus*, 2. Cod. de sacrosanct. eccles. Nam ubi exemisset ecclesias,ait: *Cur enim non facimus discrimen inter res divinas et humanas, et cur non competens praerogativa coelesti favori conservetur?* Quibus verbis ostendit, exemptionem illam non fuisse arbitrariam et liberam, sed debitam et necessariam.

Alterum argumentum ducitur a similitudine, quam potestas ecclesiastica et saecularis habent cum anima et corpore humano. Nam, ut ostendimus in lib. 5. de summo pontifice, ex s. Gregorio nazianzeno, Hugone de s. Victore, aliisque insignibus auctoribus, non potest melius intelligi quo modo se habeat potestas ecclesiastica ad saecularem, quam ex modo, quo se habet in homine spiritus ad carnem.Spiritus autem ita se habet ad carnem, ut quamvis non impediat actiones ejus, cum bene se habent, eam tamen regat et moderetur,et aliquando cohibeat, aliquando excitet, prout ad finem suum expedire judicat: Contra vero,caro nullum habet imperium in spiritum, neque eum ulla in re dirigere,vel judicare, vel coërcere potest.Sic igitur potestas ecclesiastica, quae spiritualis est, ac per hoc naturaliter saeculari superior, saecularem potestatem, cum opus est, dirigere, judicare et coërcere potest; ipsam vero a saeculari dirigi, vel judicari, vel coërceri nulla ratione permittitur. Tertio probatur ex nominibus patris et pastoris, quibus tum in sacris literis, et in libris sanctorum Patrum, tum ex communi Christianorum consuetudine sacerdotes ornantur. Natura enim docet,ut filii parentibus obediant, atque ab iis se corrigi aequo animo ferant, non autem ipsi parentibus imperare, eosve corrigere, vel judicare velint. Multo etiam magis eadem duce et magistra natura, oves a pastoribus reguntur et gubernantur, et quando aberrant, vel sibilo, vel baculo reducuntur in viam, et plane contra naturam esset, si ovis pastorem regere, vel gubernare videretur. Quartum argumentum peti potest a nomine et officio clericorum,clerici enim sunt ministri Dei consecrati ad obsequium solius Dei, atque ad hoc ipsum ab universo populo Deo oblati, unde et clerici dicuntur tamquam ad sortem Domini pertinentes, ut s. Hieronymus docet in epist. ad Nepotianum. Certe autem in ea, quae sunt oblata et consecrata Deo, et quasi propria ipsius Dei facta sunt, nullum jus habere possunt principes saeculi: id quod et lumen rationis ostendit,et Deus ipse in scripturis sanctis non obscure tradit,cum ait Levit.ult.*Quicquid semel Deo fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Quis autem dicere audeat, jus esse profano homini in ea, quae sancta sanctorum, idest, sanctissima dici meruerunt? Qua ratione bona etiam temporalia clericorum, bona dominica proprie dicuntur in canon. 4. apostolico, et ideo tamquam Deo sacra, jurisdictioni laicorum subjecta esse non possunt. Quintum argumentum ducitur a signis et prodigiis quae non raro Deus ostendit in eos, qui ecclesiarum immunitatem violare praesumpserunt. De qua re multa legi possunt apud Tilmannum Bredembachium in lib. 5. sacrarum collationum. Sed extat insigne testimonium Basilii Porphirogeniti Graecorum imperatoris apud Balsamonem in Nomocanone Photii, in commentario canonis primi synodi constantinopolitanae primae et secundae, quam nos Latini octavam synodum ap-

pellamus. Refert enim idem Basilius caussam omnium calamitatum ejus temporis in legem quandam Nicephori Phocae praedecessoris sui contra Ecclesiae libertatem latam. *Ex quo*, inquit, *lex ista robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum usque diem vitae nostrae contigit, sed potius econtrario nullum omnino genus calamitatis defuit.* Itaque legem illam merito irritam esse voluit, ac penitus abrogavit.

CAPUT III.

Solvuntur argumenta contraria.

Sed operaepretium erit ad eas objectiones breviter respondere, quas Didacus Covarruvias loco citato, et Joannes Medina in cod. de Restit.quaest.15. (qui liberius aliis auctoribus loquuti sunt) in medium protulerunt. Objiciunt ergo primo, nullam extare legem divinam, qua clerici eximantur a jurisdictione principum laicorum. Sed jam ostendimus extare non pauca testimonia scripturae veteris, ex quibus per probabilem consequentiam ducatur argumentum ad probandum jure divino clericos liberos esse a jurisdictione principum saecularium. Neque obstat quod Testamentum vetus abrogatum jam sit per Testamentum novum. Nam tametsi abrogata sint caeremonialia, judicialiaque praecepta, non tamen sunt abrogata moralia,idest, quae continent vel declarant jus naturae, et praeterea cum caeremoniae Judaeorum figurae fuerint rerum nostrarum, ut Apostolus docet 1. Corinth. 10. Galat. 4. et Hebr. 7. non male ducimus argumenta per similitudinem a ritibus judaicis. Denique non sola testimonia scripturae veteris, sed etiam rationes ex jure naturae depromptas adduximus, jus autem naturae non humanum, sed divinum est, cum ab ipsius naturae auctore manaverit. Secundo objiciunt leges multas Justiniani ex codice et authenticis, ex quibus cognosci potest, olim clericos imperatoris jurisdictioni fuisse subjectos. Sed facilis est responsio: Nam si hoc argumentum vim ullam haberet, probaret etiam in rebus ecclesiasticis et spiritualibus non esse liberos clericos jure divino a potestate principum laicorum: constat enim non solum ex codice et authenticis, sed multo magis ex Nomocanone Photii, non paucas leges Justiniani de rebus plane ecclesiasticis et spiritualibus disponere. Covarruvias autem et Medina, ut etiam omnes theologi et canonistae, summo consensu docent, in rebus ecclesiasticis et spiritualibus liberos esse clericos a potestate principum saeculi jure divino. Coguntur igitur ipsi etiam nobiscum dicere leges illas procedere de facto, non de jure, et toleratas aliquando a summis pontificibus, numquam autem approbatas. Non tamen negaverim, multas quoque esse civiles leges imperatorum, quas non minus clerici, quam laici sequi debeant. Ecclesia enim pro cursu temporalium tantummodo rerum, ut loquitur Nicolaus I. papa in epist. ad Michaëlem, imperialibus utitur legibus. Quod idem habemus in multis canonibus distinctionis decimae apud Gratianum, et cap. 1. de novi oper. nunciat. et alibi. Quae tamen omnia intelligi debent de iis legibus, quae non sunt contrariae ecclesiasticae libertati, et quoad directionem, non quoad coactionem, ac denique cum adsunt aliae conditiones, quas notant doctores, ac praesertim Felinus in cap. *Ecclesia s. Mariae*, de constitut. quaest. 1. Tertio objiciunt exemplum apostoli Pauli, qui cum esset praesul ecclesiasticus, non timuit appellare Caesarem, atque ab eo judicari se debere libere confiteri, ut s. Lucas refert Act. 25. sed hanc objectionem Covarruvias omnino debuisset omittere. Nam b. Paulus, ut constat ex cap. ult. Actorum,coactus est appellare Caesarem, oppressus videlicet calumniis Judaeorum, et injustitia praesidis romani, qui solum Caesarem supremum judicem agnoscebant. Itaque ipse quoque de facto saltem, si non de jure, Caesarem judicem agnoscere debuit, nec sine risu exceptus fuisset, si b. Petri supremi principis ac judicis sui coram gentilibus, vel Judaeis mentionem facere voluisset.

Quarto objiciunt testimonia ss. apostolorum Petri et Pauli, scribit enim b. Petrus in epist. priore cap. 2. *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi, tamquam praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis*: et b.Paulus in epist. ad Roman. cap. 13. *Omnis inquit,anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: In quem locum scribit s. Joannes chrysostomus, haec dici non tantum laicis, sed etiam clericis et monachis, et ipsis etiam apostolis et evangelistis. Respondeo: Sententias apostolorum generales esse. Quamvis enim nominatim in eis fiat mentio regum, quoniam eo tempore valde necessarium erat diligenter monere Christianos,ut regibus obedirent,ne fidei praedicatio impediretur, tamen absolute verba illa tam b. Petri, quam b. Pauli, nihil aliud significant, nisi debere omnes homines suis legitimis superioribus subditos esse, eisque debitam obedientiam exhibere. Quare non potest ex his testimoniis apostolicis probari clericos principibus saeculi, vel ipsorum legibus obtemperare debere,nisi prius probetur, reges saeculi esse legitimos superiores, et judices clericorum, quod certe probari non poterit, nisi probetur, oves pastoribus,filios parentibus, et temporalia spiritualibus praeeminere. Nec tamen Chrysostomo contradicimus;quamvis enim judicem proprium clericorum et monachorum solum pontificem esse dicamus, tamen fatemur, reges non solum laicorum,sed etiam clericorum et monachorum reges esse. Unde etiam non sine caussa in publicis precibus oramus pro rege, vel pro imperatore nostro: Nam cum reges bella gerant non solum pro laicis, sed etiam pro clericis et monachis, proque omnium pace et tranquillitate invigilent, debetur eis ab omnibus honor, juxta illud b.Petri, 1. epist. cap. 2. *Regem honorificate*; debetur etiam obedientia, cum eorum leges non sunt contrariae sacris canonibus, et cum de rebus iisdem nulla extat canonica dispositio,ac demum quoad directionem, ut supra diximus, non quoad coactionem. Praeter haec argumenta objicit Joannes Medina loco citato

quaedam alia, quae Covarruvias fortasse ut leviora praetermittenda putavit. Sed nos ea quoque breviter diluamus. Ait igitur Medina, in lege naturae primogenitos omnes fuisse sacerdotes, nec tamen exemptos a majorum suorum potestate. Item in lege scripta levitas, quibus nunc succedunt clerici, non solum Aaroni pontifici subjectos fuisse, sed etiam Moysi, qui princeps erat civilis totius populi Judaeorum. In lege quoque evangelica Christi, ipsum, qui caput erat omnium sacerdotum, Pilato subjectum fuisse, juxta illud: *Non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joan. 19. Denique ita ratiocinatur Medina: Lex evangelica, Baptismus, ordo clericalis, non liberant jure divino a debitis antea contractis, ut a debito servitutis, a debito pecuniario, a debito conjugali, ergo nec a debito subjectionis et obedientiae civilis, sed clerici ante clericatum subjecti erant potestati et jurisdictioni principum et magistratuum saecularium, non igitur liberi sunt jure divino ab eadem potestate et jurisdictione post clericatum. Sed ad haec omnia facilis est et expedita responsio. Nam de primogenitis in lege naturae non probavit Medina eos civilibus magistratibus fuisse subjectos: nos autem probare possumus, non fuisse, quoniam iidem primogeniti sacerdotes et principes esse solebant, docet s. Hieronymus in quaestionibus hebraicis ad cap. 49. Genes. quae est etiam communis Hebraeorum sententia, et exprimitur ab ipsa paraphrasi chaldaica eodem loco in benedictione Ruben. Porro Moyses, cui subjecti erant levitae, non solum princeps civilis totius populi, sed etiam summus sacerdos erat, et Aarone major quamvis extraordinaria potestate. Unde dicitur in psal. 98. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; et novimus Aaron a Moyse consecratum: et denique testatur Philo in extremo lib. de vita Moysis, fuisse Moysem pontificem, regem et legislatorem Hebraeorum. Quid igitur mirum, si levitae Moysi subjecti erant non minus quam Aaroni, cum Moyses non minus quam Aaron sacerdotio fungeretur. Christum autem Pilato subjectum fuisse de facto solum, non de jure, certissimum est, et potestas desuper data, quam in Pilato Christus agnoscit, non potestas judiciaria, sed permissio intelligenda est, ut sancti Patres docent. Chrysostomus et Cyrillus. De qua Dominus ait Luc. 22. haec est hora vestra et potestas tenebrarum. Et certe, ferendum non esset, si Medina cum Marsilio Paduano Christum Dei Filium naturalem, principibus terrenis jure subjectum fuisse dicere vellet. Ratiocinatio denique ejusdem Medinae aut nihil probat, aut plus, quam ipse velit, probat. Nam si paria sunt eximere a debito servitutis, vel pecuniario, vel uxorio; et eximere a debito subjectionis et obedientiae civilis, sicut non potest summus pontifex eximere homines christianos a debito servitutis, vel pecuniario, vel uxorio sine consensu partis, quoniam alioquin injuriam facere videretur, ita non potuisset idem summus pontifex eximere clericos a jurisdictione principum saecularium, sine ipsorum consensu. Atque hoc est contra omnes theologos, a quibus nec ipse Medina dissentit. Non igitur sunt illa paria, ac per hoc Medinae argumentum non recte concludit. Ratio vero discriminis inter illa debita, haec est, quod majus omnino sit vinculum inter creditorem et debitorem, dominum et servum, virum et uxorem, quam inter principem vel magistratum et civem. Itaque clericatus non a debitis illis prioris generis, et ideo non poterit fieri clericus is, qui servus est, nisi prius a Domino liberetur, neque is, qui est alligatus uxori, nisi uxor consentiat, et ipsa quoque votum continentiae emittat: neque is, qui tantum pecuniae debet, ut restituere nequeat, si clericus fiat, nisi a creditore debitum remittatur. At idem clericatus eximit a subjectione civili, et transfert in subjectionem ecclesiasticam etiam non consentiente, vel repugnante superiore civili, quoniam unusquisque circa statum propriae personae liber est, sicut potest relinquere patrem et matrem et adhaerere uxori, juxta verbum Domini Matth. 19. ita potest relinquere principem saeculi, et in sortem Domini transire, atque ad Dei servitutem accedere, seque totum episcopo in clericatu, vel abbati in monastica professione committere. At, inquit Medina, lex evangelica, et Baptismus, non eximunt a jurisdictione civili, igitur neque eximit clericatus. Respondeo: Non esse eandem rationem legis evangelicae et Baptismi, ac ipsius clericatus. Nam lex evangelica, et Baptismus non excludunt, immo necessarium esse volunt principatum civilem, ut adversus Anabaptistas nos alio loco probavimus. At clericatus, ut etiam monachatus, non posset suo munere recte fungi, nisi liber esset et immunis a jurisdictione civili; et ordo ipse naturae pervertetur, si pastores ovibus, parentes filiis, et spiritualia corporalibus subjicienda sint. At, inquies, injuria fiet principibus si inviti suo jure priventur, quod in clericos ante clericatum habebant. Respondeo: Nullam ipsis injuriam fieri, quia qui jure suo utitur, nullam facit injuriam. Utitur autem jure suo, qui eligit statum, quem sibi magis convenientem esse censet, quamvis per accidens sequatur, ut princeps subdito suo privetur. Nam etsi quis justa de caussa domicilium suum in aliam civitatem vel provinciam transferat, desinet subditus esse priori principi, nec tamen injuriam illi fecisse videbitur. Ultima objectio Medinae illa est, quod non repugnet rationi, ut homines addicti obsequio Dei et spiritualibus functionibus, subsint in rebus temporalibus et civilibus regi vel magistratui saeculari. Ex quo sequitur, ut si exempti sint, id factum sit, concessione principum, non jure divino. Addi potest confirmatio ad hoc argumentum, ut nihil difficultatis subterfugere videamur. Nam sicut princeps saecularis, ut Christianus et in rebus spiritualibus est ovis et filius sacerdotum: ita econtrario sacerdotes ut cives, et in rebus temporalibus videntur posse dici oves et quasi filii principum saecularium. Item quia una tantum est Ecclesia, continens clericos et laicos, et Ecclesiae caput est summus pontifex; ideo subsunt omnes eidem summo pontifici tum clerici, tum laici; igitur eodem modo quoniam una est civitas continens laicos et clericos, et civitatis caput est princeps saecularis, ideo subjecti debent esse omnes tam laici quam clerici principi saeculari in

iis, quae pertinent ad bonum regimen civitatis. Respondeo: Hoc argumento probari exemptionem clericorum, non esse de jure naturae primario, quod nos supra in duos gradus distinximus, sed esse de jure naturae secundario, quod etiam jus gentium appellari diximus. Nam ut s. Thomas recte docet in 2. 2. quaest. 57. art. 3. jus naturae primarium respicit rem absolute consideratam, jus naturae secundarium, sive jus gentium respicit rem in ordine ad certum finem, et ideo pendet ex discursu rationis. Licet igitur non repugnet rationi absolute, ut clericus subsit in rebus civilibus principi saeculari: tamen repugnat in ordine ad officium clericorum rite administrandum. Nam ut alia omittam, turpissimum esset, ut etiam Solus annotavit, si magistratus, episcopum corrigere vel punire posset, a quo ipse corrigendus, et puniendus est. Et quis ferret, si hodie sacerdos ad suum tribunal magistratum vocaret, cras autem magistratus vocaret sacerdotem ad suum? et nonne omnis reverentia, quam necessario debent laici sacerdotibus, periret, si eos pro imperio coërcere possent. Hinc igitur ante omnes principum leges, humanum genus ratione docente constituit, ut ubique sacerdotes immunes essent a jurisdictione principum laicorum. Ad primam confirmationem respondeo: Principem quidem ovem ac filium spiritualem sacerdotis esse: sed sacerdotem nullo modo filium vel ovem principis dici posse: quoniam sacerdotes et omnes clerici suum habent principem spiritualem, a quo non in spiritualibus solum, sed etiam in temporalibus reguntur. Neque fieri potest, ut duos agnoscant principes in rebus temporalibus, cum, juxta evangelium, nemo possit duobus dominis servire. Ad alteram confirmationem respondeo: Ecclesiam vere unam tantum esse, et nullo modo duas, civitatem autem unam esse materialiter et duas formaliter. Nam Ecclesia continet omnes Christianos catholicos, sive sint clerici, sive laici. Si quis autem consideret coetum laicorum, non ut Christiani sunt, sed ut cives, vel quocumque alio modo, is coetus Ecclesia dici non potest. Non igitur duae fingi possunt Ecclesiae, ac multo minus esse. At coetus laicorum et coetus clericorum formaliter duae civitates dici possunt, quoniam in ipsis etiam temporalibus rebus diversas leges habent, diversum principem, diversa tribunalia, et tamen materialiter unam quoque civitatem faciunt, quia unam urbem inhabitant, et sub ejusdem principis protectione vivunt, qui sicut pro labore ac sollicitudine, quam pro communi bono suscipit, a laicis tributa recipit, ita recipit a clericis auxilia longe majora publicarum precum et sacrificiorum ad Deum.

DE TRANSLATIONE

IMPERII ROMANI

A GRAECIS AD FRANCOS

ADVERSUS MATTHIAM FLACCIUM

Illyricum, Libri Tres

AUCTORE

ROBERTO BELLARMINO

E SOCIETATE JESU

SUMMA LIBRI PRIMI

ROMANUM IMPERIUM A GRAECIS AD FRANCOS SUMMI PONTIFICIS AUCTORITATE TRANSLATUM

CAPITA LIBRI PRIMI

CAP. I. *Contradictiones duodecim Illyrici detegit.*

» II. *Mendacia viginti ejusdem Illyrici refellit.*

» III. *Prolegomena adversarii confutat, et eam controversiam explicat, quae fuit Adriano summo pontifici cum Friderico Aenobardo imperatore.*

» IV. *Testimoniis historicorum supra triginta demonstrat, imperium romanum summi pontificis auctoritate ad Francos a Graecis esse translatum.*

» V. *Testimoniis duodecim principum idem confirmat.*

» VI. *Idem asserit testimoniis septem summorum pontificum.*

» VII. *Imperium romanum non esse a Francis acquisitum jure belli.*

CAP. VIII. *Non accepisse Carolum Magnum a Deo immediate imperii dignitatem.*

» IX. *Imperium romanum non esse devolutum ad Carolum magnum jure successionis haereditariae.*

» X. *Imperium romanum non esse delatum ad Francos auctore senatu populove romano.*

» XI. *Imperium romanum non fuisse a graeco imperatore Carolo magno traditum.*

» XII. *Summum pontificem jure suo romanum imperium transferre potuisse, ac reipsa ad Francos transtulisse.*

» XIII. *Objectiones Illyrici dissolvit, aut jam ante dissolutas demonstrat.*

SUMMA LIBRI SECUNDI

Romanum imperium a familia Caroli magni, et gente Francorum ad familiam Othonum, et gentem Saxonum, summi pontificis auctoritate transisse

CAPITA LIBRI SECUNDI

CAP. I. *Successionem explicat Caroli Magni.*

» II. *Othonem primum, non autem Henricum aut Chunradum, imperatorem primum ex gente Saxonum fuisse demonstrat.*

CAP. III. *Eundem Othonem a summo pontifice Joanne duodecimo ad imperium provectum ostendit.*

» IV. *Objectiones Illyrici diluit.*

SUMMA LIBRI TERTII

Septem electores imperii a summo pontifice Gregorio Quinto potissimum institutos

CAPITA LIBRI TERTII

CAP. I. *Electores ante Gregorii decimi pontificis et Friderici secundi imperatoris tempora designatos. Objectiones Onuphrii refellit.*

» III. *Electores imperii non ab Othone tertio imperatore, sed a Gregorio V. pontifice maximo institutos ostendit.*

CAP. IV. *Objectiones Illyrici dissolvit, ac mendacia plurima auctoris ejusdem detegit et redarguit.*

LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM ET PARTITIO HUJUS LIBRI

Scripturus de translatione imperii romani a Graecis ad Germanos, adversus mendacissimum librum, quem ante paucos annos de eodem argumento edidit Matthias Flaccius Illyricus, operaepretium me facturum existimavi, si quemadmodum ipse prolegomena quaedam praemisit, ita quoque et ego loco prolegomenorum pauca quaedam praemittam tum de contradictionibus,tum de mendaciis ejusdem Illyrici manifestis, atque crassissimis. Ita enim spero fore, ut hominis hujus inconstantia et impudentia patefacta, simul etiam aditus patefiat veritati in aures atque animos illorum,quos jam forte falsitas occupavit, quibusque ille suis artibus,et multa historiarum confusione et varietate, tenebras offudit. Deinde ad rem ipsam aggrediar hoc ordine. Quoniam Illyricus, ut est inconstans et varius, uno in loco docet non esse translatum imperium romani pontificis auctoritate a Graecis in Francos,seu Germanos, in alio vero fatetur id quidem, sed affirmat injuste et impie factum, esseque hanc translationem praecipuum miraculum Antichristi, propterea primum demonstrare conabor, vere translationem esse factam summi pontificis auctoritate; atque argumenta desumam ex consensu omnium historicorum; ex confessione imperatorum ac principum aliorum, ex testimoniis veterum romanorum pontificum,ac demum ex refutatione omnium eorum jurium, vel titulorum, quos adversarii praetendunt. Ostendam enim certissimis rationibus.Carolum Magnum, quem imperatorem romanum fuisse nec Illyricus, neque alius quispiam negat,ad eam dignitatem pervenisse, nec jure belli atque armorum, nec immediata vocatione Dei,nec successione haereditaria, nec dono Graecorum, nec denique electione senatus populique romani; proinde aut Carolum a pontifice imperium habuisse, aut omnino non habuisse. Deinde planum faciam,id quod summus pontifex in hac translatione imperii fecit, rite ac jure esse factum. Addam postremo, ut nihil eorum, quae Illyricus tractat, praetermisisse videar, de translatione imperii.si tamen translatio dicenda est, ex familia Caroli Magni in Saxones, et de institutione septem imperii electorum.

CAPUT PRIMUM

Complectitur contradictiones Illyrici.

Igitur noster Illyricus (ut ordiamur ab eo quod primo loco propositum est) pro sua gravitate et constantia in afferendis sententiis, non tam quid sit in re, considerare solet. quam quid proposito suo maxime deserviat. Itaque si affirmare aliquid caussae, quam defendit, utile est,confidenter affirmat; si rursum illud ipsum negare, rei suae conducere putat, audacter negat, parum omnino laborans, cohaereantne scripta sua inter se, an secum ipsa pugnent, et utrum unum alteri opem ferat. an potius, tamquam in bello sociali, unum evertatur ab altero.

I. In libro, quem nuper edidit de translatione imperii , passim figmentum et fabulas appellat, quod vulgo creditur, imperium romanum translatum a Graecis ad Germanos summi pontificis auctoritate. Atque ut aliquem certum locum notemus titulus secundae partis primi capitis hic est: *Quod non sit facta per papas imperii translatio a Graecis ad Germanos.*

Sed nimirum cum haec scriberet, oblitus erat quid paulo ante scripsisset. Nam in libro contra primatum papae pene extremo, notas Antichristi explicans, quinto loco hanc ponit de translatione imperii, et quidem his verbis: *Antichristus apparebit cum romani regni defectio fiet, et reddet Romanis libertatem, sub suo tamen nomine. Hoc accidit ante annos* 700.*cum romanum imperium ruebat, et a papae non tamquam Caesare dictatore, consule aut senatore, sed ut a papa romano nonnihil instauratum est: tunc enim papa suam potentiam et impietatem propagavit.*Sic Apocalyp. 13. *Laesa bestia ab alia simili agni bestia honoratur.* Nec solum in eo libro, sed etiam

in centuriis idem affirmat Illyricus. Sic enim scribit centur. 8. cap. 10. col. 751. *Atque ita imperium romanum ad Carolum, et Francos* (Leo Tertius) *transtulit. et tamen sibi reservavit jus Francis imperandi. Atque hinc factum est deinceps, ut qui imperii sceptrum acciperent, a pontifice inaugurarentur, estque haec translatio praecipuum ex miraculis Antichristi*, Apocalypsis 13. et 17.

Quid hic Illyrice eliges? si transtulit romanus pontifex imperium in Francos, totus liber tuus de translatione imperii corruit: si non transtulit, corruunt partes non exiguae tum ex libro tuo contra primatum, tum ex historiarum tuarum centuriis. Immo vero, sive transtulit papa romanus imperium in Francos, sive non transtulit, corruit liber tuus de translatione imperii. Siquidem papam esse Antichristum, ex Verbo Dei efficacissima ducta ratione demonstrasse te putas in locis paulo ante citatis, quia videlicet papa dum imperium occidentale instauravit, curavit (ut tu quidem interpretaris) plagam bestiae, quod est miraculum, et nota praecipua Antichristi, Apocal. 13. et 17. Igitur in lib. de translatione imperii dum contendis tam acriter, non esse papam auctorem occidentalis imperii, quid aliud contendis, quam id efficere, ut credamus falsam esse tuam illam demonstrationem, qua ex Verbo Dei probare volebas, papam esse Antichristum? et tamen in hoc ipso libro, tertio quoque verbo repetis papam esse Antichristum, in quo tu ipse tuam praecipuam demonstrationem labefactas, qua effici credebas, papam esse Antichristum. Sed pergamus ad caetera.

II. In hoc ipso libro de translatione imperii in epistola dedicatoria affirmat Illyricus jus in imperium romanum Germanos adeptos esse ante annos 1500. cum videlicet Arminio duce duas aquilas Romanis eripuerunt; atque in hujus rei signum bicipitem aquilam Germanos imperatores in insignibus suis praeferre. *Huc*, inquit, *referre possis, quod et mox post Julium, sub Augusto Germani duas aquilas Romanis justissimo bello abstulerunt.* Et infra: *Quandocumque igitur volet romanus sacrificus, aliique imperii aemuli, cognoscere Germanorum monarchiae originem, ac jus, intueantur modo, ac contemplentur ejus gloriosa insignia bicipitem aquilam ostentantia; et mox ea illos de origine jureque suo abunde edocebunt ac vel invitos convincent.* Haec ille.

Sed haec somnia, quae nos infra cap. 6. refutabimus, refellit etiam ipse idem Illyricus cum ita loquitur centur. 9. cap. 16. col. 621. *Aquila romana in duo capita statim in initio hujus saeculi* (quod est ab anno 800. ad 900.) *divisa est. Nam Carolus Magnus a Leone pontifice cum consensu senatus et populi romani imperator occidentis solemni ritu inauguratur anno Domini* 801. Quomodo, quaeso, ista cohaerent ut ante annos 1509. coeperit aquila biceps, et jus, atque origo imperii Germanici; et tamen aquila romana anno 801. idest, ante annos 700. divisa primum fuerit, cum Carolus Magnus a Leone pontifice imperator occidentis primus inauguratus est?

III. Rursum in libro de translatione imperii cap. 1. pag. 9. Audet, inquit Illyricus, Gelasius papa ad Anastasium imperatorem scribens 15. quaest. 6. can. *Alius*, affirmare Zachariam papam deposuisse Hildericum regem Francorum, et translulisse regnum in Pipinum Caroli patrem. (Et infra: Tale mendacium ausus est papa confingere, et Gratianus suae rapsodiae decretorum inserere.) Haec ibi. At in historia longe aliter. Sic enim scribit cent. 8. cap. 10. col. 706. Pipino Zacharias papa regnum Francorum dedit, idque ei tutum praestitit, deposito, et in monachum consecrato Carolomanno fratre ejus, et Hilderico rege priore. Poterat ne clarius secum pugnare, et uno in loco destruere, quod in alio affirmavit?

IV. In libro eodem de translatione imperii c. 1. pag. 12. affirmat Illyricus, summos pontifices quondam servos et mancipia fuisse Caroli, nunc econtrario a summis pontificibus adigi Caesares ad turpissima pedum oscula. Quam foeda, inquit, est ista vanitas, quod Papistae fingunt, illos servos et mancipia Caroli, imperium romanum in Carolum transtulisse, eumque sibi ut vassallum quendam dato feudo obligasse; ut nunc arctissimis juramentis Caesares sibi obstringunt, et etiam ad turpissima pedum oscula adigunt. Sed audi rursum ejusdem Illyrici verba ex centur. 8. cap. 10. col. 724. Pipinus, inquit, et Carolus filius ejus, in terram prostrati, pedes ejus (Stephani papae) osculati sunt, et stapedes ejus apprehenderunt, et fraenum equi illius tenentes, stratoris officia ei praestiterunt. Quid hic dices Illyrice? Si papa mancipium erat Caroli, qui factum est, ut non papa Caroli, sed Carolus papae stapedes apprehenderit, et stratoris officium ei praestiterit? Et si nunc primum coepit papa principes adigere ad oscula pedum, quo pacto ante annos prope 800. Pipinus et Carolus humi strati, pontificis pedes, nullo cogente, nisi Dei metu ac reverentia, Christi vicario debita, osculabantur?

V. Eadem pag. 12. in libro de translatione imperii ita scribit Illyricus: Testantur quoque omnes historici, etiam ii qui papis sunt addictissimi, Leonem papam mox ut electus fuit in papam, misisse ad Carolum Magnum legationem una cum clavibus s. Petri, quod est papale insigne et vexillis urbis Romae cum aquilis; petiisseque juxta synodum Adriani, confirmationem sui, et ut aliquis mitteretur qui Romanos Carolo denuo juramento adstringeret; quod fuit extremae subjectionis indicium. Haec ibi. In centuriis contrarium legimus; nimirum petiisse Leonem ut aliqui a Carolo mitterentur, qui Romanos non Carolo, sed ipsi papae juramento adstringerent: sic enim legimus centur. 8. cap. 10. column. 750. Legatos ergo inscio senatu cum muneribus ad Carolum mittit, eique sacras claves, insigne pontificiae dignitatis et vexillum urbis Romae seu aquilam, signum imperii romani offert, seque et urbem Romam ejus fidei commendat ac postulat ut suos Romam ableget, qui populum romanum ad suam fidem atque subjectionem sacramento firmarent: juxta annales Francorum. Quae verba alii (hoc est, Illyricus idem in alio loco) intelligunt, quod jusserit Romanos Francis fidem jurare; sed

id non tam facile esset impetratum. Quare verisimilius est, quod petierit Romanos eo adigi,ut pontifici jusjurandum praestarent.Quare Engelbertus, vel Agilbertus, abbas s.Richarii, jussu Caroli compulit romanum populum fidelitatem jurare pontifici.

VI. Pag. 22.Italiam ab Odoacre occupatam affirmat Leone Bessicano imperatore. At cent.5. c. 16. colum. 1526. scribit id accidisse sub Zenone qui post Leonem juniorem Leoni seniori, idest, Bessicano successit.

VII. Pag. 26. et sequentibus, Theodoricum Ostrogothum,imperatorem Romanorum et Augustum, ac purpura Caesarea ornatum fuisse fuse docet, ac multis testimoniis confirmat. At centur. 6. cap.16. col. 840. disertis verbis dicit, Theodoricum eundem nec nomen nec insignia imperatorum Romanorum unquam habuisse.

VIII. Pag. 49. Carolo Magno imperium occidentis donatum fuisse scribit ab Irene,antequam idem Carolus a Leone coronaretur. At cent. 9. cap. 16. colum. 621. scribit Graecos in imperium Caroli quodammodo consensisse, quod non possent mutare quod Leo fecerat Romae,quando Carolum imperatorem appellavit.

IX.Neque vero de electoribus imperii minor est apud Illyricum, quam de ipsa imperii translatione dissensio: Nam in libro de translatione imperii c. 5. pag. 89. habentur haec verba:Hic quoque ut ubique alibi, Pontificiorum parasitarum mendacia grassantur. Dicunt enim quod imperante Othone III. Gregorius V. Germanus, male a Romanis tractatus, suaque sede pulsus, decretum tulerit quod septem Germani principes,loco Romani populi senatusque, imperatores in perpetuam posteritatem eligere deberent: Quod eorum figmentum mox evidenter, Deo dante, redarguemus. At in historia ecclesiastica, cent. 10. c. 10. col. 546. habentur haec alia ejusdem Illyrici verba, quae pugnent necne cum praecedentibus,vel ipse Illyricus judex esto: Gregorius undecimo sui exilii mense, pristinae dignitati per imperatorem restitutus, suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, ut penes solos Germanos eligendi regem esset jus ac potestas, qui post diadema a romano pontifice acceptum, imperator et Augustus appellaretur.Suntque electores constituti, moguntinus, coloniensis et trevirensis archiepiscopi,comes palatinus Rheni Saxoniae dux,marchio Brandeburgensis et rex Bohemiae, qui paribus suffragiis electorum existentibus, litem inter eos dirimat. Ne autem liber de translatione imperii solum cum aliis ejusdem Illyrici libris,et non etiam ipse secum pugnare videatur, annotemus adhuc unam vel alteram contradictionem.

X. In ipso igitur lib.de translatione imperii cap. 1. pag. 5. sic Illyricus loquitur:*Dei solius est iste titulus: Mea sunt omnia; ego do ea cui volo; ego transfero regna ac monarchias de gente in gentem pro meo arbitrio.Horrenda ergo blasphemia est, quod Antichristus, sicut in aliis omnibus se Deo exaequavit, immo et supra eum extulit, ita in hoc quoque gloriatur: suum esse transferre imperia ac regna ad quemcumque velit; seque translulisse imperium a Graecis ad Francos, et porro a Francis ad Germanos.* Haec ibi. At infra cap. 2. pag. 21. non vult solius Dei esse transferre imperia, sed etiam hominum. Siquidem docet non semel translatum fuisse imperium a Graecis ad Germanos: *Romani*, inquit,*aut potius constantinopolitani imperatores saepius jus occidentalis imperii Germanis tradiderunt.* Et mox pag. 22. *Prima igitur*, inquit, *translatio facta est sub Leone Bessicano, constantinopolitano imperatore, circa annum 460. in Othacarum, aut Odoacrem.* Et infra ponit secundam translationem factam a Zenone imperatore in Theodoricum; tertiam ab Anastasio in Clodovaeum; et quartam ab Irene in Carolum. Sed si horrenda blasphemia est, quod papa asserat.se translulisse imperium in Germanos, quia transferre imperia soli Deo convenit, quomodo non est horrenda blasphemia, quod Illyricus asserit, a Leone Bessicano, vel ejus militibus, translatum imperium in Odoacrem, a Zenone in Theodoricum, ab Anastasio in Clodovaeum, ab Irene in Carolum?

XI. Et si Antichristus est, et Deo se exaequat, vel super ipsum extollit, qui audet regna transferre, quod soli Deo est proprium, certe Antichristi fuerunt Leonis milites, necnon Zeno, Anastasius et Irene imperatores,qui re ipsa (ut Illyricus dicit) imperium translulerunt,ac Dei potestatem usurparunt.Papa vero non modo non est Antichristus,sed etiam Antichristo omnino contrarius, cum non solum imperium non translulerit, nec Deo se aequaverit, sed etiam (ut idem Illyricus scribit pagin. 12.) se ut servum ac mancipium imperatori subjecerit. Nonne igitur Illyricus manifeste secum pugnat,cum passim in hoc suo libro papam Antichristum vocat, et quidem extollentem se supra ipsum Deum; et tamen in eodem libro tam humilem facit eundem papam, ut se mancipium et juratum servum imperatoris esse fateatur?

XII. Rursum in eodem libro cap. 1. pag. 12. *Ipsa*, inquit, Illyricus, *vox translationis eos evidentissime mendacii redarguit: nam si translulerunt papae imperium a Graecis ad Francos, sequitur Graecos esse plane privatos imperiali dignitate.* Haec ibi. Sed paulo post pag. 22. et sequentibus numerat Illyricus quatuor translationes factas a Graecis ad Germanos, manente nihilominus etiam Graecis imperiali dignitate: quia videlicet non totum imperium, sed altera pars dumtaxat, quae occidentale imperium dicitur.translatum fuit. Aut igitur ipsa vox translationis Illyricum arguit evidentissime mendacii, cum ait pag. 22. translatum imperium a Graecis in Germanos a militibus, Zenone, Anastasio et Irene, aut falsum est quod scripsit pag.12. nam utrumque simul nulla ratione defendi potest.

XIII. Sed insignis contradictio et contumeliosa in romanum imperium habetur ad finem epistolae dedicatoriae: ubi sic Illyricus de se ipse loquitur: *Testor*, inquit, *me ab omnibus sectis, erroribusque a romano imperio. et Augustana confessione damnatis abhorrere.*Haec enim verba manifestam implicant contradictionem,nisi romanum imperium

Augustanae confessionis patronum, vul sectatorem Illyricus faciat. Quod certe facere non poterit, nisi cum manifesta ratione pugnare velit: constat enim confessioni Augustanae solum ex romano imperio adhaesisse ac subscripsisse electorem unum, principes sex, et civitates liberas duas: eandem vero confessionem in eodem Augustano conventu publice reprobatam ac damnatam ab ipso Romanorum imperatore Carolo ejus nominis Quinto, ab electoribus quinque, a principibus imperii partim ecclesiasticis, partim saecularibus septem supra centum, ac demum a liberis imperialibus civitatibus novem et triginta; tot enim fuisse catholicos principes et status imperii, qui in damnationem confessionis subscripserunt, et subscriptionem sigillis suis munierunt, testis est Joannes Cochlaeus, qui in eo conventu praesens interfuit, in actis Lutheri anni 1530. et 1531. Cum igitur romanus imperator cum longe majore parte principum et statuum imperialium, Augustanam confessionem damnaverit, merito ea ab imperio romano damnata existimanda est. Nam si imperator, ut caput imperii, imperium universum repraesentat, quanto magis et certius conventus principum et statuum ferme omnium una cum ipso Caesare imperium universum repraesentabit? Quocirca merito Philippus Melanchthon in epist. ad Joannem Obernburgerum ita scribit: Non delector recordatione comitiorum augustanorum, in quibus tristi ac atroci sententia damnati sumus. Eligat jam Illyricus utrum voluerit: aut sequitur imperii romani sententiam, et mentitur cum ait, se adhaerere confessioni Augustanae: aut sequitur confessionem Augustanam, et mentitur cum ait, se abhorrere ab erroribus ab imperio romano damnatis. Utrumque certe simul verum esse nullo modo potest.

CAPUT II.

Continet mendacia Illyrici.

Veniamus nunc ad alteram partem Prolegomenorum, idest, ad mendacia quibus undique scatet Illyrici libellus.

Ac primum ipsam epistolam, qua librum suum dedicat imperatori Maximiliano, omnibusque imperii principibus, totam fere mendaciis texuit, ut mirum sit eum tam impudenter tantis viris imponere voluisse.

I. Non procul ab initio scribit politici magistratus gloriam et dignitatem per Lutheri doctrinam esse illustratam, et contra seductores et oppressores ornatam et vindicatam. Hoc, inquit, tempore instaurati evangelii non uno modo gloria, dignitasque politici magistratus est verbo Dei illustrata, et contra seductores, ejusque oppressores speciose ornata et vindicata; quantumvis illi contrarium fingant. At quam hoc sit verum, testantur in primis libri ipsius Lutheri, quibus ita principes omnes in contemptum et invidiam adduxit, ut nihil aliud meditari videretur, quam principatum omnem de medio tollere. Sic enim loquitur in lib. de potestate saeculari, principes mundani sunt, mundus autem inimicus est Deo: idcirco, et ipsos quoque facere oportet, quod Deo contrarium, mundo autem consentaneum sit, ut scilicet non fiant infames, sed principes mundani permaneant. Ne mireris igitur si contra evangelium furunt et fatue agunt. Oportet ipsos titulo, nominique suo satisfacere, et scire debes quod ab initio mundi admodum rara avis est princeps prudens, adhuc multo rarior princeps probus. Sunt communiter maximi fatui, aut pessimi nebulones super terram. Quapropter semper pessima quaeque ab ipsis exspectanda sunt, et parum boni sperandam est, praesertim in rebus divinis, quae ad salutem animarum pertinent. Ipsi enim sunt lictores et carnifices Dei, quibus, utitur ira divina etc. et infra: Si princeps prosperatur, ut sit prudens, probus aut Christianus, hoc e magnis miraculis unum est, et pretiosissimum signum divinae gratiae super eam provinciam. Nam juxta communem cursum evenit secundum illud Isaiae 3. Dabo pueros principes eorum, et effoeminati dominabuntur eis, et Oseae 13. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea, et infra: Admodum pauci sunt principes, qui non habeantur pro fatuis aut nebulonibus. Caussa hujus est, quia et tales sese demonstrant, et populus communis fit intelligens, et principum plaga, quam Deus contemptus vocat, potenter progreditur in plebe, et communi populo, et vereor ne prohiberi non possit, nisi principes agant ut principes decet, et incipiant rursum cum ratione et modestia gubernare; non ferunt, non possunt, nec volunt vestram tyrannidem petulantiamque diu perferre. Boni principes et domini, secundum hoc agere sciatis; Deus non vult diutius permittere. Non amplius nunc mundus est ut olim, quando homines sicut feras venabamini etc. Item in lib. quem inscripsit, Duo Caesarea mandata discordantia, et contraria etc. prope finem, *Oro*, inquit, *omnes pios Christianos, dignentur simul precari Deum pro ejusmodi miseris et excaecatis principibus, quibus nos Deus tribulavit in magna procul dubio ira, ne sequamur eos ad proficiscendum, aut ad contribuendum contra Turcas:* quandoquidem, Turca decies prudentior, et probior est principibus nostris, et infra: *De his conqueror ex imo corde, cunctis probis Christianis, ut mecum commisereantur super ejusmodi stolidos, fatuos, insanos, furiosos et amentes moriones*, et in fine: *Deus*, inquit, *nos ab ipsis liberet, aliosque nobis ex gratia det regentes, Amen.* Ita nimirum novit Lutherus principes ornare, atque ad obedientiam et reverentiam magistratus populos adducere. Sed ne solum unum testem habeamus, quamvis omni exceptione majorem, Illyriciani mendacii: proferamus et alterum testem omni fide dignissimum. Imperator Carolus V. in edicto Wormatiensi, quod imperii principibus universis consentientibus edidit anno 1521. inter caetera de Luthero sic ait: Obedientiam, inquit, et regimen omne prorsus tollit, unde populi ad defectionem et rebellionem a suis tam spiritualibus quam temporalibus dominis faciendam, ad rapinas, caedes, incendia, cum magno et manifesto

christianae reipublicae discrimine provocentur. Quinimo, cum vitam quamdam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, et vere ferinam inducere conetur, ita exlex homo leges ipsas omnes damnat et contemnit, ut decreta sanctorum Patrum et sacros canones publico igni comburere non formidaverit: facturus pejora civili juri, si non magis saeculi gladium, quam pontificis excommunicationes et censuras metuisset. Haec imperator. Quare si non mentitur Illyricus, mentitur Caesar cum universo romano imperio. Utrum autem verisimilius sit, Augustum Caesarem cum tot illustrissimis principibus, an unum Illyricum esse mentitum, nemo est qui non videat. Sed quid si addamus et tertium testem, qui jam non verbis, sed rebus ipsis et factis clamet? Unde enim quaeso, prodiit ingens illa rebellio rusticorum adversus principes anno 1525. ob quam brevissimo tempore in una Franconia 292.nobilium arces eversae sunt, et supra centum millia rusticorum caesa, nisi ex doctrina Lutheri? Quid aliud principes protestantes anno 1546. in ipsum suum imperatorem Carolum V. armavit, nisi doctrina Lutheri? Cur tot annos Galliae universae in motu fuerunt, nisi ob doctrinam Lutheri? Quis tot rebelles populos regibus Francorum et Hispanorum fecit, nisi posteritas Lutheri? Quis denique Anabaptistas, qui palam magistratum omnem de medio tollunt in Germania peperit, nisi Lutherus? Et audet tamen Illyricus scribere, per Lutheri evangelium defendi, atque ornari contra seductores papistas politicos magistratus.

Eadem pagina scribit Illyricus in hunc modum: *Cum antea praestantes viri, in politica gubernatione existentes, falsa doctrina persuaderentur, se in quodam profano, carnali, Deoque parum grato vitae genere versari ac propemodum de salute sua desperare cogerentur: eoque non raro, deserta sua divinitus mandata statione publicoque bono, sese in latibula, ignavumque otium monasteriorum abderent. Nunc contra ex verbo Dei certe sciunt nihil suo vitae genere si modo recte, ac in fide Filii Dei observatur,vel Deo gratius vel etiam hominum generi utilius esse.* Haec ille,qui una brevi sententia quatuor mendacia comprehendit.

II. Primum enim nullus unquam probatus auctor in catholica nostra Ecclesia docuit, genus vitae eorum, qui extra monasteria vivunt,parum Deo gratum esse, aut ejusmodi, ut qui in eo versantur, de salute desperare cogantur, quin potius in haereticorum numero ponimus eos, qui talia docent. Nam et s. Augustinus lib. de haeresibus c.40. et s. Thomas, qui Lutheranorum judicio supra modum Papista fuit, in 2. 2. quaest. 66. artic. 2. scribunt, haereticos esse illos, qui docent non habere spem salutis eos qui ducunt uxores, et res proprias possident, et denique non eo modo vivant, quo ii, qui dicuntur in Ecclesia monachi. Nec solum privatos homines, sed etiam principes et magistratus, atque adeo etiam milites, si christiane vivant, Deo gratos esse, et spem salutis habere passim catholici docent, ac praesertim s. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum, et epist. 70. ad Bonifacium, et s. Thomas in libris de Regimine principum. Denique magister sententiarum, et cum eo theologi scholastici omnes lib. 4. dist. 26. et 33. apertissime docent, statum matrimonii bonum, licitum, sanctum ac Deo gratum esse. Itaque eos qui in politica gubernatione versantur, in purum Deo grato vitae genere versari,ut pene desperare de salute cogantur, non doctrina Ecclesiae, sed mendacium Illyrici existimandum est.

III. Deinde quod Illyricus addit, eos qui a politica administratione ad monasteria se conferunt, deserere divinitus sibi mandatam stationem, impudens quoque mendacium est: nam ubi quaeso, Deus mandavit,ut qui in politica gubernatione versantur, in ea perseverent usque ad mortem? Qui magistratu funguntur, si rationibus suis consulere judicent, abdicare se magistratu; quo verbo Dei prohibentur id facere? Quis ante Illyricum reprehendit,aut non potius vehementer laudavit sanctissimos viros Basilium, Nazianzenum,Chrysostomum, Martinum, Paulinum, Augustinum, Gregorium, qui aut militia, aut foro, aut academia, aut senatu, aut praetura saeculari relicta, Deo soli servire in monasteriis maluerunt? Laudant germani historici Lotharium imperatorem et Rachim Longobardorum regem, quod in monasteriis potius, quam in palatiis mori voluerint. Carolomannum,qui relicto principatu Francico, monachatum elegit, divino succensum amore fuisse scribit Abbas urspergensis.De quo etiam, ac de Rachi multa praeclara scribit Leo Hostiensis in historia Casinensi. De Coënredo rege Merciorum in Britannia ita scribit Beda lib. 5.hist. gentis suae cap. 20. Coënredus, qui regno Merciorum nobilissime tempore aliquando praefuerat,nobilius multo sceptra regni reliquit: nam venit Romam, ibique attonsus, pontificatum habente Constantino, ac monachus factus, ad limina apostolorum in precibus, jejuniis et eleemosynis usque ad diem permansit ultimum,et infra: Venit autem cum illo et filius Sigheri regis orientalium Saxonum,vocabulo *Offa*, juvenis amantissimae aetatis,et venustatis, totique suae genti ad tenenda servandaque regni sceptra exoptatissimus; qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos et patriam propter Christum et propter evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet,et in saeculo venturo vitam aeternam, et ipse ergo, ubi ad loca sancta Romam pervenerunt, attonsus, et in monachico vitam habitu complens, ad visionem beatorum apostolorum in coelis diu desideratam pervenit. Albertus Krantzius lib. 8. Saxoniae cap. 7. posteaquam scripserat insignem conversionem Adolphi comitis Holsatiae, qui propter Christum ex opulentissimo et potentissimo principe pauperrimus monachus factus est, ita subjunxit: Hic tum erat fervor in divinam religionem apud nobilitatem, et infra: Haec est mutatio dexterae excelsi. Quis enim alius ex tam glorioso milite saeculi faceret tam humilem peditem Christi?

IV. Et quoniam Illyrico ignavum otium appellare placuit vitam, quam post relictum saeculum praeclari isti heroës duxerunt,addamus pauca quae-

dam de isto ipso Adolpho ex eodem libro Krantzii, ut videamus quam delicato otio in Christi militia Adolphus frueretur. Monasterium, inquit Krantzius, sui ordinis ipse manibus multa molitus in oppido Kiil, ubi nunc requiescit, curavit erigere, eleemosynas suorum quondam subditorum humiliter poscens et accipiens: cumque multum sollicite laboraret in erectione dicti monasterii in oppido Kiil, ibat ostiatim lac in hydriam mendicans, ut haberent operarii et fratres, quo inter laborandum per aestum reficerentur. Media jam platea, ubi declinare iter non poterat, ibat hydriam bajulans lacte plenam: et cum obvios habuisset filios sublimes in equis, comitum more saecularium, passus est humanitus aliquid, ut rubore coeperit perfundi. Sed ille infremuit, et robur mentis advocans cum adhuc in conspectu essent filii, hydriam levatam super caput evertit, sese totum a vertice lacte perfundens, dixitque: Infelix erubuisti Christi pauperiem, bajulare lac in manibus: nunc vel in capite ostende quid portaveris. Quis non jure miretur tantam humilitatem, patientiam, fortitudinem? Haec Albertus. Porro his non dissimilia de Carolomanno refert Leo Hostiensis in historia monasterii Casinensis.

V. Sed veniamus ad postremum illud, crassissimumque mendacium, quod Illyricus effutiit cum ait: *Nunc contra ex verbo Dei certo sciunt nihil suo vitae genere si modo recte, ac in fide Filii Dei observatur, vel Deo gratius, vel etiam hominum generi utilius esse.* Et ubi quaeso est hoc verbum Dei? Cur testimonium nullum profertur? Nam si nihil Deo gratius est, quam ut homines vitae hujus negotiis politicaeque administrationi se dedant, mentitur igitur Christus, cum ait adolescenti divili: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me,* Matth. 19. et cum Mariae contemplationem Marthae actioni apertissime anteposuit dicens: *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima, porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Luc. 10. in quae verba s. August. serm. 27. de verbis Domini: *Non tu malam,* inquit, *sed ista meliorem elegit.* Et de loco superiore disputans idem Augustinus in epist. 89. *Qui illius,* inquit, *perfectionis de vendendis rebus suis consilium tam grande, tamque praeclarum non receperunt, et tamen a damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum paverunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter judicaturi, sed ab ipsius dexteram stabunt misericorditer judicandi.* Sed quoniam de his rebus non est hic locus fusius disputandi, adjiciam solum testimonium Eusebii, quo simul et catholicae Ecclesiae sententia explicatur, et quatuor praedicta Illyrici mendacia refelluntur. Sic igitur loquitur Eusebius lib. 1. Demonstrat. evangel. cap. 8. Caeterum ille quidem (Moyses) in tabulis inanimatis; hic autem Christus, in mentibus vita praeditis perfecta novi Testamenti documenta descripsit. Et infra, explicans haec documenta, Duo, inquit, in Ecclesia Dei vivendi modi instituti sunt; alter quidem naturam nostram, et communem hominum vitae rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens: totus autem prorsus a communi et consueta cunctorum hominum vita abhorrens, et soli divino cultui ex immenso rerum coelestium amore addictus. Qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita sejuncti, ipsumque dumtaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero atque animo in ipso coelo degentes, quasi quidam coelites, reliquorum hominum vitam despiciunt: quippe qui pro universo genere supremo omnium Deo sacrati sint: idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore ullo, neque fumo, aut ignis devoratione, consumptioneve corporum, sed rectis vere pietatis sententiis, et purgati animi affectione. Ad haec operibus quoque et verbis, quae a virtute proficiscuntur, quibus rebus divinitatem ipsam placantes suum, et pro se ipsis, et pro aliis, qui ejusdem sint generis, administrant sacerdotium, et talis quidem existit in christianismo perfectus vitae modus. Alter vero remissior, atque humanior: hic et modesto conjugio, et sobolis procuratione implicatur, et rei familiaris curam assumit, et juste militantibus quae sint agenda describit: agros quoque et mercaturam aliumque magis civilem vivendi morem adjuncta religione non negligit, et his quidem secundus pietatis attributus est gradus, dum aptam huic ipsi generi vitae praebet utilitatem, ut nullus plane ab adventu salutari separetur, sed omne genus hominum tam Barbarorum, quam Graecorum evangelicae doctrinae fructum percipiat. Haec Eusebius.

VI. Pergit Illyricus in sequenti pagina, atque ait: *Sic etiam cum antea pedibus seductorum foedissime proculcarentur, nunc se verbo Dei super omnem animam exaltatos esse cernunt, laetanturque de quo ingenti Dei beneficio merito profecto omnes magistratus illi maximas gratias agere deberent.* Non unum, sed duo mendacia his paucis verbis comprehendi mihi videntur. Primum enim nec verbis, nec factis apud nos magistratus et principes proculcantur; nisi proculcationem fortasse voces, quod aperte docemus, non licere principibus diripere templa, monasteria spoliare, et bona Ecclesiarum quasi in praedam invadere. Deinde quis unquam foedius ac petulantius pedibus proculcavit principes omnes ac magistratus quam Lutherus? quis enim catholicorum unquam ausus est principes appellare pessimos nebulones, lictores, carnifices, fatuos, stolidos, insanos, furiosos, amentes, moriones, et ipso Turca decies stultiores, et pejores, ut non semel eos appellavit Lutherus?

VII. Alterum horribilius est mendacium: siquidem in ipsum Dei verbum mentitur Illyricus, cum ait: Verbo Dei exaltatos esse principes politicos super omnem animam; nec enim Paulus ait: omnis anima potestatibus politicis subdita sit: sed, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quocirca antequam principes politicos exaltare incipias super omnem animam, ac proinde super ipsum etiam summum pontificem (de hoc enim potissima quaestio est) demonstrandum tibi erit, sublimiorem esse potestatem magistratus politici, quam eccle-

siastici. Id enim si facere non potueris, non verbo Dei, sed adulatione et mendacio tuo exaltabis principes politicos super omnem animam. At quando quaeso demonstrabis nobis politicum magistratum ecclesiastico sublimiorem? Nam sanctus Apostolus non aperte omnes fideles, ne magistratu quidem excepto, episcopis subjecit, cum ait: Obedite praepositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant tamquam rationem pro animabus vestris reddituri? Nonne s. Greg. nazianzenus in oratione ad cives, timore perculsos, et praesidem irascentem, hoc modo alloquitur praesidem? An me libere loquentem aequo animo feretis? Nam vos quoque potestati meae, meisque subselliis lex Christi subjicit; Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam praestantius ac perfectius: nisi vero aequum est, spiritum carni fasces submittere, et coelestia terrenis cedere. Sanctus quoque Ambrosius in oratione de tradendis basilicis; Nonne, ait, bonus imperator intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam? Et s. Joannes chrysostomus hom. 4. in cap. 6. Isaiae: Major, inquit, hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis. Denique (ut plurima praetermittam) s. Bernardus in epistol. 183. ad Conradum imperatorem, Legi, inquit, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quam sententiam cupio vos custodire in exibenda reverentia Petri vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo servari imperio.

Sed audiamus quid paulo inferius in eadem praefatione Illyricus dicat: *Deus*, inquit, *dici severissime mandat, constare jam ferme toti orbe terrarum, numquam a quoquam foedius et diutius vexatum, oppressumque esse sacrosanctum imperium, ejus monarcham et gloriosissimos ordines ac status, et denique sedem eorum, amplissimam nempe, et vetustissimam gentem Germanorum, quam a romano pontifice, ut omnes historiae una voce copiosissime narrant.* In his verbis triplex mendacium inest.

VIII. Ac primum quidem omnino mirabile, et inopinabile, atque ut Graeci dicunt, παράδοξον est, quod Illyricus dicit, Deum severissime mandare, ut dicatur imperium romanum, a romano pontifice vexatum et oppressum fuisse. Ubi enim est hoc Dei mandatum? In quo propheta, in quo evangelista, in quo apostolo haec legisti? Nisi forte Lutherum non solum Eliam tertium, ut adhuc fecistis, sed etiam Deum alterum faciatis. Satis enim constat, Lutherum severissime mandasse, ut quidquid mali fingi potest, in romanum pontificem dicatur.

IX. Alterum est mendacium, Germaniam a nullo unquam foedius oppressam, quam a romano pontifice: cum contra constet, a nullo unquam plura beneficia Germaniam accepisse, quam a romano pontifice. Nam Dei agnitionem, quo beneficio nullum est majus, per sanctos episcopos, Maternum, Chilianum et Bonifacium diversis temporibus a sede romana missos, Germanos primum accepisse, ne Illyricus quidem negare potest; quippe qui disertis verbis id scripsit centur. 1. lib. 2. cap. 10. col. 624. et centur. 7. cap. 2. col. 31. et cent. 8. c. 2. col. 2. Porro hoc unum beneficium quot alia beneficia consequuta sint, facile perspiciet qui historias legerit. Videbit enim, Germaniam, quae ante id tempus in summa barbarie degebat, quaeque nec urbes habebat, nec literas noverat, ullum civilem cultum ferre posse videbatur, paulatim suscepta fide ad eum cultum et splendorem venisse, ut jam nulli provinciae cedat. Vide Senecam in lib. de gubernatione mundi c. 4. Strabonem lib. 7. de situ orbis; Cornelium Tacitum de situ et moribus Germanorum, C. Caesarem lib. 6. de bello gallico. Deinde imperium ipsum, quo uno maxime Germania gloriatur, et electorum principum dignitatem, qua imperium solidissime in Germania confirmatum est, negat quidem Illyricus a romana sede ad Germaniam devenisse: sed id agnoscunt, et gratissime confitentur ipsi principes germani; Extant enim literae publicae, sive publicum instrumentum principum Germanorum ad Nicolaum pontificem ejus nominis tertium, quarum literarum hoc est initium: *Complectens ab olim sibi romana mater Ecclesia quadam quasi germana charitate Germaniam illam, eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter tantum praesidentium super terram; plantans in ea principes, tamquam arbores praelectas et rigans illas gratia singulari: illud ei dedit incrementum mirandae potentiae, ut ipsius Ecclesiae auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem, illum qui fraena romani teneret imperii, germinarent.*

X. Mendacium tertium, et quidem impudentissimum illud est, quod omnes historiae una voce copiosissime narrent, a nullo unquam foedius vexatam et oppressam Germaniam, Caesarem, principes, atque ordines imperii, quam a romano pontifice. Nam si unum aut alterum detrahas, qui odio nationis italicae, aut pontificis romani, invectivas potius, quam historias conscripserunt historici pene omnes ornatam Germaniam a pontifice romano, non vexatam scribunt, quorum testimonia suo loco infra recitabuntur. Quod si quis a nullo unquam foedius vexatam et oppressam Germaniam et Caesares diceret, quam a Luthero, atque Illyrico, is demum sane non mentiretur. Quid enim gravius Germaniae, atque imperatori accidere poterat, quam ut Caroli Magni imperium Antichristi opus esse diceretur et scriberetur? Lutherus primus id affirmare ausus est, eumque Lutherani magno consensu sequuti sunt. Nam ut David Chitraeus testatur in comment. c. 13. Apocalypsis, Lutherus, et plerique Lutheranorum imperium quidem germanicum a papa constitutum scribunt, sed papam in ea re Antichristum, et bestiam in Apocalypsi descriptam praeclare egisse; proinde germanicum imperium non alio jure niti quam antichristiano. Theodorus Bibliander in chronico tabula decima extrema, Lutherum sequutus, Leonem papam usurpata auctoritate imperium a Graecis ad Francos transtulisse scribit. Illyricus autem, ut supra diximus, centur. 8. cap. 10. colum. 751. unum ex praecipuis Antichristi miraculis hanc ipsam imperii translationem vocat. Praeclare igitur Lutherus, et ejus filii Chytraeus, Bibliander et Illyricus, de Germania et im-

perio meriti sunt, qui Caesarum Germanorum potentiam et gloriam, ad Antichristi praestigias et tyrannidem referunt. Vide praeterea de innumerabilibus detrimentis, quae Germaniae attulit haeresis Lutherana, praefationem Joannis Cochlaei ad librum de actis et scriptis Lutheri. Sed pergamus ad caetera.

XI. Non longe a mendaciis jam confutatis, Illyricus Henricum IV. praeclarissimum heroëm appellat, atque injuste a papa oppressum fuisse scribit. Quod mendacium uno ore confutant scriptores ferme omnes, atque in primis Germani, quorum testimonia brevissime adscribam, propterea quod frequentissime ex abdicatione hujus Henrici, tum Illyricus tum caeteri Lutherani, invidiam romano pontifici conflare student.

Stephanus Alberstatensis, vir sanctus et doctus, scripsit vivente Henrico IV. ad Walramum episcopum prolixam epistolam, quae extat apud Dodechinum in additione ad Marianum Scotum anno 1090. in qua epistola sic ait: *Audi vera, non fucata: audi fortia non faceta: omnis qui dignitates spirituales vendit, haereticus est. Dominus autem Henricus, quem regem dicunt, episcopatus et abbatias vendit; etenim constantiensem, bambergensem, moguntinensem et plures alios pro pecunia; ratisbonensem, augustensem et strasburgensem pro gladio, abbatiam fuldensem pro adulterio; monasteriensem vero episcopatum, quod dicere et audire nefas est, pro sodomitica immunditia vendidit; quae si impudenter negare volueris, teste coelo, teste terra, omnes etiam a furno redeuntes scioli concludent hoc: Dominus Henricus haereticus est; pro quibus nefandis malis ab apostolica sede excommunicatus, nec potestatem aliquam super nos, qui catholici sumus, poterit exercere.* Marianus Scotus et ipse Henrici IV. aequalis in chronico anni 1075. *Haec*, inquit, *et similia nefanda, et inaudita Henrici regis flagitia videntes et audientes fieri, catholici viri per id tempus in Ecclesia constituti, cum propheta Helia zelo Domini zelantes pro domo Israel, directis Romam nunciis ad Alexandrum apostolicae sedis antistitem, haec ei et alia quamplurima, quae in regno Teutonico, insanientibus simoniacis haereticis, rege Henrico auctore et patrono dicta et gesta sunt, tam literis, quam viva voce gemendo ac dolendo conquesti sunt.* Et infra: *Gregorius*, inquit, *querimoniis, et clamoribus catholicorum justis adversus Henricum et scelerum ejus immanitatem auditis, zelo Dei accensus, jam dictum regem excommunicatum pronunciavit, maxime propter simoniam, quod factum catholicis quidem viris bene placuit, simoniacis vero ac fautoribus regis nimium displicuit.*

Ex quo Mariani testimonio non solum habemus, qualis Henricus IV. fuerit; sed etiam abdicationem ejus ab ipsis Germanis procuratam fuisse, quod enim Gregorius pontifex fecit, ad preces et querimonias principum Germanorum fecit. Dodechinus Mariani continuator anno 1106. Henricum, inquit, hominem perversum, et justo judicio ab Ecclesia ejectum, constat manifeste. Idem auctor in chronico anni 1090. et 1093. adeo immania et horribilia scelera Henrici refert, ut puduerit me hic adscribere. Conradus abbas urspergensis in chronico anni 1068. Henricus, inquit, adolescentiae usus libertate, Saxoniam solam ex omni romano imperio coepit incolere, principes despicere, nobiles opprimere, inferiores sustollere etc. Et intra: Hic finis, hic interitus, haec sors ultima Henrici, illo sub vocabulo, quarti Romanorum imperatorum a suis appellati. A catholicis vero, idest, cunctis b. Petro, suisque successoribus fidem et obedientiam lege christiana conservantibus, archipirata simul et haeresiarcha, necnon et apostata, persequutorque plus animarum quam corporum competenter dicebatur.

Lambertus Schafnaburgensis, in historia Germanorum, quam Henrico IV. regnante conscripsit, sic loquitur, dum refert acta regis anno 1073. Rex, inquit, tamquam severissimo paedagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiae et temperantiae fraenis praecipitem se dedit. Albertus Krantzius lib. 5. Saxoniae, cap. 24. Mirum, inquit, et incomparabile rerum humanarum spectaculum et exemplum non vulgare, in quo contemplari possunt ima et summa. Si laudes requiris (Henrici) nobilis, doctus, fortis, procerus et rege dignus vultus, qui summam reipublicae tenuerit annis quinquaginta. Caeterum si alteram partem respicis, incredibilia dictu flagitia, et pertinax superbia, adeo sibi hominem dimidiarunt, ut potiores sibi partes in uno vindicarent. Habeant reges speculum utriusque fortunae in homine, qui ubi tolerabiliter se gessit, in summo rerum mortalium fastigio effloruit; ubi vero versus est in reprobos mores, in extremam incidit calamitatem, non in morte luctum non sepulturam accipiens.

Joannes Aventinus (quo auctore mirifice oblectari solet Illyricus) lib. 5. annalium Bojorum pag. 563. Henricum, inquit, stupris, amoribus impudicitiae et adulterii flagrasse infamia, ne amici quidem negant. Joannes Calvinus summi pontificis hostis acerrimus, a veritate ipsa coactus ita scribit lib. 4. Institut. cap. 11. § 3. Imperator Henricus ejus nominis IV. homo levis et temerarius, nullius consilii, magnae audaciae, vitae dissolutae, episcopatus totius Germaniae habebat in aula sua partim venales, partim praedae expositos.

Habemus igitur quam sit verum, quod Illyricus scribit eum tragice deplorat injustam oppressionem praeclarissimi herois Henrici IV. Adduxi autem solum testimonia Germanorum, aut hostium Pontificiorum, ne ulla suspicio mendacii nasci posset, si ex Gallis et Italis scriptoribus testimonia peteremus; quamvis ea non desint, et praesertim sanctissimorum virorum, qualis in primis fuit s. Anselmus episcopus Cantuariensis, qui Henrici aequalis cum esset, praefatione lib. de azymo ad Walramum, Henricum IV. Neronis, Domitiani et Diocletiani successorem vocat. Sed de his hactenus.

XII. In eadem epistola dedicatoria non procul a fine scribit Illyricus: *Concilium tridentinum fini-*

tum esse sine omni cleri reformationem, elusis Caesaris, aliorumque principum admonitionibus et petitionibus, qui reformationem cleri obnixe postulaverant. At mendacium hoc aperte coarguit ipsum concilium, quod plenum est decretis saluberrimis de reformatione; quodque extat, et legitur, et multis in locis magno cum fructu servatur.

XIII. Non procul ab eo loco subjungit Illyricus in hunc modum: *Extat etiam vere aureus libellus centum importabilium gravaminum a toto imperio in comitiis Norimbergae anno* 1523. *papae Adriano oblatus.* Mendacium hoc hominis impudentissimi detexit Joannes Cochlaeus in actis Lutheri anni 1523. ubi scriptum reliquit, nullum ejusmodi libellum in comitiis imperialibus editum: sed cum in eo conventu proposita fuissent quaedam gravamina, quibus gravari videbatur natio germanica, non solum a romana curia, verum etiam ab episcopis et praelatis Germaniae; ea occasione Lutheranos edidisse librum de centum gravaminibus Germaniae, omnia in papae odium augentes, aut maligne interpretantes.

XIV. Sed ut ad finem epistolae veniamus, Illyricus more insignium oratorum, ad extremam partem orationis suae splendidissimum mendacium reservavit. Sic enim in extrema epistola loquitur: *Quod*, inquit, *ad meam personam attinet, testor coram Deo, me puram Christi religionem secundum prophetica et apostolica scripta, triaque symbola amplecti, cujus aliqua summa in Augustana confessione comprehensa est, quaeque cum primitivae Ecclesiae religione optime convenit. Testor et insuper, me adeo ab omnibus sectis, erroribusque a romano imperio, et Augustana confessione damnatis, abhorrere.* Haec ille. Hoc esse mendacium, et quidem clarissimum, ut nullo modo tegi vel excusari queat, duabus rationibus ostendi potest. Primum ex eo quod propria quaedam ipsius Illyrici dogmata, quale est illud, quod peccatum originis sit substantia, quodque ipse homo totus sit peccatum, manifeste pugnat cum scriptis prophetarum et apostolorum, cum doctrina Ecclesiae primitivae, cum symbolis fidei et cum ipsa etiam confessione Augustana. Sed quia longum esset haec persequi, et multi jam tum catholici, tum Lutherani editis libris hunc Illyrici errorem certissimis rationibus confutarunt, nihil hic addemus amplius.

Altera ratio expeditior et facilior est. Siquidem constat, romanum imperium non solum perpetuo coluisse apostolicam sedem, quam Illyricus tamquam Antichristi sedem execratur, verum etiam nostro hoc saeculo publico edicto damnasse Lutheranam haeresim, cujus se patronum singularem Illyricus profitetur; ita ut omnino necesse sit, aut mentitum esse Illyricum, cum ait se abhorrere ab erroribus ab imperio romano damnatis; aut certe eundem Illyricum non Lutheranum, sed Papistam fuisse, cum haec scripsit. Porro apostolicae sedi perpetuo ab imperio rom. debitam reverentiam exhibitam fuisse, nec ullum fuisse imperatorem a Carolo Magno, usque ad Rodulphum, qui nunc imperat, qui romanum pontificem ut verum Christi vicarium non coluerit, in XII. capite demonstrabo, adductis praecipue eorum imperatorum testimoniis, qui cum certis pontificibus inimicitias gessere, videlicet Henrici IV. et V. Friderici I. et II. Philippi, Othonis IV. et Lodovici item IV. Damnatam vero haeresim Lutheranam ab imperio universo perspicuum est ex edicto Wormatiensi; quod editum fuit anno 1521. Sic enim in eo edicto loquitur Carolus V. imperator: *Ad honorem Dei omnipotentis romanique pontificis, et sanctae sedis apostolicae debitam reverentiam, pro imperialis dignitatis officio ac debito, necnon zelo ac studio, quo nostrorum majorum more, et ingenita etiam nobis vi, ad defensionem catholicae fidei, sanctaeque romanae et universalis Ecclesiae honorem, tutelam et protectionem omnes nostras vires et facultates, imperium, regna, dominia, amicos, vitam denique, et animam ipsam nostram exponere sumus parati. Ex imperiali et regia auctoritate, necnon consilio et assensu* (Nota lector) *electorum, et omnium sacri romani imperii principum, ordinum et statuum in hac celeberrima et frequentissima imperiali dieta Wormatiae congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, in exequendo sanctissimi domini nostri papae, veri in hac parte judicis, sententiam, decretum et condemnationem, in literis apostolicis (ut supra dictum est) ad nos directis, contentam, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei alienum, ut obstinatum schismaticum, et notorium haereticum a nobis haberi declaramus, et ut talem a vobis omnibus et singulis habendum decernimus et edicimus.* Quid hic dices Illyrice? Num adhuc testaris coram Deo te abhorrere ab omnibus erroribus ab imperio romano damnatis? Cur igitur in omnibus fere tuis operibus Lutherum tuum, ut prophetam Germanicum, et Heliam tertium laudas, et in hoc ipso libro ubi juras te sequi doctrinam imperii romani, tam crebro romanum pontificem Antichristum vocas, et nihil aliud omnibus viribus tuis contendis, quam ut populos christianos ab antiqua religione, et apostolicae sedis reverentia, et obedientia ad Lutheri haereses pertrahas, tam aperte ab imperio romano damnatas? Sed nimirum certum est tibi millies potius mentiri, et mendacia jurejurando confirmare, quam Lutherum deserere.

Atque hactenus de epist. dedicatoria. Jam in reliquo libro non facile numerus mendaciorum iniri posset. Idcirco paucissimis annotatis, reliqua taceri libenter patiemur, nam et ad majora festinamus, et ex paucis quae notabimus, facile de reliquis conjecturam facere licebit.

XV. Igitur cap. 1. pag. 13. *Fingunt*, inquit Illyricus, *Carolum ignorasse papae consilium, et decretum senatus, populique romani de transferendo in eum imperio. O mirum tum illorum silentium, tum et Caroli in explorandis rebus negligentiam, ac somnolentiam: Dicunt ei invito et recusanti esse coronam, et nomen imperatoris obtrusum. O miram et praeposteram modestiam, aut etiam humilitatem Caroli.* Haec ille. Atqui id fingi dicitur quod sine certo auctore asseritur.

Ignorasse aut Carolum papae consilium de transferendo in eum imperio, et recusanti plane, atque invito imperium esse delatum, auctores certissimi, fideque dignissimi narrant. Eginarthus, qui Caroli tempore vixit,et vitam ac res gestas Caroli ut testis oculatus summa fide scripsit, Augusti, inquit, nomen primo tantum aversatus est (Carolus,) ut affirmaret se eo die, quamvis praecipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si pontificis consilium praescire potuisset. Conradus abbas urspengensis, vetustus et diligens auctor, in rebus Germaniae praecipue describendis: Dum, inquit, ante confessionem b. Petri apostoli ab oratione surgeret (Carolus) nihil minus speranti, Leo papa coronam imposuit, et imperatorem romanum pronunciavit. Quod idem, ac iisdem pene verbis scripsit Joannes Cuspinianus ab Illyrico non semel laudatus in vita Caroli Magni, necnon Joannes Aventinus Illyrici deliciae, lib. 4. annalium Bojorum pag. 345. Non igitur Papistae italici finxerunt quod tot testibus, vel antiquissimis, vel hostibus pontificum, Germanis certe omnibus, comprobamus. Sed addamus etiam testimonium Alberti Krantzii,auctoris Germani, et ab Illyrico saepe citati. Sic igitur lib. 2. Saxoniae cap. 18. Albertus Krantzius loquitur. Cum nihil tale Carolus aut cogitaret, aut speraret, magisque recusaret alienum invadere (ut supra diximus) imperatoris honorem, infra missarum solemnia, dum ante confessionem b. Petri apostoli ab oratione surgeret, papa ei coronam imposuit,et imperatorem Romanorum pronunciavit.

Addit paulo post et aliud insigne mendacium, Fingunt, inquit, item die natalis Domini illam tam solemnem actionem (coronationis Caroli) idque in templo esse habitam. Itane tam curtis diebus, tam sacro festo, et in tam multis sacris actionibus, verisimile est politicam, eamque tam grandem difficilemque actionem esse peractam, ut stata illorum sacra, ritusque impedirentur a religioso imperatore. Haec ille. Quis crederet tam impudentem hominem reperiri unquam potuisse, qui rem decantatam historicorum pene omnium vocibus, plurimisque oculatis testibus confirmatam, asserat esse figmentum? Annales Francorum ipso tempore Caroli Magni scripti sic habent: Ipse autem cum die sacratissimo natalis Domini ad missarum solemnia basilicam b. Petri apostoli fuisset ingressus et coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret, Leo papa coronam capiti ejus imposuit. Id ipsum cum de tempore, tum de loco disertis verbis testantur Eginarthus in vita Caroli; Paulus diaconus, qui ejusdem Caroli aequalis fuit, lib. 23. rerum romanarum; Rhegino abbas lib. 2. Chronicorum, Ado viennensis in chronico aetate 6. Aimoinus lib. 4. de gestis Francor. cap. 90. Conradus abbas urspergensis in chronico anni 801. Demum recentiores plurimi, Paulus Aemilius, Albertus Krantzius, Joan. Cuspinianus, Flavius Blondus, Baptista Platina, et alii. Sed fortasse hos auctores Illyricus non legit. Immo legit ac diligenter omnes evolvit, quippe qui eos tum in centuriis, tum in hoc libro de translatione imperii passim citat: et tamen adeo mendaciis delectatur,ut fingat se nihil ejusmodi unquam legisse; et audacter asserat esse figmentum Papistarum, et rem non modo non veram, sed ne verisimilem quidem. Sed praeterire non possum tergeminum quoddam mendacium, quod idem Illyricus in eodem cap. 1. pag. 9. scriptum reliquit. Audet, inquit, Gelasius papa ad Anastasium imperatorem scribens 15. quaest. 6. can. *Alius*, affirmare Zachariam papam deposuisse Hildericum regem Francorum, et transtulisse in Pipinum Caroli patrem; de quo tamen mendacio eum illic Glossa propria, Annonius historicus Francorum, et Rodulphus de Columna redarguunt. Et infra:Tale mendacium cum ausus sit papa ille confingere etc.

XVII. Tria hic sunt manifesta mendacia. Primum asserit Illyricus a Gelasio papa mendacium esse conflctum de translatione regni Francorum ab Hilderico in Pipinum. At Gelasius papa, is qui ad imperatorem Anastasium scribit, de quo loquitur Illyricus, obiit multo ante quam Zacharias pontifex, aut Pipinus; vel Hildericus reges nascerentur; obiit enim Gelasius anno Domini 496. Zacharias autem, Pipinus et Hildericus post annum Domini 700. floruerunt, de qua re nulla est inter historicos controversia. Sed Illyricus,inquies, Gratianum sequutus est. At si mendacium erat in Gratiano, quomodo tantus historicus Illyricus id non advertit? Advertit omnino, quippe qui in centuriis, Gelasii et Anastasii tempora amplius ducentis annis antiquiora fecit temporibus Zachariae, Pipini et Hilderici, cum illa ad centuriam 5. haec ad octavam retulerit, sed pro more suo nullam mentiendi occasionem undecumque oblatam praetermittendam sibi esse censuit.

XVIII. Mentitur 2. cum affirmat, figmentum ac mendacium esse quod nostri affirmant, a Zacharia pontifice regnum Francorum ab Hilderico in Pipinum esse translatum. Nam, ut supra diximus, id proprie fingitur, quod sine auctore probato dicitur: Plurimi vero gravissimique auctores constanter asserunt quod nos dicimus. Annales Francorum vetustissimi sic habent: Data auctoritate sua (Zacharias) jussit Pipinum regem constitui. Et infra: Secundum romani pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est. Eginarthus in vita Caroli Magni, Pipinus, inquit, per auctoritatem romani pontificis ex praefecto palatii, rex constitutus est.

Aimoinus lib. 4. de gestis Francorum cap. 61. Pontifex, inquit,data auctoritate sua jussit Pipinum regem institui. Rhegino lib. 2. Chronici. Zacharias,inquit, per auctoritatem apostolicam jussit Pipinum regem creari, et sanctae unctionis oleo inungi. Lambertus Schafnaburgensis in historia Germanica, Pipinus, inquit, decreto Zachariae papae per unctionem sancti Bonifacii rex appellatus est. Sigebertus in chronico, anno, inquit 750. Pipinus princeps auctoritate apostolica et Francorum electione a sancto Bonifacio in regem ungitur et consecratur. Anno 752. iterum inungitur in regem a Stephano papa. Hermannus Contractus in chronico, anno inquit 752. Pipinus auctoritate Stephani papae deposito ac detonso rege Hilderico,rex Fran-

corum factus, regnavit annis 15. Marianus Scotus lib. 3. Chronici, Zacharias, inquit, papa ex auctoritate s. Petri apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus rex qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus, et in monasterium missus est. Conradus abbas urspergensis in chronico, anno inquit 750. Pipinus per auctoritatem Zachariae papae more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacii elevatus est in regni solium. Et infra: Stephanus (papa) Pipinum sacra unctione in regiae dignitatis honore confirmavit. Otho Frisigensis lib.5. histor. cap. 22. Auctoritate, inquit, Zachariae papae Pipinus ad regnum eligitur. Albertus Krantzius lib. 1. Metropolis, cap. 14.Merito, inquit, summus pontifex, et Gallorum rex mutuis se attollunt favoribus, quando ab initio haec sedes domini Caroli hoc praestitit, ut regiam haberet dignitatem. Viderit jam Illyricus utrum nos finxerimus, pontificis auctoritate Pipinum regem creatum; an ipse potius nos haec finxisse, more solito mentiatur.

XIX. Postremum, sed dignum extremo loco, mendacium illud est, quo Illyricus affirmat, papae figmentum de translatione regni Francorum ab Hilderico in Pipinum,Annonii auctoritate coargui.Nam ut paulo ante citavimus, Annonius,qui et Aimoinus ab aliis dicitur, non papae,sed Illyrici mendacium verbis clarissimis reprehendit. Sic enim ait lib. 4. cap. 61. Pontifex data auctoritate sua, jussit Pipinum regem institui. Et infra: Hoc anno secundum romani pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est,et ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctae memoriae Bonifacii archiepiscopi et martyris. Quid clarius? Sed finem faciam mendaciorum commemorandorum, si unum adhuc addidero, quod toto passim libro repetitur.

XX. Siquidem in epistola dedicatoria, in prolegomenis,et in singulis fere libri capitibus Illyricus queritur de Pontificiis adulatoribus et parasitis, quod audeant imperium a pontifice romano ad reges Francorum delatum scribere: nec veretur hanc ipsam translationem figmentum et fabulas appellare. At nos paulo post supra triginta historicorum testimonia proferemus, quorum cum alii Graeci, alii Galli, plurimi Germani, atque omnes pene veteres fuerint,ipsa tum nationis diversitas, tum vetustatis auctoritas, omnes ab eis suspicionem falsitatis atque adulationis excludit. Sed praeter ea testimonia, quae suo loco postea producentur,producam nunc Martinum Lutherum, teste Illyrico, omni exceptione majorum, quippe prophetam atque evangelistam novum, et romani pontificis non modo non parasitum et adulatorem, sed etiam hostem acerrimum, atque infestissimum, cui comites addam Theodorum Bibliandrum ac Davidem Chytraeum, et ipsum quoque Flaccium Illyricum, qui in romano pontifice oppugnando, non multum Luthero cedunt.

David igitur Chytraeus in commentar. cap. 13. Apocalypsis, Lutheri sententiam, ac suam et aliorum quorundam Lutheranorum his verbis describit: *Lutherus et alii hanc partem visionis de novo imperio romano per pontificem instaurato enarrant. Cum enim vetus imperium urbis,et Caesarum Romanorum per Francos, Gothos, Vandalos, et alias gentes laceratum,et plane extinctum esset, romanus pontifex Leo tertius,veteris illius romani imperii imaginem, seu simulacrum, et umbram aliquam excitavit, cum Carolo Francorum regi nomen, et titulum imperatoris romani anno Christi* 800. *attribuit ei spiritum ac vitam imagini a se effictae dedit, ut formam aliquam veteris imperii referret et loqueretur, ac leges sanciret de obedientia bestiae et imagini ipsius praestanda.Nihil enim fere potestatis et juris habuit,vel usurpare ausus fuit imperator romanus in hac nova imperii forma, nisi quantum romanus pontifex, aut bestia ei concessit.* Haec ille.

Theodorus autem Bibliander in chronico suo,tabula decima prope extrema,de eadem imperii translatione sic loquitur: *Ut per Longobardos imperatorem novae Romae papa veteris Romae expulit ex Italia;ita Longobardos armis Francorum oppressit: eodemque jure ac potestate regnum Francorum transtulit a Merovinciis ad Germanos principes, et romanum imperium a Graecis in Carolum Magnum.* Et infra: in tabula undecima: *In natali,* inquit, *die Christi Servatoris post solemnia sacra in templo s. Petri magna voce proclamavit*(Leo papa) *Carolum imperatorem Augustum, ac diademate ornatum inunxit: simulque filium Pipinum inunxit Italiae regem. Ita imperium occidentis quod post Augustulum ab Oedacaro germano depositum jacuerat annis* 300.*per romanum papam excitatum rursum,et in regem Francorum, atque Germanorum translatum est. Papa quidem romanus videri voluit gratiam referre Carolo de romana Ecclesia optime merito, appellans more romano, Patritium,et Augustum, et Caesarem romanum,occulto autem judicio Dei ad eam nationem auctore papa, et applaudente acclamanteque populo romano, Carolo Augusto a Deo coronato,magno et pacifico imperatori vita, et victoria,imperium translatum est.* Et infra: *Auctoribus papis a Pipino et Carolo germanis principibus, Longobardi regnum Italiae amiserunt: quod papa Leo,cum praeclaro auctario videlicet, Carolo Magno resignavit.* Haec Theodorus. Illyrici ac sociorum ejus Magdeburgensium centuriatorum testimonium supra retulimus cap.1. Habemus igitur multorum hostium Pontificiorum testimonia de translatione imperii auctore pontifice facta, usque adeo clara atque illustria, ut plane nesciam, an ulli scriptores ex iis, quos Illyricus parasitos pontificis vocat, clarius de eadem re loqui potuerint. Atque haec Illyrici mendacia hoc loco satis esse visa sunt. Nam si singula persequi velimus,totus liber in mendaciis numerandis et refellendis consumendus sit.

Sed ne forte Illyricus glorietur, ex Apocalypsi Joannis demonstrari pontificem romanum esse Antichristum, observet prudens lector,apud Joannem nusquam legi, ab Antichristo sanandam eam bestiam, qua romanum imperium significatur. Siqui-

dem unum illud caput bestiae, quod in Apocalypsi cap. 13. dicitur moriturum, et paulo post opera draconis resurrecturum, non imperium, vel imperatorem, sed ipsum Antichristum designat,qui finget se mortuum, et opera draconis, idest,arte diabolica, paulo post iterum se ipse excitare videbitur, ut imitetur veram Christi mortem et resurrectionem. Ita hunc locum exponunt veteres, Gregorius lib. 11. epist. 3. Primasius, Beda, Haymo,Anselmus, Richardus Victorinus,et Rupertus Tuitiensis in commentario hujus loci,et textus ipse omnino cogit, ut per illud bestiae caput, non Carolum Magnum, ut Lutherani volunt,sed Antichristum accipiamus. Illud enim caput bestiae, ut Joannes scribit, potestatem habuit solum mensibus quadraginta duobus, et blasphemabat Deum,et eos qui in coelo habitant; et imperavit in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, et adoraverunt illud omnes qui habitant in terra; quarum rerum nulla convenit in Carolum, aut in aliquem successorum ejus: omnes vero omnium consensu in Antichristum quadrant. Neque enim Carolus Magnus, in quo imperium quodammodo revixit, potestatem habuit mensibus tantum quadraginta duobus, sed annis fere quatuordecim. Neque Deum aut sanctos, Carolus, vel ejus successores blasphemarunt, sed eos potius mirifice coluerunt. Denique neque Carolus, neque ullus successorum ejus, aut omnibus gentibus imperavit, aut ab omnibus gentibus adoratus est. Sed de his satis: nam in libro tertio de summo pontifice totum hoc argumentum accurate tractavimus,

CAPUT III.

Refelluntur prolegomena Illyrici.

Etsi prolegomena Illyrici nihil sint aliud nisi ingens quoddam mendacium, quia tamen ejus mendacii refutatio longior erit quam ut ad caput, quo mendacia continentur, commode possit adjungi, rectius esse duxi, si propriam disputationem ad prolegomena refellenda instituerem. Igitur Illyrici prolegomena tota consumuntur in variis fragmentis diversorum auctorum recitandis,ex quibus ipse colligi dicit,ante annos quadringentos inter Adrianum IV. pontificem, et Fridericum I. imperatorem litigatum esse,utrum beneficio papae Germani Caesares imperent: ac tandem post longam concertationem definitum, figmentum esse, quod vulgo fertur, Germanos Caesares romanorum pontificum beneficio imperare. Sic autem exorditur: *Tota ista controversia, an imperium ex dono beneficiove papae ad Germanos pervenerit,jam olim, nempe ante 400. annos inter Fridericum I.et Adrianum papam IV. gravissime agitata, definitaque fuit, ut ex sequentibus locis historiae Othones Frisingensis, epistolis illorum ipsorum monarcharum ab Othone suae historiae insertis, patebit, quas hic ordine adscribam.* Haec ille.Ubi mentitur primo cum ait controversiam hanc ante annos 400.agitatam et definitam. Controversia enim quaedam eo tempore agitata est, esset necne imperium romanum beneficium, idest (ut ipsi loquuntur) feudum pontificis. Utrum autem imperium a Graecis ad Germanos, pontificis auctoritate, translatum esset, in controversiam tunc non venit. Sed res tota paulo post apertior fiet.

Mentitur secundo, cum addit ex historia Othonis Frisingensis narrationem hanc a se desumptam,non enim ex Othone, sed ex Radevico eam desumsit. Otho siquidem vir gravis et doctus, dedita opera narrationem illam totam in suo opere praetermisit, tamquam indignam videlicet,quae inter alias res gestas Friderici,quem ipse laudandum susceperat,locum haberet. Alioqui autem eidem Othoni res tota perspecta erat, quippe qui praesens interfuit, et literas summi pontificis ea de caussa missas imperatori interpretatus est, ut ex Radevico cognosci potest libro 1. cap. 22.

Mentitur tertio, cum se ordine rem totam adscripturum dicit, cum contra potius studiose nullum ordinem sequi videatur,ut ex enumeratione et discussione eorum quae proferat, manifestum fiet.

Primum igitur adfert narrationem Radevici (quem ipse falso vocat Othonem Frisingensem) ex lib. 1. de rebus gestis Friderici, cap. 8. qua narratione continetur legatio duorum cardinalium a pontifice Adriano ad imperatorem Fridericum missa; de qua nihil est quod dicamus, cum simplex rei gestae narratio sit. Secundo adjungit fragmentum epistolae Adriani, quam legati illi attulerant. Fragmentum autem referre voluit Illyricus non totam epistolam, ut lectori suo persuaderet, id potissimum in ea epistola egisse pontificem, ut se imperii Germanorum auctorem ostenderet, neque imperium aliud esse nisi beneficium, seu feudum Ecclesiae romanae. Non igitur totam epistolam producemus, ut omnes intelligant, caussam ob quam summus pontifex scriptis, non fuisse, ut imperium Germanorum beneficium suum esse jactaret, cujus rei obiter solum mentionem facit, sed ut imperatorem officii admoneret in sacrilegis hominibus puniendis.

Exemplum epistolae Adriani IV. ad Fridericum I. ex lib. 1. cap. 9. Radevici Frisingensis.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Friderico illustri Romanorum imperatori salutem et apostolicam benedictionem. Imperatoriae majestati paucis retroactis diebus recolimus scripsisse illud horrendum et execrabile facinus, et piaculare flagitium, tempore nostro commissum in Teutonicis partibus, sicut credimus aliquando intentatum, excellentiae tuae ad memoriam revocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quod absque digna severitate vindictae, usque nunc transire passus sit tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E. lundonensis archiepiscopus, dum a sede apostolica remearet, a quibusdam impiis et scelestis, quod sine grandi moerore non dicimus, in partibus illis captus fuerit, et adhuc in custodia teneatur: Qualiter etiam in ipsa captione praedicta viri impietatis, semen nequam,

filii scelerati, in eum, et in suos evaginatis gladiis violenter exarserint, et eos, ablatis omnibus, quam turpiter atque inhoneste tractaverint, et tua serenissima celsitudo cognoscit, atque ad longinquas et remotissimas regiones fama tanti sceleris jam pervenit. Ad cujus utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is, cui bona placere, mala vero displicere credimus, constantius exsurgere debuisti, et gladium, qui tibi ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem desaevire oportuit impiorum, et gravissime conterere praesumptores. Tu vero idipsum ita dissimulasse diceris, saevitiam neglexisse, quod eosdem non est quare poeniteat commisisse reatum: quia impunitatem sacrilegii quod gesserunt, jamjam sentiunt invenisse. Cujus quidem dissimulationis et negligentiae caussam penitus ignoramus: quoniam nos in aliquo serenitatis tuae gloriam offendisse, conscientiae scrupulus nostrum animum non accusat: sed personam tuam, sicut carissimi, et specialis filii nostri, et principis christianissimi, quem in apostolicae confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus charitate, et debitae tractavimus benignitatis affectu. Debes enim, gloriosissime filii, ante oculos mentis reducere quam gratanter et quam jucunde alio anno mater tua sacrosancta romana Ecclesia te susceperit: quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, et honoris: et qualiter imperialis insigne coronae libentissime conferens, benignissimo gremio suo tuae sublimitatis apicem studuerit confovere, nihil prorsus efficiens, quod regiae voluntati, vel in minimo cognosceret obviare. Neque tamen poenitet nos desideria tuae voluntatis in omnibus, implevisse, sed si majora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesiae Dei, et nobis per te incrementa possint et commoda provenire, non immerito gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus, quod in contumeliam universalis Ecclesiae et imperii tui, noscitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris: suspicamur utique, ac veremur ne forte in hanc dissimulationem et negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione perversi hominis, zizania seminantis adversus clementissimam matrem tuam sacrosanctam romanam Ecclesiam, et nos ipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem. Ob hoc igitur, et ob alia negotia, quae cognoscimus imminere, duos de melioribus et charioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernardum, sancti Clementis presbyterum, et Rolandum, sancti Marci presbyterum cardinalem, et cancellarium nostrum, viros utique religione, prudentia et honestate conspicuos, serenitati tuae de latere nostro ad praesens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentius, quatenus eos tam honorifice, quam benigne recipias, honeste tractes, et ea quae ipsi super hoc, et super aliis ad honorem Dei et sacrosanctae Romanae Ecclesiae, ad decus etiam, et exaltationem imperii proposuerint dignitati, sicut si ab ore nostro procedant, absque ulla haesitatione suscipias, et ipsorum verbis, tamquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

Haec est epistola Adriani, ex qua perspicuum est, modice admodum, idque, necessario, attigisse pontificem coronationem imperatoris, quae anno superiore peracta fuerat: cum tamen praecipuum argumentum alio spectaret.

Tertio loco ponit Illyricus reliquam narrationem historiae ex eodem Radevico lib. 1. cap. 10. Summa vero ejus historiae haec est: Lectis pontificiis literis imperator, et qui cum illo erant, imperii principes, cum verba illa pontificis: *Si majora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, non immerito gauderemus*, in eum sensum accepissent, quasi dictum esset, regnum atque imperium Germanorum non absolutum, liberumque imperium, sed feudum romani pontificis esse, in tantam iracundiam exarserunt, ut parum absuerit, quin duos illos cardinales continuò trucidarent. Qui cardinales, quamvis tandem a periculo vitae liberati fuerint, tamen sine ullo honore, sine literis imperatoris, sine ulla responsione dimissi, jussu sunt quamprimum, via recta, idest brevissima, excedere ex provinciis imperio subjectis, severissime interdictum illis est, ne ad ulla episcoporum, vel abbatum Germaniae loca diverterent. Interim vero imperator literas plenas acerbitatis scripsit ad omnes imperio romano subjectos; quibus literis ne verbum quidem facit de criminibus, quorum a pontifice admonitus, ac paterne castigatus fuerat, sed solum quaestus est, plane tragice, injuriam, sibi a pontifice factam, dum is imperii coronam suum beneficium appellavit. Hae est illius historiae summa, in qua multa profecto admiranda occurrunt. Primum, quod imperator ad tam horrenda sacrilegia, quorum in epistola summi pontificis admonebatur, omnino tacuerit, quasi ad se nihil attinerent. Deinde quod ex unus verbi ambiguitate, quod tamen secundum propriam significationem, nihil offensionis habebat, tantam tragoediam excitaverit, ut vix major excitanda fuerit, si totius imperii extrema ruina, certissimumque exitium impendisset. Tertio quod in ea epistola romanum pontificem, sanctae Ecclesiae caput, ac proinde se membrum ejus (nisi ipse extra Ecclesiam esse velit) appellet, et tamen non modo isti capiti suo, isti principi populi sui acerbissime maledixerit, sed etiam legatos ejus) qui apud quosvis barbaros, atque etiam ethnicos jure gentium tuti fuissent) contra omne jus et fas indignissime violaverit. Postremo quod ubi tandem ad firmamenta atque praesidia caussae suae explicanda pervenit, nihil attulerit, praeter unam, eamque levissimam, ne dicam ineptam ac puerilem argumentationem: *Cum*, inquit, *per electionem principum a solo Deo regnum et imperium nostrum sit, qui in passione Christi Filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit, cumque Petrus apo-*

stolus hac doctrina mundum informaverit, Deum timete, regem honorificate: quicumque nos imperialem coronam pro beneficio a domino papa suscepisse dixerit, divinae institutioni et doctrinae Petri contrarius est, et mendacii reus erit. Haec ille. Quae certe argumentatio, si ad verae rationis trutinam revocetur, vereor ne prorsus indigna tanto principe videatur. Nam quod attinet ad duos illos gladios, quorum in passione Domini mentio sit, si quis paulo attentius evangelium legat, non Caesaris unum, alterum Ecclesiae, sed utrumque gladium Ecclesiae, ac potissimum Petri esse videbit. Quocirca si alterum Caesar habet, non a solo Deo (ut Fridericus imperator dicit) sed a Deo per Petrum habet. Ita imperatoris argumentatio adversus ipsum suum auctorem pugnat.

Sed placet de hac ipsa re s. Bernardi testimonium in medium adferre. Sic enim scribit lib. 4. de Considerat. cap. 3. Quid tu denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus apostolis: Ecce gladii duo hic; non respondisset Dominus, *Satis est*, sed, *Nimis est*. Uterque ergo Ecclesiae, et spiritualis scilicet gladius, et materialis, sed is, quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exercendus est. Iste sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris. Haec Bernardus.

Illa autem qualis quaeso argumentatio est: sanctus Petrus ait, Deum timete, regem honorificate: ergo cum Petro pugnat, et reus mendacii est, quicumque dixerit imperatorem summi pontificis beneficio imperare? Quae est haec nova dialectica? An ille rex fortasse (juxta praeceptum s. Petri) honorificandus non erit, qui ab alio regnum acceperit? Quis ita insaniat, ut hoc dicat? Rex catholicus ac potentissimus Philippus regnum neapolitanum feudum esse romani pontificis quotannis publice profitetur; et tamen quis dicere auderet, non esse regem Philippum a populo neapolitano honorificandum, aut verba s. Petri ad eum regem nihil pertinere? Quid quod non solum imperatoris Friderici argumentatio nihil efficit, sed etiam illa ejus sententia: Regnum atque imperium suum esse a solo Deo, nulla ratione defendi potest? Nam quis omnium ignorat, humana regna jure gentium constitui, dum populi communi consensu in unum aliquem potestatem suam transferunt? Id certe (ut caetera taceam) leges ipsae imperatoriae, diserte testantur. L. *ex hoc jure gentium. ff. de justitia et jure.* Si vero potestas regis a populo est, quid est quod Fridericus ait, regnum nostrum a solo Deo est? Quod si et imperium (post translationem a Graecis in Germanos) non a pontifice, sed a solo Deo est, quae caussa fuit cur Fridericus in Italiam ad pontificem veniret, atque ab eo ad imperium provehi postularet? Haec enim sunt verba, quae nomine Friderici ipso praesente Friderico ad pontificem Adrianum bambergensis episcopus fecit: *Notum tibi esse volumus, reverende pater, quia omnis Ecclesia de finibus orbis ad honorem regni collecta, adduxit principem suum ad tuam beatitudinem, provehendum per te ad culmen imperii. Hoc meretur nobilitas, prudentia, fortitudo, Dei timor, et catholicae pacis amor in corde illius regnans, et sanctae romanae Ecclesiae cultus non vulgaris. Ecce te venientem excepit venerabundus tuis sanctissimis vestigiis humiliter provolutus. Ergo, venerande pater, tu circa ipsum peragas, ut quae ei desunt de plenitudine imperialis culminis, per tuae beatitudinis munificentiam suppleantur.* Haec ille, teste Alberto Krantzio lib. 6. Saxoniae, cap. 16. Qua ratione igitur imperium Friderici a solo Deo fuit, si pontifex Adrianus ad imperium illum provexit et imperialis culminis plenitudinem, quae illi deerat, contulit? et si munificentiam pontificis episcopus bambergensis, Friderici ipsius orator, appellare non timuit illam coronationem imperatoriam, quid est cur beneficium pontificis eadem illa coronatio dici non possit? Sed pergamus ad caetera.

Quarto loco addit Illyricus epistolam quandam Adriani papae ad archiepiscopos moguntinum, coloniensem et trevirensem, quam ex Aventino descripsit. De qua epistola nihil est quod dicamus, cum ea tota nostra sit. Id unum annotandum erit, mentiri Illyricum cum ait: Adrianus nodum in scirpo quaerit, imperium esse beneficium romani sacerdotis, Augustumque precario dumtaxat regnare asserit. Siquidem in tota epistola nusquam legitur nomen beneficii. Neque pontifex Adrianus eo loco asserit Augustum precario dumtaxat regnare; quin contra potius affirmat, regnum habere illum ex electione principum suorum, a se autem nomen imperatoris. Ex electione, inquit, principum suorum habet nomen regni, ex consecratione nostra habet nomen imperatoris.

Quinto Illyricus adjungit epistolam quandam Friderici ad Adrianum ex Nauclero, quae neque est ordine suo posita, neque facit ad rem. Non enim illa scripta est tempore hujus controversiae, de qua nunc agimus, sed aut antea, si credimus Nauclero in chronico Generat. 30. aut postea, ut ex Radevico lib. 2. cap. 18. colligi videtur; si tamen haec epistola illa est, cujus meminit eo loco Radevicus, et non potius alia ab aliquo conficta. Scribit enim Radevicus, Fridericum imperatorem, ut indignationem conceptam in Adrianum solaretur, notario suo imperasse, ut in scribendis epistolis ad pontificem nomen suum nomini pontificis anteponeret, et distinctionibus singularis numeri ipsum alloqueretur. Haec autem epistola, quam ex Nauclero produxit Illyricus, contendit quidem nomen imperatoris praeponi debere, cum imperator ad pontificem scribit, perpetuo tamen pontificem alloquitur in numero multitudinis. Quid quod haec ipsa epistola non parum officit causae ejusdem Friderici? Nam inter caetera scribit epistolae auctor, Silvestrum ante Constantini donationem nihil regalium habuisse: ex quo satis aperte videtur agnoscere, ut veram atque legitimam Constantini donationem, quae apud Gratianum habetur distinct.

96. can. *Constantinus*. Porro illa donatio non solum urbem Romam, atque Italiam universam, sed etiam omnes occidentalis imperii provincias complectebatur. Quod si ita est, unde postea occidentale imperium ad Carolum et successores pervenit, nisi ex dono ac beneficio pontificum romanorum? Nisi forte Carolus Magnus (quod nefas est cogitare) sacrilege eripuerit sancto Petro, quod ei pie donaverat Constantinus. Vides igitur hanc epistolam vel esse confictam, vel ipsi caussae Friderici, atque Illyrici majus detrimentum adferre, quam attulerint omnia verba, atque omnes legationes pontificis Adriani. Nec enim Adrianus unquam tam luculenter dixit, aut scripsit, Germanos reges apostolicae sedis beneficio imperare, quam id ipsum Fridericus scripsit, si ipsius illa epistola est.

Sexto producit Illyricus ex Othone Frisigensi lib. 2. de rebus gestis Friderici, cap. 21. legationem populi romani ad Fridericum, et Friderci responsionem. Nihil autem horum loco suo ponitur, nec ad rem facit. Nam ista legatio populi romani missa est ad Fridericum, cum is ad urbem propinquaret caussa coronae imperialis a pontifice petendae. Controversia autem illa de imperio: Sit ne beneficium pontificis, an non, sequenti anno, coronatione jam peracta, exorta est. Porro ad rem ista non faciunt, cum non sit nostra quaestio de populo, sed de pontifice romano. Tantum vero abest, ut ea legatio populi romani pontificis jussu, vel consilio aut consensu missa sit ad Fridericum, ut potius (Othone teste ibidem) Adrianus legationem illam improbaverit, et paulo post, iisdem repugnantibus Romanis, Fridericum coronavit. Vides igitur, lector, quam vere initium dixerit Illyricus, se ordine subjecturum, quae ad praesentem controversiam pertinerent.

Septimo addit ex Radevico (quem falso Othonem vocat) lib. 2. cap. 30. de rebus gestis Friderici epistolam Ebehardi episcopi bambergensis, ad Eberhardum archiepiscopum saltzburgensem, necnon responsionem quandam Friderici imperatoris ad quandam summi pontificis legationem. Quae similia sunt superioribus, idest, neque narrantur ordine suo, neque pertinent ullo modo ad rem.

Octavo profert ex lib. 1. cap. 15. et 16. Radevici (quem ipse omnino Othonem Frisigensem vult videri) fragmentum epistolae Adriani ad episcopos quosdam Germanos, et responsionem eorundem ad pontificem. Ac nunc tandem Illyricus post longos errores domum redit. Istae siquidem duae epistolae (si ordo tenendus sit) prope sequuntur post eam narrationem, quam tertio loco Illyricus recitaverat. Caetera quae interjecta sunt, ac praecipue quintum, sextum et septimum, inter parerga numerari possunt. Neque alia de caussa inserta videntur, nisi ut augeant prolegomena, et lectoris mentem confundant. Tametsi autem haec omnia, quae octavo loco ab Illyrico producuntur, ad rem praesentem faciant, nihil tamen habent quod refellendum sit; cum nihil fere aliud contineant, quam repetitionem superiorum. Unum est dumtaxat, quod non tam refutatione, quam animadversione indiget, argumentum videlicet quod Illyricus praemittit ante epistolam praesulum Germaniae ad summum pontificem, quod quidem ejusmodi est: *Responsio praesulum Germanorum ad praedictas literas pontificis, quibus reprehendunt illud papale figmentum, et monent ut id nova legatione ac scriptione revocet.* Praeterea novam illam elegantiam sermonis: *Responsio praesulum, quibus reprehendunt.* Sed mendacium praeterire non possum; neque enim in tota illa epistola ulla mentio fit papalis figmenti; neque admonetur pontifex ut revocet quidquam, sed solum ut exulceratum animum principis ex verbi cujusdam ambiguitate, novis literis lenire ac mitigare velit. Haec enim sunt illorum verba: *De caetero sanctitatem vestram suppliciter rogamus et obsecramus, ut nostrae parcatis infirmitati, atque magnanimitatem filii vestri, sicut bonus pastor, leniatis scriptis vestris, scripta priora suavitate mellitâ dulcorantibus.*

Nono addit legationem ac literas pontificis Adriani ad Fridericum, quibus verbi ambiguitate exposita, continuo animus principis mitigatus est. Sed verba Illyrici audiamus: *Novae*, inquit, *literae, ac legatio papae, qua totum illud suum figmentum de beneficio imperii Germanis collato, artificiosa interpretatione tollit, ac non obscure recantat, polliceturque se posthac imperii jura minime violaturum esse.* Haec sunt Illyrici verba, in quibus duo splendida mendacia continentur. Extant enim literae integrae pontificis Adriani apud Radevicum lib. 1. cap. 22. in iis autem non retractat pontifex ullum figmentum, nec se jura imperii posthac non violaturum promittit, sed arguit imperitiam eorum, qui Friderico successerant, beneficium coronationis feudum significare. Haec enim est epistola pontificia.

Ex quo universalis Ecclesiae curam Deo, prout ipsi placuit, disponente suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curavimus, ut de die in diem animus tuus magis in amore nostro, et veneratione sedis apostolicae debuissent accendi. Unde sine grandi admiratione non ferimus, quod cum audito, ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus et majoribus fratribus nostris. Rolandum scilicet cancellarium tituli sancti Marci, et Bernardum tituli sancti Clementis presbyteros cardinales, qui pro tuae majestatis honore in romana Ecclesia solliciti semper extiterant, pro voluntatis tuae cognitione ad tuam praesentiam destinavimus, aliter quam imperialem decuerit honorificentiam, sunt tractati. Occasione siquidem cujusdam verbi, quod est beneficium, tuus animus (sicut dicitur) est commotus, quod utique nedum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumitur; tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, et quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono et facto est editum, et dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum, in

qua significatione in universo Scripturae sacrae corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei,non tamquam ex feudo, sed velut ex benedictione, et bono facto ipsius gubernari dicimur et nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene et honorifice imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quidam verbum hoc et illud scilicet (contulimus tibi insigne imperialis coronae) , a sensu suo visi sunt ad alium retorquere, non ex merito causae, sed de voluntate propria, et illorum suggestione, qui pacem regni, et Ecclesiae nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum (contulimus) nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est,imposuimus. Sane quod postmodum personas ecclesiasticas a debita sacrosanctae romanae Ecclesiae usitatione (ut dicitur) revocare jussisti, si ita est, quam incovenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio,ut credimus recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuncios et literas tuas fuerat intimandum, et nos honori tuo curavissemus, sicut filii charissimi, providere. Nunc igitur ad commonitionem dilecti filii nostri Henrici Bajoariae et Saxoniae ducis, duos de fratribus nostris Henricum tituli sancti Nerei,et Achillei, et Jacinctum sanctae Mariae in Cosmodin diaconum, cardinales prudentes siquidem et honestos viros ad tuam praesentiam destinavimus, celsitudinem tuam monentes et hortantes in Domino, quatenus eos honeste et benigne recipias, et quod ab eis ex parte nostra tuae magnificentiae fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri noverit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante jam dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat convenire, ut inter te, ac matrem tuam sacrosanctam romanam Ecclesiam nullius discordiae seminarium debeat remanere.

Hanc epistolam totam ne uno quidem verbo omisso adscribere volui,ut Illyrici mendacia ex ipsa epistola refutarentur. Ubi enim obsecro est illa figmenti pontificii retractatio? Dixerat pontifex in priore epistola, quam etiam supra totam adscripsimus, se Friderico, cum is Romam ad coronam accipiendam venisset, laeto animo occurrisse, ac plenitudinem dignitatis, idest, imperialis coronae insignia contulisse. Quod ipsum Friderici nomine orator ipsius episcopus Bambergensis (ut ex Krantzio supra citavimus) a pontifice postulaverat. Deinde de hac ipsa coronatione loquens addiderat in literis suis idem pontifex, non modo se non moleste ferre, quod ea contulisset,sed etiam non immerito gavisurum, si majora beneficia de manu sua Caesar accepisset. Quo loco beneficium quod in imperatorem a pontifice significatur collatum, non potest ullo modo aliter accipi, nisi quis de industria cavillari velit, quam ut ad coronationem imperialem referatur. Quid igitur papa retractat, quid revocat,quid recantat (ut verbo utar Illyrici) cum nomine beneficii non se feudum aliquod, sed coronationis munus intellexisse dicit. Neque vero recte colliget jam Illyricus; Non dicit papa imperium Germanorum feudum esse pontificis: ergo figmentum est quod Adrianus,quod Innocentius III.quod omnes historici dicunt, imperium a Graecis ad Francos pontificis auctoritate esse translatum. Nam etsi non dixit Adrianus, imperium esse feudum, non tamen dixit non esse: et licet non esse dixisset, non tamen continuo sequeretur, falsam esse translationem imperii. Aliud enim est, imperium ab una gente ad aliam transferre; aliud vero, feudum constituere.

Deinde in quo angulo epistolae Adriani latet id, quod Illyricus in argumento posuit, cum ait: *Pollicetur se posthac imperii jure minime violaturum?* Certe epistolam totam audivimus, ac ne syllabam quidem unam de hac pollicitatione reperimus.Sed video ubi fundamentum mendacii sui Illyricus constituerit, quod nimirum Radevicus Frisingensis, posteaquam epistolam Adriani operi suo inseruerat, subjunxerit continuo, illis literis imperatorem placatum, benigne deinceps cum legatis romani pontificis egisse, legatos vero imperatori promisisse, praesulem romanum honorem atque justitiam imperii illibatam semper conservaturum. At illa pollicitatio legatorum fuit, non ipsius pontificis. Neque legati polliciti sunt praesulem romanum jura imperii posthac non violaturum, quasi aliquando antea violasset, sed illibata, ut semper fecerat, perpetuo conservaturum.Siquidem iidem legati (Radevico teste) cum primum imperatorem alloquerentur, eique literas apostolicas traderent, praefati sunt,sine ulla justa caussa adversus romanam Ecclesiam imperatorem fuisse commotum. Haec enim sunt illorum verba: *Quanta dilectione sancta romana Ecclesia amplitudinem, et honorem imperii vestri amplectatur, quam sine conscientia peccati vestram satis invita sustinuerit indignationem, et scripta praesentia, et in ore nostro posita vivae vocis officium declarabit.* Ex quibus verbis satis profecto manifeste colligitur, numquam venisse in mentem legatis, ut violata fuisse a romano pontifice jura imperii dicerent. Proinde mendacium est Illyrici, promisisse pontificem Friderico, se posthac imperii jura minime violaturum.

Addit postremo in prolegomenis suis Illyricus ex historia Abbati urspergensis, Adrianum pontificem iterum ab imperatore dissidere coepisse, atque eo usque progressum dissidium, ut tandem imperator a pontifice excommunicaretur, sed paulo post divino miraculo pontificem, dum is recentem aquam ex fonte biberet, a musca quae os ejus simul cum aqua intraverat,apud Anagniam extinctum. Verumtamen hanc non veram historiam, sed improbabilem fabellam esse, ex eo potest intelligi, quod Abbas urspergensis ex Joanne quodam Cremonensi, auctore obscuro et schismatico, eam narrationem refert. Ille vero non altum testem producit, quam incertum rumorem vulgi: *Cum venisset*, inquit, *ad quemdam fontem, hausit de potu illius, et continuo, ut dicitur, musca quaedam os ejus intravit et gutturi ejus adhaesit, nulloque artificio medicorum avelli potuit,quoad usque spiritum exhalaret.* Haec ille. Quo circa tota fides hujus rei pen-

det ex illo, ut dicitur, hoc est, ex falso rumore, quem aemuli forte sparserunt.

Porro Radevicus lib. 2. cap. 43. honorifice describit obitum ac sepulturam Adriani, quod idem faciunt Platina, Martinus Polonus, et alii, qui pontificum vitas describunt. Joann.Nauclerus in chronico, generatione 39. scribit, suspicari se narrationem illam Cremonensis affectu potius quam veritate scriptam. Sanctus autem Antoninus in Summa historica, par. 2. tit. 17. cap. 1. § 9. ex Helinando refert, Adrianum virum optimum fuisse, ut nullo modo probabile sit eum talem exitum habiturum, qualem Cremonensis dicit. Denique si res esset vera, qui fieri posset, ut mors tam nova et insolens a nullo certo scriptore annotata fuisset?

At Fridericum imperatorem, qui non solum cum Adriano diu contendit, sed etiam Alexandrum,successorem Adriani, ita vexavit, ut tres antipapas adversus eum imperiali potentia foverit, non incertus rumor, sed testes certissimi, idest, omnes historici testantur, in Armenia a flumine quodam absorptum miserrime periisse.De quo sic scribit Gulielmus Neubrigensis ejus temporis auctor, in lib. 4. rerum anglicarum cap. 13. *Fridericus imperator teutonicus, iter hierosolymitanum ingressus, cum in gurgitem fluvii equo stimulato prosilisset, in momento suffocatus interiit. O abyssus multa judiciorum Dei! Vir tantus, et qui divino quodam fervore relictis deliciis, opibusque imperii, mille se exposuerat propter Christum periculis, tam subito miseroque casu absumitur. Peccatum tamen ejus tantum et tale elucet, quod forte in imperialibus non potuerit deliciis expiari, atque ideo oportuerit, ne aeternaliter plecteretur, pia divinitatis provisione in hac vita severius castigari. Siquidem nefarii schismatis sub venerabili papa Alexandro principalis fautor exstiterat, et pacis ecclesiasticae per imperialem potentiam multo tempore perturbator. Tandem vero perspicue dans palmam veritati, minus tamen in deliciis palatii piaculare malum defleverat.* Haec ille. Addit autem Abbas urspergensis in chronico, post absorptum (ut dictum est) a flumine Fridericum, exercitum ejus, aut aëris intemperie, aut abundantia ciborum morbo contracto pene totum brevissimo tempore consumptum. Ita sententiam Adriani pontificis, quae exstat in epistola ad episcopos Germaniae apud Radevicum lib. 1. cap. 16. verissimam fuisse, rei eventus comprobavit. Sic enim ille scripserat: *Non acquiescat idem filius noster consiliis iniquorum, consideret novissima, et antiqua, et per illam viam incedat, per quam Justinianus, et alii catholici imperatores incessisse noscuntur. Exemplo siquidem,et imitatione illorum, et honorem in terris, et felicitatem in coelis sibi poterit cumulare. Vos etiam, si eum ad rectam semitam reduxeritis, et beato Petro apostolorum principi gratum dependetis obsequium, et vobis, et ecclesiis vestris conservabitis libertatem. Alioquin noverit antedictus filius noster ex admonitione vestra, noverit ex promissionis evangelicae veritate quod sacrosancta romana Ecclesia super firmissimam petram, Deo collocante, fundata, quantocumque ventorum turbine quatiatur, in sua firmitate, protegente Domino, in saeculum saeculi permanebit.* Haec ille tum cum ardore juvenili, et imperiali potentia Fridericus Ecclesiae minaretur. Sed eum finem tragoedia illa habuit, quem Adrianus praedixerat. Siquidem post annum decimum nonum gravissimae persequutionis, praevaluit tandem Ecclesia, et Fridericus imperator, Calisto antipapa, quem ad eam diem foverat, abdicare coacto, sese vero pontifici Alexandro subjecit; ut scribunt probati historici, Abbas urspergensis in chronico, Platina in vita Alexandri, Gulielmus Neubrigensis rerum Anglicarum lib. 3. cap. 2. Gulielmus episcopus Tyri de bello sacro lib. 18. cap. 26. et alii. Neque tamen hac humilitate illud a Deo impetrare potuit, ut non etiam morte horribili, ac totius exercitus interitu peccatum ejus in Ecclesiam severissime puniretur. Atque haec de prolegomenis.

CAPUT IV.

Imperium romanum translatum a Graecis ad Francos summi pontificis auctoritate, historicorum testimoniis demonstratur.

Tempus jam est ut ad ipsam caussam propius accedamus; atque, ut ordine progrediamur, principio quid sit quod quaeritur, sive statum causae breviter exponemus; deinde sententiam nostram certissimis rationibus comprobabimus.

Igitur romanum imperium tametsi ante Constantini tempora, modo ab uno, modo a pluribus Augustis pari potestate regeretur, unum tamen atque indivisum censebatur. Deinde vero posteaquam Magnus Constantinus Constantinopolim quasi alteram Romam aedificavit,et cum ea alterum consulem, alterum senatum, et omnia romanae urbis privilegia communicavit,divisum est imperium in partes duas; quarum altera imperium orientis, altera occidentis appellari coepta est, et quemadmodum ante Constantinum principem, indivisum imperium aliquando plures Augusti administrabant, saepius unus ac solus regebat,ita post Constantinum, imperium jam divisum plerumque duo Caesares tenuerunt, raro unus ac solus princeps gubernavit. Siquidem Constantino vita functo anno Domini 341. occidentale imperium Constantino juniori et Constanti, imperium orientis Constantio cessit.Post Constantini autem, et Constantis excessum, anno 353. Constantius solus universo imperio praefuit. Constantio Julianus, Jovianus Juliano successit. Sed post obitum Joviani, Valentinianus, qui Joviano successerat, imperio occidentis contentus, orientale imperium Valenti fratri attribuit anno Domini 368. atque ex eo tempore usque ad annum Domini 476. idest, usque ad Augustulum, imperatores diversi divisum imperium tenuerunt. Augustulo vero ab Odoacre herulo abdicare coacto,atque imperio occidentis a barbaris occupato, soli imperatores orientis, et in solo oriente regnarunt usque ad Justinianum.Sed cum is opera Belisarii et Narsetis, fortissimorum ducum, Africam et Italiam, inde Vandalis, hinc Gothis exactis,

recuperasset; tandem anno Domini 556. iterum ab uno imperatore oriens et occidens administrari coeptus est. Sed cum imperator graecus esset, et Italiam per exarchos regeret nec eam ab infestatione Longobardorum tueri jam posset, anno 801. ineunte, ipso die natalis Domini, creato in urbe Roma novo imperatore Carolo Magno rege Francorum, ac per hoc translato occidentali imperio a potestate Graecorum ad Francorum ditionem, iterum romana respublica rediit ad eum statum, in quo eam Constantinus Magnus instituerat, et in quo permanserat a Valentiniano seniore, usque ad Augustulum. Quamquam illud negari non potest, quin paulo major imperii divisio fuerit a tempore Caroli Magni, quam antea. Siquidem a Constantino ad Augustulum etsi divisae erant imperii romani provinciae inter duos imperatores, quod attinet ad regimen et administrationem, erat tamen ita commune imperium, ut leges utriusque imperatoris nomine toti imperio darentur; et si alter sine liberis decedebat, ad alterum totius imperii gubernatio et providentia pertineret. Quocirca Paulus Orosius lib. 7. scribit, Arcadio orientis, Honorio occidentis provincias gubernantibus, commune imperium divisis tantum sedibus fuisse. At post tempora Caroli Magni neque leges a latino graecoque imperatore communiter latae sunt, neque deinceps unquam aut latinus orientem, aut graecus occidentem gubernavit. Quaeritur igitur, quisnam hujus translationis auctor fuerit, quisve Carolo Magno ac successoribus ejus, nomen, dignitatem ac potestatem imperatoris Romanorum, ac Caesaris Augusti in occidente tribuerit. Respondemus id quod clamat consensus omnium gentium, Leonem III. pontificem maximum aut solum, aut praecipuum et primarium auctorem hujus translationis fuisse, eique germanicam nationem imperium acceptum referre debere. Negat Illyricus, et odio pontificum nescio quos alios auctores comminiscitur, atque ita se versat in omnem partem, ut historiam alioqui clarissimam, et fide orbis terrarum tot jam saeculis confirmatam, omnino obscurare nitatur. Accedant igitur historici omnes tum veteres, tum recentiores, et auctoritatis suae pondere, levitatem et impudentiam unius hominis comprimant.

I. Joannes Zonaras, auctor graecus, qui romano pontifici adulari noverat, tomo 3. annalium in vita Constantini et Irenes, ubi de hac translatione loquitur nullam senatus, nullam populi, nullam exercitus mentionem facit, sed rem totam Leoni papae adscribit: Roma, inquit, prorsus Franci potiti sunt, Carolo a Leone coronato, et Romanorum imperatore appellato. Et infra, sub Constantino et Irene, papa Leo Francos etiam Romam admisit, sic et Italia universa, et ipsa Roma sunt potiti. Et infra: At Francorum dux Carolus, imperator Romanorum a papa Leone, ut dictum est, appellatus, missis ad Irenem legatis, nuptias illius ambiit, cum nec illa ab eo conjugio abhorreret.

II. Georgius Cedrenus in compendio historiarum in vita Constantini et Irenes, eadem fere quae Zonaras refert, sed brevius. Venerunt, inquit, etiam a Carolo, quem Leo papa Romae coronaverat, legati ad Irenem, eam Carolo in uxorem ambientes.

III. Paulus diaconus, qui tempore Caroli Magni floruit, et eidem Carolo familiaris fuit, lib. 23. rerum romanarum, posteaquam narraverat Leonem III. pontificem a Carolo rege Francorum in sedem suam restitutum, subjungit: Caeterum (Leo) vicem Carolo recompensans in imperatorem coronavit eum in templo s. Petri apostoli, perungens oleo a capite usque ad pedes, et circumdans imperatoria veste, atque corona, 8. kal. januarii, indict. 9. in quibus verbis Pauli Diaconi duo sunt annotanda: Unum est, nullam fieri mentionem in ejus verbis senatus, aut populi romani, quam certe praetermittere non debuisset fidelis historicus, si translatio imperii a Graecis ad Francos munus senatus, populique romani potius, quam pontificis Leonis fuisset. Alterum est, hanc translationem, quae facta est in ipsa Caroli Magni coronatione beneficium Leonis collatum in Carolum a Paulo Diacono agnosci et appellari. Siquidem illa verba: Caeterum Leo vicem Carolo recompensans, satis aperte significant, ita fuisse beneficium pontificis in regem coronationem imperatoris, ut antea fuerat beneficium regis in pontificem restitutio in propriam sedem.

IV. Eginarthus Pauli Diaconi aequalis, nec minus quam Paulus Carolo Magno notus et familiaris (quippe qui cancellarius ejus fuit, teste Trithemio) in vita ejusdem Caroli ita describit hanc translationem, ut soli pontifici Leoni rem totam tribuat. Augusti nomen, inquit, primo in tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis praecipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si pontificis consilium praescire potuisset. Perpende lector haec verba: Si pontificis consilium praescire potuisset. Cur enim non ait: Si consilium senatus, populique romani praescire potuisset; nisi quia rem totam a pontificis voluntate et auctoritate pendere intelligebat?

V. Annales Francorum incerto auctore, sed omnium consensu fidelissimo, et qui Caroli tempore vixit, ita habent in enarratione rerum gestarum anno 801. Ipse autem cum die sacratissimo natalis Domini ad missarum solemnia basilicam b. Petri apostoli fuisset ingressus, et coram altari ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret, Leo papa coronam capiti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria. Hic primum mentio fit populi romani, sed acclamantis post coronationem, non imperatorem appellantis ante coronationem.

VI. Aimonius, sive (ut ab aliis vocatur) Ammonius, vel Annonius, vixit tempore Ludovici Pii, ut ipse indicat lib. 5. cap. 17. Is igitur in lib. 4. de rebus gestis Francorum cap. 90. describit exordium imperii Caroli Magni iisdem fere verbis, quibus Francorum annales supra citati, nihilque tribuit populo romano praeter acclamationem Carolo jam a pontifice coronato.

VII. Ado episcopus viennensis, qui temporibus nepotum Caroli Magni floruit, in chronico suo aetate 6. sic habet: In die sancto nativitatis Domini,

ante confessionem b. Petri apostoli, cum gloriosus rex Carolus ab oratione surrexisset, Leo pontifex capiti ejus coronam imposuit, sicque ab universo populo acclamatum est; Carolo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria. Hic etiam auctor nullam facit senatus, aut populi mentionem, nisi post coronationem jam peractam.

VIII. Rhegino abbas prumiensis, qui ante 600. annos floruit, lib. 2. chronici, coronationem Caroli Magni iisdem verbis describit, quibus Ado viennensis, quae non duxi repetenda, ne fastidium gignerent. Sed ut intelligamus apud Rheginonem, non simpliciter coronari imperatorem a summo pontifice, sed plane creari et ordinari, referam verba ejus de Arnulphi et Othonis I. coronatione: Anno, inquit, dominicae incarnationis 896. Arnulphus civitatem ingressus, a Formoso apostolicae sedis praesule magno honore susceptus, ante confessionem s. Petri coronatus, imperator creatus est. Et infra, anno 962. rex (Otho I.) Romae favorabiliter susceptus, acclamatione totius romani populi et cleri, ab apostolico Joanne imperator et Augustus vocatur et ordinatur. Hic plane vides, regem festiva acclamatione a populo suscipi; non autem a populo, sed ab apostolico Joanne imperatorem dici et ordinari.

IX. Vitichindus Corbejensis monachus, Rheginonis aequalis, lib. 3. regnorum saxonicorum prope extremo, de Othone II. imperatore sic loquitur: Licet, inquit, jam olim unctus esset in regem, et a beato apostolico designatus in imperatorem. Ubi vides aperte distingui regnum Germaniae ab imperio romano; et regnum quidem illud a Germaniae proceribus, imperium vero romanum a pontifice dari, ejus enim est magistratum vel principem designare, cujus est et creare, alioqui frustra designat, qui nequit perficere.

X. Luithprandus diaconus ticinensis, Othone I. vivente scripsit historiam rerum in Europa suo tempore gestarum, ut ipse significat lib. 1. cap. 7. Is igitur lib. 6. historiae cap. 6. de Othone I. sic loquitur: Dehinc Romam similia facturus adiit, ubi miro ornatu, miroque apparatu susceptus, ab eodem summo pontifice, et universali papa Joanne unctionem suscepit imperii. Porro idem auctor aperte declarat, non simplicem caeremoniam unctionis, sed nomen etiam, et dignitatem imperialem a pontifice suscepisse Othonem, cum ita loquitur in eodem capite: Piissimo, inquit, tunc regi, nunc Augusto Caesari Othoni. Quam phrasim tum ipse, tum alii veteres observare solent, ut ante pontificiam coronationem, reges; post eam coronationem, imperatores et augustos appellent.

XI. Hermannus Contractus, comitis nobilissimi filius, et monachus sancti Galli, qui floruit ante annos 500. tempore sancti Henrici imperatoris, in chronico suo sic ait: Anno 801. Carolus imperiali benedictione sublimatus, Augustus et Caesar romano more appellatur. Et infra: Anno 816. Leo papa obiit, et Ludovicus imperator a Stephano papa factus est. Et infra: Anno 962. Otho rex ab Octaviano Joanne papa imperator ordinatur. Et infra: Anno 1026. Conradus rex filium suum Henricum regem fecit, et ipse Romam pergens, imperator efficitur. Haec ille. Non potuit certe hic auctor clarius exprimere, per ipsam pontificis coronationem imperatorem vere fieri.

XII. Marianus Scotus, qui natus est anno 1028. ut ipse in chronico annotavit, et Hermanni Contracti aequalis fuit, lib. 3. chronici Caroli Magni ad imperium promotionem brevissime his verbis attingit: Carolus hoc tempore a Romanis Augustus appellatus est. Quae verba, ne testimoniis vetustiorum historicorum jam citatis, et sequentibus ejusdem Mariani sententiis repugnent, sic accipi debent, ut intelligamus, Carolum a Romanis omnibus, idest, pontifice, clero, senatu et populo, Augustum appellatum; sed ordine quodam, nimirum pontifice praeeunte, caeteris sequentibus. Nam ut ex historiis praecedentibus didicimus, appellavit Leo pontifex Carolum imperatorem, et simul inunxit et coronavit; caeteri vero acclamatione probarunt. Sed Mariani ipsius aliquot sententias proferamus. Anno 873. Carolus Romam perveniens, datis Joanni papae magnis muneribus, imperator factus est. Anno 896. Arnulphus urbem ingressus cum magno honore a Formoso papa susceptus, et ante confessionem s. Petri imperator factus est. His igitur, aliisque similibus sententiis satis aperte Marianus testatur a romano pontifice imperatores romanos fieri.

XIII. Dodechinus Mariani continuator, cum de Lothario Henrici imperatoris successore scriberet: Legati, inquit, pro confirmando rege Romam mittuntur. Et infra: Plenitudinem, inquit, imperii in eadem romana civitate sicut decebat offerens dominus papa regem Lotharium Romam invitabat. Fridericus, inquit, ab Adriano papa imperator factus est. Vides igitur a pontifice romano electum regem romanorum confirmari, ac deinde ab eodem plenitudinem imperii accipere, et sic tandem imperatorem fieri.

XIV. Lambertus Schafnaburgens, qui circa annum 1070. floruit, in historia germanica de Carolo Magno nihil addit ad verba Mariani Scoti; ut vel Marianus a Lamberto, vel a Mariano Lambertus accepisse videatur. Verumtamen cum de Othone I. et III. loquitur, clarius explicat sententiam suam. Sic enim de Othone primo scribit: Otho rex perrexit Romam, eumque Joannes papa gratanter suscipiens honorifice super cathedram augustalem posuit, et benedictione atque consecratione sua imperatorem fecit. Et infra de Othone III. Otho rex contra Crescentium Romam venit, ubi et Brunonem in sede apostolica constituit, a quo et ipse imperator factus est.

XV. Otho episcopus Frisingensis ante annos 400. floruit, genere et eruditione nobilissimus, quippe qui (teste Radevico lib. 2. de rebus gestis Friderici cap. 11.) quatuor imperatoribus ita conjunctus fuit, ut Henrici IV. nepos, Henrici V. sororius, Conradi regis frater uterinus, et Friderici primi patruus esset, atque historiam ab orbe condito libris octo satis feliciter comprehendit; is igitur lib. 5. cap. 31. hoc modo scribit: Anno ab incarnatione Domini 801. ab urbe condita 1552. Caro-

lus rex, regni sui anno 33. a summo pontifice, ablato patricii nomine, coronatus, omni populo tunc acclamante, Carolo Augusto, a Deo coronato, Magno et pacifico imperatori vita et victoria, anno 69. ab Augusto imperator et augustus vocatur. Ex hinc regnum Romanorum, quod a Constantino usque ad id tempus in urbe regia, scilicet Constantinopoli fuit ad Francos derivatum est. In his Othonis verbis tria video summo pontifici tribui, ablationem minoris dignitatis, quae patriciatus dicebatur, coronationem et appellationem imperatoris et augusti: Romano populo solam acclamationem. Idem quoque Otho lib. 7. cap. 11. non veretur Henricum IV. avum suum, non verum imperatorem Romanorum appellare, quod imperium a schismatico papa suscepisset. Principes, inquit, seditionem vulgi timentes, ei (Henrico IV,) apud Inglinheim occurrunt, ibique multis modis commonitum, vel juxta alios, circumventum ac coactum, insignia regni resignare, ac filio mittere 43. regni sui post mortem patris, imperii 5. anno (ad quod tamen potenter magis, quam juste a Guiberto capta urbe sublimatus fuerat) persuadent. Observa hoc loco, lector, Henricum IV. non fuisse Othoni Frisingensi imperatorem,sed regem dumtaxat, donec a papa Guiberto, qui et Clemens dictus est, ad imperium sublimaretur,et rursum ad imperium potenter, non juste sublimatum, quod Guibertus eum imperatorem fecerit, qui in schismate contra Gregorium VII. verum pontificem, sederit. Tam enim non potuit Guibertus verum imperatorem facere, quam ipse verus papa non fuit. Quid autem est aliud, quaeso te, a pontifice aliquem ad imperium sublimari, quam imperatorem a pontifice fieri? Et cur ab antipapa sublimatus, imperator non legitime factus censetur, nisi quia solius veri ac legitimi summi pontificis est, imperii dignitatem nomenque conferre?

XVI. Godefridus Viterbiensis, qui Othone paulo posterior fuit, in suo chronico universali, quod Pantheon appellavit, iisdem fere verbis, quibus Otho Frisingensis, exordium imperii Francorum describit. Anno, inquit, ab incarnatione Domini 801. Carolus Magnus regni sui anno 33. a Leone III. summo pontifice coronatur, omni populo romano tunc acclamante, et laudes imperiales canente.

XVII. Conradus abbas urspergensis, Godefridi ferme aequali, in chronico suo, in quo res germanicas diligentissime persequutus est:Anno, inquit, 796. Leo papa XCVI. ordinatur. Sedit annis 20. Hic Carolum fecit imperatorem. Et infra anno, inquit, dominicae incarnationis 801. urbe vero condita 1552. Carolus Magnus rex Francorum, Pipini regis filius, septuagesimo tertio loco ab Augusto Romanorum imperator consecratus est anno regni sui 33. Sic imperavit annis 14. Cum enim pro calumnia Leoni papae ingesta Romam veniret, et natale Domini ibi celebraret, in ipsa die sacratissima ad missarum solemnia veniens, dum ante confessionem b. Petri apostoli ab oratione surgeret, nihil minus speranti Leo papa coronam imposuit, et imperatorem romanum pronunciavit. Haec ille; qui sicut hoc loco translationem imperii, et Caroli creationem soli pontifici tribuit, ita quoque in reliquo chronico semper sibi similis, de aliorum imperatorum creatione loquitur. Quarum duas exempli gratia hic subjiciemus: Anno, inquit, 875. Carolus (Calvus) Romam tendens, a Joanne papa efficitur imperator. Et infra: Anno 962, Otho rogatu Joannis papae, et querimonia multorum de Berengario, et filio proclamantium Romam tendit, ibique imperator ab eodem papa factus, Berengarium capit.

XVIII. Lupoldus Bambergensis in proëmio libri de juribus imperii, De sacri, inquit, regni et imperii Romanorum viribus a tempore, et post tempus translationis ipsius imperii de Graecis imperatoribus in personam Caroli Magni ad reges Francorum, et ad Germanos, per sacrosanctam romanam Ecclesiam factae, secundum mei modicitatem ingenii tractaturus etc. Et infra in primo capite: Deum inquit, in sacratissima die natalis Domini, sub anno ejusdem Domini 801. in Ecclesia sancti Petri ab oratione surgeret, Leo papa coronam capiti ejus imposuit; et a cuncto populo acclamatum est, Carolo Augusto etc.

XIX. Matthaeus Palmerius in chronico anni 801. Carolus, inquit, a Leone pontifice Augustus est appellatus, et obliteratum jam pene in Italia romanum imperium resumpsit, primusque post Augustulum apud Romanos imperavit annis 14.

XX. Blondus Flavius decadis 2. lib. 1. Leo, inquit, pontifex, populi romani scito, precibusque Carolum imperatorem Romanorum declaratum diademate, vetusto imperatorum capitis gestamine, coronavit.

XXI. Aeneas Sylvius in Abbreviatione Blondi, et

XXII. Baptista Platina in vita Leonis papae III. iisdem omnino verbis rem eandem declarant. Atque hic primum invenimus scitum populi romani nominatum in creatione Caroli imperatoris. Sed nihil caussae nostrae officit:tum quod merito his duobus auctoribus, qui ante annos centum floruerunt, anteponere possimus vetustissimos et plurimos scriptores, qui nihil ejusmodi tradiderunt: tum etiam quod scitum populi romani, cujus hic mentio sit, non ad Carolum imperatorem creandum, sed ad ejus creationem a summo pontifice impetrandam pertineat; id enim significat adjuncta illa vox, *precibusque*. Quorsum enim preces ad romanum antistitem, ut is Carolum imperatorem diceret, si populi scito, idest, populi auctoritate imperator creari poterat? Si quid ergo tum populus romanus decrevit, id certe solum decrevit, ut a romano pontifice peteretur, ut ipse, qui solus id facere posset, imperium a Graecis ad Francos transferret.

XXIII. Joannes Trithemius in cathalogo scriptorum, Leo, inquit, papa III. natione romanus, post Adrianum pontificem sedit annis 20. vir in scripturis tam divinis quam saecularibus valde eruditus, morum quoque et vitae sanctimonia clarissimus, Carolum cognomento, et opere Magnum, ad imperium Romanorum unxit, et hanc dignitatem a Graecis in Francos transtulit.

XXIV. Antoninus in histor. part. 2. tit. 14. cap.

4. Carolus Magnus, inquit, primus Francorum romanum imperium accepit, conserente sibi illud seu confirmante Leone papa. In quibus verbis illud *seu confirmante* ea de caussa additum videtur, quia magnam partem provinciarum imperii occidentalis jam Carolus tenebat titulo regis Francorum et Longobardorum: voluit enim pontifex, non solum novo imperatori jus dare ad ea quae nondum acquisierat, sed etiam confirmare quod acquisierat.

XXV. Joannes Nauclerus in chronologia sua, generatione 27. Eo die (natali Domini) imperium romanum a Graecis in persona Caroli Magni translatum est in Germanos. Et infra: Sic monarchia mundi, quae stetit apud Graecos quingentos ferme annos, residet apud Germanos, non sine felici auspicio Ecclesiae romanae.

XXVI. Robertus Gaguinus lib. 4. Compendii de rebus gestis Francorum, Carolus, inquit pontificem restituit; restitutori suo gratificaturus Leo III, sacerdotum habito conc. 8. kal. januarii, cum Francorum regnum tres et triginta annos administrasset, Augustum appellat, gratum nomen Romanis.

XXVII. Philippus Bergomensis lib. 11. Supplementi: Pontifex, inquit, infamia liber, Carolo aliquam relaturus gratiam, cum videret imperatores constantinopolitanos aegre id nomen tueri; idibus decembris anno salutis nostrae 800. in basilica b. Petri post sacra solemnia. populi romani precibus rogatus, Carolum romanum imperatorem declaratum diademate decoravit, acclamante ter populo; Carolo Augusto, a Deo coronato, magno et pacifico imperatori vita et victoria. In quibus verbis illud solum est observandum, retulisse Philippum Caroli coronationem ad annum Domini 800. non ad 801. ut superiores omnes historici; quod annum veteres inchoarent a natali Domini; hic vero auctor more nostro a kalendis januarii. Itaque nulla inter eos dissensio de anno est; cur autem Philippus idibus decembris, contra veterum omnium sententiam, scripserit Caroli coronationem esse factam, non certo scio: neque res tanta est, ut in ea diligentius investiganda desudandum sit.

XXVIII. Joannes Cuspinianus, quem Illyricus maximi facere solet, in vita Caroli Magni: Cum magno, inquit, illo natalis Salvatoris nostri die templum oraturus, Carolus, ingrederetur, nihil minus speranti Leo pontifex coronam capiti suo imposuit, imperatoremque romanum pronunciavit; cui ab universo populo acclamatum est, Carolo piissimo Augusto, a Deo coronato etc. Item in vita Caroli Calvi: Interim, inquit. Carolus Italiam ingreditur, quem Joannes VIII. summus pontifex benignissime accepit diademate imperiali, ac augusti nomine adornat: acceptis tamen ab eo multis magnisque muneribus.

XXIX. Jacobus Wymfelingius in epitome rerum germanicarum cap. 9. Pontifex, inquit, Carolo aliquam gratiam relaturus, cum videret imperatores constantinopolitanos aegre id nomen tueri, ac ob eam rem urbem et Italiam ipsam magnas calamitates passam, in basilica Petri post solemnia sacra, populi romani scito et praecibus ipsum Carolum magna voce imperatorem decernit, ac diademate donat.

XXX. Polydorus Virgilius lib. 4. de inventoribus rerum cap. 7. alias 10. Quas ob res, inquit. Leo III. ipsum Carolum Magnum fecit imperatorem.

XXXI. Raphaël Volaterranus lib. 3. geographiae Leonem III. inquit, pontificem a Romanis expulsum, ac ejus auxilium implorantem per legatos confestim, deinde per se tertio veniens in Italiam, compressa seditione, ac inimicis expulsis (Carolus Magnus) restituit. Pro quibus meritis ab ipso primum imperator consalutatus, nomen quod annos fere 330. cessaverat, occidenti restituit.

XXXII. Donatus Acciajolus in vita Caroli Magni; Primo adventu, inquit, omni motu sedato, noxiis supplicio affectis, pontificem romanum cum ingenti gloria in urbem (Carolus) restituit: a quo mox pro suis egregiis meritis, et singulari erga libertatem omnium Christianorum, fide, augustus appellatus, imperatorium nomen, dignitatemque suscepit: non solum assentiente, sed etiam applaudente populo romano.

XXXIII. Albertus Krantzius, auctor et germanus, et diligens, et Illyrico praeter caeteros familiaris, tandem aliquando coronam hanc insignium virorum ac testium, claudat. Is igitur lib. 2. Saxoniae, cap. 18. Tum vero, inquit, in die natalis Salvatoris, primo post 800. inchoante anno, cum nihil tale Carolus aut cogitaret aut speraret, magisque recusaret alienum invadere imperatoris honorem, infra missarum solemnia, dum ante confessionem b. Petri apostoli ab oratione surgeret, papa ei coronam imposuit, et imperatorem romanum pronunciavit. Idem lib. 1. metropolis cap. 14. Olim, inquit, imperatores non passi vivere pontifices, ad supplicia devocabant, et Graeculi postquam apud eos exstincta stirpe Constantini, et deinde magni Theodosii, non habuere pontificem, nisi quem ipsi confirmassent; mutatae sunt vices: ut non habeatur imperator, nisi quem romanus pontifex confirmarit et consecrarit. Domini est terra et plenitudo ejus. Ipse transfert regna et imperia, dignissimeque ad suum in terris vicarium hoc sacrum ministerium delegavit.

Habemus igitur ex continuata serie, historicorum, translationem imperii romani a Graecis ad Francos, eamque romano pontifice auctore factam, non fictam, nec fabulosam, ut Illyricus mentiebatur, sed certam, atque exploratam esse, ut jam in dubium revocari, nisi ab Illyrico, homine impudentissimo, vel etiam parum sane, non possit.

CAPUT V.

Proferuntur testimonia et confessiones principum de translatione imperii a Graecis ad Germanos per romanum pontificem facta.

Etsi ad eam rem, quam probandam suscepimus, tot clarissimorum historicorum testimonia in medium allata sufficerent; statui tamen ipsorum etiam imperatorum tum latinorum, tum graecorum, nec non quorundam aliorum principum confessionem,

et sententiam addere; ut (si fieri possit) erubescat adversarius id negare, quod ipsi principes, quorum maxime interest, ultro gratissime confitentur.

I. Principio Carolus Magnus, qui primus imperium a rom. pontifice delatum suscepit, primus quoque id ab eo se accepisse testatus est. Siquidem cum testamento imperium filiis divisisset, rem totam a Leone pontifice confirmari voluit, ut non sine consensu ejus, a quo illud acceperat imperium aliis tradere videretur. Aimoinus lib. 4. de rebus gestis Francorum cap. 94. Testamentum, inquit, Caroli Leoni, papae missum est, ut approbaretur; quod et factum est. Ado viennensis in chronico 6. aetate: Imperator, inquit, inter filios suos regna dividit; ut sciret quisque, si superstes esset, quam partem tueri et regere debuisset. Testamentum inde factum, et jurejurando ab optimatibus Francorum confirmatum, et Leoni papae missum, ut sua manu subscriberet. Denique annales Francorum vetustissimi sic habent; Haec omnia literis mandata sunt, et Leoni papae, ut ipse sua manu subscriberet, per Eginarthum missa. Quibus pontifex lectis, et assensum praebuit, et propria manu subscripsit.

II. Lotharius Ludovici filius, Caroli nepos, ut Ado scribit in chronico, Ludovicum filium suum per se regem Italiae fecit; sed cum imperatorem quoque illum fieri vellet, Romam ad pontificem misit per Drogonem patruum suum. Atque eo modo Ludovicus junior a Sergio papa imperator creatus est. Vides igitur Lotharii primi confessione, regem ab imperatore fieri posse; imperatorem non item, nisi summi pontificis confirmatio et consecratio accedat. Neque verum est quod quidam objiciunt, a Carolo Magno Ludovicum filium imperatorem et Augustum appellatum ante pontificis confirmationem, nam (ut paulo ante diximus) testamentum quo Carolus imperium filiis relinquebat, a Leone papa, ipso Carolo petente, confirmatum est. Constat autem ex historicis, Ludovicum non ante confirmatum illud testamentum, sed aliquando post a patre appellatum Augustum. Nam Annales Francorum ponunt testamenti confirmationem anno 806. Ludovici autem assumptionem ad imperium anno 813. Itaque Ludovicum imperatorem Leo III. confirmavit, ac postea Stephanus IV. coronavit.

III. Carolus Calvus, Ludovici junioris in imperio successor, insigne testimonium nobis praebet. Nam cum esset ei cum Ludovico fratre, Germaniae rege, de imperio adipiscendo contentio, mira celeritate Romam accurrit, et multis magnisque muneribus aditum sibi ad pontificis gratiam, ac per eam ad imperium patefecit. Sed verba historicorum audiamus. Joannes Cuspinianus in vita Caroli Calvi: Ipse (Carolus) omni mora abjecta, summa cum festinatione Alpibus superatis, in Longobardiam contendit, ut hinc recta Romam proficiscatur pro corona imperiali, in Franciam Caesarum nomen allaturus. Ludovicus Germaniae rex filium mittit Carolum, ut iter prohibeat: et cum is cederet, indignatus pater alium quoque filium cum exercitu mittit, qui Carolum avertat: sed cum copiis praestaret, et potentiam ferre non posset; reversus ad patrem, missus in Franciam cum exercitu diris incursionibus eam vexat. Interim Carolus Italiam ingreditur, quem Joannes VIII. summus pontifex benignissime accepit, diademate imperiali, ac Augusti nomine adornat: acceptis tamen ab eo multis magnisque muneribus. Item Rhegino lib. 2. chronici de re eadem sic loquitur: Anno 877. Carolus (Calvus) Romam secundo profectus est, ubi jam pridem imperatoris nomen a praesule sedis apostolicae Joanne ingenti pretio emerat. Rursum Marianus Scotus lib. 3. chronici: Carolus, inquit, Romam perveniens, datis Joanni papae magnis muneribus, imperator factus est. Hic ego libenter quaererem ab Illyrico: Si nihil imperatori, quod ad imperium attinet, aut solam caeremoniam coronationis papa dare solet, quorsum Ludovicus rex Germaniae, tanto studio fratrem Carolum Calvum ab itinere romano avertere conabatur? Quorsum Carolus ipse tanto labore ac dispendio Romam ad pontificem venit? Quorsum tam diligenter pretiosis etiam muneribus, pontificis animum sibi conciliavit? Cur maluit potius cum fratris exercitu in certamen descendere ac pati, ut regnum suum a fratris exercitu vastaretur, quam imperii coronam de manu pontificis non accipere?

IV. Albertus imperator (ut auctor est in chronico suo Albertus Argentinensis, qui illo ipso tempore vixit) a Bonifacio papa VIII. vehementer contendit, ut imperium sibi, et haeredibus confirmaret. Id quod minime impetravit. Voluit enim summus pontifex imperatorem romanum eligi, non nasci. Sed ex illa Alberti contentione quis non videt, quae fuerit ejus sententia de potestate summi pontificis in evehendis hominibus ad imperium?

V. Henricus VII. Alberto successit electus ex comite Lucemburgensi. De eo sic loquitur Conradus Vercerius in libro de rebus gestis Henrici VII. Lucemburgius, inquit, mittit in oram Narbonensem, qui a Clemente papa V. postulent, ut ratam sibi facere subrogationem pro more dignaretur.

VI. Ludovicus IV. qui post Henricum VII. imperavit, tametsi cum romano pontifice perpetuas inimicias gesserit, quod ab eo non modo non confirmatus, sed etiam excommunicatus, et dejectus de sede imperatoria fuisset, tamen numquam destitit occasiones quaerere, quibus in gratiam pontificis rediret, et ab eo restitutionem in imperium impetraret. Scribit enim Albertus Argentinensis in chronico, eundem Ludovicum defuncto Joanne papa XXII. misisse ad Benedictum XII. qui Joanni successerat, legatos, qui demississimis precibus peterent absolutionem et restitutionem.

VII. Carolus IV. inquit, Theodoricus de Nihem in Nemore, tractatu 6. cap. 33. procuravit talem qualem electionem dicti Venceslai regis per Urbanum VI. orto jam schismate, ac in ejus principio fecit approbari. Et per hoc acquisivit idem Urbanus, quod dictus Carolus imperator adharebat eidem.

VIII. Fridericus I. cum in Italiam ad pontificem Adrianum IV. venisset, ita coronam per oratorem suum a pontifice petiit, ut apertissime testaretur, agnoscere se summam imperii dignitatem, et (ut

ipse loquitur) pleniludinem, nisi a summo pontifice haberi non posse. Sic enim ea de re scribit Albertus Krantzius lib. 6. Saxoniae cap. 16. *Pontifex dignatione sua flectere contenderat Germanorum formidatam insolentiam, et venit in castra regis cum solemni, pontificeque summo digno comitatu. Rex concitus occurrit venienti, et ab jumento descendenti strepam fertur tenuisse sellae, acceptumque reverenter per manum in sua tentoria perduxisse. Bambergensis episcopus verbum regis proloquutus, ait: Honorabilem tuae sanctitatis praesentiam, apostolice pontifex, sicut dudum desideranter optavimus, ita nunc laetanter suscipimus, gratias agentes largitori bonorum Deo, qui nos deduxit in hunc locum, et sacratissima visitatione tua nos dignos fecit. Notum ergo tibi esse volumus, reverende pater, quia omnis Ecclesia, de finibus orbis ad honorem regni collecta, adduxit principem suum ad tuam beatitudinem, provehendum per te ad culmen imperii. Hoc meretur nobilitas, prudentia, fortitudo, Dei timor, et catholicae pacis amor in corde illius regnans, et sanctae romanae Ecclesiae cultus non vulgaris. Ecce te venientem excepit venerabundus, tuis sanctissimis vestigiis humiliter provolutus. Ergo, venerande pater, tu circa ipsum peragas, ut quae ei desunt de planitudine imperialis culminis, per tuae beatitudinis munificentiam suppleantur.* Et infra: cap. 17. *Consedentibus iterum,* inquit, *papa verbum fecit: Solebant,* inquit, *qui ad coronam petendam venerant priscae aetatis principes, insigni aliquo facto romanae Ecclesiae benevelentiam promereri, ut suo velut officio praevenientes benedictionem, jam debitam coronam omnibus praeclaro facinore testarentur. Sic Carolus dum domuit Longobardos; Otho dum compescuit Berengarios; novissimus Lotharius dum Normannos reprimeret, coronam imperii meruere. Quocirca serenissimus rex Apuliam, rom. Ecclesiae peculiarem provinciam, jam a Normannis occupatam, nobis Ecclesiaeque restituat: deinde, quae nostra sunt, facile exequemur. Principes respondent, ab longo itinere, et multiplici per viam labore attenuatas esse vires exercitus, nec posse regem illis copiis magnam invadere provinciam. Impleat in rege benedictionem pontifex, non se certasse priorem officio poenitebit: restitutos in sua principes cumulatioribus armis cum suo rege redituros, facturosque, quae in rem Ecclesiae videbuntur. Cessit papa contentioni, facturum spondens quae peterentur.*

Haec tam prolixe recitare volui, ut omnes intelligerent, quanti fecerint semper reges Germaniae pontificiam coronationem. Nam si nihil ea coronatione papa confert, aut inanem solum caeremoniam, eamque debitam electo jam principi exhibet, cur is, qui coronandus est, ad imperialem culmen provehendus dicitur? Nihil ne tribuit, qui ad culmen imperii aliquem provehit? Deinde cur tam humiliter corona a pontifice postulatur? Cur singulari aliquo facinore romanae Ecclesiae benevolentia est ante promerenda? Cur denique petenti pontifici, ut rex Apuliam de potestate Normannorum eriperet, Ecclesiaeque restitueret, si coronam imperii adipisci vellet, nemo principum respondit, iniquam esse conditionem, sed cum afflictum exercitum dicerent, tempus commodius postularunt? Neque vero latini solum imperatores, sed etiam graeci romanum pontificem auctorem occidentalis imperii agnoverunt et professi sunt.

IX. Michaël siquidem imperator constantinopolitanus cum accepisset Carolum Magnum a Leone pontifice imperatorem occidentis appellatum legatos ad eum misit, qui pacem ac foedus inirent inter utrumque imperatorem. Pacis vero capitula non a solo Caesare, sed etiam a pontifice voluit approbari, tunc enim demum stabilem pacem futuram inter se et Carolum censuit, si is eam probasset, cujus auctoritate Carolus imperabat. Ado viennensis in chronico anni 812. Michaël, inquit, imperator creatur, cujus legati Aquisgranum ad imperatorem Carolum missi laudes more suo dixerunt, imperatorem et basileum illum appellantes, et pacis libello ad imperatore accepto, et denuo a Leone papa Romae, reversi sunt.

Item Rhegino Prumiensis abbas, lib. 2. chronici: Anno, inquit, 812. legati Graecorum de pace libellum acceperunt a Carolo, et deinde a Leone papa.

X. Emanuel Comnenus, qui tum orientale imperium gubernabat, cum occidentali Fridericus I. praeesset, obtulit per legatos non semel, sed bis Alexandro pontifici magnam vim pecuniarum, exercitum non contemnendum, et quod pluris faciendum erat, unionem Ecclesiae graecae cum latina, sub uno summo pastore rom. pontifice, si modo is occidentale imperium, a qua Fridericus I. jure excidisse videbatur, iterum cum orientali conjungi, atque imperatori constantinopolitano restitueretur. Testes sunt Blondus decade 2. lib. 5. Abbreviator Blondi Aeneas Sylvius, ibidem, Platina in Alexandro III. et Joannes Nauclerus in chronico generatione 39. pag. 848.

XI. Philippus rex Francorum vacante sede imperiali ob mortem Alberti imperatoris et romano pontifice Clemente V. per id tempus in Galliis commorante, ratus venisse tempus quo imperium ad Gallos a Germanis transferretur, cum proceribus suis consilium habuit, in quo tandem illud decretum est, ut id a pontifice per solemnes nuncios peteretur. Cui enim, inquit rex, fiat injuria, si vacantis imperii conditio permutetur? Idem fecerunt olim pontifices alii. Verum summus pontifex, cum id quod in consilio regis decretum erat, continuo rescisset, ne aut regem offendere, aut contra voluntatem suam aliquid concedere cogeretur, electoribus imperii scripsit, ut maturarent electionem, et Henricum Lucemburgium comitem, si eis videretur, eligerent, alioqui periculum esse, ne una cum imperio potestatem etiam eligendi deinceps amitterent. Delatis ad Germanos epistolis, reque intellecta, comitiorum solemnia maturantur; eligitur Lucemburgius. Quae omnia accurate scripsit Conradus Vercerius, in lib. de rebus gestis Henrici VII. Colligimus autem ex hac historia, non modo

regem Gallorum cum universo coetu procerum Franciae, sed etiam imperii electores in ea sententia fuisse,ut existimarent a summo pontifice translatum fuisse imperium a Graecis in Germanos, rursum ab eodem pontifice a Germanis in Gallos posse transferri. Nam et rex in publico procerum conventu id affirmavit, et electores festinatu electione Henrici VII. idem apertisstme comprobarunt.

XII. Accedit ad haec clarissimum testimonium eorundem electorum in quodam publico instrumento, quod infra subjiciemus,ac supra citavimus. Hoc enim ejus instrumenti principium est; Complectens ab olim sibi romana mater Ecclesia quadam quasi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit,quod est super omne nomen, temporaliter tantum praesidentium super terram. Haec igitur tot principum ingenua, verissimaque confessio, quamvis nulla alia argumenta suppeterent, an non satis esse ad caussam istam finiendam deberet? Verumtamen addam etiam summorum potificum testimonia, non quod ea magni fieri credam ab adversariis, sed tum propter catholicos, quibus sacrosancta est (ut debet) pontificum auctoritas.tum etiam ut adversarius videat, quae pontifices dicunt, a probatis historiis et principum confessione non dissentire; quam etiam ob caussam hoc genus testimoniorum,quod, si auctoritatem spectes, primum locum merebatur, in tertium distuli.

CAPUT VI.

Idem asseritur testimoniis pontificum.

Primum igitur pontificum testimonium illud esse poterit. quod de Gregorio IV. refert Paulus Aemilius. Sic enim ait lib.3. de rebus gestis Francorum: Lugduni consilium episcoporum, quos Ludovici imperatoris filii contraxerant, habitum, imperiumque patri abrogatum. Quod decretum mox a Gregorio pontifice maximo rescissum est. Eodem pertinet, quod scribit Marianus Scotus lib. 3. chronici: rex, inquit, Ludovicus reginam Aquis obviam ei venientem jubente papa Gregorio accepit. Si quidem filii Ludovici non solum imperium patri abrogaverant, sed etiam uxorem Judithan et ademerant. Sed utrumque jubente Gregorio recipit. Ex quo refellitur ut (obiter hoc annotemus), quod Sigebertus in chronico scribit, Gregorium papam cum filiis Ludovici adversus pacem eorum conspirasse. Nec solum Marianus Scotus, et Paulus Aemilius, sed etiam Rhegino lib. 2. chronic. et Aimoinus lib. 5. de rebus gestis Francorum cap. 14. et 16. aliique Sigeberto antiquiores historici Gregorium papam, Ludovico imperatori favisse testantur. Sed hoc (ut dixi) obiter admonui; illud est proprium hujus loci, a Gregorio papa decretum Francorum esse rescissum, quo illi Ludovico imperium abrogaverant; nec enim id Gregorius ausus fuisset, nisi ab apostolica sede imperium ad Francos delatum, atque ab eadem sede pendere intellexisset.

II. Adrianus II. pontifex maximus cum accepisset imperium Ludovici junioris imperatoris a Carolo Calvo rege armis tentari, continuo ad Carolum legatos, et literas misit plenas auctoritatis: de quibus sic loquitur Aimoinus lib. 5. cap. 24. In epistolis, inquit, papae continebatur, ut regnum quondam Lotharii,quod Ludovico imperatori, spirituali filio ejus, haereditario jure debebatur,et quod ad eum post mortem ejusdem Lotharii rediit, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invaderet. nullus commoveret, nullus ad se conaretur inflectere, quod si quis praesumeret, non solum per suae auctoritatis ministerium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine christianitatis privatus, cum diabolo omnino locaretur. Et infra cap. 27. idem Aimoinus narrat, Carolum quidem his literis acceptis moleste tulisse, quod regnum suum propagare prohiberetur; interim tamen non contempsisse apostolicum mandatum, sed legatos cum magnis muneribus ad summum pontificem destinasse.

III. Adrianus IV. in epistola ad episcopos Germaniae, quam refert Joannes Aventinus lib. 4. annalium Bojorum: Ideo, inquit, imperium a regno Graecorum translatum est in Alemannos, ut rex Teutonicorum non ante quam a pontifice rom. consecraretur, imperator vocaretur, et esset augustus. Pontifex romanus promovit Carolum, fecit ei nomen grande, ut esset imperator.

IV.Alexander III.legatis imperatoris Graecorum, qui occidentale imperium iterum cum orientali conjungi cupiebat, respondit, Platina teste, se nolle id in unum conjungere, quod olim de industria majores sui disjunxissent.

V. Innocentius III. in epistola ad ducem Thuringiae, unde extat caput, *Venerabilem*, extra de electione: Illis, inquit, principibus jus et potestatem eligendi regem in imperatorem postmodum permovendum recognoscimus, ut debemus: ad quos jure, ac antiqua consuetudine noscitur, pertinere, praesertim cum ad eos jus et potestas hujusmodi ab apostolica sede pervenerit, quae romanum imperium in personam magnifici Caroli a Graecis transtulit ad Germanos.

VI. Clemens V. universali concilio approbante decretum edidit de juramento, quod imperatores pontificibus praestant; unde extat Clementina,*Romani principes*, de jurejurando,ejus decreti hoc est initium: romani principes orthodoxae fidei professores, sacrosanctam romanam Ecclesiam, cujus caput est Christus redemptor noster, ac roman. pontificem ejusdem redemptoris vicarium fervore fidei, et clarae devotionis promptitudine venerantes, eidem romano pontifici, a quo approbationem personae ad imperialis celsitudinis apicem assumendae, necnon unctionem, consecrationem et imperii coronationem accipiunt, sua submittere capita, non reputarunt indignum, seque illi, et eidem Ecclesiae, quae a Graecis imperium transtulit in Germanos, et a qua ad certos eorum principes jus et potestas eligendi regem in imperatorem postmodum promovendum, pervenit, adstringere vinculo juramenti, prout tam mos observationis antiquae, temporibus novissimis renovatae, quam

forma juramenti hujusmodi sacris inserta canonibus manifestat.

VII. Pius II. in epistola ad regem Turcorum Mahumethum, quae est inter ejus epist. 396. Hortatur ad fidem Christi amplectendam eundem Mahumethum, eique si id faciat, jus ac titulum orientalis imperii pollicetur. *Nos*, inquit, *te Graecorum et orientis imperatorum appellabimus, et quod modo vi occupas, et cum injuria tenes, possidebis jure*, Et infra: *Et sicut antecessores nostri Stephanus, Adrianus, Leo adversus Hestulphum, et desiderium gentis longobardicae reges. Pipinum et Carolum Magnum accersiverunt, et liberati de manu tyrannica imperium a Graecis ad ipsos liberatores transtulerunt: et nos in Ecclesiae necessitatibus tuo patrocinio uteremur, et vicem redderemus accepti beneficii.* Cum igitur in gratiam Caesarum et in odium pontificum controversia haec ab Illyrico in medium sit allata, si inter se ipsi consentiunt; ut revera eos consentire, utrorumque testimoniis demonstravimus; quid nos amplius disceptare necesse est? Sed accedamus tamen ad rationem, et titulos omnes excutiamus, quibus adversarii fingunt, imperium romanum ad Carolum pervenisse.

CAPUT VII.

Imperium Germanorum non esse acquisitum jure belli.

Sex omnino tituli sunt, quibus homines regna, atque imperia possidere solent, jus belli, beneficium divinum, successio haereditaria, electio populi, donum principis, summi totius Ecclesiae praesulis decretum. Aut enim aliquis per se imperium occupat, aut accipit illud ab alio. Si per se occupat, jure belli dicitur possidere, qui est primus titulus; quo titulo Cyrus, Alexander, Julius, aliique nonnulli summa imperia tenuerunt. Si accipit ab alio; aut a Deo singulari vocatione, aut ab hominibus: si a Deo, jam est secundus titulus, isque omnium justissimus, quo titulo, Moyses, Aaron, Saul, David, Petrus principatum vel ecclesiasticum, vel politicum adepti sunt. Si vero ab hominibus; aut naturali successione, aut electione voluntaria: si naturali successione, jure haereditario regnare dicitur, qui est titulus tertius, quo Salomon David, Tiberius Augusto, Ludovicus Carolo, atque alii aliis successerunt: si electione voluntaria; aut multitudo eligit, aut princeps: si multitudo, inde est quartus titulus, quo Claudius, Galba, Vespasianus, ac caeteri deinceps romani imperatores ut plurimum electi sunt: Si a solo principe; aut is politicus est aut ecclesiasticus: si politicus, oritur quintus titulus, quo titulo imperarunt Lucius Verus a Marco Antonino, Maximianus a Diocletiano, Valens a Valentiniano, Theodosius a Gratiano, et si qui sunt alii principes a precedentibus principibus ad imperium vocati. Si denique a principe ecclesiastico imperator dicatur, existet titulus sextus, quo nos asserimus, Carolum Magnum, et qui eum sequuti sunt, Germanos imperatores jus imperii esse adeptos.

Quae cum ita sint, si primos quinque titulos in imperio Germanorum locum non habere demonstraverimus, efficiemus profecto, Carolum Magnum aut a pontifice maximo imperium habuisse, aut omnino non habuisse. Quomodo enim habuit quod nec ipse armis occupavit, nec successione haereditaria, nec divina aut humana electione suscepit? Quod si Carolus Magnus imperator non fuit, certe nec caeteri Francorum, Germanorumve reges imperatores fuerunt; nec Rodulphus, qui nunc est in imperio, jure imperator dici potest. Viderit igitur Illyricus, ne, dum imperatoribus adulatur, eosque multis falsis titulis onerat, eosdem vero jure imperandi privet, ac de solio Caesarum deturbet imprudens.

Ordiamur a primo titulo, quem Illyricus praeter caeteros asserit, ac pro viribus propugnat. Obtinuit Carolus Magnus paterna haereditate regnum Francorum, expugnavit deinde Longobardos, atque ex ea victoria rex etiam Longobardorum appellari coepit. At cum Romanis numquam pugnavit, romanam urbem vi numquam intravit, semper socius et amicus, deinde etiam patricius Romanorum, hostis et inimicus numquam fuit. Id quod historici omnes clamant, ac praesertim Albertus Krantzius lib. 2. Saxoniae, et Eginarthus in vita Caroli. Nec poterit Illyricus unam syllabam contra producere. Qua ratione igitur jure belli Romanos subjectos habuit, qui cum Romanis bellum numquam habuit?

At, inquies, regnum Longobardorum in Italia, quod Carolus armis adeptus est, aliquando romana provincia fuit. Sed si omnes qui romanas provincias occuparunt, imperatores romani dicendi essent, nimium multos imperatores haberemus. Nam (ut caetera nunc omittam) Gallia, Hispania, Anglia, quae nunc a regibus tenentur, romanae provinciae aliquando fuerunt; num igitur recte facerent reges Gallorum, Hispanorum atque Anglorum si se romanos caesares appellarent? Non opinor hoc dicturum Illyricum, aut eorum aliquem, qui decus imperii in sola Germania conservari cupiunt. Quare neque Carolus eo solum nomine romanus imperator dici potuit, quod Longobardis regnum Italiae eripuerit, quod antea Romanorum provincia fuerat.

Deinde si Carolus jure belli romanum imperium sibi paravit, quo tempore id fecit? Ante coronationem a Leone papa acceptam, an postea? Si antea, cur igitur usque ad eam diem, neque ipse se in suis diplomatibus, quorum nonnulla apud Joannem Aventinum exstant, imperatorem romanorum vocat, neque ab ullo historicorum hoc nomine appellatur? Si postea, cur igitur ab eo die, cum imperium nondum haberet, imperator, et Augustus cum in propriis literis, tum in omnibus historiis incipit appellari? Sed fortasse neque antea neque postea; sed illo ipso tempore quo armis imperium occupavit; coronam etiam et consecrationem accepit. Id vero dici non potest: nam ex Adone, aliisque historicis supra notatis constat, Carolum quo anno a pontifice coronatus est, Romam venisse,

non ut hostem ad expugnandam urbem, sed ut patritium; tum orationis gratia, ut inquit Ado, tum etiam, ut exitus probavit, ad caussam cognoscendam, quae inter pontificem, et seditiosos quosdam cives fuerat exorta.

Ac ne forte hic adversarius audito nomine judicii, a rege pontificem judicandum esse clamet, placet ex lib. 3. Pauli Aemilii adscribere, qualis ejus judicii forma fuerit. *Cogniturus*, inquit Aemilius, *de Leone venerat rex. Cum vero ad rogandas sententias descendit, tunc episcopi magis sacrosanctae potestatis, quam regis majestatis memores, consentienti ore reclamavere, summum optimumque regem esse Carolum. Sed cuinam tandem de pontifice maximo judicium facere fas esse? susciperet Leo in gremium caussam suam: quique in caeteros clavium jus haberet, de se quoque ipse incorrupte judicaret, solo numine vel teste conscientiae, vel vindice. Ita Leo (haud aegre ferente Franco demptum sibi grave onus de pontifice maximo judicandi) suggestum conscendit, crimen jurejurando diluit.* Haec Aemilius. Consentiunt Platina in vita Leonis III. Jacobus Vimphelingius in epitome rerum germanicarum cap. 9. et alii. Sed haec praeter caussam dicta sunt, ut lapidem in via occurrentem removemus.

Quod autem ad rem praesentem pertinet, ex historicis omnibus aperte colligitur, Carolum non illo ipso anno, quo coronatus est, imperium armis occupasse. Nam praeter ea, quae dicta sunt, scribit abbas Rhegino lib. 2. chronici, Carolum ex Ravenna misso filio Pipino cum exercitu Beneventum, sine milite Romam venisse, atque a pontifice, clero, senatu, populo, amice magnificeque susceptum. Quamquam neque in hoc anxie laborandum erat. Si quidem adversarius in hoc ipso libro de translatione imperii, quem refutandum suscepimus, pluribus locis quod volumus confitetur: sic enim ait pag. 7. *Carolus jure, ac vi belli occupavit occidentale imperium, antequam Leo eum coronaret*; et pag. 15. *Constat*, inquit, *Carolum amplius viginti annis ante illam leoninam (pene dixissem vulpinam) papae coronationem, totum occidentale imperium occupasse et tenuisse.* Redit igitur argumentum nostrum: si amplius viginti annis ante illam, quam tu vocas leoninam, coronationem occupaverat Carolus totum occidentale imperium, atque ea de caussa imperator Romanorum erat; cur amplius viginti annis imperatorio nomine abstinuit? Cur omnes historici a coronatione Caroli primum annum ejus imperii numerant? Cur annos solum 14. quot videlicet a coronatione ad obitum ejus fluxerunt, Carolo imperatori tribuunt? Cur usque ad eam diem in oriente imperium fuisse, ac tum demum in occidentem translatum esse dicunt? Haec enim omnia falsa sint necesse est, si (ut Illyricus dicit) viginti annis ante leoninam coronationem Carolus Magnus imperator fuerat.

Audi abbatem urspergensem, a quo non dissentiunt caeteri scriptores: *Anno*, inquit, *dominicae incarnationis* 801. *ab urbe vero condita* 1552. *Carolus Magnus, rex Francorum, Pipini regis filius*, 14. *ab Augusto Romanorum imperator consecratus est, anno regni sui* 33. *Sic imperavit annis* 14. Et infra: *Hic est annus regni ejus* 33. *imperii vero primus.* Et ibidem paulo ante: *Hucusque romanum imperium a temporibus apud Constantinopolim Constantini Magni Helenae filii in Graecorum imperatoribus mansit: ex hoc jam ad reges Francorum, et ad imperatores per Carolum transit.* Sed habet fortasse Illyricus firmissima praesidia, quibus sententiam suam tueatur. Immo vero tam sunt inepta et ridicula argumenta, quae profert, ut me illa propemodum pudeat commemorare.

I. Primum igitur in epistola dedicatoria argumentum ducit ex historia Lucii Flori, qui in eo praelio, quo Pompejus a Caesare victus est, et romana monarchia quodammodo constituta, initium victoriae Caesaris factum esse scribit a quibusdam Germanorum cohortibus, quae in exercitu Caesaris militabant. *Possis*, inquit Illyricus, *verissime dicere, non tantum tempore Caroli Magni Germanorum sanguine, ac virtute imperium acquisitum, sed etiam mox ab initio constitutum: nam nemo dubitat, a Julio Caesare, idque potissimum pharsalico praelio contra Pompejum, imperium romanum partum, constitutumque esse. At ibi sex illae (teste Lucio Floro) Germanorum cohortes in subsidiis collocatae, quae subito, et quasi uno impetu tum numerosissimum equitatum Pompeji in montes fugarunt, tum ingentem sagittariorum, ac levis armaturae ejusdem numerum conciderunt, et denique etiam legiones ipsas Pompeji validissimas in fugam converterunt, principium ut caput totius ejus victoriae, ut omnes historici testantur, fuerunt.*

Quis hoc Illyrici argumentum non rideat. Nam in primis omnino credibile est, eas cohortes (tres autem fuerunt, ut Caesar significat lib. 3. de bello civili, non sex, ut Illyricus ex Floro falso citat) quae initium victoriae dederunt, non Germanorum militum fuisse; et vel corruptum esse Flori codicem, vitio librariorum, vel Florum ipsum errore esse deceptum. Nam Appianus Alexandrinus, lib. 2. de bello civili, et Dion Cassius lib. 41. historiarum, enumerant diligenter eas gentes, quae in exercitu Caesaris erant, ac Germanorum nullam omnino mentionem faciunt, sed solum Italorum, Gallorum, Hispanorum, atque Graecorum. Deinde Appianus loco notato scribit Caesarem maximam spem victoriae in italicis militibus posuisse. Ipse autem Caesar lib. 3. de bello civili, disertis verbis testatur, posuisse se spem victoriae in illis tribus cohortibus, quas in subsidium collocaverat, et a quibus, ut ipse praeviderat, atque monuerat, initium victoriae factum est. Ex collatione igitur Appiani et Caesaris, eas cohortes, quae victoriam Caesari attulerunt, Italicorum, non Germanorum fuisse manifeste colligitur. Ad haec Caesar lib. 7. de bello gallico indicat se interdum usum esse in bello adversus Gallos opera Germanorum, sed equitum dumtaxat, aut peditum levis armaturae, qui inter equos pugnare soliti essent. At cohortes illae, de quibus nunc loquimur

non equitum, nec peditum levis armaturae, sed instructissimarum legionum cohortes erant, ut idem Caesar in tertio libro de bello civili demonstrat. Denique cum praelium illud pharsalicum celeberrimum fuerit, et ab ipso Caesare, ab abbreviatore Livii, a Plutarcho, Appiano, Paterculo, Lucano, Tranquillo, Dione, Eutropio, Orosio, totque aliis illustribus scriptoribus memoriae proditum sit, quomodo factum est, quaeso, ut nulli eorum in mentem venerint germanicae istae cohortes, quae sua virtute tantam victoriam pepererunt?

Verum quid opus est de hac re amplius litigare? Etiamsi verum esset quod Florus dicit, quid tandem Illyricus lucraretur? num propterea Germani romanum imperium sibi jure vendicare possunt, quia in exercitu Julii tres Germanorum cohortes acerrime pugnaverunt? Quid enim aliud eis praeter stipendium pro opere, gratia pro fide, laus pro virtute debebatur? Quae omnia cum a liberalissimo imperatore sine dubitatione cumulatissime fuerint persoluta, quid quaerunt amplius? Denique si praeter stipendium, imperium ipsum romanum Germani milites illo die sibi pararunt, cur illud a Julio, vel Augusto, vel caeteris principibus non repetebant? Cur annis amplius octingentis de re tanta siluerunt? Cur omnes scriptores, ut supra docuimus, primordia germanici imperii a Carolo Magno deducunt? Sed nolo diutius in his nugis tempus terere; praesertim cum his nugis aliae negae successurae sunt, quae me, velim nolim, non parvo tempore detinebunt.

II. Igitur 2. Illyrici argumentum ducitur ab ea victoria, quam Germani duce Arminio de tribus Romanorum legionibus retulerunt. Quod argumentum his verbis Illyricus proponit in eadem epistola dedicatoria: *Huc*, inquit, *referre possis, quod et mox post Julium, sub Augusto, Germani duas aquilas Romanis justissimo bello abstulerunt. Sicut inter alios historicos idem Lucius Florus inquit: Duas aquilas Germani, caeso exercitu, Romanis abstulerunt, et adhuc retinent. Quibus jure belli, virtuteque partis insignibus, etiamnum Germanorum imperium in protestationem, defensionemque juris sui, contra omnes adversarios constanter utitur, cum ante Romani simplicibus aquilis in suis insignibus uterentur.* Et infra: *Quandocumque ergo volet romanus sacrificus, aliique imperii aemuli cognoscere Germanorum monarchiae originem, ac jus; intueantur modo, ac contemplentur ejus gloriosa insignia, bicipitem aquilam ostentantia, et mox ea illos de origine, jureque suo abunde edocebunt, ac vel invitos convincent.* Haec ille. Enumeremus nos modo hujus argumenti peccata. Primum superiori argumento repugnat. Nam si pharsalica victoria imperium Germanis peperit, ut superiore argumento concludere conabatur Illyricus, qui fieri potest, ut origo germanici imperii tum coeperit, cum Germani Romanis duas aquilas eripuerunt, quod longo post tempore factum est. Deinde falsum est, justissimo bello, virtuteque Germanorum (ut Illyricus jactat) duas aquilas Romanis ereptas; non enim bellum, sed rebellio illa Germanorum fuit, ut Paulus Orosius scribit lib. 6. sive potius perfidiae scelus, ut eam Vellejus appellat, lib. 2. neque enim in acie collatis signis Germani vicerunt, sed improvisos adorti Romanos conciderunt. Sic enim Florus tradit lib. 4. *Itaque*, inquit, *improvidum, et nihil tale metuentem improviso adorti, cum ille (o securitas!) ad tribunal citaret, undique invadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem quo Cannensem diem Paulus, et fato est et animo sequutus. Nihil illa caede per paludes, perque silvas cruentius, nihil insultatione barbarorum intolerantius, praecipue tamen in caussarum patronos: aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus: Tandem, inquit, vipera sibilare desiste. Ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat effossum, signa, et aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer, prius quam in manus hostium veniret, evulsit, mersamque intra balthei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit.* Haec Florus, cujus verbis non legitimum praelium, sed excitatam repente seditionem et furorem barbaricum descriptum videmus. Adhaec figmentum est Illyrici, quod romani imperatores bicipitem aquilam in insignibus ferant ob duas illas aquilas ab Arminio quondam Vari legionibus detractas. Non enim duas aquilas in insignibus imperatores gerunt, sed unam divisam in duo capita: cujus rei caussa illa est, quod imperium esset inter duos principes divisum, quorum alter in occidente, alter in oriente, sedem habebat. Quod praeter alios scriptores, ipse etiam Illyricus probat cent. 9. cap. 16. col. 621. Denique non recte colligit Illyricus, Germanos jus adeptos in imperium romanum, quia duas aquilas Romanis eripuerunt; nam si ita liceret colligere, multo justius sibi Carthaginienses, Parthi, Persae, aliaeque gentes romanum imperium vendicarent, quam Germani. Siquidem Hannibal Carthaginiensium imperator, non duas aquilas ex insidiis rapuit, sed ad Ticinum primo, deinde ad Trebiam, tertio ad Trasimenum, quarto ad Cannas, totos consulares exercitus fudit, idque tanta romanae nobilitatis strage, ut ex postrema hac victoria, duos modios annulorum aureorum Carthaginem miserit, cujus rei, ut omittam caeteros, testis est Lucius Florus, lib. 2. Parthi postmodum, Orode rege, eodem Floro teste, lib. 3. cap. 11. cum Crasso roman. imperatore congressi, undecim legionibus Romanorum deletis, signis quoque, et aquilis ereptis, et ipso imperatore occiso, victoriam de Romanis maximam retulerunt. Sapores vero Persarum rex, non exercitum solum Romanorum profligavit, sed etiam romanum principem Valerianum vi cepit, eumque ad extremam usque senectutem, ignominiosissimam servitutem servire coëgit, ut scribit Eutropius lib. 6. Orosius lib. 7. aliique permulti; nec tamen unquam vel Hannibal, vel Orodes, vel Sapores Romanorum se imperatores appellarunt. Verum ne Arminius quidem id nomen sibi usurpare auderet, ni jam tandem post mille quingentos annos eum purpura et diademate vel invitum ornare decrevisset Illyricus.

III. Veniamus ad 3. Illyrici argumentum, quod

ex verbo Dei, admirabili artificio scilicet, contexitur. Regna, atque imperia, inquit, Illyricus pag. 2. 3. 4. et 5. non sacrificorum caeremoniis, sed gladio, ac jure belli Deus transferre solet. Testatur id Deus illa nobili monarchiarum pictura divinitus Danieli monstrata, Daniel 2. et 4. Idem perpetua experientia confirmat. Sic Nembrotus, Ninus, Semiramis, et alii facti sunt robusti venatores coram Deo. Sic jure,ac vi belli,aut gladii,imperium transivit a Babyloniis ad Persas, a Persis ad Macedonas, a Macedonibus ad Romanos, et a Romanis ad Germanos. Hanc rationem transferendi regna ac dominia declarat Deus Hierem.27. et Isaiae 45.Hac igitur divinitus ordinata via, germanica natio longe amplissima et robustissima, occidentale imperium occupavit. Haec ille. Hic ego primum quaero, an Deus plerumque solum, an vero omnino semper regna transferre soleat vi gladii. Si enim plerumque, non autem semper, dixerit, jam argumentum per se concidet. Non enim recte colliges: Plerumque regna transferuntur vi gladii: igitur regni romani translatio a Graecis ad Francos vi gladii facta est, quod enim plerumque fit,potest etiam aliquando non fieri. Sin autem, semper omnino, responderis, falsum assumes. Nam translatio reipubl. Hebraeorum a judicum potestate ad regiam gubernationem,et rursum translatio ejusdem imperii a Saule ad Davidem; ac deinde a Joramo et Jehu, prophetica unctione, non vi gladii facta est; 1. Reg. 9. et 16. et 4. Reg. 9. tametsi enim bellum fuerit Davidi cum Isboset filio Saulis, tamen sine bello regnum obtinuerat super domum Juda. Jehu vero etsi regem Joram, et Jezabel reginam, et stirpem omnem regiam interfecit;id tamen non bellum fuit, sed ultio divina: nec enim ullus restitit Jehu, aut cum eo more belli pugnavit. Viderit igitur Illyricus, an sit falsum et contra Dei verbum, quod ipse confidenter asseruit, Deum non caeremoniis sacrificii, sed jure ac vi belli regna transferre. Deinde translatio maximae partis regni Hebraeorum a Roboam ad Hieroboam sine bello facta est 3. Reg. 12. Translationem ejusdem regni post Babylonicam captivitatem a domo Juda ad domum Levi, hoc est, a ducibus ad sacerdotes certe non bellum, sed populi consensus fecit. Translationem alterius partis romani principatus ab urbe Roma ad constantinopolitanam civitatem, ex qua factum est postea ut Graeci aliquando Romanis imperarent, nonne sine gladio sola Constantini voluntas effecit? Translatio regni Francorum a Merovigis (ut historici loquuntur) ad Carolingos, nonne pontificis auctoritate, et procerum consensu sine armis facta est? Denique, ut alia multa praetream, translatio imperii roman. a Francis ad Saxones, nonne cum incredibili omnium pace et tranquillitate, sine ullius sanguine facta est? Non igitur est verum quod Illyricus ait, perpetuam experientiam testari, regna atque imperia vi gladii solere transferri.

Sed rursus ab Illyrico quaero, utrum Nembrotum, Ninum, Semiramidem, Nabuchodonosor, Cyrum, Alexandrum, Julium, quorum similem videri voluit Carolum Magnum, jure, an injuria, regna occupasse velit? Si enim injuria, responderit: Injuriam faciet Carolo, et qui ei successerunt, Germanis omnibus imperatoribus, cum titulum justissimum,quem nos historicorum omnium testimonio imperatores nostros habere defendimus, ipse illis detrahat, et pro eo latrocinium, tyrannidemque substituat. Sin autem jure, dixerit, quod ejus verba satis aperte indicare videntur, tum sine dubio cum verbo Dei, et ipsa ratione pugnabit. Nam etsi Deus sit, qui ut Scripturae loquuntur, transfert regna atque imperia, quique Nabuchodonosor et Cyro, aliisque monarchis,regna maxima attribuit, non tamen propterea illi juste regna aliena invadebant, et igni ac ferro omnia devastantes, viam sibi ad summam potentiam et gloriam patefaciebant.

Certe de his monarchis s. Augustinus ita scripsit lib. 4. de Civitate Dei cap. 6. *Inferre bella finitimis, et inde in caetera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?* Neque huic sententiae testimonia illa repugnant, quae Deum auctorem translationis ac mutationis regnorum faciunt. Deus enim utitur mala voluntate (quam tamen ipse non fecit) aliquorum hominum, ad aliorum peccata punienda: et sic interdum admirabili ratione providentiae suae quibusdam regna adimit, quibusdam largitur, ut et qui regno cadit, justissime cadat, nec tamen juste possideat, qui regnum invadit. Ac longe alia ratione Deus provinciam Palestinae filii Israël possidendam tradidit, quam illam eandem vel Salmanasar, vel Nabuchodonosor postea tradiderit. Siquidem filii Israël duce Josue laudabili obedientia cum Palaestinis pugnabant; illisque ad internecionem deletis, terras eorum sibi vindicabant. Salmanasar et Nabuchodonosor detestabili sacrilegio Dei populum captivum ducebant, nec imperio Dei, sed pravae suae cupiditati obsequebantur, tametsi Deus ipsis etiam ignorantibus et nolentibus utebatur ad id quod justissime fieri ipse volebat. Explicant hanc rem accurate s. Augustinus lib.de gratia et libero arbitrio cap. 20. et 21. et Hugo de sancto Victore lib. 1. de sacramentis part. 5. cap. 29.Sed nobis unum Scripturae testimonium hoc loco satisfaciet. Isaiae 10. sic loquitur Dominus ad regem Assyriorum: *Vae Assur; virga furoris mei et baculus ipse est. In manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia,et diripiat praedam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit,sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum; dicet enim: Numquid non principes mei simul reges sunt?* Et infra:*Erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, et in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus; dixit enim: In fortitudine manus meae feci etc.*Hoc enim loco aperte videmus, missum fuisse a Deo regem Assyriorum ad occupandam et diripiendam provinciam Hebraeorum, quod ita essent eorum peccata promerita, ipsum tamen regem Assyriorum non eo animo profectum, ut

tamquam Dei minister peccata puniret, sed ut per aliorum cladem et subjectionem ipse cresceret, et semper longius latiusque regnaret. Quare nec ita missum fuisse intelligere debemus, quasi praeceptum habuerit, ubi obedientia laudaretur;sed quia permisit Deus ut cupiditatem suam expleret in eum populum, qui tali vexatione dignus erat,puniendus etiam ipse postea, quod alienam provinciam nullo jure sibi vindicasset. Quod etiam hoc tempore de Turcarum imperio dici posse,nemo priorum et prudentium Christianorum dubitat. Quis enim ambigere potest, quin divina providentia,quae transfert regna atque imperia, factum sit, ut ad nostra punienda peccata, rex Turcarum Graecis provincias universas; et nuper etiam Rhodum, Chium, Cyprum,et magnam Pannoniae partem Latinis eripuerit? et contra tamen nemo nisi Turca,aut Turcarum amicus negabit, quin per summam injustitiam Othomannus alienas provincias occuparit. Haec ego paulo fusius tractavi,quod Illyricus ita loquatur de hac re ambigue, ut verissima latrocinia pallio providentiae divinae tegere,et principes ad aliena regna occupanda exhortari voluisse videatur. Sed de hoc tertio argumento satis diximus. Sequitur quartum.

IV. *Imperialem* (inquit Illyricus pag.44. et 45.) *dignitatem inde habuit* (Carolus) *quo sicut Theodoricus primus Gothicus rex fuit adoptatus a Zenone imperatore,accepitque dono Romam et Italiam una cum suis successoribus, ac insuper ea dignitate Odoacrem exuit:ita porro Longobardi, comprobante et juvante constantinopolitano imperatore, eadem gloria, jure et possessione exuerunt Gothos, ac denique reges longobardicos Francici reges.praesertim vero Carolus Magnus, vicit, et dignitate possessioneque occidentalis imperii super Roma ac Italia exuit; ipseque eo jure belli potitus est. Quare etiam mox Romani post victos Longobardos illi jurarunt, quod factum est amplius 20. annis ante illam actionem sub Leone papa (ut isti ajunt) factam, per quam Papistae dicunt esse translatum imperium ad Francos.* Haec ille. Hujus argumenti tot mihi videntur esse mendacia,quot sunt sententiae. Principio non exuerunt Longobardi Gothos possessione Italiae, sed Graeci imperatoris duces Belisarius et Narses, ut Procopius, Agathius, Jornandes,Leonardus Aretinus, Paulus Diaconus, et alii omnes testantur,qui de bellis Gothorum et Longobardorum scripserunt. Tantum vero abest ut imperatore comprobante et juvante Longobardi Italiam occupaverint, ut potius cum ipso imperatore, et ejus exarchis longo tempore de Italiae possessione pugnaverint, ut ex libris Pauli Diaconi de rebus gestis Longobardorum, et ex aliis historicis cognosci potest. Quid quod Paulus Diaconus in vita Justiniani senioris scribit, Longobardos in Italiam a Narsete invitatos fuisse, ut imperatorem ejus provinciae possessione spoliarent? Quemadmodum autem Franci potuerunt Longobardis urbem Romam eripere,quam illi numquam possederunt? Siquidem ex historiis omnibus illius temporis constat, Longobardos, etsi magna Italiae parte potirentur, numquam tamen urbem Romam, aut provincias Italiae, Campaniam, Apuliam et Calabriam, Graecis imperatoribus adimere potuisse. En igitur quanta fide sit dignus Illyricus, qui novas historias,repugnantibus historicis omnibus, cumminiscitur.

Porro cives romani, exactis Italia Longobardis, si Carolo Magno jurarunt (nec enim ejusmodi jusjurandum apud idoneos auctores invenio) non ut principi, aut dominio, sed ut patritio et defensori jurarunt. Adrianus enim pontifex cum fideli opera Caroli Magni usus esset in expellendis Longobardis, qui perpetuis excursionibus ditionem romanam infestabant, patritium cum Romanorum, et defensorem appellavit, ut Gratianus scribit dist. 63. canon. Adrianus, et canon. In synodo. Neque de ea re dubitari potest: cum et Adrianus papa in epistola ad Tarasium episcopum constantinopolitanum, Carolum Francorum, et Longobardorum ducem, patritiumque Romanorum appellet, et ipse se eisdem nominibus in diplomatibus suis appellare consueverit.

V. Restat argumentum postremum, quod Illyricus ex quatuor testimoniis texit. Primo loco pag. 45. testimonium petit ab Hermanno comite Novae aquilae, qui libellum de Francorum origine et sedibus ad Carolum quintum scripsit, cujus auctoris verba, ut etiam quaedam alia aliorum, Illyricus aliquoties repetit, et tanta prolixitate, ut plane metuere libro suo videretur, si paulo tenuior appareret. Deinde pag. 57. addit testimonium Andreae Alciati, nobilis jureconsulti, et pag. 58. et 59. adjungit his Gothfridum Viterbiensem, ac Blondum Flavium pag. 60. Quid igitur haec testimonia valeant, breviter expendamus.

Hermannum comitem, et Alciatum, quod nostro saeculo vixerint, non cogimus magnifacere: praesertim cum eis plurimos auctores, eosque antiquissimos et integerrimos objicere possimus. Videtur tamen Hermannus, ut etiam Fridericus imperator, quem ipse citat, non tam de jure ac titulo imperatoris, quam de possessione imperii loqui ; qua in re ab eo non dissentimus. Nec enim affirmamus Leonem pontificem armis imperium de manu Graecorum eripuisse, ac deinde sic partum et acquisitum Carolo donavisse; sed jus ipsum, quod graecus imperator in provincias occidentalis imperii habebat, nec non titulos, honores ac dignitates Augustorum, a Leone pontifice Carolo imperitilas asserimus. Qua communicatione factum est, ut Carolus, et ea quae jam bello sibi pepererat, justo titulo, ut legitimus imperator possideret ; et jus item haberet ad ea recuperanda, quae romani imperatoris ante fuissent. Itaque non pugnat quod Hermannus scribit, Francorum sanguine partum imperium, cum eo, quod historici veteres summo consensu tradunt, imperium a Grecis ad Francos pontificis auctoritate translatum, si ille de possessione, isti de jure loquuti esse intelligantur. Quod quidem tam perspicue etiam Alciatus scribit, ut mirari satis non possim, cur hunc auctorem in sententiam suam Illyricus pertrahere voluerit.Haec enim sunt Alciati verba, quae Illyricus producit pag. 57. *Igitur*, inquit, *Carolus maximi hac expe-*

ditione apud omnes nationes nomine acquisito, nulli non formidabilis, cum arma per Germaniam omnem, Pannoniasque circumtulisset, et non Italiam tantum, sed et Illyrici aliquas regiones Graeco eripuisset, ut justum aliquem titulum adepto imperio praetendere posset, Caesarem se, et rom. imperatorem a pontifice populoque romano designari procuravit. Audis ne, Illyrice, quid tuus Alciatus dicat? justum titulum accepisse dicit Carolum a pontifice populoque romano. Si autem justum titulum dare, nihil tibi esse videtur, cur paulo ante dicebas, Italiam a Zenone imperatore Theodorico regi fuisse donatum? Neque enim Italiam a se expugnatam Zeno tradit Theodorico, sed jus dumtaxat expugnandi et occupandi dedit. Quare quemadmodum (te auctore) Zeno Italiam Theodorico vere donavit, cum jus ad eam tribuit, quam ille tamen suo labore, et Gothorum sanguine sibi paravit, ita nos patiaris cum tot supra citatis auctoribus dicere, occidentale imperium a pontifice Leone Carolo regi vere esse donatum, cum justum titulum tribuerit, licet possessio armis quaerenda et retinenda fuerit. Unum tamen hoc loco non est praetereundum, quod Alciatus scribit, a Carolo imperium procuratum, non modo sine certo auctore, sed etiam repugnantibus plerisque veteribus auctoribus scribi. Eginarthus enim, Caroli cancellarius, Conradus abbas urspergensis, Albertus Krantzius, et Joannes Cuspinianus, quos cap. 2. mendacio. 15. supra citavimus, testantur Carolo nihil tale speranti, vel etiam recusanti, imperium a pontifice esse delatum; quibus certe auctoribus quin major fides quam uni Alciato habenda sit dubium esse nemini potest.

Sequitur testimonium Gothfridi Viterbiensis, et Blondi Flavii. Sic igitur Gothfridus: *Carolus, ut fungi statuit diademate mundi, pontificis summi manibus decrevit inungi.* Blondus vero: *Otho pater*, inquit, *filium Othonem, re in Saracenos, Graecosque bene gesta, reversum, consortem imperii adscivit, voluitque imperatorem a romano populo ex prisca consuetudine acclamari, quem pontifex innunctum imperiali diademate insignivit.* Ex his testimoniis colligit Illyricus, nihil omnino pontificem imperatori conferre, nisi theatralem et pompaticam caeremoniam, eamque non arbitratu suo, sed principis jussu vel nutu. At id non recte colligi, facile ex his quae diximus demonstrabitur. Non enim Carolus ita fungi statuit (ut Gothfridus loquitur) mundi diademate, ut illud sibi, nullo dante, per se arripere ac vindicare voluerit; id enim nec ab ullo antiquo scriptore asseritur, et multis aperte repugnat. Nec scriptoribus modo, sed etiam moribus et pietati Caroli Magni repugnare videtur. Itaque non ante Carolus imperium sibi assumendum statuit, quam illud sibi a pontifice maximo offerri vidit. tum vero etsi initio recusaret, ut veteres auctores scribunt, tandem tamen assensus est, et (ut Gothfridus dicit) tum demum statuit diadema caesareum, et unctionem imperialem, de manibus summi pontificis accipere.

Eadem est fere Blondi sententia de imperio secundi Othonis: Adscitum enim illum dicit a patre ad consortium imperii; sed non negat id pontifice consentiente factum esse, et quod Blondus non negat, quamvis nec asserat. Asserit Vitichindus, qui Othonis aequalis fuit, nam lib. 3. de rebus saxonicis extremo scribit, secundum Othonem jam antea inunctum fuisse regem, et a beato apostolico designatum imperatorem. Quapropter Otho senior nullam pontifici fecit injuriam, si eum in imperii societatem assumpsit, quem ab ipso pontifice successorem designatum acceperat. Sed jam solutis omnibus Illyrici argumentis, et primo illo titulo profligato, quo potissimum adversarius nitebatur, minus erit in confutandis caeteris laborandum.

CAPUT VIII.

Non accepisse Carolum Magnum a Deo immediate imperii dignitatem.

Alter erat titulus, Dei solius donum. Nam quemadmodum Aaronem in republica Judaeorum, et Petrum in Ecclesia christiana non humana electio, sed Dei solius benignitas summos antistites fecit; et Moysem, Josue, Othonielem, Gedeonem, Saulem imperatores ac principes solus Deus populo suo dedit: sic etiam fieri potuisset, ut Carolus Magnus sine ulla humana vel ope, vel vi, sive arte, aut industria, solius Dei voluntate ad imperium vocaretur. Sed ejusmodi titulum Carolo Magno non convenire, isti omnes auctores docent, quos cap. 4. 5. et 6. supra citavimus; ac ne ipse quidem Illyricus, si sibi constare velit, id negare potest. Dum enim contendit, Carolum jure belli imperium sibi parasse, et rursus illud idem, successione haereditaria, donatione Graecorum, et electione Romanorum obtinuisse, simul certe contendit, non accepisse id munus a solo Deo.

Dum tamen sunt loca in eo Illyrici libro, quem refellendum suscepimus, quae satis aperte significant, traditum imperium Carolo Magno fuisse divinitus. Prior locus est pag. 5. ubi ex eo probat Illyricus, non potuisse papam transferre imperium; quia Dei solius est posse dicere: *Mea sunt omnia, ego do ea cui volo: ego transfero regna ac monarchias de gente in gentem meo arbitrio.* Sed si hoc argumentum aliquid efficeret, efficeret etiam, nullum omnino principem electione hominum fieri, et quoniam non solum Dei solius est regna transferre, sed etiam non est potestas nisi a Deo, ut Apostolus ait Rom. 13. rursus efficiemus, nec regem praetori, nec populum magistratui, nec dominum servis, nec parentem liberis ullam potestatem posse tribuere.

Si quis vero pro Illyrico forte respondeat, ita esse Deum auctorem primum, ac praecipuum omnis potestatis, atque ab eo potissimum ita imperia omnia et regna transferri, ut modo tamen id per se, modo per alios faciat, is quoque pro nobis poterit Illyrico respondere, imperium romanum a Graecis ad Francos, pontificis auctoritate translatum a Deo esse translatum; id enim Deus fecit, sed opera vicarii sui. Nam quod vicarius accepta a principe auctoritate facit, id etiam princeps ipse facit.

Posterior locus est pag. 61. ubi ex nescio qua visione Constantini imperatoris constantinopolitani, Illyricus probat, divino mandato Carolum Magnum imperatorem est constitutum. Sed indignum est argumentum, cui respondeatur. Primum enim auctor ejus visionis non satis magnam fidem apud homines doctos habere solet. Nam etsi vir probus ac pius fuerit, multa tamen fabulosa operi suo inseruit. Itaque more suo mentitur Illyricus, cum auctorem hunc antiquissimum, atque ita authenticum esse dicit, ut ejus scripta catholicis quasi propria adyta, et quasi sacra esse, videantur. Deinde ipsa visio (seu vera, seu falsa fuerit) nullam mentionem imperii facit. Haec enim est summa visionis: (*Vincentius lib. 24. Speculi cap. 4.*) Cum egeret auxilio adversus barbaros imperator Constantinus Copronymus, per quietem a Deo monitus est, ut Carolum regem Francorum adjutorem in eo bello susciperet. Ergo quod Illyricus addit, tum divino jussu datum esse Carolo imperium occidentis a Constantino, figmentum Illyrici est, nisi forte ipse quoque in quiete somnium aliquod vidisse se dicat. Sed fac postremo et visionem Constantini veram esse, et ea Carolo imperium occidentis promissum; quid aliud inde colligi posset, quam id imperatori Graeco a Deo fuisse divinitus indicatum, quod postea est factum, cum Carolus pontificis maximi auctoritate imperator occidentis salutatus est? Sic enim et Nabuchodonosor somnio divinitus immisso didicit imperium suum ad Persas et Medos, inde ad Graecos, postremo ad Romanos transferendum, nec ullus inde colligit, jussum fuisse a Deo Nabuchodonosor regem, regnum suum cum Persis et Medis communicare.

CAPUT IX.

Imperium romanum non venisse ad Carolum jure haereditario.

Tertius expendendus titulus est, jus successionis haereditariae. Quo titulo non pervenisse ad Carolum imperium Romanorum, nemo negare potest, nisi qui aut nimium sit impudens, aut in historiis nihil legerit. Siquidem extra controversiam est, Pipinum, Caroli Magni patrem, ex praefecto sive magistro aulae, regem Francorum dictum esse; idque Zachariae et Stephani romanorum pontificum auctoritate. Auctores nos supra citavimus cap. 2. mendacio 19. imperatorem Romanorum fuisse Pipinum nemo scripsit. Quare cum ex Pipini patris successione nihil aliud Carolus habere potuerit, nisi quod Pipinus habuit; efficitur profecto, Carolum jure haereditario non imperatorem Romanorum, sed Francorum regem solum, idque non sine pontificis maximi beneficio in patrem ejus antea collato, esse potuisse.

Deinde certum, exploratumque est, Carolum Magnum post obitum patris, ab Adriano pontifice patritium Romanorum (quae est dignitas secunda post imperatoriam) esse creatum, ut nos supra demonstravimus. Quis vero sibi persuadeat, Carolum Magnum passurum fuisse, fieri se ex imperatore patritium? Idem enim fuisset, ac si aliquis hoc tempore in suo regno aut prorex aut praefectus urbis honoris ergo diceretur.

Accedit postremo, fieri nullo modo posse, ut successione haereditaria romanum imperium Carolus Magnus acceperit, nisi falsum sit quod omnes historici summa consensione tradunt, fuisse Carolum Magnum, primum imperatorem ex gente Francorum.

Sed videamus quid Illyricus contra proferat. Is igitur Odoacrem herulum, Theodoricum gothum, et Clodoveum francum, romanos imperatores fuisse contendit: et quoniam ii Germani, vel certe ex Germania oriundi erant, eorum imperium haereditaria successione ad Carolum Magnum devolutum esse colligit, ac primum pag. 21.22.23. 24. et 25. Odoacrem imperatorem fuisse, sex rationibus probat, quas ego, Deo juvante, sex mendaciis esse demonstrabo.

Affirmat primo a Leone Bessicano, graeco imperatore, tributum fuisse Odoacri imperium occidentis: ita Odoacrem imperatoris auctoritate imperatorem legitime creatum. *Romani*, inquit Illyricus, *seu potius constantinopolitani imperatores, saepius jus occidentalis imperii Germanis tradiderunt, quod authenticis historiis, Christo juvante, contra Papalium adulatorum mendacia probabimus. Prima igitur translatio facta est sub Leone Bessicano constantinopolitano imperatore, circa annum 460. in Othacarum, aut Odoacrem, a militibus romanis teste Alciato.* Haec ille: qui etsi non dicat a Leone, sed sub Leone imperium translatum esse in Odoacrem, necesse tamen est, aut velit Leonis auctoritate id factum esse, aut ipse non sibi constet. Proposuit enim se probaturum, saepius imperium a Graecis imperatoribus traditum esse Germanis, et continuo subjungit primam communicationem sub Leone Bessicano esse factam. Sive autem Alciatus id scripserit (neque enim usquam id in Alciato reperire potui) sive non scripserit, falsum est quod hic asseritur. Cassiodorus enim in chronico, sub Zenone, qui tertius fuit a Leone Bessicano, scribit Odoacrem Italiae regem factum, Leone Bessicano jam defuncto: quod idem scribunt et caeteri graviores historici, ut Beda de sex aetatibus in Zenone, Marcellinus comes in chronico, Paulus Diaconus lib. 16. rerum romanarum, Ado viennensis in chronico, Abbas urspergensis item in chronico, Otho frinsingensis lib. 4. cap. 30. Joannes Nauclerus generat. 16. Onuphrius in libro primo de principibus romanis; et, quod magis est mirandum, Illyricus ipse centur. 5. cap. ultimo colum. ultima; ut jam eum non solum mentiri, sed etiam sibi repugnare necesse sit. Itaque falsum est quod de Leone Bessicano hoc loco scribit Illyricus.

Sed forte erratum est solum in nomine, et Zeno imperator imperium Odoacri tradiderit: quod fecisse Leonem, falso dictum fuerat. Immo non solum in nomine, sed etiam in re ipsa erratum est. Tantum enim abest, ut Zeno imperator imperium occidentis Odoacri tradiderit, ut nihil gravius tulerit, quam ab eo Italiam per vim et tyrannidem occupatam. Ut enim Abbas urspergensis scribit, Odoacer

regnum Italiae invito Zenone possedit: ac propterea Theodoricum Gothum cum exercitu ad Italiam Zeno misit, ut inde Odoacrem tyrannum, atque oppressorem urbis et Italiae expelleret; quod etiam plerique alii scripserunt, ut Procopius lib. 1. de bello Gothorum, Jornandes in commentario de rebus Geticis, Leonardus Aretinus in 1. lib. de bello italico, Paulus Diaconus lib. 16. rerum romanarum, Blondus decadis primae lib. 3. Nauclerus generat. 26. Freculphus tom. 2. chronicorum lib. 5. cap. 18. nec ullum omnino me legisse memini, qui contra scriberet, praeter unum Illyricum.

Addit 2. Illyricus Odoacrem a militibus romanis in monarcham electum, cum esset ipse etiam unus ex primoribus ducibus ac principibus Romanorum. Sed hic quoque duo mendacia sunt. Nam historici omnes supra citati testantur, Odoacrem non alios milites habuisse nisi barbaros, reliquias videlicet exercitus Attilae regis Hunnorum; atque ab iis militibus regem appellatum, cum capto Ticino, romanas legiones ad internecionem delevisset, scribit Carolus Sigonius lib. 14. de imperio occidentali, quod plane congruit cum eo, quod scribit Procopius lib. 1. de bello gothico, Odoacrem non a Romanis, sed a gothis militibus petiisse, ut se romanum regem constituerent.

Porro summa dignitas, quam apud Romanos adeptus est, antequam regnum in Italia sibi vindicaret, ea fuit (si Procopio credimus lib. 1. de bello Gothorum) ut armiger esset Orestis, magistri militiae Romanorum. Quocirca non dux, aut princeps in exercitu romano, sed famulus unius ex ducibus romanis Odoacer antea fuerat. Sed placuit Illyrico eum ex armigero principem facere, et ex ordine servorum, in ordinem senatorum mendacio suo provehere, quamquam eo tempore, quo rex Italiae creatus est, nihil omnino commune cum Romanis habebat. Discesserat enim jam antea ex Italia, et in patriam profectus, multitudinem variam barbarorum collegerat, ut cum ea Italiam, dissensionibus principum laborantem, opprimeret. Nec solum romani principis dignitatem eo tempore non habebat, sed neque civilem ullum cultum, ac ne indumenta quidem, nisi rusticana et barbara. Siquidem iter facienti Odoacri cum exercitu per Noricorum rura (ut scribit Paulus Diaconus in vita Augustuli, et post eum Anbas urspergensis in chronico) s. Severinus victoriam in haec verba praedixit: Vade nunc ad Italiam, vade Odoacer, vilissimi interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus.

Tertiam rationem sumit Illyricus ex ambiguis quibusdam verbis Blondi Flavii. Quod enim Blondus scripsit lib. 2. decadis primae, turbinem illum irruptionis Odoacris in Italiam a romanis civibus, Augustuli aemulis, suscitatum, sic Illyricus interpretatur, ut primarii Romanorum Odoacrem vocaverint, ac romanum imperatorem contra Augustulum appellaverint. Atque addit, non defuisse graves caussas creandi novi imperatoris, et suscipiendi arma contra Augustulum. Sed haec interpretatio cum ipso Blondo pugnat. Blondus enim in eodem libro non modo non meminit illius expeditionis Romanorum pro Odoacre adversus Augustulum, sed etiam disertis verbis testatur, nullum novum imperatorem post Augustulum esse creatum a Romanis; sed in Augustulo periisse atque omnino exstinctum fuisse occidentale imperium; Odoacrem vero non Romanorum imperatorem, sed Italiae dumtaxat regem fuisse. Itaque verba illa Blondi de turbine irruptionis Odoacris, ab aemulis Augustuli suscitato, sic cum aliis Blondi, ac caeterorum historicorum sententiis consentire debent, nihil aliud significare possunt, quam ex mutuis odiis, et contentionibus principum romanorum, quibus ad extremam debilitatem imperium occidentale paulatim devenerat, occasionem accepisse Odoacrem Italiam occupandi. Quod planius loco paulo ante notato his verbis Sigonius explicavit: Odoacer fama rerum, quae seditiose gererentur in Italia percitus, vehementius ad illius cupiditatem exarsit. Animum vero ejus incendit, ac prope certa victoriae fiducia incitavit ipse imperator Momyllus, cujus in tanta populorum dissensione infirmissimas opes esse comperiebat.

Quarta Illyrici ratio similis est superiori. Nam quia Blondus Flavius lib. 3. decadis primae scriptum reliquit, Odoacrem a romano populo summis honoribus affectum, inde ipse colligit, Odoacrem a romano populo imperatorem sine dubio salutatum. Qui poterant, inquit, alii esse isti summi honores a populo tam cupide oblati Odoacri, nisi imperium, de quo nunc prior imperator victus novo victorique cedebat? Sed non est cur in hoc argumento diluendo diutius haeramus: explicat enim eodem loco Blondus, qui fuerint, summi illi honores, dum ait, Odoacrem ab universo populo regem Italiae salutatum, et in Capitolium, tamquam urbis dominum, festivis acclamationibus deductum. Deinde quidquid ei honoris populus, aut senatus obtulerit, imperatoris certe titulum Odoacer numquam admisit. Sive enim verecundia augustalis majestatis, ut quidam volunt, permotus fuerit, sive barbara superbia, eversi potius, quam parti imperii, gloriam maluerit, illud ex Mariano Scoto, et Aurelio Cassiodoro in chronico constat, solo eum regio nomine contentum, purpura et diademate, aliisque regalibus insignibus perpetuo caruisse.

Ex quo solvitur etiam quintum Illyrici argumentum, quod ex jure belli depromptum est; Id enim jus belli postulare videtur, ut victoris fiant, quae is qui victus est antea possidebat. Sed praeterquam quod Odoacer, ut supra dictum est, solo Italiae regno contentus, ad jus universi imperii, et augustalem dignitatem minime aspiravit, non jus sed injustitia belli dicenda est, cum quis alienam provinciam, nulla injuria provocatus, sola regnandi cupiditate invadit: quod Odoacrem fecisse Procopius scribit lib. 1. de bello gothico. Hoc pacto, inquit, sibi tyrannidem cum comparasset, ad decimum annum tyrannidem stabilivit, neque a Procopio scriptores caeteri dissentiunt.

Sextum denique ac potissimum argumentum Illyricus ducit ex augustali abdicatione. Quoniam enim Odoacre Italiam invadente, Augustulus imperator sponte purpuram abjecit, atque ab Odoacre vita donatus est, ratiocinatur Illyricus Augustulum imperatorem imperium suum Odoacri pacifice tra-

didisse. *Non est dubitandum*, inquit Illyricus, *quin id ipsemet regi Odoacri renunciaverit, ut sibi modo vitam largiretur.* At levior conjectura est, quam ut opponi possit tot historicorum testimoniis, qui in Augustulo occidentale imperium defecisse constanter affirmant. Nec enim in Augustulo defecisset, si Odoacrem successorem Augustulus habuisset. Quia vero eodem in loco bis mentitur Illyricus, cum ait, italicos scriptores solos tunc scripsisse, et ex invidentia inter imperatores Romanorum Odoacrem numerare noluisse, adscribere hic operae pretium duxi testimonia Germanorum, qui cum Italicis in hac re describenda mirifice consentiunt.

Jornandes Gothus ante omnes Italicos de hac re scripsit, cum Justiniani tempore floruerit, ante annos 1000. Is igitur sic loquitur in lib. de rebus geticis, Odoacer, inquit, Turcilingorum rex, habens secum Scyros, Herulos diversarum gentium auxiliarios, Italiam occupavit: et Oreste interfecto, Augustulum filium ejus de regno pulsum, in Lucullo Campaniae castello exilii poena damnavit. Sic quoque Hesperium romanae gentis imperium, quod 709. urbis conditae anno primus augustorum obtinuit Octavianus, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum, praedecessorumve regni 522. Quod idem repetit in libro de regnorum ac temporum successione.

Idem tradit, ac prope verbis iisdem, Freculphus Lexoviensis tom. 2. chronicorum lib. 5. c. 17. qui auctor cum tempore Ludovici Pii ante annos fere 800. vixerit, sine dubio plerosque italicos scriptores antecessit. Id ipsum testantur Otho frinsingensis lib. 4 historicae cap. 31. et Conrandus abbas urspergensis in chronico, cujus verba (quia diligentissime annorum numerum continent) hic adscribam: *Augustulus*, inquit, *sponte purpuram abjecit, et imperialem majestatem deposuit. Ita romanum imperium toto orbe venerandum, et augustalis illa sublimitas, quae ab Augusto quondam Octaviano 709. a condita urbe anno coepit, in hoc Augustulo periit, anno ab urbe condita 1227. a Caesare vero, qui primus singularem in ea principatum arripuit anno 524. ab incarnatione Domini anno 477.* Haec ille. Consentiunt Joan. Nauclerus generat. 16. et Albertus Krantzius lib. 1. Vandaliae cap. 35. qui imperium in occidente ab Augustulo usque ad Carolum Magnum annis plusquam trecentis vacasse scribunt. Quid igitur Illyricus somniabat, cum scriberet solos Italicos tunc scripsisse, et ex invidentia Odoacrem imperatorem appellare noluisse? Sed Martinus Polonus, inquit Illyricus, contraria disertis verbis scribit. Sic enim ait: Augustulus cum videret Odeneum (ut ipse eum nominat) interfecto suo patre Oreste, jam totam Italiam tenere, sponte ei, exuens purpuram, de imperio cessit. At non recte legisti, aut de industria more tuo, Illyrice, pervertisti verba Martini. Ille enim Conradum (ut videtur) sequutus, sic ad verbum scribit: Augustulus sponte purpuram abjiciens, imperialem deposuit majestatem. Abjecit igitur ac deposuit imperium Augustulus: sed neque ipse illud Odoacri tradidit; neque Odoacer: ut jam satis perspicue a nobis est demonstratum, assumpsit.

Sed fac, si placet, Odoacrem imperatorem Romanorum fuisse, adde etiam, ab exercitu dictum, a senatu et populo confirmatum; atque (ut nihil desit) voluntas quoque graeci imperatoris accesserit: quid haec ad Carolum Magnum? Odoacer herulus fuit, Carolus francus. Qua igitur lege hic illius haeres constituitur? Odoacer paulo postquam Italiam occupasset, a Theodorico rege Gothorum, et vita et regno spoliatus est. Qua ratione igitur amissam haereditatem ad posteros transmisit? Odoacer Carolum annis trecentis et triginta circiter antecessit, atque interim Italia dominos saepe mutavit Gothos, Graecos, Longobardos, quis igitur post tot saecula, totque rerum mutationes, Odoacris haereditatem integram Carolo repraesentavit? Ad Germanos, inquit Illyricus, imperium pertinet: Odoacer enim herulus fuit, proinde germanus. At cum tam heruli, quam franci, germani sint, cur ad francos potius quam ad herulos imperium delatum est? Deinde Odoacer fuit germanus, ita Severus africanus, Heliogabalus syrus, Maximus thrax, Philippus arabs, Decius pannonius, Claudius junior illyrius, Diocletianus dalmata, Theodosius hispanus, atque, ut alias nationes omittam, quae imperatores romano populo dederunt, Julius, Octavius, Tiberius, Cajus, et caeteri quamplurimi, itali fuerunt. Quo jure igitur propter unum Odoacrem imperium ad Germanos pertinebit; propter alios tam multos ad alias nationes, atque ad italicam praecipue, non pertinebit? Quare non necessario ad eam nationem imperium pertinet, ex qua eligitur imperator. Quod vero post tempora Caroli Magni sola Germania sedes imperii facta sit, non virtus Odoacris, neque imperii ratio ac natura, sed solius apostolicae sedis auctoritas fecit.

Atque hactenus de Odoacre. Nunc de Theodorico et Clodoveo facilius explicabimus: eadem enim fere horum atque illius est ratio. Igitur a pag. 26. usque ad 35. de Theodorico rege Gothorum scribit ac docet, eum quoque romanum imperatorem fuisse, et per eum ad Carolum Magnum, quod uterque germanus esset, imperium haereditario jure venisse. *Secunda*, inquit, *translatio aut communicatio imperii erga Germanos, facta est a Zenone imperatore constantinopolitano, qui de consensu totius senatus imperialis adoptavit sibi Theodoricum Gothorum regem, qui sine controversia germanus fuit, eique Romam, Italiam, et totum occidentale imperium largitus est.* Hic primum dicere possemus quod de Odoacre diximus: quid Carolo et Theodorico; cum ille francus, iste gothus fuerit? et rursus cum Theodorici successores, a Justiniano imperatore Italia pulsi profligatique fuerint, atque adeo imperium Theodorici (si hoc nomine appellari debet) penitus interierit, quod est illud imperium, quod a Theodorico ad Carolum haereditario jure pervenit? Sed haec omitto, ne adversarium imitari videar, qui iisdem saepius iterandis, incredibili taedio lectorem suum fatigat.

Id unum hoc loco statuo, Theodoricum a Zenone sibi filium adoptatum, consulemque ordinarium et regem Italiae dictum, non tamen imperatorem et Augustum appellatum; proinde regem imperio

subjectum, non collegam, et consortem imperii ab Augusto assumptum, Theodoricum fuisse. Ita vero se rem habere testantur historici pene omnes, qui ab Augustulo usque ad Carolum occidentis imperium vacasse scribunt. Testantur quotquot nomina, tempora, numeros imperatorum edidere. Siquidem in tanto numero chronologorum neque unus reperitur, qui Theodoricum in imperatorum Romanorum seriem et numerum retulerit: ac ne ipse quidem Cassiodorus, qui Theodorici cancellarius erat, et in chronico suo imperatores, et consules romanos accuratissime descripsit, testatur ipse Theodoricus, qui in tot epistolis, quas scripsit, quaeque apud Cassiodorum exstant, numquam se Caesarem, numquam Augustum, numquam imperatorem vocat. Testatur Procopius, qui lib. 1. de bello gothico, Theodoricus, inquit, romani imperatoris, nec insignia, nec nomen sibi desumpsit, sed quoad vixit, rex est appellatus, quo nomine suos barbari nuncupant duces. Testatur denique ipsemet noster adversarius Illyricus. Sic enim scribit centur. 6. cap. 16. col. 840. *Theodoricus*, inquit, *romani imperatoris nec insignia quidem, nec nomen sibi vendicavit: sed rex est appellatus, sicut barbari duces vocare solent.* Ac, ne forte soli sibi non crederemus, idem, confirmavit ex Joan. Cuspiniano. Quod sane Illyrici testimonium satis esse deberet, nisi cum homine ageremus, qui modo ait, modo negat. Subjectum vero imperatori regem Theodoricum fuisse testatur in primis ipsa adoptio, cujus meminere plerique historici, Jornandes de rebus gothicis, Procopius libro de bello gothico, Abbas urspergensis in chronico, et alii. Siquidem propterea imperator Zeno Theodoricum Italiae regno donatum, sibi filium adoptavit, ut subjectionis, atque obedientiae memor esset, quam imperatori rex, et patri filius deberet. Testatur deinde Theodoricus ipse, qui, Jornande in lib. de rebus gothicis auctore, servum se et filium imperatoris esse, atque ejus munere regnum Italiae possessurum dicebat; et (ut addit Olaus lib. 9. hist. Gothorum cap. 17.) non tam sibi, quam imperatori Romam, atque Italiam recuperandam asserebat. Testantur denique Athalaricus et Theodahatus, Theodorici in Italiae regno successores, uterque enim in epist. ad Justinianum imperatorem, quae sunt apud Cassiodorum 1. lib. 8. et 25. lib. 10. obedientiam imperatori debere se ingenue confitentur. Quod idem satis indicant epistolae caeterae, tum ipsius Theodahati, et praedecessoris ejus Athalarici, tum etiam Amalasuenthae et Godulinae reginarum ad eundem Justinianum, et conjugem ejus Theodoram.

Sed videamus quibus testibus Illyricus probet, Theodoricum imperatorem fuisse Romanorum. Primo loco Sigebertum profert. At Sigebertus in chronico anni 487. (quem locum Illyricus notat) imperii ne meminit quidem. Haec enim sunt verba Sigeberti: Zeno imperator Theodorico Ostrogothorum regi regnum Italiae donat.

Secundo: Abbatem urspergensem producit. At Urspergensis in eo ipso loco, quem citat Illyricus, contra Illyricum testimonium dicit; sic enim loquitur: *Eo tempore regnum orientale Zeno imperator habebat, qui audiens Theodoricum gentis suae regem esse, grate suscepit, eumque ad se Constantinopolim venire praecepit, digneque susceptum inter proceres palatii collocavit; et post aliquod tempus in filium sibi adoptans consularibus fascibus, quae dignitas post imperiale fastigium prima est, eum sublimavit.* Et infra nulla imperii facta mentione, subjungit, Italiam recuperandam et gubernandam eidem Theodorico a Zenone esse commissam. Ubi vides summum honorem, quem Theodoricus Zenonis beneficio est consequutus, non imperium, sed consulatum fuisse. Quod etiam aperte fatetur Athalaricus Theodorici nepos in epistola ad Justinianum, quae est prima libri octavi apud Cassiodorum: ubi enumerans beneficia quae ab imperatore Gothi reges acceperant; sellas curules, et vestes palmatas, quae insignia consulatus erant, in primis beneficiis numerat; imperii ne meminit quidem. Vos, inquit, avum nostrum in vestra civitate celsis curulibus extulistis. Vos genitorem meum in Italia palmatae claritate decorastis.

At, inquit, Illyricus, idem Abbas urspergensis in alio loco Theodoricum romano imperio praesedisse scribit. Verum est id quidem, sed eum praesedisse ut imperatorem, non scribit, nec scribere potuit, nisi secum ipse pugnare vellet; quippe qui in Augustulo periisse, nec ante Caroli tempora revixisse imperialem dignitatem, non semel in illo suo chronico tradidit. Itaque praesedit Theodoricus romano occidentis imperio, non tamen ut Augustus et imperator, sed ut rex Italiae, ipsique romano imperatori subjectus.

Tertio profert Illyricus Nauclerum, qui cum scribit Theodoricum a Zenone sacro velamine insignitum; nihil aliud significasse videtur, quam purpura imperatoria circumdatum, et vere ac proprie imperatorem factum. Sed fallitur, aut fallit Illyricus. Sacrum enim illud velamen non purpura erat imperatoria, sed publicum concessae provinciae stabilimentum (ut Paulus Diaconus lib. 16. et Blondus Flavius lib. 3. scriptum reliquerunt): Nec aliter Nauclerus interpretari potuit illam velaminis caeremoniam, cum in eodem chronico generat. 16. paulo ante scripsisset in Augustulo occidentale imperium periisse.

Profert quarto loco Illyricus Olai Magni Gothi scriptoris testimonium, nec tamen ulla ejus verba in medium adducit. Sed parum certe considerate ad Olaum Illyricus provocavit. Is enim cum multa alia scribit quae Illyrici caussam laedant; tum illud in primis, Italiam a Theodorico, non tam sibi, quam imperatori recuperatam. Sic enim Theodoricum regem cum Zenone imperatore loquentem facit Olaus lib. 9. hist. Gothorum cap. 17. *Illud commemorare officii nostri est, et cogitare sapientiae tuae: quia si res voto respondet, sane Italia, non tam mihi recepta fuerit, quam imperio. Poteris tu quidem, quidquid erit terrarum, mariumque, quicquid praeterea copiarum et exercituum, ad gloriam imperii referre, cujus beneficio restituta sit. Neque tua minus erit Roma* (Nota) re ipsa, quam titulo. Et infra cap. 18. Deinde Zeno Theodoricum sacro velamine (quod erat tunc maximum a principe factae concessionis stabilimentum) insignivit.

Quinto Platinae testimonium Illyricus adducit. Haec autem sunt verba Platinae: Nemine adversante, Theodoricus totius Italiae imperio potitus est. En audis, inquit Illyricus, Theodoricum esse factum romanum imperatorem. Audio; sed Illyrici, non Platinae testimonio: nec enim est idem, imperio Italiae poteri, et romanum imperatorem fieri; nisi forte jus imperii romani Italiae finibus concludi velis. Alioqui multis jam saeculis Germania imperatorem romanum minime habuisset.

Postremo nec illud Illyricus omittendum putavit, quod Theodoricus, ut se verum imperatorem Romanorum probaret, ipsi etiam summo pontifici Symmacho imperavit, eumque coram se accusatum judicavit. Mirum cur non etiam addiderit, Joannem pontificem ab eodem rege diro carceri mancipatum, inedia et squalore enectum, et tamen licet id, quod nos de Joanne diximus, verum sit,non tamen est verum, quod de Symmacho Illyricus dicit.Theodoricus enim toto fere principatus sui tempore, tametsi barbarus natione,et Arianus religione esset,moribus tamen perurbanus,clementia,justitia,aliisque regiis virtutibus insignis fuit. Quamobrem in caussa summi pontificis Symmchi non aliter se gessit, quam se Constantinus, aut Theodosius gessisset, idest, ut christianum et modestum principem decebat. Siquidem, ut ex IV synodo romana sub Symmacho cognosci potest, cum querelae de pontifice delatae ad se fuissent, rem totam ad synodum episcoporum retulit; cumque episcopi libertate sacerdotali regi suggerere non dubitassent, synodorum convocationem ad ipsum, qui accusabatur, idest, ad romanum pontificem pertinere, cui beati Petri meritum, Domini jussio, et conciliorum auctoritas, singularem tradidissent in ecclesiis potestatem,nec unquam tantae sedis antistitem minorum subjacuisse judicio: tum vero rex ipsum quoque papam in congreganda synodo voluntatem suam literis demonstrasse significavit; quas etiam literas, episcopis postulantibus, continuo exhiberi praecepit;ac demum legatis concilii ad se venientibus ait, in synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda praescribere, nec aliquid ad se praeter reverentiam, de ecclesiasticis negotiis pertinere. Haec ille tum, cum, historicorum omnium consensu, regiis virtutibus mirifice floreret. Sed cum postea sub extremum vitae suae tempus, moderatum regimen in apertam tyrannidem commutasset (quod ne ipse quidem Olaus gothus libro supra citato negat),id fecit in Joannem pontificem, quod tyranni, atque haeretici solent; quodque ante illum Nero, Domitianus, Decius, Maxentius, Constantius in sanctos sui temporis pontifices et martyres fecerant.

Jam vero quod Illyricus nugatur de nominibus imperatoris et regis, ea solere confundi; proinde in idem recidere, sive quis rex Italiae, sive romanus imperator dicatur, levius est,quam ut longa refutatione indigeat. Etsi enim ante Julii et Augusti tempora regium nomen imperatorio majus ac venerabilius erat: tamen post constitutam Caesarum monarchiam, nihil in terris augustius esse coepit nomine imperatoris. Itaque cum aliquando Cajus imperator de nomine ac diademate regio assumendo cogitaret, admonitus est, inquit Tranquillus se quod imperator Romanorum esset, principum ac regum excessisse fastigia. Ac licet posterioribus temporibus imperatores graeci et germani regio nomine interdum usi fuerint, numquam tamen, qui solum essent reges, imperatorium nomen usurparunt. Id quod in epistolis Theodorici, Athalarici et Theodahati Italiae regum, ad imperatores Anastasium et Justinianum, apud Cassiodorum perspicue cernitur. Numquam enim in tot epistolis nomina (quae promiscua esse Illyricus contendit) ita commutantur, ut Justinianus vel Anastasius rex, Theodoricus vel Theodahatus imperator appellatur. Ipse etiam Carolus Magnus imperator, filium suum Pipinum, deinde eo mortuo, Bernardum nepotem: Italiae regem fecit; atque ad eundem modum longo tempore rex Italiae non imperator, sed princeps imperio subjectus fuit. Ex quo manifeste colligitur, non esse idem, regem Italiae, et imperatorem Romanorum. Deinde Lupoldus, quem imprudenter Illyricus pro se citat, cum contra ipsum maxime faciat, in libro de juribus imperii cap. 5. testatur, Henricum II. non se imperatorem,sed regem dumtaxat appellasse ante coronationem. Quod idem de aliis etiam imperatoribus,ex antiquis historicis nullo negotio demonstrare possemus.

Venit postremo Illyricus ad Clodoveum;atque ejus haereditate imperium ad Carolum pervenisse his verbis docet pag.35.et sequentibus: *Tertia communicatio imperii Germanis facta est paulo post praecedentem ab Anastasio imperatore constantinopolitano,qui de unanimi consensu totius senatus, aut primcipum, largitus est augustale nomen ac dignitatem Clodoveo regi Francorum, qui primus ex illis regibus baptizatus est. Quare dignitas imperialis semel regibus Francorum donata, necessario etiam ad posteros per ordinem successionis permanavit,atque ita etiam ad Carolum Magnum idem jus pervenit. Quod autem Anastasius imperator Augusti nomen, ac dignitatem communicaverit Clodoveo, et Francorum regibus, ex hisce sequentibus prorsus authenticis testimoniis liquido patet, ubi clare tum Augusti, tum et imperatoris nomen regibus illis a constantinopolitano Caesare communicatum esse.* Et infra post recitata ad id probandum testimonia Gregorii Turonici, Adonis, Hannonis, Ivonis, Sigeberti, Sabellici et Bergomensis, ita subjungit: *Quare id decus eodem jure etiam ad Carolum Magnum una cum reliquis Franciae monarchiae insignibus pervenit, non ex donatione papae.* Haec ille.

Ego vero in hac brevi narratione quatuor mendacia inesse video. Primum enim, quod Illyricus dicit a septem illis supra nominatis scriptoribus memoriae proditum, id esse falsum ipsi iidem auctores docent. Siquidem consulatus vel patritiatus insignia Clodoveo donata ab Anastasio, omnes illi auctores testantur: Augustalem dignitatem, vel appellationem soli posteriores. Addunt quidem Turonicus, Ado, et quidam alii, post accepta consulatu; insignia appellatum Clodoveum etiam Augustumt sed a Francis, non a Romanis additam fuisse eam appellationem testatur Blondus lib. 3. decad. 1. e. Albertus Krantzius lib. 3. Svetiae cap. 17. nec a

vero aberrant. Haec enim sunt Gregorii verba lib. 2. histor. Francorum cap. 38. *Igitur ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu accepit.* Et infrà: *Ab ea die tamquam consul et augustus est vocitatus.*

Ado vero sic loquitur in chronico aetate 6. Hic Anastasius codicillos Clodoveo regi pro consulatu misit. Ab eo die et consul et augustus est appellatus. Hanno lib. 1. chronicorum: Legationem, inquit, suscepit Anastasii constantinopolitani principis, munera epistolasque ei mittentis; in quibus literis hoc continebatur, quod complacuerit sibi et senatoribus, eum esse amicum imperatorum, patritiumque romanum. His ille perlectis consulari trabea insignitus, ascenso equo, in atrio, quod inter basilicam sancti Martini et civitatem situm erat, largissima populo contulit munera. Ab illa die consul et Augustus meruit nuncupari. Sigebertus in chronico: Clodoveus rex ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu, et coronam auream cum gemmis, et tunicam blacteam accepit, et ex ea die consul et augustus est appellatus. Ipse vero rex corònam auream cum gemmis Romam sancto Petro misit.

Itaque vides quam aperte auctores isti antiquiores distinguant consulatus insignia, quae Clodoveus ab imperatore accepit, a nomine Augusti, quo illum postea appellatum in Francia scribunt. Porro historici caeteri, etiam ii qui Francis maxime favent, consulatum dumtaxat et patritiatum Clodoveo donatum scribunt, nulla imperialis nominis facta mentione. Vide Rhegionem lib. 1. chronici, Othonem frisingensem lib. 5. cap. 2. Abbatem urspergensem in chronico, Robertum Gaguinum, et Paulum Aemilium in vita Clodovei, ac demum Albertum Krantzium lib. 3. Svetiae cap. 17.

Deinde mentitur rursus Illyricus, cum ait, ipsum imperium romanum communicatum fuisse cum Clodoveo ab Anastasio imperatore, nihil enim ille Clodoveo dedit, praeter titulos et insignia. Nam nec consulatum ipsum, cujus fere omnes meminerunt, re ipsa Clodoveus gessit, sed solo nomine consulis donatus, solo nomine fuit contentus. Id testantur quotquot fastos consulares literis mandaverunt, Cassiodorus, Marianus Scotus, Gregorius Haloander, Onuphrius, Mercator, et caeteri; nullus enim Clodoveum regem inter consules numeravit. Anno vero Domini 510. quo juxta chronicum francicum Joan. Tilii, Clodoveus consulis nomine et insignibus donatus est. Consules veri fuerunt Anastasius et Venantius, si Haloandrum sequimur, vel Eutharicus et Boëtius, si Onuphrium. Quamobrem nisi tres eo anno consules fuerint, quod est plane inauditum, Clodoveus consul non fuit. Quod etiam de imperio dici posset. Quod enim nullus historicus, aut chronologus Clodoveum inter imperatores romanos unquam retulerit, argumento est, eum imperatorem romanum re ipsa non fuisse, quidquid de nomine et insignibus fuerit.

Tertium Illyrici mendacium in ea sententia est, cum nomina et insignia Clodoveo ab imperatore collata, ad posteros ejus pertinere contendit, atque inde jure haereditario ad Carolum pervenisse. Nam cum post obitum Clodovei nullus omnino ex Francorum regibus consul, aut patritius, nedum imperator et augustus ante Carolum Magnum aut se ipse appellaverit, aut ab aliis fuerit appellatus, mirum est, unde Illyricus colligere potuerit, munus illud Anastasii, non proprium Clodovei, sed cum omnibus regibus Francorum fuisse commune. Deinde cum inter Clodoveum, et Carolum trecenti anni circiter intercesserint, qua ratione, quaeso, id potuit Carolus a Clodoveo haereditaria successione accipere, quod intermedii reges numquam habuerunt?

Postremum idque certissimum, crassissimumque mendacium est, Clodovei monarchiam ad Carolum Magnum sine romani pontificis auctoritate, successione haereditaria pervenisse. Quis enim historicorum tacuit, Carolum Magnum Pipino patri successisse; Pipinum autem non jure haereditario, sed pontificis maximi sanctione, regnum Francorum adeptum, cum antea in Hilderici regno, praefecti aulae munere fungeretur? Testimonia supra citata sunt cap. 2. mendacio 19. ac ne unum quidem scriptorem contra Illyricus proferre potuit, aut unquam potuisset. Siquidem id historici omnes summa consensione, et quasi una voce testantur. Cum igitur Pipinus, non jure haereditario, sed papae beneficio (ut loquitur Joan. Tilius in chronico Francico) regnum Galliae obtinuerit, certe eidem pontifici Carolus Magnus, Pipini filius, idem regnum acceptum referre debet. Adde quod etsi solum Pipinum s. Bonifacius archiepiscopus moguntinus inunxit, postea tamen Stephanus papa in Gallias veniens, Pipinum simul, et filios ejus, Carolum Magnum, et Carolomannum, reges Francorum inunxit, eiusque regnum Francorum perpetuo possidendum confirmavit, ut iidem historici testantur. Mentitur igitur Illyricus cum ait, Carolo Magno sine pontificis auctoritate monarchiam Clodovei esse delatam.

CAPUT X.

Non accepisse Carolum Magnum imperii dignitatem auctore senatu, populove romano.

Quartus erat titulus, Beneficium S. P. Q. R. Illyricus enim, ut nihil intactum relinqueret, tametsi aliquoties in suo libro significaverit, nihil a senatu, populove romano Carolum accepisse, tamen objecit, etiam aliquot auctores, qui populo ac senatui potius quam pontifici imperium a Germanis acceptum referri debere scripserint. Hi sunt Sigebertus, Blondus, Leopoldus, Aeneas, Vincentius et Onuphrius, quorum sententias sic refert Illyricus pag. 7. 55. et 56. ut licet non omnino eas recipiat, tamen probabiliores existimet iis, quae translationem imperii romano pontifici tribuunt. At nos in primis iis auctoribus, quos testes producit Illyricus, opponere possumus illos omnes, quos supra citavimus, hoc est, plures paucioribus, et antiquiores recentibus. Illi enim supra triginta erant; isti sex: Illorum nonnulli scripserant ipso Carolo vivente; multi non diu postea; Ex istis autem unus Sigebertus trecentis annis Carolo posterior fuit; reliqui quingentis, aut sexcentis, aut etiam septingentis et eo amplius annis posteriores fuerunt. Qui igitur non videat utri

majorem fidem mereantur, quos nos citavimus, an quos Illyricus citat?

Neque tamen concedimus sex istos scriptores omnino esse a nostra sententia alienos. Nam Sigebertus, qui eorum est vetustissimus, et qui Sigebertum sequutus est Vincentius Belvacensis, nihil tribuit romano populo in imperii translatione praeter assensum et acclamationem. Haec enim sunt verba Sigeberti et Vincentii: Romani, qui ab imperatore constantinopolitano jamdiu animo desciverant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier, excaecabat, imperatore Constantino filio suo eis imperabat, uno omnium consensu Carolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis papae coronant, Caesarem et Augustum appellant: Pipinum vero filium ejus regem Italiae ordinatum collaudant. Hic nullam *Plebisciti*, nullam *Senatusconsulti* mentionem fieri audio, sed solius laudis et acclamationis. Et quamquam non aperte Sigebertus explicet, utrum populi acclamatio coronationem, an coronatio acclamationem praecesserit tamen dubium esse nemini debet, quin coronationem pontificiam praecessisse Sigebertus intellexerit, alioqui enim pugnaret cum omnibus historicis, qui ante ipsum de eadem coronatione et acclamatione scripserunt.

Quod vero Sigebertus ait, a populo Carolum per manus Leonis coronatum, non recte interpretatur Illyricus, Leonem ut ministrum ac delegatum populi, coronam imperialem Carolo imposuisse, cum potius ea verba significent, sic placuisse populo id quod princeps eorum et pastor summus fecit, ac si ipsi per manus ejus id fecissent. Quod quidem ex sequentibus verbis illustrari potest. Nam de Pipino, quem ex consensu omnium historicorum Leo papa tum regem Italiae declaravit, cum ipsum Carolum imperatorem fecit, sic loquitur Sigebertus: Pipinum vero filium ejus, regem Italiae ordinatum collaudant. Ubi vides ordinationem regis, pontifici laudationem quae sequuta est populo tribui.

Jam vero Blondus nihil omnino sententiae nostrae officit. Nam (ut notavimus cap. 3.) etsi scitum populi romani in coronatione Caroli non defuisse scribat, tamen id contra fidem antiquorum tradit. Ac praeterea non significat ejusmodi plebiscito imperatorem Carolum appellatum, sed eum ad imperium a pontifice maximo postulatum. Nam, ut ibidem Blondus ait, precibus populi romani Leo pontifex Carolum imperatorem dixit.

Porro Lupoldus non meminit plebisciti, aut senatusconsulti, sed solum recitat cap. 3. extrema verba Vincentii, quae sunt illa quae habet Sigebertus, de quibus jam diximus. Ex propria autem sententia passim Lupoldus repetit translationem factam esse per pontificem, ac praeter alia sic ait cap. 4. de juribus imperii: *Leo papa, consideratis omnibus, quae digne ac bene sufficiebant pro translatione imperii de imperatoribus constantinopolitanis ad reges Francorum facienda, ipsum Carolum Romae in Ecclesia sancti Petri in die natalis Domini, sub anno ejusdem Domini* 801. *acclamante ac petente populo romano unxit et coronavit imperatorem et augustum, per quas unctionem et coronationem dicta translatio peracta fuit: ut etiam dixi supra capitulo primo, et capitulo praecedenti in fine.* Et infra cap. 12. proponit opinionem quorundam, qui dicebant, populum romanum posse leges condere et imperium transferre; deinde subjungit: *Sed haec responsio, salvo meliori judicio, mihi non placet. Ex quo enim imperium Romanorum tempore dictae translationis, et etiam longo tempore ante ipsam, non fuit apud Romanos, sed potius apud Graecos, nec etiam hodie apud romanos, sed apud Germanos existit, non occurrit ratio, quare populus romanus tempore translationis praedictae habuerit, vel etiam hodie habeat majorem potestatem circa translationem imperii, quam quicumque alius populus imperio romano subjectus.* Haec ille.

Viderit igitur Illyricus qua fide auctores citet. Certe Lupoldus non poterat clarius negare id, quod ab eo affirmari Illyricus scripsit. De Aenea Sylvio facilis responsio est. Nam et in iis verbis, quae Illyricus citat (quae tamen ut verum fatear, adhuc in operibus Aeneae invenire non potui) non excluditur consensus romani pontificis, et in abbreviatione Blondi lib. 1. decadis 2. precibus Romanorum scribit idem Aeneas a Leone pontifice Carolum coronatum: et denique in epistola ad regem Turcorum, quam supra citavimus, disertis verbis idem auctor affirmat a pontificibus, praedecessoribus suis (fuit enim et ipse summus pontifex) in reges Francorum imperium esse translatum.

Solus igitur Onuphrius est, quem pro se Illyricus allegare potest: cujus testimonium tribus rationibus non modo infirmari, sed omnino refelli ac profligari potest. Primum, constat aliquando imperatores invito, ac repugnante populo romano, creatos fuisse, quos tamen veros ac legitimos imperatores cum ipse Illyricus, tum etiam historici omnes agnoscunt. Exemplo esse potest Fridericus primus, quem, repugnante populo romano, coronavit Romae in templo sancti Petri Adrianus papa quartus, quam historiam vide apud Othonem frisingensem lib. 2. de rebus gestis Friderici cap. 22. Deinde cum historici vetustissimi, tum latini, ut Eginarthus, Paulus Diaconus, Aimoinus, Ado, Rhegino, et caeteri, tum graeci, ut Cedrenus et Zonaras, in describenda translatione imperii, aut nullam populi, atque senatus mentionem fecerint, aut ei solam acclamationem, Carolo jam coronato, tribuerint: unde, quaeso, post octingentos ferme annos Onuphrius didicit S. P. Q. R. suffragiis Carolum Magnum imperatorem et Augustum appellatum?

At credibile est ita rem accidisse: ita enim fieri decuit. Respondebo quod Onuphrius ipse recte monuit in lib. de comitiis imperatoriis, non esse fidelis historici rem describere, ut fieri debuisset, sed ut facta est. Alioqui enim non res gestae scribuntur, sed mendacia obtruduntur. Quid autem factum sit, non ex philosophiae promptuariis hauriendum est, sed ex eorum narratione ac fide, qui interfuerunt, vel qui ab iis, qui interfuerunt, acceperunt, aut certe qui aliorum testimonio sibi commendata, literis ac memoriae tradiderunt. Deinde romani principes post constitutam a Julio et Augusto monarchiam, aut ab alio principe nominabantur, aut ab exercitu creabantur. Quos senatus, aut populus

creavit, ii et paucissimi fuere, et non diu tolerati. Certe in tanto numero principum Romanorum, tres tantum Onuphrius in lib. de comitiis imperatoriis nominat a senatu electos, Nervam, Maximum cum Balbino et Tacitum. Nervam a senatu creatum, Dion Cassius, quem solum Onuphrius citat, non dicit; Aurelius Victor arbitrio legionum (quamquam id non in omnibus codicibus haberi animadverti) Nervam imperatorem factum scripsit. Eutropius lib.8.favore praefecti praetorio Nervae delatum imperium testatur. Ipse quoque Onuphrius sic a senatu Nervam creatum imperatorem scripsit, ut non negaverit accepisse etiam suffragium militum praetorianorum,sine quo videlicet irrita fuisset electio. Maximus et Balbinus invito exercitu electi, prima data occasione a militibus interfecti sunt. Siquidem (ut scribit Herodianus lib. 8.) indignabantur milites sibi a senatu principes datos, quos et senatorios imperatores per ludibrium appellabant. Tacitus a senatu quidem dictus est, sed militibus jubentibus; ut Flavius Vopiscus scribit in ejus vita: senatus enim ad milites imperatoris electionem rejiciebat,probe intelligens non placiturum militibus principem, quem ipsi non elegissent. Itaque recte s. Hieronymus in epistol. 85. ad Evagrium, imperatorem ab exercitu creari dicit.

Cum igitur haec fuerit apud Romanos eligendi principis ratio,multorum saeculorum consuetudine roborata,quis credat post annos 800.romanum senatum,aut populum,quando nullius ferme auctoritatis erat,id fuisse ausurum in electione principis, quod ante cum floreret,minime audebat?Quare consultius fecit Joannes Aventinus, quem Illyricus et Onuphrius praeter caeteros laudant. Is enim cum senatusconsultum, et plebiscitum in imperii translatione omnino habere vellet, et tamen non auderet contra fidem omnium veterum id asserere, tacitum senatusconsultum et plebiscitum factum fuisse scribit, et primas partes ejus actionis pontifici romano attribuit. Sic enim loquitur lib. 4. annalium Bojorum: *Pontifex, senatus, populusque romanus imperium transferre jure suo in Germanos, Carolumque tacito senatusconsulto plebiscitoque decernunt.* Nimirum sic interpretari voluit hic auctor acclamationem populi romani, Carolo a pontifice coronato. De qua veteres loquuntur, ut videlicet illa acclamatio quoddam veluti plebiscitum fuisse videretur. Sed de his satis. Nam neque adversarius (ut supra diximus) hunc imperii titulum agnoscit.

CAPUT XI.

Non devenisse ad Germanos imperium donatione Graecorum.

Restat postremus titulus, principis orientalis donatio, sive communicatio, quem titulum Illyricus non solum agnoscit, sed etiam pro viribus defendere nititur. Tot vero fraudibus et mendaciis in hac una re explicanda utitur, ut mirum sit, si non ipse sibi apud sanos lectores existimationem fidemque detraxerit.

Nobis autem ad hunc titulum explodendum duplex via, eaque expeditissima,sese offert.Primum enim historici tum veteres, tum recentiores scribunt, graecos imperatores, cum primum ad eos fama perlata est coronationis Caroli,vehementer commotos atque indignatos fuisse. Quod sane argumentum est evidens imperium Carolo non esse Graecorum donatione tributum. Sed verba historicorum audiamus. Eginarthus, Caroli Magni (ut supra diximus) cancellarius, in vita ejusdem Caroli, postea quam exposuit coronationem, ita subjecit: Invidiam suscepit nominis,constantinopolitanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia,vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis proculdubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, et in epistolis fratres eos appellando. Sigebertus in chronico anni 805. et Conradus abbas urspergensis in chronico, ubi refert compendio res gestas Caroli, iisdem fere verbis indignationem imperatorum Graecorum describunt. Quos sequutus Albertus Krantzius lib. 2. Saxoniae cap. 8. ita scripsit: Invidiam suscepti nominis, constantinopolitanis imperatoribus non dissimulantibus magna superavit pecunia: vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua Graeculis multum praestabat.

Deinde ex historiis constat graecos imperatores agnovisse tandem vel invitos imperium Caroli, sed non antequam is a pontifice imperator appellatus et augustali diademate insignitus est, ut nonnisi impudentissimo mendacio Illyricus scribere potuerit pag. 48. et 52. multis annis ante Caroli coronationem concessum eidem Carolo fuisse imperium occidentis ab imperatore graeco.

Exstant annales Francorum accuratissimi, ipso Caroli tempore conscripti. In his anno Domini 798. ponitur prima legatio Irenes imperatricis ad Carolum nondum imperatorem, qua legatione non imperii communicatio tractata est, sed restitutio captivorum. Deinde anno 801. adscribitur Caroli coronatio Romae facta a pontifice Leone.Tum anno 802. qui fuit ultimus Irenes, narratur alia legatio ejusdem Irenes ad Carolum imperatorem, pro pace inter Graecos et Francos impetranda. Sed neque in ea legatione ulla mentio communicationis imperii facta est. Anno 803. describitur legatio Nicephori imperatoris, qui Irenae successerat,ad eundem Carolum pro impetranda pace; de imperii communicatione nulla mentio. Pacem enim optabant Graeci a rege Francorum potentissimo,sed nondum (quod ex veteribus colligatur) Carolum salutare imperatorem et augustum dignabantur. Anno 812. qui fuit ultimus Nicephori, commemoratur legatio Michaëlis, qui successerat Nicephoro, ad eundem Carolum, et tum demum scribit auctor annalium, a legatis graeci imperatoris Carolum magnum,cum jam annos 12. imperaret, imperatorem et augustum salutatum. Denique anno 814. scribit auctor obitum Caroli, quem annis 14. in imperio fuisse testatur, ac proinde non numerat annos imperii a consensu Graecorum, sed a coronatione,quam a Leone pontifice Romae susceperat. Consentiunt his annalibus omnes historici graviores, Aimoinus lib. 4. cap. 90. et 91. Paulus Diaconus lib. 23. rerum roman. Ado viennensis in chronico 6. aetate, Rhegino prumiensis lib. 2. chronic. Otho frisingensis lib. 5.

cap. 31. et sequentibus, Cedrenus in compendio historiarum, Zonaras in annalibus, Abbas urspergensis, Hermannus Contractus, et Sigebertus in chronico, Blondus lib. 1. decadis 2. Platina in vita Leonis III. et (quod magis est admirandum) Illyricus cent.9. cap. 16. col. 621.

Videamus nunc quid Illyricus in lib. de translatione imperii adversus hanc notissimam certissimamque historiam, adversus scripta sua priora, et (ni fallor) etiam adversus propriam mentem et conscientiam adferat: *Habuit* (inquit pag. 47.) *Carolus Magnus imperialem dignitatem concessione ac consensu constantinopolitanorum imperatorum, quod aliquanto clarius ordineque deinceps exponam.* Nec nos diffitemur, consensisse tandem Graecos in imperium Caroli, sed invitos, et, ut tu ipse loco notato in centuriis dicis, quod mutare non possent, quod a Leone pontifice jam factum erat. Sed perge et expone quod proposuisti. *Platina ut homo italus, et papis suis addictissimus, studio rem totam obscurat: ac cum narrasset, Romae Carolum, acclamante ei populo (ut imperatori) a Leone coronatum esse, mox addit haec verba: Interea vero constantinopolitana imperatrix missis in Italiam legatis, cum Carolo foedus et pacem iniit, imperiumque hisce terminis divisit etc. quibus verbis ostendit quidem imperatricem proculdubio de consensu imperialis senatus Carolo Magno concessisse occidentale imperium, et haud dubie etiam nomen ipsum cum re, sicut omnes alii historici scribunt; sed tamen non vult clare dicere,an antea papa populusque eum coronaverint,aut vero imperatrix illi eam dignitatem et potentiam concesserit.*

At certe Platina satis clare expressit, post peractam Caroli coronationem, legatos de pace ab Irene ad Carolum venisse. Sed fac Platinam ut italicum et papis addictum, rem obscurasse: quid respondebis ad annales Francorum, ad tot historicos supra citatos, Graecos, Germanos, Gallos, ad te ipsum denique? Certe illi nec italici erant, nec papis addictissimi; et tamen coronationem Caroli antea factam, quam legati de pace ab Irene mitterentur, clarissime docuerunt.

Quod autem addis, omnes historicos testari, nomen imperatorium cum ipsa re, quae tanto nomini respondet,Carolo ab Irene concessum, mendacium est apertissimum: Nullum enim historicorum reperire potui (evolvi autem plurimos), qui id ullo verbo significaret quod tu dicis; quin potius annales Francorum, Ado viennensis et Rhegino prumiensis in chronicis anno 812. tamquam rem novam et insolitam referunt, quod legati Michaëlis, qui tertius fuit ab Irene, laudes imperatorias Carolo dixerint, eumque imperatorem et basileum appellaverint, perge. *Verum quod antea imperatrix id fecerit quam papa vel populus, inde liquidissime apparet, quia, teste Matthaeo Palmerio florentino, et Martino polono, antea est Irene imperatoria dignitate spoliata per Nicephorum, quam papa Leo, populusque eam actionem cum Carolo Romae habuit. Sunt vero isti duo vel diligentissimi supputatores temporum.* Et hic, ni fallor, contra conscientiam loqueris.

Nam in primis, qua fronte audes Martinum Polonum diligentissimum temporum supputatorem appellare, quem constat omnium fere historicorum fuisse negligentissimum? Ac ne longius abeamus, in descriptione annorum Irenes, Nicephori,Michaëlis et Caroli imperatorum, quae omnia vix duas paginas explent, sex commisit errores. Primum Irenem solam tribus annis imperasse dicit. At Paulus Diaconus, qui Irenes tempore vixit lib. 23. rerum romanarum, quinque annos, et aliquot menses illi tribuit, et singulorum annorum acta describit. Idem facit auctor annalium Francorum, qui Pauli Diaconi aequalis fuit. Idem Cedrenus, graecus auctor, in compendio historiarum. Idem alii veteres, et ex recentioribus Onuphrius lib. 2. de principibus romanis Irenae soli tribuit annos quinque, menses undecim,dies 16. Deinde Nicephorum,qui Irenae successit, Martinus Polonus solum mensibus novem imperasse scribit. At Paulus Diaconus, Cedrenus, Annales Francorum, et omnes alii veteres,octo annos, et eo amplius Nicephoro tribuunt: Onuphrius lib. 2. de principibus romanis annos octo, menses octo, dies 26. et ne putetur esse librariorum error in numero; quid singulis annis Nicephorus egerit, Paulus Diaconus et Cedrenus diligenter perscripserunt. Tertio Michaëlis imperium constituit Martinus Polonus anno 800. contra omnium aliorum historicorum tum veterum, tum recentiorum fidem. Quarto Caroli Magni initium ponit anno 802. neque errore librariorum id factum existimari debet. Siquidem eodem in loco Carolum imperasse dicit annis 14. mense uno et diebus quatuor, ac deinde consequenter initium Ludovici, qui Carolo successit, ponit anno 816. At Carolum imperare coepisse primo die anni 801. si a natali Domini initium anni sumatur, vel octo diebus ante exitum anni 800. si exordium anni ducatur a kalendis januarii; tot et tam graves auctores scribunt, ut mirum sit Martinum Polonum vigilasse, ista cum scriberet. Vide testimonia quae supra citavimus cap.4.Quinto idem Martinus ibidem Leonem III. qui Carolum coronavit, quartum appellat, contra caeteros omnes historicos, eique tribuit aedificationem urbis leoninae; quam tamen constabat ab alio Leone esse factam, quem alii omnes quartum,ipse vero quintum vocat. Sexto in eadem pagina idem Martinus scribit anno 814. Stephanum papam IV. venisse in Gallias, et honorifice susceptum a Ludovico imperatore. At si Ludovicus imperare coepit anno 816. ut paulo post idem Martinus docet: quomodo potuit anno 814. Imperator Ludovicus Stephanum pontificem ad se venientem suscipere? Itaque Martinus Polonus, diligentissimus scilicet supputator annorum;tam pontificum quam Caesarum annos,ut plurimum perperam disponit.

Quod vero idem Illyricus ait, ex Matthaeo Palmerio liquidissime apparere, Irenem ante imperio spoliatam fuisse, quam pontifex Leo Carolum coronaverit, liquidissimum quoque mendacium est. Palmerius enim in additione ad chronicum Eusebii,tametsi in eo labitur,quod Irene post filii excaecationem solum quatuor annos tribuit,cum Paulus Diaconus, annales Francorum, et Cedrenus quinque annos, et aliquot menses illi tribuant, tamen

ipse idem coronationem Caroli ponit anno 801. et initium imperii Nicephori anno 802. constat autem ex Cedreno, et paulo Diacono, eadem die Nicephorum imperare coepisse, qua Irene se abdicare imperio coacta est. Ex quo intelligimus Palmerium non solum quatuor annos integros, sed etiam aliquot menses Irenae tribuendos existimasse, licet solum perfectum numerum expresserit. Proinde ex Palmerii sententia posterius Irenem imperio spoliata, quam Carolus fuerit coronatus.

Sed audiamus jam caetera. *Testatur quoque Platina, Nicephorum imperatorem, oppressorem Irenes, mox initio foedus Irenes de imperii divisione cum Carolo renovasse: ut haec quoque fuerit confirmatio imperii occidentalis a constantinopolitanis Carolo facta. Porro Nicephorum hunc imperatorem collocat Martinus Polonus poenitentiarius papae, et archiepiscopus consentinus, in annum Domini 799. omnino eum clarissime praeponit illi romanae coronationi Caroli, sicut et Sebastianus Francus, quin et Jacobus Philippus Bergomensis.* De Martino Polono jam ante respondimus, eum in manifesto errore versari, cum imperium Nicephori refert ad annum Domini 799. quod ad annum 802. referre debuisset. Sebastianum Francum non vidi; nec multum laboro quid ille dixerit, cum auctor fuerit admodum recens, et a catholica religione alienus.

Jacobum Philippum Bergomensem more tuo fraudulenter citas. Ille enim etsi lib. 11. supplementi commemoret divisionem imperii inter Carolum et Irenem, antequam narret ejusdem Caroli coronationem Romae factam, tamen id facit per anticipationem, ut expediat ea quae ad Graecorum imperium pertinent. Nam postea loco suo ad ordinem temporum rediens, disertis verbis docet imperium a Graecis ad Francos translatum fuisse pontificis auctoritate anno Domini 800. exeunte, ut etiam supra citavimus in 4. cap.

Praeponit quoque (addit Illyricus) *Martinus Michaëlem imperatorem eidem coronotioni, qui ibidem illud foedus renovavit cum Carolo. Denique et chronicon D. D. Achillis Gassari initium principatus Nicephori ponit in annum 798. facta vero est illa renovatio concessi imperii a Nicephoro mox initio sui imperii. Quare ex hisce licet colligere ut minimum tres donationes aut concessioperii per constantinopolitanos imperatores factas ante illam romanam actionem nempe Irenes, Nicephori et Michaëlis, vel certe illas duas priores.*

Colligebat olim Virgilius aurum ex Ennii stercore: at noster Illyricus (ut video) ex historicorum auro stercus colligit. Nam cum veteres, ac probati historici, et illi ipsi, qui tempore Caroli Magni vixerunt, tam perspicue tradant, anno quinto Irenes Carolum Magnum a pontifice maximo coronatum, ac deinde post eam coronationem, Irenae successisse Nicephorum, et Nicephoro Michaëlem, quis non intelligit errasse Martinum Polonum, et, qui eum sequuti sunt, recentiores historicos, qui sine ulla ratione ex sola imperitia veteribus contradicunt? Quanta autem impudentia est, ejusmodi errores tam diligenter consectari, et demum in obscuris auctoribus vix repertos ita proponere, ac si nihil verius literis mandari potuisset? et tamen pergit Illyricus, atque ait: *Ex hisce etiam licet colligere, temere vel potius fraudulenter a Sabellico concessionem imperii ab Irene post factam coronationem Leonis papae poni. Redarguitur enim manifeste ratione temporum. Plerique sane omnes Irenem ajunt postremo ab imperio depositam esse ante illam actionem romanam, aliqui autem eodem anno. Igitur oportet translationem imperii antea in Carolum factam esse a constantinopolitanis quam a Romanis.*

At si temere vel fraudulenter Sabellicus anteposuit Caroli coronationem Irenes abdicationi, num etiam Paulus Diaconus, annales Francorum, Cedrenus, Zonaras, Ado, Rhegino, Otho, Conradus, Sigebertus, et alii veteres, temere vel fraudulenter id egerunt? Certe Sabellicus veteres historicos sequutus est. Et quinam sunt, Illyrice, illi plerique omnes, qui Irenem ajunt postremo ab imperio depositam esse ante illam actionem romanam? Nimirum Martinus Polonus, qui unus est instar omnium. An non te pudet tam aperte mentiri? sed perge.

Porro illam translationem de pace imperioque inter Irenem et Carolum factam, collocant Ado viennensis, et annales Caroli in annum Domini 798. Praeponunt igitur eam ut minimum integro quadriennio coronationi leoninae. Paulus quoque Aemilius in sua Francorum historia affirmat seriam sollicitamque actionem et legationem Irenes ad Carolum longe praecessisse illam romanam coronationem. Id vero, Illyrice, non est solum audacter mentiri, sed etiam configere oculos hominibus, ut non videant ea quae clarissime patent. Siquidem Ado viennensis, et annales Francorum duas ponunt legationes Irenes ad Carolum, unam pro pace et restitutione captivorum, ante Caroli coronationem anno 798. alteram pro pace iterum renovanda, post Caroli coronationem, anno 802. et quamvis Platina dicat hac legatione posteriore procuratam esse imperii divisionem, tamen Ado viennensis, et annales Francorum nullam imperii mentionem faciunt, nisi multo inferius, ubi describunt legationem Michaëlis anno 812. Haec enim sunt verba Adonis: Anno 798. Irene ad excellentissimum regem Carolum legationem pro pace servanda misit. Et infra, postquam narraverat coronationem Caroli factam anno 801. ita subjungit: Anno 802. Irene imperatrix ad imperatorem Carolum misit pro pace inter Francos et Graecos firmanda. Et infra : Anno 803. Irene ab imperio deposita est: et Nicephorus imperator Constantinopoli creatus, qui legatos suos, una cum legatis imperatoris Caroli remisit. Nam imperator Carolus Jesse episcopum ambianensem, et Elinigandum comitem, Constantinopolim direxerat. Susceperunt autem legati Nicephori imperatoris epistolam inscriptam de foedere pacis, sicque tali pacto Constantinopolim reversi sunt. Denique infra anno 812. In ejus locum Michaël gener ejus imperator creatur, cujus legati Aquisgrani ad imperatorem Carolum missi laudes more suo dixerunt, imperatorem et basileum illum appellantes. His consentiunt tum annales Francorum (nam inde haec omnia Ado viennensis accepit) tum etiam Paulus Aemilius in

lib. 3. de rebus Francorum, ut quivis per se cognoscere potest.

Novum enim mendacium est, quod paulo post Illyricus addit, cum ait: *Mihi vero verisimile est, mox initio illius instaurati regni Irenes esse factam talem transactionem de imperio inter eam et Carolum, quo constabiliret adhuc principio dubium et invidiosum regnum, quod et Aemilius affirmat.* Hoc inquam apertum mendacium est, cum Paulus Aemilius non solum non dicat ullam factam esse transactionem de imperio inter Irenem et Carolum, sed contra potius asserat invita Irene et Nicephoro Augustis, Carolum a pontifice magno procerum Romanorum assensu, imperatorem factum. Id illa verba indicant de legatis, quos Irene misit ad Carolum, jam a pontifice coronatum. Augustae legati foedus petebant, aegritudine animi interim dissimulata, et illa de Nicephoro: Hactenus Carolum Augustum, magno, patientissimoque animo Nicephori simultatem invidiamque tulisse.

Sed pergamus ad reliquas nugas Illyrici, ut hunc locum aliquando claudamus: *Credibile*, inquit Illyricus, *tamen profecto valde est, Irenem cum filio Constantino multo antea illam dignitatem et possessionem imperii cum Carolo communicasse.* Unde autem id credibile sit, multis verbis conatur ostendere. Sed summa est, quia Carolus devictis Longobardis, jam magna Italiae parte, et ipsa urbe potiebatur; et Constantinus imperator constantinopolitanus filiam Caroli in matrimonium sibi dari petierat. *Expendat*, inquit, *quaeso totum hoc negotium quivis intelligens, quomodo potuit Constantinus imperator ambire, aut impetrare filiam Caroli non facta pace? Quomodo autem potuit inter eos fieri pax, non concesso Carolo occidentali imperio, quod jam fortiter occupaverat, et firmiter retinebat? Necessario igitur in tali nuptiarum filiae Caroli pactione divisio imperii facta est.* Egregia sane demonstratio, quasi non possit imperator cum rege potentissimo pacem facere et affinitatem contrahere, nisi imperialem dignitatem cum eo communicare voluerit. Qua igitur ratione Carolus V. imperator cum Francisco rege Francorum pacem fecit, et Leonoram sororem ei in matrimonium collocavit, nec tamen eum in imperio collegam accepit? At Carolus Magnus occidentale imperium armis acquisitum possidebat: nec pacem cum imperatore constantinopolitano fecisset, nisi ei imperium jam occupatum retinere permissum esset. Verum, non est, ut supra diximus, de possessione provinciarum imperialium quaestio, sed de titulo, de jure, de nomine, de dignitate ac majestate augustali tota controversia est. Neque enim inficiamur, Carolum bellica virtute Longobardos ex Italia exegisse, eamque provinciam suam fecisse, quae aliquando romani imperii provincia fuerat. Sed quemadmodum hoc tempore reges Francorum et Hispanorum, romani imperii provincias tenent, nec tamen sunt romani imperatores, et imperator cum eis pacem et affinitatem habet, ita quoque fieri potuit, ut Carolus Magnus aliquot romani imperii provincias sine nomine et jure imperatorio teneret, et tamen cum eo imperator constantinopolitanus pacem atque affinitatem habere cuperet.

CAPUT XII.

Romanum pontificem jure suo imperium a Graecis in Germanos transtulisse.

Demonstravimus hactenus, Carolum Magnum, quem imperatorem romanorum fuisse nemo negat, ejusmodi imperium nullo alio titulo adeptum, nisi pontificis maximi auctoritate. Nunc quoniam Illyricus inter alia argumenta, quibus efficere nititur, imperium non pervenisse ad Carolum Magnum pontificia auctoritate, etiam illud affert, quod romanus pontifex non habeat jus imperia transferendi: Nos contra Deo juvante, ad demonstrandum aggrediemur, posse romanum pontificem, si caussa postulet, id facere, non quidem regia aut imperatoria, sed apostolica, idest, summa atque eminentissima ecclesiastica potestate.

Pendet autem tota haec res ex duabus sententiis: altera, romanum pontificem totius Ecclesiae, idest, omnium Christianorum patrem et pastorem esse; altera, summum Ecclesiae totius pastorem ita non modo privatis hominibus, sed etiam regibus et imperatoribus christianis praeesse, ut, si caussa Christi et Ecclesiae id exigat, possit eos regnis, atque imperiis exuere, eaque regna et imperia ab aliis ad alios transferre. Nemo est enim qui non intelligat, si hae duae sententiae verae sint, continuo illud etiam effici, ut romanus pontifex certis de caussis imperia transferre possit.

Priorem sententiam multi ex nostris accuratissime ac fusissime demonstrarunt. Quod etiam nos praestitimus in libris quinque, quos de summi pontificis institutione et potestate scripsimus. Quare hoc loco satis erit, si eam sententiam confirmemus testimoniis imperatorum atque eorum potissimum, qui romanae sedi infesti fuerunt. Si enim ipsos imperatores, ubi de jure ipsorum agitur, testes habemus, frustra aliorum testimonia desideramus.

Carolus Magnus imperator primus ex gente Francorum non semel primatum rom. pontificis agnoscere se ac venerari professus est. Exstat privilegium ejusdem Caroli, quod Bremensi Ecclesiae dedit, apud Albertum Krantzium lib. 1. metropolis cap. 7. in haec verba: *Summi pontificis, et universalis papae Adriani praecepto, necnon et moguntinensis episcopi Lullonis, omniumque qui affuere pontificum consilio, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendicis, Villehado, probabilis vitae, coram Deo et sanctis ejus commisimus.* Exstant item libri nomine Caroli Magni adversus synodum Graecorum de cultu imaginum: quos libros etsi ego non esse Caroli Magni arbitror, tamen quia ab adversariis Carolo tribui constanter video, sumam etiam inde testimonium. Sic igitur habet liber primus cap. 6. *Sicut caeteris discipulis apostoli et apostolis omnibus Petrus eminet, ita nimirum caeteris apostolica, et apostolicis romana eminere dignoscitur. Haec enim nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed ipsius Domini auctoritate primatum habet.* Denique, ut ex Platina in vita Leonis III. et Paulo Aemilio lib. 3. de rebus gestis Francorum, ac

Jacobo Vimphelingio in epitome rerum germanicarum cap. 9. cognosci potest, cum aliquando idem Carolus Romae sententias episcoporum,qui ex tota Italia et Francia convenerant, rogasset de vita et moribus papae Leonis, atque ab iis una voce responsum esset, sedem apostolicam, omnium ecclesiarum caput, a nemine judicari debere, continuo acquievit ac permisit, ut summus pontifex Leo solo jurejurando crimen, quod ei falso objiciebatur, dilueret.

Otho Magnus, qui primus ex gente saxonica Romani imperii gubernacula rexit, eundem primatum romanae Ecclesiae disertis verbis confessus est in epistola, quam scripsit ad Joannem XII. rom. pontificem,quae exstat apud Luithprandum ticinensem lib. 6. cap. 9. Haec enim est inscriptio literarum: *Summo pontifici,et universali papae domino Joanni, Otho divinae respectu clementiae imperator augustus.* Fuit quoque hic Otho Magnus romanae Ecclesiae et acerrimus defensor, ut Jacobus Vimphelingius testatur in epitome rerum germanicarum cap. 18. Ut autem omnes intelligant non solum imperatores amicos, sed etiam hostes romanae Ecclesiae, pontificis primatum agnovisse, subjiciam testimonia omnium fere imperatorum, qui romanam Ecclesiam hostiliter persequuti sunt.

Henricus IV. qui primus ex germanicis imperatoribus cum romano pontifice graves inimicitias gessit, etsi certis de caussis Gregorium VII.pontificem oderat, auctoritatem tamen romanae sedis super omnes homines, atque adeo super ipsos reges et imperatores, numquam negavit. Exstat epistola ejus ad principes imperii, quam totam refert Conradus abbas urspergensis in chronico anni 1106. In epistola haec habentur: *Praeterea,* inquit, *Domino papae in praesentia legati sui et vestra obedire parati sumus: et nunc parati sumus ei omnem debitam reverentiam et obedientiam sincero corde, et devotione praesentialiter exhibere.* Et infra: *Rogamus vos per auctoritatem romanae Ecclesiae, cui nos committimus, et honorem regni, ne super nos et fideles nostros veniatis.* Et infra: *Si interpellatio vestra, nullaque alia interventio ad praesens prodesse poterit, appellamus romanum pontificem,et sanctam universalem romanam sedem et Ecclesiam.* Haec ibi. Rursus autem idem Henricus IV. in postrema epistola ad principes: *Appellavimus,* inquit. *et tertio appellamus dominum romanum pontificem Paschalem, et sanctam et universalem sedem et romanam Ecclesiam.*

Henricus V. tametsi non parvo tempore propter episcoporum investituras romanam Ecclesiam vexavit et afflixit, ejus tamen primatum semper agnovit. Sic enim de eo scribit Abbas urspergensis in chronico anni 1110.

In epiphania domini Ratisbonae Henricus colloquium cum principibus faciens, animi sui propositum eis aperuit, scilicet, quod transalpinis partibus se exhibere vellet. quatenus et benedictionem imperialem a summo pontifice, romana, quae caput mundi est, in urbe perciperet, et latas Italiae provincias in societatem regni germanici fraterna pace, et justitiis ac legibus antiquis componeret, insuper ad omnia quae defensio posceret ecclesiastica, ad nutum patris apostolici se promptum demonstraret. Et infra in chronico anni 1117. ubi exposuisset Abbas terrifica signa, quae de coelo ostendebantur adversus impietatem ejusdem Henrici,qui summum pontificem captivum facere. atque ab eo per vim extorquere investituras episcoporum ausus esset; ita subjungit:*His et ejusmodi cladibus rex Henricus corde tenus sauciatus. non cessat legationes satisfactorias ad apostolicam sedem destinare.* Et infra in chronico anni 1122. pacem inter Calixtum pontificem et eundem Henricum imperatorem his verbis Abbas describit: *Facto,* inquit, *universali conventu apud urbem Vangionum quae nunc Vormatia dicitur, sicut longum, ita et incredibile memoratu est, quam prudenti.quam instanti.quamque per omnia sollicito cunctorum procerum consilio, pro pace et concordia per unam, vel amplius,hebdomadam certatum sit. donec ipse in cujus cor regis est, omnem animositatem Augusti sub apostolicae reverentiae obedientiam, caussa matris Ecclesiae.etiam ultra spem plurimorum,inflexit.*

Fridericus I. imperator, et romani pontificis Alexandri III. hostis acerrimus, romanae Ecclesiae primatum et rebus et verbis confessus est. Nam cum in Italiam venisset, Adrianum IV. pontificem ita veneratus est, ut ad ejus pedes primum venerabundus accederet.Deinde descendenti ex equo stapedem teneret. ut referet Albertus Krantzius lib. 6. Saxoniae cap. 16. Quod idem postea fecit etiam Victori,quem verum pontificem.cum schismaticus esset existimabat.Sic enim scribit Radevicus lib.2.de rebus gestis Friderici I. cap. 70. *Ibi,* inquit, *religiosissimus imperator ante januas Ecclesiae eum suscepit. et descendenti de equo strepam humiliter tenuit. et apprehensum per manum usque ad altare perduxit, et pedes ejus est osculatus.* Itaque Fridericus imperator re ipsa, et factis satis declaravit quo loco romanus pontifex haberi deberet. Nec tamen solis factis, sed etiam verbis sententiam suam aperuit. Nam in epistola ad omnes imperio romano subjectos,quae exstat apud Radevicum lib. 1. cap. 10. romanum pontificem caput sanctae Ecclesiae nominat: et rursus in epistola ad Adrianum IV. pontificem, apud Radevicum lib. 2. cap. 16. romanam Ecclesiam matrem omnium ecclesiarum et ipsius imperii vocat. Denique in epist. ad Hermannum episcopum brixinensem, apud eundem Radevicum lib. 2. cap. 56. ubi deplorat schisma, quod in romana Ecclesia fuerat exortum, ita loquitur: *Cum,* inquit, *unus Deus, unus papa, unus imperator sufficiat et una Ecclesia Dei esse debeat; quod sine dolore dicere non possimus, duos apostolicos in romana Ecclesia habere videmur.* Et infra: *Pro tanta namque, et tam perniciosa Ecclesiae jactura,tota nimirum italica Ecclesia conturbatur; et dissensiones, schismate orto in capite, jam inferiora membra defluxissent, et totum Ecclesiae corpus defoedassent, nisi nos consilio, et auxilio religiosorum virorum, qui spiritu Dei aguntur, tam impudicae iniquitati justitiae rigorem opposuissemus.* Et infra: *Ut justo declaretur examine, quis illorum regimen universalis Eccle-*

siae de jure debeat obtinere. Vides certe, lector, ex sententia imperatoris Friderici, unum esse debere papam, qui ut caput toti corpori Ecclesiae praesit, et cui Ecclesiae universalis regimen debeatur.

Philippus imperator creatus in schismate contra Othonem IV. licet a pontifice Innocentio III. ab imperio repulsus esset, is tamen (ut scribit Abbas urspergensis in chronico) cum audisset se in excommunicationem pontificiam incidisse, humiliter a legato pontificis absolutionem petiit, quod certe numquam fecisset, nisi summum pontificem, pastorem suum, ac proinde aliorum etiam principum et regum fuisse credidisset. Si enim sola romana civitas, et non Ecclesia universa, ad curam romani pontificis pertinere, quam ob rem princeps germanus romani pontificis censuram tantopere timuisset?

Fridericus II. Ecclesiae longo tempore hostis, et persequutor, timuit tamen romani pontificis, ut veri Christi vicarii, latam in se ecclesiasticam censuram. Sic enim scribit de hoc Friderico Abbas urspergensis in extremo chronico: *Nihilominus quoque omni tempore, quandiu, denunciabat eum papa excommunicatum, beneficium absolutionis humiliter cum omni obedientia, et devotione, et justitiae exhibitione postulavit;* et Jacobus Vimphelingius in epitome rerum germanicarum cap. 35. *Fridericus,* inquit, *secundus in Cyprum usque navigans, Aconem tendem pervenit, nunciis rogans pontificem, ut se absolveret anathemate: quoniam in ejus potestate deinceps semper sit mansurus.*

Ludovicus IV. imperator, et armis et scriptis Joannem XXII. pontificem oppugnavit, tantum tamen abest, ut existimaverit summi pontificis auctoritatem de Ecclesia esse tollendam (ut eam Illyricus sublatam cupit) ut cum verum pontificem sibi faventem habere non posset, falsum pontificem creandum curaverit: Nec interim tamen unquam destiterit varias rationes quaerere, quibus vero, legitimoque pontifici reconciliari posset. Nam per Joannem regem Boëmiae, et literis et nunciis tentavit, si posset in gratiam Joannis pontificis redire, paratus antipapam suum deponere, seque reum gravissimi criminis agnoscere, ac misericordiae pontificiae totum permittere. De qua re vide literas Joannis pontificis ad Joannem regem, apud Robertum Arboricensem tom. 2. de utroque gladio, theoremate 7. Deinde mortuo Joanne pontifice, cum audivisset idem Ludovicus imperator, Benedictum papam ad amicitiam suam esse propensum, continuo ad eum legatos misit, qui demississimis precibus absolutionem ab excommunicatione, et restitutionem ad imperium peterent. Cujus rei testis et Argentinensis in chronico, qui illo ipso Benedicti et Ludovici tempore floruit.

Neque solum post tempora Caroli Magni, sed etiam antea, romani imperatores pontificem romanum Ecclesiae catholicae caput esse professi sunt. Atque ut nomine omnium aliorum duo testimonia, unum latini imperatoris, et graeci alterum proferamus, exstat epistola Valentiniani III. ad Theodosium juniorem inter epistolas praeambulares ad concilium chalcedonense. In ea epistola sic loquitur imperator: *Debemus dignitatem propriae venerationis b. apostolo Petro in nostris temporibus conservare, qualenus beatissimus romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit locum habeat, et facultatem de fide sacerdotibus judicandi.* Exstat quoque epistola Justiniani graeci imperatoris ad Joannem II. romanum pontificem in ipso primo titulo codicis. In qua epistola haec habentur verba: *Nec enim patimus quidquam quod ad ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestrae innotescat sanctitati, quae caput est omnium sanctarum ecclesiarum.*

Habemus igitur imperatorum testimonia, veterum, recentiorum, latinorum, graecorum; amicorum, et inimicorum; quibus testimoniis prior illa sententia, quam confirmandam suscepimus, satis munita, quod ad praesentem controversiam de translatione imperii facit, et constituta esse videtur.

Jam vero summum ecclesiasticae hierarchiae principem (quae erat altera sententia) regna atque imperia Christianorum, si necessitas Ecclesiae id postulet, posse transferre, demonstratum est a nobis in lib. 5. de pontifice, ex quo libro huc unam vel alteram rationem transferemus.

Primum igitur: Licet potestas ecclesiastica, quae in summo pontifice potissimum residet, et potestas politica, quam praeter caeteros principes imperator romanus habet, non modo duae sint ac distinctae finibus et officiis, sed etiam separatae interdum inveniantur (nam aliquando Ecclesia nullos habuit politicos principes, et nunc etiam multi sunt principes ac reges extra Ecclesiam) tamen quando principes sunt christiani, et in Ecclesiae catholicae membris, ac filiis numerantur, duae illae potestates ita conjunguntur ac conveniunt inter se, ut unam rempublicam, unum regnum, unam familiam, immo et unum corpus efficiant. Unum enim, ut Apostolus ait Rom. 12. sumus corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra. In hoc autem corpore mystico Ecclesiae, potestas ecclesiastica veluti animus quidam est, politica autem veluti corpus, ut s. Gregorius nazianzenus docet in oratione ad populum timore perculsum, et praesidem irascentem. Neque in controversiam id revocari potest, cum constet ecclesiasticam potestatem spiritalem ac coelestem esse, politicam vero, humanam ac terrenam: et rursus illius finis aeterna beatitudo sit: hujus autem, pax et tranquillitas temporalis: illa animos et corda potissimum regat; ista in corporibus vim suam habeat: illa legibus divinis et coelestibus oraculis; ista jure civili ac gentium nitatur: illa denique auctorem immediatum Deum habeat; ista per jus gentium, et consensum populorum ad principes derivetur. Igitur quemadmodum distincta sunt animi et carnis munera, et separata etiam inveniuntur in angelis, qui corpore vacant et belluis, quae rationis sunt expertes; et tamen in homine quia unam hypostasim efficiunt, ita conveniunt et conjunguntur, ut animus praesit, caro subjiciatur; et possit animus jure suo carnem jejuniis, vigiliis aliisque laboribus coërcere, ne impediat munera spiritus, vel etiam, si opus sit ad fidem ip-

sius spiritus consequendum, possit spiritus carni imperare, ut se, ac sua exponat omnia, etiam cum detrimento vitae, ut sanctos martyres facere videmus, pari ratione in Ecclesia Christi, si vere unum corpus sit, tantam esse oportet conjunctionem ecclesiasticae ac politicae potestatis, tantumque inter eas ordinem, et unius ad alteram subjectionem, ut in his quae ad aternam salutem adipiscendam pertinent, ecclesiastica potestas politicam dirigat, eique imperet; et, si opus sit, cohibeat et coërceat, ne adeptionem proprii finis impediat etiam cum detrimento propriae potestatis; ut eo modo, juxta b. Gregorii sententiam lib. 2. epist. 61. terrestre regnum coelesti regno famuletur.

Huc accedit, quod cum principes politici ad Ecclesiam veniunt ut Christiani fiant, recipiuntur illi quidem, sed cum pacto expresso, vel tacito, ut sceptra sua Christo subjiciant, et Ecclesiam catholicam non everlant, sed tueantur pro viribus ac defendant; et nisi id fecerint, puniri possint etiam regni amissione. Non enim est aptus regno Dei, nec tuto ad sacramentum Baptismi admitti potest, qui non est paratus Christo servire; et propter ipsum amittere quidquid habet; cum Dominus dicat in evangelio Luc. 14. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus; et rursus in eodem loco: Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Quae loca (ut s. Augustinus recte exponit in epist. 5. ad Marcellinum) sic intelligenda sunt, ut is non possit Christi esse discipulus, qui non est paratus carere potius uxore, liberis, parentibus, opibus, honoribus, atque ipsa etiam vita, quam ut Christum offendat. Quae cum ita sint, nullam profecto injuriam facit summo principi politico princeps summus ecclesiasticus, si eum admoneat, illique imperet, ut politica sua potestate recte utatur, legibus et poenis impios ac blasphemos coërceat, fidem catholicam protegat, adversus infideles Ecclesiam oppugnantes arma suscipiat. Quod si is aut ex ove lupus evadat, et haereticos, ac sectarios sequens, fidem catholicam destruat, aut velut aries furiosus contempto pastore in oves sibi subjectas grassetur, aut certe instar languidi ac timidi canis, propter ignaviam ac segnitiem, gregem Domini a luporum morsibus defendere non audeat, cur quaeso non poterit summus pastor, et qui Christi ipsius vices in terris gerit, lupum illum ab ovili arcere, atque ovibus imperare ne illum ultra sequantur; et arietem furiosum recludere ac prohibere ne gregem deinceps ducat, ac denique imbecillo cani valentiorem alium substituere, qui gregem, ut oportet, custodiat ac defendat?

Ergo hac potestate Jojada pontifex Athaliam reginam, tyrannidem in populo exercentem, a regno amovit, et Joas regem constituit; ut legimus lib. 4. Reg. cap. 11. et lib. 2. Paralip. cap. 23.

Hac potestate Gregorius papa II. Leonem imperatorem Iconoclastarum haeresi studentem, atque eam in Italiam inducere molientem, non solum excommunicavit, sed etiam vectigalibus Italiae prohibuit, ut Cedrenus et Zonaras in ejusdem Leonis vita scriptum reliquerunt. Hac potestate pontifex Zacharias Hilderici regnum, quod eis socordia catholica religio in Galliis non modicum detrimentum pateretur, in Pipinum et filios ejus transtulit, ut supra multis testimoniis demonstravimus.

Hac potestate Leo III. pontifex, regem Nordamhumbrorum regno suo inique pulsum, atque ad se tamquam omnium Christianorum caput et principem fugientem, per legatos suos in regnum restituit, ut Aimoinus scribit lib. 4. de rebus gestis Francorum cap. 96. et Rhegino lib. 2. chronici anno 808.

Hac denique idem Leo romanum imperium a Graecis ad Francos transtulit, quod jam longo usu didicisset, Graecos aut non posse, aut nolle laboranti Ecclesiae opem ferre: ac tum maxime id metuendum videretur, cum, imperatore Constantino fraude suorum excaecato, foemina, quod antea numquam acciderat, romano imperio praesideret.

Porro divino consilio eam translationem factam, testantur in primis victoriae ac triumphi, quos de omnibus suis hostibus Carolus reportavit. Ut enim Deus ostenderet suum esse illud opus, ita Carolum Magnum pietate, fortitudine, justitia, clementia omnibusque regiis virtutibus ornavit, ejusque imperium tantis opibus, tanta benevolentia populorum, tot clarissimis victoriis, tot sacrarum aedium magnificentissimis aedificiis nobilitavit, ut post Magnum Constantinum nullus imperator felicior, nullus Ecclesiae utilior fuisse videatur. Testatur deinde consensus, et approbatio orbis terrae. Siquidem Carolo Magno a Leone pontifice imperatore appellato, non modo romanus populus laetissimis vocibus acclamavit, nec solum universa Italia, Gallia, Germania, Pannonia, totus denique occidens, novum imperatorem gratissime excepit, sed etiam ab Asia et Africa maximorum regum legationes gratulatoriae cum magnis muneribus ad Carolum advenerunt. Ipse etiam graeci imperatores, tametsi alioquin aemuli et hostes latinorum (ut supra demonstravimus) per legatos imperium Caroli agnoverunt, eumque imperatorem et augustum salutarunt. De quibus legationibus vide, si placet, annales Francorum, Adonem, Rheginonem, Abbatem urspergensem in chronico anni 801. 802. 803. 807. et 812. necnon Othonem frinsingensem lib. 5. hist. cap. 31. et 32. Testantur denique omnes consequentes aetates, siquidem ab anno Domini 801. quo anno in Germanos imperium translatum esse constat, omnes omnino Christiani romanum imperium apud Germanos esse crediderunt. Neque ullus fuit princeps, aut rex Christianus, qui Caroli Magni successores ut veros legitimosque imperatores non agnoverit, aut qui se eis posthabitum aegre tulerit. Soli sunt Lutherani, qui dum germanicum imperium Antichristi miraculum esse contendunt, Germaniam suam legitimo imperio sine dubitatione spoliare nituntur.

Sed occurrit Illyricus, et adversus ea quae hactenus diximus, objicit jus canonicum et divinum, quo politica potestas omnino pontificibus interdicitur. Sic enim probat in lib. suo de translatione imperii pag. 6. non esse translatum imperium a Graecis ad Francos pontificis maximi auctoritate: *Quia*

papae, inquit, *testantibus id ipsorum propriis juribus, non sunt a Deo constituti domini aut gubernatores temporalium dominiorum; sicut ipsemet Christus negat suum regnum esse de hoc mundo, negat se esse constitutum judicem rerum, ac litium terrenarum. Prohibet quoque apostolis ne dominentur politice, inquiens, reges gentium dominantur, vos autem non sic. Jubet eos esse servos, et omnium minimos. Quin d. Petrus, quo se isti fundatore jactant, jubet presbyteros politicis gubernatoribus obtemperare. Quod igitur jus Christus hic in terris non habuit, non tantum non tradidit suis apostolis, sed etiam severissime prohibuit, id profecto nec Petrus, nec papae, etiamsi centies vicarii Christi essent, habere poterunt.*

Verum tota haec Illyrici argumentatio uno verbo destrui potest. Nam tametsi fateremur, romanum pontificem neque re ipsa habere, neque etiam habere posse ullam politicam potestatem, non tamen inde recte colligeretur, imperium a Graecis ad Germanos ab eodem romano pontifice non potuisse transferri: Non enim politica, sed ecclesiastica potestate, quae politica longe major et sublimior est, quaeque politicae praeest, eamque regit ac dirigit, ut supra diximus, ea translatio facta est. Siquidem papa, non quod esset rex regum, aut summus temporalis monarcha, qualis Augustus et Constantinus fuere, occidentale imperium a Graecis ad Francos transtulit, sed quod pastor Ecclesiae universae, a Christo ipso cum summa potestate constitutus, inter oves suas etiam reges et imperatores numeraret, posset que, ac deberet operam dare, ne reges, et regna Christianorum, Christi regnum impediant, neve Ecclesiae obsint, sed ejus potius honori, atque utilitati deserviant.

Sed ne forte queratur Illyricus suam argumentationem nimis breviter refutatam, excutiamus paulo diligentius. Ait primo summos pontifices (testantibus id propriis ipsorum juribus) non esse constitutos a Deo dominos, aut gubernatores temporalium dominiorum. At iisdem juribus testantibus, constituti pontifices sunt pastores ac praesules animarum, quarum aeternae saluti omnia temporalia bona deservire debent. Proinde licet, dum reges christiani regna sua (ut Christianos decet) administrant, non debeat summus pontifex eorum regnorum curis ac negotiis se implicare, ubi tamen ii coeperint a via deflectere, et in detrimentum animarum regnis suis abuti, potest ac debet remedia congruentia (ut saepe diximus) adhibere. Quare translationem imperii a Graecis ad Germanos, apostolicae sedis auctoritate factam esse, omnia jura clamant. Vide quae supra citavimus cap. 6.

Ait secundo Illyricus Christum ipsum non fuisse regem de hoc mundo, nec judicem litium terrenarum. At non negabit (opinor) Illyricus, potuisse Christum nihilominus, si ita expedire judicasset regna mutare, atque transferre. Neque idcirco non fuit Christus rex temporalis, nec lites terrenas judicavit, quia non potuit, sed quia noluit.

Addit tertio interdictum severe apostolis, ne dominarentur sicut gentes faciunt, et contra eis imperatum, ut essent minimi, atque omnium servi, sed facilis responsio est. Siquidem haec omnia ad commendationem humilitatis faciunt, quae virtus cum superbia pugnat, non cum potestate. Nam ubi Christus apostolis imperavit, ut non dominarentur more gentilium, sed minimi essent, ac servi, ibidem de se ait: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; et rursus: Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat; et tamen idem ipse dixerat se habere potestatem omnis carnis, et sibi omnia tradita esse in manus, et se esse Dominum et magistrum.

Addit Illyricus postremo: Apostolum Petrum presbyteris mandasse, ut politicis gubernatoribus obtemperarent: qui locus in neutra b. Petri epistola invenitur. Haec enim sola de presbyteris verba leguntur apud apostolum Petrum: Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, et testis Christi passionum, qui et ejus, quae in futuro revelanda est, gloriae communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque, ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam 1. Petri 5. quae verba non presbyteros magistratibus politicis, sed magistratus potius, ut caeteros laicos presbyteris subjiciunt.

CAPUT XIII.

Solvuntur, aut soluta demonstrantur argumenta Illyrici.

Etsi ex iis quae hactenus dicta sunt, profligata videtur omnis controversia, et argumenta omnia, quae ab adversario adferebantur, dissoluta, quia tamen Illyricus in ipso primo capite sedecim objectiones, quasi totidem cohortes aut legiones produxit in aciem, quas non eodem ordine, sed prout se obtulit occasio, variis in locis confecimus, operaepretium visum est, hoc loco singulas iterum inspicere, et vel locum annotare ubi solutae sunt, vel breviter refellere, si qua forte adhuc restat, quae caput attollere videatur. Ita igitur ille praefatur. Quod non sit facta per papas imperii translatio a Graecis ad Germanos, probatur sequentibus argumentis.

Primo: Quia id asserunt, probantque duo summi viri, idque non temere, suove arbitrio, sed ex vetustis historiis, nempe Nicolaus Cusanus cardinalis, et Henricus Kaltheisen, archiepiscopus nidrosiensis et papae domesticus, qui ante centum annos mortui sunt. quorum testimonia in fine adjiciam. Non opinor duos istos tuos milites tam esse temerarios, ut audacter stare velint in acie adversus nostros circiter quinquaginta, partim historicos, partim etiam summos principes et pontifices. Sed quid si demonstrare potuero, ne istos quidem, Illyrice, tibi favere?

Nicolaus Cusanus, vir alioqui doctus et pius, injuria temporum, tanta librorum veterum penuria laboravit, aperte dicat lib. 3. Concordantiae catholicae cap. 3. quem solum locum Illyricus citavit, in nullis historiis se reperisse Carolum Magnum ve-

rum imperatorem fuisse. Proinde contendit Germanorum imperium in Othone I. ita coepisse, ut nullus praedecessorum ejus inde usque ad Carolum Magnum imperator fuerit. Placet ne tibi Illyrice, ut auctore Cusano, negemus etiam nos, Carolum, Ludovicum, Lotharium, et caeteros tam multos imperatores fuisse? Deinde nullum omnino historicum, neque priscum, neque recentem Cusanus nominatim citat, excepto Luithprando Ticinensi. Quid igitur tibi volebas cum diceres, Cusanum non temere, suove arbitrio, sed ex vetustis historiis sententiam suam munire? Adhaec tuus ille Cusanus tota illa disputatione sua nihil molitur aliud, nisi imperium non esse translatum a Graecis ad Francos Adriani vel Stephani romanorum pontificum auctoritate: Nam de Leone III. cui omnes historici veteres translationem hanc imperii tribuunt, nihil omnino Cusanus dixit, ac Leonem III. nec nominavit quidem. Quae igitur est haec nova dialectica: Adrianus et Stephanus Carolum Magnum, patritium romanorum, non imperatorem et augustum appellarunt, nemo igitur postea rom. pontifex eundem Carolum imperatorem fecit?

Sed annotabo alium etiam insignem lapsum Cusani, ut Illyricus discat in aliis rebus magis, quam in historiis, fidem habendam esse Cusano. Scribit igitur Cusanus loco notato in generali concilio basileensi I. anno 1061. Cadolum parmensem a legatis romanis, communi omnium consilio electum papam, Anselmum vero Lucensem a certis Romanis et Normannis item electum cathedram occupasse. At unde ista Cusanus hauserit, ipse viderit. Constat enim ex Lamberto Schaphnaburgensi, qui tum vivebat, Cadolum parmensem non in concilio generali, neque anno 1061. neque a legatis romanis, sed ab imperatore Henrico puero, et aliquot principibus intrusum in sedem apostolicam anno 1063. contra vero Anselmum, qui in pontificatu Alexander II. appellatus est, Romae communi consensu Romanorum electum, ac deinceps ab omni Ecclesia, et ab ipso etiam imperatore Henrico, qui Cadolum elegerat, verum Christi vicarium habitum. Nec dissentiunt ab historia germanica Lamberti, chronica Mariani Scoti (qui etiam tunc vivebat) Othonis frisingensis, Sigeberti, Martini Poloni et aliorum. Atque hactenus de Cusano. De Henrico Kaltheisen nihil est, quod dicam. Nam ipse etiam Illyricus cum advertisset nihil in eo esse praesidii, nullum ejus testimonium protulit. Pergamus ad caetera.

Secunda, inquit, *ratio sit, quia Papae, testantibus id ipsorum propriis juribus, non sunt a Deo constituti domini etc.* Vide solutionem cap. praeced. ubi totam hanc Illyrici argumentationem excussimus.

Tertio: Quia ipsemet Carolus jure ac vi belli occupavit occidentale imperium. Vide solutionem cap. 7.

Quarto: Quia alii historici id fastum senatui, populoque romano tribuunt, non papae. Vide solutionem c. 10.

Quinto: Quia eam dignitatem habuit Carolus multiplici jure a suis majoribus, jure gladii, et insuper ex concessione constantinopolitanorum imperatorum. Vide solutionem cap. 7. et 10.

Sexto: Quia incertissimae narrationes illius translationis eam vanitatis redarguunt. Respondeo: Omnes probatos historicos summa consensione translationem factam literis mandasse a Leone III. anno 801. inchoante, ipso die natalis Domini in basilica s. Petri. Testimonia supra scripta sunt in cap. 3. Nam Joannem Andream, Vincentium Gallum, Antonium Rosellum, et glossam decretalium, quos auctores inter se dissidentes Illyricus citat, nihil moramur, quod illi et posteriores sint, et in historiis parum omnino versati.

Septimo: Quia evidens indicium falsitatis istius translationis illud quoque est, quod Gratianus, qui diligentissime talia congessit, nullam istius translationis imperii mentionem facit, cum alioqui ambitiose omnia pontificum decora ostentet, immo amplificet, et si quid in imperatores beneficii contulerint, praedicet. Respondeo: Gratianum decreta et canones, tum ex pontificum epistolis et conciliorum definitionibus, tum ex libris sanctorum Patrum satis diligenter collegisse; de rebus gestis pontificum et imperatorum non laborasse. Quare nemini mirum videri debere, cum de translatione imperii nullum sit factum decretum, sed res tantum publice gesta, si de ea re Gratianus mentionem non fecerit. Porro Gratianum ambitiose ostentare, atque amplificare omnia pontificum decora, tam est a veritate alienum, quam quod maxime. Sed non miror Illyricum tam libere mentire de Gratiano. Quoniam enim jamdudum apud Lutheranos Gratianus publico igni exustus fuit, existimavit Illyricus, saltem apud suos mendacia esse in tuto: quippe quae codicibus jam sublatis detegi non possent.

Octavo: Cognatum huic est, quod Leo VIII. in restitutione, aut recognitione privilegiorum Othoni I. facta, cum confessionis, aut potius concessionis Adriani II. qua se cum populo romano Carolo subjecerat, mentionem honorificam faciat, nihil prorsus, ne verbulo quidem unico, de translatione imperii dicit, cum multo profecto justius hujus tantae rei meminisse debuisset. Quaerit enim in veteribus actis fundamentum hujus suae novae concessionis aut largitionis, quod centuplo justius potuisset in illa tam gloriosa imperii translatione, si qua a Leone facta fuisset, ut isti fingunt, quam in Adriani sola patritiatus confessione. Quare cum in illa tam seria, solemnique actione inter Leonem VIII. aut potius totam ejus synodum, et Othonem I. nulla prorsus mentio fiat istius translationis, merum profecto figmentum esse liquido patet. Haec profecto evidentissima demonstratio est.

Multa sunt hoc loco Illyrici ornamenta numeranda, atque admiranda. Primum insignis memoria, aut historiarum peritia, cum Adriano II. tribuat, quod annis plus octoginta ante Adriani II. pontificatum gestum esse constat. Deinde non vulgare studium veritatis; cum scribat Adriani confessionem exstare, qua se cum populo romano Carolo Magno subjecerit; et ea confessio tamen nusquam exstet. Nam apud Gratianum can. *Adrianus*, et can. *In synodo* dist. 63. ad quae loco Illyricus respexit, legimus quidem concessum ab Adriano Carolo regi jus

eligendi romanum pontificem: at jus imperandi pontifici, eumve judicandi, quod vere ac proprie ad subjectionem pontificis pertinuisset, concessum non legimus. Non est autem idem, jus eligendi pontificem et jus pontifici imperandi, alioqui etiam cardinales pontifici imperarent, et canonici episcopo, et populus regi, et principes imperatori; quod pontifices a cardinalibus, episcopi a canonicis, reges a populis et imperatores a principibus eligantur. Tertio cernimus in Illyrico egregiam juris cognitionem, qui id in jure perspicere potuit, quod ibi numquam fuit. Nam Leo VIII. (ut ex can. in synodo, jam citato, intelligi potest) renovare voluit majorum suorum decretum de electione pontificum, atque id Othoni I. concedere, quod illi Carolo Magno concesserant, videlicet, ut jus esset imperatori nominandi tum ipsum romanum pontificem, tum etiam episcopos caeteros. Quoniam autem Carolo Magno Leo III. nihil ejusmodi dederat, sed Adrianus I. cum episcopis sui temporis id fecerat, propterea Leo VIII. exemplum sequi se dixit Adriani, in ea concessione; Leonis autem III. non meminit, quod ejus mentio ad rem non pertineret. Quod si in eo decreto Leo VIII. mentionem fecit patritiatus, quem Adrianus Carolo eodem tempore tribuit, id ea de caussa fecit, quia simul, et jure electionum, et patrii dignitate Adrianus Carolum ornaverat. Noluit enim ea separare, quae conjuncta erant, tametsi ad rem suam, aut solum, aut certe potissimum pertineret concessio juris pontificis eligendi. Agnoscimus postremo novam in Illyrico formam demonstrationum, cum haec sit (illo auctore) evidentissima demonstratio: Leo VIII. in suo quodam decreto non dicit: Imperium translatum ad Francos, sive Germanos romani pontificis auctoritate: igitur merum figmentum esse liquet quidquid historici tradunt de illa translatione. Egregie omnino, quasi continuo debeat esse falsum quidquid Leo VIII. non dixit.

Nono: Quia multi id factum adscribunt senatui, populoque romano; alii ipsi Carolo, qui id ultro sumpserit suo arbitrio, ac jure etc. Sed haec est mera repetitio tertii et quarti argumenti.

Decimo: Quid impudentius, aut vanius fingi potest, quam papam aut plebem romanam, potuisse, vel etiam ausos esse transferre, aut donare cuiquam supra se imperium. qui jamdudum amissa libertate, jurata mancipia imperatorum erant. Ipsimet Carolo jam amplius viginti annis antea sub Adriano omnem potestatem imperatorum constantinopolitanorum in Romam Italiam, et papas ipsos (quam ipse alioqui armis acquisierat) pontifex ac Romani integraque synodus, adhibitis etiam juramentis, et anathematibus consenserant, ejusque sese subditos, et veluti mancipia recognoverant, aut confessi fuerant, ut id ipsum proprium eorum jus, dist. 63. et omnes historiae testantur. Diximus de hac re satis multa in secundo capite: verumtamen nihil oberit hic adscribere quidquid habetur apud Gratianum dist. 63. ut Illyrici mendacia eo teste detegantur, quem ipse pro se protulit. Sic igitur loquitur Gratianus papa Romam venire Carolum regem ad defendendas res Ecclesiae postulavit. Carolus vero Romam veniens, Papiam obsedit; ibique relicto exercitu, in sancta resurrectione ab Adriano papa honorifice susceptus est, post sanctam resurrectionem reversus Papiam, cepit Desiderium regem. Deinde Romam reversus, constituit ibi synodum cum Adriano papa in patriarchatu lateranensi, in ecclesia s. Salvatoris: quae synodus celebrata est a 153. episcopis, religiosis et abbatibus. Adrianus autem papa cum universa synodo tradiderunt Carolo jus et potestatem eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem: dignitatem quoque patritiatus ei concesserunt, insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, ut, nisi a rege laudetur, et investiatur episcopus, a nemine consecretur, et quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit: et nisi resipisceret, bona ejus publicari praecepit. Haec Gratianus, quae ad verbum reperiuntur etiam apud Sigebertum in chronico anno 773. Caeteri autem historici veteres Rhegino, Ado, Otho frisingensis, Lambertus Schaphnaburgensis, Marianus Scotus, et Abbas urspergensis in chronicis ejusdem anni, et sequentium, nihil omnino hac de re scripserunt.

Dicat igitur nobis Illyricus, ubi sit in verbis Gratiani et historicorum, datam esse Carolo ab Adriano omnem potestatem imperatoris constantinopolitani; item datum esse Carolo imperium in romanos pontifices; item adhibitum jusjurandum quo papa subjiceretur regi; item agnovisse et confessos esse pontifices se Caroli esse mancipia. Nihil certe horum legitur nec in Gratiano, nec in ullo scriptore; proinde necesse est Illyrici esse mendacia.

Deinde quo pacto non secum ipse pugnasset Adrianus, si se regis mancipium agnovisset, et tamen eidem dignitatem patritiatus, et jus eligendi pontifices concessisset? Nisi forte illius temporis mancipia ea praedita auctoritate erant, ut etiam patritios facere, et reges ipsos novis dignitatibus augere possent. Quid quod Rhegino in chronico anni 787. scribit, Carolum regem et patritium subditum se Adriani pontificis agnovisse? Rex autem, inquit Rhegino, ad postulata respondit, se per multa tempora quaesivisse, sed minime obtinere potuisse: ne tamen inobediens videretur esse monitis apostolicis, asseruit se in ejusdem papae praesentia, cum ejusdem missis pacem velle firmare.

Undecimo: Testantur quoque omnes historici, etiam ii, qui papis sunt addictissimi, Leonem papam, mox ut electus fuit in papam, misisse ad Carolum Magnum legationem una cum clavibus sancti Petri, quod est papale insigne, et vexillis urbis Romae cum aquilis: petiisseque juxta synodum Adriani confirmationem sui, et ut aliquis mitteretur, qui Romanos Carolo denuo juramento adstringeret, quod fuit extremae subjectionis indicium. Quare etiam paulo post orto dissidio inter papam et Romanos, tum ipse papa ad Caesarem ut suum superiorem confugit, tum et Romani eodem suos accusatores miserunt, ut sic utrique sint testati eum esse suum legitimum judicem ac dominum. Quam foeda ergo tandem est ista vanitas, quod Papistae fingunt illos servos aut mancipia Caroli imperium romanum in

Carolum transtulisse, eumque sibi ut vassallum quendam dato feudo obligasse, ut nunc arctissimis juramentis Caesares sibi obstringunt et etiam ad turpissima pedum oscula adigunt. Non satis scio quid in hac objectione magis admirer, imperitiam, an impudentiam. Claves s. Petri a Leone ad Carolum missas, doctus Illyricus papale insigne interpretatur, quasi pontifex Leo pontificatum suum Carolo Magno, vel dono dederit, vel certe subjecerit. At claves illae nihil erant aliud, nisi thecae quaedam pretiosae, quibus reliquiarum fragmenta servabantur. Solebant enim pontifices, cum summo aliquem munere afficere voluissent, rasuram catenarum s. Petri, aut aliquid aliud generis ejusdem, clavicula aurea, vel argentea inclusum mittere. Audi s. Gregorium in epist. 23. libri 6. ad Theotistum et Andream: Praeterea, inquit, benedictionem s. Petri apostoli, clavem a sacratissimo ejus corpore transmisi. Et in epist. 126. libri 7. ad Recharedum regem Visigothorum: Clavem, inquit, parvulam a sacratissimo b. Petri apostoli corpore pro ejus benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum; ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat. Crucem quoque dedi latori praesentium vobis offerendam, in qua lignum Dominicae crucis inest, et capilli b. Joannis Baptistae: ex qua semper solatium nostri Salvatoris, per intercessionem praecursoris ejus, habeatis. Talem igitur clavem non insigne papale, sed religiosum munus christianissimo principi summus pontifex misit. Nam idcirco Rhegino in chronico anni 796. Ado viennensis in chronico sexta aetate, et Abbas urspergensis, item in chronico ejusdem anni, has ipsas claves, confessionis s. Petri, idest, sepulchri, claves appellant, et pro munere missas a Leone ad Carolum scribunt. Qui etiam auctores in chronico anni 800. simile quoddam donum ab episcopo Hierosolymae ad eundem Carolum transmissum, his verbis tradunt: *Eadem die Zacharias pater cum duobus monachis, uno de monte oliveti, altero de Bethlehem, Romam venit quos episcopus Hierosolymorum ad regem direxit, qui benedictionis caussa claves sepulchri Domini, ac loci Calvariae, claves etiam civitatis cum vexillo detulerunt.* Haec illi. Nec sane dubitari ulla ratione potest, quin fuerint omnia illa religiosa munuscula, non insignia dignitatum. Quare Paulus Aemilius in vita Caroli, pia magis quam magnifica munera esse dixit.

Quod secundo loco addit Illyricus, postulasse Leonem, ut a Carolo mitterentur, qui Romanos eidem Carolo juramento adstringerent, jam supra discussum est in primo capite, ubi ex ipso Illyrico demonstravimus, Leonem a Carolo postulasse, qui Romanos jurejurando adstringeret, non Carolo, sed Leoni; et sane ratio erat magna, cur novo pontifici Leoni novum sacramentum populus praestaret; cur autem Carolo praestaret, nulla erat. Quae cum ita sint, evanuit (credo) illud jam extremae subjectionis indicium, quod ex missis clavibus, et legatis postulatis, qui ad jurandum Romanos adigerent, Illyricus fabricaverat.

At, inquit, *dissidio inter papam et Romanos exorto, utrique Carolum dominum ac judicem appellarunt.* Nusquam ista nomina legi, judicis et domini. Res autem gesta narratur ab Othone frisingensi lib. 5. c. 30. his verbis.

Anno ab incarntione Domini 799. *Leo papa, qui Adriano successerat, in litania majore a Romanis flagitiosissime, ita ut oculi ejus eruti viderentur, tractatur: qui ad regem Carolum veniens, eventum rerum deplorat. Igitur Carolus victoriosissimus, qui jam subjugatis sibi Bajoariis, Aquitanis, Saxonibus, Danis, Nortmannis Britannis, Pannoniis, multisque aliis provinciis, regnum Francorum plurimum dilataverat, dignus qui altius proveheretur, papam ulturus ad urbem tendebat, cui pridie quam urbem intraret, Leo ad duodecimum lapidem occurrit, eumque honorifice suscepit. Mane facto, urbem ingressus, a pontifice ac cuncto populo susceptus, in ecclesiam b. Petri traducitur. Post, septem diebus transactis, rex concione facta, caussam adventus sui exponit. Leo quoque, cui aemuli sui magnum crimen imposuerant, nemine cogente, ex bona conscientia de objecto crimine coram omnibus supra sacrosancta evangelia se purgavit.* Haec ille. Ex qua narratione discimus, Carolum Romam venisse, non ut pontificem judicaret, sed ut injuriam illi factam ulcisceretur; et Leonem pontificem non ab aliquo judicatum, sed a se ipso, nemine cogente, jurejurando purgatum. Nec dissentiunt historici caeteri. Sed Rhegino, atque abbas illud etiam addunt, pontificem ad Carolum venientem summo cum honore ab eodem Carolo susceptum; quod utrum vilissimis mancipiis satis conveniat (quales fuisse eo tempore summos pontifices mentitur (Illyricus) Illyricus ipse judex esto.

Jam vero quod in postremis verbis Illyricus habet, adigi nunc a pontificibus imperatores ad jusjurandum, et oscula pedum, Otho Magnus, et Fridericus I. (ut alios praetermittam) nobis etiam tacentibus satis refellunt. Siquidem ille Joanni XII, pontifici jurisjurandi sacramentum, antequam urbem ingrederetur, a nemine coactus, nisi ab ipso jure et aequitate, praestitit; Quod exstat adhuc apud Gratianum can. Tibi Domino Joanni, dist. 63, Iste autem (ut capite superiore ex Krantzio et Radevico demonstravimus) Adrianum IV. humi prostratus sponte sua veneratus est, et Victori IV. quem ipse pontificem in schismate quodammodo fecerat, nemine cogente pedes osculari coram universa Ecclesia non erubuit. Sed de hac objectione satis multa dicta sunt. Pergamus ad caeteras.

Duodecimo: Ipsa vox translatio eos evidentissime mendacii redarguit. nam si transtulerunt imperium a Graecis ad Francos, sequitur Graecos esse plane privatos imperiali dignitate. Et infra: *Decretalis, Solitae, clare constantipolitanum regem vocat imperatorem Romanorum.* At haec objectio nulla est. Non enim imperium universum, sed occidentale solum translatum esse dicimus a Graecis ad Francos. Graeci siquidem cum Gothos. Belisario et Narsete ducibus, Italia exegissent, oc-

cidentale imperium orientali iterum adjunxerunt; postea vero, quam a Leone pontifice Carolus Magnus occidentalis imperii jure donatus est, Graecus imperator occidentali imperio caruit, orientale retinuit. Atque ex eo tempore augusti duo pari potestate romanum imperium tenuerunt.

Decimo tertio: Quacumque omnino parte, aut quasi lacinia quis istam narrationem translationis imperii apprehendit, mox liquido animadvertit esse vanissimum mendacium. Fingunt enim illi Carolum ignorasse papae consilium etc.

Ista vero est nova forma syllogismi. Constat enim tota argumentatio ex tribus manifestissimis, crassissimisque mendaciis, quae sunt a nobis supra cap. 2. notata et refutata. Vide igitur cap. 2. Mendacia 15. et 16.

Decimoquinto (nam decimumquartum prae festinatione Illyrico excidisse videtur, nisi forte sit error in numeris): Quis, inquit, *dubitat, si papa, ac Romani sponte, suoque arbitrio imperium a Graecis in Francos transferre tunc potuissent, voluissentque, eos certis firmisque pactionibus, ac conditionibus cum Carolo acturos fuisse, quibus tum sibi, tum etiam aliis regionibus, et hominibus cavissent de certa quadam libertate etc.* An tu ridiculus non es Illyrice, cum pactum de libertate retinenda commemoras, ubi de imperatore ac domino constituendo agitur? Quibus enim, quaeso, iste Caesar imperabit, si omnes homines ac regiones, quae ad illius imperium pertinent, sibi diligenter de libertate conservanda caveant? Sed nimirum magistrum tuum sequutus es Lubterum, qui in lib. de votis monasticis jubet monachos futuros hac forma verborum uti, cum Deo sua vota nuncupant: Voveo paupertatem, castitatem, et obedientiam usque ad mortem libere, ita ut mutare possim quando volo, nec unquam ea vota tenear observare. Audi igitur Illyrice. Si pacta nulla inter Leonem et Carolum intercessissent, mirum videri certe non deberet: dabatur enim imperium virtutibus Caroli, dabatur meritis ejus, necnon patris et avi, quae multa et magna in Ecclesiam romanam exstabant. Verumtamen accesserunt etiam pacta, non quidem, ut tu dicis, de libertate gentium et populorum conservanda, sed de Ecclesia universa, ac potissimum de apostolica sede perpetuo defendenda. Est enim imperator romanus (ut jura passim loquuntur) proprius Ecclesiae catholicae, atque praecipuus advocatus. Porro continetur hoc pactum tum in eo sacramento, quod reges Romanorum pontifici romano praestare solent cum ad coronam accipiendam veniunt: tum etiam in ipsa voce translationi imperii; idcirco enim non novum imperium erectum, sed antiquum translatum ad Germanos dicitur, ut meminerint germani imperatores, non modo jus et potestatem imperandi, sed etiam curam et sollicitudinem Ecclesiae tuendae, Constantini, Theodosii, Martiani, Justini, Tiberii, aliorumque veterum ac piorum Caesarum ad se translatam, quae etiam caussa est, ut aliquando romani pontifices certos imperatores et Ecclesiae communione, et imperii dignitate privarint; quod videlicet adversus inita et jurata pacta, non se illi advocatos, sed hostes Ecclesiae praestitissent. Sed de his satis.

Decimosexto: Verum, inquit, *ut hisce quoque argumentationibus sententiaeque finem imponamus, hoc unum quaero a pontificiis seductoribus: cum constet Carolum amplius viginti annis ante illam leoninam (pene dixissem vulpinam) papae coronationem totum occidentale imperium occupasse et tenuisse. hoc, inquam, quaero. num jure occupavit, et tenuit, fuitque legitimus ejus monarchiae possessor? Injuste eum occupasse ac tenuisse: non audebunt (credo) dicere. Si vero juste occupavit, ac tenuit totum occidentale imperium tot annis ante papatum Leonis, quomodo potuit Leo imperium romanum in eum transtulisse, aut quid tandem ei adjecit?* Sed haec objectio soluta est in sexto capite, ubi ostendimus, Carolum Magnum ante Leonis III. pontificatum, justo bello occupasse ac tenuisse non quidem universum (ut Illyricus dicit) occidentis imperium (nec enim Hispaniam, Africam, Illyricum, Britanniam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, aliasque nonnullas occidentalis imperii provincias eo tempore Carolus occupaverat) sed magnam tamen eius partem, id est, Galliam, Germaniam, Pannoniam, atque Italiae partem quandam. Caeterum ea ipsa loca non jure Caesaris, sed partim jure regio, partim jure patritio Carolum possedisse. Id igitur imperii translatio effecit, ut Carolus Magnus illa ipsa, quae jam habebat, non tantum ut rex, aut patritius, sed ut verus imperator et augustus retineret: utque jus haberet ad alias item provincias, quas occidentalis imperii fuisse, atque injuria ab aliis occupatas esse constaret: ut denique nominibus, titulis, honoribus omnibus veterum Caesarum uteretur, atque eo nomine omnes alios reges ac principes, tum ipse, tum ejus successores ac posteri anteirent, etiamsi aliquando contingeret, ut essent alii christiani reges, ipso Caesare longe potentiores. Ac ne id parum fortasse Illyrico videatur, revocet ad memoriam quae de Zenone et Theodorico ipse scripsit. Non modo enim affirmavit, sed etiam multis testibus asserere conatus est, Theodoricum Gothum, Zenonis imperatoris beneficio, occidentale imperium accepisse, cui si nunc objiciamus, Theodoricum ne uno quidem milite, aut obolo a Zenone adjutum, sua tantum ac suorum virtute, multis exantlatis laboribus, multoque sanguine effuso Italiae possessionem adeptum, nihil aliud inveniet quod respondeat, nisi ideo vere Theodoricum a Zenone imperium (vel regnum potius Italiae) accepisse, quod ab eo, jus, titulum, dignitatem ac potestatem regiam accepisset.

SUMMA

Imperium romanum de gente Francorum ad gentem Sazonum summi pontificis auctoritate transisse.

CAPUT PRIMUM

Successionem explicat Caroli Magni.

Sequitur altera Controversia apud Illyricum de translatione imperii a Francis ad Saxones; quam translationem Illyricus non modo, non auctore romano pontifice, sed etiam eo invito factam esse contendit. Sed ut res tota facilius perspiciatur, historia successionis imperatorum a Carolo usque ad Othonem paulo altius repetenda erit. Igitur Carolus Magnus a Leone III. pontifice Romae anno 800. coronatus, successorem habuit Ludovicum filium, quem Stephanus IV. alias V. papa Reims in Gallia coronavit anno 815. teste Othone frisingensi lib. 5. cap. 33. Ludovico Lotharius filius successit, quem Paschalis papa Romae coronavit anno 822. eodem teste Othone lib. 5. c. 34. Lothario successit filius Ludovicus, quem Sergius papa II. Romae coronavit anno 844. teste Adone viennensi in chronico 6. aetate. Ludovico Carolus Calvus successit, qui hujus Ludovici patruus erat, Lotharii videlicet frater ex patre Ludovico seniore: coronavit autem Carolum Calvum Romae Joannes VIII. anno 874. teste Rheginone lib. 2. chronici. Carolo Calvo Ludovicus Balbus filius successit anno 877. teste Rheginone ibidem? coronavit autem eum idem Joannes papa VIII. teste Onuphrio in additione ad Platinam in vita ejusdem pontificis Joannis. Ludovico Balbo successit Carolus Crassus Ludovici regis Germaniae filius, qui Ludovicus Caroli Magni ex Ludovico filio nepos erat. Coronavit eum idem Joannes VIII. Romae anno 878. teste Othone frisingensi lib. 6. cap. 8. Carolo Crasso Arnulphus successit, quem papa Formosus coronavit Romae anno 896. teste Rheginone in chronico. Fuit autem Arnulphus Carolomanni filius, Ludovici regis Germaniae nepos. Arnulpho successit filius Ludovicus, Ludovico Chunradus. Arnulphi ex alio Chunrado nepos. Atque hic series desiit Caroli Magni, et gentis Francorum, ut ex Abbate urspergensi in chronico anni 914. cognosci potest. Chunrado successit Henricus I. ex gente Saxonum, cognomento Auceps. Nam etsi is Henricus nepos erat Arnulphi imperatoris ex filia, ut Albertus Krantzius demonstrat lib. 2. Saxoniae cap. 33. tamen ex patre non Francus erat, sed Saxo. Porro nullus horum trium coronam imperialem habuit, ut historici omnes testantur. Henrico autem filius Otho successit, quem Joannes papa XII. Romae, ut infra demonstrabimus, coronavit.

Quaestio igitur est, coeperit ne Saxonum imperium in Henrico, an in Othone, et quidem in Henrico coepisse, Illyricus totis viribus contendit: siquidem inde rectissime deduci putat, invito romano pontifice saxonicum imperium constitutum: quoniam is Henricus nec Romam ad pontificem venit, nec ab eo unctionem, vel coronationem ullam postulavit. Ego vero imperatorem primum ex gente Saxonum Othonem Magnum fuisse, eumque a romano pontifice imperium accepisse, nullo negotio demonstrari posse censeo.

CAPUT II.

Othonem I. non autem Henricum, aut Chunradum imperatorem primum ex gente Saxonum fuisse demonstrat.

Primum igitur, Henricum patrem Othonis, regem tantum, non imperatorem fuisse, testis est ipse idem Henricus, qui regio nomine contentus, insignia appellationesque caeteras, necnon unctionem et coronationem sponte recusavit, ut custos imperii potius, quam imperator dici possit. Vitichindus, qui hujus Henrici tempore vixit, lib. 1. gestorum Saxonicorum, de hoc ipso Henrico ita loquitur: *Cum ei offerretur unctio cum diademate a summo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non sprevit, nec tamen suscepit, satis, inquiens, mihi est, ut prae meis majoribus rex dicar et designer, divina annuente gratia ac vestra pietate. Penes meliores vero nobis unctio et diadema sit, tanto honore nos indignos arbitramur.* Haec Vitichindus, quem sequutus Abbas urspesgensis in chronico anni 920. Henricus, inquit, renuit diadema et unctionem, solo nomine regis contentus. Albertus Krantzius lib. 3. Saxoniae cap. 2. Henricus, inquit, dux Saxoniae, primus ex ea familia ad romani regni culmen ascendit, quod ea domus per aliquot continuata saecula perseveranter servavit, ut in contextu docebimus, cui, si in Italiam praedecessorum more venire dignaretur, diadema cum consecratione ad imperatoriam dignitatem Joannes ejus nominis X. summus pontifex repromisit. Henricus autem satis sibi videri respondit, quod primus ad regni culmen immeritus pervenisset, diadema imperii majoribus debitum: se nihil ambire supra id quod accepisset, etiam si majora, quam obire posset, sustollentem onera. Habemus igitur in primis Henrici ipsius ingenuum, planeque germanicum testimonium.

Sed accedant secundo loco sequentium principum, ejusdem nominis testimonia. Nam (ut Onuphrius Panuinus testatur in lib. de Comitiis imperatoris) s. Henricus Chunradus, et tres alii Henrici, qui post Othonem III. imperarunt, in diplomatibus suis ita nomina sua inscribunt, ut nullo loco Chunradum et Henricum, qui ante Othones regna-

runt, inter imperatores habuisse videantur, non enim se scribunt Chunradum II. et Henricos II. III. IV. V. sed Chunradum I. et Henricos I. II. III. et IV. quibus etiam numerorum notis distingui sepulchra Chunradi, et posteriorum trium Henricorum, quae adhuc Spirae exstant, idem Onuphrius testis est. Ut jam non levis temeritas eorum esse videatur, qui contra ipsa imperatorum diplomata, et literas, in monumentis ante tot annorum centurias incisas, Chunradum I. et Henricum I. Secundos; necnon Henricum II. III. et III. IV. et IV. V. appellandos esse contendunt. De Ludovicis autem res adeo manifesta est, ut non possit Illyricus Ludovicum, Arnulphi imperatoris filium, qui corona caruit, inter imperatores numerare, quin sibi ipse repugnet. Nam si is Ludovicus imperator fuit, necesse est quartus fuerit; tres enim ante ipsum Ludovici praecesserant, senior, junior et Balbus? At si quartus est Arnulphi filius, qua ratione Lodovicus Bavarus et se ipse quartum, non quintum, in omnibus suis diplomatibus vocat; et quartus, ab omnibus auctoribus; et ab ipso Illyrico in hoc lib. de translatione imperii, aliquoties appellatur? Quod si Ludovicus ille e numero imperatorum eximitur, quia corona et unctione apostolica caruit, licet alioqui de stirpe Caroli, et filius imperatoris fuerit: quanto magis Henricus Saxo ex imperatorum numero eximendus erit, qui nihil horum habuit et coronam ac dignitatem imperatoriam recusavit?

Accedant postremo testimonia etiam veterum gravissimorumque historicorum. Lambertus Schaphnaburgensis in historia Germanica: Anno, inquit, 1024. Henricus primus rex: II rex imperator obiit. Ubi vides, lector, Lamberti historici gravissimi, et Germani, et qui illo ipso saeculo floruit, judicio, Henricum I. regem tantum: secundum autem, regem imperatorem fuisse. Rhegino et Sigebertus non dissentiunt a Lamberto: siquidem tres illos reges, Ludovicum, qui coronam imperii a romano pontifice non habuerunt, numquam imperatores, sed perpetuo reges vocant, cum tamen praecedentes et sequentes reges, qui a romano pontifice coronati fuere, imperatores semper appellent. Otho frisingensis pluribus in locis sententiam nostram aperte confirmat. Sed antequam verba illius ponam, operaepretium esse duxi lectorem praemonere quod Otho frisingensis scribit, et saepe repetit, virtute Othonis I. imperium transisse ad Francos orientales, non sic esse accipiendum, quasi Otho I. sine pont. max. auctoritate imperium obtinuerit; id enim paulo post apertissimis argumentis refutabitur. Id igitur solum Otho frisingensis significare voluit, in Othone I. translationem factam esse romani imperii ab occidentalibus Francis ad orientales; ejus autem translationis caussam fuisse virtutem ejusdem Othonis, qui et a pontifice summo promotionem ad eam dignitatem facile promeruit, et armis hostes imperii fortissime domuit. Ille igitur sic loquitur lib. 6. hist cap. 17. Ex hoc, inquit, quidam post Francorum regnum supplantant Teutonicorum. Unde filium Othonem in decretis pontificum, Leonem papam, primum regem Teutonicorum vocasse dicunt. Nam iste, de quo agimus, Henricus, oblatam sibi a summo pontifice dignitatem renuisse perhibetur. Et infra, Otho, inquit, qui imperium a Longobardis usurpatum deduxit ad Teutonicos orientales Francos, forsam dictus est primus rex Teutonicorum, non quod primus apud Teutonicos regnaverit, sed quod primus post eos qui a Carolo Carolingi, sicut a Meroveo Merovingi, dicti sunt, ex alio, idest, Saxonum sanguine natus, imperium ad Teutonicos Francos revocaverit. Et cap. 22. ubi narravit coronationem Othonis Romae celebratam, ita subjungit: Ex hinc regnum Romanorum post Francos et Longobardos ad Teutonicos, vel, ut aliis videtur, iterum ad Francos, unde quodammodo elapsum fuerat, translatum est. Et c. 24. Hic, inquit, est Otho, qui post multas victorias Graecos quoque in Apulia et Calabria superavit, ac imperium Romanorum virtute sua ad Francos orientales reduxit. Et paulo ante: Vide, inquit, regnum Teutonicum cum regno Francorum affine et quodammodo cognatum principium habere. Ibi primum Carolus (Martellus) sine regis nomine honorem regis gerebat: hic Magnus Otho Saxonum dux (Othonis imperatoris avus) regibus adhuc ex stirpe Caroli manentibus, regni summam administrabat. Illius filius Pipinus non solum re, sed etiam nomine rex coepit esse, et dici, hujus simili modo filius Henricus regis nomine meruit honorari. Illius filius Carolus Magnus non solum regnum, sed etiam imperium capto Desiderio primus obtinuit ex Francis. Istius filius Otho Magnus post multos triumphos, primus ex Teutonicis post Carolos capto Berengario Romanis imperavit. Haec ille.

Neque ab hoc numero veterum historicorum separandus est Luithprandus Diaconus his omnibus antiquior. Siquidem ipse lib. 6. cap. 6. cum Othonem I. ante coronationem imperialem piissimum regem tantum; deinde autem etiam imperatorem augustum fuisse dicat; manifeste significat, Henricum Othonis patrem, qui coronatus numquam fuit, imperatorem numquam fuisse. Philippus Bergomensis lib. 11. supplementi chronicorum, aperte docet, a Ludovico, Arnulphi filio, usque ad Othonem I. non fuisse in Germania imperatores, sed reges dumtaxat. Deinde lib. 12. addit in Othone I. imperium Germanis iterum restitutum. Lupoldus quoque in lib. de juribus imperii cap. 2. et 5. ut ipse Illyricus citat pag. 105. Othonem imperatorem primum ex gente Saxonum facit.

Addamus si placet etiam testimonium Cuspiniani, quoniam eo auctore Illyricus mirifice delectari videtur. Othonem (inquit Joannes Cuspinianus in vita ejusdem Othonis) plerique scriptores primum Germanorum imperatorem numerant, qui imperium, a justa sobole, agnationeque Caroli Magni ablatum, primus hic Otho justus princeps, vir belli pacisque insignis, recuperavit pontificis maximi auctoritate. Habemus igitur testimoniis historicorum, principum, et ipsius Henrici patris Othonis, non Henricum patrem, sed Othonem filium imperatorem primum ex gente Saxonum fuisse; quod etiam cognomen Magni satis aperte significare videtur. Nam propterea inter omnes imperatores occidentis, soli Carolus et Otho Magni cognomen invenerunt,

quod ille ad Francos, iste ad Saxones, imperii romani decus attulerit.

CAPUT III.

Eundem Othonem a summo pontifice Joanne XII. ad imperium provectum ostendit.

Jam vero demonstrandum superest, hunc ipsum Othonem a pontifice romano ad imperium vocatum, provectumque fuisse. Id vero historici omnes una voce tradunt, atque ut a posterioribus sursum versus ascendamus. Cuspinianum modo dicentem audivimus, ab Othone quidem recuperatum imperium, sed pontificis maximi auctoritate. Albertus Krantzius lib. 4. Saxoniae cap. 9. Cum appropinquaret, inquit, urbi, insigni pompa a Romanis est introductus, et imperii coronam cum consecratione, et imperatorio honore suscepit.

Joannes Nauclerus in chronographia sua, generat. 33. Otho, inquit, a Joanne papa Augustus vocatur et ordinatur, unctione imperiali ac benedictione sublimatus. Idem quoque docent Blondus lib. 3. decad. 2. Platina in vita Joannis XII. quem ipse tamen 13. vocat Philippus Bergomensis lib. 12. Supplementi; et Jacobus Wymphelingius in epitome rerum germanicarum, cap. 18. Sigebertus in chronico: Anno, inquit, 963. Otho I. a Joanne papa coronatur. Lambertus Schaphnaburgensis in historia germanica: Otho rex, inquit, perrexit Romam; eumque Joannes papa gratanter suscipiens, honorifice super cathedram augustalem posuit, et benedictione atque consecratione sua imperatorem fecit. Otho frisingensis lib. 6. cap. 22. Otho, inquit, gloriosus rex a Papia usque ad urbem progrediens, honorifice a summo pontifice Joanne, ac toto populo susceptus, applaudentibus cunctis, imperatoris et augusti nomen sortitur.

Abbas urspergensis in chronico: Ipse, inquit, Romam veniens mirifico apparatu susceptus, et ab eodem apostolico Joanne imperiali unctione et benedictione sublimatus, imperator et augustus est appellatus.

Marianus Scotus in chronico: Otho rex, inquit, Romam veniens, imperator efficitur a Joanne papa.

Rhegino abbas lib. 2. chronici: Rex, inquit, Otho Romae favorabiliter susceptus, acclamatione totius rom. populi et clerici, ab apostolico Joanne imperator et augustus vocatur et ordinatur.

Luithprandus Diaconus ticinensis, qui tempore ipsius Othonis floruit, lib. 6. de rebus per Europam gestis cap. 6. Romam, inquit, veniens (Otho I.) miro ornatu, miroque apparatu susceptus, ab eodem summo pontifice, et universali papa, Joanne unctionem suscepit imperii.

CAPUT IV.

Objectiones Illyrici diluit.

Videamus nunc quid pro sententia sua Illyricus adferat, quamquam valde suspicor fore ut mendacia potius, quam argumenta nobis refellenda sint.

Sic igitur incipit pag. 64. *Indicatum est, quomodo imperii possessio, et dignitas pervenerit a Graecis ad Carolum Francum, aut Germanum.* Et infra: *Porro quomodo a Francis, ad reliquos Germanos pervenerit, nunc indicandum est. Nam hic quoque papae adultores, ut ubique mendaciis omnia conspurcant ac corrumpunt.* Videlicet Illyrico magna religio est mentiri, idcirco confidenter alios mendacii reprehendit. Sed quam vere id faciat, testantur quae supra diximus, et quae continuo Illyricus ipse subjungit. Sic enim pergit: *Dicunt enim illi, quod deficiente virtute stirpis Carolinae, cardinales scripserint ad Othonem I. eumque creaverint imperatorem. Quod tamen nullis certis documentis probare possunt.* At non hoc dicunt scriptores, qui sunt alicujus nominis apud catholicos, quos tu falso papae adulatores vocas; plerique enim Othonem I. a romano pontifice Joanne XII. imperatorem creatum esse tradunt, non a cardinalibus. Testimonia paulo ante citata sunt. Atque ut verum fatear, nullam omnino auctorem me legisse memini, qui a cardinalibus imperium Othoni delatum scripserit. Scripserunt quidem cardinales duo ad Othonem imperatorem quaedam adversus Joannem pontificem, sed posteaquam idem Otho ab eodem Joanne imperator fuerat appellatus et coronatus, ut Illyricus ipse testatur in historia Magdeburgensi cent. 10. cap. 10. col. 535. Itaque literae illae cardinalium nihil omnino ad rem praesentem faciunt. Pergit Illyricus: *Vera autem historia illius translationis exstat prolixe apud Nauclerum et Cuspinianum. Ex qua narratione liquido patet, non potestate aut voluntate papae factam esse.* Id vero quam impudens est mendacium! Cuspinianus enim (ut paulo ante citavimus) in vita Othonis ita loquitur: Imperium a justa sobole, agnationeque Caroli Magni ablatum, primus hic Otho justus princeps, vir belli pacisque insignis recuperavit, pontificis maximi auctoritate.

Quid hic dicis Illyrice? Liquidone patet ex his verbis imperium translatum ad Germanos sine pontificis voluntate et potestate, an te potius egregie esse mentitum? Porro Nauclerus, etsi zelo patriae (ut ipse fatetur) conatur asserere Henricum patrem Othonis imperatorem, vel certe regem Romanorum fuisse, non tamen sine voluntate romani pontificis fuisse docet (ut Illyricus noster mentitur); quin potius sententiam suam Nauclerus ex decretis pontificum adstruere conatur: nimirum profert cap. *Venerabilem*, de electione; et Clementinam, romani principes, de jurejurando; ubi legimus, imperium romanum auctoritate sedis apostolicae translatum a Graecis ad Germanos in persona Caroli Magni, ex quibus decretis Nauclerus colligit, Henricum, et ejus praedecessores Conradum et Ludovicum, imperatores fuisse, quia romani pontifices, qui imperium transtulerunt, apud Germanos, non apud Gallos, aut Italos illud esse voluerunt.

Sed haec ejus argumentatio, nec apud Illyricum, nec apud nos ullius momenti est. Neque enim Illyricus admittit, pontificis auctoritate ad Germanos imperium esse translatum, licet pro sua constantia Nauclerum, qui illud docet, passim pro se testem

adducat. Nos autem fatemur quidem, vel potius asserimus et defendimus, translationem imperii auctore pontifice factam esse: non tamen inde recte posse colligi arbitramur, Ludovicum, Conradum et Henricum, qui corona imperii caruere, imperatores Romanorum fuisse, nisi forte designatos; quemadmodum olim Caesares dicebantur, qui Augusti futuri erant, licet nondum essent re ipsa. Si quidem illi ipsi textus, quos Nauclerus citat, aperte docent. Germaniae principes potestatem habere eligendi regem, in imperatorem postmodum a pontifice promovendum. Quare tres illi, qui a principibus electi ad regnum, non autem a pontifice ad imperium promoti fuere, reges dumtaxat, non imperatores, secundum ea capitula dici possunt.

Addit postea Nauclerus, Henricum patrem Othonis ideo verum imperatorem habendum, quod a summo pontifice imperator habitus videatur, cum exstet apud Gratianum dist. 63. constitutio primi Henrici, et primi Othonis cum romanis pontificibus. Sed hoc totum ut adversus Illyricum mirifice pugnat, ita nobis parum omnino nocet. Nam etiamsi in ea constitutione nominetur primo loco Henricus, non tamen necesse est eum Henricum illum esse qui Othonem praecessit; immo vero probabilissimum est, illum esse, qui Othonem III. sequutus est. Is enim vere primus Henricus imperator fuit, et magnam cum romanis pontificibus amicitiam habuit. Cur autem ante Othonem nominetur caussa esse videtur, quod ejus constitutio, notior et recentior esset. Adde quod in ea constitutione nulla imperii mentio fit, nec Henricus ille primus imperator nominatur: quare ad caussam nostram non facit, quis ille Henricus fuerit.

Pergit Illyricus: *Nam quod attinet ad illam scriptionem cardinalium ad Othonem, ea fuit nihil aliud, quam accusatio Joannis XII. hominis impurissimi, ac petitio, ut deposito eo, alium meliorem episcopum aut papam, in ejus locum sufficeret: Quod etiam Otho I. strenue effectum dedit. Nam tunc, et olim per omnem vetustatem erat juris et auctoritatis caesareae, impuros papas castigare. Historia habetur prolixe apud Luithprandum ticinensem, historicum fide dignissimum. Veritas hujus sententiae, et falsitas Papisticae, etiam ex eo elucescit, quia si vere de creatione novi imperatoris actum fuisset, eaque (ut isti volunt) juris ac potestatis pontificiae fuisset, non cardinales aliquot, sed ipsemet papa de ea scripsisset, eamque peregisset.* An igitur si ex ipso Luithprando demonstravero, non cardinales, sed papam ad Othonem scripsisse, et eundem Othonem imperatorem creasse, non continuo fabula illa de cardinalium literis, et querimonia evanescet; et luce clarius apparebit, veram esse sententiam nostram, Illyrico teste, et ipsum eundem Illyricum, qui nos ad Luithprandum remisit, suo se gladio jugulasse? Haec igitur sunt verba Luithprandi lib. 6. de rebus per Europam gestis cap. 6. *Joannes summus pontifex, et universalis papa, legatos S. R. E. Joannem videlicet cardinalem diaconum, et Aronem Scriniarium serenissimo atque piissimo tunc regi, nunc augusto caesari Othoni destinavit, suppliciter literis, et regum signis orans, quatenus pro Dei amore, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibique commissam sanctam romanam Ecclesiam, ex illorum (Berengarii et Alberti) faucibus liberaret, ac saluti et libertati pristinae restitueret.* Haec ille; qui etiam paulo post subjungit, quod supra citavimus, Othonem literis papae acceptis, mox in Italiam venisse, atque ab eodem papa imperialem coronam, et augusti nomen et dignitatem accepisse. Neque vero Luithprandus solus (quamquam is etiam solus sufficeret, cum et res gestas sui temporis scripserit, et Illyrico teste historicus fide dignissimus fuerit) sed etiam alii gravissimi scriptores, non cardinalium, sed pontificis maximi literis Othonem regem ad urbem vocatum, et ab eodem pontifice imperatorem creatum scribunt. Abbas urspergensis in chronico anni 962. Otho, inquit, rogatu Joannis papae, et querimonia multorum de Berengario et filio proclamantium, Romam tendit; ubique imperator ab eodem papa factus. Berengarium capit. Otho frisingensis lib. 6. hist. cap. 21. Joannes, inquit, Diaconus, et Azo Scriniarius, ab apostolica sede missi, ad regem (Othonem) veniunt, tam de tyrannide Berengarii querimoniam facientes, quam ipsum ad defensionem sanctae romanae Ecclesiae, ac totius Italiae invitantes. Capite vero sequenti describit idem auctor Othonis coronationem a romano pontifice factam.

Sed ut videas, lector, non solum impudentiam, sed etiam inconstantiam et levitatem Illyrici, legito historiam ejus ecclesiasticam, cent. 10. cap. 10. col. 535. ibi siquidem omnia reperies, quae nos accersitis hinc inde testimoniis confirmare nitimur. *Ipse Joannes*, inquit Illyricus, *Othonem imperatorem tum suo, tum Romanorum nomine, missis ad eum legatis, ad Berengarii tyrannidem avertendam, in Italiam denuo accersivit.* Et infra: *Imperator externo rerum statu aliquo modo in Italia pacato, Romam adiit, ac praestito prius Romanis juramento, de suo erga urbem et Ecclesiam indefesso studio, intra moenia receptus est. A pontifice autem, totoque populo honorifice excipitur, ac paulo post imperii diademate una cum filio, septem vix annorum, accepto, insuper Germaniae Pannoniaeque titulo, publico et solemni ritu, in b. Petri basilica ante altare a Joanne ornatur.* Haec ille. Ex his igitur testimoniis, et iis quae paulo ante citavimus de coronatione Othonis, manifestissime colligitur, ipso etiam teste Illyrico, inde elucere veritatem sententiae nostrae, unde ipse falsitatem ejusdem nostrae sententiae elucere arbitrabatur.

Sed enim aliud quoque mendacium in verbis Illyrici supra citatis inest, quod non est ulla ratione praetereundum. Quod enim Illyricus ait, ab Othone Joannem pontificem se abdicare coactum; et olim, ac per omnem vetustatem juris et potestatis imperatoriae fuisse, pontifices castigare, mendacium est impudentissimum. Siquidem omissis primis illis pontificibus sanctissimisque martyribus Petro, Lino, Cleto, Clemente, et caeteris ferme ad

Silvestrum usque, quos ab ethnicis iniquissime caesos Illyricus etiam confitetur, necnon paucis quibusdam, quos ab haereticis principibus fidei caussa injuste vexatos constat, quales fuere Liberius. Felix II. Joannes Sylverius et Martinus, caeteri omnes usque ad Joannem XII. ab imperatoribus christianis religiose (ut par erat) observati, summisque honoribus semper affecti sunt. Nec poterit Illyricus ullum scriptorem testem producere, quemadmodum nec producit, aut in lib. de translatione imperii, aut in historia Magdeburgensi, qui contrarium scripserit. Quanta igitur impudentia est, affirmare, per omnem vetustatem juris Caesarei fuisse, castigare pontifices; cum totius vetustatis exempla contrarium clament? Sed nec Joannem XII. Otho deposuit, ut Illyricus jactat; neque enim id sibi arrogare ausus est plus princeps, quod ei vel invito Illyricus obtrudit. Nam ut scribit Luithprandus lib. 6. cap. 6. et 7. et ex Luithprando Illyricus ipse centur. 10. cap. 9. col. 434. et seq. Otho imperator cum Joannem pontificem multorum criminum reum fieri videret, non ausus ipse judicem judicis sui se facere, synodum episcoporum Romae coëgit, atque eidem synodo caussae cognitionem permisit. Haec enim sunt verba Othonis in synodo apud Luithprandum. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat. Quin etiam in eodem lib. duas epistolas Othonis ad Joannem Luithprandus refert, quibus Otho imperator Joannem pontificem honorifice admodum appellat, neque illi imperat, sed eum rogat, ut ad synodum veniat; hoc autem est initium epistolae prioris.

Summo pontifici et universali papae domino Joanni. Otho divinae respectu clementiae imperator augustus, cum archiepiscopis Liguriae, Tusciae, Saxoniae, Franciae, in domino salutem. Romam ob servitium Dei venientes, dum filios vestros, romanos scilicet episcopos, cardinales, presbyteros, diaconos, et universam plebem de vestra absentia percunctaremur, et quid caussae esset quod nos Ecclesiae vestrae, vestrique defensores videre noluissetis: talia de vobis, tamque obscoena protulerunt, ut si de histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quae ne magnitudinem vestram omnia lateant, quaedam vobis sub brevitate describimus. Et infra: *Oramus itaque paternitatem vestram obnixe, venire atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis.*

Nec illud hoc loco praetermittendum est, ne ipsi quidem concilio licuisse in summum pontificem sententiam dicere; semper enim haec vox omnium veterum synodorum fuit; primam sedem (extra caussam haeresis) a nemine judicari posse. Ac licet mirandum non sit, Othonem imperatorem, qui synodo intereral, minus peritum fuisse rerum ecclesiasticarum, ipsi tamen synodo nullo modo ignosci potest. Siquidem ea synodus (ut est apud Luithprandum loco notato) non solum sine ullo exemplo antiquitatis episcopum primae sedis judicare ausa est, sed etiam illius excommunicationem contempsit, eo praetextu quod malus episcopus nec ligare possit, nec solvere. Quem esse manifestum errorem, ne Illyricus quidem negaret. Quare non immerito Otho frisingensis lib. 6. cap. 23. modeste Othonem imperatorem, atque ejus synodum reprehendit; sed de his satis.

Pergit hinc Illyricus, et fuse admodum, sed praeter rem, ac solum ut librum suum paulo grandiorem faceret, historiam recitat electionis Conradi et Henrici, qui Othonem Magnum proxime praecesserunt, ex Nauclero, Cuspiniano, Vitichindo, Luithprando, Othone frisingensi, Abbate urspergensi et Rheginone. Ac demum non sine insigni mendacio ita concludit: *En audis plurimos, fideque dignissimos, historicos uno ore testari, imperium a Francorum regibus ad reliquos Germanos, non per papas, aut etiam de consilio aut consensu paparum, quin potius contra eorum voluntatem, qui id suis italis asserere conabantur, quos italicos pseudoimperatorculos octo Onuphrius nominat; sed voluntaria electione ac cessione Gallicorum regum et libera electione principum translatum esse.* Sed non recte dixi, insigni mendacio hanc Illyrici vel narrationem, vel disputationem esse conclusam: non enim unum tantum, sed quatuor insignia mendacia hac brevi sententia continentur.

Primum enim ex tot historicis nullus affirmat (Cuspiniano et Nauclero omnium recentissimis exceptis) imperium translatum a Francis ad Germanos in electione Conradi, aut Henrici, de quibus Illyricus loquitur. Solum enim scribunt illi, a Francis, atque Saxonibus electos reges Conradum, atque Henricum; de imperii translatione nihil dicunt. Nos autem contra demonstravimus, neutrum illorum imperatorem Romanorum fuisse, nisi forte designatum tantum, ut Cuspinianus et Nauclerus dicere videntur. Cujus rei lectoris cujuslibet, modo sani, appello judicium.

Deinde nullus eorum scriptorum, quos Illyricus testes producit, contra voluntatem summi pontificis imperium ad Saxones translatum scribit. Nam cum de Conrado et Henrico (regibus) scriptores notati narrant, nullam summi pontificis mentionem faciunt, uno excepto Nauclero: cum autem ad Othonem imperatorem veniunt, omnes uno ore testantur, eum a summo pontifice Joan. XII. imperatorem creatum et coronatum.

Quod autem Nauclerus dicit: Romanos pontifices temporibus Conradi et Henrici, longobardos, sive italicos principes quosdam ad imperium admisisse: non significat invito pontifice Conrandum et Henricum reges electos, et caesares designatos; sed id tantum significat, cum reges Germaniae ad coronam imperii, et Italiae possessionem capiendam venire, aut non possent, aut non vellent, duces Longobardorum sibi regnum Italiae vindicasse, et coronam imperii a summis pontificibus extorsisse. Verumtamen promptum etiam tum fuisse pontificem ad germanos principes coronandos, si ii ad urbem accedere voluissent, dubium esse non potest; cum ex Rheginone constet, a papa Formoso, anno 894. Lambertum Longobardum Italiae regem et imperatorem dictum: et deinde tamen anno 896. Arnulphum Germaniae regem Romam venientem,

summo favore exceptum, atque ab eodem pontifice imperii corona donatum.

Jam vero quod addit Illyricus imperatores italicos, qui, regnantibus in Germania Ludovico, Conrado et Henrico, in Italia imperarunt, ab Onuphrio pseudoimperatorculos nominari, ipsi Onuphrio manifeste repugnat. Siquidem Onuphrius in libris de principibus romanis honorifice admodum loquitur de imperiis Vidonis, Lamberti, Ludovici et Berengarii, quos et imperatores atque augustos passim vocat, et a romanis pontificibus coronatos fuisse demonstrat. In lib. vero de fastis et triumphis romanis, Berengarii et Alberti regum Italiae meminit: Vidonis, Lamberti et Ludovici non meminit, neque usquam in eo lib. ullos pseudoimperatorculos vocat. In libro autem de comitiis imperatoriis graviter invehitur in eos, qui (ut Illyricus facit) omnes Germaniae reges, imperatores Romanorum appellandos censent, etiamsi imperii a romano pontifice non acceperint.

Non possum, inquit, *non vehementer mirari et reprehendere aliquot recentiorum germanicarum rerum scriptorum audaciam (ne dicam temeritatem) qui undique clamant, Italos omnes et praesertim Romanos male agere, rem indignam facere, quod non omnes Germaniae reges, imperatores appellant, neque omnium ipsorum ratio habeatur in eis numerorum notis, quibus distinguuntur inter se ii principes, qui idem nomen habent. Nam volunt omnes Germaniae reges, quamvis a romanis pontificibus inaugurati non fuerint, imperatores et augustos appellari.* Haec ille; qui eodem in loco ex ipsorum imperatorum diplomatibus ostendit, Conradum et Henricum, qui Othonem Magnum praecesserunt, inter imperatores habitos non fuisse. Quid, quod Illyricus si sibi constare velit, longobardos illos imperatores nulla ratione contemnere, aut pseudoimperatores appellare potest? Eo siquidem belli jure illi imperium Italiae sibi vindicarunt, ac Germaniae regibus eripuerunt, quo ipse docet, a Carolo Magno Longobardis et Graecis quondam ereptum, atque ad Francorum regnum adjunctum fuisse. Huc accedit quod Otho Magnus, jam imperator factus, in privilegio quod episcopo Patavii Goslino dedit, quodque exstat apud Carolum Sigonium lib. 7. de regno Italiae, Berengarium imperatorem ac praedecessorem suum appellat. Cujus Othonis judicium merito apud omnes, maxime apud Illyricum, magnum momentum habere debet.

Postremum, idque clarissimum in Illyrici narratione mendacium est, imperium Romanum translatum esse a Francis ad Saxones voluntaria electione, ac cessione Gallicorum regum. Id enim in primis nullus omnino auctor ex iis, quos citavit Illyricus, prodidit: deinde contrarium ex historicis omnibus manifeste colligitur, cum satis constet inter eos qui Italiae regnum occuparunt, ac de imperio toto eo tempore cum Berengariis, Vidone et Lamberto contenderunt, fuisse Rodulphum Burgundionem Galliae regem post Carolum Simplicem; necnon Ludovicum regem provinciae; item Gallum atque Hugonem regem Arelatensium et Lotharium ejus filium. Quocirca, ut mentitur apertissime Illyricus; ita verum est quod scribit Nauclerus gener. 31. post Arnulphum imperatorem magnam fuisse inter Italos, Longobardos, Germanos, seu Francos orientales, et Francos occidentales, seu Gallos, de possessione imperii concertationem.

LIBER TERTIUS

SUMMA

Septem electores imperii a romano pontifice constitutos

CAPUT PRIMUM

Electores ante Gregorii X. pontificis, et Friderici II. imperatoris tempora designatos.

Postrema restat quaestio de septem electoribus, quam Illyricus fusissime persequitur a pagina 89 usque ad 138. et quoniam tres auctorum sententias de hac ipsa quaestione fuisse video; quarum una Gregorio V. romano pontifici, altera Gregorio X. item romano pontifici, postrema Othoni III. imperatori institutionem hanc septemvirorum principum adscribit, ut primam sententiam, quae verissima est, corroboremus, duas posteriores confutare pro viribus aggrediemur.

Principio igitur Joannes Aventinus primus est, (quod sciam) qui communi et multorum auctorum sententiis trito itinere praetemisso, novam quandam semitam aperuit. Is enim lib. 5. annalium Bojorum pag. 510. de septem electoribus loquens: Ego inquit, illos demum post fata Friderici II. institutos, et a Gregorio X. confirmatos esse compertum habeo. Aventinum sequutus est Onuphrius Panuinus in lib. de comitiis imperatoriis. Tametsi enim ignorare se dicit, quando, et a quo septem electorum institutio manavit, affirmat tamen, se certo comperisse, incidisse eam in illud tempus, quod inter mortem Friderici II. et creationem Rodulphi imperatoris intercessit. Illud etiam addit probabile videri, illam institutionem Gregorii X. auctoritate in oecumenico concilio lugdunensi factam esse. Quae sententia praesenti caussae nostrae nihil officit (quid enim nostra interest V. ne, an X. Gregorius is pontifex fuerit, qui electores instituit, modo pontifex aliquis instituerit?) Verum tamen falsa est, atque adeo perspicue falsa, ut Aventini et Onuphrii temeritas nulla ratione excusari queat. Siquidem Aventinus (ut paulo ante audivimus) compertum sibi esse dicit, post fata Friderici II. septemviros institutos; Onuphrius autem in lib. de comitiis imperatoriis, haec verba scribere ausus est. Itaque cum nullus nec germanus, nec italus, nec cujusvis gentis auctor, qui tamen ante Friderici obitum vixerit, vel verbum quidem de hac re faciat, profecto necesse est, ut longo tempore post Othonis tempus hoc institutum fuerit.

Videamus igitur, an reperire possimus auctorem, qui ante obitum Friderici II. vixerit, et electorum imperii meminerit. Martinus Polonus poenitentiarius fuit Innocentii papae IV. ut Onuphrius testatur in additione ad Platinam, ubi fabulam Joannis VIII. foeminae refellit. Vixit igitur idem Martinus, Onuphrio teste, ante obitum Friderici II. Nam cum Innocentius papa ante Fridericum obierit, ut idem Martinus scribit in vita ejusdem Innocentii, non potuit certe Martinus Innocentii poenitentiarius esse, nisi ante obitum Friderici vixerit. Neque multum refert quod Onuphrius Fridericum annis quatuor ante Innocentium obiisse scripsit. Nam ne sic quidem potuit Martinus poenitentiarium apud Innocentium agere nisi multos annos aetatis exegerit ante obitum Friderici, nisi poenitentiarius, infantulus, atque adeo quadriennis fuerit. Hic igitur Martinus in vita Ohtonis III. ita scribit: Et licet isti tres Othones per successionem generis regnaverint, tamen postea fuit institutum, ut per officiales imperii, imperator eligeretur, qui sunt septem; videlicet primo tres cancellarii isti, maguntinensis Germaniae, trevirensis Galliae, coloniensis Italiae: marchio brandeburgensis camerarius est, palatinus dapifer; dux Saxoniae ensem portat; rex Bohemus pincernam agit. Unde versus:

Maguntinensis, trevirensis, coloniensis,
Quilibet imperii fit cancellarius horum:
Et palatinus dapifer; dux portitor ensis:
Marchio praepositus Camerae; pincerna bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per saecula summum.

Habemus igitur auctorem unum, qui disertis verbis electorum meminit, cum tamen ante obitum Friderici vixerit. Sed accedat etiam secundus testis. Sanctus Thom. Aquinas non modo ante obitum Friderici II. vixit, sed etiam obiit ante lugdunense concilium, in quo vult Onuphrius septem electores imperii a Gregorio X. institutos. Nam Fridericus II. obiit (Onuphrio teste) anno Domini 1250. Sanctus autem Thomas in coelum ex hac vita migravit anno Domini 1274. cum ad concilium lugdunense proficisceretur, et annum vitae ageret quinquagesimum, ut s. Antoninus scribit, 3. par. summae historialis tit. 23. cap. 7. § 11. ex quo sequitur, ut s. Thomas annum egerit sextum et vigesimum, quo tempore Fridericus II. moriebatur. Haec autem sunt verba s. Thomae, lib. 3. de regimine principum, cap. 19. Otho, inquit, imperium tenuit usque ad tertiam ge-

nerationem, quorum quilibet vocatus est Otho; et ex tunc (ut historiae tradunt) per Gregorium V. genere similiter Teutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem principes Alemaniae fiat, quae usque ad ista tempora perseverat, quod est spatium ducentorum septuaginta annorum, vel circa, et tantum durabit, quantum romana Ecclesia,quae supremum gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit. Haec s. Thomas. Quod si quis objiciat, hunc librum non videri s. Thomae, cum in eodem lib. 3. cap. 20. mentionem faciat Adolphi et Alberti imperatorum, qui post ejus obitum imperare coeperunt: respondebimus, aut ab aliquo alio insertam fuisse in opere s.Thomae illam narrationem de imperio Adolphi et Alberti : vel certe si liber s. Thomae non sit, auctorem tamen libri tam esse antiquum, ut ante obitum Friderici II. vivere potuerit,ut ex annorum supputatione colligitur.

Prodeat vero et tertius testis, b. Augustin.Triumphus (ut ex epitaphio constat, quod exstat incisum in sepulchro ejus Neapoli, in ecclesia eremitarum Augustinianorum) obiit anno Domini 1328. cum vixisset annos octoginta quinque, quocirca necesse est eum anno Domini 1250.quo Fridericus II. obiit, fuisse annorum septem; et anno 1274. quo lugdunense concilium a Gregorio X. coactum est, annorum fuisse unius et triginta, proinde vixisse non modo ante concilium lugdunense, et Gregorii X. pontificatum,sed etiam antequam Fridericus II.moreretur. Hic igitur auctor in summa de potestate Ecclesiae q. 35. art. 2. ita loquitur: Gregorius V. tempore Othonis imperatoris, convocatis et requisitis principibus Alemaniae, septem electores instituit, officiales ipsius curiae imperialis: quatuor laicos,ut regem Bohemiae,ducem Saxoniae, comitem Palatinum et marchionem brandeburgensem : et tres clericos, archiepiscopum maguntinensem, trevirensem et coloniensem.Jam vero si tres isti testes Onuphrio atque Aventino minime satisfaciunt, accedat etiam quartus,Henricus cardinalis hostiensis, qui, teste Trithemio in lib. de scriptoribus, anno 1240. florebat, nimirum anno decimo ante obitum Friderici, et trigesimo quarto ante concilium lugdunense a Gregorio X. celebratum. Is enim explicans decretalem Innocentii, quae incipit: *Venerabilem*, septem numerat ac nominat principes, ad quos electio imperatoris antiquo jure pertineat. Accedat etiam quintus testis, quem Illyricus antagonista noster producit,exstat enim (ut ipse ait) chronicum manu scriptum, ex quo plurima Albertus Krantzius ad verbum descripsit. Est autem chronici illius auctor Friderici II.aequalis, et ante obitum ejus sine dubitatione vixit, cum ipse testatur coeptum a se scribi chronicum illud anno Domini 1240. idest, decennio ante mortem Friderici. In eo igitur chronico sic auctor loquitur: Papa Gregorius (IX.) insolentias imperatoris contra Ecclesiam metuens, principes super electione alterius sollicitavit, sed nihil profecit, quia quidam principum ei rescripserunt, non esse sui juris imperatorem substituere, sed tantum electum a principibus coronare ; electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex praetaxatione principum, et consensu, eligunt imperatorem, trevirensis, moguntinus et coloniensis. Palatinus eligit, quia dapifer est; dux Saxoniae, quia marscalcus; et margravius de Brandeburga, quia camerarius. Rex Bohemiae, quia pincerna est, non eligit, quia Teutonicus non est. Haec ille.

Neque mirari debet quisquam, quod hic auctor regem Bohemiae a numero electorum excluserit, cum is tamen septimus elector numerari soleat;nam revera Bohemiae rex non eligit cum caeteris; sed solum quando sex electores inter se ita dividuntur, ut tres uni, et tres alteri suffragentur, tum ille jus habet ex duobus electis alterutrum nominandi. Sic enim loquitur hostiensis in cap. *Venerabilem*, de elect. Septimus est dux Bohemiae, qui modo est rex; sed iste secundum quosdam non est necessarius, nisi quando alii discordarent. Idem cum hostiense docent glossa in cap. *Ad apostolicae*, de sent. et re judic. lib. 6. Albericus in l. *Bene a Zenone*, C. de quadrien. praescipt. Baldus in Margarita, verbo, Annus; card. Florentinus in cap. *Venerabilem*, de elect. § 1. n. 6. et alii.

Cum igitur tempore Gregorii IX. electio imperatoris ad septemviros pertineret, ut is auctor disertis verbis testatur, qui tum vivebat; quis Aventini, atque Onuphrii temeritatem excusare potuerit, qui tam confidenter scribunt , sibi compertum esse, electores imperii non ante Gregorii X. tempora, et Friderici obitum institutos?

His addo tres alios testes, quos etsi non constat vixisse ante obitum Friderici, constat tamen aut tum vixisse, aut certe non diu postea, ut nullo modo ignorare potuerint, quid egerit Gregorius X. cujus temporibus ipsi vixerunt. Hi sunt, Lupoldus Bambergensis, Alvarus Pelagius, et Joannes Villanus, qui omnes florebant sedente in apostolica sede Joanne XXII. idest, anno secundo et quadragesimo post lugdunense concilium a Gregorio X. celebratum. Ac Lupoldus quidem in lib. de juribus imperii c. 2. sic ait: Tempore Othonis III. , qui filiis caruit, fuit institutum, ut per certos principes Germaniae, scilicet per officiatos imperii, seu curiae imperialis,eligeretur imperator. Haec ille, qui etiam paulo post septem illos principes enumerat, atque eosdem versiculos adscribit, quos supra ex Martino Polono retulimus. Alvarus Pelagius lib. 1. de planctus Ecclesiae art. 41. de iisdem septem electoribus loquens: Ista, inquit, electio incepit anno Domini 1603. et perseverabit, quantum Ecclesia romana permiserit, cujus est regna transferre. Joannes Villanus lib. 4. historiae Florentinae cap. 2. italicis verbis tradit post obitum Othonis III. constitutum fuisse, idque summi pontificis auctoritate, ut deinceps a septem imperii principibus imperator diceretur, quos etiam ibidem enumerat, eorumque officia circa obsequium imperatoris describit. Accedat postremo testimonium ipsorum electorum, quorum publicae literae scriptae anno 1279. Romae exstant authenticae.(Hoc testimonium habes inferius cap.3. integre adscriptum). in iis enim literis fatentur ipsi, jam olim a sede apostolica electores imperii in Germania constitutos. Non est autem credibile, per eam vocem (olim)

eos intelligere voluisse tempora Gregorii X. aut concilii lugdunensis, cum epistola scripta sit tantum quatuor annis post obitum Gregorii, quinque vero post concilium lugdunense. Neque illud hoc loco praetereundum videtur, eos principes qui epistolam jam dictam scripserunt, aut omnes,aut certe eorum aliquos vixisse ante obitum Friderici II.cum inter Friderici obitum, et tempus epistolae anni tantum 29.intercesserint.Itaque undique Onuphrii, atque Aventini judicium non modo falsitatis manifestae, verum etiam intolerandae temeritatis arguitur.

CAPUT II.

Objectiones Onuphrii refellet.

Sed occurrit Onuphrius ac duobus gravissimis argumentis cum sententiam nostram refellit, tum suam corroborat. In primis illud adducit: quod si verum esset, quod nos defendimus, Gregorii V. atque Othonis III. tempore, electores imperii constitutos,incredibilis negligentiae accusandi essent plurimi scriptores,qui rem tantam silentio involverunt; nihil enim de hac re Vitichindus, nihil Luithprandus, nihil Lambertus, nihil Rhegino, nihil Marianus, nihil Otho frisingensis, nihil Abbas urspergensis, nihil Sigebertus, nihil alii veteres scripserunt. Deinde percurrit electiones imperatorum ab Othone III. usque ad Fridericum II. ,ac demonstrat eos electos fuisse non a septem dumtaxat principibus,sed ab omnibus quotquot ex Germania et Italia interesse voluissent,cujus demonstrationis hic brevem subjiciam summam. Henricum II. regem, sed imperatorem primum, qui Othoni III. proxime successit, electum ab omnibus totius regni primoribus scribit Otho frinsingensis , lib. 6. c. 27. Chunradum item regem secundum, et primum imperatorem, communi omnium procerum consensu electum scribit idem Otho frisingensis lib. 6. cap. 28. nec non Abbas urspergensis in chronico anni 125. ubi inter alios electores numerat episcopum bambergensem. Henricum IV. regem, tertium imperatorem electum ab episcopis ac principibus Germaniae,scribit Abbas urspergensis in chronico anni 1053. Henricum V. regem imperatorem quartum electum ab universis totius imperii romani principibus, tum ecclesiasticis, tum laicis, qui duo et quinquaginta numerabantur. Scribit Abbas urspergensis in chronico anni 1106. ubi etiam addit, solum abfuisse Saxoniae ducem, nec tamen ullam rationem ejus absentiae habitam esse dicit. Lotharium II. electum ab archiepiscopis duobus,episcopis octo, abbatibus permultis, et eminentioribus aulae regalis primatibus, scribit continuator Sigeberti in chronico anni 1126. quo tempore auctor ille florebat. Chunradum III. regem, secundum imperatorem, electum a multis principibus, non vocato duce Saxoniae, et duce Noricorum, vacante etiam sede moguntina, scribit Otho frisingensis lib. 7. cap. 22. Fridericum I. ab omnibus totius Germaniae principibus electum,scribit Otho frisingensis lib. 2. de rebus gestis Friderici cap. 1.Philippum a Svevis, et Saxonibus, et Bavaris, et Bohemis, et principibus, Urspergensis in chronico. Othonem IV. a Coloniensibus et Argentinensibus, aliisque nonnullis electum, scribit idem Abbas in eodem loco. Fridericum II. adhuc puerulum ab Alemaniae principibus pene omnibus vivente patre electum; ac deinde rursus in schismate adversus Othonem IV. a rege Bohemiae,duce Austriae,duce Bavariae, lanthgravio Thuringiae,aliisque plurimis principibus electum, scribit idem auctor ibidem.

Haec sane argumenta, negare non possum quin gravia sint, et nullo modo a viris prudentibus contemnenda:quamquam ad eam controversiam,quam nos praecipue explicandam suscepimus, nihil fere pertineant. Nos enim (ut supra diximus) non multum laboramus, utrum Gregorius V. an. X. an aliquis alius jus eligendi principem certis electoribus dederit, modo qui id fecit, romanus pontifex fuerit: quod quidem paulo post adversus Illyricum clarissime demonstrabimus.Tametsi autem ad caussam nostram parum faciat definire, utra verior sit opinio, ea ne, quae Gregorium V. auctorem facit ejus decreti; an illa, quae alteri cuidam pontifici rem totam tribuit: quia tamen prior opinio verior est, nitemur eam paucis explicare.

Igitur ex iis quae dicta sunt, unum exploratum ac certum haberi debet; alterum in quaestionem vocari potest. Exploratum ac certum haberi debet, sanctionem illam de electoribus non tempore Friderici II., sed annis plus ducentis ante imperium Friderici, factam esse. Nam cum soli Aventinus atque Onuphrius,qui hoc nostro saeculo scripserunt, eam sanctionem editam esse dicant post obitum Friderici II. contra vero s. Thomas, b. Augustinus Triumphus, Martinus Polonus, Henricus Hostiensis, auctor innominatus Henrici aequalis,Lupoldus Bambergensis, Alvarus Pelagius,Joannes Villanus, ipsi denique electores principes, qui vel Friderico II. vivente,vel paulo post ejus obitum scripserunt, constanter affirment,eandem illam sanctionem non esse editam suo tempore, sed ante annos plus ducentos;nec ullus omnino inveniatur auctor antiquus qui eam sanctionem post obitum Friderici II. editam significaverit, quis non videt Onuphrium et Aventinum maluisse temere divinare, quam rem certam et exploratam ab idoneis testibus accipere?

Quod in quaestionem vocari potest, illud est,unde factum sit,ut tot imperatores post Othonem III. ab electoribus multo pluribus, quam septem electi fuisse inveniantur.Ad quam sane quaestionem duplex responsio adhiberi potest. Prima responsio est, plures omnino quam septem ad electionem convenire solitos, sed qui non tam eligerent,quam a septem viris electum agnoscerent,eique praesentia sua faverent.Nam hoc etiam tempore multo plures conveniunt ad electionem, quam septem, et omnium habetur ratio; licet soli septemviri proprie jus habeant eligendi.

Quod autem in argumento Onuphrii dicitur in Henrici V. et Chunradi III. electione ducem Saxoniae non adfuisse, verum est quidem; sed non potest inde colligi,non fuisse ducem Saxoniae unum ex numero septemvirorum electorum. Abbas enim

urspergensis disertis verbis scribit, in electione Henrici V. ducem Saxoniae non adfuisse,quod senectute impediretur.Ex quo intelligimus, eum adesse debuisse; et vel per legatos, aut epistolam adfuisse; vel certe juri suo cessisse. In electione autem Chunradi III. scribit Otho frisingensis loco notato, ducem Saxoniae, qui exspectatus non fuerat, eam electionem pro illegitima, atque irrita habuisse: quamvis postea pro bono pacis assensum praebuerit, et electionem factam suo etiam calculo confirmaverit.

Altera responsio esse posset, sanctionem illam a Gregorio V.pontifice,Othone III. imperatore consentiente factam esse;sed non continuo omnes partes ejus decreti in mores induci potuisse. Quatuor enim ejus decreti videntur esse partes: Una,ut non haereditate, sed electione ad imperium veniatur. Altera, ut soli principes, non etiam populus eligat. Tertia, ut ii principes Germani sint, ad quos nimirum initio translatum imperium fuerat. Postrema, ut non omnes principes Germani, sed sex dumtaxat aut septem imperatorem eligant. Et quidem pars prima jam antea in usu esse coeperat,sed tunc primum sanctione stabilita esse videtur.Nam in familia Caroli Magni imperium haereditarium fuerat usque ad Ludovicum Arnulphi imperatoris filium, deinceps electio locum habuit.Veruntamen certum decretum, ut electione dumtaxat,non propagatione naturali ad imperium veniatur, nullum legitur exstitisse ante Othonis III. tempora. Meminit hujus rei Otho frisingensis lib. 2. de rebus gestis Friderici I. cap. 2. Id juris, inquit, romani imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem, sed per principum electionem reges creare, sibi tamquam ex singulari vendicat praerogativa. Meminit ejusdem Innocentius III. pontifex in epist. supra notata ad ducem Thuringiae, ubi monet principes, ut caveant, ne jus suum eligendi regem Romanorum amittant, si saepius filios parentibus in imperio succedere patiantur.

Altera item decreti illius pars continuo a morte Othonis III. usu recepta est. Nam usque ad illud tempus, non soli principes, sed universus populus ad electionem convenire solitus erat. Chunradum enim, qui Ludovico Arnulphi imperatoris filio successit, omnis populus Francorum et Saxonum elegit, teste Vitichindo lib. 1. rerum Saxonicarum, et Luithprando lib. 2. cap. 7. rerum in Europa gestarum.Henricum successorem Chunradi ab omni populo Francorum et Saxonum regem creatum, scribit idem Vitichindus in eodem lib. Othonem Magnum, Henrici regis filium, ab universo populo electum, Vitichindus lib. 2.ejusdem operis testatur. Othonem II. regem appellatum ab omni populo, omnibusque proceribus scribit continuator Rheginonis in chronico anni 961. Othonem III. regem creatum a Germanis,qui tum frequentes Romae aderant, ubi paulo ante Otho II. obierat, testatur Platina in vita Benedicti VII. Deinceps autem (quod sciam) electioni populus numquam interfuit, sed valuit decretum, ut soli principes regem eligerent.

Tertia porro pars, ut soli Germani, non etiam Itali interessent, diu postea vim suam obtinuit; et quoniam hoc loco Illyricus more suo mendacia admiscet, paucis ea refutanda sunt.Sic igitur ille pag. 130. *Illud*, inquit, *non possum bona conscientia reticere, nequaquam probandum esse, quod Onuphrius iste indicans, quinam ab initio, ante constitutos septem electores, imperatores elegerint, primo loco inter illos vetustiores electores nominat pontificem, seu ejus legatos, secundo comitem taurinensem, et marchionem Montisferrati; quibus in genere addit: Et alii quidam Itali postea demum illis adjungit omnes principes Germaniae. Hanc suam enumerationem cum profiteatur se veterum historicorum testimoniis probare velle, proferatque multorum dicta; nec unus quidem ex illis, vel pontificem, aut pontificis legatos, vel aliquem italicum principem imperatorum electioni interfuisse testatur: sed tantum germanicos principes omnes uno ore testantur elegisse imperatorem.*Ego vero numquam credidissem, Illyricum tam fuisse mendaciorum amicum, ut etiam diceret, se non potuisse bona conscientia ea reticere,quae sunt mendacia manifesta. Quid enim hoc aliud significat, nisi non potuisse cum bona conscientia non mentiri? Audi enim veteres historicos inter electores imperatoris modo romanum pontificem,modo ejus legatos, modo italicos principes numerantes. Abbas urspergensis in chronico anni 1033. Filium, inquit, suum Henricum, romani pontificis, cunctorumque pontificum, et principum regni electione regem constituit.Continuator Sigeberti in chronico anni 1126. mense augusto, inquit, legati apostolicae sedis, et archiepiscopi cum episcopis, et optimatibus imperii ex condicto convenientes Moguntiae, consultant sibi et toti romano imperio de substituendo rege. Lotharius dux Saxonum, vir sapiens et industrius, et ecclesiastico juri devotus,praepotens divitiis et victoriis, omnium consensu eligitur. Otho frisingensis lib.2. de rebus gestis Friderici I. cap.1. Anno, inquit, ab urbe condita 1800. ab incarnatione vero Domini 1152. decedente ab hac luce, vernali tempore, idest, sexta feria proxima, ut dictum est,post caput jejunii, in civitate Bambergensi piissimo rege Chunrado, 3. nonas martii, idest, tertia feria post *Oculi mei*,in oppido Franconefurt,de tam immensa transalpini regni latitudine universum (mirum dictu) principum robur, non sine quibusdam ex Italia baronibus,tamquam in unum corpus coadunari potuit,ubi cum de eligendo principe primates consultarent (nam id juris romani imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere,sed per principum electionem reges creare,sibi tamquam ex singulari vendicat praerogativa) tandem ab omnibus Fridericus Svevorum dux Friderici ducis filius, petitur, cunctorumque favore in regem sublimatur. Haec ille. Idem Otho frisingensis lib. 7. hist. cap. 22. Chunradum, inquit, imperatoris Henrici sororium, praesente Theoduino episcopo cardinali, ac S. R. E. legato, summi pontificis, ac totius romani populi, urbiumque Italiae assensum promittente,nonagesimum tertium ab Augusto regem creant. Haec ille.

Habemus igitur romanum pontificem per se, vel

per legatos, necnon italicos principes cum Germanis aliquando electioni interfuisse. Postea tamen, ut diximus, paulatim solis germanis principibus id juris relictum est,ut regem Romanorum eligerent; romanus autem pontifex,electione confirmata,eundem ad imperium promoveret: ut Innocentius III. apertissime confitetur in epistola ad ducem Thuringiae, unde exstat cap. *Venerabilem*, de elect.

Postremam decreti illius partem,quae numerum electorum ad septenarium redigit, post electionem Friderici II. usu recipi coeptam esse constat ex omnibus historicis, qui post illa tempora scripserunt. Credibile vero est, constitutionem istam,quatenus excludebat omnes principes ab electione,septem dumtaxat exceptis, ideo non fuisse initio admissam, quia odiosa erat, et nec principes facile se patiebantur excludi, nec imperator audebat tot principes sibi infestos reddere: sed tamen occasione schismatum, quae temporibus Friderici II. in imperio quotidie exoriebantur, tandem aliquando omnium consensu esse receptam.

CAPUT III.

Electores imperii non ab Othone III. imperatore, sed a Gregorio V. pontifice maximo institutos ostendit.

Sed jam Aventino, atque Onuphrio dimissis, ad Illyricum veniamus. Institutos igitur septem electores antiquis temporibus non negat Illyricus; id unum negat, eam constitutionem summi pontificis auctoritate factam esse, remque totam imperatori adscribit.Nos contra summam rei pontifici maximo tribuimus, etsi consensum quoque imperatoris adhibitum non negamus. Quia vero quaestio historica est, atque a testium idoneorum fide et multitudine pendet, proferamus nos primum testes nostros, deinde quid Illyricus adferat videamus.

Primus igitur testis sit Innocentius III.quem Illyricus pag. 120. testem esse dicit omni exceptione majorem. Is enim disertis verbis testatur, a sede apostolica ad certos Germaniae principes potestatem eligendi regis Romanorum pervenisse: *Verum* (inquit in epist. ad ducem Thuringiae, unde extat cap. *Venerabilem*, de elect.), *illis principibus jus et potestatem eligendi regem, in imperatorem postmodum promovendum,recognoscimus ut debemus, ad quos de jure, et antiqua consuetudine noscitur pertinere: praesertim cum ad eos jus et potestas hujusmodi ab apostolica sede pervenerit.quae romanum imperium in persona magnifici Caroli a Graecis translulit in Germanos.*Haec ille; qui etsi non meminit Gregorii V., tamen id affirmat quod potissimum hoc loco probare contendimus. Innocentium sequuntur ex italicis et gallicis scriptoribus Henricus Hostiensis, s. Thomas Aquinas, b. Augustinus Triumphus, Alvarus Pelagius, et Joannes Villanus,supra citati: necnon Philippus Bergomensis lib.12. supplem.chronicor. Blondus Flavius lib. 3. decadis 2. Baptista Platina in vita Gregorii V. Raphaël Volaterranus lib. 22. anthropologiae: Polydorus Virgilius lib. 4. de Inventoribus rerum, cap. 7. alias 10. Item Joannes Andreas in cap. *Ad apostolicae*, de sent. et re judic. lib. 6. et in cap. *Venerabilem*, de elect. card. Florent. in idem cap. *Venerabilem*, § 1. col. 3. in 6. quaest. num. 7. Albericus in l. Bene a Zenone, num. 5. de quadrien. praescript. Baldus in sua Margarita, verbo, Annus. S. Antoninus par. 3. tit. 22. cap. 3. § 13. Andreas Alciatus (quem virum doctissimum, atque historiarum peritissimum vocat Illyricus pag. 37.) in commentario legis, Bona civitatis, ff. de verbor. signif. et in lib. de singulari certamine c. 32. Multi praeterea cum jureconsulti, tum historici, quos longum esset recensere.

Ex Germanis habemus in primis Jordanum quendam, quem ipse Illyricus citat pag. 90. cujus haec sunt verba in lib. de Translat. imperii: *Factum est, quod sereniss. Carolus Magnus imperator de consensu et mandato romani pontificis ordinationem sibi divinitus inspiratam instituit,et praecepit ut imperium Romanorum apud electionem canonicam principum Germanorum in perpetuum remaneret.* Haec ille. Certe autem si Carolus imperator jussu romani pontificis electores imperatoris instituit, ejus institutionis auctor primus ac praecipuus summus pontifex fuit. Siquidem in re quavis, major est auctoritas ejus qui jubet,quam ejus qui alterius jussum exequitur.

Neque hoc Jordani testimonium pugnat cum eo, quod alii fere omnes scribunt,tempore Othonis III. qui ducentis annis Carolo Magno posterior fuit,eam sanctionem editam. Nam Carolus Magnus instituit quidem, ut electio penes principes esset; sed neque dignitatem electorum ad certos principes restrinxit; neque voluit ut electio locum haberet,nisi deficiente successione legitima filiorum. Constat enim, ut supra diximus, imperium haereditarium fuisse Caroli Magni filiis et nepotibus; temporibus autem tertii Othonis, Gregorius V. pontifex,haereditaria successione exclusa, solam electionem certorum principum in imperio locum habere voluit.

Jacobus Wymphelingius, auctor item Germanus, in epitome rerum germanicarum cap. 20. sic ait: Gregorius cognita imperii imbecillitate, varietateque fortunae, utque is,qui caeteris virtute praestaret, praeesset etiam dignitate, sanctionem tulit, haud abnuente Othone, de imperatore deligendo, anno Christi 1002. quam usque ad nostra tempora servatam videmus, videlicet solis Germanis licere principem eligere, qui Caesar, et Romanorum rex appellatus, tum demum imperator et Augustus haberetur, si eum romanus pontifex inunxisset.

Albertus Krantzius et ipse Germanus lib. 4. Saxoniae cap. 25. Gregorius, inquit, ad undecimum, quo abfuerat, mensem restitutus, acerrimam de accepta a Romanis injuria ultionem sumpsit.Paulo enim postea quam redierat,eam fecit de imperatoris electione sanctionem, quam hucusque per annos jam quingentos servatam videmus, solis licere Germanis, qui inde electores sunt dicti, principem deligere, qui Caesar tunc, et romanorum rex dictus, si a romano pontifice coronabitur, imperator augustus appelletur.

Joannes Nauclerus natione Germanus, in 2. vo-

lumine chronographiae, generat. 34. ita scribit: Salvari potest, quod ex monumentis aquilejensis ecclesiae traditum invenitur, sanctionem de imperatore a Germanis deligendo, Silvestri temporibus factam esse. Nam etsi Gregorius sanctionem instituerit, ille tamen Silvester electionem primam juxta sanctionem factam approbavit. Et infra: Anno salutis secundo supra millesimum, Othone III. mortuo, germani electores concesso juri per sanctionem Gregorii V. et Othonis III. primum innitentes, Henricum ducem Bavariae, comitem Bambergensem, Claudium postea dictum, Caesarem declarant. Haec ille.

His adde Joannem Carionem lib. 3. chronici, et Joannem Cuspinianum in vita Othonis III. et ipsum Illyricum cum collegis suis Magdeburgensibus centuriatoribus: omnes enim isti disertis verbis docent, aut Gregorium pontificem, aut certe Othonem, ope et auctoritate Gregorii sanctionem illam de electoribus edidisse. Ac ut Illyricus intelligat quanti faciamus gravissimam ejus, collegarumque ipsius auctoritatem, testimonium jam antea in 1. cap. adscriptum, hoc etiam loco in ejus gratiam iterum adscribemus. Sic igitur habet centur. 10. cap. 10. col. 546. *Gregorius suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, ut penes solos Germanos jus esset eligendi regem, qui post diadema a romano pontifice acceptum, imperator et augustus appellaretur.* Haec ille.

Accedant postremo duo gravissima testimonia, unum concilii generalis, alterum ipsorum imperii electorum. Exstat enim in Clementina, romani principes, De jurejur. decretum concilii viennensis generalis, in quo haec habentur verba: *Ecclesia romana a Graecis imperium transtulit in Germanos, et ab eadem ad certos eorum principes jus et potestas eligendi regem, in imperatorem postmodum promovendum, pervenit.* Exstat item electorum imperii publicum instrumentum ad Nicolaum III. pontificem missum, quod, ad majorem rei fidem, totum hoc loco subjiciemus, descriptum ex autographo, quod Romae in arce sancti angeli conservatur.

Instrumentum publicum germanorum principum

Nos principes imperii universis praesentem paginam inspecturis. Complectens ab olim sibi romana mater Ecclesia quadam quasi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen, temporaliter tantum praesidentium super terram, plantans in ea principes tamquam arbores praeelectas, et rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum mirandae potentiae, ut ipsius Ecclesiae auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem, illum, qui fraena romani teneret imperii, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiae, per luminare majus, Christi vicarium, illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit et convertit, ut ejus praesidio pastorum pastor adjutus, oves sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refraenet et corrigat, ad vindictam malefactorum, laudem vero credentium et bonorum. Ut igitur omnis materia dissensionis et scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiam et imperium auferantur, et ii duo gladii in domo Domini constituti, debito foedere copulati, se ipsos exerceant, in utilem reformationem regiminis universi, et nos in actu voluntatis et operis inveniamur filii devotionis et pacis, qui tam Ecclesiam, quam imperium confovere tenemur: quicquid per dominum nostrum R. Dei gratia Romanorum regem semper augustum sanctissimo patri et domino nostro d. Nicolao papae III. ejusque successoribus, et ipsi romanae Ecclesiae recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo donatum, declaratum, sive concessum, juratum et actum, seu factum est per privilegia, vel quaecumque alia scripta quorumcumque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus, et factis, seu gestis tam aliorum imperatorum et regum Romanorum praedecessorum regis ejusdem, quam ipsius regis, et specialiter super fidelitate obedientia, honorificentia et reverentia per romanos imperatores et reges romanis pontificibus, et ipsi Ecclesiae impendendis, ac possessionibus, honoribus et juribus ejusdem Ecclesiae: Et nominatim super tota terra quae est a Radicofano, usque Ceperanum, marchia anconitana, ducatu Spoletano, terra comitissae Mathildis, civitate Ravennae et Emilia, Bobio, Cesena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, territorio Balnen., comitatu Brettenorii, exarchatu Ravennae, Pentapoli, Massa trabaria cum adjacentibus terris, et omnibus aliis ad praedictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis in terra marique ad provincias, civitates, territoria, et loca praedicta quoquomodo spectantibus, necnon super civitate romana et regno Siciliae, cum omnibus ad ipsam spectantibus tam citra Farum, quam ultra, Corsica quoque atque Sardinia, et caeteris terris, ac juribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus: Nos nostri nomine principatus in omnibus et per omnia approbamus et ratificamus, ac iisdem omnibus et singulis, et quibuscumque aliis super eisdem per eundem regem quoquomodo factis, et in posterum faciendis, voluntatem nostram, assensum, atque consensum unanimiter et concorditer exhibemus. Et promittimus, quod contra praemissa, vel aliquod praemissorum nullo unquam tempore veniemus; sed ea omnia et singula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter observari, et ut haec nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus, atque promissio a nobis eisdem romanis pontificibus, et Ecclesiae in perpetuum observentur, hoc praesens scriptum inde fieri fecimus, nostrorumque sigillorum munimine roboratum. Actum et datum anno Domini MCCLXXIX. Indi-

ctione VII. regnante Domino nostro praedicto D. R. Romanorum rege glorioso regni ejus anno sexto.

Hos igitur nos testes habemus, pontifices, concilia, principes, theologos, jureconsultos, historicos, eosque veteres et recentiores; germanicos et italicos.

CAPUT IV.

Objectiones Illyrici dissolvit, ac mendacia plurima auctoris ejusdem detegit et redarguit.

Nunc vero quid pro se adferat Illyricus videamus; sic igitur praefatur pag. 89. *Restat ut dicatur de electoribus,et jure electionis novi imperatoris, decedente priore. Nam hic quoque, ut ubique alibi, Pontificiorum parasitorum mendacia grassantur. Dicunt enim, quod imperante Othone III. Gregorius V. Germanus, male a Romanis tractatus, suaque sede pulsus decretum tulerit, quod septem germani principes.loco romani populi, senatusque imperatorem in perpetuam posteritatem eligere deberent. Quod eorum figmentum mox evidenter Deo dante redarguemus.*Haec est Illyrici praefatio: quae si vera sit, necesse jam erit, ut idem Illyricus fateatur, non modo paucos quosdam scriptores italicos.sed etiam multos Germanos, et ipsos electores, atque adeo Illyricum et collegas ejus fingere ac mentiri, ut romani pontificis gratiam aucupentur. Sed videamus quam evidenter Pontificiorum parasitarum (ut ipse vocat) figmentum redarguat.

Primo loco testem producit Jordanum,qui in lib. de Translatione imperii scribit a Carolo Magno electores institutos. At idem Jordanus addit, id fecisse Carolum de consensu et mandato romani pontificis, ut supra ex verbis ejus ostendimus. Neque nos terret Illyrici annotatio illa: *Suppositiitium plane videtur esse illud verbum, de mandato papae;nam tunc papae fuerunt subditi jurati principum romanorum, atque adeo Caroli ipsius; non autem eorum domini.qui aliud eis mandare possent, aut auderent.* Haec, inquam, annotatio nos neque terret, neque movet. Siquidem pontifices romanos imperatorum subditos juratos aliquando fuisse dixit aliquoties jam Illyricus, sed numquam probavit.Nos vero contra demonstravimus ex chronico Mariani Scoti, Ludovicum imperatorem, Caroli Magni filium, jubente papa Gregorio (sic enim loquitur Marianus) conjugem recepisse: et ex Aimoino lib. 5. de rebus Gallorum cap. 24. mandato Adriani papae recessisse Carolum Calvum ab infestatione Ludovici junioris, imperatoris Romanorum:denique (ut omittam alia innumerabilia exempla supra citata) ex Radevico canonico frisingensi lib. 2. de rebus gestis Friderici I. cap. 70. Fridericum imperatorem pontificis pedes osculatum, eique ex equo descendenti strepam tenuisse.

Secundo loco producit testem Nauclerum:*Porro Nauclerus*, inquit, *generatione 34. ordinationem electorum tribuit Othoni III. hisce verbis: Hoc in tempore electores imperii instituti leguntur: de quo aliqui scribunt, quod Otho III. cum haeredes ex se descendentes non haberet,constituit ex consilio principum Germaniae, ut imperatore mortuo, in oppido Francofurt perpetuo fieret electio, electoresque constituit tres archiepiscopos etc.* At Illyricus non satis germana fide sequentia verba praetermisit, quae ita habent: Itaque ajunt Gregorium V. cognita imperii imbecillitate, varietateque fortunae;utque is,qui caeteris virtute praestaret, praeesset etiam dignitate; sanctionem tulisse de imperatore deligendo etc.Vide etiam quae supra citavimus ex Nauclero, et plane perspicies quam bona fide auctores citet Illyricus.

Tertium testem esse vult, nescio quam additionem ad epistolas decretales: *Quin*, inquit, *et decretalium exemplaria quaedam recens Lugduni impressa, habent additionem super cap.* Venerabilem, *quae constitutionem septem electorum Othoni III. tribuit,cui sane aliqua fides a Papistis tribuenda est.* Ista vero additio nihil omnino nos movet, tum quod sit Caroli Molinaei, hominis haeretici,et qui romanum pontificem non minus quam Illyricus oderat; tum quod sit glossa destruens textum, cum in ipso cap. *Venerabilem*, apertissimis verbis legatur, potestatem eligendi regem Romanorum, ad principes Germaniae ab apostolica sede pervenisse.

Quartum testem producit Theodoricum a Niem, *Eodem modo*, inquit, *et Theodoricus Niemus.qui primum fuit multorum paparum secretarius, postea episcopus verdensis, eidem Othoni Caesari, et principibus imperii constitutionem septem electorum adscribit.* Hic vero non solum fidem, sed etiam prudentiam in Illyrico desiderare cogor: Siquidem Theodoricus a Niem in suo Nemore,ut ipse etiam Illyricus post quatuor pagellas prolixe citat, nihil ejusmodi scribit, quin etiam (quod attinet ad Othonem III.) clarissimis verbis Illyrici mendacium coarguit. Ait enim electores primum institutos post obitum Henrici sancti, qui Othoni III.successerat in imperio. Quo pacto autem Othoni III. tribuere potuit Niemus,id quod ipse scribit factum post obitum successoris ejus?

Quinto loco Albertum Krantzium testem profert: Quod, inquit, et Albertus Krantzius in sua metropoli facit disertis verbis, sicut et in aliis suis historiis.

Nunc plane Illyrice sapere coepisti, qui diserta illa verba Krantzii non adscripsisti. Sed adscribemus nos, ut candorem pectoris tui omnes agnoscant. Sic igitur Krantzius lib. 3. metropolis cap. 40.*Ita periit sine prole (Otho III.) praevaluitque electio, quam idem imperator cum Gregorio V. propinquo suo fecisset.quaeque durat in hodiernum, ut non legitima successione quaeratur imperator (quomodo a memoria Magni Caroli videbatur inolitum)sed electione septem primitivorum principum assumatur.*Haec sunt illa diserta verba Krantzii, ubi vides Gregorium pontificem nominari cum de constitutione electorum agitur. Sed magis adhuc diserta sunt verba ejusdem Krantzii in lib. 4. Saxoniae cap. 25. a nobis supra citata. In iis enim verbis illud ipsum legitur, quod Illyricus in

praefatione hujus disputationis parasitarum Pontificiorum mendacium et figmentum appellavit.

Sexto loco Nicolaum Cusanum testem producit, cujus integrum caput 4. libri 3. de Concordantia catholica suo libello inseruit.Sed is auctor ab Illyrico multum dissentit. Etsi enim docet non a solo pontifice electores imperii institutos, sed a communi consensu imperii universi; docet tamen summi pontificis consensum, ad eam institutionem legitime faciendam primo loco necessario requisitam: non secus atque in concilio universali auctoritas, et consensus praesidis requiratur. *Concurrebat*, inquit, *ad hoc consensus ipsius Gregorii V. tamquam unius pontificis romani, qui juxta gradum suum in consentiendo in communem imperatorem interesse habet, recte, sicut in conciliis universalibus concurrit in primo gradu auctoritas ipsius per consensum cum aliis omnibus ipsum concilium celebrantibus; vigor nihilominus definitionis non ab ipso primo omnium pontifice, sed ex communi omnium, et ipsius, et aliorum consensu dependet.* Et infra: *Ita quod puto in veritate consensum romani pontificis a principio intervenisse, dum isti electores constituerentur. Unde ipse communi fungentes legatione omnium, qui imperio subsunt, etiam totius sacerdotis et romani pontificis, eligunt.* Haec ille. Nihil igitur Cusanus docet, nisi summum pontificem non per se solum, sed adhibito etiam aliorum consilio, et consensu, eam sanctionem edidisse.

Veruntamen in eo ab isto auctore dissentire cogimur, quod ipse auctoritatem praecipuam ejus institutionis ad consensum omnium eorum referat, qui ad imperium pertinent. Quod quidem nullo teste probat, nec probare potest. Nullus enim historicus refert, talem aliquem popularem conventum, qualem Cusanus fingit, ad instituendos imperii electores celebratum esse. Neque mirum videri debet, si Cusanus, vir alioqui doctissimus et diligentissimus, in ejusmodi rebus,quae ab historiarum cognitione pendent, hallucinatus sit, siquidem ipsius aetate adeo magna erat ubique penuria veterum historicorum, ut ipse capite superiore ejusdem libri aliquoties referat, se apud nullum veterem auctorem legisse, imperium romanum translatum fuisse a Graecis ad Carolum Magnum; et inde etiam colligat, neque Carolum Magnum, neque caeteros principes successores ejus,usque ad Magnum Othonem, vere ac proprie fuisse imperatores Romanorum. At hos manifestos esse errores, atque ex librorum inopia natos, ne Illyricus quidem negabit.

Accedit postremo, libros illos de Concordantia catholica scriptos esse a Nicolao Cusano adhuc juvene, et in gratiam concilii basileensis, atque eorum, qui tum nihil aliud magis optabant, quam aliquid dici, vel scribi, quo romani pontificis auctoritas minueretur; ex quo etiam fonte manaverunt illa verba: Vigor nihilominus definitionis, non ab ipso primo omnium pontifice etc.

Itaque idem ipse postea maturior, multis de rebus aliter sensit et scripsit. Nam cum in secundo lib. de Concordantia catholica passim evehat in sublime concilii basileensis auctoritatem, postea tamen in epistola prima quae est ad Rodericum, ejusdem concilii acta his verbis reprehendit: Visi sunt, inquit, illi obcaecatissimi viri in spiritu furoris fuisse, quando supra sacrum principem Ecclesiae nescio qualem judiciariam sibi vendicabant potestatem, et horridum nefas attentarunt,in sacrum principem suum saevientes, seipsos ab eodem, et universa per orbem catholica Ecclesia perniciosissime secantes. Haec ille; qui sine ulla dubitatione (si occasio se obtulisset) de hac etiam quaestione nostra longe aliter postea scripsisset. Atque haec paulo fusius de Cusano disserere placuit,ob ejus viri eruditionem. Nam alioqui facile potuissem unum auctorem, eumque recentissimum, contemnere; cum tot haberem veteres theologos,jureconsultos,historicos, ipsum denique summum pontificem ac principes electores, quos uni illi objicerem.

Pergit deinde Illyricus, atque ait: *Martinus polonus paparum familiaris, disserens de constitutione electorum, non tribuit eam papae facturus procul dubio si vere potuisset;sic et Antoninus,episcopus florentinus;sic et Leopoldus de Bamberga, saepe dicens de constitutione septem electorum, nusquam tamen id papis,aut romanae Ecclesiae adscribit, cujus alioqui studiosissimus fuit.* Recte facit Illyricus ut ad testes mutos provocet. Nam, ut est solertis ingenii, facile praevidebat fore, ut loquentes testes ex ipsis ipsorum testimoniis nullo negotio refellerentur. At quid, quaeso, valent tres muti testes, adversus tam multos loquentes, fideque dignissimos.quos nos protulimus?Sane in quovis tribunali multo plus ponderis habent duo tresve homines,qui affirmant,quam viginti qui neque asserant, neque negent. Quanto igitur magis pluris faciendi sunt viginti, et eo amplius, qui disertis verbis testantur,electores a pontifice constitutos;quam tres, qui id neque negant, neque affirmant, sed ut rem notam et pervulgatam praetereunt?

Pergit igitur Illyricus, his omissis, ad argumenta quaedam longius petita, atque ex eo probare conatur, a Gregorio V. nullam editam sanctionem de electoribus imperii, quod ejus antecessor Benedictus Othone II. Romae vita functo Germanos oraverit,ut bonum principem eligerent. *Scribit*,inquit *etiam Platina. Benedictum pontificem ibi tunc apud omnes institisse et orasse,ut in tanta rerum difficultate, totque periculis, maxime idoneum deligerent: Quo ille diserte confessus est, ipsorum esse, non suum, eligere imperatorem. Si verum esset quod paparum adulatores contendunt,papas Carolo dedisse imperium, papas Othoni imperium tradidisse,papas denique post Othonem III.jus eligendi Caesaris Germanis tradidisse, an non ibi mortuo secundo Othone suum illud tam plenarium jus eligendi, et creandi imperatores, vel maxime papa demonstrasset, cum tanta esset de ea re controversia, cumque Romae in sede papali negotium ageretur?*

At quid est hoc aliud Illyrice, nisi aërem verberare? Quis enim catholicorum scriptorum dicit, ad pontificem pertinere,imperatores eligere? Elegit ille quondam Carolum Magnum;sed cum in ejus persona (ut Innocentius loquitur) ad Germanos impe-

rium translulisset, jus etiam electionis illis concessit; sibi vero id retinuit, ut electum, si is idoneus videretur, confirmaret, inungeret, coronaret. Quod jus pontificium confirmandae electionis, principes electores agnoscere debere, et in sua praesentia agnovisse, testatur Innocentius pontifex in cap. *Venerabilem*, aliquoties jam citato. Itaque idem Platina, qui scribit a Benedicto pontifice exoratos electores, ut idoneum principem designarent, scribit etiam (quod Illyricus non satis germana fide reticuit) ab eodem pontifice Othonis III. electionem confirmatam, et eo modo schisma sublatum, quod in imperio oriri jam coeperat, cum alii Othonem, alii Henricum, alii Crescentium imperatorem delegissent. Quo sane facto summa apparuit in summo pontifice potestas; quemadmodum etiam ante illa tempora, cum Carolus Calvus et Ludovicus rex Germaniae de imperio disceptarent, ille obtinuit caussam, quem summus pontifex coronavit, ut nos supra cap. 5. ex probatis historiis demonstravimus, et post tempora Benedicti cum Lotharius et Conradus (ut verbis utar Innocentii in cap. *Venerabilem*) in discordia fuissent electi, romanus pontifex Lotharium coronavit, et imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad ejus gratiam redeunte.

Sed veniamus ad aliud Illyrici argumentum: *At*, inquit, *quod Pontificii adulatores clamant, Gregorium V. eam potestatem Germanis tradidisse, et ista ratione (ut nunc sunt) constituisse, nullo certo testimonio probari potest, et insuper rationi repugnat.* Et infra: *Denique proferant, si possunt, exemplar istius decreti, quod a papa Gregorio V. factum esse ajunt.*

Non laborabimus (credo) in hac diluenda objectione, si Illyricus sibi constare velit. Nam (ut omittam testes illos tam multos, et tam probatos, quos antea in medium adduxi) in eadem pagina, ubi objicit nobis testium idoneorum penuriam, pronunciat ipse sine ullis testibus, sanctionem illam de septem electoribus ab Othone III. esse factam, cum is in Germaniam ex urbe rediisset. Quaero igitur ab Illyrico: qui sunt historici, qui scripseruut, Othone III. in Germania sanctionem illam edidisse? Ego sane nullum omnino legi, qui aliquid ejusmodi scripserit: quos autem Illyricus supra citavit, nihil juvare caussam ejus, supra demonstravi. Deinde proferat si potest Illyricus exemplar istius decreti, quod ab Othone III. factum esse dicit, qui in historia illa centuriata ita omnia collegit, ut nihil plane praeteriisse videatur, cur non etiam decretum illud Othonis III. de septem electoribus in eam retulit? Cur igitur nobis objicere non veretur, quod aeque sibi ac suis objici posse videt? Ut igitur uno verbo respondeam; ubi decretum illud Gregorianum lateat, si tamen usquam hoc tempore exstat, nescio; quod tamen aliquando factum esse, facile mihi persuadent insignes illi viri, qui in libris suis narrationem hujus facti inserendam censuerunt. Nam etiamsi exstaret, non aliunde certius cognosceretur esse Gregorii, quam ex traditione, et, fide historicorum.

Postremum, idque gravissimum Illyrici argumentum sumitur ab ipsa naturali ratione. *Sed pugnat,* inquit, *cum omni ratione hoc figmentum. Nam primum electionis jus veteri more statim in ipsa imperatoria dignitate continebatur, cum imperium fuit adhuc haereditarium, ut Carolus, aliusve aliquis cum semel fuit factus imperator, non tantum ipse pro arbitrio imperavit, sed potuit etiam eam dignitatem communicare alteri, cui voluit, ut Carolus communicavit Ludovico filio, is porro Lothario. Potuit igitur idem imperator ex plenitudine suae potestatis etiam aliis illud jus eligendi tradere, aut constitutionem aliquam, decretumque de ea facere, non expectato papae mandato, qui tunc ejus juratus subditus fuit cum omnibus Romanistis. Sicut Sergius juravit Lothario fidelitatem cum suis Romanis, et plurimi alii papae. Deinde creato semel imperator, et translato imperio in aliquam gentem, ut isti gloriantur se transtulisse in Francos et Germanos; non tantum ipse unus homo habuit illam pleniludinem imperatoriae potestatis, sed etiam principes potestatis illius participes fuerunt. Imperium enim non in uno solo homine, sed in toto eorum corpore, et praesertim in ejus principibus consistit.*

Sed haec omnia, aliaque permulta, quae Illyricus repetit, et inculcat usque ad nauseam, nihil aliud efficiunt, nisi jus eligendi imperatorem penes Germanos fuisse ab ipsa translatione imperii, quod nos certe minime negamus. Quin potius Innocentius pontifex, loco supra citato, ex eo probat, potestatem eligendi imperatorem ad Germanos ab apostolica sede pervenisse, quod eadem apostolica sedes in persona magnifici Caroli imperium a Graecis transtulerit in Germanos. At non recte colliges ex eo quod apostolica sedes jus eligendi Germanis in Carolo Magno tribuit illo ipso tempore, quo in eos imperium transtulit, non potuisse Gregorium V. postea sanctionem aliquam circa electionem imperatoris, ipso praesertim imperatore, germanisque principibus consentientibus, edere.

Nam etsi pontifex imperium transtulit, et jus eligendi principem dedit; non transtulit tamen, neque dedit illam suam, quam in omnem Ecclesiam ab ipso Christo habet, summam atque plenissimam potestatem. Quare sicut potuit Ecclesiae caussa id exigente, imperium a Graecis ad Germanos transferre; ita quoque transferre posset, si eadem caussa nunc occurreret a Germanis ad aliam nationem. Pari ratione, sicut jus eligendi principem potuit summus pontifex Leo ejus nominis III. Germanis tribuere, ita quoque potuit Gregorius V. ad impedienda schismata, bella et seditiones, quae ex multitudine electorum nascebantur, ad certum numerum principum electores ejusmodi revocare; praesertim (ut supra dixi) ipso quoque imperatore assentiente vel etiam petente ac rogante. Omnino enim verisimile est, imperatorem, quod ipse facere non audebat, ut tot principes ab electionis jure excluderet, a summo pontifice id postulasse.

Jam vero quod Sergium papam Lothario fidelitatem jurasse Illyricus scribit, non alio pertinet, quam ad cumulum augendum ejus mendaciorum. Nam neque Ado, neque Rhegino, neque Otho frisingensis, neque Abbas urspergensis, neque Ma-

rianus Scotus, neque Sigebertus, neque Martinus Polonus, neque Platina, neque Nauclerus, neque alius ullus (quod sciam) hoc dicit. Ac ne ipse quidem Illyricus in vita Sergii, quam scribit cent. 9. cap. 10. col. 497. et 498. Sed video unde occasionem mentiendi arripuerit Illyricus. Liber pontificalis in vita Sergii II. et Joannes Nauclerus in chronico generat. 39. tradunt rogatum fuisse Sergium pontificem, ut permitteret romanam nobilitatem jurare fidelitatem Ludovico Lotharii filio, quem idem Sergius regem Italiae declaraverat. Pontificem autem nullo pacto concedere voluisse, ut Romani Ludovico jurarent, idque tantum permisisse, ut Lothario imperatori jusjurandum quod petebatur, praestarent. Quoniam igitur Sergius papa Romanos proceres imperatori Lothario jurare permisit, id Illyricus pro sua mentiendi auctoritate ita interpretatus est, ac si pontifex ipse imperatori jusjurandum praestitisset.

Ac ut videas, lector, quam sibi ipse constet Illyricus, adscribam hic pauca de isto ipso Sergio ex loco citato historiae centuriatae ejusdem Illyrici, ibi enim Sergium papam, ut monarcham orbis terrae, et dominum regum atque imperatorum describit, quem hoc loco subditum juratum imperatoris facit. Sic igitur ille centur. 9. cap. 19. col. 498. *Majestatem sprevit, nam sese passus est ordinari in pontificem, non expectato imperatoris assensu: quod erat contra privilegia ejus. Deinde noluit committere, ut populus romanus Ludovico filio Lotharii sacramentum praestaret: licet Drogo Metensis, et alii archiepiscopi, qui ex Galliis cum Ludovico advenerant, acriter ea de re cum ipso contenderent. Inquit enim ad episcopos et legatos: si vultis domino Lothario imperatori magno, hoc sacramentum ut faciant, solummodo consentio et permitto; nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis nobilitas consentit. Regna hujus mundi, et gloriam ejus affectavit; penes se enim voluit esse potestatem, reges et imperatores, quos vellet, inaugurandi. Nam Lotharium coronavit, et Ludovicum ejus filium regem Longobardorum designavit, Ludovici filios, de regno digladiantes, ad pacem per legatos cohortatus est, et regni partitionem approbavit, et Siconulpho Beneventano in terram prostrato pedes suos osculandos praebuit.* Haec ille; qui si verba sua inspicere non gravetur, per se ipse facile judicabit, utrum ille juratus subditus, atque, ut supra vidimus, juratum mancipium regum jure appelletur, qui imperatores, quos vult, coronat, qui filios imperatoris reges designat, cui duces humi prostrati pedes osculantur, ad cujus nutum populi sacramentum fidelitatis imperatori praestant, quo demum repugnante, iidem populi in verba Ludovici regis praesentis, atque armati, jurare non audent. Sed jam libri totius Illyriciani conclusionem audiamus.

Hactenus, inquit, *Spiritu Domini nos in omnem veritatem manoducente, et dolos fraudesque Antichristi, ejusque Symmystarum patefaciente, ostendimus veram translationem, aut etiam communicationem romani imperii in Germanos factam, qua etiam nunc Dei beneficio fruuntur, et simul contra recepta historicorum clericorumque figmenta probavi, nec translationem imperii, nec jus electorum, eis papa beneficio contigisse etc.*

Non possum equidem non vehementer mirari, cur summum pontificem Antichristum tam confidenter Illyricus nominet. Novimus enim ex Daniele cap. 11. et Paulo 2. Thessal. 2. Antichristum nullum Deum curaturum, seque ipsum supra omne quod dicitur Deus, exaltaturum, et rursus ex Illyrico in hoc ipso libro saepius audivimus, romanos pontifices servos et mancipia imperatorum fuisse; ex centuria vero 8. et 9. c. 10. jam ante didicimus eosdem pontifices tot diis sese subjicere solitos, quot sunt in coelo sancti, quot in terris imagines, quot sub terram reliquiae. Quis igitur capiat, eum extollere se super omne quod dicitur Deus, et nullum Deum curare, qui non modo Deos innumerabiles publice colat, sed etiam adeo sit humilis atque abjectus, ut se mancipium juratum principum terrenorum esse fatealur? Sed quid opus est in hoc mendacio refellendo diutius laborare, cum totus liber ex mendaciis constet? Sic nimirum loqui, sic disputare oportuit discipulum ejus, qui in veritate non stetit.

Sed quid ego de illa incredibili impudentia, vel sacrilega potius impietate dicam, qua tot mendaciorum auctorem Spiritum sanctum facit: *Hactenus*, inquit, *Spiritu Domini nos in omnem veritatem manuducente, dolos et fraudes Antichristi ostendimus.* Hoc sane deerat ad cumulum mendaciorum, ut disputationem mendaciis undique scatentem, vel potius totam ex mendaciis fraudibusque contextam, Spiritui sancto tribueret, omnemque veritatem appellaret. Est ne aliquid ultra, quo progredi audacia atque impietas possint? Si mentiri scelus est apud Christianos, quid erit, religioni sibi ducere non mentiri? Quid ipsa mendacia in Spiritum sanctum auctorem conferre?

Sed ego non jam Illyricum miror confidentissime mentientem, ac religioni sibi ducentem non mentiri, et demum ipsa sua mendacia Spiritui veritatis adscribentem: Nam impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Illos miror, qui cum viri prudentes et graves videri velint, sibi tamen ab ejusmodi portentis imponi atque illudi tam facile patiuntur. Quae enim major cogitari aut fingi potest vel negligentia, vel caecitas, vel etiam stupiditas, quam iis hominibus fidem habere, quorum tanta est levitas et inconstantia, ut perpetuo secum ipsi pugnent; tanta mentiendi libido, ut in exiguis libellis tantos acervos mendaciorum inserant, ut plura mendacia sint pene quam verba?

Sed si eorum desidia non immerito reprehenditur, qui mendacissimos libros facile sibi obtrudi sinunt; intoleranda deinceps non jam desidia, sed improbitas erit, si detecta et confutata mendacia ab oculis suis atque auribus non repellant. Quamquam ego meliora de Germanis, ut corpore candidis, sic etiam animo sinceris, et veritatis amantibus sperare debeo. Injuriam enim facerem nobilissimae nationi, si eos crederem mendaciis potius, quam explorata veritate delectari.

U num illud oro, atque obsecro Germanos omnes, ut secum ipsi cogitent, qui sint, unde genus duxerint, quos majores habuerint; quantum denique intersit inter praeclarissimos illos heroës Carolum Magnum, Ludovicum Pium, s. Henricum, Lothários, Othones, Chunrados, qui nihil antiquius habebant, quam ut apostolicam b. Petri sedem certatim honorarent atque ornarent; et nescio quos Illyricos homines obscuros, seditiosos ac turbulentos, qui totis viribus laborant, ut eandem illam sedem imposturis ac fraudibus evertant. Neque enim dubito, quin, si ista paulo attentius cogitaverint illorum potius, quam istorum similes videri volent: multoque magis eorum pietatem, gravitatem, constantiam sectandam sibi esse statuent, qui Germanicum nomen toto orbe terrarum celeberrimum sua virtute fecerunt, quam impios istorum furores, temeritatem et incostantiam, qui Germaniam universam sectis, seditionibus ac tumultibus repleverunt. Illud certe historicorum omnium literis ac vocibus testatum extra controversiam est, numquam magis potentia atque opibus floruisse Germaniam, quam cum illi imperarent, qui sedem apostolicam in primis venerabantur.

Ad finem libri sui de translatione imperii adjecit Illyricus longissimam appendicem, in quam primo loco retulit integrum cap. 3. lib. 3. de concordantia catholica Nicolai Cusani. Secundo integram epistolam Innocentii III. quae incipit, *Venerabilem*, et habetur inter epist. decretales tit. de electione. Tertio epistolam Friderici I. imperatoris ex Radevico lib. 3. cap. 10. quam etiam supra posuerat in prolegomenis. Quarto historiam quandam de rebus gestis Paschalis papae, et Henrici imperatoris, ex Dodechini abbatis appendice ad Marianum Scotum. Quinto Ludovici IV. imperatoris apologiam. Ex quibus omnibus nihil est quod responsionem desideret, praeter apologiam Ludovici IV. nam de testimonio Cusani diximus supra cap. 13. et 15. epistola Innocentii caussae nostrae maxime favet. De epistola Friderici disseruimus cap. 3. historia Paschalis et Henrici ad rem praesentem nihil facit. Non enim inter eos quaestio erat de imperii translatione, sed de investituris episcoporum, et praeterea imperfecta historia est, quam ex Dodechino refert Illyricus. Perfecta ex Abbate urspergensi petenda est; ex qua quisque perspicere poterit, contentionem illam longe alium exitum habuisse, quam optasset Illyricus. Coactus enim fuit imperator, terroribus plagisque immissis divinitus, Ecclesiae collum subjicere, atque investituras episcoporum, pro quibus retinendis tamdiu laboraverat, vel invitus dimittere. Sola igitur restat Ludovici IV. apologia; quae quoniam ab Alberto Pighio egregie refutata est, ne actum agere videar, ad ipsius Alberti responsionem lectorem censni remittendum.

APPENDIX AD TRACTATUM

DE CULTU IMAGINUM

IN QUA CONTINETUR REFUTATIO LIBELLI, QUI FALSO SYNODUS PARISIENSIS INSCRIBITUR

Anno 1596. prodiit Francofurti novus libellus cum hoc titulo, *Synodus parisiensis de imaginibus anno Christi 824. ex vetustissimo codice descripta, et nunc primum in lucem edita.* Hoc autem praesenti anno cum mihi is libellus ab amico ostensus esset, animadverti continuo, nec vere synodum esse, nec scriptum luce dignum.

Quare ne forte inscriptio fallat incautos, operaepretium me facturum existimavi, si libellum brevissime confutarem.

CAPUT PRIMUM

Principio igitur non esse synodum ullam parisiensem, quae hoc libello contineatur, argumento esse potest, quod nulla in eo conspiciantur decreta, nulli canones, nulla extet episcoporum subscriptio, nulla synodi mentio; sed et ipse libellus aperte redarguit sui tituli vanitatem. Sic enim legimus pag. 126. Nos non synodum congregando, sed quemadmodum a vobis postulavimus, licentiamque agendi percepimus, una cum familiaribus nostris, filiis vestris, quantum pro multiplicibus regni diversis occupationibus impediti, per intervalla potuimus considerare studuimus, quod almitati vestrae de tanta necessitate significare potuissemus.

Ac, ut verborum istorum sententia intelligatur, totius libelli argumentum exponemus. Scribit Michaël Balbus imperator graecus ad Ludovicum Pium imperatorem latinum epistolam bene longam, in qua, post alia multa, significavit, in Ecclesiam propter imagines Christi et sanctorum in duas partes esse divisam, cum alii adorandas, alii non adorandas esse contenderent; et simul petiit, ut Ludovicus in occidente operam daret, ut sublato superstitioso cultu imaginum Ecclesia pacem et unionem recuperaret.

Ludovicus his literis acceptis a summo pontifice facultatem obtinuit convocandi viros aliquot doctos qui veterum Patrum testimonia de cultu imaginum diligenter colligerent. Quo facto scribi jussit epistolam, quam nomine summi pontificis, ipso consentiente pontifice, cui primum ostendenda erat, ad Michaëlem imperatorem dirigere cogitabat. Denique tum epistolam praedictam, tum aliam a se ad ipsum pontificem, qui Eugenius dicebatur, proprie scriptam per duos episcopos misit.

Haec igitur quinque in libello, nuper edito, continentur. Primum: Epistola Michaëlis Balbi ad Ludovicum Pium, Caroli Magni filium. Secundo: Collecta testimonia ex veteribus Patribus, quibus probatur, imagines, neque frangendas esse, ut volebant Iconomachi, neque colendas, ut synodus nicaena secunda statuerat. Tertio: Epistola, summi pontificis nomine scripta a francis doctoribus ad Michaëlem imperatorem, qua docetur, imagines neque injuria afficiendas esse, neque etiam adorandas. Quarto: Epistolam Ludovici imperatoris ad Eugenium pontificem ejus nominis secundum, qua eum hortatur ad legationem in Graeciam mittendam, et Ecclesiam pacificandam. Quinto: Epistolam ejusdem Ludovici ad Hieremiam et Jonam episcopos, quos Romam ad summum pontificem mittit, eosque instruit, quemadmodum prudenter cum pontifice se gerere debeant, ut eum ad suam sententiam pertrahant.

Ex his promptum erit intelligere, fucum facere voluisse eos, qui hunc libellum specioso nomine synodi parisiensis ornare voluerunt; qui quidem caussam Iconomachorum juvare, et catholicae fidei detrimentum aliquod adferre conati sunt; sed Deo juvante, mox efficiemus, ut oleum et operam se perdidisse doleant.

CAPUT II.

Nam ut ad epistolam Michaëlis, quae primam partem libelli occupat, veniamus: ea quidem plena videtur religiosi studii, ut si quis aliunde quis iste

Michaël fuerit, ignoret, arbitretur eum unum ex optimis, et christianissimis principibus fuisse.

Sed extant annales publici Joannis Zonarae, Georgii Cedreni, et aliorum, qui res gestas graecorum principum literis mandaverunt. Ex his cognoscere licet, Michaëlem non solum cognomine, sed etiam re ipsa Balbum, virum fuisse impium et scelestissimum, quippe, qui magis hebraicae superstitioni, quam christianae religioni addictus esset: qui resurrectionem carnis pernegaret, et ob id prophetas et apostolos, qui eam praedicaverant, irrideret: qui fornicationem licitam esse diceret, et sacrum coelibatum adeo contemneret, ut e monasterio sanctimonialem, jam Deo sacram, sibi conjugem deligeret: qui septimam synodum oecumenicam, atque ab Adriano pontifice maximo approbatam, respueret: qui sacras imagines nullo honore dignas arbitraretur: qui Iconomachis impense faveret, et Constantinum Copronymum, Iconomachorum principem, sibi praeter caeteros imitandum proponeret: qui s. Euthimium, sanctumque Methodium, aliosque pios veritatis defensores vel exilio, vel carcere, vel morte mulctaret.

Hic igitur est ille Michaël, qui ovinam pellem indutus, cum esset re vera lupus rapax, quasi fidei zelo accensus, nihil aliud optare se fingit, nisi Ecclesiae reformationem et pacem. Sed quemadmodum in illa ipsa epistola deplorat necem Leonis imperatoris, cui proxime ipse successit, quem dicit ab improbis quibusdam conjuratione facta misere necatum, cum satis aperte constet ex auctoribus supra citatis, ipsum eundem Michaëlem conspirationis principem fuisse: sic etiam pie queri videtur, Ecclesiam ob dissensiones de cultu imaginum esse divisam, cum ipse potissimum dissensionis et divisionis auctor esset, qui synodum generalem, quae dissensiones sustulerat, rejecisset, et Iconomachiam propagare studeret: et non contentus dissensionibus orientalibus, in occidente quoque dissensiones serere ac propagare satageret.

Quod vero in extrema epistola catholicos reprehendit, quod vivificam crucem despiciant, quod imagines, ut Deos quosdam adorent, quod ei sacrificia offerant, quod ab eis nescio quo artificio de sacro fonte suscipi, et sacram communionem percipere velint, denique quod alias id genus superstitiones, vel ineptias in cultu sacrarum imaginum ostendant, merae calumniae, atque imposturae sunt. Neque mirabitur ejusmodi mendacia graecum imperatorem in sua epistola ad Latinos longe positos scribere potuisse, qui cogitare voluerit, quam crassa, et quam incredibilia mendacia nostri temporis haeretici de catholicis in vicinis locis degentibus fingant.

Sed ex concilio nicaeno II. vere legitimo et oecumenico, velit nolit Machaël Balbus, illis ipsis temporibus celebrato, luce solis clarius effici potest, illa esse commenta, fraudesque haereticorum. Docuit enim concilium illud, cui catholici omnes assentiebantur, imaginibus sacris deberi quidem suam venerationem, sed non majorem quam vivificae cruci, neque illis ullo modo sacrificandum esse, neque eos cultu latriae, qui Deo est proprius, adorandas. Legitur synodus, et imposturae subito evanescent.

Quae cum ita sint, vel Franci, qui Ludovico imperatori a consiliis erant, fidem habuerunt literis Michaëlis, vel non habuerunt. Si fidem habuerunt, circumventi sunt, atque decepti: Si fidem non habuerunt, abusi sunt literis illis ad permovendum summum pontificem, ut majorem suorum acta rescinderet, et synodum nicaenam, ab Adriano approbatam, improbaret ipse atque damnaret.

Sed sive decepti fuerint, sive decipere voluerint, nihil attinebat istum vel errorem, vel scelus ipsorum orbi terrarum prodere, praesertim, cum non sine caussa majores nostri libellos ejusmodi, qui nihil utilitatis, detrimenti autem plurimum adferre poterant, libenter delitescere passi sint.

CAPUT III.

Venio nunc ad ea testimonia, quae pauci illi viri a Ludovico imperatore vocati, ex veterum monumentis collegisse se dicunt. Multis enim nominibus viri illi peccasse videntur. Ac primum quidem ante collectionem satis audacter judicium sibi de scriptis apostolicis desumpserunt. Nec solum de summo pontifice, sed etiam de generali synodo, a pontifice approbata, temere judicarunt. In qua re longe superarunt peccatum auctoris illius, qui nomine Caroli Magni librum edidit adversus cultum sacrarum imaginum. Ille enim (quod etiam Patres concilii francofordiensis fecerunt) nicaenam synodum secundam improbavit, quoniam celebratam fuisse existimavit sine consensu apostolicae sedis. At consiliarii isti Ludovici imperatoris, quorum scripta discutimus, fatentur synodum pro cultu imaginum, idest, nicaenam secundam ab Adriano summo pontifice coactam et probatam, et tamen tum ipsam synodum, tum epistolam ejusdem Adriani ad Constantinum imperatorem pro cultu imaginum, et rursum defensionem ejusdem synodi, ab Adriano ad Carolum missam, examinare, dijudicare, reprehendere non verentur.

Haec enim sunt ipsorum verba pag. 19. *Primum epistolam domini Adriani papae, quam pridem pro imaginibus erigendis Constantino imperatori, et Irenae matri ejus ad eorum deprecationem in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus, et quantum nostrae parvitati res patuit, sicut juste reprehendit illos, qui imagines sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere et penitus abolere praesumpserunt: sic indiscrete noscitur fecisse, in eo quod superstiose eas adorari jussit, pro qua etiam caussa synodum congregari praecepit.* Et infra pag. 21. de defensione nicaenae synodi ab Adriano edita sic loquuntur. *Per singula capita in illorum excusationem respondere, quae voluit, non tamen quae decuit, conatus est etc.*

Ita nimirum judicem suum, et totius mundi judicare, pastorem omnium Christi ovium pascere; et doctorem universorum docere non erubuerunt, qua temeritate nulla major cogitari potest.

CAPUT IV.

Sed fortasse nova aliqua, atque recondita testimonia repererunt, quibus freti resistere in faciem apostolico praesuli non reformidarunt. Immo vero notissima et vulgaria, et quae nihil ad rem faciant sine ulla ratione, vel ordine collegerunt.

Ac, ut exempli gratia pauca discutiamus, primum testimonium sumunt ex libro s. Augustini de haeresibus, ubi legimus Simonem magum jussisse imaginem suam, et Helenae meretriculae suae a discipulis adorari. Atque hanc esse dicunt primam originem adorandarum imaginum. Quasi vero, si de falso cultu agatur, non ante Simonis tempora, vituli aurei ab Hebraeis, et simulacra hominum mortuorum a gentilibus adorata fuerint. Sed Ecclesia catholica non discit cultum rerum sacrarum ab hostibus suis, et si ex eo testimonio liceret colligere non esse Christi, et sanctorum imagines venerandas, licebit eadem ratione colligere, ne ipsum quidem Christum ullo honore dignum esse; propterea siquidem impium erat, Simonis et Helenae imagines colere, quod Simon et Helena indignissimi essent qui colerentur.

Sed ridicula plane sunt, quae ex epist. 56. ejusdem Augustini ad Dioscorum testimonia desumpserunt: ridicula, inquam, si ad id, de quo agimus, referantur. Quae namque s. Augustinus disputat de imaginibus, quae a corporibus defluentes in animum penetrant, ut per eas aliquid cernamus, vel cogitemus, ea proferunt isti ad probandum non esse Christi et sanctorum imagines depictas vel sculptas ullo modo colendas. Quae quam bene cohaereant cum supra praesenti disputatione, lectoris esto judicium.

Quid? quod plurima testimonia, quae summus pontifex Adrianus in epistola illa sua doctissima pro imaginibus posuit, isti rursum allegant, qui contra imagines pugnant.

Quod vero dicunt, et nonnullis etiam testimoniis probare nituntur, non esse consuetudinem, vel annorum numerum, aut quamlibet vetustatis auctoritatem praeferendam veritati: tunc recte diceretur, si probari posset, cultum, quem Ecclesia catholica imaginibus exhibet, ex manifesto errore, non ex certa veritate descendere. Sed cum de re aliqua litigatur, multum valere consuetudinem, et venerandam esse antiquitatem, ne ipsi quidem negare possunt: Quorsum enim tantopere laborarunt in evolvendis antiquitatis monumentis, si nullum probabile argumentum ex antiquitate peti potest? Nonne vident, se hoc suo facto contra sua verba pugnare? et re ipsa destruere, quod verbis astruere nitebantur? Certe si liceret testimonia s. Augustini, s. Basilii, aliorumque veterum Patrum in medium afferre, quibus ipse ex antiquitate, vel Ecclesiae consuetudine probant ecclesiastica dogmata, nullus finis esset.

Sed quod superat omnem admirationem, illud est, quod multa testimonia proferunt pro adoratione crucis, et cum rationem reddere volunt, cur signum, vel lignum crucis adorandum sit, et imagines Christi non sint adorandae, dicunt eam esse caussam, quia Christus in cruce suspensus fuit, non in imagine: et quia per crucem nos redemit, non per imaginem. Quod si refellere voluero, timeo, ne nimiae tarditatis lectores existimare videar. Certe enim Christus non in signo crucis, quod in pariete, vel in tabella, vel in fronte, vel in aere pingimus, suspensus fuit, neque etiam in ligneis illis crucibus, quae passim cernuntur et adorantur in ecclesiis; sed in illa una cruce, cujus ista nostra signa, quae pingimus, vel erigimus, imagines sunt. Cum ergo liceat per adversarios crucis imaginem colere, cur imaginem Crucifixi colere non licebit? et si jure crucis adoramus imaginem, quia per crucem redempti sumus a Christo, qua caussa fingi potest, cur non jure coli possit imago Christi, qui proprie nos redemit?

At, inquiunt, nihil manu factum colere fas est, quid igitur? Lignum vel signum crucis non est manufactum? Codex evangeliorum et sacra vasa, quae horum opinione veneranda sunt, quid suut aliud, nisi opera manuum humanarum? Et tamen verum est, nihil manufactum esse colendum eo genere cultus, quo Deus ipse qui omnino non est factus, sed omnium rerum factor colendus est.

Quare poterant collectores isti maximam partem testimoniorum, quae attulerunt, omittere, quoniam iis nihil probatur aliud, nisi solum Deum esse colendum cultu latriae sibi uni proprio, et non esse imagines ita adorandas, ut etiam sacrificia illis offerantur, quae neque nos negamus, neque sancta nicaena synodus negavit.

Ac, ut videas, lector, quantas vires veritas habeat, ipsi quoque qui eam oppugnant, non raro vel inviti vel imprudentes eam tuentur. Id accidit collectoribus nostris. Nam inter alia testimonia colligunt etiam nonnulla, ut probent imagines non esse frangendas, vel injuria afficiendas. Sed in iisdem testimoniis non habetur solum quod ipsi volunt, imagines videlicet non esse afficiendas injuria, sed habetur etiam, quod nolunt, afficiendas honore. Quod quidem isti collectores aliquando viderunt, et textum audacter corruperunt, aliquando non viderunt, et testimonium contra se in ipso suo libello imprudentes reliquerunt.

Prioris rei exemplum habes pag. 87. ubi allegatur s. Gregorius, qui in epistola quinta libri septimi ad Januarium reprehendit acriter nonnullos, qui b. Virginis imaginem et crucem dominicam contumeliae caussa ad Judaeorum synagogam detulerunt: et mandat Januario episcopo, ut sublatam ex eo loco cum ea, qua dignum est veneratione, imaginem atque crucem in Ecclesiam referat. Hic boni collectores nomen imaginis simpliciter deleverunt, vel omiserunt, ne videretur contra eorum dogma non solum crux, sed etiam imago beatae Virginis veneranda, nisi forte librariorum errore nomen imaginis sit omissum.

Jam vero pag. 91. adscribunt haec verba ex epistola synodica Gregorii papae: *Nos non ob aliud nomen imagines facimus, et adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei etc.* Audis ne collector, vocabulum (adoramus?), et tamen a se hoc testimonium prolatum est. Sed habemus clariora.

Paulo infra ponuntur haec verba ex libro s. Basilii ad Amphilochium de Spiritu sancto cap. 17. *Imaginis honor ad primam formam transit, etc.* Ecce tibi rursus honorem imaginis. Sed ad clarissima veniamus.

Paulo post adferuntur haec alia verba ex epistola ejusdem Magni Basilii ad imperatorem Julianum. *Credo in unum Deum patrem omnipotentem, Deum patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, unum Deum, haec tria adoro et glorifico. Confiteor autem et Filii incarnati dispensationem, Dei genitricem, quae secundum carnem eum genuit, sanctam Mariam. Suscipio vero et sanctos apostolos, prophetas et martyres, et ad Deum deprecationem, quae per eos propitium mihi efficit misericordissimum Deum, pro quo et figuras imaginum eorum honoro et adoro, specialiter hoc traditum est a sanctis apostolis, et non prohibitum, sed in omnibus ecclesiis nostris eorum designari vel historias etc.* Quid audivimus? S. Basilius Magnus ab adversario advocatur testis, et vere testis est omni exceptione major. Is vero palam affirmat, se honorare et adorare apostolorum, prophetarum et martyrum imagines. Idque affirmat, dum fidei suae confessionem edit, ac de rebus, non dubiis aut verisimilibus, sed certissimis et exploratis loquitur. Addit vero id ab apostolis traditum, et ab omni Ecclesia susceptum et observatum. Quid quaeso responderi potest? Auctor gravissimus, aperte loquitur, et ejus testimonium ab adversariis profertur. Neque desunt alia testimonia similia in eodem libello, Athanasii, Germani, Leontii et aliorum, quae imprudenter ab adversariis contra se et pro nobis, hoc est, pro cultu sacrarum imaginum proferuntur. Sed ego brevitati studeo, neque libenter in his refellendis ineptiis tempus tero.

CAPUT V.

Sequitur pars tertia, idest, epistola Eugenii papae ad Michaëlem et Theophilum ejus filium imperatores, quam epistolam iidem collectores scripsisse videntur. Neque enim Eugenius ullam talem epistolam scripsit; sed (ut supra diximus) scripta fuit, ut nomine pontificis mitteretur, si ipse probaret. In qua re cogimur desiderare prudentiam collectorum. Qua enim fronte romano pontifici praescribere ausi sunt, quod ipsum scribere oporteret? Qua vero fiducia sperare potuerunt, romanum pontificem scripturum ad graecum imperatorem contraria iis, quae praedecessores ejus non semel scripserant?

Sed videamus, si placet, paulo diligentius, an epistola illa summum pontificem deceat. Omitto autem, quod in hoc libello epistola illa caret principio, quod peccatum non primo auctori, sed ei, qui nunc demum post tot saecula libellum hunc in lucem edidit, tribuendum videtur. Nihil etiam dico quod epistola verbosa est admodum, obscura, barbara, imperita; detur enim hoc tempori. Taceo denique, quod dum conatur tollere repugnantiam, verbis s. Gregorii esse videbatur, tanto se magis involvit, quanto magis conatur evolvere. Sed tria quaedam tacitus praeterire non possum. Primum enim facit haec epistola pontificem summum, adulatorem imperatoris impudentissimum, dum ita loquitur: *O venerandi mundi principes, cum universa sancta Dei, quam Domino disponente et committente gubernatis, Ecclesia.* Et infra, *propter adunandam, quam Domino Deo ordinante regitis, Ecclesiam.* Quae foedior adulatio? Michael Balbus interfecto legitimo imperatore, cum esset ipse pro sceleribus suis jam morti adjudicatus, tyrannice invasit imperium, et pontifex maximus affirmabit, Deo disponente, committente et ordinante hunc ipsum Balbum gubernacula suscepisse non solum imperii, sed etiam Ecclesiae, et si Ecclesia Dei ab ipso Deo gubernanda imperatori tradita est, quid faciunt in Ecclesia episcopi? quid ipse summus pontifex? *Imperator* (inquit s. Ambrosius) *in Ecclesia est, non supra Ecclesiam, filius Ecclesiae, non rector; ovis, non pastor.* Et s. Joan. chrysostomus diacono suo dixit: *Si is, qui diademate coronatur indigne adeat ad sacra mysteria percipienda, cohibe et coerce, majorem tu illo habes potestatem.*

Deinde, in eadem epistola non semel repetitur hoc argumentum: *Si nulla unquam picta, vel ficta fuisset imago, nihil periret de fide et charitate, quibus ad regnum pervenitur aeternum:* et tamen propter imagines orta est dissensio, et divisio in Ecclesia, turbata pax, charitas violata. Et non animadvertunt, qui eam epistolam nomine summi pontificis scribunt, eo argumento non solum effici quod ipsi volunt, imagines non esse adorandas, sed etiam effici (si quid tamen efficitur, quod mox videbimus) imagines omnino de medio esse tollendas, quod ipsi nolunt. Nec tamen argumentum illud aliquid valet.

Quamvis enim nihil periret de fide, spe et charitate, si nulla picta, vel ficta esset imago tamen quando picta, vel ficta est, peccat in fidem, qui eam negat esse venerandam, quoniam honor imaginis ad prototypum refertur, quod venerandum esse fides docet, et adversarius non negat. Et potest hoc ipsum similitudine illustrari, si libellus aliquis divinae Scripturae, ut epistola ad Philemonem, non extaret, nihil deperiret de fide, spe et charitate: et tamen quia nunc extat, qui eam negaret esse cum veneratione suscipiendam, peccaret in fidem; et si propterea dissentiones orirentur, non esset epistola abjicienda, sed imperitia dissidentium coarguenda et instruenda.

Postremo in eadem illa epistola reprehenditur Constantinus et mater ejus Irene, quod edicto suo jusserit sacras imagines juxta concilii generalis decretum, cum veneratione esse habendas. Quae sane reprehensio a summo pontifice, nisi plane amente, scribi non potuit. Quid enim? Adrianus papa Constantinum et Irenem summis laudibus effert, quod sacrarum imaginum religioso cultui faveant: et Adriani successor Eugenius eosdem imperatores ob eaussam eandem reprehendet? et quae major stultitia fingi potest, quam ut summus pontifex moleste ferre se dicat, quod ab imperatore de

creta conciliorum generalium, a sede apostolica approbata, serventur ac defendantur?

Sed si parum prudentes collectores fuerunt;non fuit inconstans apostolicae sedis antistes, permansit enim in iis, quae praedecessores non sine magna deliberationis maturitate statuerant. Nam neque Eugenius eam epistolam misit: et paulo post Adrianus II. synodum oecumenicam octavam Constantinopoli celebrandam curavit, in qua synodus septima de cultu imaginum iterum approbata est. Denique Anastasius bibliothecarius romanus in praefatione septimae synodi ad Joannem VIII. pontificem, qui Adriano II. proxime successerat, scribit,in eadem sententia fuisse omnes romanos pontifices. *Quae*, inquit, *super venerabilium imaginum adoratione praesens synodus docet, haec et apostolica vestra sedes, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, et universalis Ecclesia semper venerata est, et hactenus veneratur, quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est horum veritas revelata.*

CAPUT VI.

Restat pars ultima, hoc est, epistola Ludovici imperatoris ad Eugenium pontificem, et altera ejusdem Ludovici ad Hieremiam et Jonam episcopos. In quibus nihil observandum occurrit, nisi quod in eis quaedam dicuntur, quae redolere videntur fraudes recentium haereticorum. Unde venit in mentem suspicari, ne forte vel totus hic libellus sit confictus, vel, quod est credibilius, depravatus et auctus ad invidiam romanae Ecclesiae conciliandam.

Sed sive sit verus liber, sive confictus, sive partim sincerus, partim adulterinus, illud unum constat, non esse librum dignum,in quo legendo tempus conteratur. Titulus falsus, dictio barbara, sententiae insulsae, ordo perversus, eorundem testimoniorum crebra repetitio, facile potuissent persuadere typographo, si is commune commodum,et non proprium lucrum spectasset, ut sibi ab edendo ejusmodi opere temperaret.

LIBER PRIMUS

DE INDULGENTIIS

PRAEFATIO

Quae prima controversiarum hoc nostro saeculo fuit, ea non electione, sed casu postremo loco a nobis tractanda suscipitur. Nam cum locum huic controversiae post libros de poenitentia designavissem, et casu factum esset, ut libri illi prope ferias autumnales absolverentur, et typographus illo ipso tempore extremam manum secundo tomo imponere vellet, implere non potui quod maxime cupiebam. Deinde supervenerunt aliae atque aliae occupationes, tum publicae, tum privatae, quibus impeditus, vix otium paucorum mensium pro tertio tomo (quod opus majoris momenti esse videbatur) perficiendo invenire potui. Sed cum praeter spem hoc anno aliquid vacui temporis nactus fuissem, et simul anni sexcentesimi supra millesimum jam imminentis expectatio nos admoneret celeberrimi Jubilaei, solemniumque indulgentiarum, quibus is annus vetere instituto consecratus est, non potui diutius hujus debiti solutionem differre, quam multi a me jure ac merito expetebant. Quamvis autem eas potissimum controversias explicandas susceperim, quae de indulgentiis inter catholicos, haereticosque versantur, tamen attingam etiam illas, quae inter catholicos salva fide, veritatis indagandae, vel illustrandae gratia disputantur. Igitur universae disputationis hic erit ordo. Primum de nomine indulgentiae, et jubilaei breviter disseremus, et simul qui pro defensione indulgentiarum, qui contra easdem scripserint, indicabimus. Deinde an indulgentiae sint, prosequemur; ubi duo tractanda erunt, alterum de thesauro quodam spirituali Ecclesiae; alterum de potestate eum thesaurum distribuendi. Tertio quid proprie sit indulgentia, idest, in quo praecipue natura ejus posita sit, investigabimus; ubi alia duo explicanda erunt; unum, sit ne indulgentia solutio vel absolutio; alterum, a quo vinculo solvat vel absolvat. Quarto, qualis indulgentia sit, idest, de multiplici forma et varietate ejus disseremus. Quinto, propter quid, sive cujus rei gratia sit, hoc est, de fructu et utilitate indulgentiae disputabimus. Sexto, quis possit indulgentias concedere, et quam ob caussam, inquiremus. Septimo, quis eas suscipere possit, et quae dispositio ad eas suscipiendas requiratur, videbimus. Octavo, an, et quomodo defunctis indulgentiae prosint, aperiemus. Atque haec omnia in priore libro breviter et perspicue explicare conabor. In posteriore vero libro mendacia, fraudes et imposturas, argumenta quoque sive a testimoniis Scripturae et Patrum, sive ab ipsa ratione petita, Lutheri, Calvini, Heshusii et Kemnitii, qui praeter caeteros in hoc argumento laborasse videntur, aperiam, discutiam et refellam.

CAPUT PRIMUM

De nomine indulgentiae et jubilaei.

Ac ut a nomine exordiamur, indulgentia remissionem, et facilitatem, sive (ut sic loquamur) condescensionem in Scripturis sanctis aliisque auctoribus, praesertim ecclesiasticis, significare solet. Et quidem priore notione usurpatur hoc nomen apud Isaiam cap. 61. sancto Luca interprete cap. 4. evangelii. Nam quod legimus in Isaia: *Praedicare captivis indulgentiam*, in evangelio Lucae redditum videmus: *Praedicare captivis remissionem.* Eadem notione passim veteres Patres usi sunt. Cyprianus in serm. de lapsis, et in epist. ad Jubajanum, Hieronymus in comment. ad cap. 4. Danielis, et Augustinus in psal. 101. explicans illa verba: *Cinerem tamquam panem manducabam*, posteriore significatione, qua nomen indulgentiae pro lenitate, et ut diximus, condescensione accipitur, usus est apostolus in priore ad Corinth. cap. 7. in illis verbis: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Eadem significatio apud alios scriptores tum sacros, tum profanos frequentissima est.

Ecclesia igitur et scholae theologorum utramque significationem conjungentes, indulgentias vocant remissiones poenarum, quae saepe remanent luendae post remissionem culparum, et reconciliationem in sacramento poenitentiae adeptam, quas remissiones summi pontifices ex paterna lenitate et condescensione in filios suos, compatientes eo-

rum infirmitati, certis temporibus, et non sine justa aliqua et rationabili caussa concedere solent. Videtur autem Ecclesia ad hanc rem significandam nomen hoc derivasse ab usu veterum imperatorum et jureconsultorum. Siquidem illi indulgentiam solemni, proprioque vocabulo appellant remissionem generalem criminum, quam aliquando principes saeculi publicae laetitiae caussa faciebant. Vide codicem Theodosianum lib. 9. tit. 38. qui est de indulgentiis criminum, et nominatim invenies lege 3. indulgentiam fuisse remissionem criminum, quo ad solam poenam legibus debitam, et lege 4. invenies indulgentiam nunc remissionem, nunc absolutionem appellari. Vide etiam l. Lucius ff. ad senatusconsultum Turpill. et l. Indulgentia, C. de generali abolitione, et Ammianum Marcellinum lib. 16. ubi etiam indicat, nomen indulgentia esse antiquum, et solemne cum ait, *ne per indulgentias, quos appellant etc.* Atque haec de nomine indulgentiae hic sufficiant, nam definitionem accuratam indulgentiae postea suo loco trademus.

Porro jubilaeus dicitur a voce hebraea יובל jobel, et quamvis aliqui malint jobelaeum, vel jobilaeum, quam jubilaeum dicere, nos tamen s. Hieronymum sequimur, qui vocem jobel, perpetuo jubilaeum reddidit. Non enim in converlendis vocibus tam superstitiosi esse debemus, ut propterea s. Hieronymum, virum doctissimum et prudentissimum et ab ipsa Ecclesia approbatum deserere debeamus. Significat autem jubilaeus annum remissionis, qui apud Hebraeos erat quinquagesimus, ut perspicuum est ex cap. 25, et 27. Levitici, et cap. postremo Numerorum, siquidem eo anno remittebantur labores omnes agriculturae, non enim arabatur, nec serebatur, nec metebatur, sed ex frugibus anni superioris, quas Dominus triplo plures suppeditabat, omnes commode sustentari poterant; restituebantur etiam agri, ac domus venditae prioribus dominis, et qui servituti addicti fuerant, libertati pristinae reddebantur. De ethimologia vero jubilaei, grammatici certant, et adhuc sub judice lis est. Ego tamen non assentior rabbinis, qui docent jubilaeum a sonitu cornu arietini sic nominari, quod ejusmodi sonitu indiceretur annus remissionis. Nam tametsi uno in loco, videlicet Exod. 19. videatur jobel sonum buccinae, vel ipsam buccinam significare: tamen ubi agitur proprie de jubilaeo, nimirum Levit. 25. sonitus buccinae, quo indicebatur jubilaeus, non vocatur jobel, sed תרועה theruha, qua etiam voce utitur David in psalmis ubicumque jubilum vel jubilationem nominat. Et certe si jubilaeus hebraice diceretur a sonitu buccinae, debuisset omnino Moyses Levit. 25. ubi ait: *Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae. Ipse est enim jubilaeus*: Debuisset, inquam, uti voce jobelin designando sonitum buccinae. Quod tamen non fecit, sed usus est voce theruha, ut diximus. Itaque non dicitur hebraice jubilaeus a jubilatione, cum ille jobel, ista theruha dicatur: sed dicitur, ut existimo, a יבל jabal, quod significat germinare, et producere, unde est nomen יבול jebul, quo fruges et fructus omnes significari solent. Dicitur igitur jubilaeus, quasi annus germinans, utilis et fructuosus, quia sine labore adducit fructus terrae, et sine sumptibus restituit agros et domos antiquis dominis, et sine ulla vi reddit servis pristinam libertatem. Fuit autem sine ullo dubio jubilaeus Hebraeorum typus et figura evangelii, per quod homines remissionem peccatorum, liberationem a servitute diaboli, possessionem paradisi, et domum coelestem, ac denique fructus bonorum operum, et alia innumerabilia beneficia per Christum acquirunt. Ad quod alludens Isaias cap. 61. in persona Christi, sic ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domino.*

Hinc pontifex maximus, Clemens ejus nominis sextus, annum illum celebrem, in quo indulgentiae maximae adeuntibus apostolorum basilicas more veteri conceduntur, jubilaei nomine appellandum censuit, praesertim cum ad similitudinem veteris jubilaei annum quinquagesimum pro centesimo, qui antea fuerat in usu, ipse designasset. Denique idem jubilaei nomen derivatum est ad omnes indulgentias, quae in amplissima forma subinde concedi solent, etiam extra annum illum, qui proprie jubilaei nomen invenit. Quamvis autem indulgentia pontificia, ut postea suo loco probabimus, solam poenam temporalem peccatis debitam remittat, atque ob id solum ex parte nonnullam habeat cum veteri jubilaeo similitudinem, tanti tamen fructus poenitentiae, tot conversiones hominum sceleratorum, tam multa et tam praeclara pietatis opera, indulgentiam illam vel praecedunt, vel comitantur, ut merito annus ille, sanctus, placabilis Domino, germinans et fructuosus, quod nomine jubilaei significari diximus, appellari possit. Extat libellus, in quo recensentur ordine opera pietatis egregia ac pene innumerabilia, quae in proximo jubilaeo sub Gregorio XIII. pontifice maximo edita sunt. Nec minora speramus visuros non esse in eo, qui nunc imminet anno millesimo sexcentesimo sub Clemente VIII. pontifice optimo atque sanctissimo.

Ac ut possint qui volunt auctores consulere, qui de indulgentiis praeclare scripserunt, adscribam eorum nomina, quorum libri ad manus meas venerunt, Primi igitur sunt Gulielmus Altisiodorensis in summa theologica lib. 4. tract. 6. cap. 9. et Alexander Alensis in summa item theologica part. 4. q. 23. Hos sequuti sunt Albertus Magnus, s. Thomas, s. Bonaventura, et caeteri scholastici theologi in comment. ad 4. lib. sentent. dist. 19. aut 20. aut 45. quibus addi possunt interpretes juris canonici, Panormitanus et alii, in varia capita tituli de poenitentiis et remissionibus: tum in epist. decretalibus, tum in sexto, et extravagantibus: necnon Joannes de Turrecremata, in commentario ad Gratiani decretum, de poenit. dist. 1. can. *Quis vidit aliquando*, § Item in Levit. Felinus in serm. sive tract. de indulgentiis, et s. Antoninus in summ.

part. 1. tit. 10. cap. 3. His postremo adjungendi sunt, qui post natam Lutheranam haeresim scripserunt, Sylvester Prieras, tum in libello adversus Lutherum, tum in summa, verbo, Indulgentia. Joannes Eckius in enchir. cap. 24. Adrianus papa VI. commentar. ad 4. lib. sentent. in tract. de indulgentiis. Thomas Cajetanus cardinalis in 1. tom. opuscul. tract. 8. 9. 10. 15. et 16. Joannes episcopus Roffensis in refutatione assertionis articulorum Lutheri art. 17. 18. 19. 20. 21. et 22. Dominicus a Soto in 4. sentent. dist. 21. Petrus Soto in institutione sacerdotum lect. 1. 2. et 3. de indulgentiis. Jacobus Latomus in defensione septimi articuli Lovaniensium. Martinus Ledesmius in 2. part. 4. sent. qu. 27. 28. et 29. Michael Medina in disputat. de indulgentiis. Antoninus Cordubensis in quaestionibus de indulgentiis. Joannes Baptista Paulianus in libris de jubilaeo, et indulgentiis. Martinus Navarrus in commentario de jubilaeo et indulgentiis, Franciscus Turrianus lib. 4. de dogmaticis characteribus Verbi Dei. Gregorius de Valentia in lib. de indulgentiis, Jacobus Nachantus tract. 10.

Porro ex Ecclesiae hostibus primi, qui indulgentias contempserunt et oppugnarunt, fuerunt Valdenses, qui Pauperes de Lugduno appellati sunt. Horum errores referuntur a s. Antonino in 4. part. summ. tit. 11. cap. 7. § 2. et a Joanne de Turrecremata lib. 4. summ. part. 2. cap. 35. Octavus eorum error fuit, indulgentias, quae a summo pontifice conceduntur, nihil prorsus valere.

Sequutus est Valdenses Joan. Wicleffus, cujus errores recensentur et damnantur in synodo constantiensi sess. 8. eorum errorum quadragesimus secundus est, fatuum esse credere indulgentiis papae et episcoporum.

Wicleffum sequuti sunt Hussitae, ut intelligi potest ex 1. lib. Joannis Cochlaei de historia Hussitarum. Hos majores et parentes habuit Martinus Lutherus, qui nostro saeculo ab indulgentiarum reprehensione principium fecit sectae suae propagandae, ut perspicuum est ex resolutionibus de indulgentiis, ex assertionibus articulorum a Leone X. damnatorum, ex initio libri de captivitate babylonica, et ex aliis ejus libellis.

Lutherum sequutus est ipsius Achates Philippus Melanchthon, in apologia confessionis Augustanae, articul. 12. Matthias Illyricus in centuriis, centur. 4. cap. 15. col. 1529. Tilmannus Heshusius in lib. de erroribus Pontificiorum tit. 32. Sic copiosius indulgentias oppugnavit Joan. Calvinus in institutione christiana lib. 3. cap. 5. et in alia editione lib. unic. cap. 9. n. 38. et sequentibus, copiosissime vero Martinus Kemnitius in 4. part. examinis tridentini concilii.

CAPUT II.

Extare thesaurum aliquem in Ecclesia, qui sit indulgentiarum fundamentum.

Ut investigemus an indulgentiae sint, quod erat secundo loco propositum, duo quaerenda sunt. Unum, an extet in Ecclesia thesaurus aliquis satisfactionum Christi et sanctorum, qui applicari possit iis, qui rei sunt poenae luendae post culpam in sacramento poenitentiae remissam. Alterum, an sit in pontifice maximo, aliisque episcopis potestas applicandi hunc thesaurum, et eo modo absolvendi homines a reatu poenae temporalis. Nam haec duo necessaria esse ad indulgentias constituendas, quales a catholicis, auctoribus defenduntur, nemo negare potest.

Quod igitur ad primum attinet, non defuerunt ex antiquis theologis scholasticis, qui tametsi indulgentias admitterent, tamen de thesauro dubitarent. Nam Franciscus Mayronis in 4. sent. dist. 19. quaest. 2. thesaurum satisfactionum Christi supereffluentium, et apud Ecclesiam reconditarum, in dubium revocavit. Durandus vero in 4. dist. 20. quaest. 3. in quaestionem vertit, an ad hunc thesaurum pertinerent satisfactiones sanctorum. Uterque autem paratus erat judicio Ecclesiae acquiescere, si forte aliter saperet. Haec enim sunt verba Durandi in praefatione commentariorum suorum in magistrum: *Et quoniam interpretatio dubiorum sacrae Scripturae ad sanctam Ecclesiam romanam et catholicam pertinet, omnia opera ejus correctioni totaliter suppono.* Caeterum communis aliorum theologorum, tum antiquiorum, ut sancti Thomae et s. Bonaventurae, tum recentiorum omnium sententia thesaurum satisfactionum tum Christi, tum sanctorum semper agnovit, et secundum eam sententiam Clemens VI. pontifex maximus paulo post obitum Mayronis, et Durandi, de ea re decretum edidit, in constitutione, quae incipit, *Unigenitus.*

Caeterum Martinus Lutherus, Joannes Calvinus et alii supra citati hujus temporis sectarii, ut in aliis rebus multis, sic etiam in articulo de thesauro satisfactionum ab Ecclesiae catholicae sententia, ut pontificis maximi judicio recesserunt. Nos igitur ut rem totam facilius explicemus et probemus, aliquot propositiones in medium adferemus.

Prima propositio. *In bonis actionibus hominum justorum duplex valor, sive pretium assignari potest, meriti videlicet, et satisfactionis.* Hanc distinctionem Lutherus in assertione art. 17. figmentum esse dixit, sed nullo argumento eam refutare tentavit. Non esse autem figmentum, sed rem verissimam, parvo negotio demonstrari potest. Dicimus igitur, in uno, atque eodem opere bono, ut eleemosyna, vel jejunio, et meritum, et satisfactionem reperiri, et unum horum ab altero sejungi posse, neque unum ab altero impediri. Probatur primum ex Scripturis. Eleemosyna delet peccatum quod est satisfactorium esse. Job. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat.* Ecclesiastici 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Sanctus Joannes chrysostomus homil. 25. in acta apostolorum: *Non est*, inquit, *peccatum, quod non possit purgare eleemosyna.* Sanctus Cyprianus in serm. de eleemosyna: *Eleemosynis*, inquit, *atque operibus justis, delictorum flamma sopitur.* Et tamen eadem eleemosyna, quia est opus bonum, et Deo gratum, meritoria est vitae aeternae, ut perspicuum est ex c. 25. Matth. *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab ori-*

gine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. Neque responderi potest, non convenire eidem eleemosynae, ut sit satisfactoria et meritoria, sed aliam esse satisfactoriam, et aliam meritoriam. Nam esse satisfactoriam convenit eleemosynae, quia est opus laboriosum et poenale; esse meritorium convenit eidem, quia est opus bonum ex charitate factum ; non est autem eleemosyna minus bona et ex charitate facta, quia laboriosa et poenalis, neque contra: Igitur una et eadem utrumque fructum parit. Idem dici potest de jejunio, est enim vere satisfactorium, quia poenale, ut perspicuum est ex facto Ninivitarum Jonae ultimo, et tamen est meritorium si fiat ex charitate, cum Dominus dicat Matth. 6. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quid autem reddet, nisi mercedem? Sic enim paulo ante de hypocritis dicitur, *qui cupiunt videri ab hominibus jejunantes, Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Idem de oratione dici potest. Nam in oratione dominica petimus ut dimittantur nobis debita nostra, atque hac petitione satisfacimus pro peccatis venialibus, ut sanctus Augustinus affirmat in enchiridio cap. 71. *De quoditianis*, inquit , *brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit.* Et tamen de eadem oratione Dominus dicit in evangelio cap. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Denique de operibus poenitentiae generatim quod simul satisfactoria et meritoria esse possint, extat memorabilis sententia sancti Cypriani in serm. de lapsis extremo. *Qui sic Deo satisfecerit. qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus, et adjutus a Domino. quam contristaverat nuper, laetam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Addamus his testimoniis rationes ex theologia petitas. Principio, Opus bonum ex charitate factum meritorium est vitae aeternae, ut copiose demonstravimus lib. 5. de justificatione. At nihil detrahitur de bonitate et dignitate ejus operis, si acceptetur a Deo ad satisfactionem pro poena: igitur idem opus meritorium et satisfactorium erit. Ad haec, qui orat pro aliis, eisque impetrat remissionem peccati, vel quodvis aliud beneficium Dei, certe non minus bene operatur, et Deo placet ita orando, quam si pro se tantum oraret, immo melius facit, ac magis Deo placet, quia simul exercet charitatem in Deum et in proximum, igitur non perdit mercedem suam apud Deum, quamvis etiam proximo beneficium aliquod illo ipso opere impetraverit. Quare poterit eadem oratio simul esse impetratoria, et meritoria. Quod si ita est, quid impedit quo minus possit esse simul satisfactoria et meritoria? Quemadmodum enim ille meretur apud Deum dignam operis sui mercedem, qui ex charitate orando impetrat aliquid proximo: sic etiam merebitur apud Deum dignam operis sui mercedem, qui ex charitate orando, vel jejunando, vel eleemosynas tribuendo, pro aliorum peccatis nititur satisfacere. Praeterea, si duo pii viri cum aequali charitate et pietate erga Deum orent, aut eleemosynas tribuant, et uni remittatur poena aliqua temporalis, cui erat obnoxius, alter non egeat ulla remissione, quaero, an par praemium in vita aeterna sibi acquirant, an diversum? Si par, igitur opus bonum meritorium, et satisfactorium simul esse potest, neque aliquid amittit de ratione meriti, propterea quod ratio satisfactionis accedat: si diversum; igitur opus bonum, aut meritorium non integram a Deo mercedem accipit. Nam non potest tam parum detrahi de praemio vitae aeternae, et augmenti gratiae, quin sit illud multo pretiosius, et majus quam remissio cujuscumque poenae temporalis. Est autem absurdum, opus bonum et meritorium non accipere a Deo integram mercedem. Igitur par praemium duo illi viri obtinebunt, etiamsi alteri tantum poena temporalis remittatur; nam alteri non remittitur, non quia possit, sed qui non est necesse.

Postremo: Potest uni atque eidem operi duplex merces deberi, altera ex justitia commutativa, altera ex distributiva: atqui operi satisfactorio debetur remissio poenae ex justitia commutativa, operi meritorio debetur praemium ex justitia distributiva secundum substantiam, ut sanctus Thomas docet in 1. par. quaest. 21. art. et lib. 1. contra Gentes c. 93. quamvis secundum modum debeatur, et reddatur secundum commutativam, ex eodem sancto Thoma, in 2. 2. quaest. 61. art. 4. ad primum. Igitur potest unum atque idem opus bonum simul satisfactorium esse et meritorium. Propositio hujus argumenti certissima est, nam evangelizanti debetur ex justitia commutativa victus et vestitus. *Dignus est enim operarius mercede sua*, Luc. 10. et Apostolus affirmat 1. Corinth. 9. Dominum ordinasse, ut qui evangelium annunciant, de evangelio vivant, ac ut ostendat, id exigi secundum justitiam commutativam, mercedem illam stipendium appellat: *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis unquam?* Eidem vero evangelizanti debetur praemium in aeterna vita secundum justitiam distributivam; Id enim est quod promittit Scriptura 1. Petri 2. cum ait: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, et cum apparuerit princeps pastorum, accipietis immarcescibilem gloriae coronam.* De quo praemio loquens b. Paulus 1. Corinth. 3. *Unusquisque*, inquit, *mercedem accipiet secundum suum laborem.* Idem etiam quotidie videmus in rebus humanis. Miles enim, qui fideliter, fortiterque se gerit in bello, meretur ex justitia commutativa stipendium ordinarium, et rursus ex distributiva meretur gratiam ducis, ac ut in distributione graduum, atque honorum militarium aliis praeferatur, qui minus fideliter, aut minus fortiter se gesserunt. Porro assumptio ejusdem argumenti non minus est certa. Quod enim compensatio poenae pertineat ad justitiam commutativam perspicuum est ex sacris literis Deuter. 25. Pro mensura peccati erit et plagarum modus. Neque de hac re ulla dubitatio esse potest. Quod autem meritis operum bonorum re-

spondeat praemium secundum justitiam distributivam saltem secundum substantiam, docent theologi ex eo quod in Scripturis Deus, ut judex distribuit unicuique secundum opera sua, ut patet Matth. 25. in parabola de talentis, et ex illo Apostoli 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*, et passim in sacris literis, ut Act. 10. Rom. 2. et alibi dicitur Deus non esse acceptator personarum. Quod vitium contrarium est justitiae distributivae, ut S. Thomas docet in 2. 2. q. 63. artic. 1. Igitur satis constat, idem opus bonum posse meritorium esse vitae aeternae, et simul satisfactorium pro temporali poena, nec minus meritorium, quia satisfactorium.

Secunda propositio: *Opus bonum, qua parte meritorium est, non potest alii applicari: potest tamen, qua satisfactorium est.* Prior hujus sententiae pars extra controversiam est; Nam is dicitur mereri qui bene operatur, et ex bono opere dignus est praemio: non potest autem fieri, ut ex eo quod unus bene operatur, alter censeatur bene operari, vel dignus praemio habeatur. Deinde nemo potest proprio merito spoliari, quantumvis pro aliis oret, vel jejunet, vel eleemosynas faciat, non igitur meritum suum cum aliis communicare potest, hoc est quod Scripturae passim docent, cum dicunt, unusquisque propriam mercedem accipiet 1. Corinth. 3. et reddet unicuique secundum opera sua, psalm. 61. potest quidem unusquisque per opera sua bona impetrare aliis divina aliqua beneficia; potest etiam communicare opera sua bona, quod attinet ad satisfactionem pro reatu poenae, vel ad gaudium, quod inde percipitur. Sic enim David affirmat, se participem fuisse omnium timentium Deum, psalm. 118. Sed ut alius ex merito alterius sit dignus praemio, vel ut qui bene operatus est, merito suo privetur, fieri non potest. Posterior pars ejusdem sententiae non difficulter probari potest. Nam satisfactio est compensatio poenae, vel solutio debiti: potest autem unus ita pro alio poenam compensare, vel debitum solvere, ut ille satisfecisse merito dici possit. Praeterea, qui pro alio satisfacit, non potest eodem opere pro se satisfacere, igitur vere satisfactionem suam cum altero communicavit. Et possunt haec omnia familiaribus exemplis illustrari. Nam potest civis propria pecunia debitum alterius civis ita dissolvere, ut non possit eadem pecunia debitum aliquod suum simul dissolvere: et rursus non potest unus civis bonis operibus suis efficere, ut alius civis dignus sit magistratu, quod ad justitiam distributivam pertinet, cum tamen possit debito pecuniario eum liberare, ut satisfecisse dici possit, si pro eo debitum solvat, quod pertinet ad commutativam. Sic igitur nemo potest meritum proprium, cui debetur praemium ex justitia distributiva, alteri applicare, potest tamen applicare satisfactionem, quae ex justitia commutativa exigitur pro poena.

Tertia propositio: *Extat in Ecclesia thesaurus satisfactionum ex Christi passionibus infinitus, qui numquam exhauriri poterit.* Haec propositio in dubium revocari non potest. Nam Christi passio pretii fuit infiniti, cum esset passio personae, infinitae, Verbi videlicet incarnati. Sic enim loquitur Apostolus Actor. 20. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Itaque Deus est, qui sanguinem fudit pro Ecclesia, sed in carne humana hypostatice assumpta illum fudit, ut ait b. Petrus in priori epistol, cap. 4. *Christo*, inquit, *in carne passo.* Dignitas autem satisfactionis, mensuram accipit a dignitate personae satisfacientis, quemadmodum gravitas offensionis a dignitate personae laesae. Deinde Christus pro hominibus omnibus mortuus est, ut Apostolus scribit 1. Corinth. 5. *Pro omnibus*, inquit, *mortuus est Christus*; et ut ait s. Jonnes in priori epist. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostri autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Certum est autem non omnibus hominibus, qui hactenus vixerunt, pretium mortis Christi, reipsa applicatum, non fuisse ad eorum expianda peccata, immo majorem partem hominum morti aeternae addictam esse, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 20. Et: *lata est porta, et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, et multi ingrediuntur per eam.* Matth. 7. Superest igitur multum illius pretii, quod semper applicari possit, etiam si infinitum non esset, sicut revera est, et semper redundabit. Praesertim cum tota Christi satisfactio nobis applicari possit, cum ipse per se nulla satisfactione indiguerit, qui peccatum non fecit, nec facere potuit. Nam ut dicit Apostolus ad Hebr. 7. non habuit Christus necesse prius pro suis delictis sacrificium offerre, deinde pro populi, cum fuerit semper sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et ut idem ait 2. Corinth. 5. *Factus est peccatum, idest, hostia pro peccatis is, qui peccatum non noverat. Ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* 1. Petri 2.

Quarta propositio: *Ad hunc thesaurum superfluentium satisfactionum, pertinent etiam passiones b. Mariae Virginis, et omnium aliorum sanctorum, qui plus passi sunt, quam eorum peccata requirerent.* Hanc propositionem nullo modo audire possunt haeretici nostri temporis, ac potissimum Joannes Calvinus, et Martinus Kemnitius, quorum argumenta suo loco solvemus. Asserimus igitur non paucos sanctos homines multo plura propter Deum, et justitiam esse perpessos, quam exigeret reatus poenae temporalis, cui fuerunt obnoxii propter culpas ab ipsis commissas. Nam culpam ipsam, et reatum poenae sempiternae non ipsorum satisfactionibus, sed Christi sanguine expiari Ecclesia catholica docet. Probatur haec veritas, primum ex passionibus b. Virginis. Constat enim Virginem Mariam nullo actuali peccato maculatam fuisse, pium quoque est existimare, ab originali quoque peccato immunem illam fuisse, ut alibi docuimus, sed hoc in praesenti ad rem nostram non pertinet. Actuali autem peccato caruisse Virginem sanctissimam, communis est totius Ecclesiae sensus, ut concilium tridentinum affirmat sess. 6. can. 23. Sanctus quoque Ambrosius serm. ult. in psalm. 118. scribit b. Virginem fuisse ab omni integram labe peccati. Et s. Augustinus lib. de natura et gratia cap. 36. dicit

ei tantum gratiae collatum, ut peccatum omni ex parte vinceret. Quod idem docet s. Bernardus in epist. 174. liturgiae Graecorum Basilii et Chrysostomi praedicant Virginem Mariam prorsus irreprehensam et incontaminatam, immo puriorem et sanctiorem ipsis cherubim et seraphim. Denique verba illa canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Nulli particulari personae aptius, quam b. Virgini conveniunt. Non eguit Virgo Maria ulla satisfactione pro se, et tamen plurima passa est propter Deum, ac praesertim cum animam ejus gladius doloris pertransiit, juxta Simeonis vaticinium Lucae 2. Secundo: Idem probari potest ex passionibus s. Joannis Baptistae, quem constat in utero sanctificatum vitam innocentissimam duxisse, ut vix levissimis culpis et paucissimis obnoxius fuerit, ut non immerito de ipso canatur:

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguae.

Et tamen ex evangelio discimus, totam ejus vitam adeo severe et duriter actam, ut exemplar poenitentiae omnibus esse potuerit, et tandem pro veritate vincula, carcerem, et ipsam capitis obtruncationem passum esse. Quare in dubium revocari non potest, quin ingens omnino cumulus passionem ei superfuerit, quo ipse ad expianda propria peccata non eguit. Tertio idem ostendi potest ex passionibus sanctorum prophetarum. Fuerunt enim omnes viri sanctissimi, ita ut modica omnino pro suis culpis satisfactione opus habuerint; et tamen tot angustiis, et afflictionibus oppressi fuerunt, ut plurima et maxima peccata expiare potuerint. De se b. Job, unus ex vetustissimis prophetis sic ait cap. 6. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in statera, quasi arena maris haec gravior appareret.* Similia dicere potuissent Helias, Helisaeus, Isaias, Hieremias, Ezechiel, et alii sanctissimi prophetae, qui gravissimas persequutiones ab impiis, vel etiam ipsam mortem pertulerunt. De his enim scribit Apostolus ad Hebr. 11. *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terrae.* Quarto idem clarissime demonstrari potest ex passionibus apostolorum. Nam de se b. Paulus in epist. posteriore ad Corinth. c. 11. *Ministri,* inquit, *Christi sunt, et ego, ut minus sapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter etc.* et tamen quam parum deberet pro suis ipse culpis satisfacere, indicat in priore ad Corinth. c. 4. cum ait: *Nihil mihi conscius sum* et 2. Corinth. 1. *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei conversati sumus in hoc mundo.* Porro de omnibus apostolis idem b. Paulus 1. Corinth. 4. *Puto,* inquit, *quod Deus nos apostolos novissimos ostendit tamquam mortis destinatos?* Et infra: *Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, et benedicimus; blasphemamur, et obsecramus; tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Sexto idem probatur ex passionibus martyrum, qui plane innumerabiles fuerunt. Constat enim martyrium tam plenam satisfactionem esse, ut expiare possit reatum contractum ex quantovis ingenti numero et magnitudine peccatorum. Nam dummodo constet aliquem esse vere martyrem, Ecclesia non dubitat, eum inter sanctos et beatos numerare, etiamsi ante martyrium multis flagitiis fuerit coopertus. Promissio enim Domini generalis est, Matth. 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Et: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Quare b. Cyprianus lib. 4. epist. 2. affirmat, martyres omnes statim a morte coelum ascendere ad coronam percipiendam. Sanctus quoque Augustinus tract. 84. in Joannem dicit pro martyribus in Ecclesia non orari, cum nos potius debeamus eorum orationibus commendari. Et serm. 17. de verbis Apostoli: *Injuriam,* inquit, *facit martyri, qui orat pro martyre.* Quod idem scribit Innocentius cap. *Cum Marthae,* de celebr. miss. nec ullus catholicorum contradicit. Cum igitur martyrium omnem reatum, quamvis gravissimum expiare possit: et multi martyres reatus levissimos, aut etiam nullos habuerint ipso tempore martyrii, certe sequitur, ut ingens cumulus satisfactionum martyribus superfuerit. Sexto denique idem probatur ex fructibus poenitentiae plurimis et maximis quos protulerunt tam multi sancti confessores, ac praesertim eremitae, qui longissimo tempore vitam sanctissimam et laboriosissimam, idest, asperrimam et durissimam egerunt, quos non est dubium in hoc spiritale aerarium multum omnino satisfactionum contulisse.

Quare recte Clemens VI. pontifex in constitutione extravagantis, quae incipit, *Unigenitus,* titulo de poenitentiis et remissionibus, declaravit, extare in Ecclesia thesaurum spiritalem ex passionibus Christi et sanctorum omnium conflatum. Quo thesauri nomine nihil aliud intelligimus nisi passiones plurimas, quibus non eguerunt ad propria delicta expianda, qui eas perpessi sunt, et tamen non perierunt, nec oblivioni traditae sunt, sed vivunt ac permanent ante oculos Dei.

CAPUT III.

Esse in Ecclesia potestatem applicandi thesaurum satisfactionum, ac per hoc indulgentias concedendi.

Demonstravimus hactenus extare in Ecclesia thesaurum satisfactionum ex passionibus Christi et

sanctorum, quae ipsis ad expiandum reatum proprium necessariae non fuerunt. Sequitur nunc, ut ostendamus, esse potestatem in Ecclesia thesaurum ejusmodi applicandi aliis, qui indigent. Quod ut planius fiat, propositiones aliquot in medium adferemus.

Prima propositio: *Satisfactiones Christo et sanctis supervacaneae, applicari possunt aliis, qui rei sunt luendae poenae temporalis.* Probatur Primo ex articulo symboli apostolici, communionem sanctorum. Docemur enim in hoc articulo, fideles omnes esse invicem membra, et quasi vivum quoddam corpus, ut, etiam b. Paulus affirmat Rom. 12. et 1. Corinth. 12. et sicut membra viva se invicem juvant, ita fideles inter se bona sua communicare, praesertim cum ea, quae uni superflua sunt, alteri necessaria, vel valde utilia esse possunt. Secundo probari potest ex verbis apostoli Pauli 2. Corinth. 12. *Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro vobis.* Et 2. Timoth. 2. *Omnia sustineo propter electos.* Et Coloss. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Quamvis enim possint haec verba ita exponi, ut significent. Apostolum passum esse multa propter electos, et propter Ecclesiam, quia non potuit evangelium praedicare, nisi se multis periculis exponeret, et multos labores subiret, et rursum passum esse propter electos, propter Ecclesiam, ut exemplo suo infirmos confirmaret, et ad bravium supernae vocationis accenderet: tamen negari non potest, quin possint etiam recte exponi de communicatione satisfactionum: nam isti sensus inter se non pugnant et possunt omnes simul admitti. Optavit enim Apostolus fidelibus prodesse omnibus modis, quibus id fieri poterat; nihil enim excipit, qui dicit, *libentissime impendar ipse pro vobis.* Potuit autem prodesse communicando passiones suas ad expiandum reatum temporalem, cum sibi ejusmodi satisfactiones abundarent, ut jam ostendimus: igitur optavit et voluit etiam hac ratione fidelibus prodesse, quare patiendo adimplebat ea, quae deerant passionum Christi, idest, quae Christus in sanctis suis adhuc passurus erat, pro corpore ipso Ecclesiae sive instruendo praedicationibus, sive confirmando exemplis, sive expiando satisfactionibus. Quod autem apostolus Paulus optavit, optarunt sine dubio caeteri sancti apostoli, aliique pii viri, qui Dei et proximi charitate flagrabant. Certe sanctus Augustinus tractatu in psalm. 61. satis aperte colligit ex hoc loco Apostoli, conferri in commune bonum reipublicae christianae passiones sanctorum, quae adjunctae passionibus Christi hactenus sunt, et usque ad mundi finem adjungentur.

Secunda propositio: *Ecclesiae pastoribus auctoritas divinitus concessa est, thesaurum satisfactiorum dispensandi, ac per hoc indulgentias concedendi.* Probatur primo ex verbis illis Domini Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Est enim haec promissio amplissima ac generalis, nec restringitur ad peccata, qualis est illa Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata etc.* Sed complectitur omnia vincula, quae impedire possunt homines a consequutione salutis aeternae. Itaque in hoc verbo fundatur potestas non solum absolvendi a peccatis in sacramento poenitentiae, sed etiam absolvendi a censuris quibuscumque, necnon dispensandi in legibus, in votis, in juramentis, dum caussa rationabilis adest. Promittitur enim his verbis apostolo Petro supremum tribunal ecclesiasticae potestatis, ut loco Christi Ecclesiam omnem regere, et judicare summa cum potestate possit, quod ei tunc demum exhibitum est, cum a Christo audivit Joan. 21. *Pasce oves meas.* De qua re multa scripsimus in libro primo de summo pontifice, ubi etiam objectiones haereticorum refutavimus. Quare quemadmodum Petrus ut supremus judex loco Christi absolvere potest homines peccatores rite dispositos a culpis quibuscumque, applicando illis per sacramentum Baptismi, vel poenitentiae Christi merita, ita etiam potest absolvere eosdem extra sacramentum a poenis temporalibus, applicando eisdem Christi, et sanctorum passiones. Ratio autem cur reatus culpae solvatur in sacramento, reatus autem poenae extra sacramentum, est in promptu. Quamvis enim potestas solvendi sit generalis, tamen debent omnia solvi prout exigit eorum natura: culpae lethales non solvuntur sine infusione gratiae: infusio autem gratiae non datur ministerio humano, nisi per sacramenta: reatus autem poenae remanentis post dimissam culpam, solventur extra sacramentum, quia non requirit infusionem novae gratiae, sed eam jam adeptam praesupponit. Porro superesse saepenumere poenam temporariam luendam post dimissam culpam, probatum est a nobis fusissime in lib. 4. de poenitentia, quae non sunt hoc loco repetenda. Posse autem reatum earum poenarum expiari Christi, et sanctorum passionibus, quae in thesauro Ecclesiae reconditae asservatur, paulo ante demonstratum est. Eodem pertinent illa verba. Matth. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* Ne quis enim Ecclesiam contemneret, de qua dictum erat paulo ante in eodem loco: *Si te non audierit, dic Ecclesiae; et si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus:* addit Christus tantam fore potestatem praesulum Ecclesiae, ut quaecumque ipsi ligaverint, vel solverint, sint etiam apud Deum ligata, vel soluta, cum ipsos loco suo judices et principes Ecclesiae esse voluerit, et cum haec etiam promissio generalis sit, nulla est ratio, cur non possit extendi ad solutionem reatus poenae temporalis, praesertim cum divinae justitiae satisfiat ex redundantibus satisfactionibus Christi et sanctorum. Cur enim potius colligatur ex his verbis potestas absolvendi a reatu culpae etiam lethalis per applicationem meritorum Christi, quam absolutio a reatu poenae per applicationem eorundem meritorum, cum constet utrumque reatum solubilem esse, et verba Domini generalia sint? Secundo probatur, haec eadem potestas ex praxi, et usu perpetuo Ecclesiae catholicae. Quod enim Ecclesia semper in usu habuit, dubitari non potest, quin sit a Deo,

etiamsi forte fundamentum ejus consuetudinis nos lateret. Ipso apostolorum tempore concessam fuisse indulgentiam, perspicuum est ex verbis illis b. Pauli 2. Corinth. 2. *Cui autem aliquid donastis, et ego: nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana.* Rogaverant Corinthii b. Paulum, ut Theodoretus, et s. Thomas hoc loco docent, ut incestuoso excommunicato et seriam poenitentiam agenti, ignosceret, et condonaret quod supererat poenitentiae; annuit b. Paulus, et jussit, ut ipsi nomine suo indulgerent. Ac ut videamus nihil defuisse eorum, quae ad justam indulgentiam pertinent, quae tria numerantur a theologis, et a nobis suo loco fusius tractabuntur, nimirum auctoritas in concedente, pietas in caussa, et status gratiae in suscipiente: Apostolus in persona Christi, idest, auctoritate a Christo accepta indulgere se dicit, idque propter ipsos, idest, propter, communem ipsorum utilitatem, ut non detur locus insidiis diaboli ob nimiam praelati severitatem. Denique constat ex eadem epistola Corinthium incestuosum tantum de suo peccato dolorem concepisse, ut periculum esset ne nimia tristitia absorberetur; ex quo intelligimus, eum per veram poenitentiam ad statum gratiae pervenisse.

Post apostolica tempora extant testimonia Tertulliani et Cypriani de remissione poenae, quam pontifices faciebant, vel ad martyrum intercessionem, vel aliis de caussis, neque multum refert quod pontifices illi non dicerent se ex thesauro satisfactionum indulgentiam dare. Nam neque dicebant cum per Baptismi, vel Poenitentiae sacramentum peccata remittebant, se id fecere applicando merita Christi: et tamen sine dubio Christi merita applicabant, ut etiam adversarii concedunt; debet enim divinae justitiae satisfieri, sive in sacramento, sive extra sacramentum peccatorum debita remittantur. Quamquam nec omnino de thesauro siluerunt, ut statim dicemus. Sed testimonia ipsa videamus. Tertullianus in libro ad martyres cap. 1. *Quam pacem*, inquit, *quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt, et ideo ea etiam propterea in vobis habere et fovere, et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis.*

S. Cyprianus lib. 3. epist. 15. quae in editione Pameliana est epist. 11. scribit s. martyribus, qui pacem dari lapsis petierant, eosque monet, ut caute, et cum delectu lapsos commendent episcopis. *Petitiones*, inquit, *et desideria vestra episcopo servent, et ad pacem vobis petentibus dandam moturum et peccatum tempus expectent.* Et infra: *Oro vos, quibus possum precibus, ut evangelii memores, et considerantes quae et qualia in praeteritum antecessores vestri martyres concesserint, quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicite et caute petentium desideria ponderetis, utpote amici Domini, et cum illo postmodum judicaturi inspiciatis, et actum, et opera, et merita singulorum; ipsorum quoque delictorum genera, et qualitates cogitetis, ne si quid abrupte et indigne vel a vobis promissum, vel a nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.* Idem in sermone de lapsis extremo: *Poenitenti*, inquit, *operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quicquid pro talibus et petierint martyres, et fecerint sacerdotes.* Haec ille. Non est autem credibile poenitentes ambivisse patrocinia martyrum in carceribus constitutorum, quando integram poenitentiam peragere volebant; sed quando pacem, idest, absolutionem, et communicationem sibi dari cupiebant, non peracta integra poenitentia; proinde a martyribus petebant, ut sibi ab episcopis partem poenitentiae condonari, hoc est, indulgentiam dari precarentur.

Illud quoque observandum est, episcopos dare solitos indulgentiam ad preces martyrum, non solum ut martyres honorarent, et ad consummandum martyrium accenderent, sed etiam quia videbant, merita martyrum posse communicari poenitentibus, et acceptari passiones eorum pro satisfactione, quae lapsis poenitentibus deerat. Atque ita vetus etiam Ecclesia ad thesaurum respiciebat cum indulgentias darel. Id quod ex Tertulliano colligi potest, qui posteaquam haereticus esse coepit, in lib. de pudicitia cap. 22. negavit quod antea in lib. ad martyres concesserat, posse videlicet ad preces martyrum indulgeri lapsis reconciliationem: et ratione adfert, quia non supersunt martyribus satisfactiones, quas cum lapsis communicare possint: *Sufficiat*, inquit, *martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consequutus.* Et infra sic martyrem alloquitur: *Si peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?* Ex cujus verbis manifeste colligitur, martyrum passiones applicari solitas illis, qui ad petitionem ipsorum martyrum indulgentiam consequebantur. Nec ratio Tertulliani solida est, cum jam ostenderimus plurimorum martyrum passiones vere potuisse non solum ipsorum martyrum, sed etiam aliorum hominum debita expiare, quod attinet ad reatum poenae temporalis.

Post illa tempora extant concilia Ecclesiae antiquissima, partim generalia, partim etiam diversarum provinciarum, in quibus per episcopos indulgentiae poenitentibus conceduntur. Concilium nicaenum I. can. 11. vel in alia editione 12. statuit, ut qui serio poenitentiam agunt, possint indulgentiam aliquam ab episcopo obtinere: *Licebit*, inquit, *episcopo de his aliquid humanius cogitare*: negligentiores autem jubet idem concilium, ut definitum tempus poenitentiae omnino explere debeant. Quid autem hoc est, nisi prioribus aliquid, posterioribus nihil indulgere? Similia habentur in concilio ancyrano can. 5. in concilio laodiceno can. 2. quorum alterum non diu ante nicaenum, alterum non diu post nicaenum celebratum fuit. Idem etiam docet s. Basilius in epistolis suis canonicis, quae habentur in Nomocanone Photii canon. 73. A tempore autem s. Gregorii usus indulgentiarum usque adeo notus et perspicuus fuit, ut ne adversarii quidem id negare, nisi omnino impudenter valeant. Nam s. Gregorium indulgentias in diebus

stationum populo concessisse testantur gravissimi auctores. S. Thomas in 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 3. quaestiun. 2. et qui eum praecessit Gulielmus Altisiodorensis lib. 4. summae theologicae tract. 6. c. 9. Leonem III. pontificem ante annos 800. indulgentias concessisse, testis est s. Ludgerus in epistola de s. Suviberto, quae extat apud Surium tom. 2. post vitam s. Suviberti a s. Marcellino descriptam. Sic enim loquitur in ea epist. s. Ludgerus c. 9. *Idem s. Leo papa anno dominicae incarnationis* 803. *cum magna solemnitate suorum cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum ad imperatorem Carolum in Germaniam veniens, et ab eodem imperatore imperialiter cum suis susceptus, inter multa pietatis suae opera, instantia ejusdem serenissimi imperatoris et regis, Aquisgrani in palatio dedicavit Ecclesiam perpetuae Virginis Mariae, donans eandem Ecclesiam multis indulgentiis.* Et infra: *Et coloniae Agrippinae tam ad sanctum Martinum, quam in capitolio altaria consecravit, et multa alia monasteria et altaria, ac cappellas per Alemaniam, et Galliam consecravit; ubique multas indulgentias conferendo.* Et infra: *Obtulit idem s. papa eidem Ecclesiae speciales indulgentias cunctis fidelibus celebrantibus festum s. Suviberti episcopi, et ad divina confluentibus.* Haec ille. Sergium juniorem pontificem, qui sedit circa annum 844. concessisse indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum visitantibus Ecclesiam s. Martini in montibus in die festo ejusdem Ecclesiae constat ex memoria hujus rei, quae extat in marmore inciso literis antiquissimis in eadem ecclesia, ut nulla fingi possit suspicio fraudis. Neque ullo modo credibile est, Leonem III. aut Sergium II. aut Gregorium I. cum viri sanctissimi essent, ausos fuisse rem novam instituere, quam a praedecessoribus non accepissent, et modus ipse loquendi s. Ludgeri, et verba in marmore incisa jussu Sergii, aperte indicant, rem solitam fuisse indulgentiarum concessionem. Multa his similia de posterioribus pontificibus, ut Gregorio VII. Alexandro III. et aliis referre possemus. Sed adversarii non negant, quin a posterioribus pontificibus indulgentiae concessae fuerint. Tertio probatur eadem haec potestas ex conciliis generalibus Ecclesiae catholicae, in quibus indulgentiae conceduntur, vel probantur: Quod enim concilia generalia docent, id universa Ecclesia docet. Habemus anno 1096. concilium claramontanum generale teste s. Antonino 2. par. hist. tit. 16. cap. 1. § 23. in quo Urbanus II. papa indulgentiam plenariam tribuit iis, qui ad sacrum bellum proficiscebantur. Paulo post, anno videlicet 1116. in concilio lateranensi generali, et numerosissimo Paschalis II. papa concessit indulgentiam 40. dierum iis, qui ad concilium praedictum venerant. teste Abbate urspergensi, qui tunc vivebat, in chronico anni 1116. Rursus anno 1213. teste Abbate urspergensi Innocentius III. concessit indulgentiam plenariam pro auxilio Terrae sanctae, et simul indixit concilium generale lateranense frequentissimum, quod celebratum est anno Domini 1215. atque in eo de indulgentiis quoque actum est et emendati abusus, qui circa indulgentias paulatim irrepserant, ut patet ex cap. *Cum ex eo*, de poenit. et remiss. Emendatio vero abusuum testatur rem esse antiquissimam, non enim irrepunt abusus, nisi in iis rebus, quae diu fuerunt in usu. Similis emendatio legitur in concilio generali lugdunensi ut habemus in sexto, de poenit. et remiss. c. 1. et in concilio generali viennensi, ut habemus in 2. clementina, eodem titulo. In concilio vero constantiensi item generali, non solum damnantur errores de indulgentiis Joannis Wicleffi, sess. 8. sed etiam in ultima sessione concedit Martinus V. indulgentiam plenariam. Denique tridentinum concilium sess. 25. iterum probat usum indulgentiarum, et emendat abusus. Quamvis autem hoc argumentum ab auctoritate tot generalium conciliorum ab haereticis nostri temporis contemnatur: tamen re vera gravissimum est argumentum. Nam Ariani quoque nihil faciebant concilium nicaenum, Nestoriani ephesinum primum, Euthychiani chalcedonense, et caeteri variorum temporum concilia eorum episcoporum, a quibus damnabantur, et tamen semper Ecclesia catholica hunc morem servavit, ut in conciliis haereses damnarentur, et ut s. Augustinus ad Januarium scribit in epist. 118. semper fuit in Ecclesia plenariorum conciliorum saluberrima auctoritas.

Quarto probatur ratione petita ab iis signis ex quibus internoscuntur catholica dogmata ab haeresibus. Nam catholicorum dogmatum hoc est proprium, ut non inveniatur eorum origo, nisi ad evangelium, vel apostolos ascendamus. Haeresum autem semper designari potest certus auctor, et locus, et tempus, in quo exoriri coeperunt. Jam vero nullus hactenus indicare potuit auctorem indulgentiarum, neque locum, vel tempus, quo praedicari coeperint. Omnes enim, qui de indulgentiis mentionem faciunt, sive doctores sint, sive pontifices, sive etiam concilia, ita de iis loquuntur, ut de re usitata et recepta. Quare Martinus Kemnitius in quarta parte examinis pag. 329. fatetur originem indulgentiarum non satis luculenter in historiis notatam fuisse, et quod paulo post pag. 333. affirmat, indulgentias coepisse circa annum Domini 1200. manifeste falsum esse convincitur ex iis, quae citavimus de indulgentiis concessis a Paschali II. Urbano II. Sergio III. et potissimum a Leone III. qui sedit anno Domini 800. idest, quadringentis annis ante millesimum ducentesimum a Kemnitio notatum. Initium autem haeresis contra indulgentias notissimum est. Constat enim non solum ex catholicis, sed etiam ex ipso Kemnitio pag. 375. primos fuisse Valdenses, qui doctrinam Ecclesiae de indulgentiis oppugnare coeperunt. Valdenses autem quorum auctor Valdesius civis lugdunensis fuit, a qua civitate Pauperes de Lugduno appellati sunt, constat mundo apparuisse circa annum Domini 1170. ex Claudio Cussordio in libro contra Valdenses extremo. Ex quo etiam confutatur error Kemnitii de origine indulgentiarum. Nam si Valdenses, qui indulgentias oppugnabant exorti sunt circa annum Domini 1170. quomodo fieri potest, ut indulgentiae ipsae coeperint circa annum Domini 1200.

Quinto probatur ex divinis testimoniis revelationum et miraculorum. Nam s. Bernardus praedica-

vit multis in locis indulgentias, quas Eugenius III. papa concessit iis, qui accepta cruce ad bellum sacrum hierosolymitanum proficiscerentur, et praedicationem suam miraculis plurimis et maximis confirmavit, ut cognosci potest ex vita ejus fideliter scripta lib. 3. cap. 4. et ex initio lib. 2. de consideratione ejusdem Bernardi. Sanctus quoque Franciscus divina revelatione indulgentiam a Domino et ab ejus vicario romano pontifice obtinuit pro ecclesia s. Mariae de Angelis. De qua indulgentia plura dicemus in 2. lib. cap. ult. ad quem locum lectorem remittimus. S. Birgitta vidua sanctissima, cujus revelationes diligenter examinatae et approbatae per viros doctissimos fuerunt, ab ipso Christo non semel admonita est de indulgentiis maximis quae sunt Romae. Vide lib. 6. Revelationum cap. 102. et 105.

Sexto et ultimo probatur ratione ducta a simili. Nam in omni bene instituta republica pertinet ad principem vel magistratum dispensatio communium bonorum, et rursus ad eosdem pertinet admittere satisfactionem unius pro altero, si ita judicent expedire utilitati ejusdem reipublicae. Ut exempli gratia si princeps, aliquis debeat stipendia multa militibus, et rursum habeat in carceribus multos, qui ob fraudes, fisci rationibus illatas, debeant poenam luere vel in pecunia, vel in corpore, si forte milites illi ex direptis civitatibus locupletati, stipendiis non egeant, eaque reipublicae condonent pro arbitrio principis eroganda, certe poterit princeps ob utilitatem aliquam reipublicae ex militaribus illis stipendiis fisco suo pro debitis miserorum, qui carceribus detinentur, satisfacere, et miseros illos absolvere. At certum est, episcopos, principes esse populi christiani, et romanum pontificem in universa Ecclesia loco Christi summum magistratum gerere: nec minus est certum, extare in Ecclesia thesaurum satisfactionum ex passionibus Christi et sanctorum, quo ipsi non egent, et in communem fidelium utilitatem erogari desiderant. Denique certum est, multos esse fideles homines, et Dei filios, et amicos, qui tamen reatu poenae temporali adhuc teneantur obstricti: cur igitur non poterunt episcopi ac potissimum pontifex maximus si rationabilis caussa subsit, ex thesauro illo pro debitoribus satisfacere Deo, et nomine ipsius Dei, eandem satisfactionem pro debitoribus illis acceptare, atque ea ratione indulgentiam illis dare, eosque a reatu poenae temporalis absolvere?

Tertia propositio: *Praelati Ecclesiae dispensare possunt Christi passionem, tum per sacramenta, tum per indulgentias, passiones vero sanctorum non nisi per indulgentias.* Ratio est in promptu. Nam Christi passio, qua parte dispensatur pro justificatione et reconciliatione peccatorum, non potest ab Ecclesiae praelatis dispensari nisi per sacramenta: gratiam enim et gloriam (ut omnes theologi fatentur) non potest donare extra sacramenta, nisi Deus potestate propria, et Christus per potestatem sibi communicatam a Deo, quam vocant excellentiae. Qua parte autem eadem Christi passio dispensatur pro remissione poenae temporalis, potest et per sacramenta et extra sacramenta dispensari. Nam in sacramento Baptismi virtute passionis Christi remittitur omnis poena sive temporalis, sive aeterna: in sacramento vero poenitentiae remittitur semper poena sempiterna, et pars aliqua poenae temporalis. Passiones vero sanctorum per sacramenta dispensari non queunt. Numquam enim in sacramentis remittitur poena sine remissione culpae: culpae autem passionibus sanctorum expiari non possunt, ut illud omittam, quod sacramenta instrumenta sunt passionis solius Christi, nec ullam vim habent a passionibus sanctorum, cum ipsi etiam sancti per Christi sacramenta sanctificati fuerint. Restat igitur, ut passiones sanctorum, si ullo modo dispensari debeant extra sacramenta solum, idque pro solutione solius reatus poenae temporalis dispensari debeant. Quod si passiones sanctorum extra sacramenta dispensentur, dubium esse non debet, quin etiam Christi passio pro solutione reatus poenae temporalis extra sacramenta dispensari possit. Atque haec ad explicandam et confirmandam veritatem in praesenti sufficiant; nam in sequenti capite ex objectionum solutione veritas ipsa magis elucescet.

CAPUT IV.

Solvuntur objectiones contra doctrinam duorum capitum superiorum.

Adversus ea, quae dicta sunt capite secundo et tertio, multa objiciuntur ab adversariis, quae sunt breviter diluenda. Omittam autem in praesentia Lutheri, et caeterorum haereticorum argumenta, tum quoniam ea simul omnia in secundo libro refellam: tum quia tam male inter se cohaerent, ut vix prae se ferant speciem, vel umbram argumenti. Quo magis mirum est propter tam debiles et ineptas rationes potuisse tot populos ab antiqua fide deficere. Adferam igitur solum Durandi et Maironis objectiones.

Prima objectio: Deus Pater Christi meritis, atque in primis acerbissimae passioni ejus, et mortui cumulatissimum praemium reddidit, ut Apostolus docet in epist. ad Philippenses cap. 2. cum ait: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Non igitur supersunt passiones aliquae non remuneratae, quae in thesauro recondantur. Responsio: Christi passiones qua parte merita dici poterant, actiones videlicet virtutum obedientiae, patientiae, humilitatis ac potissimum charitatis, praemium aliquod habuerunt, gloriam corporis, et nominis exaltationem, ut Apostolus scribit: sed qua parte satisfactiones erant, ut opera bona et poenalia, nullum omnino praemium in ipsa Christi persona sortitae sunt, cum ipsa nulla peccata propria haberet, pro quibus satisfacere teneretur. Itaque universae Christi afflictiones, ut rationem satisfactionis habent, supervacaneae ipsi fuerunt, et in thesauro jure continentur. Quamquam neque integrum praemium Christus habuit laborum suorum, qua parte meritorii erant. Nam gloriam animae essentialem sine meritis habuit in primo instanti conceptionis suae, ut theologi docent: et

cum ea merita infiniti pretii essent, certe non fuit integrum eorum praemium sola corporis gloria et nominis exaltatio. Quare theologi recte statuunt Christum meruisse de rigore justitiae gratiam, et gloriam omnibus hominibus, etiamsi illi infiniti futuri fuissent.

Secunda objectio: Culpa lethalis est infiniti damni caussa, quod ad se attinet, cum sit offensa Dei, qui est summum et infinitum bonum: igitur ad culpam lethalem tollendam, necessaria fuit infiniti pretii satisfactio. Tota igitur Christi passio, quamvis infiniti meriti fuerit, in redemptione et expiatione culpae lethalis consumitur; ac per hoc nihil superest, quod pro expiandis poenis in thesauro reponatur. Responsio: Si argumentum propositum aliquid efficeret, probaret unicam solum culpam lethalem Christi passione deleri potuisse: et jam non solum pro tollendis poenis, sed etiam pro tollendis plurimis culpis nihil in thesauro remansisse. Sed non ita est, nam multae culpae, quarum unaquaeque sit offensio infinita, non requirunt ad sui expiationem multas infinitas satisfactiones: sed una satisfactio vere infinita, qualis fuit quaelibet Christi afflictio, sufficit ad expiandas omnes illas culpas, et poenas pro eis debitas, nihil enim majus infinito dari potest. Quare verissime scripsit Clemens VI. in constitutione, quae incipit *Unigenitus*, unam sanguinis guttam Christi, propter unionem ad Verbum, toti mundo reconciliando satis esse potuisse. Et cum Dominus Christus non unam sanguinis guttam, sed totum sanguinem pro nobis fuderit, et ab ipsa conceptione usque ad mortem ardentissima charitate gravissimos labores pertulerit, ut Deo Patri nos reconciliaret, proque culpis nostris divinae justitiae satisfaceret, dubium esse non potest, quin semper supersit pretium, idque justissimum, quo debita nostra solvi possint.

Tertia objectio: Satisfactio Christi est infinita, ut jam dictum est: non igitur opus est, ut ad satisfactionem Christi adjungantur satisfactiones ex passionibus sanctorum. Responsio: Non est quidem opus, ut adjungantur passiones sanctorum passionibus Christi, quasi hae per se non sufficiant: Sed adjunguntur tamen, quia aequum est, ut passiones illae coram Deo non sint inanes, praesertim cum id sit tum gloriosum Christo, a quo manat omne bonum sanctorum, tum ipsis etiam sanctis perhonorificum. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus sanctorum, idest, an applicetur pars una satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus sanctorum. An vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, et superaddantur ad cumulum satisfactionis passiones sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. Illud videtur certum, passiones Christi, quae sunt infiniti pretii applicari per indulgentias finito modo, et ideo aliquid re vera superaddi, cum passiones sanctorum illis adjunguntur, quod recte annotavit Dominicus a Soto in 4. senten. dist. 21. quaest. 1. art. 2.

Quarta objectio: Sancti omnes plenam mercedem laborum suorum acceperunt, immo supra condignum sanctos omnes a Deo remuneratos recte colligunt theologi ea divinis literis, cum Dominus dicat Luc. 6. *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Et Apostolus ad Rom. 8. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Nihil igitur superest ex laboribus sanctorum, quod ad expiationem alienorum peccatorum insumi possit, et ad hunc finem in thesauro Ecclesiae conservetur. Responsio: Jam supra docuimus in bonis operibus sanctorum, quae laboriosa et poenalia fuerunt, duplicem esse rationem, alteram meriti, alteram satisfactionis. Quod igitur attinet ad rationem meriti, plenam mercedem, immo etiam confertam et coagitatam, et supereffluentem mensuram praemii sancti omnes pro suis laboribus acceperunt. Quod autem pertinet ad rationem satisfactionis, multi labores sanctorum inanes, et sine fructu essent, nisi pro reatibus aliorum consumerentur, cum ipsi sancti aut nullis, aut certe minoribus laboribus pro suis expiandis reatibus indigerent.

Quinta objectio: Nihil omnino sancti fecerunt vel pertulerunt propter Deum, quod facere, vel perferre non tenerentur: nihil igitur illis superest, quod cum aliis communicare possint. Antecedens colligitur ex multis testimoniis sacrae Scripturae, sed ex eo potissimum, quod habetur Luc. 17. *Cum feceritis haec omnia, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Quare prudentes virgines Matth. 25. non sine caussa fatuis dicentibus, *Date nobis de oleo vestro*, responderunt, *ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.* Responsio: Non est necesse hoc loco de operibus supererogationis disputare de quibus in libro de monachis disseruimus. Nam etiamsi admitteremus, quod tamen falsum esse loco notato demonstravimus, nihil omnino sanctos viros fecisse, vel pertulisse propter Deum, quod facere vel tolerare non tenerentur; nihil tamen argumentum concluderet. Nam ipsa obedientia legis ad quam implendam sine dubitatione tenemur, meritoria et satisfactoria est, et potest fieri, ut ea satisfactione pro suis delictis non egeat, qui legis obedientiam praestat, ac propterea cum aliis eam communicare possit. Neque virgines prudentes de satisfactione loquuntur, sed de oleo gratiae et charitatis, sine quo salvi esse non possumus. Quod quidem oleum unusquisque retinet sibi, neque in alios effundere potest, cum sit opus solius Dei, effusio tam pretiosi olei. *Charitas Dei*, inquit Apostolus ad Rom. 5. *diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Sexta objectio: Si sanctorum passionibus expiari possent nostra delicta, non esset absurdum eos appellare nostros redemptores, saltem ex parte. At solus Christus est Redemptor generis humani, de quo dicit Apostolus 1. Corinth. 1. *Qui factus est nobis justitia, et redemptio*; Et 1. Corinth. 5. *Empti estis pretio magno.* Responsio: Propter hoc argumentum non defuerunt aliqui ex recentioribus, qui dicerent, passiones sanctorum non ita nobis applicari per indulgentias, ut sint justae compensationes pro poenis, quas nos debemus Deo, hoc est, verae satisfactiones: sed esse aliquid, quod moveat Deum, ut nobis Christi satisfactionem ap-

plicet. Sed haec opinio reprobata est a Pio V. pontifice et a Gregorio XIII. qui sententiam Pii confirmavit. Damnavit enim Pius V. multos articulos quorundam Lovaniensium, quorum unus erat, *Solius Christi satisfactionibus remitti poenam temporalem, sanctorum autem passiones offerri Deo, ut Deus illarum intuitu applicet nobis merita Christi.* Praeterea repugnat eadem illa opinio constitutioni Clementis VI. quae incipit *Unigenitus*, et bullae Leonis X. in qua damnantur errores Lutheri, et communi consensui theologorum. Ad haec, si non possent nobis applicari sanctorum passiones ad redimendas poenas, quas pro peccatis Deo debemus, ne sancti redemptores nostri esse videantur, certe, neque nos ipsi propriis laboribus, poenas easdem redimere possemus, ne nos ipsi redemptores nostri esse videamur. Atqui concilium tridentinum sess. 14. c. 8. et can. 13. et 14. apertissime docet contrarium. Ad argumentum igitur respondemus, si proprie et absolute nomen redemptoris accipiatur, solum Christum esse redemptorem; is enim dicitur proprie et absolute redemptor, qui redimit a captivitate, non qui solvit pro alio debitum aliquod parvi momenti. Nos autem tunc solum captivi dicimur, cum venundati sub peccato, ut Scripturae loquuntur, et cum laqueis diaboli vincti tenemur ad ipsius voluntatem; id quod tunc solum sit, cum per lethale peccatum a gratia Dei excidimus. Ab hac autem servitute et captivitate solo Christi sanguine redimi possumus, proinde ipse solus vere proprieque redemptor dici debet. At si largo modo redemptor appelletur quicumque liberat alium ab aliquo debito, non erit absurdum, si sancti viri redemptores nostri aliquo modo, idest, secundum aliquid, non simpliciter et largo modo, non in rigore verborum esse dicantur. Nam si prophela Daniel regi Nabuchodonosor non inepte dixit, *Peccata tua eleemosynis redime.* Dan. 4. cur inepte dicantur sancti viri aliquo modo passionibus suis delicta nostra posse redimere? et si b. Paulus de se scripsit 1. Corinth. 9. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos;* cur non etiam scribere potuit, ut omnes redimerem? Non enim minus est proprium Christo nomen salvatoris, quam redemptoris.

CAPUT V.

Quid proprie sit indulgentia, solutione, an absolutio.

Demonstratum est hactenus, indulgentias esse: nunc quid sint, idest, in qua re potissimum indulgentiae ratio, et natura posita sit explicandum erit. Disputatio bipartita erit; primum enim quaeremus, an indulgentia proprie sit absolutio, vel solutio: deinde cujus debiti sit solutio, vel a quo debito absolutio. His enim duobus explicatis, in promptu erit vera ac propria indulgentiae definitio. Quod ad primum attinet, non defuere, qui indulgentias nihil esse aliud voluerunt, nisi solutionem, idest, compensationem poenarum ex thesauro meritorum Christi ac sanctorum depromptam et applicatam auctoritate pontificis. Ita sensisse videntur Durandus in 4. dist. 20. quaest. 3. Paludanus ibidem quaest. 4. s. Antoninus in p. parte summae theologicae tit. 10. cap. 3. Adrianus VI. pontifex in 4. sent. 9. de indulgentiis. Silvester in summa, verbo, *Indulgentia* num. 3. et videtur in eadem fuisse sententia sanctus Thomas in 4. dist. 20. quaest. 1. art. 3. ad 2. et 3. Contra vero Franciscus Mayronis loco supra citato, contendit indulgentias nihil esse, nisi judiciariam absolutionem. Cui prima fronte favere videntur exempla vetustissimorum conciliorum, in quibus videmus ab episcopis absolvi poenitentes ab aliqua parte mulctae impositae, nulla facta mentione thesauri spiritualis, unde compensentur debita illa poenarum.

Caeterum re tota diligentius considerata, posteriores theologi definierunt utrumque simul in indulgentiis reperiri, absolutionem et solutionem; Neque veteres theologos scholasticos negasse judiciariam absolutionem, quamvis solutionis tantum fere meminerint, neque vetustissimos Patres negasse solutionem ex thesauro, licet solius absolutionis meminisse videantur. Ita docet card. Cajetanus tractat. 15. ad Julium Medicem cap. 6. Dominicus a Soto in 4. dist. 21. quaest. 1. art. 2. Petrus a Soto lect. 2. de indulgentiis, in institutione sacerdotum. Martinus Ledesmius in 2. par. 4. sententiarum quaest. 38. art. 1. et alii passim: et expresse idem docuerunt ex antiquis s. Bonaventura in 4. dist. 20. par. 2. quaest. 5. et alii. Sit igitur.

Prima propositio. *Indulgentia proprie est absolutio judiciaria, annexam habens solutionem ex thesauro.* Probatur pars prior propositionis primo ex testimoniis Scripturae, in quibus fundari diximus indulgentias; Nam illud Matth. 16. *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Et illud Matth. 18. *Quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo*, intelliguntur sine dubio de potestate judiciaria absolvendi. Secundo probatur ex testimoniis sacrorum canonum. Siquidem Alexander III. pontifex in epist. ad episcopum cantuariensem, ut habemus cap. *Quod autem consuluisti*, de poenit. et remiss. docet, neminem posse concedere indulgentias nisi propriis subditis, et rationem reddit: quia non potest nisi proprius judex absolvere, vel ligare. Quibus verbis Alexander satis aperte indulgentiam absolutionem judiciariam esse docuit. Sic etiam Martinus V. pontifex in fine concilii constantiensis concedens indulgentiam plenariam, dicit se absolutionem plenariam concedere. Gregorius VII. in multis epistolis indulgentiam tribuens, ut plurimum utitur verbo absolutionis. Tertio probatur ratione. Nam cur quaeso pro defunctis non conceduntur indulgentiae nisi per modum suffragii, certe nulla est ratio, ut suo loco demonstrabimus, nisi quia defuncti non possunt proprie judicialiter absolvi. Ergo indulgentia, quae viventibus simpliciter datur, absolutio judiciaria est. Denique si non esset necessaria jurisdictio ad indulgentias concedendas, quicumque applicare vellet alteri satisfactionem suam, is dici posset indulgentiam dare, quod tamen est omnino inauditum.

Jam vero posterior propositionis nostrae pars, quod videlicet indulgentiae praeter absolutionem

contineant applicationem thesauri, probari potest primum auctoritate Clementis VI. qui in extravaganti, *Unigenitus*, manifeste hoc docet. Deinde ratione, quoniam praelati Ecclesiae, et ipsi etiam summi pontifices non sunt absoluti Domini ut possint pro arbitrio, sine ulla compensatione condonare hominibus culpas, vel poenas, quarum rei sunt in foro Dei, sed sunt judices a Deo constituti, qui possunt quidem pro potestate sibi a Deo concessa remittere culpas et poenas nomine Dei, sic tamen, ut justitiae satisfiat et confirmatur a simili. Nam cum sacerdotes in sacramento poenitentiae absolvunt reos poenitentes a culpis et ab aliqua parte poenae temporalis, non id faciunt sine compensatione, sed applicant pretium sanguinis Domini ut divinae justitiae satisfiat: Igitur eodem modo cum per indulgentias praelati Ecclesiae subditos suos absolvunt a poenae temporalis reatu, id faciunt applicando satisfactiones Christi et sanctorum. Generalis enim est Apostoli sententia ad Hebr. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Quare minus considerate loquutus est Petrus Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. cum ait, hoc interesse inter remissionem, quae datur per sacramenta, et eam quae datur per indulgentias, quod prior sit omnino liberalis, posterior vero compensationem aliquam requirat.

Secunda propositio: *Quamvis in indulgentiis absolutio cum solutione ordinarie conjungatur, posset tamen summus pontifex indulgentiam concedere per solam solutionem, non tamen per solam absolutionem.* Quod per solam solutionem, certum est ex indulgentiis quae dantur pro defunctis. Nam quemadmodum defunctis indulgentiae conceduntur per hoc solum, quod summus pontifex applicat ex thesauro quantum satis est ad compensandam poenam, quam illi in purgatorio luituri erant: sic etiam posset viventi alicui applicare satisfactionem ex thesauro Ecclesiae, et eo modo eum liberare a debito poenae, etiamsi non proprie illum absolveret. Caeterum ista non esset indulgentia ejusdem rationis cum ea, quae ordinarie viventibus tribuitur. Quod autem non possit concedi indulgentia per solam absolutionem sine applicatione thesauri, perspicuum ex iis, quae supra diximus.

CAPUT VI.

Solvuntur objectiones contra doctrinam capitis superioris.

Sed adversus ea, quae in his propositionibus continentur, pauca quaedam objici possunt, quae breviter dissolvenda sunt.

Prima objectio: Si posset pontifex absolvere judicialiter per indulgentias a poena temporali, posset consequenter absolvere a poena, quam aliquis in purgatorio daturus esset, si cum reatu illius poenae moreretur; at in poenas purgatorii non habet pontifex auctoritatem, igitur non potest eam tollere per suam absolutionem, sed solum per applicationem thesauri, ut facit cum indulgentias pro defunctis concedit. Responsio: An summus pontifex potestatem habeat in animas, quae in purgatorio degunt, postea videbimus. Sed in poenam purgatorii, immo etiam in poenam aeternam gehennae sine dubio potestatem habet, saltem consequenter et indirecte, quia dum absolvit per sacramentum poenitentiae a culpa lethali, liberat consequenter hominem a debito poenae sempiternae, et eodem modo dum per indulgentias absolvit hominem a poenitentia injuncta, vel injungenda, absolvit eundem consequenter a poena purgatorii, quam is luiturus esset, si eam poenitentiam non explevisset, vel ab ea absolutus non fuisset. Sed hoc non est habere potestatem in purgatorium, vel in gehennam, sed in homines fideles, qui rei sunt culpae, vel poenae. Quare merito damnata fuit sententia Petri Oxomensis a Sixto IV. pontifice, et concilio conplutensi, qui docebat, non posse summum pontificem indulgere alicui viventi in carne poenam purgatorii, et sola contritione deleri peccata quoad culpam et poenam alterius vitae, sine ordine ad claves. Vide si libet, condemnationem hujus erroris apud Alphonsum de Castro in lib. adversus haereses, verbo, *Confessio*, vel in summa concilior. in decretis Sixti IV. pontif.

Secunda objectio: Per applicationem thesauri fit integra compensatio pro debito poenae temporalis, igitur supervacanea est absolutio judicialis. Responsio: Argumentum non recte concludit, quoniam judex non tenetur dimittere reum alicujus poenae, etiam si justa compensatio offeratur ab alio, praesertim si compensatio non sit ejusdem rationis; et ideo si judex admittat compensationem, et absolvat reum, vere dicitur gratiam illi praestare, ut exempli caussa si quis damnatus sit ad triremes, vel ut publice virgis caedatur, et aliquis offerat pro illius rei liberatione magnam pecuniae summam, certe non tenebitur judex acceptare pecunias, et reum liberare: sed si voluerit id facere, gratiam illi praestabit, atque eum absolvet. Itaque si proprie loqui velimus, non dicetur tollere obligationem ad poenam is, qui compensationem offert, sed is, qui admissa compensatione reum ab illa obligatione absolvit. Dat igitur vere indulgentiam subditis suis pontifex, quia nomine Dei, cujus vices in terris gerit, admittit compensationem ex thesauro depromptam, et ea admissa poenitentes a reatu poenae temporalis absolvit. Contra autem, defunctis non dicitur dare simpliciter indulgentiam, sed per modum suffragii, quia non ipse, sed Deus acceptat compensationem pro defunctis, et eosdem defunctos absolvit: Pontifex autem solum offert ex thesauro justam compensationem.

Tertia objectio: Absolutio judicialis dari potest etiam invito, ut patet de absolutione ab excommunicatione: sed indulgentia invito dari non potest; igitur indulgentia non est absolutio, sed mera solutio. Responsio: Non omnis absolutio dari potest invito, sed ea sola, quae non requirit necessario aliquam actionem, vel dispositionem in eo, cui datur. Itaque absolutio sacramentalis, quia requirit contritionem, confessionem et satisfactionem, non potest in invitum conferri; absolutio ab excommunicatione, aliisque censuris, quia non pendet necessario nisi a voluntate praelati, potest in invitum conferri. Porro indulgentia exigit in suscipiente primum, ut

sit in statu gratiae, deinde ut faciat quae praescribuntur in literis indulgentiae, visitet basilicas, oret, jejunet, eleemosynas faciat, quae omnia sic a libero arbitrio pendent, ut ab invito extorqueri non possint. Quare indulgentia, quamvis sit absolutio, non est mirum si in invitum conferri nequeat.

Quarta objectio: Absolutio requirit cognitionem caussae; sed indulgentiae saepe dantur in communi omnibus, qui hoc aut illud egerint, non cognitis caussis eorum, quibus indulgentiae tribuuntur: non igitur indulgentia judicialis absolutio dicenda est. Responsio: Absolutio particularis, et absoluta, ut etiam condemnatio, quia feruntur secundum allegata et probata, sine dubio requirunt particularem et accuratam cognitionem caussae. At absolutio quaedam generalis, et conditionata, non requirit cognitionem caussae, nisi generatim. Prior absolutio dicitur sententia ab homine, posterior a jure. Atque indulgentiae quidem, quae dantur singulis poenitentibus, quae apud veteres usitatissimae erant, similes sunt priori absolutioni, et ideo tunc exigitur cognitio caussae in particulari: eae vero, quae dantur omnibus generatim, et cum conditione certi operis faciendi, ut militandi adversus Mahumetanos pro recuperanda Hierosolyma, similes sunt posteriori absolutioni, et propterea satis est generatim cognoscere justam caussam adesse talis indulgentiae concedendae.

Quinta objectio. Archiepiscopus ad totam provinciam indulgentiam suam extendere potest, ut habetur cap. *Nostro*, de poenit. et remiss. At non sunt proprie subditi archiepiscopo omnes provinciales, sed ii soli, qui ad ejus dioecesim pertinent: igitur indulgentia non est absolutio proprie dicta, quae jurisdictionem exigit. Respondeo: Non sunt quidem omnes provinciales, absolute subditi archiepiscopo, sed sunt tamen omnes subditi in certis casibus, quorum unus est indulgentiae condonatio.

Postrema objectio. Si indulgentia esset judicialis absolutio, non posset summus pontifex ullius indulgentiae particeps esse, cum se ipse judicialiter absolvere nequeat, nec se, vel alium superiorem habeat. Atqui id videtur absurdum, ut summus pontifex illis indulgentiis frui non possit, quae sunt communes omnibus fidelibus. Quod idem argumentum fieri potest de episcopis, quod attinet ad indulgentias, quae ab illis toti populo conceduntur. Responsio: Non defuerunt qui negaverint, summum pontificem, aut episcopos participes esse posse indulgentiarum, quas ipsi caeteris in commune largiuntur. Certe archidiaconus in cap. *Indulgentiae*, de poenitent. et remiss. in 6. ita docet. Atque in eandem sententiam paucos alios citat Sylvester in summa, verbo, *Indulgentia* num. 21. Contra tamen sentiunt omnes alii, tum theologi, ut s. Thomas, Durandus, Richardus et alii, in 4. dist. 20. et Solus dist. 21. tum juris canonici interpretes, in cap. *Nostro*, de poenit. et remiss. et in cap. *Indulgentiae*, eodem in 6. Quibus accedit Navarrus in tract. de jubilaeo, Notab. 20. num. 19. Quamvis autem haec sententia communis verissima sit, et omnino consentanea rationi, tamen argumentum contrarium non facile solvitur. Illa enim principia certissima sunt, neminem posse ligari, vel solvi, nisi a superiore; et neminem sui ipsius superiorem esse: unde etiam fit, ut nemo se in sacramento poenitentiae absolvere unquam sit ausus. Posset igitur fortasse dici summum pontificem et episcopos erga alios uti absolutione, erga se vero solutione dumtaxat. Posset item dici, non posse quidem pontificem immediate seipsum absolvere per indulgentiam, sed posse per alium id facere, cui ipse potestatem tribuat. Cur enim possit confessario suo facultatem dare, ut se a peccatis absolvat, quod omnes admittunt, et non possit eidem potestatem facere, ut sibi indulgentiam conferat? Certe haec responsio probabilis visa est cardinali Cajetano tract. 15. cap. 5. et ante eum Richardo in 4. dist. 20. art. 4. quaest. 3. in solutione argumenti. Quamvis enim indulgentia non pertineat ad sacramentum poenitentiae, pertinet tamen ad forum interius, et poenitentiale, in quo summus pontifex potest se alteri subjicere, qui in se ministerio clavium utatur. Potest etiam postremo et optime dici, posse pontificem indirecte participem fieri indulgentiae a se vel a praedecessore generatim propositae, etiamsi nolit uti opere confessarii, sed solum ea praestare, quae ab aliis exiguntur ad indulgentiam consequendam, quoniam ut recte ait s. Thomas in 4. dist. 20. qu. 1. art. 5. qu. 4. ad ult. non potest quidem pontifex se ipse directe absolvere, sed potest uti iis rebus, quas ipse aliis ex jurisdictione concessit. Tales autem sunt indulgentiae, ad quas ipse percipiendas accedit, non ut pastor, sed ut unus de grege, subjectus clavibus Ecclesiae, ac per hoc indirecte, et per accidens subjectus sibi. Addit Dominicus a Soto loco citato, hanc ipsam subjectionem indirectam non esse etiam coactivam, quoniam absolutio quae datur in indulgentia, non est quasi sententia personalis ab homine lata, neque etiam quasi lata, a jure et coactiva, sed quasi lata a jure communi, et non continens coactionem, sed remissionem cum conditione talis operis faciendi.

CAPUT VII.

A quo vinculo per indulgentias solvamur, vel absolvamur.

Cum demonstratum sit indulgentiam esse absolutionem cum annexa solutione: sequitur, ut explicemus, a quo vinculo nos indulgentia solvat, vel absolvat. Sic enim constabit, quae sit propria ratio, definitio ac natura indulgentiae. Sciendum igitur est, duplex esse vinculum, sive reatum peccati, alterum poenae. Rursus autem reatum poenae iterum esse duplicem, alterum poenae naturalis, quae consequitur originale peccatum, qualis est morbus, mors, ignorantia, concupiscentia et similes: alterum poenae personalis, quae consequitur peccatum actuale, qualis fuit pestis immissa in populum ob peccatum Davidis. Rursus, reatum poenae personalis, alterum pertinere ad forum externum, alterum ad internum. Rursum reatum poenae debitae in foro interno, sive poenitentiali, alterum esse poenae injunctae, alterum injungendae. Denique reatum ejusdem poenae sive injunctae, sive injungendae, vel esse debitum, ut satisfiat soli Ecclesiae, vel ut

satisfiat etiam Deo. His divisionibus expositis, propositiones more solito adjiciendae sunt.

Prima propositio: *Per indulgentias non absolvimur, nec solvimur a reatu culpae ullius, idest, nec lethalis, nec venialis.* Et quidem de culpa lethali nulla dubitatio esse potest; nam cum ea tolli non possit sine infusione gratiae, et gratia non infundatur ministerio humano nisi per sacramenta, pro comperto habendum est, eam per indulgentias non posse tolli. De veniali autem videtur quidem Petrus Paludanus in 4. dist. 20. qu. 4. existimare, tolli eam per indulgentiam. Sed longe probabilior est aliorum communis sententia, per indulgentias non tolli nisi reatum poenae temporalis, qui remanet culpa dimissa. Siquidem indulgentia supplet locum satisfactionis poenitentialis, et ideo dicitur ab Innocentio, cap. *Cum ex eo*, de poenit. et remiss. enervare poenitentialem satisfactionem, cum est indulgentia indiscreta. Praeterea, cum pontifices indulgentias concedunt, saepe declarant se condonare poenitentiam injunctam, saepe etiam dicunt, se largiri certum numerum annorum, vel dierum indulgentiae, quae nullo modo ad peccata venialia, sed ad solas poenas accommodari possunt. Itaque si quando in literis indulgentiarum legatur concedi absolutionem a culpa et poena: intelligendum est id propterea dici, quod indulgentia conjungitur ordinarie cum confessione sacramentali, et facit, ut qui per sacramentum poenitentiae fuit absolutus a culpa, per indulgentiam absolvatur a poena. Pari ratione, cum dicunt pontifices, se per indulgentias absolvere poenitentes a peccatis, vel condonare omnia peccata, vel dimidiam, aut tertiam partem peccatorum, semper loquuntur de peccatis quo ad poenam, non quo ad culpam, quae ante indulgentiam remissa esse creditur.

Secunda propositio: *Per indulgentias non liberamur a poenis naturalibus.* In hac omnes auctores conveniunt. Constat enim definitum esse a Deo, ut poenae illae naturales non tollantur, nisi cum natura ipsa mutabitur, idest, cum per resurrectionem mortale hoc induet immortalitatem, 1. Cor. 15. et cum adoptionem filiorum Dei perfectam consequemur, redemptionem videlicet corporis nostri, Rom. 8.

Tertia propositio: *Nec poenas, quae in foro externo, et contentioso, sive ecclesiastico, sive saeculari infliguntur, indulgentiae tollere possunt.* Docet hoc s. Thomas in 4. dist. 20. qu. 1. art. 5. quaestiuncula 2. nec dissentiunt alii scriptores. Siquidem poenae fori externi propter bonum reipublicae infliguntur, ut facinorosi deterreantur a peccatis, et probi homines securitate fruantur. Praeterea, indulgentiae non conceduntur, nisi poenitentibus, et Deo reconciliatis: poenae autem illae fori externi infliguntur maxime pertinacibus, et rebellibus. Denique indulgentiae, ut dictum est, locum obtinent satisfactionis poenitentialis: quare non aliam poenam tollunt, nisi quam debemus in foro secreto et poenitentiali.

Quarta propositio: *Indulgentiae liberant homines a reatu poenae non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.* Haec propositio negabatur olim a nonnullis, quorum sententiam referunt, et refellunt theologi veteres, s. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. et alii. Eadem hoc tempore negatur a Lutheranis, Calvino, caeterisque sectariis, qui docent, indulgentiam apud veteres non fuisse aliud, nisi relaxationem mulctae, quam Ecclesia ipsa imperaverat, non ut per eam satisfieret Deo, sed exempli et disciplinae caussa, ut omnes intelligerent, illum, qui ejusmodi poenam luebat, vere resipuisse. Et quidem adversus catholicos in hac re minus recte sentientes, probatur nostra propositio his argumentis, Primo quoniam si solum deberet Ecclesiae satisfieri, sive tolli praeceptum agendae poenitentiae ab Ecclesia positum, non esset opus thesauro meritorum Christi et sanctorum. Secundo non esset utilis, sed noxia indulgentia, et Ecclesia filios suos in re maxime gravi decipere videretur, liberaret enim eos a poena hujus vitae mitissima, et remitteret ad poenam atrocissimam purgatorii. Tertio non possent concedi indulgentiae pro defunctis, quippe, qui non ligantur jam Ecclesiae praeceptis, neque aut ipsi disciplina indigent, aut aliis exemplo esse possunt.

Quarto: Multi fideles indulgentias percepturi, confitentur sacerdotibus peccata, et satisfactionem injunctam explent: interdum etiam pontifices in literis indulgentiarum praescribunt, ut sacerdotes injungant poenitentias salutares iis, qui indulgentiam consequi desiderant; igitur et populi, qui suscipiunt indulgentias, et pontifices, qui eas tribuunt, ejus sententiae se esse testantur, ut indulgentiae potissimum prosint ad poenam purgatorii expiandam. Denique hoc significare videntur verba illa, de vera indulgentia, quae addi solent cum indulgentiae in sacello pontificio promulgantur. Vera enim indulgentia dicitur, quae reatum poenae non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo vere tollit.

Jam vero adversus haereticos non est cur multum laboremus in hac re comprobanda. Ipsi enim propterea negant indulgentiis tolli reatum poenae coram Deo, quoniam existimant, post remissionem culpae nullum superesse reatum poenae coram Deo, nullaque opus esse vera satisfactione: et quia negare non possunt, apud veteres extare plurima testimonia poenarum, quae poenitentibus injungebantur, vel relaxabantur, ideo docent, eas poenas infligi solitas exempli, et disciplinae caussa. Caeterum haec omnia satis copiose tractavimus in 4. lib. de poenit. ubi etiam omnia argumenta diluimus, quae a Luthero, Philippo et Calvino in medium allata fuerunt. Ne tamen hoc loco nihil omnino dixisse videamur, probare possumus indulgentias valere ad relaxandam poenam etiam coram Deo, primo ex verbis Christi saepe citatis Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelo.* Et Matth. 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;* quorsum enim additur, et in coelo, si non solvitur vinculum nisi humanum? Secundo ex Patribus, qui passim affirmant, per injunctas vel sponte assumptas poenas, satisfieri Deo. Tertullianus in lib. de poenit. loquens de iis, qui dum agunt poenitentiam redeunt ad peccata, ita inquit: *Qui per delictorum poenitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam poenitentiae poenitentiam satis-*

faciet, S. Cyprianus in serm. 5. de lapsis: *Dominus*, inquit, *orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus*. S. Pacianus in paraenesi ad poenitentiam: *In quantum*, inquit, *poenae vestrae non pepercerilis, in tantum vobis Deus parcet*. S. Augustinus homil. 50. ex libro quinquaginta homiliarum, cap. 11. *Veniat*, inquit, *ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, accipiat satisfactionis suae modum, et id agat quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam caeteris ad exemplum*. Et cap. 13. *Non sufficit*, inquit, *mores in melius mutare, nisi etiam de iis, quae facta sunt satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis*. Petrus Damiani in serm. 2. de s. Andrea: *Ne tibi*, inquit, *blandiaris, si graviter peccanti levior poenitentia a mansueto, vel dissimulante dictatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit, quicquid hic minus feceris*.

Ex his testimoniis manifeste colligimus, per injunctas poenitentias satisfieri Deo, ac per hoc indulgentias, quae ab ejusmodi poenitentiis absolvunt, expiare poenae temporalis reatum etiam coram Deo. Multa possent alia testimonia veterum adduci, sed non sunt omnia ubique repetenda. Tertio probatur ratione ducta a simili. Poenitentiae siquidem a sacerdotibus impositae, et ea quae sponte assumuntur, sunt omnino similes, constant enim ex iisdem rebus, oratione videlicet, jejuniis et eleemosynis, et ad eundem finem tendunt: et aliae alias juvant, immo sacerdotes cum poenitentias imponunt, hortantur poenitentes, ut ipsi etiam sponte assumant alias, cum credibile sit, impositas non esse aequales criminibus. Et Cyprianus dicat in serm. de lapsis, *Poenitentia crimine minor non sit*. Quod idem alii Patres docent. Certum autem est, per poenitentias sponte assumptas satisfieri Deo, ut perspicuum est ex eo, quod occultae esse solent, juxta illud psalm. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Igitur et poenitentiae a sacerdotibus non solum exempli, vel disciplinae caussa, sed etiam ad satisfaciendum Deo imponi solebant. Praeterea, poenitentiae pro occultis criminibus occulte injungebantur, sicut et ipsa confessio secreta esse debebat, ut patet ex epistola s. Leonis I. ad episcopos Campaniae: non igitur semper injungebantur exempli, vel disciplinae caussa. Denique omnia argumenta, quibus in 1. lib. de purgatorio demonstravimus post hanc vitam extare loca poenalia, in quibus exerceantur animae illorum, qui dum viverent, pro suis peccatis non integre satisfecerunt Deo; probant etiam indulgentias liberare homines a reatu poenae non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo. Nam nec ipsi Lutherani indulgentias negarent, si purgatorium crederent. Est tamen hoc loco animadvertendum, indulgentia, quae conceduntur in hac vita immediate, et principaliter liberare a debito poenae subeundae in hac vita, mediate vero, et quasi secundario a debito poenae subeundae in purgatorio. Quemadmodum enim poena purgatorii succedit poenae, quae non est in hac vita integre expiata: sic etiam indulgentia liberans a debito totius poenae temporalis, quae in hac vita persolvenda fuisset: consequenter liberat a poena purgatorii, quae illi forte successisset.

Quinta propositio: *Cum in forma indulgentiae palam exprimitur concedi remissionem poenitentiae injunctae, non intelligitur concedi remissio nisi ejus poenitentiae, quam sacerdos in sacramento confessionis injunxit*. Est haec propositio adversus nonnullos, qui per injunctam poenitentiam intelligi volunt omnem omnino poenitentiam, quoniam, ut ipsi existimant, omnis poenitentiae peccatis debita, injuncta dici potest, vel a sacerdote, vel a canone poenitentiali, vel certe a Deo. Ita docuit quidam Thomas Elysius in clypeo piorum catholicorum qu. 44. art. 7. sed contra sentiunt plerique omnes viri docti, ut d. Thomas, Cajetanus tract. 13. cap. 7. Dominicus a Soto in 4. dist. 21. q. 2. art. 2. concl. 3. Martinus Ledesmius in 3. sent. par. 2. q. 27. art. 2. Navarrus in tract. de jubilaeo et indulgentiis, Notab. 11. num. 12. Antonius Cordubensis de indulg. qu. 9. proposit. 3. Sylvester, verbo, *Indulgentia*, qu. 8. num. 12. et quaest. 10. num. 11. Gabriel in supplemento, lib. 4. sent. dist. 41. quaest. 3. art. 2. propos. 10. ac praeterea Petrus Paludanus, Adrianus, Petrus a Soto, et alii nominandi in sequenti propositione. Et certe res non videtur esse dubia. Nam poenitentia non dicitur proprie injungi, nisi a sacerdote, qui in particulari obligat praecepto suo poenitentem ad certa opera poenalia peragenda. Canones enim poenitentiales exprimunt quidem generatim, quae poenitentia quibus peccatis conveniat, sed quoniam non satis est ad justam poenitentiam imponendam scire quid congruat peccato secundum se, nisi simul attendantur variae circumstantiae, maxime circa personam poenitentiis; ideo non potest a canone poenitentiali poenitentia absolute injungi; neque ullus tenetur ad eam poenitentiam subeundam, quae notatur in canone poenitentiali, nisi ab aliquo judice injungatur. Pari ratione Deus non dicitur proprie injungere poenitentiam, sed exigere eam, quae sequitur ex natura rei, ad peccati gravitatem. Accedit praeterea, quod cum indulgentiae concessio secundum jura sit res odiosa, quippe quae relaxat poenitentiae rigorem, ut recte docet et probat Navarrus in tract. de jubilaeo Notab. 9. num. 9. non debent extendi verba literarum pontificiarum ad poenitentias injunctas largo modo et improprie, sed restringi ad injunctas proprie, quales non sunt nisi eae, quae a sacerdotibus in sacramento poenitentiae injunguntur. Quae enim definiuntur in canonibus, vel exiguntur, non possunt dici injuncta, nisi largo modo, et improprie.

Sexta conclusio: *Cum non fit mentio injunctarum poenitentiarum, sed absolute conceduntur indulgentiae: intelligendum est, condonari omnes poenitentias, sive injunctae sint, sive injungi potuerint*. Haec propositio est adversus graves auctores, Alexandrum Alensem in summa theologica par. 4. quaest. 23. memb. 2. Durandum, et Paludanum in 4. sentent. dist. 20. qu. 4. Adrianum VI. in 4. sentent. quaest. de indulgentiis, § *Sed ex hoc petes ulterius*, Petrum a Soto lect. 2. de indulgent.

prope fin. et card. Cajetan. tract. 15. cap. 7. qui docent, indulgentias numquam dari, nisi de injunctis. Sed tamen habemus nostrae sententiae patronos alios auctores, nec pauciores, nec minus graves, sanctum Thomam in 4. dist. 20. quaest. 1. art. 3. Joannem majorem in 4. distinct. 20. quaest. 2. § *Dubitatur*; Sylvestrum, verbo *Indulgentia*, q. 2. num. 1. Dominicum a Soto in 4. dist. 21. quaest. 1. artic. 1. Michaëlem Medinam disp. 4. de indulgent. Ledesmium in 2. par. 4. quaest. 27. art. 2. Antonium Corduben. quaest. 9. de indulgent. Navarrum tract. de jubilaeo Notab. 11. num. 18. et ex veteribus canonistis Panormitanum, et Joan. Andream in cap. *Quod autem*, de poenit. de remiss. Denique fatetur Cajetanus hanc esse communem sententiam, nec immerito; Nam illi quoque, quos pro ipso citavimus, excepto Petro a Soto, non tam aperte loquuntur, ut certum sit eos ejusdem esse sententiae, quamvis in eam propendere videantur. Probatur igitur nostra propositio, primo ex constitutione extravagante Bonifacii VIII. quae incipit, *Antiquorum*: in qua legimus, indulgentiam datam esse plenam, largiorem et plenissimam. At certe si non concederetur indulgentia, nisi de injunctis poenitentiis, satis fuisset dicere concedi plenam, sive plenariam. Quid igitur sibi vult plenior et plenissima? Adde quod auctor glossae in hanc extravagantem scribit, Bonifacium de hac re interrogatum respondisse, per plenissimam indulgentiam se intellexisse illam omnem indulgentiam, ad quam se claves Ecclesiae possunt extendere. Non potest autem dubitari, ut etiam Cajetanus, et Petrus a Soto fatentur, quin claves Ecclesiae ad indulgendas poenitentias non injunctas, sed tamen debitas in judicio Dei possint extendi. Adde praeterea, quod Paludanus loco notato testatur, ab eodem Bonifacio fuisse prohibitum poenitentiarium, ne confitentibus peccata anno illo jubilaei satisfactiones injungeret: Non igitur dubitari potest, quin pontifex Bonifacius indulgentias de non injunctis dare voluerit. Simile est, quod de Pio V. pontifice maximo et optimo testatur Bartholomaeus ab Angelo, in libro italico, qui inscribitur *Consolatione de poenitenti*, lib. 1. cap. 4. pag. 13. scribit enim hic auctor, Pium V. privatim interrogatum, affirmasse, indulgentias absolute pronunciatas, non restringi ad poenitentias injunctas, sed extendi etiam ad non injunctas. Et quamvis duo isti pontifices non ediderint publicam hujus quaestionis explicationem per rescriptum aliquod pontificium, tamen non est levis momenti tantorum virorum etiam privata sententia. Secundo probatur ex consuetudine nostrorum temporum. Nunc enim vix unquam injunguntur poenitentiae multorum annorum, et tamen pontifices, qui hoc non ignorant, adhuc promulgant indulgentias septem vel decem annorum, atque alias similes; igitur non volunt pontifices, hoc saltem tempore, indulgentias restringere ad poenitentias injunctas, sed extendunt etiam ad eas, quae merito injungi possent si poenitentiae criminibus aequales injungeretur. Praeterea, ut supra diximus, hoc tempore qui se parant ad indulgentias consequendas, confiteri solent peccata sacerdoti, et injunctam satisfactionem implere; non igitur existimant, sibi tantum injunctas poenitentias condonari, sed alias longe majores: quod si haec populorum existimatio non esset vera, manifeste falleretur populus, et hujus deceptionis caussa in praelatos Ecclesiae referri posset. Denique in literis indulgentiarum aliquando ponitur, ut sacerdotes imponant salutares poenitentias iis, qui indulgentias consequuturi sunt; non igitur indulgentia earum literarum ad injunctas poenitentias, sed ad non injunctas pertinet. Neque enim pontifices relaxare intendunt poenitentias illas salutares, quas jubent imponi.

CAPUT VIII.

Solvuntur argumenta contraria.

Adversus doctrinam capitis superioris non desunt objectiones, vel calumniae Lutheranorum, sed eas in librum sequentem differre maluimus. Hoc autem loco solum diluemus argumenta, quae fieri solent adversus postremam propositionem capitis superioris.

Prima objectio: In jure canonico additur particula de injunctis, cum de indulgentiis concedendis agitur; igitur ea particula subintelligi debet, etiam cum non exprimitur. Debet enim indulgentiarum concessio semper explicari ad formam juris. Id quod expresse testatur forma indulgentiarum, quae in sacello pontificio promulgantur. Dicuntur enim dari indulgentiae secundum formam Ecclesiae consuetam. Responsio: Additur quidem nonnumquam ea particula, De injunctis, in jure canonico: sed saepe etiam non additur; proinde nihil efficit hoc argumentum. Porro saepe non addi eam particulam facile demonstrari potest. Nam in extravaganti *Antiquorum*, in extravaganti *Unigenitus*, in extravaganti *Quemadmodum*, de poenitent. et remiss. numquam illius particulae sit mentio. Innocentius III. in bulla expeditionis pro Terra sancta recuperanda, quae habetur in tomis conciliorum post concilium lateranense, concedit plenariam indulgentiam sine ulla mentione poenitentiae injunctae. Gregorius VII. pontifex in epistola ad monachos massilienses, et in aliis passim indulgentias absolute concedit. Denique Sergius junior ante annos ferme 800. supra notavimus, indulgentiam dedit trium annorum, et trium quadragenarum, sine ulla adjunctione de injunctis, vel non injunctis poenitentiis. Ex quo intelligimus per formam Ecclesiae consuetam non significari indulgentiam de injunctis, sed alia, quae in suscipiendis indulgentiis semper observantur, ut videlicet qui eas suscipit, si peccatorum lethalium conscientiam habeat, cor contritum gerat, cum proposito confitendi suo tempore eadem peccata sacerdoti; praeterea preces fundat pro Ecclesia, pro summo pontifice, pro aliis rebus in forma indulgentiarum expressis; denique illa omnia perficiat, quae pro assequenda indulgentia praescribuntur.

Secunda objectio. Non dicuntur proprie remitti, nisi debita: nemo autem debitor est poenitentiae agendae tribus, vel septem, vel pluribus certi numeri annis, nisi ea poenitentia a sacerdote sibi fuerit injuncta; igitur cum indulgentiae remittunt tres, vel

septem, vel plures annos poenitentiae,de injunctis intelligendae sunt, etiam si forte nomen, injunctae tacitum fuerit. Responsio: Fateor equidem, formam condonandi certum numerum annorum, vel dierum, vel quadragenarum poenitentiae ex antiquo usu relictam esse. Nam ideo certus numerus annorum, vel dierum in indulgentiis exprimebatur, quia certus etiam numerus annorum, vel dierum poenitentibus jungebatur, ut eo tempore se in bonis operibus laboriosis et poenalibus exercerent. Caeterum hoc tempore non injungitur quidem poenitentia tam severa, tamen vere debitores sunt, qui peccata gravia commiserunt, poenitentiae agendae multis vel annis, vel diebus, et ideo per indulgentias remittuntur hoc tempore poenitentiae certorum annorum, vel dierum, idest, remittitur debitum poenae, cui satisfecissent, si tot annis, vel diebus poenitentiam egissent.

Tertia objectio: Innocentius III. in concilio lateranensi, ut habemus cap. *Cum ex eo*, de poenit. et remiss. restringit episcoporum potestatem in indulgentiis conferendis ad condonationem unius anni de injunctis poenitentiis. Ad si indulgentiae secundum jura dari possent tam de injunctis, quam de non injunctis; pontifex restringens solum indulgentias de injunctis, inane decretum fecisset; voluit enim resecare indulgentias superfluas, et indiscretas,per quas satisfactio poenitentialis,ut ipse loquitur, enervatur. Non autem resecasset, si possent indulgentiae dari de non injunctis, de quibus ipse nihil decrevit. Quod si respondeas: Pontificem dum resecavit superfluas indulgentias de injunctis poenitentiis, censeri majore ratione resecasse indulgentias de non injunctis: contra objicietur,quod graviores sint poenitentiae injunctae,quam non injunctae, quia illae obstringunt coram Deo et Ecclesia, istae autem coram Deo tantum: et cum tollantur graviora, non censentur sublata etiam leviora. Responsio: Primum dici posset, injunctas poenitentias esse graviores aliquando et secundum quid; non injunctas autem ut plurimum et simpliciter; potest enim accidere, ut alicui poenitentia injungatur non quidem integra et aequalis, sed tamen ejusmodi, ut plus poenae per eam expietur, quam expiandum relinquatur; tamen ut plurimum longe plus est, quod expiandum restat per non injunctas poenitentias, quam quod expiatur per injunctas: pari ratione tanto minus est obstringi coram Deo, et coram Ecclesia ad agendam poenitentiam injunctam levissimam, et forte unius horae, quam obstringi coram solo Deo ad perferendum cruciatum acerrimum multorum annorum: ut illud dici possit gravius secundum quid,hoc autem gravius simpliciter. Quare qui restringit indulgentias de poenitentiis injunctis jure censetur restringere etiam indulgentias de non injunctis,si revera modum ponere voluit indulgentiis.Deinde responderi potest brevius et facilius: in decreto Innocentii duas restrictiones contineri, unam quo ad tempus, ut non liceat episcopis excedere unum annum in indulgentiis condonandis: alteram quoad genus, sive qualitatem, ut non liceat eisdem indulgentias concedere absolute, sed solum de injunctis poenitentiis; per hoc enim omnia quae possunt fieri, argumenta cessant.Est autem hoc loco observandum quod quamvis non teneatur qui indulgentias percipit, injunctam poenitentiam explere, nisi forte indulgentia minor sit quam debitum ipsius, aut impletio poenitentiae injunctae sit una ex conditionibus expressis in literis pontificiis pro indulgentia obtinenda: tamen hortandi ac monendi sunt poenitentes, ut injunctam poenitentiam diligenter devoteque perficiant,tum quia poenitentia illa medicinalis, tum quia meritoria erit, tum quia fieri potest, ut indulgentia, quam se percepturum sperat, ob aliquod impedimentum non vere percipiat; de qua re vide s. Thomam in 4. dist. 20. quaest.1. art. 3. quaest. 1. ad 4.Panormitanum in cap. *Quod autem*. de poenitent. et remiss. Gabrielem in supplemento 4. dist. 45. qu. 3. art. 2. proposit. 11. Angelum in summa, verbo, *Indulgentia*, num. 1. Sylvestrum, verbo eodem, quaest. 9. num. 23. et Anton. Cordub. quaest. 10. de indulgent. coroll.4.

Ex his quae hactenus dicta sunt colligi potest integra indulgentiae definitio, quae talis erit; indulgentia est absolutio judicialis a reatu poenae Deo debitae in foro poenitentiario,extra sacramentum data per applicationem satisfactionum, quae thesauro Ecclesiae continentur. Quod si quis definitionem extendere velit ad indulgentias, quae pro defunctis, accipiuntur, quae sunt indulgentiae per modum suffragii, non simpliciter et absolute: mutare poterit illud initium, Est absolutio judicialis a reatu etc. et dicere, Est remissio poenae etc.Porro Cajetâni definitio: Indulgentia est absolutio a poena injuncta in foro poenitentiae,quae habetur tract. 15. cap. 2. partim videtur redundans, propter verbum, *Injuncta*, partim deficiens, propter omissam mentionem thesauri. Definitio Dominici a Soto in 4. dist. 21. quaest. 1. art. 1. Indulgentia est relaxatio poenae peccato debitae,quae extra sacramentum fit, nimium est, diminuta,cum neque explicet, an indulgentia sit proprie absolutio, neque doceat a qua poena hominem liberet,neque thesauri mentionem faciat.

CAPUT IX.

De varietate indulgentiarum.

Explicuimus hactenus de indulgentiis, an sint, et quid sint, nunc quales sint paucis expediemus. Nihil enim aliud circa indulgentiarum qualitatem quaeri posse video, nisi quae sit indulgentiarum varietas. Invenio autem indulgentias quinque modis consuevisse concedit. Interdum enim conceduntur aliquot dies, vel anni indulgentiarum; Interdum quadragenae dierum; Interdum tertia, vel quarta, vel alia peccatorum pars; Interdum indulgentia plenaria; Interdum indulgentia plena, plenior et plenissima in forma jubilaei;et rursus haec omnia vel conceduntur in vita, vel in articulo mortis; et denique vel sunt indulgentiae temporariae vel perpetuae. Et quidem indulgentia [tot dierum vel annorum, secundum veriorem sententiam significat remissionem poenitentiae,quae peragenda fuisset tot diebus vel annis, secundum Ecclesiae ritum. Constat enim ex Tertulliano in lib. de poe-

nitentia, et apertius ex concilio triburiensi can. 54. et ex lib. 19.Burchardi, poenitentibus multa fuisse imperata, multa etiam interdicta,ut exempli gratia imperabatur jejunium feria 2. 4. et 6. interdicebatur usus balnei, equitationis, uxoris etiam interdum, potissimum sacrae communionis.

Indulgentia quadragenae significat remissionem poenitentiae, quae quadraginta continuatis diebus in jejuniis,aliisque laboriosis operibus agenda fuisset. Quae quadragena, quando imperabatur acrior, ita ut solo pane et aqua contenti esse deberent,qui eam peragebant, carena dici solebat, quod videlicet carentiam omnium fere ciborum contineret. Ejusmodi carenam praemitti solitam ante septennem poenitentiam, testantur concilium triburiense, et Burchardus locis notatis. Porro cum indulgentia condonat aliquam partem, ut tertiam vel quartam peccatorum, nihil significatur aliud, nisi remitti poenitentiam,quae pro tanta parte poenae peccatis debitae expianda necessaria fuisset. Indulgentia vero plenaria totum poenae reatum tollit, qui post culpam remissam forte remansit.Denique indulgentia plenior vel plenissima etiam in jubilaeo, re vera non differt a plenaria simpliciter et absolute concessa. Neque solida est illa quorumdam distinctio, quod plena referatur ad solam poenam peccatis mortalibus debitam; plenior addat remissionem poenae debitam peccatis venialibus, plenissima adjungat absolutionem non solum a poena, sed etiam a culpa, saltem veniali. Posset tamen fieri ut Bonifacius VIII. qui in extravaganti *Antiquorum*, primus usus est illis vocibus,indulgentiam plenam largiorem et plenissimam, retulerit plenam ad remissionem totius poenitentiae injunctae; pleniorem, sive largiorem, ad remissionem totius poenitentiae,quae secundum canones injungi debuisset; plenissimam, ad remissionem totius poenitentiae, quae a divino judicio posset exigi.Vide de hac tota re Joannem de Turrecremata in commentar. dist. 1. de poenitentia, super illud, Item in Levitico quaest. 4. Navarrum in tract. de jubilaeo Notab.9. et 31. et Antonium Cordubensem quaest. 32. de indulgentiis.

Existit autem hoc loco dubitatio, num indulgentiae aliquot dierum, vel annorum hujus vitae, respondeat in purgatorio relaxatio poenae totidem dierum vel annorum. Et quidem omnes conveniunt,cum per indulgentias condonantur poenitentiae aliquot dierum vel annorum, consequenter etiam remitti poenam purgatorii, quae poenitentiae condonatae respondet:sed utrum poenitentia unius diei vel unius anni in hac vita tantum reatus poenae coram Deo expiare valeat,quantum expiaret unus dies vel annus in purgatorio exactus, quaestio est. Nam Dominicus a Soto in 4. dist. 21.quaest.2. art. 1. contendit poenam purgatorii tanto esse acriorem poenis hujus vitae, ut unus dies in purgatorio exactus multo amplius de reatu poenae peccatis debitae detrahat, quam multi anni vitae praesentis in poenitentia severissime agenda consumpti. Ex quo ipse colligit, neminem quantumvis insignem peccatorem in purgatorio poenam daturum ad viginti annos, et fortasse ad decem vel pauciores. Sed communis sententia contrarium docet, ut videre est apud Paludanum in 4. dist. 20. quaest. 4. Adrianum in tract. de indulg. § Petet fortasse. Navarrum de jubilaeo Notab. 11. num. 22. Cordubensem quaest. 32. de indulg. proposit. 3. et alios, quos citat Sylvester in summa,verbo,*Indulg.* num. 8. Quamvis enim poena purgatorii sit acrior omnibus poenis, quas in hac vita experti sumus, ut docent sancti Patres, Augustinus in psal.37.Gregorius in psalmum 3. poenitentialem,Beda in eundem psalmum, Anselmus in commentar. capitis tertii prioris epistolae ad Corinth. et Bernardus in serm. de obitu Humberti monachi: tamen ad expiandum reatum poenae efficacior est poena voluntaria hujus vitae, quam poena acrior purgatorii, quoniam hoc est tempus misericordiae, illud justitiae.Itaque in hac vita non est debitum ullum poenae tam grande, quod non possit uno die, vel etiam una hora per martyrium omnino dissolvi; pro quo tamen solvendo in purgatorio vix multi anni sufficerent. Sic enim loquitur s. Cyprianus lib. 4. epist. 2.*Aliud est longo tempore pro peccatis cruciatum emendari,et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.* Quod idem de vehementissima contritione dici potest, de qua re multa extant exempla in historiis. Sed illud unum hoc loco sufficiet,quod se praesente contigisse narrat Joan. Climacus in libro suo De scala paradisi, grad. 4. scribit enim, latronem quendam omni genere scelerum coopertum tanto ardore animi peccata sua publice patefecisse, ut revelatum sit sanctis aliquibus viris ea omnia continuo illa satisfactione purgata fuisse atque deleta. Constat praeterea ex venerabili Beda lib. 5. historiae anglicanae cap. 13. aliisque probatis auctoribus, plurimas animas in purgatorio usque ad diem judicii, idest, per multas annorum centurias cruciandas: cum tamen nulla sit multitudo, vel gravitas peccatorum, quae non possit in hac vita per poenitentiam deleri non solum quo ad culpam, sed etiam quo ad poenam.Denique legimus in auctoribus gravissimis viros aliquos sanctos ob unum solum peccatum non parvo tempore in purgatorio cruciatos, ut patet de Paschasio card. romano apud s. Gregorium lib. 4. dialogor. cap. 40. et de Severino coloniensi episcopo apud s. Petrum Damiani in epist. de miraculis sui temporis ad Desiderium, et de sancta quadam virgine apud Gregorium Turonicum lib. De gloria confessorum, cap.5. In praesenti autem vita ejusmodi peccata levi ac brevi poenitentia dilui potuissent. Sed contra objici potest, quod aliqui homines rei sunt poenae luendae multis annorum millibus, quod probatur ex indulgentiis, quae interdum continent condonationem poenitentiae quindecim vel viginti millium annorum: at si longiori tempore reatus poenae expiatur in purgatorio, et non potius tempore longe ac longe breviore,quam in hac vita, sequitur omnino multa peccata post diem judicii inexpiata mansura. Responsio: Non desunt, qui negent indulgentias illas, quae continent condonationem poenitentiae multorum millium annorum esse a pontificibus datas, et a quaestuariis conflctas dicant. Ita sentiunt Joan. Gerson in tract. de absolutione sacramentali,et Dominicus a Soto in 4. dist. 21. quaest. 2. artic. 1. Pontifices

enim non solebant indulgentias concedere nisi tot annorum, quot annorum poenitentiae injungebantur: poenitentiae vero non solebant injungi nisi unius, duorum, trium, quinque, septem, decem, viginti annorum, aut ad summum per totam vitam, quae ultra centum annos porrigi non solet. Sed quicquid de hoc sit, non videtur negandum, posse aliquos reos fieri poenitentiae agendae secundum canones per spatium aliquot millium annorum. Nam si peccatis lethalibus singulis debetur secundum canones poenitentia trium vel septem annorum, quis enumeret annos poenitentiae, qui secundum canones praescribi deberent iis, qui consuetudinem habent pejerandi, vel blasphemandi ad singula prope momenta; et frequentissime homicidia, furta, sacrilegia, adulteria perpetrant, ac denique ut legimus in lib. Job cap. 15. *Bibunt quasi aquam iniquitatem?* Atque huc sine dubio respexerunt summi pontifices, si qui sunt, qui revera indulgentias dederint decem vel viginti millium annorum. Sed quemadmodum in hac vita poenitentia multorum annorum potest una hora persolvi, si poenitentes temporis diuturnitatem vehementia charitatis, et extensionem poenitentiae intensione compensent: sic etiam fieri potest, ut in purgatorio diutius quidem crucientur quam in hac vita, qui cum tam ingenti debito decesserint: tamen ibi quoque acerbitatis vehementia, faciat, ut debitum viginti millium annorum, annis trecentis, vel quadringentis expiari queat.

Jam vero de alia varietate, qua dicebamus, indulgentias concedi in vita, vel in mortis articulo: nonnulla quaestio esse potest, quid intelligendum sit per mortis articulum. Sed responsio facilis est; nam si in literis pontificiis exprimatur mortis articulus verus, tunc sine dubio non assequitur indulgentiam illam, nisi qui re vera paulo post acceptam absolutionem moritur. Si vero non exprimatur, sed generatim dicatur: In mortis articulo, tum sententia communior est indulgentiam obtineri, etiam in mortis articulo praesumpto, quamvis revera mors non sequatur. An autem qui indulgentiam consequutus est in mortis articulo praesumpto, possit rursus eandem assequi cum iterum veniet ad mortis articulum, Doctores dissentiunt, sed istae quaestiones ut plurimum ex inspectione literarum dissolvi possunt. Vide Navarrum de jubilaeo Notab. 30. num. 3. 4. et 5. et Cordubensem quaest. 39. de indulg.

Restat ultima varietas de indulgentiis temporariis, vel perpetuis. Dicuntur enim temporariae, quae conceduntur definito spatio temporum, quo indulgentia percipi potest, ut cum definiuntur viginti quatuor horae, vel una aut altera hebdomada, vel integer annus, ut in jubilaeis. Perpetuae vero dicuntur, quae sunt alligatae certis locis, ut ecclesiis, vel altaribus, vel etiam rebus mobilibus, ut rosariis, vel granis benedictis, sine ulla temporis determinatione, quales fuerunt, quas concesserunt Leo III. et Sergius II. ut annotavimus supra cap. 3.

CAPUT X.

Utilem esse indulgentiam omni hominum generi.

Jam vero de utilitate indulgentiae breviter disserendum est, ut ad illam etiam quaestionem respondeamus, Propter quid, sive cujus rei gratia indulgentia detur vel accipiatur. Sed de caussa, cur indulgentia detur, disputandum erit paulo post, cum explicabimus quid requiratur in eo, qui indulgentiam concedit. Ostendimus enim requiri duo, auctoritatem legitimam et caussam piam. Nunc solum de caussa cur indulgentiae quaeruntur et accipiuntur, dicendum est. Et quidem, dubitari non potest, quin potissima caussa sit remissio poenae temporalis. Hic enim est fructus, haec praecipua utilitas indulgentiae. De qua re id solum quaeri potest, an sit utilis omnium hominum generi remissio poenae temporalis. Lutherus enim, praeter alios errores suos, id etiam docuit, indulgentias non esse utiles nisi publicis et scelestissimis peccatoribus, ut perspicuum est ex assert. art. 18. Sed apud catholicos res certissima est, indulgentias omnibus esse utiles et ab iis etiam, qui perfectioni dant operam, recte quaeri, et suscipi posse. Nam omnibus utile est liberari ab iis rebus, quae retardare possunt adeptionem summi boni, talis autem est reatus poenae temporalis, cum quo si quis ex hac vita migraverit, non poterit continuo pertingere ad vitam aeternam, sed expiare debebit eum reatum in locis purgatorii. Praeterea: Indulgentiae non solum expediunt ab impedimento jam dicto, sed etiam contra non impediunt ullum bonum meritum, aut ullum majus bonum: neque enim prohibentur, qui suscipiunt indulgentias, operam dare jejuniis, eleemosynis, precibus, aliisque operibus bonis. Quare nulla ratio est, cur non sint dicendae utiles, et salutares omni hominum generi. Sed objiciunt aliqui, Perfectorum hominum non est fugere poenas, sed eas potius quaerere, tum ob exercitium patientiae, tum ob imitationem Christi patientis. *Christus enim passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* 1. Pet. 2. Responsio: Perfectorum est non fugere poenas, quae juvant ad promerendum Deum, et promovent ad salutem citius acquirendam, quale est martyrium, et aliae poenae sponte susceptae, atque ad ejusmodi poenas libenter perferendas sanctus Petrus adhortatur. Est tamen perfectorum fugere debitum poenae, cum per illud impediantur et retardentur, ut diximus, ab ingressu patriae coelestis. Immo propterea quaerunt poenas hujus vitae, et severam poenitentiam agunt, ut liberentur a reatu illo, et non cogantur post mortem diutius in purgatorio poenas dare. Quare libentissime propter eandem caussam suscipiunt indulgentias, ut tanto facilius a reatu illo expediantur.

Objiciunt rursus: Indulgentia non est opus meritorium, sed solum satisfactorium, non igitur utilis est perfectis, qui modica, vel nulla satisfactione indigent. Responsio: Indulgentia per se non est meritoria, sed satisfactoria: tamen meritoria etiam esse potest ratione operis injuncti. Si quis enim ex charitate Dei injuncta opera exequatur, jejunia, eleemosynas, preces et similia, sine dubio per haec opera ex charitate facta meritum non exiguum sibi parabit. Ipsa quoque susceptio indulgentiae meritoria erit, si quis eam ex amore Dei suscipiat, ut expeditus reatu illo poenae liberius ad ipsum Deum videndum, et perpetuo laudandum evolare possit.

Et quamvis viri perfecti modica satisfactione egeant, tamen rari sunt, qui non aliqua egeant,ac per hoc non sint illis etiam utiles indulgentiae.

Denique objiciunt ex communi sententia utilius esse pro se propriis operibus satisfacere, quam alienam satisfactionem quaerere; Responsio: Utilius quidem est, et tutius pro se satisfacere, quam indulgentias quaerere, sed utroque utilius est illud facere, et istud non omittere; et hoc est, quod boni auctores consulunt, ut qui suscipiunt indulgentiam, non cessent a poenitentiae fructibus producendis,qui meritorii,et medicinales plerumque esse solent, et utilius est, duobus pedibus iter facere, quam uno tantum.

Praeter hanc utilitatem sunt etiam aliae adjunctae, quando in forma jubilaei indulgentiae publicantur. Nam et datur facultas eligendi confessarium, ex approbatis tamen, juxta decretum concilii tridentini sess. 23. cap. 15. nam alioqui non judicantur idonei confessarii, et summus pontifex in jubilaeis non permittit facultatem non idoneos eligendi. Item datur auctoritas confessariis absolvendi a multis casibus reservatis, multisque censuris ecclesiasticis, necnon vota nonnulla in alia pia opera commutandi, atque alia id genus, quae notissima sunt. Sed existunt hoc loco dubitationes duae.

Prima. Si quis tempore jubilaei absolutionem a reservatis accipiat,et postea tamen negligat ea perficere,quae ad indulgentiam consequendam necessaria sunt, an absolutio illa rata sit.Responsio communis est, ratam esse, quoniam absolutio non pendet a futura conditione, neque pendere potest.

Altera dubitatio.Si quis spe futuri jubilaei in peccatum reservatum sponte incidat, an ab eo peccato possit absolvi? Respondent aliqui, non posse.in quibus est s. Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 3. § Sed alii contra sentiunt, ut Navarrus in tract. de jubilaeo, Notab. 34. num. 4. et 6. Cordubensis quaest. 37. de indulgent. proposit. 3. et alii.

CAPUT XI.

Quis possit indulgentias concedere.

Sequitur nunc, ut explicemus, quid requiratur ad hoc ut indulgentia rata sit, tum ex parte concedentis, tum ex parte suscipientis. Et quidem ex parte concedentis duo requiri videntur, auctoritas legitima et caussa justa: ex parte suscipientis alia duo, status gratiae, et exequutio operis injuncti.De quibus ordine dicendum erit. Principio igitur auctoritatem requiri extra controversiam est,nam absolvere, vel ligare non potest, nisi is, qui jurisdictionem habet; indulgentias autem dare, absolvere est, ut supra demonstravimus ex cap.*Quod autem* de poenit. et remiss. Praeterea, distribuere bona communia non potest nisi magistratus,vel princeps cui bonorum communium administratio et dispensatio credita est: Indulgentiae vero praeter absolutionem, continent etiam applicationem thesauri spiritualis, ut ostendimus loco notato. Porro haec auctoritas potissimum residet in summo pontifice, ac propterea potest ipse indulgentias etiam plenarias omnibus fidelibus elargiri. De qua re nulla dissentio est. Nam constat apostolo Petro, cui summus pontifex succedit, proprie dictum esse a Domino Matth. 16. *Quodcumque solveris etc.* Deinde constat ex jure canonico, cap. *Cum ex eo*,de poenit. et remiss. in summo pontifice ad indulgentias concedendas esse plenitudinem potestatis.Denique constat, re ipsa frequentissime summos pontifices indulgentias plenarias concessisse.

De episcopis ac metropolitanis res est etiam extra controversiam, posse illos in sua dioecesi,istos in sua provincia indulgentias tribuere, sic tamen, ut indulgentiam unius anni in die dedicationis ecclesiae vel quadraginta dierum aliis temporibus, de injunctis poenitentiis non excedant. Ita enim habemus cap.*Cum ex eo*, et cap.*Nostro*,de poenit. et remiss. et cap. *Indulgentiae*, eodem in 6. Nec minus certum est, non requiri potestatem ordinis, sed solam potestatem jurisdictionis ad indulgentias concedendas. Proinde poterit pontifex maximus,vel episcopus indulgentias concedere,etiam si nondum sit sacris Ordinibus insignitus, ut docet s. Thom.in 4. dist. 20. quaest. 1. art. 4. quaestiuncula 2. Neque amittitur haec potestas per peccatum lethale, ut idem s. Thomas docet in eodem art. 4. quaestiunc. 4.

De legatis apostolicis, posse eos concedere ex commissione speciali,vel generali summi pontificis indulgentias in omni loco, ad quem suae legationes se extendunt, nemo dubitat. Summum poenitentiarium,posse concedere centum dies indulgentiae testatur Petrus Paludanus in 4.dist. 20.quaest. 4. art. 2.,quod idem de aliis cardinalibus testatur Navarrus in tract. de jubilaeo, Notab. 31. num.17. quamvis id magis consuetudine, quam lege nitatur.Atque haec quidem videntur esse certa et rata. Nunc de iis, quae dubia sunt breviter disseremus. Primum igitur De concilio generali quaeri potest, an possit plenarias indulgentias dare. Id enim affirmant Felinus, in serm. de indulgent. num. 28. Dominicus a Soto in 4. dist. 21. quaest. 1. art. 4. Navarrus de jubilaeo, Notab. 31. num. 2. et Cordubensis quaest. 12. de indulgent. proposit.8.Quamvis autem neminem legerim, qui expresse doceat concilium generale non posse id facere: tamen videntur hoc sentire omnes alii auctores, qui scribunt ad solum pontificem summum spectare potestatem concedendi plenarias indulgentias, et de concilio generali nihil dicunt. Et sane verissima mihi esse videtur posterior haec sententia; Nam nullum hujus rei exemplum habemus, nisi concilii basilcensis sess. 24. quod concilium eo tempore schismaticum erat, neque ejus decreta, et multo minus exempla certam fidem faciunt. Concilium autem constantiense sess. 17. prope fin. indulgentias concedit non plenarias, sed solum centum, vel quadraginta dierum; quod recte poterat facere, cum in eo concilio essent multi non solum episcopi et archiepiscopi, sed etiam cardinales. Praeterea primus, qui docuit a concilio generali concedi posse plenarias indulgentias, et quem Felinus aliique sequuti sunt, Panormitanus fuit in serm.habito in synodo basilcensi,ut Felinus refert. Quid autem mirum si Panormitanus hoc docuit in

eo loco,ubi concilium supra papam esse clamabant omnes? Postremo concilium generale,secluso papa non habet papalem auctoritatem, nec formaliter, nec eminenter, nec ullo alio modo, ut rectissime Cajetanus docet et probat tract. 1. de auctorit. papae et concilii cap. 11. et 12. et tract. 2. cap. 6.et nos etiam docuimus, et probavimus in lib. 2. de conciliis cap. 16. Non igitur potest concilium, secluso papa, ea facere, quae proprie ad summum pontificem pertinent, sed ea solum, ad quae se extendit episcopalis auctoritas. Constat autem non posse episcopos, etiam multos simul conjunctos indulgentiam dare, nisi unius anni, vel quadraginta dierum, ut expresse habetur cap. *Cum ex eo*, de poenit. et remiss. et cap. *Indulgentiae*, eodem in 6.

Altera dubitatio est de jure,quo episcopi possunt indulgentias elargiri. Aliqui enim existimant, episcopos jure divino id posse, alii negant. Sed haec quaestio ex alia pendet, utrum jurisdictionem episcopi accipiant a Deo immediate,an vero per summum pontificem. Quam quaestionem nos explicuimus in lib. 4. de summo pontifice, cap.23. et duobus sequentibus,neque est cur hoc loco eadem repetamus. Igitur juxta ea, quae loco notato diximus existimamus episcopos a summo pontifice jurisdictionem omnem, ac per hoc potestatem indulgentias conferendi accipere. Cujus rei argumentum est etiam,quod videamus a summo pontifice restrictam et limitatam episcopis hanc potestatem fuisse; neque dubium est, quin ab eodem penitus tolli, vel etiam augeri et extendi possit. Quod si adeo immediate illam haberent, posset quidem summus pontifex interdicere illis usum ejus potestatis, tamen si obstinate ea uti vellent,non posset summus pontifex impedire, quominus ratum esset, quod illi fecissent.Quemadmodum cum pontifex alicui episcopo interdicit,ne utatur facultate,quam habet a Deo, conferendi sacramentum Confirmationis velOrdinis, peccat quidem episcopus non obtemperans pontifici maximo, tamen collatio illa sacramenti Confirmationis vel Ordinis rata est: neque videtur posse reddi ulla ratio, cur possit summus pontifex efficere, ut indulgentia ab episcopo concessa non sit rata, et non possit idem efficere de collatione sacramenti Confirmationis,vel Ordinis,nisi quia priorem potestatem habent episcopi a pontifice, posteriorem a Deo.

Tertia quaestio est de abbatibus, parochis, aliisque sacerdotibus, an possint indulgentias tribuere; Nam abbates jurisdictionem habent in suos monachos, non secus ac episcopi in populum. Solent etiam tum abbates, tum alii ordinum religiosorum praepositi communicare cum aliis merita et satisfactiones suorum ordinum: quod nihil esse videtur aliud, nisi indulgentias quasdam tribuere.Denique Angelus in summa, verbo,*Indulgentia*, num. 5. et Bartholomaeus Fumus in summa, verbo,*Indulgentia*, num. 2. docent, omnes parochos, aliosque sacerdotes, qui jus habent confessiones audiendi, posse in ipso sacramento confessionis indulgentias concedere, remittendo id quod superest expiandum, quando minor poenitentia injungitur, quam ut sufficiat ad totam poenam peccatis debitam exhaurlendam, et adducunt pro hac sententia Innocentium in comment. cap. *Cum ex eo*, de poenit. et remiss. Panormitanum in cap. *Sicut dignum*,de homic. volunt, et alios juris canonici interpretes. At sententia communis contrarium docet,nullos omnino sacerdotes episcopis inferiores posse jure communi tribuere indulgentias,sed solum ex commissione pontificis maximi, vel episcoporum. Nam extat expressus textus juris, cap. *Accedentibus*,de excess. praelatorum, ubi, habetur, non licere abbatibus, neque aliis quibuscumque inferioris ordinis, quam episcopalis, indulgentias concedere.

Praeterea s. Thomas in 4. dist. 20. quaest. 1. art. 4. quaestiuncula 1. pulchre docet, nullos esse absolute praelatos, nisi episcopos, ipsi enim sunt rectores integri populi, et quasi reges in parvo regno, atque ita praesunt hominibus omnium ordinum, aetatum, sexuum, conditionum; abbates autem sunt quasi patres unius familiae ac domus, et praesunt solis monachis. Parochi quoque non praesunt, nisi uni paroeciae quasi uni familiae:potestas autem dispensandi thesaurum Ecclesiae non convenit nisi veris praelatis,qui sunt principes populi Dei. Quare tum ipsi abbates, tum parochi, aliique omnes sive clerici, sive laici, sive regulares, sive saeculares aliquo modo subjiciuntur episcopo, et ideo participes fieri possunt indulgentiae ab episcopo in commune propositae, ut docet Paludanus in 4. dist. 20. quaest. 4. art. 3. concl. 1. sicut etiam tenentur, licet alias regulares ut plurimum sint exempti, dies festos ab episcopo toti civitati indictos observare. Verum tamen est, quod si opus injunctum ab episcopo pro indulgentia consequenda, non possit impleri a regularibus absque praepositi facultate, tenentur eam facultatem a praeposito petere, si velint indulgentiae participes fieri; non enim debet regularis observantia propter assequendas indulgentias violari,vel relaxari, ut monet s. Thomas in 4. dist. 20. quaest. 1.art.5.quaestiuncula 2.Neque his repugnat communicatio illa meritorum, vel satisfactionum,quas praepositi ordinum religiosorum bene merentibus de ipso ordine concedere solent. Illa enim communicatio non est indulgentia, ut perspicuum est, tum quia non absolvit a poenitentia injuncta a sacerdote in sacramento poenitentiae, tum quia non communicat merita, vel satisfactiones jam praeteritas, cum illae si superfluae fuerunt, in thesauro reconditae sint, sed solum futuras post illam communicationem: tum quia ista communicatio magna ex parte prodest per modum impetrationis, quod non convenit indulgentiis. Orant enim religiosi assidue pro sua congregatione,pro amicis et benefactoribus, et pro aliis, vel personis, vel necessitatibus ad intentionem praepositorum. Neque Innocentius, aut Panormitanus ab Angelo, et Bartholomaeo allegati loquuntur de indulgentiis, sed solum dicunt, posse parochum et alios confessarios injungere poenitentiam minorem, quam canones praescribant, si eis videatur ita esse faciendum justis de caussis. Sed hoc non est dare indulgentiam, quia quod minus illi injungunt, expiandum erit, vel in hac vita per opera poenalia sponte assumpta, vel in purgatorio. Vide Sylvestrum verbo *Indulgentia* n. 12.

Cordubensem de indulgent. quaest. 12. et Navarrum de jubilaeo Notab. 31. num. 9.

CAPUT XII.

An requiratur caussa justa, ut indulgentia sit rata.

Disseruimus de auctoritate, nunc de caussa disserendum est. Nam haec duo requiri diximus, ut indulgentia rite concedatur. Ac ut sejungamus certa ab incertis. Convenit primo inter omnes scriptores, sine justa caussa ratam esse indulgentiae concessionem, quo ad ea, quae pendent ex solo jure ecclesiastico, qualia sunt privilegia eligendi confessarium, qui possit etiam a reservatis peccatis absolvere, et alia id genus. Docet Navarrus de jubilaeo, Notab. 15. num. 12. et Dominicus a Soto in 4. dist. 21. quaest. 2. art. 2. concl. 2. et ratio est, quoniam cum summus pontifex dispensat in jure ecclesiastico, dispensatio est rata, etiamsi non adsit caussa justa. Satis enim est, si constet, eum voluisse dispensare, cum id totum ab ejus arbitrio et voluntate dependeat.

Secundo convenit inter omnes, sine justa caussa, indulgentiam non esse ratam, quod attinet ad expiandum reatum poenae coram Deo, vel in hac vita, vel in alia. Docent s. Thomas, s. Bonaventura, Durandus, Gabriel, et alii, in 4. dist. 20. et recentiores omnes. Ratio vero est, quoniam haec poena expianda est jure divino, non potest autem summus pontifex sine justa caussa dispensare in iis, quae aliquo modo pertinent ad jus divinum, quoniam minister Dei est, non dominus. Id quod etiam videmus accidere in dispensatione juramenti et voti; relaxat enim obligationem nomine Dei, quando caussam habet ejusmodi, ut credibile sit id placiturum Domino. Quod si pro arbitrio, sine ulla justa caussa dispenset, Deus non habet ratam dispensationem. Praeterea summus pontifex non solum non est supra jus divinum, ut possit illud pro arbitrio tollere, sed neque est dominus, sed dispensator thesauri spiritualis, dispensator autem fidelis, et prudens esse debet, alioqui non dispensator, sed dissipator dicendus erit. Quare Clemens VI. in extravaganti, *Unigenitus*, cum scribit, summum pontificem posse thesaurum spiritualem dispensare, addit, justis ex caussis, et post finem concilii constantiensis in constitutione Martini V. interrogari jubentur suspecti de fide, an credant, summum pontificem indulgentiam justis de caussis posse concedere; et semper in literis indulgentiarum exprimitur caussa, cur indulgentiae concedantur. Denique cur dicuntur in concilio lateranensi generali sub Innocentio III. indulgentiae quaedam non solum indiscretae sed etiam superfluae, nisi quia otiosae, inanes et irritae sunt? de quibus recte dici potest illud s. Cypriani serm. de lapsis, Irrita pax, perniciosa dantibus, et nihil accipientibus profutura.

Tertio convenit inter omnes, ad justam caussam non requiri, ut opus injunctum sit in se ita satisfactorium, ut plene compenset debitum poenae, quod remittitur per indulgentiam; tunc enim indulgentia non esset remissio, sed commutatio, vel redemptio. Quaestio igitur in eo solum versatur, an ad justam caussam requiratur proportio aliqua operis injuncti cum indulgentia, ita ut pro majori indulgentia major caussa requiratur, an vero possit pro opere minimo dari indulgentia maxima. De qua re duae sunt opiniones; prior est eorum, qui docent, non requiri proportionem ullam, sed satis esse, si caussa sit pia, idest, modo non concedatur indulgentia pro opere malo, vel pro opere mere temporali, aut pro opere vano, et nihil ad divinam gloriam pertinente, sed pro quocumque opere, quod ad honorem Dei, vel Ecclesiae utilitatem cedat, indulgentia rata erit. Ita docuit s. Thomas in 4. dist. 20. quest. 1. art. 3. quaestiuncula 2. Durandus et Paludanus in eadem distinct. 20. quaest. 4. s. Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 3. § 1. Joannes de Turecremata in comment. dist. 1. de poenit. can. *Quis aliquando*, § Item in Levitico, quaest. 4. Glossa in extravagantem Bonifacii VIII. *Antiquorum*. de poenit. et remiss. Sylvester in summa, verbo, *Indulgentia*, num. 19. Joan. Tabiensis, verbo, *Indulg.* num. 10. et noster Gregorius de Valentia in tract. de indulg. cap. 7. Rationes hujus sententiae ducuntur fere omnes ab usu Ecclesiae. Nam videmus pro eadem caussa dari indulgentias aliquando majores, aliquando minores. Item videmus interdum pro caussa levissima dari indulgentias maximas, ut cum datur indulgentia plenaria omnibus, qui ante fores basilicae s. Petri astant, dum summus pontifex in die paschae populo solemniter benedicit. Ad haec si indulgentiae, sine caussa satis magna concessae, non essent ratae, christianus populus a pastoribus suis graviter deciperetur, quod non videtur ullo modo asserendum. Praeterea commune pronunciatum theologorum est, indulgentias valere, quantum sonant: igitur si pro levissima caussa indulgentia maxime in literis pontificiis dari significetur, indulgentia illa rata esse debebit. Denique indulgentiae non nituntur ista caussa operis injuncti, quamvis haec etiam adesse debeat, sed thesauro infinito meritorum Christi et sanctorum, quae est caussa sufficiens, immo superans, et transcendens omnem indulgentiae condonationem.

Posterior sententia est aliorum, qui contendunt ad justam caussam requiri aliquid non solum pium et utile, sed etiam quod proportionem habeat cum indulgentia; ita ut non sit ratum, si detur pro caussa levissima indulgentia maxima. Ita docent ex veteribus scholasticis s. Bonaventura in 4. distinct. 20. par. 2. quaest. ult. Richardus in eadem dist. 20. quaest. ult. Augustinus de Ancona in summa de potestate Ecclesiae quaest. 30. art. 4. et 5. et Joan. Gerson in tract. de absolutione sacramentali. Gabriel in supplemento 4. dist. 45. quaest. 3. art. 1. et in canonem missae lect. 57. Ex auctoribus nostri saeculi idem docuit Adrianus papa in 4. in tract. de indulg. cardin. Cajetanus in tract. de caussa indulgentiae, et in alio tractatu ad Julium Medicem cap. 8. Joan. Major in 4. dist. 20. quaest. 2. Martinus Ledesmius par. 2. 4. sent. quaest. 27. art. 2. Dominicus a Soto in 4. dist. 21. q. 2. art. 2. Petrus a Soto lect. 2. de indulg. Navarrus de jubilaeo Notab. 5. num. 3. et 4. Cordubensis quaest. 20. de indulg. His addi possunt Innocentius in cap. *Quod autem*,

de poenit. et remiss. et Felinus in serm. de indulgentiis. Hujus posterioris sententiae rationes hae sunt. Prima, quoniam videntur abuti vocabulis, qui dicunt,requiri justam caussam ad concessionem indulgentiarum, et tamen volunt pro opere quocumque etiam levissimo concedi posse indulgentiam maximam.Quomodo enim justa caussa dici potest, quae nullam habet proportionem cum effectu? Secunda, quoniam non solum infidelis dispensator dicitur, qui nulla de caussa donat bona domini sui, sed etiam qui pro re minima profudit ac prodegit thesauros pretiosos ejusdem domini sui. Tertia, quoniam si pro quacumque pia caussa concessae indulgentiae, ratae essent, nullae dici possent superfluae vel indiscretae, cum semper sit in promptu aliqua pia caussa,quae allegari possit. Quarta, quoniam non est dissimilis indulgentiae, largitio dispensationi votorum. In votis autem conveniunt omnes, non posse dispensari nisi pro maxima caussa, quae magis placeat Deo, quam ipsa impletio voti. Quinta, quoniam si esset vera sententia,posset summus pontifex in momento liberare omnes animas purgatorii:quia posset dici non deesse caussam piam, cum ad gloriam Dei pertineat, ut tot animae citissime volent ad coelum, ubi perpetuo Deum laudabunt. Possunt fortasse conciliari hae sententiae aliquo modo: sed absolute posterior, ut est communior, ita etiam verior mihi esse videtur. Sed ut magis res explicetur, observandum est primum, ad caussam justam ut plurimum duo requiri,primo finem aliquem pium, ac Deo gratum,cujus assequutio magis placeat Deo, quam poenitentialis satisfactio, quae per indulgentiam relaxatur. Is enim fidelis et prudens est dispensator coelestis thesauri, qui fideliter agit caussam domini sui,et juxta voluntatem operatur. Secundo opus aliquod, per quod revera finis ille probabiliter obtineri possit.Nam si finis quidem valde placeat Deo, sed per opus injunctum nullo modo valeat obtineri, non videtur justa caussa dandae indulgentiae. Ut exempli gratia, si detur indulgentia plenaria iis, qui semel recitant orationem dominicam pro conversione haereticorum caussa non videbitur justa; quoniam tametsi conversio haereticorum res est maxima, et Deo gratior, quam poenitentialis satisfactio multorum fidelium,tamen non est probabile convertendos haereticos per eam solam, brevissimamque orationem. Quomodo etiam si detur indulgentia iis, qui nummum unum exponent pro recuperanda Hierosolyma, non videbitur justa caussa tantae indulgentiae,quia opus illud non est ejusmodi, ut per ipsum Hierosolyma recuperari possit. Observandum est secundum,non requiri ad proportionem caussae cum indulgentia, ut opus injunctum sit in se valde meritorium, vel satisfactorium, vel difficile et laboriosum, quamvis haec etiam spectari debeant, sed requiri, ut sit medium aptum, atque utile ad consequendum finem, cujus gratia conceditur indulgentia. Itaque fieri potest, ut per opus in se satis leve et facile magna indulgentia acquiri possit; quoniam opus illud leve, ac facile est medium ad finem Deo gratissimum assequendum. Talis est exempli gratia, assistentia illa prae foribus basilicae s. Petri Romae, dum summus pontifex solemni caeremonia populo benedicit. Illam enim assistentiam prior opinio rem levissimam et caussam minimam appellabat.talis enim est si per se absolute consideretur. At eandem assistentiam posterior opinio magnam caussam et justam esse diceret,quoniam frequentia illa populi eo tempore medium est aptum, et utile ad protestationem fidei de capite Ecclesiae, atque ad honorem sedis apostolicae, qui est finis illius indulgentiae. Observandum est tertio, non eodem modo judicandum esse de caussa indulgentiae,cum datur uni alicui particulari, et cum datur in commune multis. Nam cum datur uni particulari, oportet ut opus injunctum illi soli, sit proportionatum fini, cujus gratia datur indulgentia: at cum datur in commune multis, non est necesse, ut opus singulorum, sed tantum ut opus omnium simul sit proportionatum fini. Atque hinc accidere potest, ut indulgentia maxima sit justissima, etiamsi opus injunctum singulis videatur leve.Exempli caussa, si necesse sit aedificari basilicam vel xenodochium, et detur indulgentia septem vel decem annorum, vel etiam plenaria conferentibus certam auri summam; si respiciatur opus singulorum, non videbitur caussa justa,sed tamen si tota summa ab omnibus collata consideretur,jam erit justa caussa, quia poterit iis sumptibus aedificari basilica vel xenodochium, quae aedificatio erit gratior Deo, et utilior Ecclesiae, quam poenitentialis satisfactio, quae per indulgentiam relaxatur. Observandum est quarto, supra dictum esse, plerumque in caussa justa duo contineri, finem et media ad finem: quoniam aliquando solus finis satis esse videtur, sine ullis mediis, idest, sine aliquo opere injuncto, quando videlicet finis non pendet ab aliquo opere, et per se sufficit ad indulgentiam justam efficiendam. Sic olim ad petitionem martyrum (ut supra ex Tertulliano et Cypriano probavimus) dabantur indulgentiae sine aliquo opere injuncto, quia judicabat Ecclesia satis magnam caussam esse,petitionum martyrum, ut videlicet homines ad martyrium accenderentur,cum viderent tanti fieri martyrum preces. Vocantur autem in his locis martyres, qui in carceribus inclusi, et jam aliquid passim fuerant ob confessionem fidei, et consummationem martyrii expectabant. Quomodo etiam in articulo mortis hominibus bene meritis de Ecclesia dantur aliquando indulgentiae,neque opus ullum injungitur, quia videtur caussa esse satis justa ipsa necessitas extrema conjuncta cum praecedentibus meritis. Ita legitur Gregorius VII. indulgentias sine ullo injuncto opere dedisse, lib.1.epist. 34.lib.2.epist.61. et lib. 6. epist. 15. Itaque sine opere injuncto concedi potest aliquando indulgentia, sine caussa vero, eaque justa et rationabili numquam potest. Observandum est ultimo, justam quidem semper caussam requiri, sed non esse subditorum judicare, utrum caussa sit justa, vel injusta:debent enim simpliciter existimare justam esse. Nihilominus tamen sicut probandum non est, quod aliqui pro zelo,sed nimio fortasse de indulgentiis quibusdam, levibus de caussis concessis obloquuntur, quod faciunt Joan. Gerson in tract.de absolutione sacramentali, Dominicus a Soto in 4. dist. 21. quaest. 2. art. 2. conclus. 5. et Andreas Vega in concilium tridenti-

num lib. 13. cap. ultimo; Sic laudandus merito est Clemens VIII. pontifex maximus, qui nunc sedet, quod decretum concilii lateranensis sub Innocentio III. de moderandis indiscretis indulgentiis et decretum concilii tridentini sess. 25. de revocandis indulgentiis adveterem, et probatam Ecclesiae consuetudinem, exequutioni mandare studet. Veteres enim parcissimos fuisse in indulgentiis conferendis notissimum est. Siquidem Sergius II. (ut citavimus cap. 3.) trium tantum annorum indulgentiam dedit; et Paschalis II. quadraginta solum dierum. Testatur quoque Innocentius III. capite, *Cum ex eo*, de poenitent. et remiss. apostolicam sedem solitam esse ordinarie non extendere indulgentias ultra condonationem poenitentiae unius anni, vel quadraginta dierum; et juxta hoc Innocentii dictum, Nicolaus IV. in indulgentiis variis, quas concessit ecclesiae sanctae Praxedis, quae leguntur in introitu cappellae s. Zenonis, numquam excedit annum unum, vel dies quadraginta. Denique s. Thomas in 4. dist. 20. quaest. 1. art. 3. quaestiuncula 2. ad 4. scribit, venientibus ad limina apostolorum ex regionibus ultramarinis dari indulgentiam quinque annorum; ex regionibus ultramontanis, trium annorum, ex aliis locis vicinioribus, unius anni dumtaxat.

Ex his ad argumenta pro priore opinione facile responderi potest. Ad illud, quod propter eandem caussam dentur indulgentiae modo majores, modo minores, responderi potest, id posse accidere duplici de caussa: aliquando enim datur indulgentia minor, quam pro magnitudine caussae dari posset, et hoc modo datur pro eadem caussa modo major, modo minor indulgentia, et numquam superat indulgentiae magnitudo magnitudinem caussae. Potest etiam fieri, ut idem opus bonorum sit uno tempore magis proportionatum fini, cujus gratia datur indulgentia, et magis utile, vel necessarium, quam alio tempore, ut vigente magna necessitate eadem eleemosyna plus conferet ad subsidium pauperum, quam si ea charitas annonae non vigeret: et imminente gravissimo periculo eadem oratio cum eodem jejunio, et eleemosyna magis necessaria erit ad placandum Deum, quam si illud periculum non immineret. Ex quo sequitur, ut idem sit opus bonum secundum se, sed ex accidente diversum, et caussa re vera non sit eadem. et ideo non sit mirum, si dentur variae indulgentiae pro illo opere, quod uno tempore majorem caussam, alio tempore minorem offert.

Ad aliud, quod pro caussa levissima dentur indulgentiae maximae, jam supra responsum est, id fieri, quoniam caussa, quae est in se levissima, si attendatur labor, aut sumptus, aut aliquid ejusmodi, saepe maxima est, si consideretur proportio ad finem, ad quem obtinendum indulgentiae proponuntur.

Ad tertium illud de populi deceptione respondemus, ut plurimum nullum esse deceptionis periculum, quoniam non existimamus, indulgentias a sede apostolica sine justa caussa dari; tamen sicut potest fieri, ut aliquando indulgentia non sortiatur effectum ob defectum ejus, qui illam suscipit, vel ob defectum auctoritatis in eo, qui illam concedit, ita non debet videri absurdum, si aliquando idem accidat ob defectum caussae, et christianus populus non ignorat ad fidem pertinere, quod sit in Ecclesia potestas indulgentias concedendi, non autem quod in particulari non possit fieri, ut indulgentia vel non sit rata, vel non prosit, et ideo sic accipiunt prudentes christiani pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos poenitentiae fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere.

Ad quartum de illo communi pronuntiato, indulgentiae tantum valent, quantum sonant, respondemus, pronuntiatum illud verissimum esse, sed intelligi de indulgentia, cui non desunt necessariae conditiones, auctoritas in concedente, charitas in suscipiente, et justitia ac pietas in caussa. Fuit autem celebris apud veteres scholasticos quaestio illa an indulgentiae tantum valeant, quantum sonant, vel quantum ab Ecclesia praedicantur, propter nonnullos errores, qui tunc vigebant, cum alii dicerent, indulgentias non valere nisi pro mensura devotionis, alii tantum valere quantum opus injunctum ex se ad satisfaciendum prodest, alii tantum valere coram Ecclesia, non coram Deo. Qui errores a s. Thoma, aliisque veteribus confutati, extincti jam sunt.

Ad postremum de thesauro meritorum Christi, et sanctorum, qui dicitur esse vera caussa indulgentiarum, respondemus: thesaurum meritorum Christi, et sanctorum esse veram caussam, cur indulgentiae concedi possint: sed praeter istam caussam requiri aliam, quae moveat ad dispensandum thesaurum hoc tempore potius quam alio, et nunc magis nunc minus liberaliter; non enim debent pontifices relaxare poenitentialem satisfactionem, neque recurrere ad thesaurum, nisi quando judicant id esse necessarium, vel utile ad gloriam Dei, et animarum salutem.

CAPUT XIII.

De dispositione suscipientis indulgentias.

In eo, qui cupit re vera fructum ex indulgentiis capere, duo requiri diximus, ut sit in statu gratiae, et ut perficiat quod pro indulgentia fuerit injunctum. Et quidem exigi statum gratiae docent communiter theologi in 4. dist. 20. et ratio est apertissima, quoniam indulgentia cum remittat reatum poenae temporalis relictum post remissionem culpae, sine dubio requirit, ut culpa sit jam remissa, ac per hoc translatus sit homo per infusionem gratiae et charitatis de statu peccati in statum filiorum Dei. Praeterea nulla ratio patitur, ut poena remittatur ei, qui adhuc haeret in culpa; vel debitum illi condonetur nomine Dei, qui adhuc est aversus a Deo, et hostis, ac inimicus. Denique nomen ipsum indulgentiae, ut initio diximus, sonat paternam facilitatem in filios, quae non debet esse communis cum servis, maxime fugitivis, quales sunt omnes, qui Deo deserto diabolum sequuntur. Pari ratione exigi, ut opus injunctum perficiatur, convenit inter omnes ut patet ex s. Thoma in 4. dist. 20. quaest. 1. art. 3. quaestiuncula 3. et ex aliis. Sed his positis tamquam certis et exploratis multae supersunt quaestiones. Prima est, an requiratur

status gratiae solum eo tempore quo percipitur indulgentia; an etiam cum perficiuntur opera injuncta, vel etiam cum primum indulgentiae pronuntiantur, aut earum literae recipiuntur. Nam Cajetanus tract. 10. quaest. 2. et tract. 15. cap. 9. Petrus de Soto lect. 3. de indulg. et alii contendunt non requiri statum gratiae, cum indulgentiae publicantur, vel literae indulgentiarum recipiuntur, nisi forte idem sit tempus publicationis et perceptionis: ut cum in sacello pontificio dantur indulgentiae omnibus, qui divinis officiis in eo loco interfuerunt, tamen requiri statum gratiae non solum, cum indulgentia percipitur, sed etiam cum perficitur opus injunctum. Ratio hujus sententiae est, tum quia in ipsis literis pontificiis, ut plurimum exprimitur, indulgentias concedi iis, qui vere poenitentes Ecclesiam visitaverint, aut tale, vel tale opus fecerint; tum etiam quia indulgentia non acquiritur, nisi per opera viva vere meritoria, et satisfactoria, qualia non sunt, nisi ea, quae fiunt in statu gratiae.

Alii tamen gravissimi auctores, ut Petrus Paludanus in 4. distinct. 20. quaest. 4. artic. 3. concl. 1. s. Antoninus 1. part. tit. 10. cap. 3. § 5. in fine, et Antonius Cordubensis, quaest. 24. de indulgent. et alii contra sentiunt. Non requiri statum gratiae, nisi cum ipsa indulgentia percipienda est. Ratio posterioris hujus sententiae est, quia indulgentia non nititur nostra satisfactione, sed Christi, et ideo non videtur necessarium, ut opus injunctum sit opus vivum et satisfactorium. Deinde quia Bonifacius VIII. in extravaganti, *Antiquorum*, dicit, se concedere indulgentiam iis, qui visitabunt ecclesias poenitentes et confessi, vel qui poenitebunt et confitebuntur. Ex his sententiis prior sine dubio tutior est, ut s. Antoninus etiam notavit. Est etiam certa, quando opus injunctum in literis pontificiis expresse jubetur perfici in statu gratiae, ut cum in extravaganti, *Unigenitus*, de poenit. et remiss. Item in constitutionibus de indictione jubilaei Clementis VII. Julii III. et Gregorii XIII. expresse habetur, ut qui indulgentiam consequi volunt, vere poenitentes et confessi visitent ecclesias, orent etc. Denique verior mihi esse videtur, etiamsi in literis pontificiis id non exprimatur, quando opus injunctum tale est, ut non conferat ad finem, nisi fiat in statu gratiae: ut si finis indulgentiae sit placare Deum christiano populo, et ideo injungantur preces, jejunia, eleemosynae, visitationes ecclesiarum et similia. Cum Deus non placetur per opera mortua, necessarium esse videtur, ut opera illa fiant in statu gratiae, alioqui nihil conferunt ad finem, et proinde non est intentio concedentis, ut indulgentiam lucrentur, qui in statu peccati illa opera faciunt. At posterior opinio vera esse videtur, quando opus injunctum utile est ad finem, pro quo datur indulgentia, etiamsi non fiat in statu gratiae. Ut exempli gratia, si finis indulgentiae sit aedificatio basilicae, vel subventio pauperum, aut recuperatio Hierosolymae, et propter ista dentur indulgentiae contribuentibus pecunias, vel arma; quia non minus ad finem conducunt pecuniae illae, vel arma, si dentur ab homine peccatore, quam a justo; probabile est, prodesse illa opera, etiamsi facta sint in statu peccati, modo is, qui ea fecit sit in statu gratiae, quando reipsa percipit indulgentiam.

Altera quaestio est, utrum non solum requiratur status gratiae ad indulgentiam obtinendam, sed etiam carentia omnis culpae venialis. Sed facilis responsio est, si distinctione utamur. Nam vel quaestio est de tempore, quo perficiuntur opera injuncta, vel de tempore, quo percipitur fructus indulgentiae. Si de priore tempore quaestio sit, rursus alia distinctione opus est, nam vel peccatum veniale vitiat opus bonum injunctum, ut si quis oret, vel jejunet ex vana gloria: vel non vitiat, sed per accidens ei conjungitur, ut si quis dum eleemosynam facit, vel Ecclesiam visitat, loquatur verbum aliquod otiosum. Quod si bonum opus non vitietur, certum est non impediri fructum indulgentiae, si vero bonum opus vitietur, ita ut ipsum efficiatur veniale peccatum, tum sine dubio impeditur fructus indulgentiae, si opus illud erat faciendum ad placandum Deum, vel satisfaciendum pro peccato: non enim per peccatum veniale placatur Deus, neque satisfit Deo. Et haec est sententia Adriani in 4. tract. de indulg. conclus. 4. et Petri de Soto lect. 3. de indulg. quod si opus faciendum non erat ad placandum Deum, neque ad satisfaciendum, sed solum ad subventionem pauperum, vel alium finem, qui potest obtineri, etiamsi opus non fiat in statu gratiae, tunc non impeditur fructus indulgentiae, quamvis opus peccato veniali fuerit vitiatum.

At si de posteriore tempore quaestio sit, respondendum erit, non impediri fructum indulgentiae, si quis eo tempore habeat, vel committat veniale peccatum, nisi quoad remissionem poenae debitae propter illam culpam venialem: non enim dimittitur poena, nisi prius dimissa fuerit culpa. Nulla autem ratio est, cur non possit percipi fructus indulgentiae quoad remissionem poenae debitae propter alias culpas sive lethales, sive veniales jam remissas, etiamsi culpa aliqua venialis adhuc haereat in anima. Nam peccatum veniale non impedit statum gratiae, qui requiritur ad hoc ut homo sit capax indulgentiae.

Tertia quaestio est de confessione, quae ut plurimum requiritur, ut pars operis injuncti, an exigatur semper in re, an vero sufficiat in proposito. Responsio facilis est. Nam quando in forma indulgentiae diserte ponitur, ut qui eam lucrari capiunt, confiteantur peccata sua intra tot dies, tunc sine dubio exigitur confessio in re, quoniam ponitur in forma indulgentiae, ut conditio quaedam, sive ut pars operis injuncti, et non solum ad hoc, ut homo transferatur de statu peccati ad statum gratiae. Quando autem in forma indulgentiae non injungitur expresse opus confessionis, sed simpliciter dicitur concedit indulgentiam vere poenitentibus et confessis: tunc non videtur requiri confessio, ut pars operis injuncti, sed solum ut homo sit in statu gratiae, et ideo si quis non habeat peccata lethalia, non necessario confiteri tenebitur, et si habeat peccata lethalia, probabile est, sufficere illi contritionem cum proposito confitendi: nam per haec adipiscetur statum gratiae. Ita docent Paludanus in 4. dist. 20. quaest. 4. art. 2. Sylvester verbo indu-

gentia num. 20. Panormitanus in cap. Omnis utriusque, de poenit. et remiss. Felinus in serm.de indulgentiis num. 12. et alii. Tamen tutius et probabilius videtur requiri confessionem in re, et non solum in voto, quotiescumque dicitur,indulgentiam concedi poenitentibus et confessis,ut docent s.Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 3. Adrianus in 4. sentent. tract. de indulgent. Cajetanus tract. 15. de Indulgent. cap. 10. Navarrus de jubilaeo Notab.18. numero 1.et glossa in extravagantem,*Antiquorum*, de poenit. et remiss.

Quarta quaestio est, an percipiat indulgentiam, qui non perficit omnia opera injuncta, sed aliqua tantum, ob inopiam, vel morbum, vel alia justa caussa impeditus. Responsio communis,est s.Thomae, Durandi et aliorum in 4.dist. 20. non percipi indulgentiam, nisi ab iis, qui integre omnia opera injuncta perficiunt, concessio enim conditionata non valet, nisi conditio impleatur: Atque in hanc quoque sententiam allegari solet dictum illud commune; indulgentiae tantum valent, quantum sonant; Nam summi pontifices, quando volunt percipi indulgentiam ab iis, qui legitime impediti non perficiunt omnia opera injuncta, addere solent, ut confessarii commutent opera injuncta in alia pia opera, vel disertis verbis explicant, obtineri indulgentiam ab iis, qui inchoarunt opera injuncta, et perficere non potuerunt, ut habetur in extravaganti, *Unigenitus*, et in aliis similibus, in quibus annus jubilaei publicatur.

Quinta quaestio est: An requiratur alia dispositio in suscipiente indulgentias, praeter statum gratiae et adimpletionem operum injunctorum. Nam cardin. Cajetanus in tract. 10. qui est de suscipientibus indulgentias quaest. 1. docet requiri tertiam conditionem, ut videlicet qui vult consequi indulgentias, habeat propositum satisfaciendi Deo propriis laboribus quo ad poterit: iis autem, qui nolunt pro se ipsis satisfacere, cum possint, negat prodesse indulgentias. Ex quo etiam colligit, paucos admodum re vera frui pontificiis indulgentiis ex tanto numero adeuntium Ecclesias temporibus stationum, aliarumque similium indulgentiarum. Quae sententia utilis est et pia, sed fortasse non vera; praesertim cum sit contraria communi aliorum doctrinae, ut ipse etiam Cajetanus fatetur: nec enim legi ullum auctorem. qui Cajetanum sequatur praeter Bartholomaeum Fumum in summa,quae Armilla dicitur; verbo *Indulgent.* num. 13. Nec video quemadmodum summi pontifices non deciperent populos, si indulgentias cum ea conditione proponere vellent, quam numquam explicarent. Neque argumenta Cajetani talia sunt, ut solvi non possint. Ille enim sic ratiocinatur; Qui non vult satisfacere Deo per se, cum possit, indignus est, cui applicetur aliena satisfactio: At non intendit Ecclesia conferre hoc beneficium indulgentiae in indignos, igitur non prosunt indulgentiae iis, qui nolunt per se satisfacere, cum possint. Propositionem argumenti probat Cajetanus his rationibus; primo quia non decet ab amico petere, ut pro te satisfaciat, cum ipse possis per te satisfacere. Secundo quia in republica bene instituta non sunt dispensanda bona communia pro liberandis illis civibus aere alieno, qui per se suum aes alienum dissolvere possunt. Tertia quia in forma indulgentiae addi solet, vere poenitentibus indulgentias tribui: non sunt autem vere poenitentes, qui recusant facere fructus dignos poenitentiae. Quarto quia dantur indulgentiae de injunctis poenitentiis a sacerdote:vel igitur qui injunctam poenitentiam accepit, id fecit animo eam perficiendi, et sic habemus quod volumus, vel animo fallendi; et indignissimus est, qui ex fallacia sua lucrum reportet. Respondemus: Cum qui non vult per se satisfacere cum possit; non esse indignum, sed tantum non dignum, cui aliena satisfactio applicetur. Ecclesia autem non intendit conferre hoc beneficium in indignos: sed bene potest velle conferre in non dignos, quoniam indulgentia ex misericordia et liberalitate datur, non ex justitia et meritis. Ad primam rationem respondemus: Non fieri injuriam amico, quia non petitur ejus satisfactio ex justitia, sed ex gratia, et petitur satisfactio, quae non est ei necessaria, sed omnino supervacanea. Ad secundum respondeo:Dispensatorem bonorum communium in republica instituta, non dissolvere sine caussa aes alienum eorum civium, qui solvendo sunt per se: tamen posse dari caussam, cur utile sit republicae, ex communi aerario solvere debita eorum, qui per se illa solvere potuissent. Ad tertiam respondeo:Vere poenitentes dici eos, qui contritionem habent cum proposito satisfaciendi, nisi aliunde pro eis satisfiat. Ad quartam respondeo: Plerumque indulgentias dari de non injunctis ut supra probavimus,et eos qui indulgentias quaerunt, velle perficere poenitentiam injunctam, sed nolle alium laborem sponte sumere pro reliqua poena expianda, si possint per indulgentias ab ea liberari. Addo etiam, quod si indulgentiae non darentur nisi de injunctis, possent homines injunctam poenitentiam accipere animo perficiendi, nisi possint alia ratione ab eo reatu liberari.

CAPUT XIV.

De indulgentiis quae accipiuntur pro defunctis.

De indulgentiis, quibus juvantur animae defunctorum sex quaestiones sunt. Prima an prosint. Secunda an per modum absolutionis dari possint. Tertia quid sit dari indulgentias defunctis per modum suffragii. Quarta an ex justitia, an ex misericordia liberentur animae, quibus indulgentiae applicantur. Quinta quid requiratur ut indulgentiae prosint defunctis. Sexta an indulgentiae prosint in particulari certis animabus, an solum omnibus in communi.

Quod ad primam quaestionem attinet, haeretici omnes, tum recentiores, tum antiquiores, qui purgatorium negaverunt, consequenter etiam suffragia, et indulgentias mortuis prodesse negaverunt. Ex catholicis Ostiensis in summa lib.5. tit. de remissionibus num. 9. et Gabr. lect. 57. in canonem missae docuerunt indulgentias defunctis non prodesse: sed Gabriel cito correxit errorem, ut perspicuum est ex additione ad eandem lectionem. Res

autem certissima est, et apud catholicos indubitata, indulgentiis juvari posse animas quae in purgatorio poenas luunt. Id quod primum probari potest ratione deducta ex Scripturis, conciliis et Patribus. Constat enim, animas defunctorum posse juvari suffragiis viventium, idest, eleemosynis, precibus, jejuniis, sacrificiis missarum, aliisque piis operibus, ut copiose ostensum est a nobis in lib. 1. de purgatorio fere toto, et lib. 2. cap. 15. quae non sunt hoc loco repetenda. Et quamvis suffragia defunctis per modum impetrationis prosint, ac praesertim preces et oblatio sacrificii: tamen nulla ratio reddi potest, cur non prosint etiam per modum satisfactionis, ac praecipue jejunia et eleemosynae. Nam haec opera satisfactoria esse, satis a nobis probatum est in quarto libro de poenitentia, et in libris de operibus bonis in particulari et defunctos, quibus haec suffragia a vivis applicantur, satisfactione indigere non dubium est. Constat praeterea illam esse rationem, cur suffragia viventium prodesse possint defunctis quia fideles defuncti ita conjuncti sunt cum fidelibus viventibus ejusdem fidei, et charitas vinculo, ut unam Ecclesiam, et unum corpus efficiant. Neque enim (inquit s. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei c. 9.) piorum animae defunctorum ab Ecclesia separantur, quae est regnum Christi. Ex his duobus fundamentis aperte colligitur posse etiam privatos homines offerre Deo pro defunctis, tamquam membris ejusdem corporis satisfactiones suas, jejunia, eleemosynas, peregrinationes et similia opera laboriosa. Quod si privati homines possunt applicare defunctis, tamquam membris ejusdem corporis, satisfactiones suas, cur non potest summus pontifex applicare eisdem satisfactiones Christi et sanctorum, quae sunt in thesauro spirituali, cujus ipse dispensator est? Praeterea idem probatur ex usu Ecclesiae: constat enim Paschalem summum pontificem ante annos 700. concessisse indulgentiam pro defunctis, quae habetur in ecclesia s. Praxedis in introitu cappellae s. Zenonis, cujus indulgentiae meminit etiam Gabriel loco notato, sed non recte vocat Paschasium V. cum sit re vera Paschalis primus. Multi etiam pontifices alii, ut ibidem refert Gabriel, pro defunctis indulgentias concesserunt. Denique consentiunt theologi, ut sanctus Thomas in 4. dist. 45. quaest. 2. art. 3. quaestiuncula 2. s. Bonaventura in 4. dist. 20. part. 2. quaest. 5. Richardus dist. 20. art. 3. quaest. 3. et alii; necnon canonistae, ut Innocentius in cap. *Quod autem*, de poenitent. et remiss. Felinus in serm. de indulg. et alii. Neque iis repugnat, quod Joan. major in 4. dist. 20. quaest. 2. dicat multos theologos contra sentire. Nam loquitur de indulgentia per modum absolutionis judicialis non de indulgentia absolute.

Altera quaestio difficilior est, de modo quo indulgentiae defunctis prodesse possunt, an videlicet summus pontifex possit animas defunctorum, quae sunt in purgatorio, judicialiter absolvere, ut facit cum hominibus viventibus, dum indulgentias eis concedit. Nam Michaël Medina disput. 7. cap. 34. et disput. 8. cap. 41. de indulgentiis, contendit animas defunctorum, quae sunt in purgatorio, pertinere ad jurisdictionem summi pontificis, et posse ab eo indulgentias percipere per modum absolutionis. Sed contra sentiunt fere omnes alii scriptores, ut s. Bonaventura, Richardus, Gabriel, et Joan. major locis citatis. Qui postremus auctor testatur suo tempore a schola parisiensi fuisse damnatam sententiam contrariam. Item Cajetanus tract. 15. cap. 5. Dominicus a Soto in 4. dist. 21. quaest. 2. art. 1. concl. 3. Petrus de Soto lect. 3. de indulgentiis. Navarrus de jubilaeo Notab. 22. num. 6. Antonius Cordubensis q. 15. de indulg. et alii; et probatur haec sententia posterior, primo, quoniam s. Leo in epist. ad Rusticum Narbonensem episcopum, et habetur apud Gratianum 24. quaest. 2. can. 1. sic ait, De communione privatis, et ita defunctis, eorum caussa judicio Dei reservanda est; et Gelasius papa in epistola ad Faustum, et in altera ad episcopos Dardaniae, ut est apud eundem Gratianum 24. quaest. 2. can. *Legatur;* et can. *Nec quisquam*, disertis verbis docet, homines mortuos, qui sunt in divino judicio constituti, non posse ab Ecclesia judicari; Secundo: Quia non potest Ecclesia mortuorum animas citare, non potest earum caussam cognoscere, non potest eas cogere ad obedientiam, non igitur potest absolvere vel ligare. Tertio: Pontifex non habet auctoritatem nisi in oves quas pascendas suscepit, juxta illud Joan. 21. *Pasce oves meas.* At animae defunctorum non possunt pasci a pontifice, cum non possint ab eo doctrinam, vel sacramenta, vel leges et jura percipere: non igitur sunt ei subjectae, ac proinde non possunt ab eo ligari vel solvi. Quarto, quoniam pontifices ordinarie cum extendunt indulgentias ad mortuos, addunt particulam, per modum suffragii, ut perspicuum est ex constitutionibus Alexandri VI. et Clementis VII. de indictione jubilaei. Refert etiam Gabriel in additione ad lectionem 57. super canonem, se vidisse declarationem Sixti IV. quod indulgentiae prosint defunctis per modum suffragii. Quod (ut mox dicemus) opponitur ei, quod est, per modum absolutionis. At objiciunt aliqui verba Domini, Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, et probant, illud, super terram, non referri ad eos, qui solvuntur, sed ad eum qui solvit, ut sensus sit: *Quodcumque solveris tu super terram degens, erit solutum a me, qui sum in coelis.* Praeterea dicunt: Defunctos qui sunt in purgatorio, adhuc esse viatores, et auxilio egentes, ac proinde videri esse subjectos pontificis jurisdictioni. Denique ostendunt ex can. *Sane*, 24. quaest. 2. saepe ab Ecclesia excommunicari defunctos, et rursus absolvi ab excommunicatione, ex quo sequi videtur ut proprie sint Ecclesiae judicio subditi. Sed facilis est responsio. Nam ad primum dici posset, Gelasium, cujus magna est in Ecclesia auctoritas, exposuisse illud (super terram) ut referatur ad eos, qui solvuntur, non ad eum qui solvit, ut patet ex can. *Legatur*, jam citato. Sed esto, referri possit ad eum, qui solvit, nihil tamen ex eo sequitur: quia debet intelligi de solutione circa eos, qui sunt ei subjecti. Alioqui posset summus pontifex ligare et solvere eos etiam, qui sunt in coelo vel in gehenna, si ita universaliter accipiatur ligandi, vel solvendi potestas. Ad secundum responderi potest, non omnes viatores es-

se proprie subjectos pontifici, sed solum eos, qui sunt oves visibiles hujus ovilis et membra hujus visibilis Ecclesiae. Quod autem defuncti, qui in purgatorio degunt, aliquo modo sint viatores, et egentes auxilio Ecclesiae, et cum ipsa Ecclesia visibili invisibiliter conjuncti per fidem et charitatem, facit, ut possint ab Ecclesia nostra juvari, et indulgentiis frui, non ut subditi per modum absolutionis, sed ut amici absentes per modum suffragii. Ad tertium respondemus, defunctos ab Ecclesia posse excommunicari, et ab excommunicatione absolvi, solum quo ad ea, quae a viventibus fieri debent. Nam cum defunctus excommunicatur, id fit, quia post mortem detegitur ejus pertinacia in haeresi, aut aliquid ejusmodi, et id solum ex illa excommunicatione sequitur, ut pro ipso non fiant suffragia, non sepeliatur in loco sacro, et similia. Et contra, si detegatur aliquis per errorem excommunicatus, et ideo absolvatur, effectus absolutionis erit, ut pro ipso oretur et sacrificetur, ejusque cadaver honorifice sepeliatur. Itaque excommunicatio, vel absolutio defunctorum, est potius declaratio sententiae, quae ferenda fuisset, si meritum eorum non latuisset, quam nova aliqua poena, quae ad animas ipsas pertingat. Quod autem legitur in 2. libro dialogorum s. Gregorii cap. 23. de sanctimonialibus a b. Benedicto excommunicatis, quae de sepulchris exire videbantur, et de Ecclesia recedere, quando inter missarum solemnia diaconus clamabat. Qui non communicant recedant: inter miracula referendum videtur. Voluit enim Deus eo signo demonstrare quanti faciendae sunt admonitiones sanctorum. Nam alioqui s. Benedictus non eas excommunicaverat, sed solum excommunicationem minatus fuerat, ut s. Gregorius ibidem dicit. Praeterea non eas excommunicavit post mortem, sed in vita (si tamen ea excommunicatio dicenda sit). Neque eas proprie per sententiam postea absolvit, sed per intercessionem mittendo oblationem, quae pro eis Domino offerretur. At (inquies) s. Gregorius ibidem, ut ostendat, non esse mirum, si s. Benedictus potuit in carne mortali degens de spiritibus defunctorum judicare, allegavit illud evangelicum, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Respondeo: S. Gregorium argumentum a simili ducere voluisse. Nam quemadmodum divina potestate sibi collata possunt praelati cum sint homines in carne mortali degentes, judicare de rebus spiritualibus, ita potuit s. Benedictus, in carne adhuc mortali degens, extraordinario privilegio sibi collato a Deo, ligatas tenere vel solvere animas earum, quibus dum viverent, excommunicationis sententiam fuerat comminatus. Neque credibile est s. Gregorium s. Leoni repugnare voluisse, qui in epist. ad Rusticum, jam citata, disertis verbis docet, non posse ab Ecclesia solvi eos, qui communione privati de hac vita recedunt, cum jam sint in divino judicio constituti.

Tertia quaestio est, quid significet illud (per modum suffragii) cum pontifices dicunt, indulgentias valere defunctis per modum suffragii. Non desunt, qui existiment, indulgentias prodesse defunctis per modum suffragii quia prosunt eis suffragia, idest, missae, praeces et alia pia opera, quae pontifex injungit, cum indulgentias tribuit. Sed hoc non est indulgentias prodesse, nam etiamsi pontifex ea opera non injungeret, valerent illa suffragia ad refrigerium defunctorum. Itaque frustra darentur indulgentiae defunctis, si nihil adderent praeter valorem suffragiorum. Neque pontifices dicerent, indulgentias prodesse per modum suffragii, sed dicerent cum Ostiensi, indulgentias non prodesse defunctis ut indulgentiae, sed sola vi suffragiorum adjunctorum. Alii existimarunt, indulgentias defunctis prodesse per modum suffragii, quia tametsi ipsae indulgentiae re vera prosint, tamen prosunt per suffragia viventibus imperata. Pontifex enim applicat satisfactiones Christi et sanctorum ex thesauro tam viventibus, quam defunctis, sed viventibus applicat per opera ipsis viventibus injuncta, defunctis vero per opera eisdem viventibus imperata, quae opera, cum fiant nomine defunctorum, suffragia quaedam defunctorum dici possunt. Sed neque haec sententia rationem idoneam reddit illorum verborum: neque enim hoc est indulgentias prodesse per modum suffragii, sed est prodesse per ipsa suffragia. Vera igitur sententia est, indulgentias prodesse per modum suffragii, quia non prosunt per modum absolutionis juridicae, sed per modum solutionis, quo modo prosunt suffragia, quae vel publice, vel privatim pro defunctis fieri solent. Sed cum suffragia tribus modis defunctos juvent, per modum meriti de congruo, per modum impetrationis et per modum satisfactionis: indulgentiae autem non sint nisi satisfactoriae; intelligendum est indulgentias dari defunctis per modum suffragii tantum satisfactorii. Itaque quemadmodum cum quis dat eleemosynam, vel jejunat, vel peregrinatur ad loca sancta pro defunctis non absolvit defunctos a reatu poenae, sed offert Deo satisfactionem illam pro defunctis, ut Deus eam acceptans liberet defunctos a debito poenae, quam luituri erant; sic pontifex non absolvit animas defunctorum, sed offert Deo ex thesauro satisfactionum, quantum necesse est ad eas liberandas: et Deus acceptans alienam satisfactionem communicatam animabus defunctorum, eas liberat a reatu illo poenae. Sed hoc interest inter suffragia et indulgentias, quod ut suffragia offerantur, non requiritur aliqua jurisdictio, sed ut indulgentiae dentur, requiritur jurisdictio, quia non potest thesaurum dispensare, nisi qui habet claves ecclesiasticas. Praeterea qui offert suffragia, nescit, an id quod offert sufficiat ad animam liberandam, vel solum refrigerandam: at pontifex potest offerre ex thesauro illo infinito quantum requiritur ad satisfaciendum integre pro reatu cujuscumque poenae: et ideo dicitur dare indulgentiam plenariam, atque animas liberare per modum suffragii, quia offert quantum ad plenam satisfactionem satis est. Vide Cajetanum tract. 16. de indulg. quaest. 6. et Cordubensem quaest. 15. de indulgentiis.

Quarta quaestio, difficillima omnium, ea est, utrum ex justitia, sive certa lege, et ex condigno prosint indulgentiae defunctis, an solum ex benignitate Dei, et ex congruo. Aliqui docent, indulgentias ex condigno, sive ex justitia defunctis prod-

esse. Ita enim scribit Dominicus a Soto in 4.dist. 21. q.2.art. 3. quem sequitur Navarrus de jubilaeo Notab. 22.num.20.Ratio eorum est,quoniam potest unus vivens pro alio vivente ex condigno satisfacere, igitur potest etiam vivens pro mortuo satisfacere ex condigno.Eadem enim est ratio utriusque satisfactionis; unio videlicet, quae est inter membra ejusdem corporis Ecclesiae.Nam vivens pro vivente satisfacit ex condigno, quia sunt membra ejusdem corporis,glutino fidei et charitatis unita:at sunt etiam mortui,qui in purgatorio degunt,membra ejusdem corporis glutino fidei et charitatis unita.Quod si privatorum suffragia ex condigno defunctis prosunt, quatenus satisfactiones sunt, certae multo magis satisfactiones Christi et sanctorum iisdem mortuis fidelibus a capite Ecclesiae, idest, a pontifice maximo applicatae proderunt ex condigno.

Alii contra sentiunt: Indulgentias, quae defunctis dantur, niti misericordia et benignitate Dei, ac per hoc ex congruo non ex condigno eis prodesse. Ita docet Cajetanus tract. 16. quaestione 5. quem sequuntur Petrus de Soto lect. 3. de indulgentiis, et Antonius Cordubensis; quaest. 15. de indulgentiis. Neque significare volunt hi auctores, dubium aut incertum esse dogma ecclesiasticum de indulgentiis defunctorum, immo affirmant, certum esse et indubitatum, quod indulgentiae recte dentur, vel suscipiantur pro defunctis, quodque illis prodesse possint, et re ipsa prosint,vel ad refrigerium, vel ad plenam liberationem, sed quibus, quando, et quantum divinae pietati placuerit. Quomodo etiam pro mortuis recte fundi preces, eisque prodesse fides catholica docet, et tamen non ex condigno, sed ex congruo, non ex justitia, sed ex misericordia nos impetrare confidimus quicquid a Domino petimus,ut vel ex ipsa forma precum intelligi potest. Rationes hujus sententiae sunt hae. Prima, quoniam non videtur certum, posse viventes pro viventibus satisfacere ex condigno, quod erat fundamentum prioris opinionis. Contrarium enim docent Joan. Medina cod. de satisfactione quaest.5.et Cordubensis quaest.5.de indulgentiis. Unio enim fidei et charitatis, quo colligantur inter se viva membra Ecclesiae, facit quidem ut possimus invicem adjuvare, et bona nostra communicare, et unus pro alio saltem ex congruo satisfacere, sed non videtur facere, ut teneatur Deus ex justitia acceptare unius satisfactionem pro altero nisi ostendatur de hac re pactum, vel promissio aliqua ipsius Dei, quamvis possit Deus, et soleat acceptare ex benignitate sua. Et confirmatur a simili, nam in foro externo non tenetur judex acceptare, ut unus flagelletur, vel ad triremes amandetur pro alio, etiamsi illi non solum sint conjuncti ut Christiani, sed etiam ut cives, vel ut consanguinei.Denique videtur esse proprium solius Christi posse pro aliis ex condigno, ut mereri, ita etiam satisfacere,quoniam est caput corporis Ecclesiae, et dum pro nobis satisfecit, pro corpore suo satisfecit. Secunda ratio, quoniam etiamsi certum esset, posse in praesenti vita unum pro alio ex condigno satisfacere: tamen non videtur eadem ratio de satisfactione pro defunctis; hic enim possumus solvere poenas ejusdem generis, ut nostro jejunio, vel eleemosyna satisfacere pro alio, qui jejunii, vel eleemosynae poenam subiturus erat: at poenae,quibus jam addictae sunt animae in purgatorio, sunt alterius generis; et ideo sicut non tenetur judex remittere poenam corporalem uni alicui reo propter mulctam pecuniariam; quam alius offert:ita non videtur teneri Deum ex justitia admittere satisfactiones hujus vitae pro remissione poenarum purgatorii, ad quas animae illae jam sunt addictae. Sed si id fiat, ut certo fieri credimus, ex benignitate Dei fieri credibile est. Tertia ratio, quoniam ipsae animae, ut ex historiis gravium auctorum colligimus, hoc ipsum declarasse videntur. Nam Petrus Damiani in epist. 5. ad Dominicum cap. 4. scribit animam Benedicti pontificis romani in purgatorio constitutam apparuisse, Deo permittente, cuidam, atque ab eo petiisse, ut suffragia pro ipsa fierent, et addidisse, se per ea suffragia liberandam,quando hoc miseratio divina decreverit.Petrus quoniam Cluniacensis in primo libro de miraculis cap. 10. scribit animam defuncti apparuisse alicui, et postulatis suffragiis adjecisse, per ineffabilem misericordiam Dei se liberandam, si ei per suffragia subventum fuisset, et cap. 27. scribit aliam animam similiter apparentem, et suffragia postulantem adjecisse, conditoris mediante clementia se per ea suffragia liberandam. Quod si suffragia nituntur pietate divina, et indulgentiae defunctis non dantur,nisi per modum suffragii, certe sequi videtur, ut etiam indulgentiae ex divina pietate defunctis prosint.

Ex his sententiis neutram reprobare audeo, videtur enim prior admodum pia, posterior vero valde rationabilis.

Quinto quaestio est, quid requiratur ad hoc ut indulgentiae defunctis prosint. Et quidem certum est primum auctoritatem requiri,eamque summam, idest, apostolicae sedis; non enim episcopi, aliive praelati summo pontifice inferiores indulgentias defunctis concedere possunt, ut Navarrus docet de jubilaeo Notab. 22. num. 4. quoniam solus Christi vicarius habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiae absolute. Episcopi enim solum possunt applicare subditis suis, secundum mensuram sibi ab apostolica sede determinatam. Secundo certum est, requiri caussam justam, ut s.Thomas docet in 4. distinct. 45. quaest. 2. art. 3. quaest. 2. Non enim potest summus pontifex pro arbitrio liberare animas a poenis purgatorii; neque sufficit pro caussa, utilitas illarum animarum, vel gloria Dei, quae redundaret ex animarum illarum liberatione. Nam si ista sufficerent, Christus ipse jam omnes animas liberasset. Itaque requiritur caussa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, et Ecclesiae utilitatem,sicut de indulgentiis pro viventibus diximus; ita ut summus pontifex arbitretur gratiorem esse Deo rem illam, cujus gratia indulgentiae conceduntur,quam exequutionem justitiae,quae exercetur in expiandis animabus purgatorii. Tertio requiritur, ut qui pro defunctis indulgentias suscipit, adimpleat opus injunctum, nam ut s. Thomas loco notato, et alii doctores scribunt, indulgentiae primario et directe non dantur, nisi viventibus,qui possunt opera injuncta perficere: defunctis autem dantur secundario et indirecte, quatenus viventes

pro mortuis opera injuncta perficiunt. Ex quo etiam requiritur, ut qui opera illa perficit, sit in statu gratiae, si opera ipsa id requirant, ut diximus supra de opere viventibus injuncto. Nam si opus injunctum id non requirat, probabiliter dici potest, prodesse defunctis indulgentias, etiamsi is, qui pro defunctis eas suscipit non sit in statu gratiae. Sed omnino tutius est ut qui cupit mortuis indulgentiam obtinere, prius det operam, ut ipse indulgentiam a culpa per sacramentum confessionis obtineat. Quarto requiritur ex sententia Cajetani tract. 16. quaest. 5. de indulgentiis, ut defunctus non solum sit in statu gratiae, et in purgatorii locis degat, sed etiam, ut dum viveret, fuerit devotus clavium Ecclesiae, mortuosque suffragiis juvare studuerit, et pro suis peccatis satisfacere non neglexerit. Ita enim intelligit Cajetanus verba illa s. Augustini lib. de cura pro mortuis cap. 1. et in enchiridio cap. 109. suffragia non prodesse omnibus mortuis, sed illis tantum, qui in hac vita meruerunt, ut sibi prodesse possent. Sed haec Cajetani sententia, ut est utilis et pia, quia excitat viventes ad opera bona, ita videtur minus vera, et ab omnibus passim refellitur. Nam s. Augustinus locis notatis non excludit a suffragiis etiam particularibus ullas animas ex iis, quae degunt in purgatorio, sed solum animas damnatas ad aeternas poenas inferorum: dicit enim eas tantum esse capaces suffragiorum, quae dum viverent, id meruerunt, quia videlicet in gratia Dei et charitate perseverarunt. Charitas enim est fundamentum communionis inter Ecclesiae membra, et non aliqua peculiaris devotio ad Ecclesiae claves vel aliquid hujusmodi.

Postrema quaestio est, an indulgentiae prosint illis, pro quibus in particulari suscipiuntur, an omnibus in communi. Praepositivus quidam antiquus auctor, ut refert s. Thom. in 4. dist. 45. quaest. 2. art. 4. docebat, suffragia Ecclesiae semper prodesse defunctis fidelibus in communi, et illis magis qui liberationi propinquiores erant; atque ad hoc persuadendum adducebat similitudinem lucernae, quae si accendatur in aula regis pro ipso rege, non tamen lucet soli regi, sed omnibus, qui adsunt, et illis magis, qui habent oculos meliores. Adducebat quoque similitudinem ex libro aliquo, qui forte legatur ad mensam regis, ex quo non minorem fructum percipiunt alii, qui adsunt, quam rex ipse, et nonnulli forte longe majorem, quamvis proprie regi liber legatur. Quod praepositivus de suffragiis dixit, idem sine dubio de indulgentiis intellexit, quae juvant defunctos per modum suffragii. Sed responsio communis doctorum est, tam suffragia, quam indulgentias prodesse omnibus defunctis, quo ad gaudium quoddam accidentarium, charitas enim facit omnia communia in hoc sensu, quod omnes, qui sunt praediti charitate, gaudent de bonis aliorum, ac si propria essent. Sed quo ad satisfactionem et liberationem a poenis, suffragia Ecclesiae communia prodesse omnibus in communi, sed suffragia particularia et indulgentias, quae pro certis animabus suscipiuntur, non prodesse nisi illis, quibus ex intentione viventium applicantur. Atque hoc esse verissimum, perspicuum est, primo ex ipsis pontificiis concessionibus. Nam Paschalis I. indulgentiam ita concessit, ut qui pro anima patris, vel alterius particularis personae defunctae tot missas celebraverit in cappella s. Zenonis, quae est in ecclesia s. Praxedis, animas illas de purgatorii poenis eripiat. Item Alexander VI. Clemens VII. aliique pontifices in constitutionibus de indictione jubilaei, disertis verbis dicunt, indulgentias illas anni jubilaei extendi per modum suffragii ad animas patris, vel matris, vel alterius personae particularis pro quibus suscipientur. Secundo quoniam hic est sensus totius Ecclesiae, omniumque fidelium. Tertio quoniam s. Augustinus in lib. de cura pro mortuis, cap. 4. scribit, Ecclesiam suffragia quaedam communia transmittere ad animas defunctorum, ut quibus desunt particularia a consanguineis, vel amicis, non desint aliqua a communi matre, quae est Ecclesia. Quarto denique, quoniam nulla ratio est, cur satisfactiones uni alicui animae per intentionem satisfacientis applicatae, aut illi non prosint magis, quam aliis, aut aliis ullo modo prosint. Neque similitudines illae praepositivi aliquid efficiunt, non enim similes sunt indulgentiae, vel suffragia particularia lucernae, vel lectioni, sed potius summae pecuniariae, quae ita datur in liberationem alicujus debitoris ab aere alieno, ut per eam non possit debitores alii liberari.

LIBER SECUNDUS

DE INDULGENTIIS

Disseruimus hactenus de indulgentiis scholastico more, tum ut catholicis satisfaceremus, tum ut futurae disputationis fundamenta jaceremus. Voluimus autem quaestiones scholasticas a disputatione adversus haereticos separare, ne cogerentur catholici, aut haeretici omnia legere,sed liberum esset unicuique quod vellet eligere. Igitur respondebimus primum iis, quae Martinus Lutherus adversus indulgentias in assertione articulorum suorum scripsit. In qua re breviores erimus,quoniam sunt ea omnia a Joanne Roffensi, beatae memoriae viro, diligentissime confutata. Deinde excutiemes ea, quae Joannes Calvinus in institutione sua, doctrinae catholicae de indulgentiis objecit. Tertio breviter refutabimus nugas Tilmanni Heshusii. Ad extremum respondebimus Martino Kemnitio, qui praeter caeteros copiose de indulgentiis disputavit in examine postremae sessionis concilii tridentini.

CAPUT PRIMUM

Refutantur argumenta Lutheri contra indulgentias.

Martinus Lutherus haeresiarcha nostri saeculi a reprehensione indulgentiarum sectam suam auspicatus est, et quod mirum videri poterit, ita per quosdam gradus ad summum impietatis ascendit, ut non animadverterit majori si licentiae aditum patefecisse, quam ea esset, ob cujus repressionem cum catholicis doctoribus contendere atque altercari, et libris, et sermonibus coepit. Nam cum Albertus card. et archiepiscopus moguntinus praepositus esset a Leone X. pontifice maximo indulgentiis quibusdam per Germaniam praedicandis, scripsit ad eum Lutherus epistolam, in qua notabat errorem illorum, qui usque adeo indulgentiis confidebant, ut securos se de salute sempiterna esse arbitrarentur, si nummum argenteum in arcem,juxta praescriptum indulgentiae conjecissent. Refellit autem hanc nimiam confidentiam eo potissimum argumento, quod ne ipse quidem habitus gratiae justificantis a Deo cordibus nostris infusus certos nos reddere possit de salute aeterna obtinenda, cum Apostolus jubeat, ut cum timore et tremore salutem nostram operemur. Deinde paulo post longius progressus, edidit Resolutiones de indulgentiis, et mox libellum pro iisdem Resolutionibus, in quibus docuit, indulgentias esse pias fraudes Matris Ecclesiae, quae promissione iudulgentiarum excitat filios suos ad opera bona, cum tamen indulgentiae non remittant poenam debitam in judicio Dei, sed solum in judicio ecclesiestico, et simul addidit,thesaurum meritorium Christi non esse in potestate pontificum, neque expendendum in re tam vili, ut est expiatio a poena temporaria. Ita progressus est a reprehensione abusum ad reprehensionem indulgentiarum. Sed neque hic substitit. Nam cum Leo X. pontifex hanc novam Lutheri doctrinam improbasset, scripsit ille continuo librum de captivitate Babylonica, in cujus libri principio docuit indulgentias non esse pias fraudes matris Ecclesiae, sed meras pontificum impostu-ras. Addidit etiam mox librum alium, in quo asseruit, ac defendit omnes articulos a Leone X. improbatos. Atque in eo libro affirmavit, indulgentias nihil esse, et si quid essent, non fore utiles, sed perniciosas, cum liberent homines ab operibus bonis; non esse necessarias, vel expetendas, nisi publicis peccatoribus, inertibus et desidiosis,quibus publica poenitentia esset imposita, quam peragere nollent. Denique asseruit nullum esse purgatorium, nullam requiri satisfactionem post culpam remissam, sola fide homines justificari et liberari ab omni debito culpae et poenae. Itaque incidit in eum abusum, quem initio reprehendit, vel potius in alium longe majorem. Aegre ferebat enim initio, quod homines injecto in arcam argenteo nummo, et indulgentia suscepta, securos se de salute

aeterna esse confiderent. Ipse autem etiam sine nummo argenteo securos omnes reddidit de justificatione et salute. Neque ullus unquam tam amplam indulgentiam promulgavit, quam Lutherus, qui sine ullo poenitentiae labore, sine ullis operibus bonis, culpas omnes et poenas sola fide remisit: si tamen ea indulgentia, et non potius licentia, et vere impia fraus et impostura dicenda est. Ea vero quae profert ad suum dogma stabiliendum in assertione articuli 17. et sequentium, tam sunt inepta, et parum inter se connexa, ut vix ad argumenti formam revocari possint.

Prima igitur objectio ejusmodi est. Merita Christi sunt res sacrae et vivae, cum corda justificent; indulgentiae autem non justificant, sed solum remittere dicuntur debitum poenae temporalis: igitur indulgentiae non possunt fundari in thesauro meritorum Christi. Responsio: Merita Christi sunt res vivae et sacrae, sed non solum justificant corda, verum etiam satisfactoria sunt pro reatu poenae tum sempiternae tum temporariae. Quocirca non est mirum, si in meritis Christi fundari possint non solum sacramenta quae justificando abluunt maculas culpae, sed etiam indulgentiae, quae applicando satisfactionem Christi, expiant reatum poenae. Porro Christi merita, seu potius Christi passionem, non solum fuisse meritoriam, sed etiam satisfactoriam probamus ex eo quod scripsit Isai. cap. 53. (Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit), et s. Joannes in priore epist. cap. 2. (Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi). Lutherus vero non probavit, Christi passionem non esse satisfactoriam, quod tamen probare debuit, si quid efficere voluit.

Secunda objectio: Blasphemia est, rem tam sacram, ut sunt merita Christi, in sordidum opus mortis ponere: At poena temporalis, est sordidum opus mortis; igitur blasphemia est, Christi merita collocare in expiatione poenae temporalis. Responsio: Quare Lutherus vocet sordidum mortis opus temporalem poenam, non facile divinarem, nisi forte, quia reatus poenae fructus est peccati, quod est mors animae, ita nominare placuerit. Sed quaecumque sit caussa hujus appellationis, certe non est sordidum, sed gloriosum liberare hominem a sordido mortis opere. Nam quid sordidus et deterius peccato? et tamen non est sordidum Christo, sed valde honorificum esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi, multo igitur minus sordidum erit expiare reatum poenae, cum non sit sordidum expiare reatum culpae. Quare non est blasphemia, sed gloriosa praedicatio dicere; Christi merita sacrosancta ejus esse virtutis, ut omnia peccata, et peccatorum reatus omnes eluere, et expiare valeant.

Tertia objectio: Merita Christi sunt omnibus necessaria ad salutem, et ideo tenentur omnes quaerere, ut sibi ea merita applicentur. At indulgentiae non sunt necessariae ad salutem, neque tenentur Christiani ullo praecepto ad eas suscipiendas: non igitur fundantur indulgentiae in meritis Christi. Responsio: Merita Christi partim sunt omnibus necessaria, partim non necessaria, sed utilia, atque posteriore modo ad fundamentum indulgentiarum pertinent. Nam quod attinet ad gratiam justificationis obtinendam, sine qua nemo salvus esse potest, sunt Christi merita omnibus necessaria, et ideo tenentur omnes divino praecepto curare, ut sibi ea merita per Baptismum, vel, si post Baptismum a gratia Dei exciderint, per sacramentum poenitentiae applicentur, et hoc modo fatemur non pertinere ad fundamentum indulgentiae Christi merita. At si quis post gratiam reconciliationis adeptam adhuc sit reus luendae poenae temporalis, is non necessario eget meritis Christi, ut per ea reatus ille simpliciter condonetur, non quod sine meritis Christi possit reatus poenae simpliciter condonari, sed quia poterit ipse non requirere tantam liberalitatem, contentus ipse suis laboribus et poenis, vel in hac vita, vel in purgatorio satisfacere Deo, cooperante semper Christi merito et gratia, tamen utilissimum illi erit, si Christi merita ita sibi per indulgentias applicentur, ut sine propria satisfactione continuo reatus ille solvatur, et hoc modo negari non potest, quin merita Christi pertineant ad thesaurum et fundamentum indulgentiarum: quamvis ut nemo cogitur suscipere indulgentias, ita nemo cogatur dare operam, ut debitum temporalis poenae, Christi passione et meritis sine labore proprio compensetur.

Quarta objectio: Nullis Scripturae sacrae testimoniis thesaurus indulgentiarum comprobari potest, sed sola constitutione Clementis VI. quae incipit, *Unigenitus*. Non igitur satis firma sunt quae de indulgentiis traduntur. Responsio: Jam supra ostendimus in priore libro indulgentiarum thesaurum non carere fundamento Scripturarum sanctarum. Sed quamvis nulla testimonia Scripturarum haberemus, non propterea sola Clementis constitutione niteremur. Neque enim Clemens ex proprio capite thesaurum excogitavit: sed ex antiqua traditione, ex Ecclesiae sensu, ex theologorum communi doctrina, et consuetudine veterum pontificum didicit, quod de thesauro docuit, et auctoritate apostolica confirmavit. Denique etiamsi nihil certi de thesauro indulgentiarum (quod tamen minime concedimus) ante constitutionem Clementis habuissemus, satis tamen certi redderemur de thesauri hujus veritate ex Clementis pont. maximi declaratione. Ipsum enim toti Ecclesiae datum a Deo magistrum et doctorem esse scimus, cum illius sedem teneat, cui proprie dictum est: *Pasce oves meas*, Joan. 21. Sed de hac re satis multa in aliis nostris libris, ac praesertim lib. 4. de summo pontifice cap. 3. scripta extant, quae hoc loco repetenda non sunt.

Quinta objectio: Poenae, quae peccatum sequuntur, non possunt ullo modo remitti, sed velimus, nolimus, tolerandae sunt: igitur indulgentiae, quae dicuntur esse remissiones poenarum, nihil omnino sunt. Probat Lutherus antecedens hujus argumenti ex eo, quod poena peccati Adamo, et toti generi humano inflicta, est labor et mors; quam poenam certum est per indulgentias tolli non posse. Sic etiam Deus in psalm. 88. dicit: *Si peccaverint filii tui, visitabo in virga iniquitates eorum.* At papa hanc virgam per indulgentias avertere non potest. Sic Apostolus ad Hebr. 12. dicit, nos a Deo disci-

plinam accipere, et 1. Corinth. 11. dicit, nos a Deo judicari et corripi, ut non cum hoc mundo damnemur. Istam vero disciplinam et correptionem indulgentiae non tollunt. Responsio: In libro superiore demonstravimus, per indulgentias non remitti poenas naturales, idest, quae sequuntur originale peccatum, et toti generi humano sunt communes: sed poenas dumtaxat, quae sequuntur peccata personalia, et eas non omnes, sed eas tantum, quarum sumus rei in foro poenitentiario, non autem eas, quas debemus in foro externo. Porro poenae, quarum fit mentio in psalm. 88. et in epist. ad Corinth. et ad Hebr. ad forum externum pertinent, infliguntur enim a Deo tamquam judice in externo et criminali foro. Nam si non potest indulgentia tollere poenam, qua praetor aliquem mulctavit ob furtum vel homicidium, quanto minus tollere poterit eam, quam Deus ipse alicui decrevit? Quam igitur, inquies, poenam tollit indulgentia? Illam quae in foro poenitentiario infligitur, quae voluntarie adimpletur, ad quam implendam non cogimur nisi timore Dei et stimulo conscientiae. Haec enim est, per quam Domino satisfacimus, et cui succedit, nisi in praesenti Domino satisfiat, purgatorii poena. Quamvis illud etiam negari non debeat, satisfieri quoque Deo per flagella ab ipso immissa, quando libenti animo tolerantur, sicut etiam interdum per poenam sponte susceptam praevenimus manum Dei, et flagella ejus avertimus, ut exemplum Ninivitarum docet, quod habetur apud Jonam prophetam cap. ultimo.

Sexta objectio: Indulgentiae dicuntur remittere poenitentias injunctas; at illae sunt opera bona, videlicet jejunia, eleemosynae, preces et similia: igitur indulgentiae noxiae sunt, non salutares, cum a bonis operibus nos impediant. Responsio: Indulgentiae remittunt poenitentias injunctas, non quatenus sunt opera, sed quatenus debitum eas implendi retardaret nostrum ingressum in vitam aeternam, si forte ante illorum impletionem de vita nos exire contingeret. Itaque Ecclesia dum largitur indulgentias, non prohibet studium poenitentiae, immo ad illud nos hortatur et excitat, sed a reatu illo nos liberat, quo, ut diximus, impediri possumus a regno coelorum citius obtinendo. Proinde vere salutares, et nullo modo noxiae dicendae sunt indulgentiae. Atque haec est summa objectionum Lutheri; nam ad singula ejus verba satis accurate Roffensis respondit, ut non sit opus aliquid addere.

CAPUT II.

Respondetur ad ea, quae adversus indulgentias Joannes Calvinus objecit in libro Instit. cap. 9. n. 38.

Venio nunc ad objectionem Joannis Calvini. Et quoniam nemo (quod sciam) ejus sententias ex proposito discutiendas suscepit: respondebo ad omnia, quae scripsit in institutione cap. 9. a num. 38. usque ad 44. in quem locum congessit, quae de indulgentiis dicenda sibi esse judicavit.

Initio igitur num. 38. more suo conviciis et mendaciis ludit. Primum enim scribit, non multum sibi laborandum esse in indulgentiis refellendis, cum eae sponte sua atque argumentis Lutheri, tamquam fortissimis arietibus concussae, ad inclinationem spectare incipiant. Deinde addit, eas tamdiu salvas constitisse, quoniam tam alta errorum nocte immersi fuerunt aliquot saeculis homines, ut cum viderent, per indulgentias sibi emungi pecunias, quae in scorta et lenones absumerentur, et a quaestuariis se palam deludi, tamen indulgentias summa veneratione exciperent, venerarentur, adorarent. Adjungit postremo, *ubi orbis sibi sapere aliquid permisit, indulgentias paulatim frigere et congelascere coepisse.* Sed primum Calvini pronunciatum adeo falsum esse constat, ut numquam major fuerit indulgentiarum frequentia, numquam major devotio, numquam tam ardenter a populis catholicis expetitae fuerint, quam ab eo tempore, quo a Luthero exagitari coeperunt. Hinc enim tridentinum concil. sess. 25. de indulgentiis moderandis decretum edidit, et Clemens VIII. pontifex maximus, qui nunc Ecclesiam regit, nimium desiderium indulgentiarum, et piam potentium importunitatem reprimendam esse prudentissime censuit. Argumenta vero Lutheri adeo levia, insulsa, inepta sunt, ut non videatur negligentius caussam istam agere potuisse, si ex animo praevaricari voluisset. Certe a doctis hominibus ita ridentur, ut per ea non everti, sed constitui indulgentias arbitrentur. At persuasit tamen Lutherus multis. Ita est, sed persuasit etiam alia multo absurdiora, et crassiora, quia viam latam aperuit, per quam carnales homines libenter ingrediuntur. Quomodo etiam Mahumethes sine miraculis, sine sapientia, sine probitate vitae, novam suam sectam quo licentiam magnam carni, ac sensibus daret, innumerabilibus hominibus persuasit.

Alterum Calvini pronunciatum in duobus peccat, primum enim tribuit errorum noctem aliquot saeculis, in quibus doctrina de indulgentiis celebrior in Ecclesia fuisse videtur, videlicet ab anno millesimo ad millesimum quingentesimum. At certe saecula ista ut caruerunt luce linguarum latinae et graecae, ita luce doctrinae et sanctitatis mirifice fulserunt, ut nullis anterioribus saeculis cedere videantur. Argumento esse possunt concilia celeberrima singulis his postremis saeculis acta, lateranensia, lugdunensia, viennensia, constantiensia, florentina. Item viri sancti miraculis clarissimi, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Antonius, Petrus martyr, Vincentius, Bernardinus, Nicolaus Tolentinus, aliique quamplurimi. Denique viri doctissimi, Anselmus, Hugo et Richardus Victorini, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, Scotus Henricus, Durandus, aliique prope innumerabiles, ut omittam jureconsultos, medicos, historicos, qui scriptis suis, ista saecula egregie illustrarunt. Deinde Calvinus abusus quaestuariorum in ipsos pontifices refert, cum apertissime constet a pontificibus semper fuisse damnatos, ut perspicuum est ex decretis Innocentii III. in concilio lateranensi. Innocentii IV. in concilio lugdunensi, et Clementis V. in concilio viennensi. At ut intelligant Calviniani, quam immerito de hac re Calvinus pontifices reprehenderit, referam ad verbum partem decreti Cle-

mentis V. et concilii oecumenici viennensis, *Abusionibus* (ita decretum incipit) *quas nonnulli eleemosynarum quaestores in suis proponunt praedicationibus, ut simplices decipiant, et aurum subtili vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem, cum in animarum cedat periculum et scandalum plurimorum, viam, prout nobis possibile, praecludere cupientes, juxta statuta concilii generalis, duximus prohibendum distincte etc.* Et infra: *Ad haec cum aliqui ex hujusmodi quaestoribus, sicut ad nostram audientiam est perlatum, non sine multa temeritatis audacia, et deceptione multiplici animarum, indulgentias populo, motu suo proprio de facto concedant, super votis dispensent, a perjuriis homicidiis, et peccatis aliis sibi confitentes absolvant, male ablata incerta data sibi aliqua pecuniae quantitate, remittant, tertiam aut quartam partem de poenitentiis injunctis relaxent, animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferant, de purgatorio (ut asserunt mendaciter) extrahant, et ad gaudia paradisi perducant, benefactoribus locorum, quorum quaestores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgeant, et aliqui ex ipsis eos a poena et culpa ut eorum verbis utamur, absolvant, Nos abusus hujusmodi, per quos censura vilescit ecclesiastica, et clavium Ecclesiae auctoritas ducitur in contemptum, omnimode abolere volentes, ea per quoscumque quaestores fieri, vel attentari de caetero districtius inhibemus.* Non igitur (ut Calvinus mentitur) a papa, et suis bulligerulis quaestuosae nundinationes de salute animarum exercebantur; pauculis nummis salutis pretium taxabatur, hac specie pecuniae, quae in scorta et lenones, et commessationes turpiter insumerentur, emungebantur. Sed haec omnia tamquam manifesti abusus, a pontificibus, et conciliis catholicis reprehendebantur, et prohibebantur, ut etiam hoc tempore reprehenduntur et prohibentur.

Tertium Calvini pronunciatum caussam vere aperit omnium malorum, quae Germaniae, et totius septentrionis magnam partem misere perdiderunt. Dicit enim, *cum orbis sibi sapere aliquid permisit, tunc demum coepisse indulgentias frigere et congelascere, donec tandem evanescant.* Quid enim est, orbis sibi sapere aliquid permisit? nisi privati homines sapere voluerunt, contra praeceptum Apostoli Rom. 12. plusquam sapere oportere. Item nullo mittente, nullo vocante, officium sibi docendi desumpserunt. Oves contemptis pastoribus ad nova pascua progredi, equi sessoribus excussis per devia currere decreverunt. Haec igitur nova praesumptio, qua unusquisque, Luthero auctore, judicem se controversiarum omnium fecit, ac pastores et rectores a Deo positos in Ecclesia, juxta Apostolum ad Ephes. 4. audire contempsit, haec, inquam, est, quae dissidiis et haeresibus septentrionem replevit. Sed illud tamen, ut initio diximus, falsum est: *Indulgentias frigere et congelascere coepisse, cum orbis sibi aliquid sapere permisit.* Quamvis enim serpente antiquo male oculos aperiente seductis ab haereticis, non solum indulgentiae, sed omnia bona opera, et ipsa fides vera et catholica apud Lutheranos esse desierint, tamen apud catholicos indulgentiae, quae antiquis temporibus frigere videbantur, post exortam Lutheri sectam, quasi per antiperistasim recalescere, revirescere ac reflorere coeperunt, tantumque abest ut periculum sit, ne evanescant, ut potius de moderandis, et intra certos terminos coërcendis cogitandum fuerit. Sed jam ad argumenta veniamus.

CAPUT III.

Respondetur ad objectiones Calvini ex num. 39. cap. 9. Instit.

In sequenti numero, sive ut ipse vocare solet, sectione, Calvinus profitetur ipsas: *Indulgentias, etiam abstersas omni labe, idest, si nullo abusu foedentur, nihil esse aliud nisi sanguinis Christi profanationem, Satanaeque ludibrium, quo christianum populum a Dei gratia, a vita, quae est in Christo, abducant, et a vera salutis via avertant.* Gravissima haec est indulgentiarum accusatio, quam si Calvinus solidis argumentis comprobare queat, sine dubio caussam obtinebit. Audiamus igitur probationem. *Quo enim*, inquit, *poterat foedius profanari Christi sanguis, quam dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi velut arescentis, et exhausti defectus aliunde suppleatur et sufficiatur?* Sed hoc non tam argumentum, quam mendacium est. Nullus enim catholicorum scripsit, Christi sanguinem non sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi defectus ejus aliunde suppleatur. Debuisset sane vel unum aliquem allegare, qui ita sentiret. Neque solum nemo catholicorum id scripsit, sed neque scribere potuit, cum ipse Clemens VI. pontifex in constitutione de thesauro indulgentiarum, quem proprie Calvinus oppugnat, et omnes theologi affirment Christi sanguinem adeo pretii esse infiniti, ut vel una ejus gutta sufficere potuerit ad omnia totius mundi crimina expianda. Quod autem Calvinum fefellit, id fuit, quod catholici docent in thesauro indulgentiarum contineri non sola Christi merita, sed etiam sanctorum. Sed non ideo adjungimus meritis Christi merita sanctorum, quasi illa non sufficiant, sed ut merita sanctorum, quae illis superfuerunt, non sint odiosa, ut sancti hoc honore gaudeant, ut efficacia meritorum Christi magis eluceat, quae non solum per se possunt expiare peccata, et reatum peccatorum, sed etiam efficere ut merita sanctorum vim habeant expiandi reatum poenae temporalis. Quae est etiam ratio, cur Deus voluerit, ut unusquisque nostrum propriis meritis coronam vitae sibi acquirat, juxta illud Apostoli 2. Tim. 2. *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*: non quod Christi merita non sufficiant, sed quia id nobis utilius, et Christo gloriosius est. Quemadmodum etiam idem Deus instituit, ut secundae caussae non sint otiosae, sed cum ipsa prima caussa ad res producendas conveniant, quamvis prima caussa sine

secundis res omnes aeque facile ac perfecte efficere potuisset.

Pergit Calvinus, et ex variis Scripturarum testimoniis probare nititur, Christi sanguinem profanari; si illi sanctorum merita adjungantur: *Christo*, inquit, *lex, et prophetae omnes* (*teste Petro Act.* 10. *testimonium perhibent, quod per ipsum accipienda sit remissio peccatorum. Indulgentiae remissionem peccatorum per Petrum et Paulum et martyres largiuntur. Sanguis Christi emundat nos a peccato* (*inquit Joannes* 1. *Joan.* 1.) *indulgentiae sanguinem martyrum faciunt peccatorum ablutionem. Christus* (*inquit Paulus* 2. *Cor.* 5.) *qui peccatum non noverat, factus pro nobis est peccatum, idest, peccati satisfactio, ut justitia Dei efficeremur in illo. Indulgentiae peccatorum satisfactionem in sanguine martyrum reponunt. Clamabat Paulus, et Corinthiis testificabatur* 1. Cor. 1. *Solum Christum pro ipsis crucifixum, et mortuum esse. Indulgentiae pronunciant Paulum et alios pro nobis mortuos.* Alibi dicit, *Christum acquisivisse Ecclesiam suo sanguine* Actor. 20. *Indulgentiae aliud pretium acquisitionis in sanguine martyrum statuunt. Una oblatione Christus consummavit in perpetuum sanctificatos, ait Apostolus* Hebr. 10. *Indulgentiae reclamant, a martyribus perfici sanctificationem, quae alioqui non sufficeret. Joannes dicit Apoc.* 7. *Sanctos omnes lavisse stolas in sanguine agni. Indulgentiae docent lavare stolas in sanguine sanctorum.* Haec ille, cui respondemus, testimonia Scripturarum verissima esse, sed perperam allegari: loquuntur enim de remissione culpae, ac praesertim lethalis, idest, de justificatione impii, et reconciliatione, per quam ex peccatoribus efficimur justi, quam accipimus in sacramentis Baptismi, vel Poenitentiae, ubi nullum locum habent merita sanctorum. Porro indulgentiae non remittunt culpam, neque lethalem, neque venialem, sed solam poenam, eamque temporariam, cujus reatus inveniri potest in omnibus justificatis, sanctificatis, ablutis, sicut inveniebatur in Davide, cui post confessionem peccati dictum est a propheta Nathan 2. Reg. 12. *Dominus transtulit peccatum tuum, veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Non igitur indulgentiae tribuunt sanctis id, quod Scripturae allegatae tribuunt Christo. Ac ut id planius fiat, excutiam breviter singula testimonia a Calvino adducta. In Actis c. 10. loquitur s. Petrus de remissione peccati, quae habetur per fidem et sacramenta, sine qua nemo salvus esse potest. Nam ideo dictum est Cornelio ab Angelo, *Accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, et universa domus tua.* Neque obstat, quod Cornelius in eodem loco dicitur fuisse vir justus et timens Deum, etiam antequam Petrum audiret. Nam (ut scribit s. Augustinus in lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2.) Justus erat Cornelius justitia quadam inhoata et imperfecta, sed non poterat salvus esse nisi crederet in Christum et per Baptismum remitterentur ei peccata, et ipse incorporaretur Ecclesiae. Nam ut idem Augustinus loquitur lib. 1. de praedest. sanct. c. 7. *Si potuisset Cornelius sine fide Christi salvus esse, non ad eum aedificandum missus fuisset architectus Petrus.* De hac igitur remissione loquitur idem Apostolus: cum ait: *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, quod per ipsum accipienda sit remissio peccatorum*, de qua remissione falso Calvinus dicit, *Indulgentiae remissionem peccatorum per Petrum et Paulum et martyres largiuntur;* cum jam saepe sit dictum, culpas per indulgentias non remitti.

In epist. 1. cap. 1. s. Joannes cum dicit: *Sanguis ejus emundat nos a peccato*, loquitur de remissione culpae, quae maculam proprie gignit in anima. Macula enim est, quae ablutione tollitur, non poena, quae debitorem, non sordidum facit. Itaque falso Calvinus addit, *Indulgentiae sanguinem martyrum faciunt peccatorum ablutionem.* Non enim ablutionem culpae, sed solutionem pro debito poenae indulgentiis catholici tribuunt.

In epist. 2. ad Corinth. cap. 5. Apostolus Paulus posteaquam dixit, Christum factum esse peccatum, idest, hostiam pro peccato adjunxit, ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Ex quo intelligimus eum loqui de remissione peccati, per quam justificamur et ex impiis efficimur pii, quem effectum nemo unquam catholicorum indulgentiis attribuit. Quare Calvinus cum scribit, *Indulgentiae peccatorum satisfactionem in sanguine martyrum reponunt*, vel loquitur de satisfactione pro culpa et poena sempiterna, et falso catholicis imponit, quod ex eorum sententia indulgentiae satisfactionem peccatorum in sanguine martyrum reponant: vel loquitur de satisfactione pro poena temporali et falso indulgentias verbis apostoli Pauli opponit, cum Apostolus de satisfactione pro culpa intelligendus sit.

In epist. 1. ad Corinth. c. 1. idem Apostolus cum testificatur et clamat, solum Christum crucifixum esse pro nobis, loquitur sine ullo dubio de passione Christi, qualenus ea per Baptismum applicata justificat et reconciliat. Ideo enim duo illa conjungit: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* In quo sensu nemo catholicorum ferret, quod Calvinus dicit: *Indulgentiae pronunciant, Paulum et alios pro nobis mortuos.*

In Actis c. 20. cum idem Apostolus scribit, Christum proprio sanguine Ecclesiam acquisivisse: manifeste loquitur de pretio sanguinis, quo redimimur de captivitate diaboli, et per fidem et Baptismum adjungimur ad Ecclesiam, tunc enim aedificatur et acquiritur Ecclesia, cum per fidem et sacramenta homines incorporantur Ecclesiae. In quo sensu falso Calvinus dicit: *Indulgentiae aliud pretium acquisitionis in sanguine martyrum statuunt.*

In epist. ad Hebr. c. 10. cum idem Apostolus scribit Christum unica oblatione consummasse in perpetuum sanctificatos, significat, Christum unica oblatione corporis sui in cruce sufficiens pretium obtulisse, quo possint omnes homines redimi ab omni iniquitate, et ita redimi, ut ipsa redemptio perpetua esse possit, cui redemptioni non repugnat, ut homines sic redempti, hoc est justificati, et reconciliati reatum aliquem poenae temporalis habeant, pro quo solvendo indulgentiis opus ha-

beant, sicut enim culpae veniales, sine quibus haec vita non ducitur, non impediunt redemptionem, justificationem et sanctificationem; ita nec reatus poenae temporalis eam impediunt. Proinde falso Calvinus adjungit: *Indulgentiae reclamant, a martyribus perfici sanctificationem, quae alioqui non sufficeret.* Nam catholici neque dicunt, indulgentiis perfici sanctificationem, et multo minus affirmant, Christi sanctificationem non sufficere. Sed non est hoc primum, quod falso catholicis Calvinus attribuit.

In Apocalypsi cap. 7. cum Joannes dicit, omnes sanctos lavisse stolas in sanguine agni, nemo dubitare potest quin loquatur de justificatione a culpa tum originali, tum actuali, quae ut supra diximus, proprie maculam gignit. Quare falso Calvinus addit: *Indulgentiae docent lavare stolas in sanguine sanctorum.* Si quidem indulgentiae catholicae nihil tale docent, neque unquam docuerunt. Videmus igitur agmen argumentorum Calvinianorum tot Scripturarum telis armatum, plus ostentationis, quam soliditatis habuisse. Nam cum totum vel ex falsis, vel ex veris ad rem non facientibus constaret, cum ad manus ventum est, et cominus signa collata, vera ad rem non facientia pugnare noluerunt, falsa vero facile hostibus terga verterunt.

CAPUT IV.

Respondetur ad objectionem Calvini ex cap. 9. Instit. num. 40.

Jam vero in sectione 40. ducit Calvinus argumentum a testimoniis sanctorum Patrum, Leonis et Augustini. *Praeclare*, inquit, *adversus haec sacrilegia Leo episcopus romanus in epist. 81. ad Palaestinos loquitur. Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit; nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accipere justi, non dedere coronas, et de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiae, non dona justitiae. Singulares quippe illorum mortes fuerunt, nec alterius quispiam debitum suo fine persolvit, cum unus extiterit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam resuscitati. Nec minus opposite s. Augustinus tract. 84. in Joannem. Et si fratres*, inquit, *pro fratribus moriamur, nullius tamen sanguis martyris in remissionem peccatorum funditur, quod fecit Christus pro nobis, neque in hoc quid imitaremur, sed quid gratularemur, contulit nobis.* Item *lib. 4. ad Bonifacium c. 4. sicut solus Filius Dei factus est filius hominis, ut nos secum filios Dei faceret, ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis poenam ut nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur gratiam.* Hoc argumentum Calvini non minus speciosum, nec magis solidum est, quam superius. Vera sunt omnia, quae a sanctis Patribus, Leone et Augustino dicuntur; sed ad rem praesentem nihil omnino faciunt. Quid enim s. Leo dicit? Solius Christi mortem mundi propitiationem fuisse, neque sanctorum mortibus ullam partem ejus propitiationis esse tribuendam. Verissimum est; nam ipsi etiam sancti de mundo aliquando fuerunt, et Christi morte redempti, de mundo exire coeperunt. Neque nos indulgentiis id adscribimus, ut mundum reconcilient Deo, sed ut eos, qui jam de mundo per Christum educti, et Deo Patri reconciliati sunt, juvent, ut a reatu poenae temporalis, si quo forte adhuc tenentur obstricti, facilius liberentur. Quid praeterea s. Leo dicit? Accepisse justos, non dedisse coronas, et hoc nos quoque libentissime confitemur, neque enim merita, quibus praemia et coronae respondent, per indulgentias habere nos credimus. Quid postea idem Leo adjungit? Ex fidelium fortitudine nata esse exempla patientiae, non dona justitiae. Et hoc nihil verius, nam dona justitiae non potest dare, nisi qui justificat impium. Impium vero justificare non potest, nisi ille, *qui peccatum non fecit*, et cujus passio pretii fuit infiniti, *de cujus plenitudine nos omnes accepimus.* Solus ipse caput existens corporis Ecclesiae, suis omnibus membris gratiam comparavit. Neque ullus catholicorum docuit unquam per indulgentias acquiri dona justitiae, vel, quod est idem, quemquam ex impio justum fieri. Quid postremo s. Leo nos monet? Singulares aliorum mortes fuisse, neque quemquam alterius debitum suo fine solvisse; unum esse Christum, in quo omnes mortui, omnes sunt etiam suscitati. Id vero quis nostrum unquam negavit? Certe unusquisque dum moritur, debitum proprium solvit, quod in Adamo contraxit. *Solus Christus*, qui debitum moriendi non habuit, *pro omnibus mortuus est, ut mortem moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet.* Neque ista inter se pugnant, quod per Christi mortem a debito mortis liberati sumus, et tamen unusquisque nostrum moriendo debitum solvat, quod in Adamo contraxit. Siquidem mortis debitum non erat solum ut moreremur, sed ut in morte perpetuo maneremus. Christus autem, qui ut Apostolus ait 2. ad Timoth. 1. destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem, id nobis morte sua contulit, ut licet ad tempus moriamur, tamen ad vitam revocati perpetuo cum ipso vivamus. Neque vero aliquid horum indulgentiis tribuimus, aut sanctorum mortibus, ut Calvinus credi voluit. Sed quemadmodum nos verissima esse fatemur omnia, quae s. Leo in epistola allegata posuit: sic ipse vicissim non negasset, si de his rebus disserendi illi se occasio obtulisset, sanctorum passiones aliis Ecclesiae membris applicari posse ad solum reatum poenae temporariae dissolvendum. Propositum enim s. Leoni in ea epist. fuit demonstrare necessitatem verae carnis in Christo adversum haeresim Eutychetis, quae paulo ante suborta fuerat. Itaque docet s. Leo, veram in Christo fuisse carnem, quoniam sine vera carne, vere mori non potuisset. Quod si Christus vere mortuus non esset, nos quoque redempti ac reconciliati Deo non essemus, cum nullius alterius hominis, quamvis innocentis et sancti, propitiatio mundi esse potuerit. Haec est s. Leonis ratiocinatio, quae solidissima est, si agatur, ut vere agitur, de redemptione a captivitate diaboli, de propitiatione

peccati lethalis, et de satisfactione pro reatu, ac debito mortis aeternae. At si quis contendat, eandem ratiocinationem extendere ad satisfactionem pro reatu poenae temporariae, nihil efficiet. et contra ipsum Leonem disputabit, qui serm. 1. de jejunio decimi mensis, in epist. 79. ad Nicetam, et 91. ad Theodorum, et 92. ad Rusticum saepe repetit, per opera bona satisfieri Deo, poenas peccatorum redimi, placari Deum etc. et quemadmodum non negat s. Leo, immo vero palam affirmat, posse unumquemque suis operibus satisfacere Deo pro reatu poenae temporalis, quamvis solius Christi mors reconciliatio fuerit mundi: sic etiam non negaret propter vinculum charitatis, et sanctorum communionem, posse unius satisfactionem alteri applicari pro solutione reatus poenae temporalis, atque hoc solum est, quod per indulgentias fieri catholici docent. Nunc ad s. Augustini testimonia eadem responsio dari potest; loquitur enim s. Augustinus, ut verba ipsa clamant, de remissione peccatorum, quam in justificatione accipimus, cum ad gratiam Dei sine ullis nostris bonis meritis pervenimus; quam remissionem (ut saepe jam diximus) nemo catholicorum ab indulgentiis, vel a sanctis expectat, sed omnes in unum Christum integre referunt. Quid igitur jam habet Calvinus? Optima testimonia protulit, sed nihil nisi aërem verberavit.

CAPUT V.

Refelluntur ea, quae Calvinus habet cap. 9. Instit. num. 41. et 42.

Pergit Calvinus, et sectione 41. refellere conatur rationem catholicorum, qua thesaurum indulgentiarum ab illis astrui dicit. Proponit autem eam rationem his verbis. *Agnoscant, an non haec sint sua placita: Martyres plus morte sua praestitisse Deo, ac meritos esse, quam sibi opus esset: tantamque illis meritorum largitatem superfuisse, quae in alios redundaret. Ne igitur supervacuum sit tantum bonum, commisceri eorum sanguinem sanguini Christi, et ex utroque thesaurum Ecclesiae confici ad remissionem et satisfactionem peccatorum. Atque ita accipiendum quod ait Paulus Coloss. 1. Suppleo in corpore meo ea quae desunt passionum Christi pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Haec ille. Qui non omnino fideliter rationem catholicorum proposuit, ut plane negare possimus illa nostra esse placita. Neque enim docemus, martyres morte sua plus Deo praestitisse, quam sibi opus esset absolute: sed quam sibi opus esset ad satisfactionem pro reatu poenae temporalis. Quod quidem adeo verum est, ut caecus sit oporteat, qui id non videat. Certe Joannes Baptista tam innocenter vitam duxerat, ut nullo modo ad expianda peccata sua passionis et mortis illius acerbitate indigeret. Proinde plus Deo praestitit morte sua, quam sibi ad peccata expianda opus esset. Quod idem de apostolis, multisque aliis martyribus dici potest. Nam si peccatorum etiam maximorum et plurimorum reatus unica martyris passione purgatur, pro quibus alioqui diu in igne poena luenda fuerat, ut s. Cyprianus scribit lib. 2. epist. 4. ad Anonianum, profecto qui levium, et paucorum delictorum est reus, et tamen pro Christo, post varia tormenta vitam ponit: morte sua plus Deo praestat quam sibi ad reatum poenae temporariae peccatis suis debitae dissolvendum opus esset. Praeterea quod Calvinus addit, nos dicere, sanctos plus esse meritos apud Deum, quam sibi necesse esset, et meritorum largitatem ita illis superfuisse, ut in alios redundaret: non agnoscimus, ut nostra placita, sed ut ipsius commenta. Nos enim, ut concedimus, satisfactiones multis sanctorum superfuisse, quod modo satis evidenter ostendimus: ita negamus superfuisse merita, vel ipsa merita in alios redundare. De qua re in lib. priore satis multa diximus. Sed facile ignoscimus Calvino, quod vel ob imperitiam, vel ob negligentiam, vel etiam ut caussam catholicorum odiosam redderet, non fideliter nostra proposuit. Illud videamus, an qui non integre fundamentum indulgentiarum retulit, illud saltem solide refutaverit. Sic igitur pergit loco notato. *Quid hoc est, nisi Christo nomen relinquere, caeterum vulgarem sanctulum facere, qui in turba vix dignoscatur? Unum, unum illum praedicari decebat, unum proponi, unum nominari, unum respici, cum de obtinenda peccatorum remissione, expiatione, sanctificatione agitur.*

At non ita est; non vulgaris sanctulus, sed sanctus sanctorum ex thesauro indulgentiarum Christus agnoscitur. Non enim sanctorum passiones Christi passionibus miscentur in thesauro, quod Christi passiones per se non sufficiant, sed ut ostendatur excellentia passionum Christi, quae non solum expiare queunt reatus peccatorum, sed etiam aliis vim expiandi communicare. Itaque, ita miscentur in thesauro passionibus Christi passiones sanctorum, ut Christi passiones omnem culpam, originalem et actualem, lethalem et venialem et omnem poenam sempiternam et temporariam expiare valeant, idque totum per se; etiamsi nullae admiscerentur passiones sanctorum, quae sanctorum passiones sine Christi passionibus nihil possunt, et cum Christi passionibus solas poenas temporarias expiare possunt. Non igitur unum de turba, sed regem martyrum et sanctorum omnium Christum facimus, illumque unum, ut simpliciter et absolute redemptorem, propitiatorem et Salvatorem praedicamus, nominamus, proponimus, atque respicimus. Quod si solum nomen Christo relinquit, qui sanctos quoquomodo illi adjungit, quid respondebimus Apostolo, qui se Christi adjutorem facit 1. Cor. 3. et Salvatoris officium sibi vendicat 1. Cor. 9. et illuminatorem omnium hominum se dicit Ephes. 3. an ignorabat Apostolus, Christum non agere humano adjutorio, et ipsum solum esse Salvatorem omnium hominum; et ipsum eundem, et solum esse lucem veram, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* An volebat Christum, vulgarem sanctulum facere, ut in turba vix dignosceretur? Quemadmodum igitur Apostolus dum sibi officium adjuvandi Christum, salvandique et illuminandi homines desumit, nullam Christo facit injuriam, quia Christus ipse Paulum

sibi adjutorem esse voluit, dignatione, non necessitate: et si Christus et Paulus salvant et illuminant homines; Paulus a Christo virtutem salvandi et illuminandi, non Christus a Paulo; sic etiam dum nos sanctis tribuimus officium satisfaciendi pro poenis temporalibus aliorum, non facimus Christo injuriam, quoniam, ut dictum est, virtutem satisfaciendi ab ipso Christo sancti accipiunt, non absolute, et simpliciter, sed pro modulo sibi communicato. Addit postremo Calvinus in eadem sectione.

Sed audiamus eorum entymemata. Ne sine fructu effusus sit sanguis martyrum, in commune Ecclesiae lucrum conferatur. Ita ne? an vero nullus erat fructus, glorificare Deum per mortem? veritati ejus suo sanguine subscribere? testificari praesentis vitae contemptu meliorem se vitam quaerere? fidem Ecclesiae sua constantia confirmare, hostium autem pertinaciam frangere.

At nos talia entymemata numquam fecimus, neque est difficile conficta a se argumenta dissolvere. Extant libri permulti catholicorum, ubi de indulgentiis accurate disseritur, et in nullo eorum invenietur, passiones sanctorum sine fructu futuras, si in thesauro non reponantur. Id solum dicunt, passiones sanctorum non absolute, sed ut satisfactorias sine fructu futuras, si neque illis ipsi egeant, neque aliis applicentur; quamvis alioqui multis aliis nominibus gloriosas Deo, honorificas ipsis, et utiles Ecclesiae fuisse non dubium sit.

Porro ad testimonium Apostoli ex epist. ad Coloss. cap. 1. quod Calvinus a catholicis adferri dixit, respondet in sectione sequenti, quae est quadragesima secunda: ac multis verbis docet Apostoli verba: *Suppleo quae desunt passionibus Christi etc.* non significare Christi passionibus aliquid defuisse ad vim satisfaciendi pro peccatis, sed Christi membra, nempe fideles omnes exerceri oportere variis afflictionibus, idque pro Ecclesia, idest, pro Ecclesiae aedificatione et profectu. Sed quamvis hic sensus, quem Calvinus amplectitur, sit etiam a multis ex nostris observatus et approbatus: tamen nos in libro superiore ostendimus, praeter eum sensum, posse apostolica illa verba commode recipere alios sensus; atque eum praesertim, qui ad thesaurum indulgentiarum stabiliendum confert, quem quidem sensum sibi non probari Calvinus significat, sed eum refellere solido aliquo argumento nec potuit, nec tentavit.

CAPUT VI.

Respondetur ad ea, quae Calvinus profert cap. 9. Instit. num. 43.

Postremam objectionem Calvinus in sectione, sive numero 43. petit a comparatione indulgentiarum cum evangelio. Sic autem loquitur. *Quis docuit papam plumbo et membranae gratiam Jesu Christi includere, quam Dominus verbo evangelii dispensari voluit? Sane aut mendax Dei evangelium esse oportet, aut mendaces indulgentias. Nam evangelio Christum cum omni affluentia bonorum coelestium, cum omnibus suis meritis, omni sua justitia, sapientia, gratia, nulla exceptione nobis offerri, testis est Paulus, qui 2. Corinth. 5. dicit, depositum esse apud ministros verbum reconciliationis, quo hac legationis forma fungantur seu Christo per ipsos hortante, obsecramus reconciliamini Deo. Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur justitia Dei in illo. Contra, hi indulgentiae demensum aliquod gratiae, ex armario papae reclusum, plumbo et membranae, loco etiam affigunt, a verbo Dei avellunt.* Haec omnia per partes sigillatim refellenda sunt, ne queratur Calvinus, aliquid a nobis temere praetermissum. Quod igitur reprehendit, gratiam Dei plumbo et membranae includi, respondeo: non aliter a pontifice maximo gratiam Dei plumbo et membranae aliquando includi, quam apostoli et prophetae literis et chartae mysteria salutis incluserint. Nam quemadmodum scripta apostolorum et prophetarum signa quaedam sunt rerum coelestium, quae nobis vel revelantur, vel promittuntur, vel dantur: sic etiam literae pontificiae suis legitimis sigillis munitae, signa sunt remissionis, quam pontifex, pro potestate a Deo accepta, concedit iis, qui ea, quae ab ipso praecipiuntur, impleverint. At non hoc inquies, reprehendit Calvinus, quod remissio aliquomodo plumbo et membranae, ut instrumentis quibusdam includatur, sed quod literis ea remissio includatur, quam Dominus verbo evangelii dispensari voluit. Quaero igitur a Calvino, an existimet verbo evangelii solum voce prolato, an etiam scripto gratiam illam remissionis dispensari posse? Certe si velit sibi constare, concedere debet, verbo evangelii non solum per sermonem, sed etiam per scripturam dispensari. Ipse enim tum alibi saepe, tum in hoc loco docet remissionem peccatorum per exhortationem, sive concionem fieri. ideo enim allegat verba illa: *Posuit in nobis verbum reconciliationis, tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* At exhortatio et concio non solum verbo, sed etiam scripto fieri potest. Ipse enim Apostolus cum illa dicebat, quae Calvinus citat per epistolam scriptam Corinthiis praedicabat, et ipse idem tot exhortationes, et quidem gravissimas fecit quot epistolas scripsit. Unde Thessalonicensibus dicebat: *Ne terreamini, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini etc.* Itaque, quo modo potest remissio annunciari verbo, ita potest annunciari scripto, ac per hoc potest literis et membranae includi. Atque haec dicta sunt a nobis, ut ex principiis propriis Calvinum refelleremus. Nos enim non credimus, verbum reconciliationis nihil esse aliud nisi concionem, neque existimamus (ut Calviniani somniant) potestatem remittendi vel retinendi peccata ad concionem esse referendam. Scimus enim conciones fieri ad fideles et infideles, justos et peccatores, poenitentes et impoenitentes: peccata autem non remitti, nisi fidelibus peccatoribus, poenitentibus. De qua re satis multa dicta sunt a nobis in lib. de Poenitentia. Neque admittimus remissionem peccatorum sacramentalem debere, aut posse plumbo et membranae includi, sed tantum

eam remissionem, quae fieri potest extra sacramentum, qualis est absolutio a censuris ecclesiasticis, et absolutio a reatu poenae temporalis, quae datur per indulgentias. Neque hoc est, gratiam Dei plumbo et membranae proprie includi, ut Calvinus dicit, sed est voluntatem ejus, qui potestatem habet indulgentias largiendi, declarari literis, sigillo munitis, ut solent alia multa declarari, quae a voluntate principis dependent.

Jam vero quod Calvinus adjungit, aut mendax esse Dei evangelium, aut mendaces indulgentias. non integram partitionem continet, deest enim tertium membrum, aut Calvinus nescit quid loquatur; evangelium enim non dicit, ut Calvinus interpretatur, in omni reconciliatione nobis offerri Christum cum omni affluentia coelestium bonorum, ita ut semper remittatur omnis reatus culpae et poenae tam sempiternae, quam temporariae. Si enim evangelium hoc doceret, pugnaret utique cum indulgentiis; et quia mendax evangelium esse non potest, id plane sequeretur, ut mendaces essent indulgentiae. At evangelium dicit quidem in prima reconciliatione, quae fit in Baptismo, hominem renovari et renasci, Joan. 3. et Tit. 3. Christo commori, et consepeliri, et resurgere in novam creaturam. Rom. 6. ac proinde nihil expiandum remanere, neque egere hujusmodi homines ulla alia indulgentia, si forte continuo post Baptismum eos de hac vita migrare contigerit. Caeterum in secunda reconciliatione, quae fit per sacramentum Poenitentiae, evangelium dicit, Christum offerri poenitenti cum affluentia quidem coelestium bonorum, sed non tanta, ut continuo remittatur omnis reatus culpae et poenae, sed ut post remissam omnem culpam et poenam sempiternam, remaneat poenitentia et satisfactio peragenda pro temporaria poena explenda; non enim reconciliatio haec secunda, est regeneratio et renovatio, sed est quasi medicinalis curatio et Baptismus quidam laboriosus, et secunda tabula post naufragium, ut sancti Patres passim docent, quos citavimus in libris de Poenitentia. Quare cum in secunda reconciliatione secundum evangelium relinquatur saepenumero reatus aliquis poenae temporalis expiandus, locum suum habere possunt indulgentiae, neque cum evangelio ulla ratione pugnant. Sed videamus, quomodo probaverit Calvinus, evangelium in omni reconciliatione offerre nobis Christum cum omni affluentia coelestium bonorum, ita ut semper tam copiose merita ejus applicentur, ut nihil omnino remaneat expiandum. Certe nihil attulit, nisi testimonium apostolicum 2. Cor. 5. *Posuit in nobis verbum reconciliationis etc.* At in eo testimonio nulla fit mentio totius affluentiae coelestium bonorum, neque applicationis omnium meritorum Christi: sed solum ex eo loco habemus, eos reconciliari Deo per ministerium servorum Dei, qui ab illo potestatem habent, quique legatione funguntur pro Christo, et per quos Deus nos exhortatur, ut reconciliemur. Quandoquidem Christus, qui peccatum non fecit, factus est pro nobis peccatum, idest, victima salutaris ad expianda peccata, ut nos efficiamur justitia Dei in illo, idest, per ipsum vere, proprieque justificemur. Sed quam late pateat ea reconciliatio et an semper relaxet omnem culpam et poenam, an aliquando solam culpam et poenam aeternam, Apostolus non dicit, et ex aliis locis tum Scripturae, tum Patrum satis aperte colligimus, post remissam culpam, restare poenae temporalis reatum, vel propriis laboribus solvendum, vel per indulgentias condonandum. Non igitur evangelium est mendax, neque mendaces sunt indulgentiae, sed Calvinus evangelium mendaciter allegavit.

Pergit in eadem sectione Calvinus, ac docet, unde origo indulgentiarum fluxerit. *Si quis*, inquit, *originem requirat, hinc videtur hic abusus emanasse, quod cum injungerentur olim severiores satisfactiones poenitentibus, quam ut ab omnibus fieri possent, qui poenitentia sibi imposita gravari se ultra modum sentiebant; petebant ab Ecclesia relaxationem. Remissio quae talibus fiebat, indulgentia vocabatur. Ubi autem satisfactiones ad Deum transtulerunt, ac compensationes esse dixerunt, quibus se redimant homines a judicio Dei, simul etiam indulgentias eo traxerunt, ut essent expiatoria remedia, quae nos poenis meritis liberent. Illas vero quas retulimus blasphemias, tanta impudentia confinxerunt, ut nullum praetextum habere queant.*

In his verbis tria quaedam Calvinus affirmat, quae nullo testimonio, nulla ratione probare potuit. Neque enim ex historia antiquitatis, sed ex Lutheri somniis hausit quaecumque hoc loco effutiit. Primum igitur, ait, injungi solitas olim severiores satisfactiones, quam ut ab omnibus fieri possent, et relaxationem eorum, qui supra modum gravati erant, indulgentiam esse nominatam. Quaero, ubi hoc legerit, ubi didicerit, mirum silentium. Nos contra legimus in antiquis conciliis, indulgentias concedi solitas non iis, qui se supra modum gravatos dicerent, sed qui poenitentiam injunctam aliquanto tempore studiose, libenterque peregerant. Concilium ancyranum can. 4. alias 5. *Penes episcopum*, inquit, *erit potestas, modum conversationis eorum (poenitentium) probare, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia vero praecedens eorum vita, et posterior inquiratur, et ita eis impertiatur humanitas.* Et clarius cap. 22. *Modus poenitentiae in episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem poenitentium, possint et extendere tardantibus, et minuere studiose festinantibus.* Concilium nicaenum I. canon. 11. alias 12. cum poenitentiam lapsis praescripsisset annorum tredecim, addit: *Ab omnibus vero illud praecipue observetur, ut animus eorum, et fructus poenitentiae attendatur. Quicumque enim cum omni timore et lachrymis perseverantibus, et operibus bonis conversationem suam non verbis solis, sed opere, ei veritate demonstrant, cum tempus statutum etiam ab iis fuerit impletum, nimirum primi triennii, quo inter audientes futuri erant, et orationibus jam coeperint communicare, licebit episcopo humanius circa eos aliquid cogitare (idest, minuere aliquid de reliquis decem annis) qui vero indifferenter habuerint lapsum, et sufficere sibi quod Ecclesiam introierint arbitrantur, isti omni modo tempora statuta complebunt.* Ubi clarissi-

me vides indulgentiam dari diligentibus,negari negligentibus. Neque solum non est verum, quod Calvinus dicit, sed nec est ullo modo verisimile. Nam nec sancti illi Patres satisfactionea injunxissent severiores, quam par esset: nec si forte aliquis supra modum gravatus fuisset, illum per indulgentiam, sed per justitiam ab illo onere sublevassent. Quae enim indulgentia est, demere onus injuste impositum? Deinde affirmat idem Calvinus, satisfactiones illas poenitentiarias postea ad Deum fuisse translatas, et inde factum esse,ut indulgentiae crederentur esse remedia expiatoria, quae nos a poenis meritis liberent. Hic etiam quaerimus, ut ostendant Calviniani, quando satisfactiones poenitentiariae non pertinuerint ad expiandas poenas judicio Dei debitas, nos enim legimus in antiquissimis Patribus,per satisfactiones illas placari Deum, propitiari Deum, satisfieri Deo. Multa citavimus in libris de Poenitentia, nonnulla etiam in libro superiore. Nunc unius Cypriani testimonio contentus ero. Is igitur in serm. de lapsis exhortans ad poenitentiae opera illos, qui jam resipuerant, et poenitentiam agere coeperant, sed intercessione martyrum cupiebant sibi condonari reliquam poenitentiam, inter alia sic loquitur: *Poenitentia crimine minor non sit. Putas ne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium praeponere maluisti,cujus templum sacrilega contagione maculasti?* Et infra: *Poenitenti. operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quicquid pro talibus et petierint martyres, et fecerint sacerdotes. Vel si quis plus eum (Deum videlicet) suis satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit, dat ille et arma rursum, quibus victus armetur.* Et infra: *Qui sic Deo satisfecerit, qui poenitentiae facti sui,qui pudore delicti plus et virtutis, et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quem contristaverat nuper,laetam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Ex his habemus; non semel, sed bis, terve repetitum, per labores poenitentiae satisfieri Deo, et placari Deum: non igitur novum est, ut Calvinus videri volebat, satisfactiones ad Deum referri. Sed quoniam radix totius Lutherani et Calviniani erroris in eo posita est, quod negant, post remissam culpam, remanere poenae temporalis reatum expiandum in hac vita, vel in alia, adducam aliud Cypriani testimonium, quo manifeste docetur, etiam post hanc vitam remanere ejusmodi reatum. Sic igitur loquitur in epistol. 2.lib.4. conferens gloriam martyrii,quo reatus omnis continuo purgatur et tollitur, cum aliis generibus mortis. quae non habent eam vim; *Aliud*, inquit, *est ad veniam stare,aliud ad gloriam pervenire,aliud, missum in carcerem, non exire inde, donec reddat novissimum quadrantem, aliud statim fidei, et virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari et purgari diu in igne, aliud peccata omnia passione purgasse.* Haec ille, quae si a Calvino animadversa et credita fuissent,numquam negasset, post remissam culpam manere debitum luendae poenae, ac per hoc satisfactionem esse necessariam, et indulgentias, quae satisfactionem condonant, liberare a meritis poenis.

Ultimo loco Calvinus dicit, nullo praetextu excusari posse blasphemias supra recitatas de satisfactionibus sanctorum martyrum, quae cum Christi satisfactionibus misceantur. Sed nos contra existimamus, nullo praetextu excusari posse Calvini temeritatem, qui propter aliqua testimonia perperam intellecta (ut supra demonstravimus) totam Ecclesiam reprehendit, et tam perverso judicio de his rebus censet, ut blasphemias vocet, quae revera gloriam Dei continent maximam, nisi forte credendum sit, Christum eum honorem invidere martyribus, quem ipse illis contulit. Sed de his satis, neque enim verbis,sed rationibus dimicare proposui.

CAPUT VII.

Refelluntur objectiones Tilmanni Heshusii.

Tilmannus Heshusius in libro, quem inscripsit de sexcentis erroribus Pontificiorum, cum multo justius inscribi possit de sexcentis mendaciis Lutheranorum tit. 32. qui est de indulgentiis,contendit, indulgentias quadruplici nomine exterminandas esse, quod labefactent, ut ipse loquitur, quatuor praecipua capita doctrinae coelestis, videlicet de officio et merito Jesu Christi, de vera poenitentia,de sola fide justificante et de potestate clavium. Tam autem frigide et insulse probat quae dicit, ut nullo negotio refelli possit.

Quod enim ad primum caput attinet, ponit hoc principium, *Christus sanguine suo expiavit peccata mundi.* Idque probat ex illis verbis. *Hic est sanguis novi Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, Matth. 26. Item ex illis: *Filius hominis venit in hunc mundum non ministrari,sed ministrare, et dare animam suam redemptionem*, graecae λύτρον *pro multis.* Matth. 20. Item ex illis. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris etc.* 1. Joan. 2. Item ex illis: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius*, ad Ephes. 1. Item ex illis, *Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum*, Isai. 53. Denique ex illis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. Ex his testimoniis nude recitatis, concludit his verbis: *Cum ergo tam caro pretio redempti, et Patri reconciliati simus, quae est illa impudentia et contumelia in filium Dei, quod impostor ille promittit pro numerata pecunia remissionem, et meritarum poenarum indulgentiam? et cum Christus satisfecerit Patri pro totius mundi peccatis, blasphemum est mendacium, quod fingunt Pontificii, oportere fideles pro suis peccatis satisfacere. Sublato errore de satisfactione, sponte evanescit figmentum de indulgentiis.*Haec est prima Heshusii demonstratio, idest, antiqua Lutheranorum cantilena, millies a catholicis refutata. Fatemur enim Christum pro nobis,et pro toto mundo integre, immo plenissime Deo Patri satisfecisse, ut Scripturae allegatae,aliaeque permultae nos docent. Sed negamus, inde sequi, non debere fideles pro suis peccatis. idest, pro reatu poenae

temporalis expiando Domino satisfacere. Sicut etiam fatemur, Christum nobis gratiam et gloriam sanguine suo acquisivisse ac promeruisse: et tamen debemus gratiam per fidem, et sacramenta quaerere,et gloriam quasi palmam et bravium certando et currendo promereri: Apostolus enim omnibus dicit, *Sic currite, ut comprehendatis.* 1. Cor. 9.et de se: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, ideoque reposita est mihi corona justitiae* 1. Timoth. 4. Ratio autem horum omnium est, quoniam pretium redemptionis et satisfactionis a Christo persolutum, non prodest nisi iis, quibus per certa media, sive instrumenta applicatur, quod etiam adversarii confitentur, et si negarent, nullam caussam reddere possent, cur pagani, Mahumethani, Judaei, caeterique infideles pereant, cum Christus pro toto mundo satisfecerit, et omnibus hominibus gratiam et gloriam promeruerit. Itaque praeter illud principium, quod Heshusius ponit, Christum satisfecisse pro peccatis nostris, ponendum est hoc aliud, eam satisfactionem nemini prodesse, nisi per certa media et instrumenta applicetur,et tum remanet controversia, quae sint illa media, quam controversiam Heshusius hoc loco non attigit, et ideo nihil omnino suis clamoribus efficit. Nos enim existimamus pretium sanguinis Christi iis, qui ab infidelitate primum convertuntur, applicari per fidem et Baptismum; iis autem, qui post Baptismum ad peccata redeunt,et rursum a peccatis convertuntur ad Deum,applicari per sacramentum poenitentiae,cujus partes sunt contritio, confessio,satisfactio. Heshusius contra, existimant, sola fide applicari,vel certe per fidem et Baptismum. Sed nihil horum probat, nec probare potest. Pleni sunt enim libri tum prophetarum et apostolorum,tum etiam ss.Patrum testimoniis pro satisfactione, quam Deus post remissam culpam a nobis requirit. Et quemadmodum non est contumelia, vel blasphemia in Christum, dicere, pretium sanguinis ejus non prodesse infidelibus, nisi per fidem et Baptismum illis applicetur: ita non est contumelia, vel blasphemia dicere fidelibus, poenitentibus non prodesse, nisi per sacramentum Poenitentiae,ac per hoc per contritionem, confessionem et satisfactionem applicetur. Admissa autem necessitate satisfactionis, dogma de indulgentiis facillime constituitur. Nam sicut pretium sanguinis Christi non prodest ad remissionem culpae et poenae sempiternae, nisi per fidem et sacramentum applicetur: ita sine ulla Christi contumelia dici potest, idem pretium non semper prodesse ad remissionem totius poenae temporalis, nisi per opera poenitentiae,vel per indulgentias applicetur. Quod autem diximus, per opera poenitentiae, idest, per nostram satisfactionem, pretium sanguinis Domini, idest, ejus satisfactionem nobis applicari, non sic intelligimus, quasi nostra satisfactio non sit veri nominis satisfactio. Nam et vera satisfactio est, ut in lib. 4. de Poenitentia demonstravimus, et simul tamen cum ea, et per eam Christi satisfactio nobis applicatur. Neque nostra satisfactio Christi sattsfactioni adjungitur, quod illa per se non sufficeret: sed quia voluit ipse nobis etiam gratiam satisfaciendi tribuere, ut efficacia sanguinis ipsius magis splendesceret, dum non solum ipse satisfaceret, sed etiam membris suis virtutem satisfaciendi communicaret.

Porro quod addit Heshusius, pontificem pro numerata pecunia peccata remittere, atque indulgentiam dare, mera calumnia est. Neque enim pontifices pecunias ullas pro indulgentiis exigunt,sed jubent eos,qui indulgentias consequi cupiunt,orare, jejunare, eleemosynas facere,vel in commune pauperibus,vel in certum aliquod pium opus,ut in basilicae aedificationem, sed illud est frequentius,et hoc tempore solum in usu, ut eleemosynae pauperibus in communi erogari jubeantur.

CAPUT VIII.

Refelluntur aliae objectiones ejusdem Tilmanni Heshusii.

Venio ad secundum caput argumenti Heshusiani. Sic igitur ille pergit: *Obscurant*, inquit, *Pontificii necessariam doctrinam de poenitentia commento indulgentiarum. Cum enim docent homines pro suis peccatis vel in hac, vel in futura vita satisfacere, aut etiam impositas satisfactiones pecunia redimere posse, extenuant peccati magnitudinem, parvi faciunt judicium Dei adversus peccatum, instillant animis hominum securitalem, atque ita verae contritionis fundamenta evertunt.* Haec ille, qui sine dubio aliquid diceret, si nos diceremus, pro culpa et poena sempiterna, posse a nobis Domino satisfieri. Id vero non dicimus, atque ea de caussa theologi nostri disputant, necessariam fuisse incarnationem Filii Dei, quoniam tanta est magnitudo peccati, ut non potuerit ulla pura creatura ex rigore justitiae pro peccatis hominum satisfacere Deo. Id igitur solum docemus, post culpam remissam posse hominem justificatum per gratiam Dei, satisfacere Deo pro reatu poenae temporalis tantum:quod non solum non extenuat, sed etiam amplificat mirum in modum tum peccati magnitudinem, tum judicium Dei adversus peccatum. Quis enim non miretur divini judicii severitatem, et ipsius peccati molem, si cogitet Deum ab ipsis etiam filiis suis et amicis, Christi sanguine justificatis, et reconciliatis adhuc repetere poenas pro delictis, vel in hac vita, vel in futura? Sed qui sunt, qui nobis objiciunt. quod peccati gravitatem extenuemus, et judicium Dei parvi faciamus? Nempe Lutherani, qui usque adeo peccatum extenuant, judiciaque Dei contemnunt, ut nihil ad expianda peccata exigi arbitrentur, nisi ut credant ea sibi a Deo non imputari. Utri igitur magis peccatum extenuant, et Dei judicia parvipendunt; catholici, qui praeter fidem, contritionem, confessionem et satisfactionem necessariam esse docent ad peccata purganda; an Lutherani, qui sola fide, sine ullo poenitentiae labore purgari peccata contendunt? Simile est, quod de securitate addit Heshusius. Nam si Catholici dicerent. per satisfactionem vel indulgentias homines reddi securos de salute aeterna, etiamsi contritionem de peccatis nullam habeant, neque a peccatis ad Deum converti velint, rectissi-

me diceret Heshusius, per inanem istam securitatem everti fundamenta contritionis et poenitentiae. At non hoc dicimus, sed cum b. Augustino in lib. 21. de Civit. Dei cap. 27. inter errores perniciosissimos numeramus sententiam illorum, qui dicebant, eleemosynas et similia bona opera sine vera conversione et poenitentia sufficere ad salutem, et verbis disertis omnes theologi nostri tradunt, satisfactionem et indulgentias non prodesse nisi iis, qui per veram contritionem et reconciliationem justificati in gratiam a Deo recepti sunt. Neque etiam tunc securitatem salutis pollicemur per indulgentiam, nisi sub conditione, si videlicet adsit auctoritas in concedente, gratiae status in suscipiente, et pietas atque rationabilitas, ut sic loquamur, in caussa. Absolute autem spem bonam et fiduciam pollicemur, juxta illud Apostoli 1.Timoth. 3. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide,quae est in Christo Jesu.* Est autem valde mirum, quod Heshusius securitatem nobis objiciat, cum alioqui nos ut plurimum reprehendant Lutherani,quod dubitationem, et metum persuadeamus nostris, cum ipsi contra doceant suos, ut certissime credant, se justos esse et salvos fore, atque hanc ipsam fidem de propria justitia, fidem justificantem et catholicam esse velint.

Superest tertium caput argumenti Heshusii,quod his verbis ipse persequitur: *Sepeliunt quoque doctrinam*, inquit, *de fide, seu fiducia in mediatorem Jesum Christum, si enim remissio poenarum pecunia emi potest, non est necesse credere in filium Dei Jesum Christum.At tota Scriptura clamat:qui non credit in Filium,vitam non videbit, sed ira Dei manet super eum. Joan. 3.*

Haec videlicet est illa insolubilis demonstratio, ob quam ita se jactat et triumphat Heshusius. Et quidem doctrinam de vera fide et fiducia in Christum non solum non sepeliunt, sed etiam enitescere, atque eminere faciunt indulgentiae. Siquidem fundamentum habent in thesauro meritorum Christi, et non prosunt nisi veris fidelibus, et per fidem veram ac vivam justificatis. Quare absurda et inepta est illa consequentia, per indulgentias, vel per opera satisfactoria, quales sunt eleemosynae pecuniariae, redimuntur peccata ab iis, qui credunt in Christum, et meritis ipsius ac satisfactione nituntur, igitur non est necesse credere in Christum Filium Dei. Fateor tamen per satisfactiones et indulgentias vere sepeliri doctrinam de sola fide, seu fiducia justificante. Quam fidem, seu fiduciam inanem et falsam, et non tam justificantem quam sub spe justificationis animas deludentem ac seducentem esse, alibi demonstravimus. Quod autem Heshusius dicit, pecunia redimi poenarum remissionem ex catholicorum sententia, verum est in eo sensu, quo Daniel regem quendam admonuit, *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum*, Daniel. 4. Nimirum existimamus, per eleemosynas, ut etiam per jejunia, aliaque pia opera, praesertim laboriosa et poenalia, remitti poenas temporales, quae remanent post culpam remissam, ut jam saepe dictum est.

Quartum caput argumenti, quo probandum erat per satisfactiones et indulgentias labefactari doctrinam de potestate clavium, Heshusius non adscripsit: An oblivione,an alia de caussa, incertum est. Sed hanc jacturam meliori compensatione resarcivit. Adjunxit enim aliquid adversus indulgentias pro defunctis. *Quod fingunt*, inquit, *indulgentias per modum suffragii valere pro mortuis, pugnat cum dicto Christi, Qui non credit in filium, jam judicatus est*, Joan. 3. Item: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,ut referat unusquisque ea, quae gessit in corpore, sive bonum, sive malum.* 2. Corinth. 5. Item: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, Apocal. 14. *Infelices ergo, et quibus nullae indulgentiae prosunt, qui in Domino non moriuntur. Sanctorum meritis confidere, blasphemum et contumeliosum est in Filium Dei.*

Mirabilis sane dialectica Heshusii, per quam sine medio termino quidlibet ex quolibet licet colligere. Qui non credit in Filium Dei jam judicatus est: Igitur indulgentiae per modum suffragii defunctis valere non possunt. Sanus ne est, an delirat, qui ita colligit? Fatemur indulgentias nullo modo prodesse iis, qui sine fide in Christum decesserunt, qui juxta verbum Domini judicati, idest, condemnati sunt. At non inde sequitur, non prodesse iis, qui cum fide, spe et charitate migrarunt,et adhuc tamen in locis purgatoriis degunt, de quibus sic loquitur s. Augustinus hom. 16. et lib. 50. Homiliarum.*Qui temporalibus poenis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit: Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* At inquit Hesusius, omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque ea quae gessit in corpore, sive bonum, sive malum: non igitur mortuis aliquid prosunt indulgentiae aliave suffragia. Respondeo: Mortuos quidem ea tantum recipere, quae gesserunt in corpore, sed eos, qui in fide, spe et charitate usque ad finem perseverarunt, id egisse in corpore, ut post mortem suffragiis atque indulgentiis juvari possent. Contra autem eos,qui in peccatis lethalibus usque ad mortem permanserunt, id egisse in corpore.ut eis post neque indulgentiae, neque suffragia ulla prodessent. Sic enim loquitur s. Augustinus in enchir. cap. 109. *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynae in Ecclesia fiunt.Sed eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus,nec tam bonus, ut non requirat ista, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem.* Et infra: *Non igitur ista, quae pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicae sunt adversa sententiae,qua dictum est; omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea, quae per corpus gessit, sive bonum.sive malum; quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viverent comparavit, ut ei possent ista prodesse, non enim omnibus prosunt, et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitae, quam quisque gessit in corpore?* Haec ille. Ad locum autem Apocalypsis responde-

mus, eos, qui in Domino omni ex parte moriuntur, quales sunt martyres,quos eo loco praecipue Joannes apostolus consolatur, plane beatos esse, neque indulgentiis, aliisve suffragiis indigere, ac de his hunc locum exponunt s. Ambrosius, Haymo, Hansbertus et Richardus de s. Victore; eos autem qui nulla ex parte in Domino moriuntur, quales sunt homines perditi, qui sine gratia Dei et justificatione decedunt, infelices omnino ac miseros esse, neque indulgentias aliave ulla suffragia eis prodesse. Sed inter hos quidam sunt medii, ut paulo ante ex Augustino didicimus, qui partim in Domino, partim non in Domino moriuntur, in Domino quidem, quia cum fide, spe et charitate de hac vita discedunt, non in Domino, quia maculae veniales, vel reatus poenae temporalis illis adhaerent, ob quae purgatione, atque expiatione indigeant. Isti igitur nec tam perfecti sunt, ut continuo requiescant a laboribus suis, neque suffragiis Ecclesiae, vel indulgentiis opus habeant: nec tam sunt imperfecti, ut requiem a poenis et laboribus non expectent, vel ut indulgentiis et eleemosynis, aliisque suffragiis relevari non possint. Neque mirabitur, nos dicere aliquos mori partim in Domino, partim non in Domino, qui apud s. Augustinum lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. legerit, homines eosdem propter gratiam Dei, quam habent, esse filios Dei propter peccata venialia quibus non carent,esse filios hujus saeculi. Illa denique Heshusii postrema conclusio. blasphemum et contumeliosum esse in Filium Dei, sanctorum meritis fidere, unde colligatur,omnino non video. Nam neque ex proximis superioribus verbis nascitur,neque ad rem propositam ullo modo facit. Sed jam dictum est, secundum novam Heshusii logicam, quidlibet ex quolibet colligi posse. Tantum autem abest, ut fidere sanctorum meritis, sit vel blasphemum, vel contumeliosum in Filium Dei, ut sit Filio Dei perhonorificum et gloriosum; Quid enim sunt sancti, nisi palmites fructuosi, ejus nobilissimae vitis, quae dicit in evangelio: *Ego sum vitis, et vos palmites?* et quoniam palmites omnem virtutem suam ex vite trahunt, certe omnis palmitum gloria in vitem redundat. Itaque cum sanctorum meritis confidimus, Christo confidimus, sine quo illi nihil facere possunt. Neque ita confidimus sanctorum meritis, ut ab illis gratiam vel gloriam expectemus, sed solum, ut saepe diximus, ut per eorum satisfactiones,nobis communicatas, a reatu poenae temporalis liberemur, vel eorum intercessione a Deo per Christum varia beneficia consequamur.

CAPUT IX.

Respondetur ad primum caput disputationis Martini Kemnitii de indulgentiis.

Martinus Kemnitius in 4. part. examinis concilii tridentini, discutiens decretum concilii de indulgentiis, quod habetur in ult. sess. longissimam, idest, verbosissimam more solito de indulgentiis disputationem instituit. Eam nos hoc loco refutare aggredimur, ac Deo bene juvante non magno negotio fraudes ejus et mendacia detegemus, et argumenta, si quae erunt alicujus momenti, breviter et dilucide refellemus. Sed illud initio lectorem admonitum volo, nolle me tempus terere in recitandis iis, quae Kemnitius,ut librum suum pleniorem faceret, ex libris catholicorum descripsit; quae plurima sunt, ut canones omnes poenitentiales, quos ex conciliis, ex Burchardo, et ex Gratiano in medium attulit, et alia id genus. Item nolle me repetere refutationem aliorum errorum Lutheranorum, qui passim a Kemnitio inculcantur,quamvis ad rem praesentem non faciant. Satis enim multa tum in libris aliorum catholicorum, tum etiam in nostris extant, unde errores illi plenissime confutentur. Denique nolle me verbis sine necessitate contendere, neque convicia et contumelias, quibus catholicos passim aspergit, referre et retorquere (quod longissimum esset) nisi aliquando nimia ejus impudentia nos cogat aliquid dicere. Igitur duo tantum in hac discussione Kemnitianae disputationis praefare mihi propositum est, ut notem quae falso Kemnitius nobis imponit, et argumentis ejus adversus indulgentias perspicue,solideque respondeam.

In primo capite disputationis suae Kemnitius, idest pag. 215. in editione Francofordiensi in octavo, statum quaestionis exponit, quid videlicet illud sit, quod nomine indulgentiae in hac disputatione accipiatur. Ubi multa sunt, quae perperam ab illo dicuntur, ut caussam catholicorum odiosam reddat. *Primum miratur cur tridentinum concilium,si pontificias indulgentias non prorsus damnare et abjicere volebat, non saltem earum mentionem sepelierit, vel approbationem suspenderit: cum toti orbi,atque adeo ipsis pontificiis notum sit (ut ipse loquitur) impudentem et impiam indulgentiarum nundinationem a multis doctis, et piis viris deploratam et reprehensam fuisse.* Sed non est cur miretur. Nam concilia Ecclesiae catholicae, quale tridentinum fuit, non solent dogmata quotannis mutare, ut Lutherani faciunt, neque circumferri omni vento doctrinae. Concilia vetera, lateranensia, lugdunensia, viennensia (ut supra ostendimus) indulgentias approbarunt,abusus, qui forte irrepserant, condemnarunt. Idem omnino tridentinum concilium fecit. Neque tribuendae sunt Ecclesiae catholicae, si quae irrepunt ex cupiditate pravorum hominum corruptelae in cultu religioso, praesertim cum non solum pii et docti viri, sed ipsa etiam concilia vigilent adversus ejusmodi corruptelas. Neque id Kemnitius ignorare potest,cum in hac ipsa disputatione pag. 332. referat decretum concilii lateranensis et pag. 345. decretum concilii viennensis adversus abusus, qui in indulgentiarum praedicatione admisceri coeperant, et ipse idem pag. 213. integre recitet decretum concilii tridentini, quo damnantur et prohibentur superstitiones et abusus omnes, et nominatim pravi quaestus, unde plurimorum in christiano populo abusuum caussa fluxit. At non sunt tollendi boni usus, ut destruantur abusus, neque specie reformationis Ecclesia funditus evertenda est,ut Lutherani et Calviniani facere moliuntur. Sed non mentitur,

qui ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, ut portae inferi non praevalebunt adversus eam*, Matth. 16.

Secundo idem Kemnitius pag. 218. dicit ex sententia catholicorum temporalem poenam, quae remanet luenda post remissam culpam in sacramento Poenitentiae, majorem esse, quam ut a quoquam hominum in hac vita exolvi possit. Sed hoc falso nobis imponit, neque ullum scriptorem catholicum inveniet, qui hoc dicat. Immo vero catholici theologi docent, non solum posse hominem justificatum satisfacere Deo pro debito poenae temporalis, sed etiam id posse ex condigno. Vide praeter caeteros, Dominicum a Soto in 4. sentent. dist. 19. q. 1. art. 4. Porro falsa ista dogmata nobis Kemnitius adscribit, ut videamur super falsis fundamentis inniti, cum docemus in purgatorio poenas dari a spiritibus defunctorum, et tum in hac vita, tum in alia indulgentias locum habere.

Tertio ibidem Kemnitius dicit: Catholicos docere, divinam justitiam majores adhuc poenas erigere, quae in purgatorio luendae sint, etiamsi canonica poenitentia in hac vita plene exolvatur. Sed hoc etiam falso catholicis imponi certissimum est. Tunc enim solum majores poenas Deus exiget, quando poenitentia canonica injuncta est minor, quam par esset. Sed si injungatur aequalis, ut plane injungi potest, et ea plene exolvatur, nihil in purgatorio solvendum superesse omnes catholici docent, ut videre est apud s. Thomam, aliosque theologos in 4. dist. 20.

Quarto Kemnitius pag. 219. dicit, satisfactiones ex thesauro Ecclesiae per indulgentias applicari illis, qui eas vel pecunia, vel aliis operibus redimunt, atque hanc esse catholicorum doctrinam, et paulo infra, dicit, ea sententia catholicorum, indulgentias licitantibus et redimentibus dispensari. Sed hae merae sunt calumniae et imposturae; eleemosynas quidem, aliaque pia opera pontifex maximus solet injungere cum indulgentias tribuit, non tamen ut emantur indulgentiae (neque enim ea pecunia ad pontificem, sed ad pauperes pervenit); sed, ut exerceantur in operibus bonis Christi fideles, et ut aliorum liberalitate miserorum inopiae succurratur.

Quinto: In eadem pagina Kemnitius dicit, ex sententia catholicorum, thesaurum Ecclesiae constare ex operibus bonis sanctorum, quae ipsis ad promerendam et consequendam salutem necessaria non erant, quae vocantur opera supererogationis: item ex passionibus eorundem, quae ipsis ad propria delicta purganda opus non fuerunt. Sed ut hoc postremum de passionibus est verum, ita illud de operibus supererogationis est falsum. Neque enim ullus theologorum est, qui scripserit thesauro Ecclesiae contineri opera meritoria supererogationis. Illa enim opera, quamvis supererogationis fuerint, tamen suo praemio non caruerunt, atque ideo nulla ratio sinit, ut aliis applicari possint. Vocant quidem aliqui opera supererogationis passiones sanctorum, ut satisfactorias ipsis minime necessarias. Sed nos de re ipsa, non de nomine litigamus. Sed haec non sine caussa finguntur a Kemnitio. Scit enim Lutheranos valde odisse opera supererogationis, ut ipsum etiam vocabulum ferre non possint. Inde igitur existimavit, vel hoc ipso indulgentias fore invisas et execrandas, si ex operibus supererogationis sanctorum fluxisse dicerentur.

CAPUT X.

Respondetur ad secundum caput disputationis Kemnitii.

In secundo capite disputationis suae Kemnitius demonstrare conatur, indulgentias, ut a catholicis accipiuntur, non habere fundamentum in Scripturis, immo pugnare cum praecipuis capitibus doctrinae christianae. Primum igitur profert multa Scripturae testimonia, quibus probat, per Christum nobis peccata remitti. Sed haec non egent ulla solutione, cum non pugnent adversus indulgentias, neque a nobis negentur, et solum ad implendas paginas adferantur.

Secundo profert argumenta negantia, quod vides licet, Scripturae non dicant, quod nostris operibus possimus Deo satisfacere, quod sint aliquae poenae purgatorii, quod sit thesaurus aliquis operum supererogationis, quod soli Petro sint traditae claves regni coelorum, quod sacerdos absolvens debeat imponere poenitentias: et quod bullae indulgentiarum fieri debeant etc. Et addit adeo haec esse vera, ut Durandus, Antoninus, Roffensis et Sylvester fateantur, indulgentias non posse probari ex Scripturis, sed ex sola Ecclesiae romanae auctoritate. Sed hujus argumenti magna ex parte falsum est antecedens, et omnino mala consequentia. Falsum est, in Scripturis non haberi, quod operibus nostris possimus satisfacere Deo, cum scriptum sit Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Luc. 11. *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Prov. 16. *Misericordia et veritate redimitur iniquitas*. Falsum est, Scripturas nihil habere de poenis purgatorii, cum scriptum sit 1. Cor. 3. *Ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem*, et Luc. 12. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*, et Matth. 12. *Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro*. Falsum est, nihil in Scripturis tradi de operibus supererogationis, quamvis, ut supra diximus, non pertineant haec opera ad indulgentias. Quid enim est, quod ait Dominus, Luc. 10. *Si quid supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi?* Et nonne b. Paulus 1. Corinth. 9. testatur se potuisse victum quaerere ab his, quibus evangelizabat, ut apostoli caeteri quaerebant, et tamen maluisse propriis manibus laborare, quod fuit opus supererogationis interpretum omnium testimonio? Falsum est, in Scripturis nihil dici de clavibus soli Petro traditis cum disertis verbis Dominus dicat Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est, et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque*

solveris super terram, erit solutum et in coelis:et quodcumque ligaveris super terram,erit ligatum et in coelis. Falsum est in Scripturis non haberi sacerdotem absolventem debere imponere poenitentiam. Nam cum in Scripturis sacerdos fiat judex, qui debeat solvere vel ligare, remittere vel retinere peccata, certe etiam debet ita reos absolvere ut justitiae satisfiat, ac proinde solvere a culpa et ligare ad poenam pro modo culpae subeundam. Sed de his omnibus suis locis disseruimus. Quod ultimo dicebatur de bullis indulgentiarum, non habetur quidem in Scripturis in particulari, sed habetur in communi. Dum enim tribuitur pontifici maximo potestas ligandi et solvendi quicquid ligandum , solvendumve judicaverit, non dubium est, quin sit etiam eidem attributa potestas solvendi reatum poenae, remanentis post culpam remissam,et ea de re scribendi literas, quae bullae vocantur, quibus ea concessio contineatur. Sed etiam si nihil horum scriptum esset, non tamen sequeretur, indulgentias non niti nisi auctoritate Ecclesiae romanae, possent enim niti auctoritate divina, cognita per traditionem apostolorum, quo modo alia non pauca, et praeter caetera numerum librorum sacrorum ac praesertim evangeliorum , non ex aliqua Scriptura, sed ex traditione apostolica, et Ecclesiae auctoritate habemus. Neque enim Ecclesia usum indulgentiarum concedendarum per se excogitavit, sed a majoribus accepit, cujus rei signum est, quod non possunt adversarii hujus consuetudinis ullum assignare principium. Atque hoc sibi volunt Durandus, Antoninus,Roffensis et Sylvester, quos Kemnitius allegat: nimirum affirmant, non haberi in Scripturis expressam mentionem indulgentiarum, quamvis fundamenta non desint, unde perspicue colligantur. Sed sufficere ad eas etiam sub hoc nomine defendendas Ecclesiae auctoritatem, quae non iam constanter indulgentias praedicaret, et in conciliis oecumenicis approbaret, nisi divinitus traditam sibi potestatem hujusmodi non ignoraret.

Sed objicit Kemnitius s. Augustinum, qui lib.3. contra literas Petiliani cap. 6. ita scribit: *Si quis de quacumque re, quae pertinet ad fidem, vitamque nostram, si vel angelus e coelo vobis annunciaverit praeter quam quod in Scripturis legalibus et evangelicis accepistis, anathema sit.* Nos autem ipsum eundem s.Augustinum respondentem adducemus. Ipse enim tract. 98. in Joannem scribit, illud, praeter quam, non significare,plus quam, sed contra quam. *Non ait Apostolus*, inquit Augustinus, *plus quam accepistis, sed praeter quam quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi praejudicaret, quid cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quae illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit, non quod inerat tollit. Qui autem praetergreditur regulam fidei, non accedit in via.sed recedit de via etc.* Non igitur anathema dicitur iis,qui credunt aliquid, quod non invenitur expresse scriptum in sacris literis, sed iis, qui credunt aliquid, quod repugnat sacris literis. Nam idem Augustinus lib. 2. de Baptis. cont. Donat. cap. 7. *Multa*, inquit, *non inveniuntur in literis apostolorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.* Et lib. 4. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur:* Denique lib. 1. cont. Crescon. cap. 33. *Quamvis*, inquit, *hujus rei de Scripturis canonicis non proferatur exemplum: earundem tamen Scripturarum a nobis etiam in hac re tenetur veritas. cum hoc facimus, quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commentat auctoritas.* Ab hoc igitur loco depulsus Kemnitius, aggreditur demonstrare indulgentias repugnare Scripturis: *Non rhetoricis*, inquit, *declamationibus, sed nuda tantum indicatione simpliciter per capita spectandum et considerandum proponam, quemadmodum indulgentiae pugnent. I. contra meritum et satisfactionem Christi. II. contra gratuitam et plenariam remissionem Dei. III. contra claves regni coelorum. IV. contra fidem. V. contra doctrinam de bonis operibus. VI. quod talis nundinatio in Scriptura jamdudum damnata sit.*

Ac primum quidem caput solo mendacio probat. Dicit enim nos docere, Christum culpam quidem nostram omnem, sed non totam poenam peccatorum nostrorum in se suscepisse. Ac deinde probat id esse falsum ex Scripturis Isai.53. Galat. 3. Deuter. 28. At mendacium esse manifestum, a catholicis doceri, Christum suscepisse purgandum omnem culpam, sed non omnem poenam, vel ex eo potest intelligi, quod indulgntiae ex nostra sententia nituntur thesauro passionis Christi,qui satisfecit Deo Patri plenissime pro reatu culpae et poenae temporalis et aeternae omnium peccatorum. Si per indulgentias dicimus applicari nobis satisfactionem Christi pro reatu poenae, quo modo potuit in mentem Kemnitii cadere nos dicere Christum non satisfecisse pro poena?

Secundum caput, idest, pugnare indulgentias cum gratuita et plenaria remissione Dei, probat ex Scripturis nihil ad rem nostram facientibus. Adducit enim illa testimonia: *Qui credit in Filium Dei, non judicatur.* Joan. 3. *et in judicium non venit.* Joan. 5. *Peccatorum ejus non recordabor.* Ezech. 18. *Omnia peccata nostra projecit in profundum maris.* Michaeae 7. et similia. Nam haec testimonia probant quidem reconciliari peccatorem Deo, sed an tota poena peccatis debita semper remittatur, non docent. Jam enim supra demonstravimus ex lib. 2. Reg. cap. 12. dictum esse Davidi poenitenti: *Dominus transtulit peccatum tuum*, et tamen expetitam ab eo poenam. mortem filii, quam ut averteret David, jejunavit, oravit, flevit etc. Sed Kemnitius adducit similitudinem ab humana consuetudine: *Certum*, inquit, *et manifestum est, si quis privatus ita dimitteret offensam proximo,ut nihilominus vindictam aliquam expetere, et supplicium aliquod de ipso sumere vellet, talem ui non ex corde remittentem peccata graviter a Christo reprehendi. Qua fide igitur talem remissionem ipsi Deo tribueremus? Certe si culpam, hoc est, debitum omne dimisit, non habet caus-*

sam exquirendi poenas. At similitudo in ipsum retorqueri potest. Nam qui injuriam accepit, et vel in facultate,vel in fama, vel in ipsa persona laesus est, sic potest ac solet ordinarie offensam dimittere et in gratiam recipere eum, qui laesit, ut tamen detrimentum compensari et resarciri sibi velit. Et quamvis privati homines nullam interdum compensationem injuriae quaerant, judex tamen poenam ab eo, qui injuriam fecit repetere, et vindictam sumere solet. Sic igitur Deus, qui non solum pars offensa, sed etiam judex est,remittit quidem culpam, cum poenitentes in gratiam recipit, sed poenam totam non semper remittit, ut exemplo Davidis ostendimus. Neque hoc repugnat illis verbis Domini Matth. 17. *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me etc.* Nam per *omne debitum*, intelligitur omnis culpa, non omnis poena. Comparat enim Dominus eo loco peccata cum debito pecuniario, et loquitur de remissione offensarum, quatenus ea gignunt inimicitias. Itaque exemplo suo Dominus, qui poenitentibus ita peccata remittit,ut eos vere in gratiam et amicitiam suam admittat, admonet homines, ut ex corde remittant injurias proximis, eosque vere diligant; id enim significat illa sententia: *Sic et Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quibus verbis, ut s. Hieronymus in commentario docet, omnis simulatio fictae pacis evertitur. Sed nihil impedit, ut diximus, quo minus satisfactionem justam exigere possit,qui laesus est, etiamsi eum qui laesit, ex corde diligere, nec solum non laedere, sed etiam protegere deinceps velit.

Tertium caput, quod videlicet indulgentiae pugnent cum doctrina de clavibus regni coelorum, non probat Kemnitius, nisi verbis ludendo: *Christus*, inquit, *dicit: Quicquid solveritis, erit solutum, et quorum remiseritis peccata,erunt remissa. Romanenses indulgentiae contradicunt. quicquid Christi claves solvunt. hoc pontifex romanus suis poenis retinet, et ligatum mittit ad poenas vel in hac vita,vel in purgatorio exolvendas.* Haec non sunt argumenta, sed nugae. Nobis autem non libet in re seria ludere. Porro Christus non solum dixit, *Quodcumque solveris, erit solutum;* sed etiam, *Quicquid ligaveris, erit ligatum.* Itaque pontifex non ligat, quod Christus solvit, sed sicut potest solvere. ita potest ligare, et hac potestate ligat ad poenam subeundam, quos a culpa absolvit. Neque contrarium potuit Kemnitius probare, nec poterit.

Quartum caput, quod indulgentiae pugnent contra fidem justificantem, non probat Kemnitius, nisi hoc argumento, quod Scriptura Rom. 3. et 4. et 11. et Ephes. 2. ita solam fidem in justificationis negotio requirat, ut excludat etiam opera legis, quae Deus ipse mandavit: indulgentiae vero justificationem tribuant commentitiis operibus, ut peregrinationibus ad hanc vel illam Ecclesiam visitandam. Sed hoc argumentum totum ex imperitia et mendaciis constat. Nam ut omittam, quod non excluduntur a justificatione opera bona, quae nascuntur ex fide et gratia Dei, sed illa tantum, quae fiunt solis viribus naturae, ut in libris de justificatione docuimus. Nam dicimus per indulgentias, homines justificari, immo docemus, non dari indulgentias, nisi justificatis. Id quod vel a suo patriarcha Luthero Kemnitius discere potuisset. Lutherus enim hoc assumpsit, indulgentias non justificare, et nos admisimus esse verum. Praeterea cum indulgentiae ex catholicorum sententia non justificent, multo minus tribuere possunt justificationem operibus commentitiis. Adhaec opera illa, quae accepturis indulgentias injunguntur, valde temere commentitia a Kemnitio nominantur; peregrinationes enim ad loca sacra orationis caussa praecipi solent, quibus ordinarie jejunia, et eleemosynae adjunguntur. Ista autem omnia multis Scripturarum testimoniis commendantur, ut praesertim Tob. 12. Matth. 5. et 6. et alibi passim. Denique istis ipsis operibus non tribuimus effectum indulgentiarum, quem falso justificationem appellat Kemnitius. Effectus enim proprius indulgentiarum est relaxatio poenae temporalis, qui effectus potissimum tribuitur meritis Christi, ut in libro superiore docuimus. Quare cum omnia pene verba Kemnitiani argumenti falsa sint, certe non potest ullo modo esse vera conclusio.

Quintum caput, quod indulgentiae pugnent cum operibus bonis, probat Kemnitius ex iis locis Scripturae, quibus ipse censet refelli opinionem de operibus supererogationis, in qua opinione fundari existimat indulgentias. Loci sunt hi Luc. 17. *Cum omnia feceritis dicite, servi inutiles sumus, quia quod debuimus, fecimus.* Matth. 25. dicentibus fatuis virginibus, *date nobis de olio vestro*, responderunt prudentes, *ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.* Sed hoc argumentum nititur falsis principiis, non minus, quam praecedens. Neque enim fundamentum indulgentiarum ponitur a catholicis in operibus supererogationis sanctorum, sed in satisfactionibus, quae ipsis necessariae non sunt. Nam etiam opera debita et imperata a Deo satisfactoria esse possunt, et non necessaria iis, a quibus fiunt, in ratione satisfactionis. Si tyrannus instet, ac supplicia et mortem comminetur,nisi fidem abneges, non est opus supererogationis, sed plane debitum et necessarium, fidem non negare, sed confiteri et perferre supplicium, et tamen opus illud non solum est meritorium gloriae, sed etiam satisfactorium pro reatu poenae, quem reatum fieri potest, ut non haberet, qui supplicia illa perferebat. Nec tamen Kemnitius refellere potuit opera supererogationis, nisi depravando Scripturas. Non enim Dominus ait Luc. 17. *Cum feceritis omnia. dicite servi inutiles sumus.* Sed ait: *Cum feceritis haec omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Itaque illi dicuntur inutiles, qui nihil faciunt. nisi quod eis praeceptum est, et quod facere debent. Ex quo sequitur, ut qui faciunt aliquid amplius quam teneantur, ut qui se castrant propter regnum coelorum, idest, perpetuam continentiam servant, et qui dant omnia pauperibus,vel alia id genus non imperata faciunt; servi utiles dici debeant. Neque haec mea, sed s. Ambrosii explicatio est qui in libro de Viduis tractans hunc locum sic ait: *Hoc*

virgo non dicit (nimirum servus inutilis sum), hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit, sed quasi reposita expectat praemia, sicut sanctus Apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, et secuuti sumus te, quid ergo erit nobis? Non enim quasi inutilis servus quod debuit facere fecisse se dicit, sed quasi utilis Domino,qui commissa sibi talenta quaesitis multiplicavit usuris, mercedem fidei atque virtutis bene sibi conscius,meritorumque securus expectat. Illud vero Matthaei 25. *Date nobis de oleo vestro; et ne forte non sufficiat nobis et vobis*: non ad exclusionem operum supererogationis, neque communicationis satisfactionum pertinet, sed ad exclusionem communicationis justitiae et meritorum. Significatur enim per eam parabolam, eos quibus in hac vita extincta fuerit lampas charitatis et operum bonorum, et qui in eo statu de vita migraverint, frustra imploraturos merita sanctorum. Nam ut dicitur Ezech. 18. *Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum*, et Gal. 6. *Unusquisque onus suum portabit*, et Rom. 2.*Reddet Deus unicuique secundum opera sua.* Atque ad hoc significandum in ea parabola dicentibus fatuis virginibus, *Domine Domine aperi nobis*, respondetur a Domino, *Amen dico vobis,nescio vos.* Alia testimonia Kemnitius adducit ad probandum, opera nostra non esse sine peccato, sed ea nihil ad propositum faciunt, et sunt a nobis omnia diligenter explicata in libris de justificatione.

Sextum caput, quod indulgentiae sint expresse damnatae in Scripturis sanctis, probat Kemnitius ex epist. 2. b. Petri cap. 2. *In avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Item *libertatem aliis pollicentur, cum ipsi sint servi corruptionis*, et Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia parari.* Ex his duobus locis concludit suum argumentum in haec verba Kemnitius: *Hoc est ipsissimum judicium Spiritus sancti, de indulgentiis pontificiis.* Quae conclusio indicat incredibilem fuisse in Kemnitio libidinem maledicendi, etiam adversus propriam conscientiam. Nam ignorare non potest abusum quaestuariorum, quibus utcumque accommodari possent verba s. Petri, ut ea Cajetanus accommodat, romanis pontificibus adeo semper displicuisse, ut eos publicis constitutionibus damnaverint et prohibuerint. Siquidem ipse idem Kemnitius refert ad verbum decreta de hac re Innocentii III., Clementis V. et ipsius synodi tridentinae. Qua igitur conscientia, qua fronte non solum hoc loco, sed passim in tota disputatione romanis pontificibus tribuit, quae a romanis pontificibus damnata, atque interdicta fuisse idem ipse testatur? Videat autem Kemnitius, ne verba s. Petri in 2. epist. ad se,et Lutheranos caeteros pertineant. Certe s. Augustinus in lib. de fid. et operib. cap. 14. totam hanc epist. ut etiam epistolam Jacobi et Judae adversus eos scriptas esse dicit, qui affirmabant sola fide homines salvari posse, quae est hoc tempore haeresis Lutheranorum,et in eodem libro cap. 24. illa ipsa verba, quae Kemnitius citat, contra eos pugnare dicit, qui libertatem pollicentur, idest, securitatem salutis, modo credant in Christum, ut idem explicat cap. 26. Atque haec fortasse est caussa, cur Lutherani, et ipse Kemnitius in examine 4. sess. concilii tridentini, hanc epistolam aut negent esse canonicam,aut ejus auctoritatem in dubium revocant,quia vident haeresim suam de sola fide justificante hujus epistolae testimoniis apertissime refutari. Illud vero quod Kemnitius addit ex actis apostolorum c. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia parari*, si ad indulgentias referatur mera calumnia est. Nam catholici non existimant, indulgentias pecuniis vendi vel emi: sed eleemosynas imperari ad opus aliquod pium, ut basilicae aedificationem, pauperum subventionem, captivorum redemptionem, et similia, quod opus pium sit caussa indulgentiae concedendae, ut saepe diximus.

CAPUT XI.

Respondetur ad tertium caput disputationis Kemnitii, et defenditur primum argumentum catholicorum.

In tertio capite disputationis suae Kemnitius profert in medium argumenta ex Scripturis, quae a nonnullis catholicorum pro indulgentiis fieri solent: atque ad ea respondere conatur,quamvis more suo multa dicendo nihil dicat. Eas responsiones ordine refutabimus.

Primum catholicorum argumentum summi dicit ab illis verbis Domini Matth. 16. *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumpue solveris super terram erit solutum et in coelis etc.* Adversus hoc argumentum objicit primo Kemnitius solvere et ligare nihil est aliud, nisi remittere vel retinere peccata, ut habetur Joan. 20. Illa autem remissio vel retentio exercetur in foro poenitentiae et absolutionis, ut scholastici docent. Igitur nihil hoc testimonium facit pro indulgentiis,quas iidem scholastici a foro poenitentiae et absolutionis longe lateque disjungunt. Responsio: Solvere et ligare, quod habetur Matth. 16. multo latius patet, quam remittere et retinere peccata, quod habetur Joan. 20. Nam in hoc posteriore loco restringuntur verba ad peccata, in priore non restringuntur, sed generatim dicitur,quodcumque solveris vel ligaveris et notum est, non solum solvi, cui remittuntur peccata, sed etiam eum qui liberatur a quocumque debito, vel lege, vel pacto etc. Quemadmodum etiam non solum ligatur, cui retinentur peccata, sed etiam qui praecepto, vel juramento, vel promissione, vel alia qaacumque obligatione constringitur. Itaque etiamsi probasset Kemnitius verba Domini Joannis 20. pertinere ad solum poenitentiae forum, non tamen probasset hoc idem de verbis Domini, Matth. 16. sed tamen neque illud probavit. Nam scholastici dicunt quidem, verba Domini Joan. 20. pertinere ad forum Poenitentiae,sed non restringunt ad illud forum; multi enim etiam ad remissionem, quae fit in Baptismo,ea verba referunt, alii generatim ad omnem remissionem, quae fit ministerio clavium, sive in sacramentis, sive extra sacramentum pertinere volunt. Mihi qui-

dem valde probabile videtur, hunc locum pertinere solum ad potestatem ordinis, et ea de caussa non eum protuli in priore libro pro indulgentiis.

Secunda objectio Kemnitii. *Solvere et ligare ita opponuntur, ut quod solutum est, non sit amplius ligatum. Pontifex vero contra fingit, quod in absolutione solutum est super terram, illud in foro pontificio manere ex parte ligatum, et solvendum esse non clave ministerii, sed pontificiis indulgentiarum nundinationibus.*

Responsio: Ingens profecto patientia necessaria est ei, qui Kemnitio respondere velit. Quis enim ferat impudentiam hominis, qui tertio quoque verbo nundinationes iis objicit, a quibus severissime prohibitas non ignarat? Deinde quem non pigeat in ejusmodi nugis tempus terere? Quis enim unquam dixit, in foro pontificio ligatum manere quod in absolutione solutum est super terram? Sed cum in foro poenitentiae solutio fiat a culpa et a reatu poenae sempiternae, non autem a reatu totius poenae temporalis, quod in eo foro ligatum mansit, id non nundinatione, sed clave ministerii pontificii per indulgentias relaxari dicimus. Hoc refellat, si potest, et non sibi fingat argumenta quae solvat.

Tertia objectio. *Ministerium reconciliationis ita solvit peccata, ut poenitentibus et credentibus annunciet condonata omnia delicta.* Coloss. 2. *Peccata non imputari.* Roman. 4. et 5. *Et per Christum redemptos esse a maledicto legis.* Galat. 3. *Quod maledictum aeternum et temporale est.* Deuter. 28. *Pontificiae vero indulgentiae fingunt peccata etiam post remissionem imputari, et Christum credentes non a tota maledictione legis redemisse, sed partem ejus ex pontificio thesauro redimendam esse.* Responsio: Vetus cantilena haec est, millies refutata. Omitto errorem illum Kemnitii, et aliorum Lutheranorum, quod remittere peccata, sit annunciare remissa, quia ad hunc locum non pertinet. Condonata nobis omnia delicta per Christum, et Apostolus dicit, neque indulgentiae contradicunt. Nam condonata omnia intelligi debent quoad sufficientiam pretii a Christo persoluti, sed pretium illud applicari postea necesse est, ut etiam Lutherani fatentur, si efficaciter huic aut illi delicta condonanda sint. Nos autem existimamus non sola fide applicari, sed etiam aliis instrumentis, quorum unum indulgentiae sunt. Pari ratione peccata non imputari justificatis, idem Apostolus dicit, et indulgentiae non contradicunt. Neque enim fingimus peccata imputari post remissionem, si quo ad culpam et poenam remissa sint, ut fit in Baptismo, sed si remissa sint quoad culpam et poenam aeternam, et adhuc maneat reatus aliquis poenae temporalis, ut ordinarie fit in secunda reconciliatione, quid mirum si adhuc imputentur ex parte? Quod additur de maledicto legis ad rem non pertinet, non enim liberatio illa a maledicto legis est liberatio a culpa vel poena peccati, sed est liberatio ab obligatione legis caeremonialis Hebraeorum, de qua potissimum disputatur in eo loco. Est etiam liberatio a terrore legis cujuscumque, quae Judaeos ut servos premebat. Filios enim Testamenti novi lex divina, moralis et evangelica obligat quidem ad observantiam, sed non terret, quia charitas diffusa in cordibus non timore poenae, sed amore justitiae implet legem.

Quarta objectio. *Quod Christus promisit Petro* Matth. 16. cum ait: *Tibi dabo claves etc. exhibuit, ac praebuit.* Joan. 20. cum ait. *Quorum remiseritis peccata etc. At ista dicuntur omnibus apostolis et omnibus ministris, quibus datur potestas absolvendi: non igitur ex loco* Matth. 16. *colligitur auctoritas pontificia indulgentias conferendi.* Responsio: Falsum est id totum fuisse exhibitum Jo. 20. quod fuerat promissum Matth. 16. Nam ut supra diximus multo latius patet, quodcumque solveris, quam, quorum remiseritis peccata. Itaque sicut soli Petro dictum fuerat Matth. 16. *Tibi dabo claves etc.* ita soli Petro dicitur Joan. 21. *Pasce oves meas.* Atque in hoc loco datur, quod in alio fuerat promissum. Quam rem nos copiose exposuimus in 1. lib. de summ. pontif. cap. 12.

Quinta objectio: *Christus ait apostolus* Joan. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: Ipse autem quando tempore ministerii sui peccata remittebat, simul debitum condonabat et debitorem liberabat. Haec enim est forma absolutionis ejus,* Confide, *remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, et noli amplius peccare.* Matth. 9. Luc. 7. Joan. 5. *et in parabola* Matth. 18. *Servum sibi debentem decem millia talenta, liberum dimisit, et debitum remisit ei et adulterae* Joan. 8. *Nullam poenam imposuit. Quod autem Christus tales unquam vel docuerit, vel dederit indulgentias, quales ex pontificiorum placitis supra descriptae sunt, nulla oratione, nulla dictione, nulla syllaba, nulla litera, ex Scriptura probari potest.* Responsio. Immo testimonia omnia allegata clamant Christum dedisse indulgentias, quales ipsum, qui princeps absolutus erat. dare decebat. Christus enim illis omnibus remisit culpam et poenam, extra sacramentum applicans merita sua. Pontifex autem qui vicarius est, remittit etiam culpam et poenam, applicans merita Christi, sed culpam et poenam aeternam per sacramenta, quia ita Christus instituit, poenam temporariam extra sacramenta, quia ita Christus fecit, et ex natura sua remissio solius poenae sacramento non eget. Quod autem Christus non injunxerit jejunia, vel eleemosynas, aut aliud pium opus iis, quibus indulgentiam largitus est, quod tamen pontifex facere solet, eadem est ratio, quia videlicet Christus, ut princeps absolutus, potuit pro arbitrio indulgentias dare, pontifex, ut vicarius, non potest pro arbitrio, sed pro caussa justa et rationabili, idem facere.

Sexta objectio: *Petrus, cui datae sunt claves regni coelorum, eis sine dubio usus est, et tamen indulgentias pontificias non dedit; immo Simoni mago dixit* Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniis comparari.* Responsio: Quod apostolus Petrus indulgentias pontificiarias dederit, vel non dederit, ex Scriptura probari non potest, quoniam acta ejus, exceptis paucissimis, in sacris literis non extant. Simon vero magus non indulgentias petebat cum pecunias offerret, sed potestatem dandi Spiritum sanctum per manus impositionem. Sed Kem-

nitio perinde est, ad rem, vel extra rem verba profundere, modo calumniari possit.

Septima objectio: *Sicut Christus dixit Petro*, Matth. 16. *Quodcumque solveris, ita dixit toti Ecclesiae*, Matth. 18. *Quaecumque solveritis etc. et tamen Ecclesia per annos mille et amplius istas indulgentias ignoravit.* Responsio: Ex ignorantia antiquitatis, vel perversa intelligentia veteris historiae procedit objectio. Ostendimus enim in libro superiore, ex Tertulliano et Cypriano vetustissimis Patribus, necnon ex conciliis antiquissimis, ancyrano et nicaeno, usum indulgentiarum, et proprie sub nomine indulgentiae idem ostendimus ex Gregorio I. Leone III. et Sergio II. qui omnes ante annum millesimum Ecclesiae praefuerunt. Nec desunt, qui idem probari existimant ex Sylvestro I. qui sedit post annum Domini 300. quorum argumenta ex tabulis ecclesiarum petita contemnenda non sunt.

Octava objectio: *Ligare seu retinere peccata non est poenitentiam agentibus et credentibus post absolutionem seu remissionem peccatorum, partem aliquam ligatam reservare, vel ad proprias satisfactiones, aut redemptiones per indulgentias obligare: sed impoenitentibus et incredulis peccata sunt liganda, denunciata illis hac Dei sententia, quod peccata ipsorum maneant.* Joan. 9. *Et ira Dei maneat super ipsis.* Joan. 3. *Quodque perituri sunt, nisi poenitentiam egerint.* Luc. 13. Responsio: Multa Kemnitius dicit, sed nihil probat, et tamen probandi officium sibi desumpsit. Imperite autem, nisi forte maliliose et fraudulenter confundit ligare et retinere: Neque enim ista sunt idem, nam retinere est non remittere, sed relinquere in suo statu, et hoc modo sacerdotes nostri retinent peccata impoenitentibus, non solum denunciando illis Dei sententias, sed etiam negando absolutionis beneficium. At ligare non est non solvere, sed novum vinculum addere, nisi vocabulis abuti velimus, et hoc modo sacerdotes audita confessione poenitentis, ligant eum ad opera satisfactionis, quae ab antiquis dicebatur actio poenitentiae, ut apud s. Augustinum in epist. 180. ad Honoratum: *Aliis*, inquit, *Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis poenitentiae ipsius actionem.* Atque haec est poenitentia, quam pontifices per indulgentias, vel totam, vel ex parte condonant. Habemus igitur primum et praecipuum testimonium pro indulgentiis ex cap. 16. Matthaei, non potuisse a Kemnitio labefactari, quamvis octo arietibus illud impetere conatus sit.

CAPUT XII.

Defensio secundi argumenti catholicorum pro indulgentiis.

Secundum argumentum catholicorum peti dicit Kemnitius a verbis illis apostolicis 2. Corinth. 2. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Ex quo loco demonstratur usus indulgentiarum antiquissimus, cum Apostolus condonaverit poenitenti Corinthio partem poenitentiae quae illi supererat peragenda. Refellere conatur Kemnitius hoc argumentum, et quia deerant solidae rationes digreditur ad explicationem historiae et graecarum dictionum, ut multa hinc inde infarciendo sex tandem paginas impleverit. Percurramus ejus objectiones.

Prima objectio: *Pontificii dicunt, poenitentibus culpam remitti in absolutione: post ejus vero remissionem imponendas poenas satisfactorias, quas per indulgentias redimi et relaxari fingunt; Sed Corinthius ille nequaquam antea fuerat a peccatis absolutus sed fuerat securus et impoenitens, atque ideo traditus Satanae, ut afflictione carnis, publica correptione et contristatione ad poenitentiam adduceretur. Neque enim ipsum Paulus Satanae tradidisset, si poenitens et credens a peccatis absolutus fuisset.* Responsio: Non dicunt Pontificii post remissionem culpae, idest, post absolutionem sacerdotalem, imponendas poenas satisfactorias, sed dicunt imponendas ante absolutionem, quamvis post absolutionem adimplendae sint, nisi fuerint antea adimpletae. Non enim multum refert, utrum impleantur ante absolutionem sacerdotis vel postea, modo impleantur in statu gratiae, qui status gratiae obtineri potest per veram contritionem, et propositum confessionis suo tempore faciendae. Immo in poenitentia publica ordinarie implenda erat satisfactio ante absolutionem, ut notum est ex conciliis supra citatis. Porro Corinthius ille, quamvis initio impoenitens videretur, tamen post increpationem publicam et excommunicationem resipuit, et gravissimam poenitentiam agere coepit. Atque eo tempore sine dubio per veram contritionem gratiam Dei recepit, et per actionem poenitentiae Deo satisfaciebat. Hujus autem satisfactionis, quae adhuc longius tempus requirebat, partem reliquam Paulus condonavit, ac publice absolvi et reconciliari jussit. Quia enim peccatum publicum fuerat, et poenitentia publica, ita etiam publica debuit esse reconciliatio et absolutio a peccatis, et ab excommunicatione.

Secunda objectio: *Paulus non imposuit Corinthio mulctam publicam, ut suis illius poenis, et afflictionibus Deo pro peccato incestus satisfaceret. Nulla syllaba hoc ex Paulo probari potest; immo tota Pauli doctrina clamitat, Christum sua passione, obedientia et morte pro peccatis nostris satisfecisse et factum esse nostram redemptionem. Caussam vero et finem illius contristationis Corinthii Paulus ipse scribit hanc fuisse, ut ea operaretur poenitentiam, et esset δοκιμὴ an seria et vera esset poenitentia.* Responsio: Quamvis fortasse b. Paulus non indixerit Corinthio certum tempus, vel speciem poenitentiae, tamen hoc ipso imposuit illi mulctam publicam, quod jussit eum separari a coetu fidelium, et admoneri, ut poenitentiam ageret. Notum enim erat Ecclesiae, quomodo gerere se deberent, qui poenitentiam agebant. Nam in antiquis conciliis solum dicitur tot annis poenitentiam agant, qui hoc aut illud peccatum commiserint, et relinquitur ut notum a quibus rebus se abstinere debeant poenitentes. Quod autem illa actione poenitentiae Corinthius Deo satisfacere debuerit, et non solum ostendere Ecclesiae serio se resipuisse, perspicuum est ex illo verbo, in persona Christi. Ideo enim Apostolus dicit, se donare in persona Christi, quia Christo sa-

tisfaciendum erat, et Apostolus, ut Christi vicarius, interpretatur Christi voluntatem, et ejus auctoritate condonat reliquam satisfactionem. Praeterea idem colligitur ex verbo, donavi, nam si actio poenitentiae non alium finem habebat, quam ostendere veram resipiscentiam, jam finita erat illa poenitentiae actio, quoniam satis superque constabat omnibus, illum vere resipuisse: Quod igitur donavit Apostolus, cum ait, et ego quod donavi, in persona Christi propter vos donavi. Certe haec verba manifeste docent aliquid ei donatum et remissum, cujus debitor erat, et quod ab eo juste exigi potuisset. Quemadmodum autem non pugnet propria satisfactio cum satisfactione Christi, supra non semel explicatum est. Fatemur enim Christum nostram esse redemptionem, et satisfecisse pro culpis et poenis omnium hominum, sed ejus satisfactionem applicari per varia instrumenta, ut per fidem, per Baptismum, per absolutionem, per opera bona, per indulgentias.

Tertia objectio: *Condonatio, de qua Paulus loquitur, fuit ipsa absolutio, seu remissio peccatorum a culpa et poena. Dicit enim se loqui de tali condonatione, quae conscientiis adfert firmam consolationem, ut non absorbeantur tristitiae, sed pacem habeant erga Deum, quod fit quando fide justificamur accepta remissione peccatorum.* Rom. 4. et 5. *Non ergo loquitur de pontificiis indulgentiis, quae dantur post absolutionem a culpa.* Responsio: Fateor Corinthium jussu Pauli simul accepisse reconciliationem et absolutionem a culpa et poena, et a vinculo etiam excommunicationis, sed affirmo, in ea reconciliatione admixtam fuisse indulgentiam, idest, condonationem reliquae satisfactionis. Nam ut supra dixi, non est necesse, ut indulgentia detur alio tempore, quam reconciliatio. Illud tamen falsum est quod Kemnitius dicit, Apostolum loqui de illa justificatione, qua homo per fidem ex impio fit justus, et pacem ad Deum habere incipit, de qua agitur ad Rom. 4. et 5. Nam Corinthius ille jam resipuerat, et dolorem maximum de peccato suo conceperat, et poenitentiam ex amore Dei et odio peccati agebat, quae sine fide, spe et charitate fieri non possunt. Itaque jam coram Deo justificatus erat per veram poenitentiam, et desiderium absolutionis suo tempore recipiendae, et solum restabat reconciliatio per ministerium sacerdotum, quam Paulus dari jussit. Illud autem; ne abundantiori tristitia absorberetur, non significat illum non fuisse coram Deo justificatum per veram contritionem: sed significat periculum fuisse, ne nimia tristitia conficeretur, si nimis diu reconciliatio differretur. Itaque jussit, ut eum consolarentur, et recrearent, relaxata omnino reliqua poenitentia, ut bono animo esset, et majori alacritate deinceps curreret viam mandatorum Dei.

Quarta objectio: *Falsum est, quod dicunt quidam. Paulum pro solvendo debito Corinthii incestuosi accepisse ex operibus supererogationis Ecclesiae corinthiacae. Clamitat enim Paulus sanctam Christi passionem esse ἀντίλυτρον pro peccatis nostris, et magna vehementia, inquit, numquid Paulus pro vobis passus et crucifixus est?* Responsio: Nulli sunt ex catholicis, qui dicant Paulum accepisse pretium pro debito incestuosi ex operibus superorogationis Ecclesiae corinthiacae. Sed cum catholici dicant, Paulum ad intercessionem, idest, ad preces Ecclesiae corinthiacae, condonasse aliquam poenitentiae partem Corinthio poenitenti, Kemnitius ita interpretatur, ut dicere voluerint, oblatum fuisse pretium operum supererogationis. Sed haec imposturae, et figmenta ipsius sunt, qui facilius sibi esse ducit, argumenta a se conficta, quam vera refellere.

Quinta objectio: *Non est verum, certum numerum, vel dierum, vel annorum publicae poenitentiae fuisse a Paulo praescriptum etc.* Responsio: Neque nos hoc dicimus, neque de hac re contendimus. Satis nobis est, quod ex epistola Pauli perspicue colligitur, adductum Corinthium ad agendam acerrimam poenitentiam, ac deinde parte aliqua adimpleta, reliquam auctoritate Apostoli condonatam.

Sexta objectio: *Postremo non nisi impudentissime fingi potest, Corinthium illum dedisse pecunias ad redimendas indulgentias: manifestissimum igitur est, locum illum Pauli 2. Cor. 2. nullo modo confirmare pontificias indulgentias.* Responsio: Si diceremus necessarium esse, pecunia redimere indulgentias, et non possemus ostendere id a Corinthio factum, tunc sane aliquid efficeret argumentum Kemnitii. Sed cum doceamus, non solum non esse necessarium, sed neque licitum pecunia redimere indulgentias, cum decretis conciliorum et pontificum nundinationes indulgentiarum prohibitae sint: qua impudentia Kemnitius colligit, locum illum Pauli non confirmare pontificias indulgentias, quia non fingimus a Corinthio pecunias numeratas pro indulgentia redimenda?

Ultima objectio: *Si huic loco Paulino inniterentur indulgentiae, sequeretur in concessione indulgentiarum non plus posse Paulum vel papam, quam reliqua membra Ecclesiae. Paulus enim dicit, cui condonatis aliquid et ego condono.* Responsio: Non sequitur, non plus posse Paulum vel papam, quam reliqua membra Ecclesiae in concessione indulgentiarum. Nam Ecclesia corinthiaca id quod fecit, ex auctoritate Pauli fecit; sicut etiam hoc tempore non solum pontifex indulgentias concedit, sed etiam alii, qui ab ipso auctoritatem habent. Neque obstant illa verba a Kemnitio citata, cui condonatis aliquid et ego condono. Sequitur enim, Nam ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. Ex quo apparet, primum fuisse Paulum, qui donavit, deinde Corinthios donasse jussu Pauli, postremo Paulum confirmasse donationem suo jussu factam. Neque hoc negare potest Kemnitius, licet nunc abutatur illis verbis ad suum propositum; nam pag. 243. aperte scribit, Corinthios non fuisse ausos reconciliare incestuosum poenitentem, sed caussam ad Apostolum retulisse. Atque haec de secundo loco.

CAPUT XIII.

Defenditur III. argumentum catholicorum.

Tertium argumentum catholicorum pro indulgentiis colligi dicit Kemnitius ex duplici ordine testi-

moniorum Scripturae divinae. Primum enim adferri ait illa testimonia, quibus probatur post remissam culpam remanere poenam temporalem adhuc luendam, 2. Reg. 12. 2. Reg. 24. Exod. 32. Num. 14. et alia. Deinde illa, quibus probatur, posse redimi ejusmodi poenas jejuniis, eleemosynis, aliisque operibus bonis, Dan. 4. Jonae 3. Num 16. 2. Reg. 12. et 24. et alia. Ex his denique concludit, posse etiam tolli harum poenarum reatum per satisfactiones indebitas sanctorum, hoc est, per thesaurum indulgentiae. Hoc vero argumentum ego quidem non attuli in libro superiore, neque ab aliis catholicis, nisi admodum paucis adferri vidi; quoniam ista pertinent proprie ad disputationes de satisfactione, et hoc loco praerequiruntur potius quam disputentur. Quia tamen Kemnitius argumenti hujus mentionem facere voluit, non gravabor et quid ipse contra objiciat exponere, et ipsa ejus objecta refellere.

Ad testimonia prioris ordinis objicit, si quis ex illis colligere velit post remissionem culpae remanere poenam luendam, sequi unum ex sequentibus incommodis, vel satisfactionem Christi pro peccatis nostris fuisse dimidiatam et imperfectam: vel Deum credentibus non omnia peccata remittere et fallere homines, quibus promisit, se iniquitatem eorum non amplius recordaturum: vel falsum esse, quod Christus sub juramento affirmavit, quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in coelo, si partem vindictae Deus ligatam retineret, vel ministros Ecclesiae fraudulenter, et non ex voluntate Domini claves regni coelorum administrare, si dum solvunt a peccatis, partem aliquam retinent. Ad hanc objectionem respondeo nihil eorum sequi. Nam non sequitur primum incommodum, quoniam Christus quidem integrum pretium pro culpis et poenis omnium hominum obedientia sua et passione persolvit: sed placuit sapientiae ejus, pretium illud in Baptismo applicare pro culpis et poenis omnibus expiandis: in reconciliatione autem, quae fit in sacramento Poenitentiae, placuit eidem divinae sapientiae idem pretium applicare pro culpa et poena sempiterna, non autem pro reatu totius poenae temporalis, ut supra non semel explicatum est. Non sequitur etiam alterum incommodum. Nam Deus praestat semper quod promisit; et omnia peccata ita in reconciliatione condonat, ut iniquitatum commissarum non recordetur amplius. Sed quemadmodum, cum justus peccat, dicitur Deus justitiarum ejus non recordari amplius, quia non conservat illi gratiam suam etiamsi temporali aliquo praemio eas justitias forte remuneret: Sic etiam cum impius resipiscit, dicitur Deus non recordari amplius peccatorum ejus, quoniam in gratiam suam, atque amicitiam eum recipit, ac si numquam peccasset, quamvis temporalem poenam ab illo exigat. Nec sequitur tertium vel quartum incommodum, Christus enim verissime affirmavit: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* Nam sicut ipse retinet reatum aliquem poenae temporalis in reconciliationem post Baptismum, ita et ministri ejus faciunt, cum rite funguntur munere suo. Ea enim de caussa in sacramento Poenitentiae imponunt mulctam pro satisfactione, quam non imponunt in sacramento Baptismi, quoniam sciunt eam esse Dei voluntatem, ut qui ab ignorantiae tenebris convertuntur primum ad lumen fidei, et Baptismum recipiunt, non ligentur ad ullam poenam: qui vero post tantum lumen adeptum, et justificationem ac renovationem Baptismi lapsi sunt, cum ad poenitentiam venerint, ligentur omnino ad poenam pro peccati magnitudine et qualitate solvendam.

Adhibet deinde Kemnitius ad illa eadem testimonia, quae a catholicis allegantur pro reatu poenae, remanente post culpam remissam, suam explicationem ac dicit, infligi quidem a Deo varias castigationes et poenas hominibus reconciliatis, ut Scripturae illae testantur, sed infligi, ut sint mortificationes carnis, vel admonitiones ad cavenda peccata, vel ad insinuandam peccati magnitudinem, vel ad exercitum patientiae aliarumque virtutum, denique ad alios salutares fines, non autem ut sint ultiones peccati praeteriti, quasi Deus punire velit peccatum jam condonatum. Sed profecto admiranda est haereticorum audacia, qui omnes alios fines flagellorum divinorum admittunt, praeter eum, qui ab ipso Deo in Scripturis disertis verbis exprimitur. Nam 2. Reg. 12. cum Deus per prophetam David dixisset peccatum ipsius ob seriam poenitentiam esse dimissum, et tamen flagello mortis filii, eum castigare vellet, non ait, ad mortificandam carnem, vel admonitionem ad cavenda peccata, vel ad exercitium patientiae, vel alios fines ejusmodi, sed ait, *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi morte morietur.* Quid clarius ad significandam vindictam divinam pro peccato commisso? Inde David (ut habetur in eodem capite) jejunavit et flevit, et oravit, ut averteret flagellum illud Dei, qui tamen non hoc faceret, ut impediret bonos illos fines, idest, mortificationem carnis, exercitia patientiae, et similia; sed fecit, ut satisfaceret Deo per aliam viam, quam per mortem filii. Praeterea non raro flagellum Dei pro peccato commisso est mors corporalis ejus, qui flagellatur, ut perspicuum est ex lib. 3. Reg. cap. 8. ubi propheta Domini ob inobedientiam traditur a Deo Leoni interimendus; et tamen ante mortem sine dubio remissum fuit ei peccatum, quo ad culpam (si forte lethalis fuit) constat enim eum ut virum sanctum et justum fuisse post mortem a Leone custoditum, non laesum, ut honorifice sepeliri posset. Mors autem corporalis ejusmodi flagellum est, ut non possit infligi ad mortificationem carnis, admonitionem ad cavenda peccata, exercitia patientiae, et similia quae post mortem cessant, sed solum ad ultionem peccati commissi. Denique (ut alia multa praeteream) in psal. 98. apertissime legimus de Moyse et Aarone: *Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos, Domine Deus noster tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Ubi loquens David de peccato eorum ad petram, pro quo puniti sunt (ut habetur Num. 20. et 27). ut mererentur ante ingressum in terram promissionis; aperte testatur, Deum fuisse illis propitium, quia remisit peccatum

quo ad culpam, et tamen ullum fuisse omnem adinventionem eorum, quia poenam ab eis, et quidem gravissimam in vindictam et satisfactionem repetiit. Atque haec de primo ordine testimoniorum de quibus frustra Kemnitius gloriatur ita a se explicata, ut succisus sit gladio spiritus unus nervus indulgentiarum pontificiarum. Manet enim nervus ille integer et sanus, non minus quam si gladio faeneo, vel papiraceo tentatus fuisset.

Jam vero in succidendo altero nervo, idest, in tractando secundo ordine testimoniorum magis caute se gessit, cum enim animadvertisset, non posse ullo modo negari, quod ex illis testimoniis catholici colligunt, videlicet, posse flagella Dei aliquando per voluntarias afflictiones averti, Deumque placari fructibus poenitentiae, nihil contra hoc dogma catholicorum objecit, sed solum probare conatus est, non posse per indulgentias condonari poenas peccatis debitas. Id autem facit adducendo in medium quandam Lutheri partitionem. Scripsit enim Lutherus, quinque esse genera poenarum secundum Scripturam et veteris Ecclesiae traditionem. Primum esse poenam gehennae. Secundo afflictiones qua sponte suscipi debent ad fructus poenitentiae faciendos, qui sint argumenta novae vitae. Tertio afflictiones prioribus non dissimiles ad carnis mortificationem, quae necessaria est ad cavenda peccata. Quarto flagella divinitus immissa, ut penuriam, morbos, orbitatem et similia. Quinto denique esse poenam canonicam, quae disciplinae caussa a veteribus imponi solebat. Certum est autem poenam gehennae non esse subjectam clavibus Ecclesiae. Nec minus certum est, non debere relaxari per indulgentias exercitia virtutum, fructus poenitentiae et novae vitae, et carnis mortificationem, alioqui noxiae ac perniciosae essent indulgentiae. Neque illud est dubium flagella a Deo immissa non posse per indulgentias repelli, ut vel ipsa experientia docet. Restant solae poenae canonicae, quae relaxari possunt, si essent in usu, sed jam a longo tempore desierunt imponi. Nulla igitur restat poena, quae per indulgentias remitti possit, nisi commentitius quidam reatus poenae, qui fingitur in hac vita, vel in alia expiandus, sine ullo Scripturae vel antiquae Ecclesiae testimonio. Nos vero libenter agnoscimus poenam gehennae, et flagella a Deo immissa non subesse clavibus Ecclesiae, quamvis ea flagella non raro per voluntarias afflictiones avertantur, ut perspicuum est ex cap. 3. Jonae. De poenis autem sponte susceptis respondemus, non debere eas relaxari, qualenus utiles sunt ad novitatem vitae et carnis mortificationem, sed posse utiliter relaxari, qualenus sunt poenae debitae peccatis. Utile enim est carere illo debito, sive reatu. Esse autem eas poenas debitas peccatis non est commentum, nec figmentum catholicorum (ut Lutherus et Kemnitius dicunt), sed est sententia Scripturae, et totius antiquitatis; ideo enim dicuntur afflictiones illae fructus digni poenitentiae Luc. 3. quoniam tales esse debent, quales requiruntur ab illis, qui digne poenitentiam agunt. Digne autem poenitentiam agere, non est solum novae vitae fructus ostendere, vel carnis concupiscentias mortificare (ista enim ab iis etiam fieri debent qui non peccaverunt) sed est punire peccata praeterita, et Domino, quem superbia et cupiditate, atque illicita delectatione offendimus, humilitate, largitione, compunctione et afflictione voluntaria satisfacere. Et in hanc sententiam exponunt illa verba Dominica omnes veteres Patres. S. Joannes chrysostomus hom. 10. in Matthaeum explicans quid sit facere fructus dignos poenitentiae, *Deliciis*, inquit, *antea et temulentia diffluebas? Jejunio et aquae pota utrumque compensa.* S. Augustinus in enchiridio c. 70. *In melius*, inquit, *est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis praeteritis propitiandus est Deus, non ad hoc emendas, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.* Et in psal. 50. sic inducit loquentem poenitentem cum Deo: *Domine non erit impunitum peccatum meum, sed ideo nolo ut tu punias, quia ego peccatum meum punio.* S. Gregorius lib. 6. cap. 2. in 1. Reg. cum docuisset tria requiri ad poenitentiam, mentis conversionem, oris confessionem et peccati vindictam, hoc tertium probat ex verbis evangelicis jam allegatis: *Tunc*, inquit, *bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Unde Joannes Baptista ait: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Beda in psal. 4. *Facite*, inquit, *dignos fructus poenitentiae, tantum pro singulis peccatis vos affligentes, quantum digna expetit poenitentia, quod erit sacrificium justitiae.* Christianus Druthmarus in cap. 3. Matthaei: *Fructum*, inquit, *dignum poenitentiae facere, est praeterita mala fletibus punire, et bona e contrario agere, et male commissa eleemosynis redimere.* Petrus Damiani serm. 2. de s. Andrea, *Ne tibi blandiaris si graviter peccanti levior poenitentia a mansueto, vel a dissimulante dictatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quicquid hic minus feceris, quia dignos poenitentiae fructus quaerit Altissimus.*

Hinc etiam b. Paulus in epistola posteriore ad Corinthios cap. 7. describens effectus poenitentiae, inter alios ponit vindictam. *Ecce*, inquit, *hoc ipsum contristari nos secundum Deum, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam;* sive autem haec vindicta significet afflictionem, quam poenitens ad sua peccata punienda sponte suscipit, sive ea, quam poenitenti praelatus imponit, illud est certum, poenitentiae actionem ad peccata punienda referri. Proinde non est figmentum vel commentum, sed Spiritus sancti oraculum, quod catholici de Poenitentia docent. Vide multo plura in lib. 4. de Poenitentia, ubi de satisfactione disseruimus. Quod vero attinet ad poenam canonicam, quod erat ultimum membrum partitionis Kemnitii, verum est quidem minori severitate hoc tempore poenitentias injungi, quam canones praescribant, tamen injunguntur poenitentiae majores vel minores pro criminum varietate, nec imponuntur caussa disciplinae solius, sed etiam ut supra demonstratum est, in satisfactionem vel satisfactionis par-

tem. Ac proinde relaxatio poenae injunctae per indulgentias, in his etiam locum suum habet. Sed praeter has omnes poenas, est poena purgatorii, quam nemo negare potest, non spectare ad fructus novae vitae, nec ad carnis mortificationem, neque ad flagella Dei particularia, neque ad ecclesiasticam disciplinam, sed solum ad castigationem peccatorum praeteritorum, et ad reatum poenae remanentis post culpae remissionem omnino expiandum. Non esse autem hanc poenam purgatorii commentum, vel figmentum catholicorum, sed dogma Scripturarum sanctarum, et confessionem totius Ecclesiae etiam antiquissimae, probatum est a nobis in priore libro de purgatorio. Quare non deest poena, quae per indulgentias utiliter ralaxetur, et argumentum catholicorum, etiam ut a Kemnitio proponitur, vim suam habet, neque potuit ipse gladio spiritus (ut frustra gloriabatur) nervos ejus incidere.

CAPUT XIV.

Defenditur IV. argumentum catholicorum.

Quartum catholicorum argumentum desumi dicit Kemnitius ex cap. 1. ad Coloss. ubi leguntur illa verba; *Adimpleo quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ut autem hoc argumentum commode refellat Kemnitius duo mendacia admiscet. Scribit enim hoc modo. *Hanc Pauli sententiam ita et intelligi volunt, quod passionibus Christi, quibus peccata nostra expiavit, et stipendium peccati sustulit, redimens nos a maledicto legis, aliquid defuerit, quo minus plena, perfecta, consummata, et sufficiens satisfactio esse possit pro peccatis nostris.* Hoc est primum mendacium, tam impudens et crassum, ut nihil impudentius, vel crassius fingi queat. Neque ex tanto numero scriptorum veterum et recentiorum, qui de indulgentiis scripserunt, unum allegare poterit, qui dicat, quod ipse fingit nos dicere. Immo summa consensione scriptores catholici cum Clemente VI. pontifice in constitutione quae incipit, *Unigenitus*, docent satisfactionem Christi fuisse infiniti pretii, et non solum plene et perfecte pro peccatis nostris Deum placasse, sed etiam placare potuisse pro peccatis infinitae multitudinis hominum, si tot futuri fuissent. Adducit quidem Kemnitius Bonaventuram, quasi is dicat, *Satisfactiones sanctorum applicari ad pretium aliquod solutionis pro peccatis, ideo quia pretio Christi aliquid defuerit.* Sed illa verba postrema (*ideo quia pretio Christi aliquid defuerit*), non habentur apud Bonaventuram. Consulat lector locum ipsum, qui est in 4. sent. dist. 20. parte 2. art. 1. quaest. 2. ad 3. Alterum mendacium addit ibidem Kemnitius his verbis. *Illum verum defectum passionis Christi, supplendum esse dicunt passionibus sanctorum.*

Quaere quis hoc dicat ex catholicis, et nullum invenies. Dicunt quidem catholici cum Clemente pontifice, ad cumulum thesauri accedere passiones sanctorum, sed ad supplendum defectum passionis Christi, quam infiniti pretii esse fatentur, nemo dicit. His mendaciis suis, quasi nostra essent dogmata, refellendis deinceps occupatur, et probat, quod nemo negat, ideo mediatorem debuisse esse Deum, et hominem etc. Accedit postea ad locum ipsum b. Pauli explicandum, et repetit quae Calvinus attulit, et ad quae nos supra respondimus; quae hoc loco repetenda non duximus. Unus tantum est locus in tota hac disputatione a Kemnitio adductus, quem hactenus explicatum non memini. Is est in ps. 48. ubi negat David, posse fratrem a fratre redimi, aut pretium redemptionis ejus Deo persolvere, ex quo probari existimat, non posse satisfactiones sanctorum applicari ad reatum poenae pro aliis expiandum. Sed facilis est responsio. Nam tribus modis explicari potest, et solet ea sententia. Prima explicatio, eaque conformis rabbinis Judaeorum est, quod affirmet David, neminem posse liberari a morte corporis propria virtute vel potentia amicorum, aut consanguineorum. Reprehendit enim illos, qui confidunt (ut habetur in versu superiore) in virtute sua, aut in multitudine divitiarum suarum; et ait: *Frater non redimit, redimet homo*, idest, Frater, qui conjunctissimus et amicissimus est, non potest fratrem redimere a morte, quia mortem nemo potest effugere, quis igitur alius homo est, qui eum redimere possit? et in eundem sensum additur, neminem posse muneribus Deum placare, nec vitam ullo pretio redimere. Atque hic quidem sensus, nihil Kemnitium juvat, quia non facit ad rem, de qua agimus. Altera expositio est s. Basilii in commentario hujus loci, qui exponit has sententias de redemptione a morte animae, idest, a peccato et gehenna, ut hic sit sensus; Frater non redimit, ac multo minus quivis alius homo, quia omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, omnes sunt captivi, omnes redimendi. Ideo misit Deus redemptorem Christum, qui non est frater, nec homo sicut caeteri, sed est Deus homo justus et liber, qui neque redemptione indiget et liberare omnes potest. Haec explicatio nihil etiam juvat Kemnitium, quoniam non negamus, immo asserimus omnes catholici, non potuisse nos redimi a morte animae et gehenna per satisfactiones sanctorum, sed Christi solius. *Qui factus est nobis a Deo justitia et redemptio*, ut Apostolus loquitur in priore epistola ad Corinthios cap. 1. Tertia explicatio est s. Augustini in prima concione in psalmum praedictum, qui ita interpretatur, *Frater non redimit, redimet homo*, idest, Si Christus, qui frater noster fieri dignatus est, non te redimit, expectas ut te redimat alius homo? Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animae suae, ille qui confidit in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum. Atque hucusque expositio s. Augustini; neque caussam Kemnitii, neque nostram juvat. Loquitur enim de liberatione impii a captivitate peccati, et dicit, non posse impium, qui in sua virtute confidit liberari nec a se, nec ab alio, cum a Christo liberatus non fuerit, non defectu Christi, qui pro omnibus mortuus est, sed defectu impii, qui redemptionem sibi applicari noluit. Nos autem in disputatione de indulgentiis non loquimur de liberatione impii, sed de liberatione hominis justificati a reatu poenae temporalis, de

qua liberatione loquitur in sequentibus verbis s. Augustinus, quae verba haeresim Kemnitii manifeste refellunt. Addit enim Augustinus; *Qui sunt qui dant pretium redemptionis animae suae? Quibus ait Dominus, facite vobis amicos de mammona iniquitatis ut et ipsi recipiant vos in aeterna tabernacula. Illi dant pretium animae suae, qui non cessant eleemosynas facere. Ideo illos, quos monet per Timotheum Apostolus noluit esse superbos, ne in abundantia divitiarum glorientur. Denique quod possidebant, noluit apud illos veterascere, sed aliquid ex eo fieri, ut esset pretium redemptionis animae illorum. Thesaurizent*, inquit, *sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam, si dabunt pretium redemptionis animae suae:* Haec ille. Itaque s. Augustinus non timet dicere et ter repetere, homines justos a Christo redemptos a morte animae, dare per eleemosynos pretium redemptionis animae suae, juxta illud, *Peccata tua eleemosynis redime*; quae redemptio non potest alia intelligi nisi a reatu poenae remanente post redemptionem peccati, quoad culpam. Etsi Augustino teste potest quisque dare pretium redemptionis animae suae sine ulla injuria Christi redemptoris omnium, non debet videri mirum, si nos dicamus posse sanctos martyres dare pretium aliquod redemptionis pro solo poenae reatu aliorum fidelium: non quod Christi pretium non sufficiat, sed ut hac etiam ratione martyrum passiones et merita honorentur.

CAPUT XV.

Defenditur V. argumentum catholicorum.

Quintum argumentum pro thesauro indulgentiarum sumi dicit Ksmnitius ab illis Apostoli verbis 2. Corinth. 8. *In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopia sit supplementum.* Ex hoc loco ita formari argumentum a catholicis, affirmat idem Kemnitius, *Corinthii abundabant pecunia, sed inopes erant meritorum. Contra vero sancti hierosolymitani abundabant meritis spiritualibus, a pecunia vero male parati erant. Paulus igitur talem permutationem inter eos instituit, ut Corinthii praeberent manus adjutrices conferendo large pecuniam: et pro illa pecunia sancti hierosolymitani ex operibus suis supererogationis supplementum inopiae Corinthiorum venderent. quod ad satisfactionem pro peccatis attinet.* Sed in duobus peccat Kemnitius, nam nec fideliter refert argumentum catholicorum, nec solide illud refellit. Catholici enim non dicunt Apostolum instituisse illam commutationem, ut Hierosolymitani venderent merita supererogationis Corinthiis: sed tantum ex eo loco colligunt, eam esse in Ecclesia communicationem, ut alii aliis bona sua communicare soleant: nec solum bona corporalia, sed etiam spiritualia invicem praebere possint. Ex quo sequitur, ut etiam unus pro alio satisfacere, et aliorum passiones aliis applicari valeant. Nec tamen solide argumentum catholicorum, etiam ut ab ipso propositum est, Kemnitius refutavit, dicit enim in sequentibus per inopiam Corinthiorum non intelligi inopiam meritorum, sed inopiam praedicationis Verbi Dei; et probat ex duobus locis ejusdem Apostoli. Nam Roman. 15. Apostolus scribens de eadem contributione eleemosynarum, ait, Si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et ipsi in carnalibus ministrare illis. Qui vero per spiritualia intellexit applicari, dicit 1. Cor. 9. in illis verbis, *Si spiritualia vobis seminavimus, quid magni est, si carnalia vestra metamus?* Haec ille. Sed in priore loco Apostolus de spiritualibus donis generatim loquitur, nec restringit sermonem ad praedicationem. Vere enim gentiles facti sunt participes donorum spiritualium, quae in Hierusalem primum effusa sunt a Deo, videlicet fidei, spei, charitatis, sacramentorum, miraculorum etc. In posteriore autem loco non est sermo de ista communicatione bonorum, de qua nos agimus, sed de stipendio debito ex justitia iis, qui evangelizant. Hoc autem loco, videlicet 2. Cor. 8. Apostolus loquitur generatim de bonis spiritualibus et temporalibus. Nec debent ejus verba restringi ad praedicationem. Quod patet, Primo, quia verba sunt generalia, *illorum abundantia vestram inopiam suppleat.* Secundo, quia non egebant Corinthii, ut mitterentur eis praedicatores ex Hierusalem, jam enim plene instituti erant. Nam 1. Cor. 1. legimus de Corinthiis, *Jam divites facti estis in Christo, in omni verbo, et in omnia scientia*; et in hoc ipso cap. 8. epistolae secundae, *sicut*, inquit Paulus, *in omnibus abundatis, fide et sermone et scientia etc.* Tertio, quia veteres Patres non exponunt hanc abundantiam spiritualem Hierosolymitanorum, de praedicatione verbi, ut vellet Kemnitius, sed de meritis et precibus. Chrysostomus in hunc locum, dicit Hierosolymitanos abundasse integritate vitae, libertate et fiducia ad Deum, et horum bonorum futuros participes Corinthios, si eleemosynam pecuniariam, qua ipsi tunc abundabant, Hierosolymam misissent. Nec multo aliter exponunt Theodoretus et Theophylactus et alii veteres Graeci. S. Thomas exponit de precibus, ut sit sensus, Corinthios fore participes orationum, quas Hierolymitani fundunt ad Deum, si eos bonorum suorum temporalium participes fecerint. Haymo in hunc locum addit etiam jejunium inter opera spiritualia Hierosolymitanorum, quorum participes erant futuri Corinthii, si eleemosynis illis adjuvissent: quam explicationem insinuare videtur Apostolus in eodem cap. 8. extremo, cum ait: *Ministerium hujus officii, non solum supplet ea, quae desunt sanctis*; *sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerii hujus glorificantes Deum in obedientia confessionis vestrae in evangelium Christi, et simplicitate communicationis vestrae in illos, et in omnes, et in ipsorum obsecratione pro vobis.* Sed de his satis, non enim in hoc testimonio fundamentum indulgentiarum praecipue consistit.

CAPUT XVI.

Defenditur argumentum VI. catholicorum.

Argumentum sextum, quod est postremum apud Kemnitium, sumitur ab articulo symboli de commu-

nione sanctorum. Catholici enim ex hac communione colligunt, posse satisfactiones, quae sanctis superfuerunt, idest, quibus ipsi, ad sua peccata purganda non eguerunt, applicari aliis fidelibus, quibus propriae non sufficiunt. Adversus hoc argumentum Kemnitius nihil solidi adfert. Primum enim explicationem odiosissimam ejus articuli nobis affingit: *Communionem*, inquit, *sanctorum largius et latissime interpretantur de meritis operum supererogationis, quae non solis factoribus propria, sed communia sint omnibus fidelibus, collata in commune quasi Ecclesiae aerarium, ad quod solus papa claves habeat, et pro data pecunia inde cuilibet vendat, quantum visum fuerit.* Haec ille. Ubi pro suo more calumniatur nos loqui de meritis supererogationis simpliciter, cum non loquamur nisi de satisfactionibus, sive de meritis ut accipiuntur pro satisfactionibus ad reatum poenae expiandum, non ut accipiantur proprie pro meritis gratiae vel gloriae. Deinde jam saepe diximus, non solum non vendi a pontificibus satisfactiones sanctorum, sed etiam severissime prohiberi et puniri omnem speciem similium venditionum, quod ne ipse quidem Kemnitius ignorat, qui decreta pontificum et conciliorum de his rebus vidit et legit, et in suum librum, ut eum pleniorem faceret, transtulit. Deinde addit Kemnitius communionem sanctorum, de qua in symbolo fit mentio, tria significare. Primo quod Ecclesia sit societas quaedam eorum, qui spiritu Christi sanctificantur, et membra unius corporis mistici. Secundo quod in Ecclesia sint omnibus fidelibus communia bona quaedam divinitus collata, ut fides, Baptismus, remissio peccatorum et vita aeterna. Tertio, quod inter fideles, debeant esse communia officia charitatis, sicut exemplo membrorum corporis humani Paulus ostendit Rom. 12. et 1. Cor. 12. His expositis concludit articulum illum fidei, non loqui de indulgentiis pontificiis, nec de meritis supererogationis, et ideo insigni depravatione pontificias indulgentias in illum articulum intrudi. At neque nos dicimus, articulum illum fidei, loqui in specie de operibus supererogationis, vel de indulgentiis, sed colligimus ex generali proprietate Ecclesiae posse unum membrum ab alio juvari, quod ipse etiam Kemnitius agnoscit in tertia significatione communionis sanctorum. Nam si debent officia charitatis inter fideles esse communia, ut sunt inter membra ejusdem corporis, quid quaeso prohibet, cur non possit unus alteri satisfactionem suam communicare? Potest ex Apostoli sententia ad Galat. 6. propter communionem membrorum Ecclesiae, alter alterius onus portare: cur non poterit alter pro poena alteri debita satisfacere? Potest ex sententia s. Augustini epist. 23. et lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. unus pro alio credere ut fit in Baptismo parvulorum, cur non poterit unus pro alio pati? Sed audi eundem Augustinum tract. 33. in Joannem de communione sanctorum disserentem: *Oculus*, inquit, *solus videt in corpore, sed numquid soli sibi oculus videt; et manui videt, et pedi videt, et caeteris membris videt. Non enim si aliquis ictus in pedem veniat, avertit se oculus inde ut non praecaveat. Rursus sola manus operatur in corpore, sed numquid sibi soli operatur? et oculo operatur. Nam si ictus aliquis veniens non eat in manum, sed tantum in faciem, numquid dicit manus, non me moveo, quia non tendit ad me? sic pes ambulando omnibus membris militat. Membra caetera tacent, et lingua omnibus loquitur.* Haec ille. Quae si applicentur ad fideles, qui membris illis corporis significantur, licebit sine dubio dicere, eum qui jejunat, qui facit eleemosynam, qui orat, qui persequutionem injunctam patienter tolerat, qui vincula, qui verbera, qui mortem pro Christi fide patitur, non sibi soli haec agere vel pati, sed etiam aliis, praesertim si ipse non habeat peccata, quae istis passionibus purget.

Adjungit obiter Kemnitius tria alia Scripturae testimonia, quae perperam a catholicis adduci affirmat. Unum est ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*; et dicit illud, *particeps*, significare voce hebraica, et graeca (*socium*), et sensum eorum verborum esse, Davidem publica confessione ostendisse se socium et amicum aliorum piorum timentium Dei. Sed indoctos nescio quos inde fecisse pontificale participium, ad probandum per indulgentiarum nundinationem partem pecuniarum accipere a clero, partem a populo, partem ab utroque. Sed nullus catholicus est, qui ita exposuerit ut illud *particeps ego sum* retulit ad pontificem, qui tribuit indulgentias? Omnes enim referunt ad ipsos fideles, qui cum socii et amici sint aliorum fidelium piorum, participant etiam ipsorum bona, quoniam sociorum et amicorum omnia sunt communia, ut pulchre s. Augustinus ostendit tract. 33. in Joan. ubi adeo dicit omnia esse communia piis fidelibus, ut omnes dicere possint se loqui omnibus linguis, sicut loquebantur olim, qui visibiliter accipiebant Spiritum sanctum: quoniam linguae omnium fidelium, toto terrarum orbe dispersorum; singulis sunt communes per charitatem, qua sumus omnes unum in Christo. Itaque qui dixit: *Socius et amicus sum omnium timentium te*, consequenter etiam dixit, *particeps sum omnium bonorum, quibus praediti sunt omnes qui timent te.* Alterum testimonium est in ps. 121. *Hierusalem, quae aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Hoc testimonium perperam allegari dicit a Lindano pro communione sanctorum, et thesauro indulgentiarum; cum tamen constet ex verbis sequentibus, sensum illorum verborum esse, Hierusalem ita aedificari ut sit civitas, in qua sit conjunctio, seu consociatio talis, ut *illuc ascendant tribus Domini ad testimonium Domini, et ad judicia.* Sed haec est nimia contradicendi libido. Non enim psalmus dicit esse in Hierusalem participationem, sive consociationem solum ad ascendendum ad testimonia Domini et ad judicia; sed dicit, Hierusalem, idest, Ecclesiam aedificari instar civitatis pacatissimae et concordissimae, in qua sit participatio in idipsum, idest, participatio simul omnium in unum, ut sint omnia omnium. Id vero probat psalmus, quia illuc ascendunt tribus Domini, idest, variae tribus, variae gentes et nationes conversae ad Dominum, et licet sint tam multae et tam variae, tamen conveniant in eadem confessione fidei, et in iisdem legibus et judiciis etc. Tertium testimonium

dicit esse illud ps. 149. *Ad faciendam vindictam in nationibus, ad alligandos reges eorum in compedibus etc.* Sed adscribere debuisset, ubi legerit hoc testimonium pro indulgentiis citatum. Ego enim legi fere omnes, qui inter catholicos de indulgentiis scripserunt, nec apud ullum inveni hunc locum inter alios adductum; nihil autem facilius est, quam argumenta a se conficta refutare.

CAPUT XVII.

Respondetur ad cap. 4. disputationis Kemnitii.

In quarto capite disputationis suae Kemnitius probare aggreditur indulgentias pontificias veteri Ecclesiae per annos 1200. fuisse incognitas. Id vero probat primo testimonio Durandi, s. Antonini et Roffensis, qui id fatentur. Deinde quia nulla invenitur mentio indulgentiarum apud Anselmum, Rupertum, Bernardum, Petrum Lombardum et Gratianum, qui proxime praecesserunt annum millesimum ducentesimum. Postremo, quia veteres Patres, Chrysostomus, Nyssenus, Augustinus, Bernardus et Petrus Lombardus, indulgentias, nondum natas scripsit suis confutarunt. Sed ut a primo incipiamus, non ideo indulgentiae non sunt antiquae, quia duo, vel tres ex catholicis id non legerunt in veterum libris. Neque tres isti auctores negant indulgentias fuisse cognitas tempore Anselmi, Bernardi, Ruperti, Petri Lombardi et Gratiani, ut Kemnitius dicit, sed tempore Hieronymi et Augustini et aliorum veterum, qui primis quingentis annis floruerunt. Ac ut omnes intelligant Kemnitium aperte mentiri. Alexander ejus nominis tertius, pontifex maximus, sedere coepit anno Domini 1159. Is vero pontifex in epist. ad archiepiscopum cantuariensem scribens, respondet quaestioni sibi propositae, an indulgentias ab aliquo episcopo concessas, lucrari possint ii, qui non sunt eidem episcopo subjecti: ac dicit non posse, quia nemo potest nisi a suo judice ligari, vel solvi, et habetur hoc rescriptum in jure, cap. *Quod autem*, de poenit. et remiss. Videmus autem hoc loco mentionem indulgentiae, ut rei non tunc primum institutae, sed usitatae et receptae. Igitur mentitur Kemnitius pag. 274. cum sic loquitur: *In hac de indulgentiis disputatione non possunt vel ulla Patrum testimonia, vel ulla veteris Ecclesiae exempla proferre, quod talis vel doctrina, vel usus talium indulgentiarum ullo unquam tempore usque ad annos post natum Christum mille ducentos in veteri Ecclesia fuerit.* Eugenius III. pontifex sedere coepit anno 1145. Is autem per literas generales concessit indulgentiam accipientibus crucem, et proficiscentibus ad bellum sacrum; et s. Bernardo injunxit, ut eas indulgentias praedicaret populis, eosque ad bellum illud accenderet. Paruit s. Bernardus pontifici, et praedicationem suam innumerabilibus et maximis miraculis confirmavit, ut ipse modeste indicat initio libri 2. de Considerat. sed copiosius rem totam narrat auctor vitae ipsius lib. 3. cap. 4. Ergo mentitur Kemnitius tum cum ait ante annum 1200. non fuisse notas indulgentias, tum cum apud Bernardum nullam hujus rei mentionem extare confirmat, et cum Petrus Lombardus et Gratianus eodem saeculo floruerint, fieri non potest, quin ipsi quoque indulgentias noverint. Paschalis II. pontifex sedere coepit anno 1099. et in concilio quodam lateranensi anno 1116. celebrato, indulgentias quadraginta dierum concessit iis, qui limina apostolorum visitaverant, ut Conradus abbas urspergensis in chronico suo testatur; et quoniam eo tempore florebat Rupertus abbas tuitiensis: mentitur Kemnitius, qui dicit tempore Ruperti nondum indulgentias pontificias orbi terrarum innotescere coepisse, nec ante annum 1200. innotuisse. Urbanus II. pontifex sedere coepit anno 1088. et ejus tempore s. Anselmus floruit. Scribit autem idem Conradus abbas urspergensis in chronico anni 1099. praedictum Urbanum in concilio claramontano indulgentiam concessisse omnibus, qui sponte adversus infideles orientales arma sumebant, cujus rei multi alii meminerunt. Mentitur igitur Kemnitius, cum tam audacter scribit, tempore s. Anselmi, et ante annum 1200. indulgentias cognitas non fuisse. Quid nunc addamus Gregorium VII. qui sedere coepit anno 1073., et in epistolis suis frequentissime concedit indulgentias. Sergium II. qui sedere coepit anno 844. et indulgentiam tribuit adeuntibus Ecclesiam s. Martini in montibus, cujus memoria extat incisa in lapide marmoreo literis vetustissimis: et Leonem III. qui sedere coepit anno 796. et indulgentias varias multis in locis in ipsa Germania constituit, teste s. Ludgero in vita s. Suiberti? An non evidenter mendacii Kemnitius convincitur, qui veteres omnes historias legisse videri vult; et tamen affirmare non veretur ante annum 1200. Ignotas fuisse orbi terrarum indulgentias pontificias? Neque mirum videri debet, si auctores antiquiores non multos habemus, qui harum rerum mentionem faciant, quoniam plurima sunt in Ecclesia, quae solo usu, sine literis conservantur. Extant tamen Romae in antiquissimis ecclesiis memoriae indulgentiarum, a multis pontificibus, et ab ipso etiam s. Sylvestro, qui ante annos 1200. floruit, concessarum. Sed ea, quae diximus ad mendacia Kemnitii confutanda sufficere videntur.

Venio nunc ad testimonia veterum scriptorum, quae profert Kemnitius adversus indulgentias nondum natas. Primo igitur adducit Petrum Lombardum, qui lib. 4. sent. dist. 18. dicit Deum tunc tegere poenitentium peccata, quando ad poenam non reservat; sed debitum poenae remittit, idque probat ex Augustini sententia in explicatione psalmi 32. Sed in eodem loco solutio est hujus objectionis. Significat enim Petrus Lombardus de poena aeterna intelligendum esse, quod dicitur, Deum tegere peccata, cum ea non reservat ad poenam. *Et ideo*, inquit, *sicut interius gratia sua animam illuminat, ita et simul debitum aeternae mortis relaxat. Ipse enim per seipsum peccata poenitentium tegit; et tunc tegit, quando ad poenam non reservat*, et paulo infra, *Ita ergo*, inquit, *dicit a Deo tecta, ut Deus non videat, idest, aeternaliter puniat.* Quod autem poena temporalis remaneat post remissam culpam, in hac vita, vel in purgatorio luenda, docet Petrus Lombardus dist. 20. lit.

B, his verbis, *Qui*, inquit, *ante expletionem poenitentiae discesserint, ignem purgatorium sentient, et gravius punientur, quam si hic implessent poenitentiam. Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis. Deus enim cum sit misericors et justus, ex misericordia poenitenti ignoscit, non reservans peccatum ad poenam aeternam: ex justitia vero impunitum non dimittit delictum, aut enim punit homo, aut Deus etc.* et paulo post lit. D, docet posse poenitentem, praesertim post mortem, juvari aliorum satisfactionibus per orationes et eleemosynas. Itaque Petrus Lombardus illa omnia disertis verbis affirmat, quae fundamenta esse indulgentiarum Kemnitius fatetur: videlicet purgatorium, poenae reatum post culpam remissam et communicationem satisfactionis alienae.

Secundo loco adducit Kemnitius Chrysostomum homil. 1. in epist. ad Philemonem, ubi legimus, ad impetrandam peccatis nostris veniam, non opus esse vel pecunias impendere, vel peregrinando ad loca longinqua transire. Eandem sententiam habet Augustinus in serm. de martyribus, *Non dixit Deus, vade in orientem et quaere justitiam, naviga usque in occidentem, ut accipias indulgentiam; dimitte inimico tuo, et dimittetur tibi etc.* Bernardus etiam serm. 1. de adventu, *Non te oportet, o homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est, non grandis tibi ostenditur via, usque ad temetipsum occurre Deo tuo.* Sed haec testimonia nihil efficiunt. Primum enim loquuntur de justificatione impii ac remissione culpae, non de solo reatu poenae de quo nos loquimur. Deinde solum probant, non esse absolute necessariam ad remissionem peccatorum vel peregrinationem, vel eleemosynam, alioqui enim pauperes et aegrotantes spe omni carerent; et satis novimus, posse hominem per internam conversionem ad Deum ita vehementer accendi in amorem Dei, et de peccatis suis dolorem, cum proposito confessionis, ut continuo recipiat remissionem omnium culparum et poenarum. Sed non ideo sunt inutiles peregrinationes et eleemosynae, et hoc solum contendimus adversus haereticos. Ac ut omittam de eleemosynis dicere, de quorum utilitate ad redimenda peccata pleni sunt libri Patrum, ac praesertim Chrysostomi et Augustini, et nos ostendimus in lib. de eleemosyna, qui est postremus in controversiis nostris. Certe idem Chrysostomus mirifice laudat peregrinationes ad sepulchra martyrum in homil. 66. ad populum antiochenum. Sanctus etiam Augustinus in epist. 137. ad clerum et populum hipponensem scribit, se auctorem fuisse, ut quidam ad loca sancta peregrinationem susciperent. Denique s. Bernardus Petrobrusianos haereticos confutavit, qui praeter alios errores, hunc etiam habebant, ut peregrinationes fidelium ad loca sancta reprehenderent. Vide vitam s. Bernardi lib. 3. cap. 5.

Tertio Kemnitius adducit Chrysostomum hom. 38. in Matthaeum, ubi dicit, eos de templo Dei speluncam latronum facere, quia lucra terrena sectantur: et Christum quotidie intrare templum Dei, et ejicere omnes vendentes gratiam Dei. Sed quorsum haec tendunt? An forte omnes, qui avaritiam in sacerdotibus reprehendunt, continuo etiam indulgentias reprehendunt? An non saepissime repetivimus, non solum non probari summis pontificibus eos, qui quomodo ex indulgentiis negotiationem faciunt, sed maxime improbari, damnari, puniri.

Addit ultimo Kemnitius, se alio in loco demonstrasse, Gregorium nyssenum integram orationem opposuisse persuasioni de peregrinationibus ad loca hierosolymitana. Cui respondemus, nos quoque alio in loco, idest. lib. 3. de cultu sanctorum cap. 8. demonstrasse testimoniis Scripturae, et veterum Patrum, necnon argumentis aliis peregrinationes ad loca sancta pias et Deo gratas, et nobis utilissimas esse, Gregorium vero nyssenum non reprehendere peregrinationes absolute, sed docere quibusdam personis, ut monachis et sanctimonialibus, non convenire, cum eorum proposito magis conveniat quies et solitudo; quamvis etiam non sit omnino certum, an ea oratio Gregorii sit.

CAPUT XVIII.

Respondetur ad primam partem argumenti historici contra indulgentias.

In ultimo capite disputationis suae Kemnitius historiam longissimam texit, ut originem indulgentiarum, quales a catholicis defenduntur, novam esse demonstret. Continet autem ea historia tria tempora, unum ab initio Ecclesiae usque ad annum circiter 90. alterum ab anno 90. ad 1203. ab anno 1200. ad annum 1517. quo tempore, auctore Luthero extinctas indulgentias Kemnitius gloriatur. Ac primo quidem tempore indulgentias nihil aliud fuisse contendit, nisi relaxationes publicae poenitentiae, sed eas relaxationes nihil habere commune cum indulgentiis pontificiis, de quibus instituta controversia est. Sed antequam ad rem propositam veniat, longissima digressione refert multa de ritibus publicae poenitentiae, de caussis ejusdem, ac demum de canonibus poenitentialibus, ubi ad verbum describit canones conciliorum nicaeni et ancyrani, necnon eos, qui habentur apud Burchardum et Gratianum. Quoniam enim jamdudum Lutherus jus canonicum publice exussit, et ejusmodi ritus et leges non solum de moribus, sed etiam de memoria et libris Lutheranorum exciderunt, voluit Kemnitius commemoratione harum rerum doctrinam reconditam et abstrusam venditare, ut caeteris diligentior ac doctior haberetur. Et quamvis non desint in hac digressione multa, quae falsitatis coargui potuissent, tamen quia ad rem praesentem non faciunt, non existimavi tempus esse in his commemorandis, vel refellendis conterendum. Illud unum praeterire non possum, Kemnitium inter scripta veterum revolvenda, non raro invenisse quod minime volebat. Nam cum ipse cum Lutheranis caeteris contendat, poenitentias veterum disciplinae caussa, non autem satisfactionis coram Deo et redemptionis, vel expiationis peccatorum institutas, tamen fatetur se hoc etiam postremum apud Patres non raro legisse, ac pro sua modestia et adversus

antiquissimos Patres reverentia, eos non obscure reprehendit. Sic enim loquitur pag. 306. *Nec vero nescius sum, veteres aliquando nimis largiter,et verbis nimium, magnificis disciplinam illam canonicam commendare: ut quod Tertullianus dicit, satisfactionibus illis peccata expiari: Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, sanari et judicem placari: Augustinus Deum illis de peccatis praeteritis propitiari. Ea talia sunt, quae salva, fide* (Lutherana videlicet), *nec possunt,nec debent, sicut sonant, accipi et intelligi.* Haec ille. Sed profecto justius erat novos Lutheranorum errores ex doctrina veterum Patrum corrigere, quam ex novis istis erroribus de veterum Patrum doctrina et sententiis judicare. Porro disgressione illa aliquando expedita pag. 318. aggreditur ad probandum, indulgentias olim nihil aliud fuisse, nisi moderationes, relaxationes et remissiones mulctarum canonicarum, quae in publica poenitentia usitatae tunc erant. Id vero probat ex canonibus conciliorum ancyrani, nicaeni et agathensis, et tandem his verbis concludit: *Hae fuerunt veteres Ecclesiae, sive relaxationes, sive indulgentiae, a quibus quemadmodum pontificiae indulgentiae per omnia genera caussarum diversae sint,ex hac narratione, et ex descriptione indulgentiarum in principio exposita, si fiat collatio manifestum est. Atque ideo nudam tantum pono recitationem, relinquens lectori collationem diversitatis.* Respondeo: Relationes poenitentiae canonicae per omnia genera caussarum cum iis indulgentiis convenire, quas catholici defendunt, et quas Kemnitius supra non fideliter, sed admixtis mendaciis explicavit. Caussa enim veluti efficiens indulgentiarum juxta catholicorum omnium sententiam, episcopi sunt, ac potissimum romanus episcopus, quem episcopum episcoporum Tertullianus in libro de Pudicitia nominavit. Constat autem tum veteres relaxationes, tum recentiores indulgentias non ab aliis, quam ab episcopis dari solere vel posse. Caussa formalis est ipsa liberatio, sive judicialis absolutio per ministerium clavium a poenis in foro poenitentiario debitis. Quod totum in utrasque remissiones tam veteres, quam recentes convenire non dubium est. Caussa materialis, sive sint ipsi poenitentes, qui absolvuntur, sive poenae circa quas versatur absolutio, eadem omnino utrobique reperietur. Nam et veteres, et recentiores episcopi, non aliis quam poenitentibus indulgentias tribuunt,nec alias poenas, quam in foro poenitentiario debitas relaxant. Quod autem tunc relaxarentur poenae injunctae, nunc autem tum injunctae, tum injungendae, ratio est,quoniam tunc injungebantur severiores poenitentiae,quae saepe delictis aequales erant, nunc autem injunguntur mitiores, quae delictis impares sunt. Sed sive pares, sive impares injungantur, omnino pares in hac vita, vel in alia perferendae sunt, nisi misericorditer relaxentur. Atque ad hoc probandum adduximus supra cap.13. testimonium s. Cypriani qui in epist. 2. lib. 4. ad Antonianum, apertissime scribit, eos,qui in hac vita non plene satisfecerunt, emendandos et cruciandos igne purgatorii in alia vita, donec reddant novissimum quadrantem. Ac ut non repetam tam multa, quae alibi diximus, unius s. Augustini uno vel altero testimonio contentus ero. Hunc enim auctorem praeter caeteros,etiam haeretici nostri temporis magni faciunt. Igitur s.Augustinus in psal. 37. in illa verba, *Domine ne in furore tuo arguas me,neque in ira tua corripias me*, illos dicit argui in furore, quibus dicitur, *Ite maledicti in ignem aeternum;* illos autem corripi in ira, qui emendantur igne purgatorio. *Neque*, inquit,*in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me, et talem me reddas,cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem*; et paulo post, *Quare petit iste,ne in indignatione arguatur, neque in ira emendetur, tamquam dicens Deo, quoniam ista, quae patior,multa sunt, magna sunt, quaeso ut sufficiant, et incipit illa numerare satisfaciens Deo, offerens illa, quae patitur, ne pejora patiatur.* Audis ne Kemnitii per poenas hujus vitae patienter toleratas satisfieri Deo? Audis,eos, qui hic non plene purgantur in alia vita igne purgatorio emendandos? et rationem horum omnium idem Augustinus reddit in psal.50. cum ait: *Veritatem dilexisti, quoniam impunita peccata etiam eorum, quibus ignoscit, non dimisisti; sic prorogasti misericordiam,ut servares et veritatem. Ignoscit confitenti, ignoscis, sed se ipsum punienti. Sic servatur misericordia et veritas.* Quid clarius dici potuit ab ullo scholastico doctore? Atque haec est etiam caussa, cur in priore libro dixerimus, tum ad veteres relaxationes, tum ad recentiores indulgentias thesaurum satisfactionum Christi et sanctorum applicandum fuisse, quoniam misericordia cum justitia in omnium relaxatione conjungenda est. Itaque etiam in hac re similes sunt indulgentiae veteres et novae. Restat caussa finalis, quae saltem in genere semper eadem fuit, gloria Dei et utilitas Ecclesiae. Nam antiqui poenitentias relaxabant, vel quando necesse erat lapsos ad martyrium per communionem et sacramenta praeparare, vel quando timebant,ne poenitentes sub onere deficerent: vel quando negligentiores ad studium poenitentiae accendere cupiebant, hoc veluti praemio relaxationis, quod diligentioribus praebebatur, vel quando martyres, qui pro poenitentibus episcopos rogabant, honorare, et eo modo reliquos fideles ad martyrii gloriam provocare volebant. Denique numquam deerat rationabilis caussa cur sancti illi Patres poenitentias injunctas moderandas, vel remittendas judicarent. Posterioribus quoque temporibus semper caussa indulgentiae concedendae, vel fuit recuperatio terrae sanctae, vel subventio pauperum, vel excitatio fidelium ad preces et opera poenitentiae, vel alia similis rationabilis et pia. Neque poterit Kemnitius, quamvis multas fabulas a suis confictas recitet, producere unum aliquod pontificium diploma, ubi pro pecunia ipsi pontifici numeranda, vel alia, sive turpi, sive profana, sive levi caussa indulgentiae concedantur. Habemus igitur omnia genera caussarum eadem fuisse in indulgentiis antiquis et novis. Unum discrimen in medium adferri posset, quod veteres illi episcopi singulis poenitentibus poenas relaxabant, nunc autem plerumque in communi omnibus relaxantur, qui certa opera sibi in-

juncta praestiterint. Sed neque est hoc essentiale discrimen; neque ejusmodi communes indulgentiae antiquis temporibus defuerunt. Attulimus enim supra certa testimonia de indulgentiis communibus a Sergio II. Leone III. et Gregorio I. concessis;qui omnes ante annum millesimum sederunt. Nec desunt probabiles conjecturae de indulgentiis a Paschali I. et Sylvestro I. in commune propositis.

CAPUT XIX.

Respondetur ad alteram partem argumenti historici contra indulgentias.

Altera pars historiae Kemnitii continet ea tempora, quibus poenitentiae redimi coeperunt. Scribit enim Burchardus ex poenitentiali romano,eum qui uno die in pane et aqua jejunaturus erat, potuisse jejunium illud commutare seu redimere, si quinquaginta psalmos flexis genibus recitasset, et pauperem unum eo die pavisset, et eodem modo alias poenitentias aliis redimi,vel in alias commutari per ea tempora licuisse. Quando hae redemptiones proprie coeperint, non ita certo constat, sed Burchardus,qui de illis scribit, circa annum Domini 1020. floruit. Sed extat etiam mentio harum redemptionum in concilio triburiensi can. 56. et 58. quod concilium tempore Arnulphi imperatoris anno 896. celebratum est.De his igitur redemptionis nonnulla Kemnitius dicit. quae discussione indigere videntur. Primum pag. 323. scribit circa haec tempora, accessisse ad opera poenitentiae opinionem de opere operato: quod ipsum inferius aliquoties repetit. Vocat autem opinionem de opere operato, quo credere coeperint homines, his operibus satisfieri Deo pro peccatis, et necessarias esse ejusmodi satisfactiones non solum caussa disciplinae, sed etiam ad placandum Deum. In qua re bis errat Kemnitius, primum in nomine, deinde in re. Neque enim intelligit, quid catholici theologi per opus operatum significare, voluerint. Nam si id intelligeret, certe non diceret, opera poenitentiae ex sententia catholicorum vim habere ex opere operato. Quid igitur catholici opus operatum vocant?id quod non pendet a dignitate, vel sanctitate ministri operantis, sed hoc ipso quod fit ex divina institutione vim habet. Talis est exempli caussa, Baptismus, qui vim habet sanctificandi ex divina institutione, et re vera sanctificat, etiam si ab homine improbo et perdito conferatur. At opera poenitentiae ex catholicorum doctrina nihil efficiunt, hoc est, non placant Deum, non satisfaciunt pro peccato, non expiant poenae reatum, nisi fiant ab homine justificato et reconciliato. Proinde ex opere operantis, non ex opere operato vim habent,quando non sunt pars sacramenti poenitentiae, sed sponte assumuntur ad placandum Deum, eique pro reatu poenae satisfaciendum. Quando autem sunt pars sacramenti, tunc quidem utroque modo vim habent, sed Kemnitius loquitur de his operibus priore modo, neque vult ex sententia catholicorum eam habere ex opere operato, quia sunt pars sacramenti, sed quia assumuntur ad placandum Deum. Atque haec de hallucinatione Kemnitii circa nomen. Quod autem ad rem attinet;jam ipse citavit et reprehendit Tertullianum, Cyprianum et Augustinum, qui scripserunt opera poenitentiae placare Deum, et per ea redimi peccata, sanari, ablui, expiari; et nos addidimus alia testimonia Cypriani et Augustini,quibus probatum est necessaria esse opera poenitentiae ad satisfaciendum Deo pro peccatis alioqui in vita futura, eluenda esse gravissimis poenis in igne purgatorii. Non igitur verum est, his temporibus, idest, circa annum Domini millesimum accessisse opinionem de necessitate et efficacia satisfactionum, cum ea opinio, vel potius certa fides in Ecclesia catholica semper fuerit.

Secundo Kemnitius addit, ex illis redemptionibus et commutationibus poenitentiarum sequutam esse languefactionem (sic enim ipse loquitur) verae contritionis, eversionem seriae emendationis, et persuasionem impunitatis in delictis. Sed mirum est, cur hoc dicat, cum illae redemptiones gravissimae poenitentiae fuerint, et non omnium poenitentiarum, sed solum aliquarum redemptiones permitterentur;et si veteres Patres recte interdum relaxabant ac remittebant injunctas poenitentias,cur vitio verti debet posterioribus Patribus, quod easdem poenitentias aliis commodioribus redimi, vel in alias faciliores commutari posse censuerint? Certe apud Lutheranos non opus est redimere jejunia eleemosynis, cum nulla sint amplius apud eos indicta jejunia ; nec poenitentibus opus est quaerere quibus operibus redimant impositas poenitentias, cum Lutherus, eorum patriarcha, scripserit in lib. de captivit. babylonica; de Baptismo, omnia peccata in momento absorberi, si stet vel redeat fides. Sed de his saepe diximus.

At, inquit, Kemnitius, in concilio cabilonensi sub Carolo Magno, teste Burchardo, extat canon contra eos, qui de industria peccabant, et propter eleemosynarum largitionem impunitatem peccandi sibi promittebant. Item contra alios, qui putabant, se a peccatis omnibus posse purgari, si Romam, vel Turonum, aut alia sancta loca sub pretextu orationis pergerent. Extant quidem isti canones, et sancte prudenterque statuti sunt adversus eos,qui sine vera conversione ad Deum, immo cum proposito perseverandi in peccatis, satis sibi esse ducebant,si eleemosynis, vel peregrinationibus operam darent.Sed haec vitia sunt hominum non canonum, neque enim canones qui redemptionem permittebant, volebant fieri sine vero proposito dimittendi peccata, vel sine vera contritione et conversione ad Deum.

Postremo adjungit Kemnitius, ex his redemptionibus poenitentiarum paulatim ortas esse modernas indulgentias, quibus per opera indebita sanctorum peccata redimi posse dicuntur. Sed hoc falsum esse manifeste patet ex eo, quod indulgentiae, quales nunc sunt in usu Ecclesiae, antiquiores sunt redemptionibus illis poenitentiarum.Nam redemptiones illae coeperunt circa annum millesimum, vel nongentesimum, et indulgentias quales nunc sunt in usu fuisse ostendimus per certissima testimonia diu ante annum nongentesimum tem-

pore Sergii II. Leonis III. et Gregorii I. Neque Kemnitius aliud profert ad probanda quae dicit, nisi suas, easque levissimas conjecturas.

CATUT XX.

Respondetur ad tertiam partem argumenti historici contra indulgentias.

Postrema historiae pars continet ea tempora, quibus Kemnitius conatur ostendere originem habuisse indulgentias, quae nunc sunt usu receptae. Ac primum fatetur, quod est verissimum, summae antiquitatis argumentum, non esse usquam annotatum, quo tempore coeperint indulgentiae. Deinde refellere conatur, quod catholici dicunt, tempore s. Gregorii, idest, anno Domini sexcentesimo, jam fuisse in usu Ecclesiae indulgentias, cum traditio antiqua habeat, ab ipso s. Gregorio additas fuisse stationibus indulgentias. Refellit Kemnitius eam catholicorum sententiam, illo solum argumento, quia nihil de hac re in scriptis s. Gregorii, vel in historiis eorum temporum inveniatur. Sed argumentum nullas habet vires, cum constet ejusmodi concessiones non libris, sed usu et consuetudine conservari. Nam etiam de indulgentiis a Leone III. in tot locis Germaniae constitutis, nihil extat in ejus epistolis, quas satis multas scripsit, neque in historiis universalibus eorum temporum; et nisi incidisset occasio ut s. Ludgerus vitam s. Suiberti scribendam susciperet, sciremus quidem Acquisgrani et Coloniae indulgentias a Leone III. concessas haberi, sed nullo certo teste id probare possemus. Quo modo etiam nisi s. Innocentius primus necessitatem habuisset rescribendi Decentio episcopo eugubino, sic siscitanti, an episcopus deberet conferre sacramentum Unctionis extremae, an solus presbyter, certe non haberemus testimonium ullius auctoris illius temporis pro sacramento illo. Siquidem de iis rebus, quae sunt in usu communi fidelium, non scribebant Patres, nisi coacti ab haereticis, aut alia simili necessitate. Itaque ad probandum a s. Gregorio indulgentias stationibus adjunctas fuisse, multo amplius valere debet s. Thomae, et Gulielmi Altisiodorensis gravissimorum virorum affirmatio, quam silentium omnium aliorum. Quod enim aliquid verum sit, etiamsi a multis scriptum non sit, facile credi potest. At falsum esse, quod a viris gravissimis, ac fide dignissimis affirmatur, non facile credi debet. Obiter autem Kemnitius cum stationes nominasset, addere voluit, quae sit notio ejus vocis; et quia stantes, inquit, verbum audiebant et orationes faciebant, dictae sunt stationes. Sed longe aberrat a vero. Stationes enim dictae sunt militari vocabulo, vigiliae quaedam spirituales Ecclesiae, quae vel ob imminentem persequutionem, vel alia de caussa in jejuniis et oratione perseverabat, usque ad horam diei nonam, aut etiam usque ad vesperam: simul enim jejunium et statio solvebantur. Et quemadmodum milites in excubiis vigilantes in statione esse dicuntur, sive stent, sive sedeant, sive obambulent, sic etiam Christiani stationem celebrare dicebantur, cum in oratione et jejunio tota die perseverarent, sive stando, sive prostrati ad terram, sive genibus positis, sive alio quovis modo Dominum precarentur. De qua re vide Tertullian. in lib. de fuga in persequutione, in lib. de jejunio, et in lib. de oratione, et quae nos scripsimus in lib. 2. de bonis operibus in particulari c. 22.

Deinde Kemnitius addit nihil de indulgentiis inveniri in scriptis Burchardi, Gratiani et Petri Lombardi, atque inde concludit, indulgentias ortum habuisse circa annum Domini 1200. qui argumento nos supra respondimus, capite 17. ubi ostendimus ex testibus certis, indulgentias multo esse antiquiores, ac ut videas, lector, quam verum sit proverbium, mendacium memorem esse debere: scripsit Kemnitius supra pag. 274. haec verba: *In hac de indulgentiis disputatione non possunt vel ulla Patrum testimonia, vel ulla veteris Ecclesiae exempla proferre, quod talis, vel doctrina, vel usus talium indulgentiarum ullo unquam tempore ad annos post natum Christum* 1200. *in veteri Ecclesia fuerit.* Et idem repetit pag. 275. affirmans nullum auctorem scripsisse de indulgentiis ante annum Domini 1200. et tamen pag, 332. scribit Kemnitius Alexandrum III. pontificem circa annum Domini 1170. scripsisse de indulgentiis, quae fiebant in dedicationibus ecclesiarum, aut conferentibus aliquid ad aedificationem pontium. Neque Alexander tunc indulgentias instituit, sed loquitur de re nota et usitata et frequentissima; et infra pag. 375. numerat idem Kemnitius Valdenses inter eos, qui indulgentias, quales nunc habet Ecclesia, rejecerunt et oppugnarunt : constat autem Valdenses circa eundem annum 1170. errores suos praedicare coepisse. At quomodo ista cohaerent, ut indulgentiarum origo referenda sit (auctore Kemnitio) ad annum 1200. et tamen eodem auctore anno 1700. Alexander III. de indulgentiis jamdudum introductis rescripta edat, et Valdenses haeretici indulgentias, in Ecclesia olim receptas, damnent atque rejiciant? Igitur non solum testibus a nobis productis cap. 17. sed etiam ipso Kemnitio teste, sententia ejusdem Kemnitii de indulgentiarum novitate apertissime refutatur.

His tractatis Kemnitius aggreditur longissimam narrationem de quaestionibus scholasticorum circa indulgentias, de jubilaeis in Ecclesia celebrari solitis, de indulgentiis singularum ecclesiarum urbis Romae, ac demum de contentione Lutheri et Teccelli circa indulgentias: quae non egent refutatione, sed sola mendaciorum et calumniarum annotatione.

Igitur pag. 346. posteaquam recitavit Kemnitius decretum concilii viennensis contra Quaestuariorum abusus, addidit haec verba: *Sed pontifices ipso facto mox addiderunt interpretationem, quod sint abusiones damnabiles et abolendae, si fiant a Quaestoribus hospitalium: si verum a romanis pontificibus tales indulgentiae, et eo modo concedantur, esse opus maxime pium.* Hoc autem esse mendacium manifestum ex ipsa constitutione intelliget quicumque eam legere voluerit. Continet enim ea constitutio tres paragraphos; in primo ca-

vetur, ne Quaestores admittantur, nisi apostolicae sedis vel dioecesani episcopi literas ostenderint.In secundo narrantur abusus Quaestorum, et simpliciter damnantur et prohibentur, neque ulla additur declaratio, quod si tales indulgentiae, et eo modo a pontifice concedantur, sit opus maxime pium. In tertio decernuntur poenae Quaestoribus, qui superioris mandato non paruerint,neque etiam hoc loco additur ulla talis declaratio, qualem finxit Kemnitius. Illa igitur verba Kemnitii:*Et videri sane possent abusiones illae in indulgentiis generaliter taxari, damnari et aboleri per Clementinam illam. Sed pontifices ipso facto mox addiderunt interpretationem quod sint abusiones damnabiles et abolendae, si fiant a Quaestoribus hospitalium: si autem a romanis pontificibus tales indulgentiae, et eo modo concedantur, esse opus maxime pium.*

Mendacium et imposturam apertissimam continet, nusquam enim talis interpretatio in tota illa constitutione reperitur, neque reperiri potest,quia ipsi constitutioni sine dubio repugnaret,in qua non solum abusiones illae absolute et simpliciter abolentur,sed etiam revocantur omnia privilegia,Quaestoribus quoquomodo concessa, circa materiam abusionum illarum,ita ut nihil eorum,in quibus abusiones consistunt, ne praetextu quidem literarum apostolicarum illis actitare licuerit. Quod vero initio constitutionis dicitur, ut Quaestores non admittantur, nisi literas apostolicae sedis, vel episcopi proprii demonstraverint: non est id quod Kemnitius reprehendit; tum quia hoc non est additum post abusiones damnatas, sed praemissum ante damnationem; tum quia in hac parte non agitur de abusionibus, sed de simplici propositione indulgentiarum, et charitativi postulatione subsidii, ut ipsa constitutio loquitur.

Idem Kemnitius pag. 353. multa dicit de venditione indulgentiarum tempore Pauli II. et Sixti IV. et addit, ne videatur ea ex capite suo finxisse,*Extant haec in extravagantibus Pauli II. et Sixti IV.* At ego iterum, atque iterum legens ac relegens eas extravagantes,ne vestigium quidem ullum earum venditionum reperio. Sed qui versatus est in scriptis Kemnitii, et novit quam is audacter, et sine ulla verecundia mentiri solitus sit, non mirabitur eum in hac materia praeter omnes alias apud Lutheranos odiosa, impudentiae mentiendi omnino fraena laxasse.

Rursus pag. 362. adscribit narrationem de indulgentia divinitus concessa ad preces s.Francisci adeuntibus Ecclesiam s. Mariae de Angelis; quam ipse vocat impudentissimam fabulam, et vere ex parte fabula est, quo ad ea videlicet, quae ipse Kemnitius admiscuit. Nam praeter alia scribit, s. Franciscum Honorio summo pontifici dixisse,sigilla bullae indulgentiae illius esse stigmata sua. At nullus auctor hoc refert, praeter Kemnitium, et non solum non est verum, sed nec verisimile,tum quia nondum s. Franciscus stigmata habuerat, cum illa indulgentia concessa est; tum quia etiamsi habuisset, non ea vir summae humilitatis ulla ratione jactasset. Porro ad eam narrationem infirmandam nihil omnino Kemnitius adfert, nisi judicium suum: ad confirmandam autem adsunt testes illius temporis, qui historiam conscripserunt, ut cognosci potest ex initio secundi libri chronicorum ordinis s. Francisci; adest praeterea testimonium s. Bernardini tom. 1. serm. 9. qui est in evangelium dominicae primae quadragesimae, qui vir sanctitate, doctrina et miraculis clarissimus fuit. Adest testimonium s. Antonini 3. par. summae hist. tit. 24. cap. 14. § 3. qui etiam vir doctus et sanctissimus fuit. Adest concursus populorum frequentissimus ad eam Ecclesiam kalendis augusti, quo solo die indulgentia divinitus concessa obtineri potest. Adsunt denique signa et prodigia non pauca quae ad illius indulgentiae veritatem astruendam edita fuisse chronica jam citata testatur. Sed non sine causa Kemnitius hanc historiam falsam et fabulosam haberi cupit, quoniam per eam historiam tria catholica dogmata confirmantur, unum de indulgentiis, alterum de pontifice maximo,tertium de confessione. Siquidem ad preces s. Francisci Christus ipse plenariam indulgentiam dedit, sed non nisi per ministerium vicarii sui pontificis maximi dedit, nec nisi per contritionem et confessionem a culpa expiatis, et eam Ecclesiam visitantibus dedit.

Idem Kemnitius pag. 364. incipit narrare varias indulgentias, quae habentur in ecclesiis urbis Romae, quas ipse ex incertis auctoribus et obscuris libellis colligit ascendere ad multa centena annorum millia; et quoniam satis constat, non tam diu purgatorium, neque ipsum mundum esse duraturum, dicit se pro germanica simplicitate assequi non posse rationem calculi pontificii;rogatque Romanenses,ut hoc mysterium explicare non graventur. Sed primum admonendus est, ut si nosse cupit veras historias de indulgentiis Romanis, non eas petat vel ab hostibus Ecclesiae, qualis fuit Vesellus ille, quem saepissime citat, neque ab obscuris quibusdam libellis, qualem unum se vidisse dicit editum Norimbergae, germanice scriptum,amplificatum de stationum romanarum indulgentiis, cum antea latine, et brevius editus Romae fuisset: sed a pontificum diplomatibus, vel ab authenticis ecclesiarum tabulis, aut certe ab auctoribus certis, gravibus, doctis, probatis. Neque enim dubitari potest, quin multa vel depravata, vel conficta in ejusmodi libellis incertis et anonymis legantur, quale illud est, quod Gregorius papa cum lateranensem Ecclesiam iterum dedicaret, tot dierum indulgentias dederit, quot guttae cadunt, si per tres dies et noctes continue pluat. Hanc enim fabulam Kemnitius sicut eam retulit pag.367. ita per se facile potuisset dijudicare vere fabulam esse, cum neque adscribatur quis ille Gregorius fuerit, quando Ecclesiam illam dedicaverit, quis earum rerum testis sit: neque in certis et probatis historiis ullum ejus dedicationis,vel indulgentiae vestigium extet. Quod si forte probari possit (id enim, ut dixi,in probatis auctoribus non legi) concessa fuisse aliquando multa millia dierum, vel annorum indulgentiae:legat quae supra scripsimus libro superiore, cap. 9. et intelliget mysterium calculi illius, quod sibi explicari petit.

Idem Kemnitius pag. 372. pollicetur se demonstraturum, omnibus temporibus fuisse aliquos, qui

imposturis indulgentiarum contradixerint; et primum quidem profert concilia generalia lateranense et viennense, quibus damnantur abusus et fraudes Quaestuariorum. Sed quia intelligebat, in his conciliis ita damnari fraudes et abusus, ut verus et legitimus usus indulgentiarum confirmaretur et probaretur, transit ad eos, qui omnino indulgentias contempserunt, vel reprehenderunt. Adducit autem valdenses haereticos, Joan. Wicleffum haeresiarcham, Ruthenos schismaticos, Joan. Hus et Hieronymum de Praga, Wicleffi discipulos, Vesellum et Vesalium, similiter haereticos, atque Ecclesiae hostes; quibus falso adjungit Hieronymum Savonarolam, cum nihil tale de eo referant auctores historiarum istius temporis, qualis in primis est Jacobus Nardius; denique Lutherum nostri temporis haereticorum omnium Patrem et principem. Quid autem mirum est, si hostes Ecclesiae qui tam multa alia fidei dogmata reprehendunt, idem, in indulgentiis faciant? Id enim perpetuum haereticis fuit, ab ipso initio Ecclesiae, ut doctrinam catholicam reprehenderent. Certe si Kemnitius aliquid efficere volebat, debebat tales proferre reprehensores indulgentiarum, qui ob sapientiam et probitatem, et cum Ecclesia catholica communionem, fidem indubitatam mererentur. Sed ille id nec fecit, nec facere potuit. Nos autem contra, multos proferre possumus indulgentiarum pontificiarum laudatores et praedicatores, qui et libris editis sapientiam, et miraculis maximis sanctitatem suam probaverint, quales sunt s. Bernardinus, s. Antoninus, s. Vincentius, s. Bonaventura, s. Thomas, s. Petrus martyr, s. Antonius paduanus, s. Franciscus, s. Dominicus, et ipse etiam s. Bernardus, quem etiam Lutherani admirari et sanctum apppellare coguntur.

JUDICIUM
ROBERTI BELLARMINI
POLITIANI

SOCIETATIS JESU THEOLOGI

DE LIBRO

QUEM LUTHERANI VOCANT

CONCORDIAE

Cum apologia brevi pro eodem judicio

JUDICIUM

DE LIBRO CONCORDIAE

LUTHERANORUM

Liber Concordiae, nuper editus a Lutheranis, tria mihi continere videtur, praeter communes et notos Lutheranorum errores, insignem videlicet vanitatem, gravissimas haereses contra symbolum apostolicum et mendacia innumerabilia, apertissima atque inter se pugnantia. De singulis ordine dicemus.

DE VANITATE CONCORDIAE

Insignis igitur vanitas in subscriptione perspicitur. Quorsum enim attinebat, ut omnes ministri, concionatores, ludimagistri, hypodidascali, subscriberent? Certe non potest exemplum ullum, ejusmodi subscriptionum, in negotio fidei, ab antiquitate peti. Siquidem ab apostolicis temporibus per annos mille quingentos, in omnibus conciliis tam generalibus, quam nationalibus aut provincialibus, soli praelati, qui jurisdictionem aliquam habent, subscribere consueverunt. Sunt etiam interdum addita nomina imperatorum, aut regum, aut principum aliquorum; Sed ludimagistrorum et hypodidascalorum, nulla usquam invenitur mentio. Deinde ista subscriptio ad librum Concordiae, ingentis discordiae signum est. Qualem enim unionem inter Lutheranos esse existimabimus, quando non solum principes ad concordiam redigi, sed etiam privati homines ad subscribendum cogi debuerunt? Et quamvis numerosa subscriptio esse videatur, est tamen ipsa quoque argumentum paucitatis. Nam si catholica Ecclesia ejusmodi subscriptionem requireret, in puncto temporis haberet non octo millia, sed plus quam octingenta millia subscribentium; neque ex sola Italia libentissime subscriberent innumerabiles presbyteri et diaconi, atque scholarum et gymnasiorum praefecti, sed etiam ex Hispania, Germania, Gallia, America, Brasilia, India, Japonia; nec deessent etiam ex Britannia et Palaestina. Denique tam numerosa subscriptio, inexcusabilia reddit tam multa, et tam crassa mendacia, quae nos infra annotabimus. Si enim unus tantum aut alter librum istum, antequam ederetur, vidisset, ignosci posset fortasse humanae imbecillitati, si aliquid erroris obrepsisset: at quod sedecim millia oculorum crassissima illa mendacia, deprehendere non potuerint, quis ferat? Alterum profecto necessarium est, aut caecos omnes fuisse, aut etiam cum mendaciis Concordiam facere voluisse.

De erroribus Concordiae, discordantibus a symbolis in ipsa Concordia receptis.

I. ERROR

Primus error est quod Christus non solum ut homo, sed etiam ut Deus, Patri fuerit obediens. Qui error destruit penitus veram divinitatem Christi, quam symbolum nicaenum contra Arianos asseruit. Nam si Christus ut Deus Patri obedivit, certe ut Deus a Patre distinguitur; alius igitur Deus est Pater, alius Deus est Filius: sed unus tantum est verus Deus, et constat Patrem esse verum Deum, non igitur filius est verus Deus, nec ὁμοούσιος Patri, in nicaeno symbolo confitemur. Rursum qui obedit, minor est illo, cui obedit: nam imperare superioris, obedire inferioris est: Ergo, si Christus ut Deus, Patri obedit, ut Deus minor est Patre, et mentitur symbolum Athanasii, cum ait: Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Adhaec, secundum illam naturam Christus obedivit, secundum quam mortuus est: nam ipsa mors, obedientia fuit summa et absolutissima; at non est mortuus Christus secundum divinitatem, sed solum secundum carnem, 1. Petr. 4. Christo igitur in carne passo etc. Denique cur apostolus Paulus, ad Philippens. 2. dicturus: humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, praemisit, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, nisi ut nos admoneret, non secundum formam Dei, qua aequalis est Patri, sed secundum formam servi, qua minor est Patre, Christum obedientiam usque ad mortem Deo Patri praestitisse?

Sed fortasse non habet Concordia hunc errorem. Inspiciamus igitur an ita sit. In epitome articulorum controversorum, art. 3. pag. 556. *Credimus*, inquiunt, *docemus et confitemur magno consen-*

su, quod Christus quidem vere sit nostra justitia; sed tamen neque secundum solam divinam naturam, neque secundum solam humanam naturam: Credimus autem Christum totum, secundum utramque naturam, esse nostram justitiam: in sola videlicet obedientia sua, quam ille Patri ad mortem usque absolutissimam praestitit. Haec illi. Si igitur justitia nostra, idest, nobis imputata, totus Christus est, secundum utramque naturam, et justitia illa in obedientia consistit, quam Christus Patri usque ad mortem exhibuit, certe sequitur, Christum totum secundum utramque naturam Deo Patri obedientiam praestitisse. Et infra, pag. 664. *Ac sentiendum est*, inquiunt, *quod justitia nostra, neque in divina, neque in humana natura, sed in tota ipsius persona consistat: quippe, qui ut Deus et homo, in sola sua tota, et perfectissima obedientia, est nostra justitia.* Quid est, qui ut Deus et homo in sua obedientia est nostra justitia, nisi Christus ut Deus et homo, Patri obedivit, et ea obedientia, nostra obedientia reputatur? Nec est idem, Deus et homo Patri obedivit, et, Christus ut Deus et homo Patri obedivit. Illud enim personae divinae obedientiam tribuit, sed in natura humana, et catholicum est: hoc vero utrique naturae tribuit obedientiam et Arianum est. Et pag. 663. *Tota totius personae Christi obedientia, quam ille Patri usque ad ignominiosam crucis mortem, nostri caussa, praestitit, nobis imputatur.* Et infra: *Cum autem obedientia Christi, non sit unius dumtaxat naturae, sed totius personae etc.* Et in his locis, quare dicunt totius personae obedientiam illam fuisse? Non satis erat dicere, fuisse personae? Sed utrique naturae obedientiam non tribuissent, nisi totius personae dixissent. Per totam enim personam duas naturas, pag. 727. significare se dicunt. Nec mirum est, professores Augustanae confessionis et apologiae ita sentire, quandoquidem ipse primarius, tam confessionis, quam apologiae architectus Philippus Melanchthon, in Locis communibus anni 1558. loco de Filio, pag. 40. ita scripsit: *Natura divina, non quidem lacerata, aut mortua, sed fuit obediens Patri, quievit, cessit irae aeterni Patris.* Et Martinus Lutherus in lib. de conciliis et Ecclesia, non solum obedientiam, sed etiam passionem divinitati tribui posse contendit.

II. ERROR

Alter error est, quod Christus fuerit perfunctus munere mediatoris et pontificis, non solum per humanam naturam, sed etiam per divinam. Sic enim habent verba Concordiae, pag. 736. in articulo de persona Christi. *Itaque Christus est noster mediator, redemptor, rex, summus pontifex etc. Non secundum unam tantum naturam, sive divinam, sive humanam, sed secundum utramque naturam.* At quod Christus sit mediator et pontifex secundum utramque naturam, et ideo non solum ut homo, sed etiam ut Deus, error est, qui aperte pugnat cum Christi vera divinitate, et proinde cum symbolo fidei, ubi dicitur Christus, Deus verus de Deo vero. Nam mediator per id quo munus mediatoris exercet, necessario distinguitur ab eo cujus est mediator. Est autem Christus mediator Dei et hominum. Ergo, si ut Deus mediator est, ut Deus a Deo distinguitur; erunt igitur duo dii; unus major, alius minor, ut Ariani volebant. Quocirca b. Paulus, 1. Timoth. 2. cum dixisset, Unus est mediator Dei et hominum, mox adjunxit: homo Christus Jesus. Et b. Augustin. lib. 2. de peccato Originali, cap. 28. Non per hoc, inquit, mediator est, quod aequalis Patri, per hoc enim quantum Pater, tantum et ipse a nobis distat: et quomodo erit mediatus, ubi eadem distantia est? Ideo Apostolus non ait: Christus Jesus, sed, homo Christus Jesus, per hoc ergo mediator, per quod homo: inferior Patre, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod Patri propinquior. Quod apertius ita dicitur inferior Patre, quia in forma servi: superior nobis, quia sine labe peccati. Et tract. 82. in Joan. Mediator Dei et hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est, Christus Jesus. Deinde si Christus, ut Deus, mediator est, sequitur unum e duobus, aut totam Trinitatem esse mediatricem, aut Christum non esse unum Deum cum Patre et Spiritu sancto, sed alium quendam Deum. Nam quod uni personae convenit ratione deitatis, id etiam aliis omnibus personis convenit, quae habent eandem deitatem. Igitur esse mediatorem, quod Filio convenit ratione deitatis, quandoquidem ut Deus mediator est, convenit etiam Patri et Spiritui sancto, si unam et eandem cum filio deitatem habent; vel si non convenit, certe non habent. Denique esse pontificem et sacerdotem, intrinsece et essentialiter includit esse creaturam, et longe minorem eo, cui sacrificium offerri debet. Omnis enim pontifex et sacerdos minister Dei est, et cultu latriae Deum summum colit, dum ei sacrificium offert. Ergo si Christus, ut Deus est, pontifex etiam est, et Patri suo sacrificium defert, profecto ut Deus, Patre suo longe minor, atque adeo vere et proprie creatura est. Hinc videlicet Ariani inter propositiones suas, quae leguntur apud Augustinum tomo 6. in serm. Arianorum, etiam istam numerabant, quod Filius Dei minister et sacerdos sit Patris sui. Ipse vero b. Augustin. lib. 1. de consensu evangelistarum, cap. 3. Secundum hominem, inquit, Christus et rex et sacerdos effectus est, ut esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Et lib. 10. de Civit. Dei, c. 20. Unde, inquit, verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens, mediator effectus est Dei et hominum, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo est unus Deus. Et s. Cyrillus in apologia pro capitulis suis adversus Orientales, in defensione decimi capituli: Quando, inquit, factus est homo, vocatus est et pontifex; non quod majori Deo offerret sacrificium, sed sibi ipsi et Patri. Et infra: Dictus est, inquit, sacerdos propter humanitatem. Et lib. 11. in Joann. cap. 7. In quantum, inquit, Filius et Deus est, una cum Patre bona nobis largitur; in quantum vero mediator est et pontifex, nostras preces ad Deum adducit.

III. ERROR

Tertius error est, quod natura humana Christi sit ubique vere et realiter. Sic enim loquitur liber

Concordiae, in articulo de coena Domini pagina 572. *Dextera Dei ubique est;ad eam autem Christus, ratione humanitatis suae, vere et re ipsa collocatus est: ideoque praesens gubernat, in manu sua. et sub pedibus suis, ut Scriptura loquitur, habet omnia quae in coelo sunt et in terra.* Et infra pag. 731. *Revera omnia implet, et ubique non tantum ut Deus, verum etiam ut homo, praesens dominatur a mari ad mare.* Et similia leguntur pag. 745.

Porro hic error repugnat primo Scripturis, quae passim asserunt, Christum ratione humanitatis, alicubi non fuisse. Joan. 6. Cum vidisset turba, quia Jesus non esset ibi. Joan. 11. Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis,quoniam non eram ibi. Matth. ult. non est hic, surrexit.

Secundo: Repugnat articulis symboli, de Christi conceptione, nativitate, passione, morte, descensu ad inferos, resurrectione a mortuis, ascensione ad coelos et descensu ad judicandum. Nam articulus de Conceptione, docet in solius Mariae utero corpus Christi fuisse.At si ubique fuit statim ab Incarnatione, ut adversarii docent, fuit in uteris omnium foeminarum,immo etiam omnium virorum. Articulus de Nativitate, docet, Christi corpus post nonum mensem ex utero prodiisse,et sic vere esse natum. At secundum Ubiquistas, ante nonum mensem,immo primo die conceptionis fuit extra uterum,et post nonum mensem adhuc erat in utero, nec inde unquam exiit. Nec valet responsio quam adferunt, cum dicunt, Christum vere esse natum, quia cum fuisset in utero localiter spatio novem mensium, et non alibi,postea esse coepit localiter extra uterum, et non in utero. Haec inquam solutio nihil valet,nam quod vere est ubique, sive localiter, sive alio modo sit, non potest vere et proprie moveri de loco ad locum, sed solum potest metaphorice moveri, idest, apparere, ubi non apparebat, licet ibi esset. Quemadmodum Deus, qui ubique vere est, tametsi non localiter, moveri non potest, sed solum apparere et ostendere se, ubi antea non videbatur esse,quamvis ibi esset. Eodem igitur modo si corpus Christi ab ipsa conceptione ubique fuit, licet non localiter fuerit ubique, tamen numquam vere moveri potuit de loco ad locum; et proinde Nativitas ex utero, non verus ex utero egressus, nec vera nativitas, sed tantum apparens et metaphorica fuit. Pari ratione destruuntur caeteri articuli. Qui enim semper ubique fuit,non vere potuit in passione transire de loco coenae ad hortum,nec de horto ad domum Caiphae, nec inde ad praetorium Pilati, nec inde ad montem Calvariae: nec potuit in morte separari anima a corpore, ita ut corpus sine anima in sepulchro jaceret, et anima sine corpore ad inferos descenderet: nec potuit vere anima in resurrectione ad corpus redire: nec corpus illud redivivum de clauso sepulchro egredi; nec intrare ad discipulos januis clausis; nec denique vere potuit in coelum conscendere; nec poterit vere in novissimo die de coelo descendere.Sed haec omnia metaphorice exponi debent, quemadmodum cum de Deo legimus ejusmodi mutationes.

Tertio: Repugnat hic error veritati corporis Domini in coena, et quod admirabile est, confirmat Zwinglii sententiam,ad quam destruendam excogitatus est. Nam si corpus Christi, ab ipsa conceptione est ubique, non egemus sacramento coenae, ut praesentiam habeamus corporis Dominici.Quid igitur sacramentum coenae facit? non exhibet certe praesentiam corporis Domini: nam haec antea quoque aderat. Quid igitur facit? nisi hoc quod significat Christi corpus adesse? Ad hoc volunt Zwingliani, ex vi sacramenti coenae nihil nos habere, nisi signum.Et hoc idem videtur liber Concordiae agnoscere, pag. 745. cum ait: *Quare cum praesentem habemus, non tantum secundum divinam,verum etiam secundum humanam naturam: juxta quam ipse frater noster est,et nos caro sumus de carne ejus,et os de ossibus ejus.Et sane in hujus etiam rei confirmationem, sacram suam coenam instituit: ut testaretur, se etiam secundum eam naturam, qua carnem et sanguinem habet,nobiscum esse,in nobis habitare et efficaciter operari velle.* Praeterea, si Christi corpus ubique est, non potest vere cum pane, quantumlibet consecrato,sumi,nec sanguis ejus cum vino, quantumlibet etiam consecrato, bibi. Nam panis et vinum ideo sumi vere possunt, quia non sunt ubique, et proinde vere transeunt de mensa ad manum, de manu ad os,de ore ad stomachum: quae de Christi corpore et sanguine dici non possunt, si ubique sunt: quemadmodum, licet Deus ubique sit, nemo tamen cum pane Deum comedit, nec cum vino Deum bibit. Quorsum igitur Eucharistia? Ut habeatur Christi corpus fructuose, dicet aliquis Brentianus; Ergo solus fructus, sola efficacia, sola virtus corporis Domini sumitur in coena;at hoc ipsum docent Calvinistae.

Quarto: Repugnat haec ubiquitas decreto Dresdensi, quod in eadem Saxonia, ab iisdem confessionis Augustanae theologis, ante annos circiter decem promulgatum est, idest, anno 1571. ubi praeter alia haec verba leguntur: *Commentitia ista communicatio physica, quae nostro primum tempore cum ubiquitate corporis Christi introduci coepta est, universae orthodoxae Ecclesiae, et toto orbi christiano, inde usque ab initio incognita fuit, atque etiamnum a Pontificiis ipsis rejicitur, et taxatur acerrime.* Et infra: *Commentitia illa ubiquitas,horrendum in modum corrupit omnes pene articulos fidei de Christo, ac discrimen divinae et humanae naturae in Christo in primis delet, atque evertit.* Haec ibi tunc.Nunc autem sacrosanctae fidei dogmata esse debent, quae ante annos decem pestilentissimae haereses erant. Ista videlicet est constantia theologorum Saxonicorum.

Quinto: Repugnat sententiae primarii auctoris confessionis et apologiae, qui duo libri primum locum in Concordia obtinent. Philippus siquidem Melanchthon in epist. ad Fridericum comitem Palatinum, quam scripsit anno 1551. ita loquitur:*Alii ubiquitatem excogitarunt.* Et addit: *Haec sunt portentosa omnia, ignota eruditae vetustati.* Denique repugnat s. Augustino, et omnibus Patribus. Ac, ut caetera omittamus, Augustin. in epist.57.ad Dardanum, non solum docet, Christi humanitatem

non esse ubique, sed etiam solvit primarium argumentum adversariorum. Illi enim existimant, necessario sequi, ut Christi humanitas sit ubique, si conjuncta est personaliter Verbo, quod sine dubio est ubique. At s. Augustin. Homo, inquit, Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus, Deus vero idem ipse Christus, ubique semper est. Et infra: Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. Nam et de nobis verissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur et sumus, nec tamen sicut ille, ubique sumus; Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter et Deus ille in homine, proprio quodam et singulari modo. Una enim persona Deus et homo est, et utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id quod Deus est, in coelo autem per id quod homo. Haec ille. Neque hic locum habent distinctiones de variis modis essendi in loco. Nam s. Augustinus negat in forma idipsum, quod adversarii docent. Ipsi enim volunt, propter unionem hypostaticam, Christi humanitatem necessario esse debere ubicumque est Verbum, modo quodam super naturali et divino: at hoc idem Augustinus negat. Et praeter exemplum ab eo adductum, habemus etiam insigne exemplum in anima rationali. Nam caput unitum est animae, et tamen non ubicumque est anima, ibi continuo est caput; cum anima sit etiam in pedibus, ubi certe non est caput.

IV. ERROR

Quartus error est, quod Christi humanitati sint collata vere et realiter multa attributa divina, ut omnipotentia, omniscientia, omnipraesentia, atque adeo ipsa divina majestas. Qui error destruit veritatem humanitatis Christi, renovat haeresim Eutychetis, et pugnat cum symbolo fidei. Nam si Christi humanitas, vere et realiter non solum est ubique, quia est in toto mundo, sed quia habet omnipraesentiam et immensitatem, quam habet Verbum, et proinde est in infinitis spatiis imaginariis extra mundum, vel certe esse potest: profecto est formaliter infinita et immensa; et cum non sit infinita magnitudine molis, ut adversarii concedunt; nam dicunt, eam non esse diffusam ubique localiter, infinita erit magnitudine virtutis: Infinita autem virtus infinitam essentiam requirit. Est igitur Christi humanitas essentia infinita; et proinde vel est conversa in deitatem, vel duo sunt entia infinita. Idem argumentum de omnipotentia, et aliis Dei attributis fieri potest. Sed verba Concordiae audiamus, pag. 731. *Adeptus autem est Christus, secundum humanam naturam, plenam possessionem, et divinae majestatis usurpationem.* Haec ibi. Jam si Christus secundum humanam naturam adeptus est divinam majestatem, ergo secundum humanam naturam est Deus. Ergo secundum humanam naturam non est homo. Nec enim idem secundum idem, duo disparata esse potest. Et pag. 744. *Jam etiam secundum assumptam humanam naturam, omnia novit et revera omnipotens est.* Haec ibi. Ecce quam aperte dicunt, Christum ut hominem esse omniscientem et omnipotentem; quod quid est aliud, quam dicere, Christum, ut hominem, non esse hominem, sed Deum? Et pag. 745. *Scriptura sacra hanc majestatem omnipraesentiae soli Christo, nulli autem alii homini tribuit.* Et paulo ante dixerant, se de Christi humanitate loqui, et non de sola divinitate, cum Christo tribuunt omnipraesentiam. Denique pag. 738. prolixe docere conantur, Christi humanitatem capacem esse infinitorum attributorum, vere et realiter sibi communicatorum per hypostaticam unionem. Nec satis expediunt se, cum dicunt, hanc esse idiomatum communicationem, quam etiam veteres Patres agnoverunt. Nam communicatio idiomatum, secundum Patrum doctrinam, non tribuit uni naturae ea quae sunt alterius, sed tribuit uni supposito utriusque naturae proprietates. Vide de communicatione idiomatum, Ambrosium lib. 2. de fide, cap. 4. Augustinum lib. 1. de Trinit. cap. 13. Cyrillum in defensione 4. Anathematismi. Et Joan. Damascenum lib. 3. cap. 4. Et praeterea communicatio idiomatum, quam Patres agnoscunt, mutua est, et non minus Deo convenit quam homini. At adversarii, humanae naturae tribuunt realem communicationem divinorum attributorum; Divinae autem non tribuunt realem communicationem humanarum proprietatum; ut in hac ipsa Concordia diserte docent, pag. 736. Itaque recte Dresdense decretum, cujus supra mentionem fecimus, ab iisdem Saxonicis ministris editum, ita alicubi habet: *Quod praecipuum fidei nostrae, et Ecclesiae caput est, videlicet articulum de duabus naturis in Christo, id commentitia idiomatum, reali et physica, in ipsis naturis communicatione, depravari horribiliter; atque econtrario, haereses jam olim damnatas, Marcionitarum, Arianorum, Manichaeorum, Samosatensium, Valentinianorum, Sabellianorum, Nestorianorum, Eutychianorum et Monothelitarum, reduci atque innovari, satis evidenter demonstratum est.* Haec ibi.

V. ERROR

Quintus error est, quod unio hypostatica consistat in communicatione divinorum attributorum. Tametsi enim pag. 744. videntur dicere communicationem istam esse posteriorem unione hypostatica. Sic enim loquuntur: *Propter unionem autem hypostaticam, et ex ea consequentem communicationem etc.* Tamen in pluribus locis aperte indicant, in ista communicatione consistere unionem hypostaticam, pag. 729. *Propter hanc*, inquiunt, *hypostaticam unionem, quae sine vera illa communicatione nec cogitari, nec subsistere potest etc.* At certe id non est posterius, sed est vere de essentia, sine quo alterum nec esse, nec cogitari potest. Et pag. 730. *Et sane*, inquiunt, *veteres Ecclesiae doctores, duo haec vocabula, κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν, communicationem et unionem in explicatione hujus mysterii conjunxerunt, et alterum per alterum declararunt.* En quam aperte idem esse volunt unionem hypostaticam, et suam illam communicationem proprietatum. Cum ergo dicunt, unum ex altero sequi, vel manifeste secum pugnant, vel intelligunt de consequutione logica,

non physica, quomodo dicimus, ex eo quod aliquis est homo, sequi ut sit animal rationale.

Porro haec sententia,quod unio hypostatica consistat in illa communicatione divinorum attributorum, destruit omnino mysterium incarnationis. Nam in primis, cum divina attributa, idest, omnipotentia, omniscientia, omnipraesentia et similia, sint communia toti Trinitati, si in illorum communicatione consistit unio hypostatica,sequitur,omnes tres personas esse incarnatas. Ut enim secundum catholicam fidem, quam exposuerunt vetera concilia generalia, 3. 4. 5. et 6. ideo sola persona Filii incarnata est, quia unio facta est per communicationem subsistentiae propriae ipsius Filii:ita secundum adversariorum sententiam totam Trinitatem incarnatam esse necesse est, cum unio facta sit in eo, quod est commune toti Trinitati.

Deinde si unio hypostatica consistit in communicatione attributorum, sequitur, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unitos esse hypostatice,atque unam tantum esse personam. Nam Pater gignendo Filium, omnia sua attributa illi communicavit, et similiter Pater et Filius producendo Spiritum sanctum,omnia sua attributa illi communicarunt.Praeterea, aut volunt hypostaticam unionem consistere in communicatione omnium attributorum, vel aliquorum tantum; si omnium, impossibilis erit unio hypostatica. Nam inter attributa Dei,numeratur vera aeternitas,quae principio et fine caret: at impossibile est rem creatam carere principio, et saltem certum est, Christi humanitatem non fuisse ab aeterno. Pari ratione, Dei proprium est, carere principio effectivo; at id nullo modo creaturae communicari poterit. Si vero aliquorum tantum; quis dicere poterit, quae sint illa, cum eadem sit ratio omnium? Ut enim esse potest unio hypostatica, sine communicatione aeternitatis; cur non poterit esse sine communicatione omnipraesentiae,vel omnipotentiae?Denique ista attributa non possunt esse naturae humanae essentialia, erunt igitur accidentalia; id quod liber Concordiae asserere videtur,cum pag. 741. explicat istam communicationem, per operationem divinitatis, quam exercet per humanitatem. At haec ipsa est Nestorii haeresis, qui Verbum cum homine per operationem conjungebat; estque haec haeresis expresse damnata in concilio V. generali, cap. 4. et 5.

VI. ERROR

Sextus error est, quod totus Christus, Deus et homo, ad inferos descenderit. Id quod aperte sequitur ex tertio errore,et praeterea in ipsa Concordia diserte asseritur,pag.750.*Simpliciter*,inquiunt, *credimus, quod tota persona Deus et homo post sepulturam ad inferos descenderit.* Atque hic error cum duobus, immo etiam tribus articulis symboli pugnat; destruit enim mortem, sepulturam et resurrectionem Christi. Nam si Christus homo descendit ad inferos, vivus non mortuus descendit; mortuus enim non est homo,cum omnis homo per mortem desinat esse homo. At si Christus vivus et de cruce descendit, et vivus pervenit ad inferos, non anima solum descendit, sed etiam caro; non enim sola anima homo dici potest;quod si anima et caro descendit, quid quaeso jacuit in sepulchro? Denique si Christus semper fuit homo,nec unquam vere mortuus aut sepultus est, certe nec vere etiam resurrexit; non enim resurgit homo,nisi quando per novam vitam iterum incipit esse homo,qui per mortem desierat esse homo. Atque haec pauca de erroribus contra symbolum sufficiant.

MENDACIA CONCORDIAE

PRIMUM MENDACIUM

In praefatione Concordiae, atque adeo in ipso principio praefationis, habetur illustre mendacium de confessione Augustana, quod videlicet in totum orbem terrarum sparsa, ubique percrebuerit, et in ore et sermone omnium esse coeperit. Nam ex tribus partibus orbis terrae, duae, Asia atque Africa, ne nomen quidem Augustanae confessionis adhuc audierunt; in Europa, quae tertia pars est, Graecia, Italia, Hispania, aut omnino quid sit Augustana confessio, ignorant, aut eam ut perniciosam et haereticam doctrinam execrantur. Gallia ac Britannia, partim a catholicis, partim a Calvinistis habitantur, quorum illi Augustanam confessionem aperte repudiant; isti solo nomine recipiunt. Quamquam novam hanc in confessione Concordiam, Calvinistae, ne quidem nomine amplectuntur. Solus restat angulus Germaniae, isque non totus, in quo sese fama Confessionis dilatet. Nam et in ipsa Germania Zwingliani et Anabaptistae inveniuntur, qui confessionem August. numquam receperunt. Quid? quod initio nec in parte Germaniae confessio Augustana locum habere potuit. Nam eo ipso anno quo Augustae nata est, Augustae quoque extincta quodammodo est. Siquidem a theologis catholicis refutata, et ab imperatore Carolo V. publice damnata fuit in generali recessu; cur damnationi subscripserunt electores 5. ecclesiastici principes 30. saeculares 23. abbates 22. comites et barones 32. civitates liberae et imperiales 39. Cum ipsi confessioni solum subscripserint elector 1. principes 6. civitates 2. Quocirca merito Philippus lib. 1. epist. in epist. ad Joan. Obernburgerum ita scribit; *Non delector*, inquit, *recordatione comitiorum Augustanorum, in quibus tristi ac atroci sententia damnati sumus.* Nec solum Augustae confessio vix dum nata, exstincta fuit, sed etiam in duobus archiviis ita sepulta, ut per totos annos 40. lucem non viderit. Confessio enim Germanica in cancellaria moguntina, latina vero in bruxellensi longissimo tempore delituerunt, atque interim singulis prope annis edebantur, aliae atque aliae; quae cum omnes confessionis Augustanae titulum prae se ferrent, tamen et verbis et sententiis, cum inter se, tum ab illa prima plurimum dissentiebant. Itaque gloriosum illud encomium augustanae Confessionis, quod in totum orbem terrarum sparsa, ubique percrebuerit, ita interpretandum esse videtur: Confessio Augustana, idest, confessio, falsum nomen gerens confessionis Augustanae per totum orbem terrarum, idest, in quodam angulo septentrionis, ubique sparsa percrebuit, idest, in aliquot oppidis Germaniae audiri coepit.

II. MENDACIUM

In eadem praefatione, ultra medium, protestantur adversarii, in negotio coenae ad nulla alia fundamenta pios homines seducendos esse quam verborum institutionis Testamenti Domini nostri Jesu Christi; licet tam ipsi, quam etiam Lutherus, inviti pertracti sint ad disputationem de unione personali duarum in Christo naturarum. At in ipsa Concordia, pag. 571. et iterum pag. 717. in articulo de coena Domini, una cum Luthero, quatuor alia fundamenta jaciunt. Primum est, quod Christus sit Deus et homo, in una persona, indivisus et inseparabilis. Secundum, quod dextera Dei est ubique. Tertium, quod verbum Dei sit neque falsum, neque fallax. Quartum, quod Deus varios modos habet, novitque, quibus aliquo in loco esse potest. Mendax igitur est hujus praefationis protestatio.

III. MENDACIUM

Praefatione confess. ad Carolum V. pag. 6. ita habetur: *Offerimus in hac religionis caussa, nostrorum concionatorum, et nostram confessionem; cujusmodi doctrinam ex Scripturis sanctis, et puro verbo Dei, hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus et urbibus tradiderunt, ac in ecclesiis tractaverunt.*

Hoc insigne mendacium esse, vel ex eo cognosci potest, quod confessio Lutheri in multis ab Augustana dissentit; cum tamen eodem anno 1530. edita sit, neque credibile videatur, melius Lutheranos, quam ipsum Lutherum, quae sit Lutherana doctrina, scire potuisse. Articulus 11. Lutheranae confessionis habet: *Quod confessio privata debeat esse libera.* Confessio autem Augustana, in cap. de Confessione dicit: *Apud suos non solere porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis et absolutis.* Et in cap. de Missa, sic ait: *Nulli admittuntur ad sacramentum, nisi antea explorati atque auditi.* Item artic. 16. Lutheranae confessionis, vult *missam prae omnibus abominationibus esse abrogandam.* Confessio vero Augustana in cap. de Missa: *Falso*, inquit, *accusantur Ecclesiae nostrae, quod missam aboleant; retinetur enim missa apud nos et summa reverentia celebratur.* Ad haec nec Augustana confessio a Philippo fabricata, nec Lutherana, quae Augustanam sine dubio peperit, cum ea doctrina concordat, quam initio Lu-

therus et Melanchthon tradiderunt. Audio Joannem Cochlaeum eodem anno 1530. collegisse articulos ex libris Lutheri et Philippi, contra singulos articulos confessionis Augustanae; sed eos nondum videre potui. Sed facile credo illum hoc fecisse, cum ipse quoque id praestare nullo negotio possim, qui tamen multo minus versatus sum in Lutheranorum libris, quam Cochlaeus fuerit. Ac ne sim nimis prolixus, conferam solum duos aut tres principales confessionis articulos, cum Lutheri et Philippi doctrina.

Articulus primus confessionis Augustanae sic habet: *Ecclesiae magno consensu apud nos docent, decretum nicaenae synodi, de unitate essentiae divinae, et de tribus personis, verum et sine ulla dubitatione credendum esse.* Et infra: *Et nomine personae utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac caussa scriptores ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.* Et infra: *Damnant omnes haereses contra hunc articulum exortas, ut Manichaeos, Valentinianos, Arianos, Eunomianos etc.* Huic articulo primo recte annectitur tertius, qui est de incarnatione Filii Dei, in quo duae naturae unitae asseruntur in una persona. Lutherus autem quam verum crediderit nicaenum decretum de unitate essentiae, satis ostendit illis verbis, quibus est usus contra Jacobus Latomum; *Anima mea*, inquit, *odit hoc verbum ὁμοούσιος.* Quod tamen verbum ignorare non poterat in concilio nicaeno (ut d. Augustinus loquitur lib. 3. contra Max. cap. 14.), adversus haereticos Arianos, veritatis auctoritate, et auctoritatis veritate, firmatum esse. Neque vero id Luthero excidit per incogitantiam. Nam rursum id repetit, in libro de conciliis; *Sanctus*, inquit, *Hieronymus vehementer perturbatus, lamentabiles literas scribebat ad episcopum rom. Damasum, et cupiebat expungi vocabulum ὁμοούσιος.* Ubi scilicet notanda est alia fraus Lutheri. Non enim s. Hieronym. vocabulum ὁμοούσιος, sed vocabulum ὑπόστασις, tacendum arbitrabatur, propter ejus vocis ambiguitatem. Notae sunt epistolae duae s. Hieronymi de hac re ad Damasum, quarum altera ita concluditur: Obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per ὁμοούσιον Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.

Deinde: Si Luthero probatur doctrina catholica de unitate essentiae et Trinitate personarum, cur ex precibus communibus Germanorum, illam precatiunculam sustulit, sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis? Nec novam esse hanc formam invocationis, sed ab antiquissimis Patribus tam graecis, quam latinis, usurpatam, certum est ex Nazianzeno, qui oratione secunda de pace, ad finem, ait: *O Trinitas sancta et longanimis, suscipe etiam istos etc.* Et ex August. lib. ult. cap. ult. de Trinitate: *Domine Deus, unus*, inquit, *Deus Trinitas, quaecumque dixi in his libris de tuo, agnoscant et tui: Si qua de meo, et tu ignosce, et tui. Amen.*

Porro de incarnatione, quam recte Lutherus senserit, ex tribus ejus operibus facile poterit intelligi. Nam in concione de natali Domini, qua primum caput epistolae ad Hebraeos exponit, dum metuit cum Eutychete permiscere naturas, audacter cum Nestorio dividit personas. Dicit enim. *Imperitos quosdam, facere Christum hominem omnipotentem.* At si ille homo Christus non est omnipotens, eadem ratione non est Deus; Nec enim Deus esse potest qui non sit omnipotens. Duo igitur erunt, Christus Deus et Christus homo, quae est apertissime Nestoriana sententia. Contra vero, in lib. de conciliis et Ecclesia part. 2. dum vitare cupit Nestorium, aperte incidit in Eutychetem. Sic enim loquitur: *Mihi paulo ante negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissime contra me disputabant, quod divinitas Christi non posset pati.* Et infra: *Oportet dici, hic homo Christus, haec caro et sanguis condidit coelum et terram.* Certe natura divinitatis et carnis, nomina sunt naturarum non personarum. Ergo si Luthero divinitas patitur, si caro coelum ac terram condit, quis non videat, a Luthero Christi naturas confundi? ac ut propensionem animi sui in Nestorium, et Eutychetem Lutherus ostenderet, in eodem de conciliis libro, ita diligenter Nestorium et Eutychetem excusat, ut utrique zelum bonum, animum sincerum et fidem rectam tribuat, et solum ex inscitia quadam, et in modo loquendi lapsos dicat, totam vero caussam tumultuum et perturbationis illius temporis, in episcopos catholicos referat. Et eo usque tandem progreditur, ut dicat, *Vereri se, ne in extremo judicio aliqui, qui dicuntur haeretici, judices sedeant; et episcopi, qui illos in conciliis damnaverunt, in aeternum pereant.* Tantum non aperte affirmans, Nestorium et Eutychetem cum Christo judices futuros, sanctos vero, Leonem et Cyrillum, in aeternum perituros. Porro in libro, qui inscribitur: *Confessio Martini Lutheri de coena Domini*, non solum reprehendit Zwinglianos, quod passionem Christi soli tribuant humanitati, non etiam deitati; Sed etiam econtrario ipsam humanitatem in deitatem evehere videtur, cum ait: *Necesse habes, eam Christi essentiam, quae est cum Deo una persona, longissime extra creaturas collocare, ideoque tam longe quam Deus ipse, extra creaturas est.* Neque vult Lutherus dicere, Christi humanitatem extra creaturas esse, quantum ad locum sive spatium, sed quantum ad ordinem et dignitatem. Nam in eodem libro contendit, ubique esse Christi humanitatem. Et in serm. de sacramento coenae Domini: *Credimus*, inquit, *quod Jesus Christus sit juxta humanitatem, super omnes creaturas collocatus, et omnia impleat.* Et infra: *Et habeat omnia in sua manu, et sit ubivis praesens.* Si igitur Christi humanitas, extra ordinem creaturarum est, non creata natura, sed increata essentia est, ac per hoc non amplius humanitas, sed divinitas dici debet. Rursum: Si Christi humanitas tam longe abest a creaturis, quantum ad excellentiam et dignitatem, quam longe abest ipse Deus; Deus autem infinito intervallo a creaturis omnibus separatur; Igitur Christi humanitas infinitae dignitatis et excellentiae est. Ex quo sequitur, aut duas esse infinitas naturas, aut Christi humanitatem in deitatem esse conversam; quae est haeresis eutychiana. Et fortasse non sine mysterio, nec in confessione, nec in apologia, ulla fit mentio

Nestorii et Eutychetis, qui tamen nominatim damnari debuissent in articulo tertio, ut damnantur in primo, Arius et Eunomius. Jam vero Philippus Melanchthon, in Locis anni 39. pagin. 9. *Necesse est*, inquit, *in filio aliquid esse divinae naturae.* Et rursum pag. 11. *Necesse est in Christo aliquarum esse divinam naturam.* Et in Locis anni 45. fol. 53. de Spiritu sancto loquens: *Testatur*, inquit, *per Joelem Deus, non mitti creatam agnitionem, sed aliquid essentiae Dei.* Necesse est autem personam esse distinctam, quae est aliquid Dei, et tamen non est Pater. Philippo igitur, aut multae sunt naturae divinae, cum necesse sit in Filio aliquam esse divinam naturam; aut certe multae sunt partes ejusdem divinitatis, cum tam in Filio, quam in Spiritu sancto aliquid sit divinae naturae. Quod quam bene cohaereat cum articulo primo confessionis, nemo non videt. Rursum, idem Philippus in Locis anni 45. et 58. pag. 40. *Non est*, inquit, *lacerata, aut mortua divina natura, sed fuit obediens Patri, quievit, cessit irae aeterni Patris.* Quid clarius pro Ariana haeresi dici poterat; Nam si natura divina Filii, Patri fuit obediens, et irae illius cessit, distinguitur divinitas Filii a Patre, et Pater non habet divinitatem, vel habet aliam. Ubi est igitur unitas essentiae divinae, quam praedicat Augustana confessio? Ad haec in iisdem Locis pag. 42. ita exponit illud: Glorifica me Pater; *Nunc missus subjectus sum cruci, et servio meae vocationi. Deinde vero gloriam mihi restitue, quam ante mundi constitutionem apud te habui etc.* Certe non potest restitui quod non fuit amissum; amisit igitur Christus gloriam, quam habuit ante mundi constitutionem; non autem amisit eam ut homo, cum ante mundi constitutionem non fuerit homo, amisit igitur ut Deus. Deus igitur mutabilis est Christus, ac per hoc nec Deus verus, nec Deus unus cum Patre, sed Deus factus et creatus a Patre, ut Ariani docebant. Atque huc etiam fortasse alludit in iisdem Locis pag. 45. cum ait; *Tempore passionis non fuisse in Christo gloriam beatitudinis, ut alio tempore.* Omitto illud, quod ibid. pag. 22. tres personas divinas, tres esse vult singulares intelligentes. Qui modus loquendi, non satis consentit cum symbolo Athanasii, quod in hac concordia, tamquam pium, ut vere est, recipitur. Ut enim in symbolo dicitur: Non tres omnipotentes, sed unus omnipotens, ita sine dubio dici debet, non tres intelligentes, sed unus intelligens.

Veniamus ad articulos de libero arbitrio et causa peccati, et videamus, an id semper Lutherus et Philippus docuerint, quod in confessione nunc docent. Artic. 18. confessionis, sic habet: *De libero arbitrio docent, quod humana voluntas, habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, et diligendas res rationi subjectas etc.* Artic. 19. de caussa peccati: docet: *Quod tametsi Deus creat et conservat naturam, tamen caussa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli et impiorum, quae non adjuvante Deo avertit se a Deo, sicut Christus ait: Cum loquitur mendacium, ex seipso loquitur.*

Audiamus nunc verba Lutheri ex assert. art. 36. *Liberum*, inquit, *arbitrium, est figmentum in rebus, et titulus sine re; quia nulli est in manu sua quippiam cogitare boni vel mali, sed omnia (ut Wicleffi articulus Constantiae damnatus, recte docet) de necessitate absoluta eveniunt, quod et poeta voluit, quando dixit; Certa stant omnia lege.* Et Christus Matth. 6. *Folium arboris non cadet in terram, sine patre vestro.* Et infra: *Non est dubium Satana magistro, in Ecclesiam venisse hoc nomen, Liberum arbitrium.* Ac, ut sibi et suis Lutherus praecluderet aditum ad retractationem in eadem assertione ita praefatus fuerat: *In caeteris articulis, de papatu, de conciliis, de indulgentiis, aliisque non necessariis nugis ferenda est levitas, et stultitia papae et suorum: Sed in hoc articulo, qui omnium optimus, et rerum nostrarum summa est, dolendum et flendum est, miseros sic insanire.* Et in lib. contra regem Angliae scripserat: *Adeo se certum esse de sua doctrina, ut si quis aliter doceret aut damnaret, quae ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio etc. is damnaret Deum, et oporteret ipsum manere filium inferni.* Atque his similia Philippus docuit in Locis, anno 21. et 22. editis. Tantum abest igitur, ut verum sit, quod in praefatione confessionis dicitur; *Hanc ipsam confessionis doctrinam eam esse, quam hactenus Lutherani concionatores tradiderunt*, ut potius sit verissimum, in praecipuo articulo et in summa rei defecisse confessionis auctores a Luthero ad papam. Et (si verum sit Lutheri vaticinium) oportere jam eos manere filios inferni: quippe qui Deum in Luthero damnare ausi fuerint. Non ignoro Lutherum in Visitatione saxonica, et Philippum in epitome moralis philosophiae, et in Locis editis posterioribus annis, longe aliter docuisse de libero arbitrio et caussa peccati, quam antea docuerant, cum haberent primitias Spiritus; tamen id neque mendacium excusat, et arguit inconstantiam. Et quia non parum conducere videtur ad commendationem architecti hujus confessionis, ad memoriam revocare Philippi egregiam in doctrina constantiam, annotabo breviter ejus sententias de libero arbitrio et caussa peccati.

In Locis anni 21. Primo: Repudiat nomen ipsum liberi arbitrii et rationis: *Usurpata est vox*, inquit, *liberi arbitrii, a divinis literis ac sensu et judicio spiritus alienissima. Additum est a Platonis philosophia, vocabulum rationis aeque perniciosum.* At in locis posterioribus: *Monendi sunt*, inquit, *rudiores, ut a physicis sumant distinctiones et appellationes partium hominis. In homine est pars cognoscens et judicans, quae vocatur mens, vel intellectus, vel ratio; altera pars appetens, vocatur voluntas. Vocatur autem liberum arbitrium mens et voluntas conjuncta.*

Secundo: Defendit Vallam, contra Joannem Eckium: *Valla*, inquit, *ait Eckius, quod scholarum sententiam de libero arbitrio confutavit, plura voluisse scire, quam didicisset, scilicet egregie festivus nugator.* At in Locis posterioribus: *Valla*, inquit, *et plerique alii non recte detrahunt voluntati hominis libertatem.* Et in epitome moralis philosophiae: *Stoicas illas*, inquit, *de fato, seu Vallae absurdas imaginationes, quae propter di-*

vinam gubernationem, adimunt libertatem voluntati, fugiamus.

Tertio: Reprehendit philosophiam: *Hoc loco*, inquit, *prorsus christiana doctrina a philosophia et humana ratione dissentit.* At in epitome moralis philosophiae: *Est*, inquit, *prudentissime ab Aristotele additio rationis descriptio.* Et in locis, cap. de viribus hominis: *Haec est*, inquit, *libertas voluntatis, quam philosophi recte tribuunt homini.*

Quarto: Tollit omnem libertatem et contingentiam: *Quandoquidem*, inquit, *omnia quae eveniunt, necessario juxta divinam praedestinationem eveniunt, nulla est arbitrii nostri libertas. Quid igitur*, inquies, *nulla ne est in rebus contingentia? nihil casus? nihil fortuna? Omnia necessario evenire, Scripturae docent. Etsi videatur tibi in rebus humanis esse contingentiam, judicio rationis hic imperandum est.* At in locis posterioribus: *Concedendum est*, inquit, *quod Scriptura apostolica tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam deligendi ea, quae sunt subjecta rationi.* Et infra: *Haec Manichaea imaginatio (quae videlicet libertatem et contingentiam tollit) horribile mendacium est, et ab hoc errore mentes adducendae sunt, et docendae agere aliquid liberum arbitrium.*

Quinto: In comment. ad cap. 8. epist. ad Rom. docet, Deum peccatorum caussam esse. *Sicut*, inquit, *fatemur, proprium Dei opus fuisse, Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse; sive quae media vocantur, ut comedere, bibere etc. sive quae mala sunt, ut Davidis adulterium, Manlii severitatem. Constat enim ex cap. 1. ad Roman. Deum omnia facere, non permissive, sed potenter.* Et infra: *Ergo non est, cur frigidum glossema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere.* At in Locis de caussa peccati. *Est*, inquit, *haec vera et pia sententia, utraque manu, et verius, toto pectore tenenda, Deum non esse caussam peccati: nec velle peccatum.* Et infra: *Nec figurae illae verborum in sermone hebraico pugnant cum hac sententia; Indurabo cor Pharaonis; et similes. Certum est enim hebraica phrasi significare permissionem, non efficacem voluntatem.*

Ex his satis constare puto, et quam gravem et constantem auctorem habuerim illa confessio tantopere celebrata, et quam verum sit, quod in ejus praefatione asseritur, in hac confessione eam doctrinam contineri, quam usque ad illud tempus ex divinis literis Lutherani tradiderant.

IV. MENDACIUM

In confessione Augustana, art. 12. pag. 15. Concordiae, sic habetur: *Rejiciuntur et isti, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere; Sed docent, remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem et opera.* Haec verba etsi de industria obscure proposita esse videntur, tamen sine dubio hunc faciunt sensum, ut rejiciendos esse significent illos, qui docent homines justificari a peccatis sine fide, per solam dilectionem et opera. Nec dubitari potest, quin his verbis notentur catholici omnes et praesertim theologi scholastici. Et si quod dubium esse potuisset jam est sublatum per apologiam, ubi usque ad nauseam repetitur et inculcatur hoc mendacium, quod scholastici doceant, justificationem non contingere ex fide, sed ex operibus, hoc est, ex operibus sine fide. Quoniam enim versantur ipsi in uno extremo, cum docent, justificari homines ex fide sine operibus, cupiunt nos in altero extremo collocare, quasi doceamus, justificari homines ex operibus sine fide. At non est ista, nec unquam fuit, doctrina Ecclesiae catholicae, nec etiam scholasticorum theologorum. Semper enim docuimus et docemus, justificari homines ex fide et dilectione ac operibus bonis; ita ut ad praeparationem ac dispositionem ad justificationem, requirantur actus fidei, spei et dilectionis, quos ipsos tamen non habemus, nisi Dei gratia nos praeveniente, excitante et adjuvante: Ipsa vero formalis justificatio consistat in remissione vera omnium peccatorum et infusione habituum fidei, spei et charitatis, quos propter Christi meritum, Deus in corda nostra gratis diffundit. Denique actualis justitia sit legis divinae obedientia et observatio, ad quam non ex nobis idonei sumus, sed ex spiritu gratiae, idest, fidei, spei et charitatis, nobis a Deo per Christum donato. Ita docet concil. trident. sess. 6. cap. 6. Disponuntur, inquit, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum etc. Et cap. 7. Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem Et cap. 10. Per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae in ipsa justitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt etc. Vides igitur fidem numquam excludi, sed contra potius semper requiri, sive de ipsa justificatione agatur, sive de iis, quae illam aut praecedunt, aut etiam consequuntur. Ac ne dicant novam hanc esse doctrinam, et nos nunc demum ab ipsis excitatos sapere coepisse, ut aliquoties Philippus jactat in apologia, addamus etiam testimonium principis scholasticorum, quod fides ad justificationem requiratur. S. Thomas 1. 2. quaest. 113. art. 4. Ad justificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum, fit per fidem, juxta illud Hebr. 11. Accedentem ad Deum, oportet credere. Et ideo, motus fidei requiritur ad justificationem impii.

V. MENDACIUM

Pag. 16. in art. 13. confess. habentur haec verba: *Damnant igitur illos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato justificent, nec docent fidem requiri in usu sacramentorum, quae cre-*

dat remitti peccata. Hoc etiam loco theologi scholastici notantur, quasi doceant, sacramenta etiam sine fide prodesse. Sed apertum mendacium est, ad quod refellendum unius s. Thomae testimonium sufficiet, qui 3. part. q. 68. art. 8. Recta fides, inquit, ex necessitate requiritur ad Baptismum, quia sicut dicitur Rom.3. Justitia Dei est per fidem Jesu Christi. Et infra: Ad primum ergo dicendum: quod Dominus loquitur ibi de Baptismo, secundum quod perducit homines ad salutem, per gratiam justificantem, quod quidem sine recta fide esse non potest, et ideo signanter dicit: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

VI. MENDACIUM

Pag. 17. in art. 16. confess. ita habetur: *Damnant et illos, qui evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei, et fide: sed in deserendis civilibus officiis.* Mendacium est manifestum contra catholicos professores ordinum religiosorum, quasi existiment perfectionem proprie consistere in deserendis civilibus officiis, conjugio, militia, magistratibus et similibus. At neque veteres, neque recentiores monachi, unquam hoc docuerunt. Joannes Cassianus Collat. cap. 7. Jejunia, vigiliae, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt. B. Thomas ex scholasticis, 2. 2. q. 184. art.3, Per se, inquit, et essentialiter consistit perfectio christianae vitae in charitate; principaliter quidem secundum dilectionem Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi. Et infra: Secundario et instrumentaliter consistit perfectio in consiliis, quae ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, quae tamen charitati non contrariantur; sicut est matrimonium, occupatio negotiorum saecularium et alia ejusmodi.

Quod autem status perfectior sit eorum, qui deserunt omnia propter Christum, nec implicantur negotiis saecularibus, quam aliorum, qui hoc non faciunt; et quod hic perfectior status, non imperetur, sed consulatur, satis aperte colligitur ex verbis Domini, Matth. 19. ubi postquam dixerat: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; Subjunxit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes etc. Nec usquam legimus: Si vis perfectus esse, uxorem ducito, capesse rempublicam etc. Hinc d. Augustinus epist. 89. quaest. 4. Viderit, inquit, ille juvenis, quemadmodum illa legis mandata servaverit. Verumtamen magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit: Si vis venire ad vitam, serva mandata. Hic autem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc. Eusebius lib. 1. de demonstrat. evangel. cap. 8. declarans communem doctrinam Ecclesiae catholicae, ex divinis literis derivatam: Quocirca, inquit, in Ecclesia Dei, duo modi vivendi instituti sunt. Alter quidem naturam nostram et communem hominum vitae rationem excedens; non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, et soli divino cultui, ex immenso rerum coelestium amore, addictus. Et talis quidem existit in christianismo vitae perfectae modus. Alter vero remissior, atque humanior; hic et modesto conjugio, et sobolis procreatione implicatur, et rei familiaris curam assumit, et juste militantibus quae sint agenda describit, agros quoque et mercaturam, adjuncta religione, non negligit; Et his quidem secundus pietatis attributus est gradus.

Hoc idem ex pluribus Scripturae, et Patrum testimoniis probare possemus, si refellere errores confessionis, et non solum mendacia indicare, propositum nobis esset.

VII. MENDACIUM

Pag. 18. in artic. 20. confess. *Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant.*

Mendacium hoc esse non dubitabit, quicumque aliquid scriptorum Lutheri perlegerit. Certe in serm. de piscatione Petri sic legimus: *Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam infundit.* Ibidem: *Debemus cum solo Isaac venire, idest, cum fide; servos et asinos, hoc est, opera, deorsum dimittere oportet.* Item in serm. Sic Deus dilexit mundum: *Ego dico tibi, quia angusta est via; Oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Caeterum, qui operibus onerati sunt (sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos) ii non poterunt penetrare.* Et infra: *Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.* Porro ex his fontibus manarunt illa praeclara dogmata, quae Lutheri discipuli in colloquio Altenburgensi stabilire conati sunt. *Opera bona legis, et nova obedientia, non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent. Ad Satanam spectant christiani cum omnibus bonis operibus. Precari vero oportet, ut in fide sine bonis operibus, ad finem usque constantes perseveremus. Adeo necessaria illa non sunt, ut etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa.* Deinde catholici non tam Lutheranos accusant, quod prohibeant opera bona, quam quod ea contemnunt, et cum Eunomio antiquo haeresiarcha, immo etiam cum Simone mago haereticorum omnium principe, non necessaria ad salutem esse, doceant. Ac de Eunomio quidem testis est Augustinus in lib. de haeres. cap. 54. de Simone Irenaeus lib. 1. cap. 20. de Luthero, liber ipsius de captivitate babylonica, cap. de Baptismo: Liber de libertate christiana; sermo de Moyse; comment. in epist. ad Galat.

VIII. MENDACIUM

Pag. 19. in artic. 20. confess. *Jubent* (catholici doctores) *mereri remissionem peccatorum operibus.* Si de merito operum illorum, quae fiunt solis naturae viribus, sermo sit, de quo merito articulum intelligendum esse, consequentia verba declarant: insigne est mendacium Philippi. Non enim id habet catholica doctrina, ut operibus illis, quae fiunt sine fide et auxilio Dei gratuito mereri possint homines remissionem peccatorum, et contra haec operum merita defendit s. Augustinus gratiam et justitiam fidei: nec non etiam s. Prosper in libris de

vocatione gentium, quos libros imperite Philippus tribuit Ambrosio, cum in iis libris nominatim refellantur Pelagiani, qui post Ambrosii obitum orti sunt. Si vero de illis operibus agatur, quae ex fide et gratia Dei proficiscuntur, fatemur quidem nos illis operibus aliquo modo mereri remissionem peccatorum. Sed idem fatentur prophetae, evangelistae, Patres; Ezechiel. 18. Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit, Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime, Jonae 3. Vidit Deus opera eorum, et misertus est eis, Lucae 11. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Lucae 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum; Ambros. lib. 10. in Lucam. Lachrymae veniam non postulant, sed merentur. Et infra: Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam tuam lachrymis etc. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos: Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris; Augustinus epist. 105. Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei: qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidei humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltabitur. Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecumque sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, idest, sine meritis, cogitamus. Et epist. 106. Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, immo gratissime confitemur Gregorius in lib. 1. Reg. lib. 3. cap. 4. Dum Ninivitae, veluti pro difficili reconciliatione, gravi poenitentia se dejiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt. Sanctus etiam Thomas, ex scholasticis, cum praedictis Patribus docet iis operibus, quae fiunt ex fide et auxilio Dei, mereri nos aliquo modo justificationem a peccatis 2. sentent. dist. 27. quaest. 4. in resp. ad 4. Quod tamen constanter negat de illis operibus, quae fiunt solis naturae viribus 1. 2. qu. 109. art. 6. et quaest. 114. art. 5. Huc accedit, quod istis etiam operibus, quae fiunt ex fide et auxilio Dei, non tale tribuimus meritum, ut ei respondeat ex justitia merces; sed meritum solum impetrationis, ut Augustinus loquitur, quod scholastici meritum de congruo, non de condigno nominare solent. Neque in hoc ulla est inter catholicos dissensio. Et concil. trident. sess. 6. cap. 8. de hoc genere meriti aperte pronunciat, ideo gratis justificari homines, quia nec fides, nec opera, quae justificationem praecedunt, ipsam merentur. Sed paradoxum videtur adversariis, quod homo operetur ex fide, et nondum sit justificatus a peccato, cum apud ipsos ita fides sola justificet, ut separari nequeat fides a justificatione. At non illis paradoxum videtur, qui ex fide orantes dicunt; Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. Nec illi paradoxum hoc videbatur, qui ex fide orabat; Deus propitius esto mihi peccatori, Luc. 18. Nec denique Augustino paradoxum hoc erat, cum scriberet in epist. 105. Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.

IX. MENDACIUM

Et quidem multiplex

Pag. 18. et 19. in eodem art. 20. multa simul conglomerantur mendacia, ut: *Quod nostri concionatores olim parum docebant de operibus, quae Deo placent; quod tantum urgerent puerilia, et non necessaria opera; quod nunc a Lutheranis admoniti, haec dediscant: quod jam incipiant fidei mentionem facere; quod doctrina fidei diu jacuerit ignota.* Scilicet, non legerat Philippus sermones s. Bernardi, Petri Damiani, Innocentii III. Thomae Aquinatis, Vincentii, Bernardini, Laurentii Justiniani, et aliorum innumerabilium, in quibus de symbolo, de decalogo, de oratione Dominica, de omnibus vitiis, omnibusque virtutibus gravissimae disputationes continentur. Sed facile est dicere et non probare.

X. MENDACIUM

Pag. 22. in artic. 21. confess. *Haec fere summa est doctrinae apud nos, in qua cerni potest nihil inesse, quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia catholica, vel ab Ecclesia romana, quatenus ex Scriptoribus nota est.* Ad hoc mendacium convincendum, non erit opus ut extra articulum istum 21. egrediamur. Hic enim asserunt, non esse a sanctis auxilium petendum, eo quod unus sit intercessor Christus. In quo quidem articulo manifeste dissentiunt a Scripturis, ab Ecclesia catholica et ab Ecclesia romana. Nam etsi unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus; et ideo unus mediator, quia dedit semetipsum redemptionem pro multis, 1. Tim. 2. Nec ullus catholicorum docuit unquam sanctos esse mediatores per modum redemptionis: tamen unum esse tantum intercessorem, unum advocatum, unum qui interpellet pro nobis, immo etiam unum tantum mediatorem per modum supplicationis, non modo Scriptura non dicit, sed etiam ita dicentibus apertissime contradicit, Job 5. Voca si quis est, qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere, ubi angeli fiunt intercessores hominum, teste Augustin. in annotationibus in Job, non igitur solus est intercessor Christus, Deuter. 5. Ego, inquit Moyses, sequester fui, et medius inter Deum et vos, in illa die, 1. Reg. 7. dicunt filii Israël ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, Job ult. Ite ad servum meum, ille orabit pro vobis: suscipiam faciem ejus, Roman. 15. obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum. Idem repetit, 2. Corinth. 1. Coloss. 4. Ephes. 6. Hebr. 13. Quomodo igitur unus est tantum intercessor, cum et Job et Moyses et Samuel et tot Romani et tot Corinthii, tot Colossenses, tot Ephesii, tot Hebraei adhibeantur intercessores? At, inquiunt, de mortuis agimus, non de viventibus. Sed si ideo mortui invocandi non sunt, nec esse possunt intercessores, ne Christo gloria singularis intercessionis detrahatur, eadem de caussa nec viventes invocandi erunt, nec esse poterunt intercessores. Deinde si viventes in terris invocari pos-

sunt, cur non magis viventes in coelis? An fortassis ideo, quia non valeant, aut non velint illi pro nobis orare, aut certe nesciat quid petamus? Sed nec eorum felicitas patitur, ut non valeant; nec charitas sinit ut non velint; nec possunt ignorare preces ad se porrectas, cum non ignorent poenitentiam peccatorum. Gaudium enim est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, Luc.15. Jam vero concilium calcedonense, concilium Ecclesiae catholicae fuisse,et concilium orthodoxum, generale, plenissimum,adversarii non negant.Concilium autem istud Actor.11. ita clamat; Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis oret.Eusebius Caesariensis catholicae Ecclesiae communem doctrinam tradens, lib. 18. praeparat, evangelicae, cap. 7. Haec nos, inquit, quotidie factitamus, qui verae pietatis milites, ut Dei amicos honorantes: ad monimenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tamquam viris sanctis,quorum intercessione ad Deum, non parum juvari profitemur. S. Basilius ad catholicam Ecclesiam verba faciebat, cum diceret, oratione in 40. martyres: Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat, qui rursum laetatur, hos oret, ille, ut a malis liberetur; iste, ut duret in rebus laetis. S.Ambrosius, in lib. de Viduis. Catholicas viduas instituebat, cum ita scriberet: Obsecrandi sunt angeli, qui nobis ad praesidium dati sunt,martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare.Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si quae habuerunt peccata, laverunt.Isti enim sunt Dei martyres, nostri praesules, speculatores vitae, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent cognoverunt. S. Augustinus tract. 84. in Joan. tribus pene verbis tria adversariorum dogmata convellit, de sacrificio altaris, de oratione pro defunctis,de invocatione sanctorum: Ideo quippe, inquit, ad ipsam mensam, non sic eos (martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut ipsi pro nobis orent. Denique Theodosius imperator,orthodoxus et pius erat, ut etiam adversarii confitentur; et tamen de eo sic scribit Ruffinus lib. 2. hist. cap. 33. Circumibat cum sacerdotibus et populo omnia orationum loca.ante martyrum et apostolorum thecas jacebat, cilicio prostratus, et auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat. Et de eodem Chrysostomus, homil. 66. ad populum Antiochenum: Nam et ipse, qui purpuram indutus est, accedit, illa complexurus sepulchra, et fastu deposito, stat sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant; et scenarum fabrum et piscatores, ut protectores orat, qui diademate redimitus incedebat. Viderint ergo qui negant sanctos esse orandos, an ab Ecclesia catholica non dissentiant.

Quod autem ab Ecclesia romana, quatenus ex antiquis Scriptoribus nota est, pariter dissentiant, ex Leone et Prudentio, ut caeteros omittamus,notissimum est. Leo siquidem, qui episcopus romanae Ecclesiae ante mille et centum annos fuit, et propter sanctitatis et sapientiae, atque etiam eloquentiae excellentiam, Magnus dici meruit, romanam Ecclesiam ita instituebat,serm. 5. de epiphania: Confirmate amicitias cum sanctis angelis et patriarchis, prophetis, apostolis,martyribusque sociamini. Horum divitas concupiscite, et per bonam aemulationem ipsorum ambite suffragia. Et serm. 1. de natali ss. Petri et Pauli. Sicut, inquit, et nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitae, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos. Prudentius in hymno de s. Laurentio, de romana Ecclesia loquens, ita cecinit:

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere,
Et tristis haud ullus redit,
En praesto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos,
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.

Quale igitur et quam impudens mendacium est hujus confessionis, quae in eo ipso articulo affirmat, in nulla parte doctrinae dissentire se a Scripturis, vel Ecclesia catholica,vel Ecclesia romana, in quo articulo sanctorum invocationem oppugnat, quam et Scripturae, et Ecclesia catholica,et Ecclesia romana apertissime docuerunt. Neque vero hoc unum est, in quo discrepat confessio Augustana, a confessione catholicae et romanae Ecclesiae. Nam nec de ipsa Ecclesia, nec de peccato originis, nec de justificatione, nec de sacrificio, nec de sacramento Eucharistiae, nec de aliis sacramentis consensio est. Sed unum sufficiebat, ad mendacium detegendum.

XI. MENDACIUM

Pag. 22. in artic.21.confess.*Apud nos* (inquiunt) *magna ex parte veteres ritus diligenter observantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes caeremoniae, omnia vetera instituta, in ecclesiis nostris aboleantur.* Quale sit hoc mendacium nullo negotio intelliget,qui conferre voluerit cum praesenti statu ecclesiarum protestantium, ea quae de ritibus Ecclesiae scripta reliquerunt Tertullianus, Basilius, Epiphanius, Augustinus, aliique veteres Scriptores. Certe Tertullianus in lib.de corona militis, inter ecclesiasticas caeremonias numerat,ante Baptismum renuntiare diabolo, et pompis ejus,ter mergi in sacro fonte, oblationes anniversarias pro defunctis facere, ad omnem progressum frontem crucis signaculo terere. Basilius de Spiritu sancto ad Amphilochium cap.27. inter Ecclesiae ritus ponit, orare ad orientem, cruce signare, invocationis verba dum ostenditur Eucharistia, benedictionem aquae Baptismatis, benedictionem olei Unctionis, benedictionem ejus qui baptizatur, trinam immersionem, etc. Epiphanius in compendiaria doctrina Ecclesiae, primo loco ponit virginitatis professionem, deinde etiam viduitatis,tum solitudinem anachoretarum, jejunia quartae et sextae feriae, jejunium quadragesimae, arctiorem abstinentiam in sacra hebdomada passionis dominicae memoriam

defunctorum in precibus, nocturnas et matutinas psalmorum et hymnorum celebrationes, varia monachorum instituta, quorum alii a carnibus abstinebant, alii etiam ab ovis,alii etiam a piscibus etc. Denique August.meminit consecrationis aquae per signum crucis, lib. 6. contra Julianum, cap. 8. exorcismi et exsufflationis, lib. de gratia Christi, cap. 40. unctionis, qua utimur in Baptismo, lib.2. quaest. evangelica cap. 40. Item chrismatis, quo inungimur post Baptismum, lib. 15. de Trinit.cap. 26. signo crucis, quo benedicitur chrisma, et quo signamur in fronte,dum sacramentum Confirmationis accipimus. In psal. 141. et tract. 118. in Joan. Aquae miscendae vino in sacro calice, lib. 4. doctrin. Christ. cap. 21. Jejunii 4. et 6. feriae, epist. 86. ad Casulanum. Jejunii quadragesimalis,in psal. 110. Delectus ciborum in diebus jejuniorum, lib. 3. contra Faustum, cap. 5. Voti continentiae etiam post conjugium, epist. 45. ad Armentarium. Voti virginitatis, lib. de sancta virginitate, cap. 29. Voti paupertatis, lib. 17. de Civit. Dei cap.4. monachorum et anachoretarum, lib. de moribus Ecclesiae, cap. 31. Voti monachorum, in psal. 75. et 99. Peregrinationum ad loca sancta, epist. 137. ad clerum et populum suum. Porro haec et similia, quae in veteri Ecclesia in usu erant, et nunc etiam in Ecclesia catholica locum suum retinent, a Lutheranis non modo non servantur, sed etiam irridentur; et tamen in confessione dicere audent, veteres ritus a se diligenter servari, et falsam esse calumniam, quod omnium veterum instituta,atque omnes ferme caeremonias aboleverint.

XII. MENDACIUM

Pag. 22. in praefat. de abusibus mutatis: *Cum Ecclesiae*, inquiunt, *apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant etc.* Haec verba mendacii arguuntur ab ultima parte hujus concordiae, ubi ea de Christo docent, quae cum symbolo apostolico, nicaeno, et Athanasii aperte pugnant, ut supra jam ostendimus.Illud autem non est praetereundum,quod cum dicunt, se ab Ecclesia catholica non dissentire, nisi propter paucos,cosque novos abusus, si per Ecclesiam catholicam intelligunt eam, quae nunc paret romano pontifici, fatentur se extra catholicam esse. Et sane viderint ipsi, an propter paucos abusus ab Ecclesia catholica separari licuerit. Si vero per catholicam intelligunt antiquam aliquam Ecclesiam,mentiuntur,cum dicunt, hos abusus esse novos;fuerunt enim in antiqua Ecclesia, si illa est ea catholica, a qua non dissentiunt, nisi ratione abusuum.

XIII. MENDACIUM

Pag. 23. in articulo de conjugio sacerdotum: *In Germania*, inquiunt, *primum ante annos 400. sacerdotes vi coacti sunt ad coelibatum.* Quod idem repetit Philippus in apologia. At exstat concilium moguntinum, celebratum in Germania tempore Arnulphi imperatoris, ante annos 600.cujus decimus canon statuit, ut nulla penitus mulier, nec soror quidem aut mater, cum ecclesiasticis habitare permittatur. Exstat concilium wormatiense, in Germania ante annos 700. celebratum, cujus nonus canon ita habet; Placuit, ut episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi abstineant se ab uxoribus,et non generent filios; quod si hoc decretum violaverint, ab honore clericatus pellantur. Exstat concilium aquisgranense. tempore Ludovici Pii celebratum, anno Domini 816. idest, annis 714. ante confessionem augustanam, in cujus concilii canone 6. indicitur subdiaconis perpetua continentia; et quod de subdiaconis dicitur, sine dubio de altioribus gradibus intelligitur. Extat denique epistola Zachariae romani pontificis, ad Bonifacium episcopum et apostolum Germanorum, scripta ante annos 800. ubi sic legimus: A die suscepti sacerdotii, etiam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt. Cujus legis meminerunt etiam Magdeburgenses, centur. 8. cap. 10. col. 704. Mendacium igitur confessionis tot testibus refutatur, quot episcopi in tribus supra citatis conciliis consederunt,addito etiam romani pontificis testimonio.

XIV. MENDACIUM

Pag. 24. in eodem articulo de conjugio sacerdotum: *Et res*, inquiunt, *gesta est tam inciviliter,ut non solum in posterum conjugia prohiberentur, sed etiam praesentia, contra omnia jura divina et humana, contra ipsos etiam canones, factos non solum a pontificibus,sed a laudatissimis synodis, distraherentur.* Et hoc numerari potest inter illustria mendacia confessioni. Duae sunt enim quaestiones de conjugio sacerdotum. Una, an liceat post sacros ordines susceptos uxorem ducere. Altera, an liceat ei, qui duxit uxorem ante sacram ordinationem, simul et sacerdotio et conjugio operam dare. Ac de prima quidem quaestione Lutherani omnes, et verbis et factis respondent, licere. Sed hoc, ex sententia veterum canonum, quos vel concilia, vel pontifices ediderunt, velle defendere, nimis aperta impudentia est. Nam etiam graeca Ecclesia, quae tamen in hac parte semper liberalior fuit, et damnat, et omni tempore damnavit conjugia post ordinationem. Exstat concilium neocaesariense, ante annos 1200. celebratum. In cujus I. canone sic legimus: Presbyter si uxorem duxerit, ordine suo moveatur. Et synodus tralliana,canone 6.prohibet,ne episcopi,presbyteri, diaconi,subdiaconi, post ordines susceptos uxorem ducere praesumant. Quam eandem prohibitionem legimus in synodo romana sub Sylvestro, can. 8. In concilio II. toletano cap. 1. in canonibus apostolorum,can. 27. in decreto Calixti I. apud Gratianum dist. 27. can. *Presbyteris.* In epist. 82. Leonis I. ad Anastasium, Thessalonicae episcopum cap. 4. Et in epistolis Gregorii I. lib. 1. epist. 42. Nec ulla fuit unquam de hac re in Ecclesia catholica dissensio. Adde,quod hoc ipsum affirmat Paphnutius et Udalricus, quos adversarii pro sua caussa opportune et importune adducere solent. Scribunt enim Socrates lib. 1. cap. 8. et Sozomenus lib. 2. cap. 22. Paphnutium in concilio nicaeno, dum sententiam suam de conjugio clericorum explicaret, inter alia

dixisse, oportere juxta veteres canones, ecclesiasticis prohibere,ut post sacram ordinationem uxores ducant. Udalricus quoque in epist. ad Nicolaum, quam referunt Magdeburgenses, et saepius inculcant, cent. 6. cap. 7. colum. 388. Et cap.10. col. 686. Et cent. 9. cap. 10. col.540. aperte docet, non licere presbyteris et monachis uxores ducere, et si duxerint, debere separari. Et quamquam nec historiam Paphnutii, nec epist. Udalrici omnino nos probamus: tamen ostendere volui, in quaestione de novis nuptiis sacerdotum, non solum a nostris, sed etiam a suis patronis adversarios refutari.

Jam vero de altera quaestione.An videlicet liceat sacerdotibus liberis operam dare; Philippus affirmat, et quidem ita,ut subtrahere sacerdotibus conjugium, esse contendat contra veteres canones, quos tam pontifices, quam laudatissimae synodi condiderunt. Mirum autem est, cur nec in confessione, nec in apologia, ullum talem protulerit canonem. Nos enim econtrario, omnes ecclesiarum canones proferre possumus, quae omnem usum uxorum sacratis hominibus interdicunt. Ex quibus Philippi mendacium evidentissime confutatur.

Ac primum ex orientali Ecclesia, proferimus nicaenum concilium I. in cujus concilii III. canone prohibetur episcopis, presbyteris, diaconis, ne ullam domi mulierem habeant, praeter matrem, aut sororem, aut amitam. Ubi nulla uxoris fit mentio, quae tamen primo loco nominari debuit, si ejus cohabitatio sacerdotibus licita esset. Ac eam mentem nicaeni concilii fuisse, tribus testibus fide dignissimis comprobabimus.

Basilius enim in epistola ad Georgium, ex hujus canonis sententia, praedictum Georgium ab uxore separari praecipit. Epiphanius in haeresi 59. quae est Catharorum, ita scribit: Sed et adhuc viventem, et liberos gignentem, unius uxoris virum, non suscipit; sed cum qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, diaconum et presbyterum et episcopum et hypodiaconum, maxime ubi sinceri sunt canones ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere presbyteros et diaconos et hypodiaconos. At hoc non est juxta canones; sed juxta hominum mentem, quae per tempus elanguit. Hieronymus in lib. contra Vigilantium ; Quid facient, inquit, orientis Ecclesiae? quid Aegypti et sedis apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?

Ex Ecclesia africana testem habemus, concilium II. carthaginiense, can. 2. ubi sic legimus: Omnibus placet, ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam se ab uxoribus abstineant, ut quod apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Idem habet concil.carthaginiense V. can. 3. et concil. africanum, canon. 77. His subscribit Augustinus, qui in lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 20. Solemus, inquit, eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eam sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.

Ex Ecclesia hispanica testem habemus concilium, elibertinum, antiquissimum, can. 33. toletan. II. can. 1. toletan. IV. can. 26. toletan. VIII. can. 6. quae etiam subdiaconis usum uxorum prohibent.

Ex Ecclesia gallicana testem habemus concil. arelatense II. ante annos 1200. celebratum, in cujus II. canone cavetur, Ne ullus conjugatus ad sacerdotium assumatur, nisi continentiam ab uxore promiserit. Item aurelianense III. canone 3. Ut nullus, inquit, clericorum a subdiacono et supra,propriae, si forte jam habeat, misceatur uxori. Quod idem praecipiunt agathense concilium, canone 92. turonense I. can. 1. et 2. Et turonense II. canone 20.

Ex Ecclesia germanica, jam supra citavimus tria antiqua concilia, aquisgranense,wormatiense, moguntinum.

Ex Ecclesia anglicana testem habemus Bedam, qui lib. 3. de tabernaculo cap. 9. Nemo, inquit, potest vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris ministerium consecrari, nisi aut virgo permanserit, aut contracta cum uxore matrimonii foedera solverit.

Ex Ecclesia denique italica, testem habemus d. Ambrosium, qui lib. 1. de officiis cap.ult. Inoffensum, inquit, exhibendum et immaculatum ministerium,nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis. Item Siricium papam in epist.ad Himericum cap. 7. Innocentium I. in epist.ad Victricium cap. 9. et ad Exuperium cap. 1. Leonem I. in epist.90. ad Rust. cap. 3. Et Gregorium I. lib. 3. epist. 34. Sed verba Leonis audiamus in epistola ad Anastasium thessalonicensem episcopum: Omnium, inquit, sacerdotum tam excellens est electio,ut haec, quae in aliis Ecclesiae membris vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cum enim extra clericorum ordinem constituti, nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectae continentiae puritatem,nec subdiaconis, quidem carnale connubium conceditur, ut et qui habent sint tamquam non habentes, et qui non habent permaneant singulares et innupti.

His accedunt exempla totius antiquitatis. Quotquot enim ab apostolicis temporibus episcopi et presbyteri celebres et laudati fuerunt, omnes omnino aut uxorem numquam duxerunt, ut Athanasius, Basilius, uterque Gregorius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo, et alii innumerabiles; aut uxores quidem habuerunt, sed illis post susceptum sacerdotium operam non dederunt, ut Gregorius pater Gregorii theologi, Hilarius, Paulinus, et alii non pauci. Certe unum aliquem laudatum episcopum, presbyterum, diaconum, subdiaconum aut monachum, qui duxerit uxorem, aut ex uxore antea ducta, filios procreaverit,adhuc adversarii invenire in tota antiquitate minime potuerunt. Videat igitur Confess.contra quos canones. pontif.agant. cum sacerdotes non patiuntur nuptiis et procreationi operam dare.

XV. MENDACIUM

Pag. 25. in eodem articulo. *Hinc*, inquiunt, *capitalibus poenis excruciantur sacerdotes, contra*

canonum voluntatem, nullam aliam ob caussam, nisi propter conjugium. Si hoc non est mendacium, proferant adversarii, vel unum canonem ubi prohibitum sit, ne sacerdotes excrucientur, si uxorem ducere tentaverint. Nos enim jam canones multos produximus,in quibus indicitur continentia sacerdotibus; et sane contra canones esse non potest, si poena statuatur in canonum violatores: *At*, inquit Philippus in apologia, *Canones tantum suspendunt ab officio,vos autem suspenditis ab arboribus.* Ergo fatetur in primis Philippus, Lutherum, praeceptorem suum, et omnes alios novi evangelii ministros, qui uxoribus carere noluerunt, ex canonum sententia, suspensos ab officio fuisse, et cum nihilominus officio fungi voluerint, contumaces et rebelles, contra leges omnium Ecclesiarum exstitisse, propter quod crimen, jure sane ab arboribus suspendi potuissent. Deinde, neque est verum, antiquos canones solum ab officio suspendisse. Exstat enim canon. 1. II. concilii toletani, ubi statuitur, ut qui post sacros ordines uxorem ducunt, aut ad eam redeunt, a cujus contubernio jam recesserant, ut sacrilegii rei ab Ecclesia habeantur extranei. Et in concilio toletano VIII.can. 6. qui post sacros ordines uxoribus copulantur, jubentur sub poenitentiae oneribus usque ad extremum vitae ad monasteria relegari. In concilio vero turonensi II. ante 1000. annos celebrato can. 16. habentur haec verba de monachis (qualis Lutherus, Bucerus, Martyr, Ochinus, et alii fuerunt ex evangelicis). Si qui in monasterio conversi sunt, nullatenus habeant licentiam evagandi, nec, quod absit, ullus eorum conjugem ducere, Nam si uxorem duxerit, excommunicetur, et de uxoris male sociatae consortio, etiam judicis auxilio,separetur: qui infelix monachus, tali conjunctione foedatus, si per cujuscumque patrocinium se conatus fuerit defensare, et is qui in hac pertinacitate perdurat, et illi qui eum susceperint defensandum, ab Ecclesia segregentur donec revertatur ad septa monasterii, et indictam ab abbate, quamdiu praeceptum ei fuerit, agat poenitentiam et post satisfactionem revertatur ad gratiam. Scribit Gregorius Turonicus lib. 4. historiae Francorum c. 4. Insignem quendam comitem, qui dimisso, ex consensu mutuo, uxoris thoro, sacris ordinibus initiatus fuerat, ac deinde a diabolo instigatus, ad eandem redire praesumpserat, mox fuisse una omnium episcoporum sententia excommunicatum. Et multa similia vel exempla, vel decreta, proferri possent, si necessitas postularet.

Accedit postremo, quod numquam Ecclesia sacerdotes punivit, propter conjugia (ut mentitur Philippus) sed propter sacrilegia. Sicut enim (ut August. dicit, in lib. de bono viduitatis cap. 9.) Non damnantur viduae, quae nubunt post votum, quia conjugalem fidem posterius inierunt,sed quia continentiae primam fidem irritam fecerunt. Sic etiam non punit Ecclesia sacerdotes, quia conjugium inire volunt; sed quia conjugium post solemne votum contrahendo, non verum conjugium contrahunt, sed sacrilegium committunt. Etsi August. in eodem libro cap.11. lapsus viduarum, quae post simplex votum continentiae nubunt, adulteriis pejores esse dicit, quid de lapsu sacerdotum diceret, qui post solemne votum, uxorum nomine concubinas ducendo, conjugium simul et sacerdotium violant? Quod si contendant, ut faciunt, vota continentiae non esse servanda, jam non sacrilegi solum, sed etiam haeretici sunt, et merito ab arboribus suspendi possunt, cum Apostolo contradicant, dicenti 1. Tim. 5. Adolescentiores viduas devita, cum enim luxuriatae fuerint,in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quem locum de voti continentiae violatione esse intelligendum, docent duo antiqua concilia, carthaginiense IV. canone 104. Et toletan. IV. canon. 55. Duo antiqui pontifices, Innocentius I. in epist. 2. cap. 23. Et Gelasius I. in epist. 1.cap.23. Omnes interpretes hujus loci,Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius, Sedulius, Primasius, Beda, Haymo, et caeteri denique Patres, Tertullianus de monogamia, Basilius de virginitate, Epiphanius haeres. 48. Hieron. lib. 1. in Jovinianum, Augustinus de bono viduitatis cap. 8. et 9.

XVI. MENDACIUM

Pag. 25. in eodem articulo: *Cyprianus*,inquiunt, *suadet ut mulieres nubant,quae non servant promissam castitatem. Verba ejus haec sunt lib. 1. Epist. 11. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est ut nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant.* Mendacium hoc esse, et Cyprianum non de iis loqui, quae continentiam voverunt, sed de iis, quae adhuc deliberant, quid sint facturae, et interim extra matrimonium impudice vivunt, multis modis idem Cyprianus docet. Primo, quia non ait, si perseverare nolunt aut non possunt, quae promiserunt Christo continentiam; Sed simpliciter, si perseverare nolunt, aut non possunt, melius est ut nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant: idest, si perseverare nolunt, melius est, ut non voveant,quam ut voveant, et votum non impleant. II. Quia in sequentibus verbis idem Cyprianus conjugia detestatur earum,quae se Christo dicaverant: Christus, inquit, Dominus, et judex noster, cum virginem suam sibi dicatam jacere cum altero cernit, quam indignatur, et irascitur, et quas poenas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur? III. Quia cum Cyprianus sub disjunctione loquatur et dicat, si perseverare nolunt aut non possunt; Si de iis loqueretur, quae continentiam promiserunt, videretur velle dicere, licitum esse iis, pro arbitrio vota violare,si tantum nolunt perseverare, etiamsi possint: quod certe nemo sanus admittet. Accedit, quod non est ullo modo credibile, aliud sensisse Cyprianum de isto loco Apostoli; Melius est nubere, quam uri, quam quod postea sensit August. qui tractans eundem locum lib.1. de adulterinis conjugiis cap. 15.Illis, inquit, quae se non continent, expedit nubere, et quod licet, expedit;Quae autem voverunt continentiam, nec licet,nec expedit. Multo vero minus credibile est, aliud Cyprianum carthag. episc.de voto continentiae docuisse, quam ante eum Tertull. docuerit, et post eum omnes Patres, ac praecipue

214. episcopi afric. qui in IV. carthag. concilio, convenerunt, quorum testimonia paulo ante citavimus.

XVII. MENDACIUM

Pag. 25. in articulo de Missa: *Falso*, inquiunt, *accusantur Ecclesiae nostrae, quod missam aboleant: retinetur enim missa apud nos, et summa reverentia celebratur.* Concordent, si possunt, hujus Concordiae auctores haec sua verba, cum illis aliis verbis suis, quae habentur pag. 279. inter articulos Smalcaldicos. *Curetur, ut publice hominibus ostendatur, missam ut rem commentitiam, seu humanum figmentum, posse sine peccato omitti.* Et pag. 280. *abroganda merito missa est.* Et pag. 281. *Caeterum draconis cauda ista* (missam intelligo) *peperit multiplices abominationes et idololatrias.* Si igitur missa res est vobis commentitia, et hominum figmentum, et cauda draconis, et merito abroganda, cur eam non abrogatis? Aut si eam jamdudum abrogastis, nec ullus ei apud vos locus conceditur, cur tam splendide mentimini? Dicent fortasse, pontificiam missam, idest, oblationem corporis Domini pro vivis et mortuis, a se abrogatam, Lutheranam autem, idest, Eucharistiae distributionem, retineri, et summa reverentia celebrari. At non accusantur Ecclesiae vestrae quod Eucharistiae distributionem aboleant; sed quod sacrificium e medio tollant, quod omnibus saeculis in Ecclesia fuit. Itaque si per missam intelligitis coenam Dominicam, mendacium est quod accusemini: Si vero sacrificium, mendacium est quod falso accusemini.

XVIII. MENDACIUM

Pag. 27. in eodem articulo. *Accessit*, inquiunt. *opinio, quod Christus satisfecerit sua passione pro peccato originis; et instituerit missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus et venialibus. Hinc manavit, quod missa sit opus tollens peccata vivorum et mortuorum ex opere operato.* Multa sunt in his paucis verbis, vel absurda, vel mendacia, vel pugnantia cum superioribus partibus hujus libri. Primum enim, quis ante hoc tempus audivit, Peccata mortalia vocari delicta quotidiana. Sane d. Augustinus in enchirid. cap. 71. distinguit peccata quotidiana, a sceleribus, et illa levia, brevia et minima vocat. Deinde impudenti mendacio tribuitur catholicis doctoribus illa divisio quod Christus passione sua satisfecerit solum pro peccato originis; Pro actualibus autem instituerit missam. Nemo enim catholicorum unquam sic docuit, sed credimus et profitemur, Christum in cruce pro omnibus omnino peccatis satisfecisse, tam originalibus, quam actualibus; quia tamen meritum passionis ejus non prodest, nisi certa aliqua ratione applicetur (si enim nulla requiritur applicatio, cur non omnes homines salvantur, cum sanguis Christi fuerit propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Joan. 2. neque vero sola fide applicari potest, alioqui mentiretur, qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Joan. 3.) Propterea docet Ecclesia catholica, ad peccata expianda, sive ad meritum passionis Christi, hominibus applicandum, institula esse varia sacramenta, et ipsum etiam corporis Domini sacrificium, quae omnia ex opere operato utilia sint, et ad peccatorum purgationem conducant, licet non aequaliter, nec eodem modo. Quod vero hic negat Philippus missam valere ex opere operato, et apertius Lutherus in articulis Smalcaldicis, qui huic ipsi operi inserti sunt, repugnat articulo Confessionis 8. et haeresin Donatistarum renovat. Nam cum in hoc artic. de Missa, missam a se retineri, et summa reverentia celebrari dicunt, certe missam utilem esse credunt. Non autem volunt utilem esse ex opere operato; ergo ex opere operantis vim illius pendere existimant. At haec haeresis est Donatistarum, quam nominatim artic. 8. damnavit August. confessio. Ubi etiam asseruit: *Verbum et sacramenta, utilia et efficacia esse ex institutione Dei, sive per bonos, sive per malos ministros exhibeantur.* Et hoc ipsum est, quod theologi nostri per opus operatum intelligunt, et ab opere operantis distinguunt. Sed video unde Philippus occasionem arripuerit mentiendi et calumniandi, quia videlicet s. Thomas in opusculo, de sacramento altaris cap. 1. docet: Corpus Domini semel oblatum in cruce pro debito originali, jugiter offerri in altari pro debitis quotidianis. At s. Thomas non dicit, in cruce pro solo debito originali oblatum Christi corpus, immo etiam pro actualibus oblatum docet 3. par. quaest. 1. art. 4. et quaest. 49. art. 1. ad 4. Id ergo in eo opusculo sibi voluit s. Thomas, quia peccatum originale semel dimissum numquam repetitur, ideo ad illud expiandum non esse necessaria quotidiana sacrificia, sed sufficere sacrificium crucis semel peractum, et semel per Baptismum applicatum; At pro peccatis actualibus, quae saepius committuntur, institula esse, praeter Baptismum, quotidiana remedia, in quibus sacrificium altaris merito numeratur. Non quod statim peccatores justificet (ut adversarii nos dicere mentiuntur); sed quod juvet ad placandum Deum, et ab eo impetrandum, ut super peccatores clementer respiciat, eisque desiderium conversionis inspiret, atque ad justificationem quaerendam et obtinendam, disponat.

XIX. MENDACIUM

Pag. 28. in eodem articulo: *Veteres*, inquiunt, *ante Gregorium, non faciunt mentionem privatae missae.* Quod idem repetitur in apologia pag. 223. Si per missam privatam intelligatur missa, quae privato nomine fiat, sive ab uno tantum fiat, et uni soli prosit; Mendacium est, quod post Gregorium, ejusmodi missa in Ecclesia esse coeperint. Nulla est enim, nec unquam fuit in Ecclesia missa privata; sed omnis missa publica est, cum omnis missa fiat a sacerdote, ut publicus minister est, et pro communi et publica utilitate totius Ecclesiae. Si vero per missam privatam intelligant eam, quae non fit in loco publico, vel ad quam non convenit populi multitudo, vel in qua non distribuitur populo sacramentum; falsum est apud veteres non

exstare memoriam ejusmodi missarum, ante tempora Gregorii.Certe Augustinus Gregorium,ducentis fere annis antecessit, et tamen lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. scribit haec verba: Vir tribunitius Hesperius,qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cupedi appellatum, ubi cum afflictione animalium et servorum suorum, domum suam spiritum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent.Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessavit.Habes hic missam in loco privato, ab uno celebratam, sine distributione Eucharistiae populo facta, et tamen utilem,et Deo gratam, ut miraculum subsequens declaravit.

XX. MENDACIUM

Pag. 29. in articulo de Confessione: *Antea*, inquiunt, *immodice extollebantur satisfactiones; fidei vero et meriti Christi, ac justitiae fidei,nulla fiebat mentio.* Hoc mendacium refellunt omnes libri catholicorum, in quibus et fides passim praedicatur, et virtus sacramentorum, et ipsarum etiam satisfactionum, ad meritum Christi refertur. Nunc unus locus s. Thomae sufficiet 3. par. quaest. 62. art. 5. Christus inquit s. Thomas, liberavit nos a peccatis nostris, praecipue per suam passionem, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie.Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum christianae religionis,offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, ut dicitur ad Ephes.5. Unde manifestum est, quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi etc. Et infra: Per fidem Christus habitat in nobis, ut dicitur ad Ephes. 3. et ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem etc. Mentitur ergo qui dicit, ante haec tempora nullam factam esse in Ecclesia fidei et meriti Christi mentionem.

XXI. MENDACIUM

Pag. 34. in articulo de votis monasticis. *Augustini*, inquiunt, *tempore monasteria erant libera collegia, postea corrupta disciplina, ubique addita sunt vota, ut tamquam excogitato carcere, disciplina restitueretur.*

Mendacium est hoc sane dignissimum. Cui non solum octo millia Lutheranorum subscriberent;sed etiam tot illustres civitates, totque illustrissimi principes, suffragium suum adjungerent. Quid enim? An non vixit Augustinus tempore Augustini? Is igitur scribens in psalm. 75. ita loquutus est:Nemo positus in monasterio frater dicat, recedo de monasterio, neque enim soli, qui sunt in monasterio,perventuri sunt ad regnum coelorum; et illi qui ibi non sunt,ad Deum non pertinent. Respondetur ei, sed illi non voverunt, tu vovisti. Et in psalm. 99. de monachis apostatis loquens: Dum non perseveraverit, inquit, implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, et reus voti non redditi. Sed forte non sufficit unus:Nam in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. S. Joan. chrysost.qui aetate Augustini ita vixit,ut etiam ante Augustinum mortuus sit,in epist.6.quae est ad Theodorum, qui deserto monasterio uxorem ducere voluerat (ut hoc tempore passim faciunt,qui ab Ecclesia ad Lutheranos deficiunt): Honorabiles, inquit, nuptiae, sed te jam servare non convenit privilegia nuptiarum; quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud pejus existimo etc. At cur obsecro, nuptiae monachorum, adulteriis sunt pejores,si nullis votis tenentur? S. Hieronymus,et ipse Augustino senior, in epist. ad Sabinum. Moris est, inquit, in Aegypti et Syriae monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, quae se Deo voverint et saeculo renunciantes, omnes delicias saeculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum. S. Epiphanius scribens contra haeresim sexagesimam primam. Tradiderunt, inquit, sancti apostoli, peccatum esse, post decretam virginitatem, ad nuptias converti. S. Basilius, qui nominatis Patribus aliquando vetustior fuit, in prooemio monasticarum constitutionum. Itaque, inquit, qui a mundi vinculis liber esse cupit, nuptias veluti pedicas quasdam fugit,his autem relictis, vitam suam Deo consecrat et castitatem profitetur, ut neque facultas ipsi sit conversionis ad nuptias. Et infra cap.22. constitut. meminit voti obedientiae, et cap. ult. voti paupertatis. Idem in lib. de virginitate, parum a medio: Cum, inquit, Domino virginitatem professae sint, carnali postmodum voluptate male blanda delinitae ac devictae, stupri scelus honesto conjugii nomine obtegere cupiunt. Haec dicta putentur Catharinae conjugi Lutheri, ipsi autem Luthero convenit, quod paulo ante habet: Horrendo, inquit Basilius, sacrilegio Christi sponsae adulter efficitur. Denique idem Basilius in epist. ult. quae est ad virginem lapsam: Et quia, inquit, impius in profundum collapsum, mala de caetero contemnit, etiam ipsa abnegas ad verum sponsum pacta, neque esse virgo,neque unquam promisisse clamans. Revoca in memoriam honestam professionem,quam professa es coram Deo, et angelis, et hominibus etc.

XXII. MENDACIUM

Ibidem sic ajunt. *Docebant vota paria esse Baptismo; docebant se hoc vitae genere mereri remissionem peccatorum et justificationem coram Deo.* Et infra: *Ita persuadebant vitam monasticam esse meliorem Baptismo.*Et addit Philippus in apologia pag. 250. *docebant, applicata aliis,alios salvare.* At quis catholicorum unquam ita docuit? Dicimus quidem opera religionis, idest, caste vivere, nihil proprii possidere, obedire majoribus, opera esse bona et meritoria vitae aeternae, si a justis fiant, et conducere, ad satisfaciendum pro peccatis, sicut caetera omnia opera bona: At mereri justificationem illam, qua ex impiis efficimur justi, nullus catholicorum docet. Scimus enim non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed propter magnam Dei misericordiam, justos fieri, quotquot vere justificantur. Addimus vero, posse monachos facere alios homines operum suorum bonorum participes, ut possunt omnes alii fideles, cum sit com-

municatio inter membra ejusdem corporis. At quod possit monachus suis operibus alios salvos facere, merendo eis gratiam et gloriam, mera calumnia est, nemo nostrum dicit. Denique non negamus, inter Baptismum et monachatum esse quandam similitudinem; quod sicut in Baptismo remittitur omnis poena peccatis debita; ita quoque in susceptione vitae monasticae fieri credibile est. At non continuo anteponimus, vel aequamus monachatum Baptismo, Baptismus enim, et culpam, et poenam remittit, et hominem de impio facit pium, et de filio diaboli filium Dei; Professio vero monastica, solam poenam remittit, quae post remissam culpam aliquando remanet. Neque haec est solius s. Thomae doctrina (ut Philippus existimat), sed etiam veterum ss. Patrum. Scribit s. Athanasius, in vita b. Antonii, angelicam vocem aliquando auditam, quae testaretur, d. Antonio omnia peccata dimissa, cum per vitam monasticam sacculo renunciavit. Sanctus quoque Hieron. in epist. 25. de obitu Blesillae: Cum, inquit, propitio Christo ante quatuor ferme menses, secundo quodam modo se proposuit Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitaverit etc. S. Bernardus lib. de praecepto et dispensatione, non procul a fine: Audire, inquit, et hoc vultis a me, unde, praeter caetera poenitentiae instituta monasterialis disciplina meruerit hanc praerogativam, ut secundum Baptisma nuncupetur? Arbitror, ob perfectam mundi renunciationem, ac singularem excellentiam vitae spiritualis, qua praeminens universis vitae humanae generibus hujuscemodi conversatio, professores et amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi; et quasi denique secundo baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra, quae sunt super terram, Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis ejus. Haec s. Bernardus, cujus testimonium Philippus rejicere non deberet, cum in apologia eum, tum inter sanctos viros numeret, tum ejus testimonia tamquam gravissima pro se adducat. Illud tamen non est praetereundum, nec s. Bernardum nec s. Thomam, nec ullum catholicorum vitam monasticam Baptismo anteposuisse, quod tamen Philippus catholicis attribuit.

XXIII. MENDACIUM

Pag. 34. *Quid fiebat*, inquiunt, *in monasteriis? olim erant scholae sacrarum literarum, et aliarum disciplinarum.* At non ita describunt nobis monasteriorum exercitationes. Hieron. in epist. ad Eustochium, de servanda virginitate, et in altera ad Rusticum de institutione monachi; Augustinus in libro de moribus Ecclesiae catholicae; Joan. Cassianus in lib. de institutis coenobiorum; Benedictus in regula; et ante hos omnes Basilius, in monasticis constitutionibus; Hi siquidem, meminerunt obedientiae, continentiae, paupertatis, jejuniorum, vigiliarum, silentii, psalmodiae, solitudinis, ciliciorum et similium rerum: At humanarum disciplinarum physicae dialecticae, oratoriae ac poëticae artis, ne verbo quidem meminerunt. Viderit ergo Philippus, ubi scholastica et politica monasteria somniarit.

XXIV. MENDACIUM

Pag. 45. in articulo de potestate ecclesiastica. *Facile*, inquiunt, *possent episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servari traditiones, quae bona conscientia servari non possunt. Nunc imperant coelibatum, nullos recipiunt nisi jurent se puram evangelii doctrinam nolle docere.* Ostendant si possunt, quis unquam episcopus exegerit juramentum de non docenda pura evangelii doctrina. Nisi forte nomine purae doctrinae, haereses intelligi velint. Praxis enim Ecclesiae habet, ut exigatur a pastoribus juramentum, de non docendis haeresibus, et de Scriptura non explicanda nisi juxta consensum sanctorum Patrum, et hoc, ut erroribus et impuritati doctrinae aditus praecludatur. Neque verum est coelibatum imperari, sed tantum exigi ut conditionem ad sacerdotium necessariam. Quemadmodum enim liberum est unicuique sacros ordines non suscipere, ita quoque liberum est coelibatum non servare.

XXV. MENDACIUM

Pag. 51. in praefatione. *Et nunc scripsi, quam moderatissime potui. Ac si quid videtur dictum asperius, hoc mihi praefandum est, me cum theologis ac monachis, qui scripserunt confutationem litigare, non cum Caesare aut principibus, quos, ut debeo, veneror etc.* Si vera sunt haec verba, contra theologos et monachos, aliosque catholicos, qui confutationem non scripserint, nihil scripsit in apologia hac Philippus, quod contumeliam sonare possit: contra ipsos etiam, qui confutationem scripserunt, etsi aliquid asperius dictum sit, servata tamen est moderatio, quae tantum theologum decebat. At in ista ipsa pag. 51. in verbis, quae immediate praecedunt hanc protestationem moderationis, asperrime flagellantur theologi catholici. *Sed adversarii*, inquit, *sic agunt caussam, ut ostendant se neque veritatem, neque concordiam quaerere, sed ut sanguinem nostrum exsorbeant*, Et infra, eadem pagina: *Sophistae nominantur omnes theologi.* Et infra pag. 103. moderatissime loquitur Philippus, cum ait: *Turpe est autem adversariis, tantopere praedicare dilectionem, cum nusquam praestent eam. Quid nunc agunt? Dissipant ecclesias, scribunt leges sanguine, et has proponunt Caesari, clementissimo principi promulgandas, trucidant sacerdotes, et alios bonos viros, si quis leviter significarit, se aliquem manifestum abusum non omnino probare.* Et pagin. 164. Insignis moderatio cernitur in istis verbis Philippi: *Deus perdat illos impios sophistas, qui tam scelerate detorquent verbum Dei, ad sua somnia vanissima.* Et paulo post: *Quis docuit hos asinos dialecticam.* Et pag. 200. *Nec vident isti asini apud Hieronymum contra Vigilantium etc.* Et pag. 208. *Manifestos abusus nova et inusitata crudelitate defendunt. Nullos patiuntur in Ec-*

clesia idoneos doctores. Et pag. 212. *Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant isti nihili homines.* Et infra, de gravissimis theologis ait: *Quasi vero Ecclesiam valde ornet ista publica infamia flagitiosarum ac prodigiosarum libidinum, quae flagrant apud illos sanctos Patres, qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt; ac pleraque ne verecunde quidem nominari queunt, quae isti summa licentia faciunt.* Et pag. 220. *Illi Sardanapali consulto abutuntur praetextu religionis.* Et pag. 222. *Videtis*, inquit, *extremam impudentiam istorum nebulonum etc.* Sane praedicanda moderatio est, senes gravissimos, doctissimosque theologos, nunc asinos, nunc nebulones, nunc Sardanapalos, nunc homines nihili appellari, et sic appellari ab eo, qui vix grammaticam bene teneat.

XXVI. MENDACIUM

Pag. 59. in apologia art. 2. *Ad eundem modum*, (inquit Philippus), *loquitur et Augustinus qui ait: Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Hic palam fatetur esse, hoc est, manere peccatum, tametsi non imputetur. Et haec sententia, adeo placuit posteroribus, ut recitata sit et in decretis.*

Mirum profecto est, tantopere placere quibusdam mendacia, ut ab eis avelli nulla ratione possint, scripserat hoc idem Lutherus in assertione articuli 2. et ostensum illi fuit ab episcopo Roffensi, nusquam dicere Augustinum, peccatum manere et non imputari, sed concupiscentiam manere et non imputari in peccatum, sicut vere non est peccatum. Haec enim verba sunt Augustini: quae corrupte citantur a Lutheranis, libro primo de nuptiis et concupiscentia, cap. 25. Si quaeritur quomodo ista concupiscentia maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum? Respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed in peccatum non imputetur. Lib. quoque 6. in Julianum cap. 8. non dicit August. peccatum actu manere, reatu transire. Nec enim tam stupidus erat August. ut non intelligeret, ista non cohaerere, peccatum actu manere, et non manere reatu; cum ipse idem August. peccatum per reatum definire soleat. Et ibid. lib. 1. de nuptiis et concup. cap. 25. Cum dicit, hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. Qui etiam passim asserit, concupiscentiam remanentem malum quoddam et infirmitatem esse, non autem peccatum. Tractatu 41. in Joannem: Numquid inquit, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Et lib. 6. contra Julianum cap. 3. Omni peccato carent justificati, sed non omni malo. Quid quod ipse etiam Philippus in colloquio Wormatiensi (ut Joan. Cochlaeus testatur in discussione confessionis Augustanae art. 2.), ingenue fassus est, male hunc locum ex Augustino esse citatum, cum id ei Joan. Eckius objecisset. Quid? quod multi nostrorum saepius jam de hoc errore Lutheranos admonuerunt? Cum igitur mendacium toties patefactum et refutatum, in libro Concordiae, cui octo millia hominum subscripserunt, adhuc inveniatur, unum e duobus necessarium est, aut hoc mendacium a sexdecim millibus oculorum deprehendi non potuisse, aut voluisse adversarios, etiam cum mendaciis Concordiam facere. Adde quod in decreto etiam Gratiani dist. 4. de consecratione, can. Per Baptismum; non habetur peccatum manere (ut Philippus mentitur) sed concupiscentiam.

XXVII. MENDACIUM

Pag. 62. in apologia pro art. 4. sic ait Philippus. *Damnant auctores confutationis confessionis Augustanae, quod affirmamus, homines fide consequi remissionem peccatorum, et fide in Christum justificari.* At mendacium est. Non enim auctores confutationis confessionis damnant, quod fide dicamur justificari, sed quod fide sola. Illa enim confutatio, de qua Philippus loquitur, exstat in harmonia confessionis Augustanae, edita ab Andrea Fabritio Leodio, et in ea sic legimus art. 5. Quod fidei mentionem hic faciunt, eatenus approbatur, quatenus de fide non sola, ut aliqui male docent, sed quae per dilectionem operatur, ut Apostolus recte docet, ad Galat. 5. intelligatur: haec ibi.

XXVIII. MENDACIUM

Ibidem, *Antonius Bernardus, Dominicus, Franciscus, et alii sancti Patres, elegerunt certum vitae genus etc.* Vel ex animo Philippus loquitur, cum sanctos vocat, Antonium, Bernardum, Dominicum, Franciscum, vel aliud sentit, aliud dicit. Si loquitur ex animo, destruit totam confessionem Augustanam, et universum prorsus Lutheranismum. Constat enim hos quatuor Patres monachos fuisse, et Patres monachorum, et omnes certum vestimenti genus excogitasse, cucullos gestasse, a certis cibis abstinuisse, vota continentiae perpetuae, et paupertatis ac obedientiae coluisse, atque aliis commendasse. Item Antonium certum est in solitudinem se contulisse, et omnia civilia officia deseruisse. Bernardum et Dominicum missam assidue dixisse, papae romano adhaesisse, atque adeo Papistas supra modum fuisse: Franciscum denique nemo ignorat, in suo testamento fidem romanae Ecclesiae commendasse; ac imperasse, ut si quis a fide romanae Ecclesiae aberraret, is diligentissime custoditus, in manus judicum traderetur. Si vero aliud loquitur, aliud sentit, illius imitator, et filius est, qui mendax fuit ab initio, immo et qui pater mendacii, ab ipsa veritate nominatur.

XXIX. MENDACIUM

Pag. 105. in apologia. *Adversarii*, inquit Philippus, *docent homines justificari, dilectione et operibus; de fide, qua apprehendimus propitiatorem Christum, nihil dicunt. Immo hanc fidem improbant, neque improbant tantum sententiis, aut scriptis, sed etiam ferro et suppliciis conantur in Ecclesia delere.* Jam saepe diximus, veram fidem in Christum nos maxime requirere in negotio justificationis; et propterea mentiri Philippum, cum ait, nos de fide aut nihil dicere, aut fidem op-

pugnare. Specialem tamen illam fidem Lutheranorum, superbam, atque arrogantem, quae sola vult justificare, nec patitur comites, quos illi Deus assignavit, merito rejicimus,et deletam funditus,atque exterminatam optamus, quandoquidem et ipsa delet atque exterminat orationem, sacramenta, opera bona, et quidquid Deus ad salutem hominum instituit. Nam si quis non orat ex fide, male orat, et Deum irritat potius, quam placat, ut adversarii etiam fatentur. Debet igitur fides orationem praecedere: At ubi est fides, ibi continuo est justificatio; et certus est Lutheranus ex fide, sibi remissa esse peccata; neque potest ea de re sine gravissimo scelere dubitare; Ergo non potest orare ac dicere: Dimitte nobis debita nostra, vel cum publicano: Deus propitius esto mihi peccatori; Sed cum pharisaeo dicendum illi est: Domine, gratias tibi ago, quia non sum sicut caeteri homines.Quomodo enim petere audebit, quod certo scit ex fide,se jam esse consequutum? Pari ratione sine fide sacramenta non prosunt, sed obsunt; at fides ubi adest, mox justificat; quorsum igitur Baptismus post fidem adhibetur? Ninivitae quoque perdiderunt jejunium illud suum tam laboriosum. Nam si absque fide jejunarunt,nihil eis profuit; si fide praecedente, jam Deus ante jejunium placatus erat. Multa hic dici possent, sed caussa ista usque ad fastidium jam a multis tractata est.

XXX. MENDACIUM

Pag. 112. in apologia. *Plane* (inquit Philippus), *surdi sunt adversarii, toties jam dictum est, legem sine Christo non prodesse, propter quem placent bona opera. Sed illi ubique, excluso Christo, docent mereri justificationem, opera legis.* Mentiris, Philippe, et tam impudenter, ut mirum sit, si quem inveneris, qui tibi credat. Profer saltem unum ex theologis nostris, qui doceat,opera sine Christo mereri justificationem. Certe ipsa confutatio catholica, adversus quam potissimum apologiam scribis, ita loquitur art.4.Attamen omnes catholici fatentur, opera nostra ex se nullius esse meriti. Vide supra, mendacio XX.

XXXI. MENDACIUM

Pag. 124. in apologia,art.6. sic ait Philipp. *Nec offendat quemquam, quod sibi Ecclesiae nomen vendicant. Nam Ecclesia Christi apud hos est,qui evangelium Christi recte docent: non apud illos, qui pravas opiniones contra evangelium defendunt.* Et passim in hac apologia negat Philippus, apud nos esse Ecclesiam. At hoc falsum esse, ex eadem apologia convinci potest. Nam pag.sequenti, idest, 125. dicit Philippus; *Antichristum sedere in templo Dei*, idest, ipse exponit, *in Ecclesia dominari et gerere officia.* Et pag. 130. dicit; *Papam esse Antichristum.*Si ergo papa tamquam Antichristus in Ecclesia dominatur et gerit officia, et tamen non dominatur nec gerit officia inter Lutheranos, sed inter Papistas: ergo non Lutherani, sed Papistae sunt Ecclesia. Et praeterea pag. 222. Philippus agnoscit aliquam offensionem, *eo quod schisma fecerit, et se cum suis divulserit, ab illis, qui existimantur ordinari episcopi*; Et addit, *se concordiam summo studio concupivisse*, quod et alibi saepe repetit.At si apud nos non est Ecclesia, sed regnum Antichristi, et ipsi episcopi membra sunt Antichristi, certe non est crimen, a nobis et episcopis nostris dissidere; sed e contrario potius crimen gravissimum est,cum Antichristo velle concordare. Concordet igitur secum liber Concordiae, et aut apud nos Ecclesiam esse fateatur, aut non dicat Antichristum in Ecclesia magistratum gerere, neque nobiscum Concordiam desideret.

XXXII. MENDACIUM

Pag. 129. in apologia. *Manifestus* (inquit Philippus) *error est, quod docent adversarii, mereri homines remissionem peccatorum dilectione erga Deum, ante gratiam.*At profecto ne somniavit quidem unquam ullus catholicorum, quod hic nobis objicitur, et in confutatione catholica passim repetitur, opera sine gratia nihil valere.

XXXIII. MENDACIUM

Ibidem. *Quid opus erit fide, si sacramenta ex opere operato,sine bono motu utentis justificant?* At nullus catholicorum dixit vel scripsit unquam, in adultis non requiri cum sacramentis motum internum fidei,displicentiae,vel contritionis etc.Et nos supra, Mendacio XX. adduximus s. Thomam, asserentem, applicari Christi meritum hominibus per fidem, in sacramentis.

XXXIV. MENDACIUM

Pag. 129. in apologia, sic ait Philippus. *Sed fortasse adversarii sic postulant, definiri Ecclesiam quod sit monarchia externa, suprema totius orbis terrarum, in qua oporteat romanum pontificem habere potestatem ἀνυπεύθυνον, de qua nemini liceat disputare, aut judicare, condendi articulos fidei, abolendi Scripturas, qua velit instituendi cultus et sacrificia etc.* Et infra: *Atque haec definitio non Ecclesiae Christi, sed regni pontificii, habet auctores non solum canonistas, sed etiam Danielem, cap. 11.*

Profer igitur unum canonistam, qui dicat pontificem romanum posse Scripturas abolere, instituere sacrificia, et similia facere, et cum non potueris, scito, te et esse et haberi mendacem. At nos facile possumus ostendere, Lutherum vestrum id sibi auctoritatis arrogasse, ut aboleret plurimos sacrosanctae Scripturae libros, ut Machabaeorum volumina, epistolam Jacobi, epistolam ad Hebraeos et alia quaedam. Item, ut conderet novum articulum, quo videlicet quisque ex fide credere teneatur se esse justum, licet in omni bono opere peccet. Quod vero ex Daniele adducitur, ad demonstrandum romanum pontificem esse Antichristum, non in pontificem,sed in Lutherum aptissime quadrat.In eo enim loco Daniel Antichristo tribuit,non instituere sacrificia, quod vos papae tribuitis, sed tollere juge sacrificium,quod Lutherus totis viribus

facere conatus est. Addit ibidem Daniel, Antichristum contra omnes Deos pugnaturum; At pontifex romanus, ut vos quidem putatis, Deos innumerabiles colit, omnes videlicet sanctos et sanctas, qui cum Christo regnant, cum e contrario Lutherus, adversus omnes sanctos bellum gerat.

XXXV. MENDACIUM

Pag. 130. in apologia, artic. de Ecclesia sic de romanis pontificibus loquitur Philippus. *Quotus quisque curat evangelium, aut judicat dignum lectione? Multi etiam palam irrident religiones omnes.* At cur tam insignis criminis nullum testem citas, nisi quia non crimen pontificum, sed tuum mendacium, tua blasphemia est? Certe Innocentius III. ex illis est, quos non probatis, et tamen exstant sermones ejus, exstant epistolae, exstant alia opera plena sacris testimoniis. Quod idem de multis aliis dici posset, ut omittam, quod semper pontifices saera fecerunt, ubi leguntur evangelia non latine solum, sed etiam graece.

XXXVI. MENDACIUM

Pag. 136. in apologia, art. 10. sic mentitur Philippus. *Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur nos sentire, quod in coena Domini vere, et substantialiter adsint corpus et sanguis Christi, et vere exhibeantur cum illis rebus, quae videntur, pane et vino, his qui sacramentum accipiunt.* At bone Philippe in art. 10, confessionis, quem nostri receperunt, nulla facta est mentio, panis et vini manentis cum corpore et sanguine Christi; Hic enim est articulus decimus. De coena Domini docent, quod corpus et sanguis Christi, vere adsint, et distribuantur vescentibus in coena Domini. In germanico autem exemplari additum erat, sub specie panis et vini. Tantum vero abest, ut catholici tunc receperint talem articulum, de pane manente cum corpore Domini, ut expresse monuerint recipiendum esse decretum generalis concilii de transubstantiatione panis in corpus, et vini in sanguinem Domini.

XXXVII. MENDACIUM

Pag. 140. in apologia, art. 11. *Nunc de hac fide, consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba in tanta mole constitutionum, glossarum, summarum, confessionalium: nusquam ibi Christus legitur.* Si de fide loqueris, quae sola justificet, et certos absolute reddat remissa esse peccata, non mireris, si ea fides non inveniatur in glossis et summis; nam cum illae fierent, ista nondum erat nata. At de fide vera in Christum et de ipso Christo, nihil in tot libris legi, mendacium est nimis crassum. Certe s. Antoninus, qui inter summistas non postremum locum tenet, tam de fide, quam de Christo fusissime disserit. Nec ulli alii de hisce rebus siluerunt.

XXXVIII. MENDACIUM

Pag. 140. in apologia, art. 12. sic Philippus loquitur. *Quid hic Carole, Caesar invictissime, faciemus? Haec est propria vox evangelii, quod fide consequamur remissionem peccatorum. Hanc vocem evangelii damnant isti scriptores confutationis.* Sed non ita est, Philippe: non enim confutatio usquam negat, nos fide consequi remissionem peccatorum; sed negat nos sola fide consequi remissionem peccatorum: quod et evangelium passim negat, cum et sacramentis, et dilectioni, et poenitentiae tribuat remissionem peccatorum.

XXXIX. MENDACIUM

Sed sexies geminatum

Pag. 143. in apologia, art. 12. numerantur haec dogmata, tamquam sint catholicorum theologorum. *Quod per bona opera extra gratiam facta, mereamur ex pacto divino gratiam. Quod per attritionem mereamur gratiam. Quod ad deletionem peccati, sola detestatio criminis sufficiat. Quod per contritionem, non fide in Christum consequamur remissionem peccatorum. Quod potestas clavium valeat ad remissionem peccatorum, non coram Deo, sed coram Ecclesia. Quod susceptio sacramenti poenitentiae, ex opere operato, sine bono motu utentis, hoc est, sine fide in Christum, conferat gratiam.* At haec omnia non nostra dogmata, sed Philippi mendacia sunt. Nec dubium quin subscriberent contra ista dogmata, non octo millia, sed plusquam octingenta millia catholicorum, ut jam periculum sit, ne suffurentur adversarii Cretensibus illud encomium apostolicum, Cretenses semper mendaces.

XL. MENDACIUM

Pag. 163. in apologia, art. 12. de satisfactione loquens Philippus, sic ait. *Haec tota res est commentitia, recens conficta, sine auctoritate Scripturae, et veterum scriptorum ecclesiasticorum. Ac ne Lombardus quidem, de satisfactionibus hoc modo loquitur. Scholastici viderunt in Ecclesia esse satisfactiones, nec animadverterunt, illa spectacula instituta esse, tum exempli caussa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam et rem prorsus politicam. Ideo superstitiose finxerunt eas, non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere.* Et pag. 164. *Adhuc Lombardi tempore ignota erat (satisfactio).* Et pag. 175. *Quod Patres mentionem faciunt satisfactionis, quod concilia fecerunt canones, diximus supra, disciplinam ecclesiasticam fuisse exempli caussa constitutam; nec sentiebant, hanc disciplinam necessariam esse, vel ad culpae, vel ad poenae remissionem.*

Hoc esse mendacium, vel unus Cyprianus abunde declarabit. Is enim auctor, et sanctus, et antiquus, et doctissimus fuit. Nam de sanctitate martyrium, de doctrina volumina quae reliquit, de antiquitate, historiae omnes testimonium praebent. Certe plus quam octingentis annis, Petro Lombardo vetustior est Cyprianus. Is igitur in sermone, qui est de lapsis, prope finem, ita loquitur. Qui autem

poenitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt: ita fit,ut dum temeritate quorundam promittitur salus falsa, vel creditur, spes verae salutis adimatur. Vos vero, fratres dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, et in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est,poenitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiae crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite,nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes.Deus quantum Patris pietate indulgens semper et bonus est, tantum judicis majestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit: poenitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium praeponere maluisti , cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui , quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere,vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio et sordibus volutari: post indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum , post diaboli cibum, malle jejunium. Et infra: Sic sub apostolis fides viguit, sic primus credentium populus Christi mandata servavit. Et infra: Poenitenti, operanti, roganti,potest clementer ignoscere,potest in acceptum referre, quidquid pro talibus et petierint martyres, et fecerint sacerdotes: vel si quis plus eum suis satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam, justa deprecatione placaverit; dat ille et arma rursum, quibus victus armetur. Et infra:Qui sic Deo satisfecerit, qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti, plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat nuper, laetam faciet Ecclesiam; nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam. Haec illae.Habes hic in primis ter nomen satisfactionis.Habes deinde, illam consistere in operibus, luctu, cinere, cilicio, jejunio, eleemosynis, precibus. Habes tertio,haec non tantum expedire,sed necessaria etiam esse; orare oportet, inquit Cyprianus,et impensius rogare etc. Habes quarto, his operibus Deum placari; nam et hoc aliquoties repetitum est,et proinde non ad solam disciplinam externam,et politicam satisfactionem pertinere. Habes quinto in ultimis verbis, per ejusmodi opera non solum nos veniam, sed etiam coronam promereri. Habes sexto, non sufficere fidem solam,quando tam multa alia necessaria sunt. Habes septimo, non debere nos continuo veniam vindicare,etiamsi jam coeperimus non solum credere, sed etiam timere et dolere. Habes postremo, sic sub apostolis fidem viguisse; et propterea mendacium esse Philippi, quod ista sint nova, et inaudita ante tempora Petri Lombardi.

XLI. MENDACIUM

Pag. 180. in apologia, artic. 13.*Hic damnamus* (inquit Philippus) *totum populum scholasticorum doctorum, qui docet, quod sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam, ex opere operato, sine bono motu utentis. Haec simpliciter judaica opinio est, sentire quod per caeremoniam justificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fide; et tamen haec impia et perniciosa opinio, magna auctoritate docetur in toto regno pontificio.* Haec ille.Ex ore tuo te judico,serve nequam; Nonne tu dixisti supra pag. 154. et 155. *Scholasticos cum de sacramento poenitentiae disputant, requirere contritionem vel attritionem;* et quid aliud est tam contritio, quam attritio, nisi motus cordis? Deinde in ipsa confutatione art.12.ut etiam in omnibus libris scholasticorum,nonne passim inculcatur, tres esse partes poenitentiae, contritionem , confessionem et satisfactionem? Et certe contritio, sine fide, spe et dilectione, id est: sine tribus cordis motibus esse non potest.

XLII. MENDACIUM

Pag. 184. in apologia, art.15.*At isti* (inquit Philippus) *sentiunt Deum esse placatum,propitium, propter traditiones, non propter Christum.*

XLIII. MENDACIUM

Pag. 186. in apologia, art. 15. sic rursum mentitur Philippus. *Docent*, inquit, *quod non propter Christum gratis justificemur per fidem, sed per tales cultus.* Haec et similia non egent confutatione, cum nec adversarius ullum pro se testem adducat.Et contra eum omnes scholae, omnia templa, omnes libri catholicorum testentur.

XLIV. MENDACIUM

Et quidem tergeminum

Pag. 186. in apologia. art. 15. *Has caussas habebant Patres* (inquit Philippus) *rituum servandorum, ut aperte testatur Epiphan. in disputatione contra Encratitas, quod genus simile fuit monachorum nostrorum.Fuerunt enim sodalitia quae sibi certas traditiones imponebant, abstinebant a vino, et in ipsa coena Domini, nullis carnibus vescebantur, ne piscium quidem; qua in re fratres Domini longe superabant, a conjugio vero vel maxime abhorrebant.* Et infra: *Has observationes fingebant esse cultumDei,et justitiam, propter quam Deo accepti essent, qua placarent iram Dei:hanc opinionem improbat Epiphanius.* Hic tria sunt apertissima mendacia. Primum, quod monachi nostri similes sint Encratitis, dum abstinent a vino, a carnibus, a conjugio. Nam Encratitae abstinebant, ut a rebus natura sua immundis, et quae nulli omnino hominum licitae essent;et hoc damnat Epiphanius. Sic enim scribit haeres. 47. quae est Encratitarum: Nuptias palam diaboli esse decernunt. animata vero abominantes interdicunt. Et infra: Utuntur et ipsi mysteriis, per aquam;vino vero omnino non utuntur, diabolicum esse dicentes et bibentes ac utentes iniquos esse ac peccatores. At quis unquam monachorum catholicorum, nuptias, diaboli esse dixit, et non potius ut a Deo

institutas in conjugatis catholicis honoravit? Quis animatas res abominans interdixit?Quis vinum diabolicum asseruit? Quis illud bibentes iniquos judicavit? Quis non saltem inter mysteria illo usus est? Quod vero etiam tempore Epiphanii, catholici monachi, ad alios bonos fines, a conjugio abstinerent, et quidam eorum a vino, quidam a carnibus, supra ostendimus, ex compendiaria doctrina ejusdem Epiphanii. Alterum mendacium est, quod Encratitae abstinerent a conjugio, carnibus et vino, propter cultum Dei,existimantes se eo modo Deum placaturos. Nam non meminit Epiphanius eo loco hujus finis, idest, cultus Dei; et clarissime dicit, eos abstinere solitos, non continentiae gratia, sed propter timorem et imaginationem,ut ne condemnarentur propter animatorum esum. Itaque non abstinebant, ut Deum placarent, sed ne magis irritarent, cum crederent, res illas immundas esse, et contaminare eos, qui illis uterentur. Tertium mendacium est, quod Epiphanius improbet hanc opinionem; quod abstinentia a conjugio, carnibus et vino, sit utilis ad colendum Deum. Nam neque hoc loco talis improbatio cernitur, et alibi apertissime habetur approbatio. Sic enim Epiphanius scribit haeres. 48. quae est Montanistarum: Pleraeque enim sectarum matrimonium contrahere prohibent, et a cibis abstinere praecipiunt,non honestae vitae gratia exhortantes, non majoris virtutis gratia et praemiorum ac coronarum; sed abominabilia ea, quae a Deo facta sunt, putantes. At vero sancta Ecclesia, et virginitatem glorificat, et solitudinem, ac castitatem laudat, et nuptias pudicas honorat et suscipit: Scortationem vero et adulterium ac petulantiam interdicit. Et infra: Etenim cum moderatione quadam, Deus, verbum in evangelio dixit; Si vis perfectus esse, misericordiam exhibeas hominum formationi ac debilitati.Et gaudet quidem his, qui approbatum Dei cultum praestare possunt, et virginitatem ac castitatem et continentiam exercere deligunt. Verum unas nuptias honorat, etiamsi maxime sacerdotii dona per eos, qui ab unis etiam nuptiis se continuerunt, et in virginitate vitam degunt, se ornasse praeexpressit: velut etiam Apostoli ipsius, ecclesiasticam sacerdotii regulam ordinate ac sancte constituerunt.Quid hic dicis, Philippe?Nonne audis ab Epiphanio continentiam ab uxore, a vino et carnibus debere suscipi, gratia majoris virtutis et praemiorum ac coronarum? Item virginitatem cultum esse a Deo approbatum, et illi gratissimum? Denique sacerdotum continentiam, etiam ab una uxore, sancitam ab apostolis fuisse?

XLV. MENDACIUM

Pag. 188. in apologia, art. 15. *Exstant* (inquit Philippus) *immensi libri,immo bibliothecae totae, nullam syllabam de Christo,de fide in Christum, de bonis operibus suae cujusque vocationis continentes, sed tantum colligentes traditiones.*Si tu omnes bibliothecas adiisti, et omnes libros legisti, cur non indicas nobis, vel unum auctorem ecclesiasticum, qui de Christo et fide non loquatur?

XLVI. MENDACIUM

Pag. 190. in apologia, art. 15. *Apud adversarios* (inquit Philippus) *nulla prorsus est κατήχησις puerorum.*Quam impudens hoc mendacium sit testantur innumerabiles catechismi, qui a nostris editi sunt, nec unquam defuit in Ecclesia puerilis institutio;sed stultum est respondere homini nihil probanti, et ad mentiendum projectissimo.

XLVII. MENDACIUM

Pag. 194. in apologia, art. 16. *Vanissimum est* (inquit Philippus) *quod sit perfectio christiana, non tenere proprium.* Et infra: *Sed monachi illam externam hypocrisim offuderunt oculis hominum, ne videri posset,in quibus rebus sit vera perfectio: quibus laudibus vexerunt communionem rerum, quasi evangelicam? At hae laudes plurimum habent periculi, praesertim cum longe dissentiant a Scripturis.*Bene autem Philippus fecisset, si ad probandum, laudes vitae communis dissentire a Scripturis, attulisset in medium verba illa b. Lucae (solet enim ipse plerumque, ut est insignis Dialecticus, ita connectere argumenta); Multitudinis autem credentium, erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulo post: Et gratia magna erat in omnibus illis, neque enim quisquam egens erat inter illos.Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant et ponebant ante pedes apostolorum.Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Actor. 4. Potuisset quoque Augustini commentarium adjicere,ut magis communiret sententiam suam. Is enim in sermone 1. de Communi clericorum vita, sic habet: Ecce dico, audite; Qui societatem communis vitae jam susceptam, quae laudatur in actibus apostolorum, deserit, a voto suo cadit, et a professione sancta cadit. Et infra: Ego scio quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere, Vovete, inquit,et reddite Domino Deo vestro. Ac breviter, si quis legat duos illos Augustini sermones, mirum si non videat Philippi vanitatem.

XLVIII. MENDACIUM

Pag. 195. in apologia, art. 18. *Sed quid interest* (inquit Philippus) *inter Pelagianos, et adversarios nostros? cum utrique sentiant homines sine Spiritu sancto posse Deum diligere,et praecepta Dei facere, quo ad substantiam actuum, mereri gratiam ac justificationem operibus,quae ratio per se efficit sine Spiritu sancto?*Vis audire, quantum intersit inter nos et Pelagianos? quantum inter catholicos et haereticos. Neque Pelagianus error est, posse hominem aliqua praecepta, et aliquando facere quoad substantiam actuum,solis naturae viribus, idest, sine speciali auxilio gratiae Dei. Nam hoc idem et tu doces, nisi tecum fortasse pugnas, in eadem pagina.Haec enim sunt verba tua. *Habet humana voluntas libertatem in operi-*

bus et rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit: Potest aliquo modo efficere justitiam civilem, seu justitiam operum. Potest loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire magistratibus, parentibus in opere externo eligendo, potest continere manus a caede, ab adulterio, a furto. Haec tua, etiam nostra sunt: Et hoc vocamus implere quaedam praecepta, quoad substantiam actuum. Porro diligere Deum super omnia sine Spiritu sancto tribuit homini fortasse unus aut alter scholasticorum, sed graviores repugnant, ut s. Thomas, s. Bonaventura et alii. Quod autem opera sine Spiritu sancto facta mereantur gratiam et justificationem, nullus theologorum docet, tuum est mendacium, tua calumnia.

XLIX. MENDACIUM

Pag. 198. in apologia, art. 20. *Non est ferenda,* (inquit Philippus) *blasphemia, tribuere honorem Christi nostris operibus. Nihil pudet jam istos theologos, si talem sententiam in Ecclesia audent ferre.* At bone vir, non id habet confutatio theologorum, quod tu reprehendis. Nec enim usquam dicunt theologi illi, opera sine Christo mereri remissionem peccatorum. Sed negant, quod vos docetis, opera nostra, licet ex fide, licet ex gratia, licet ex Christi meritis prodeant, nihil tamen mereri. Itaque cum confutatio dicit, opera nostra mereri remissionem peccatorum, hunc habet sensum, quod opera poenitentiae cum fide et auxilio Dei facta, mereantur ex congruo, sive per modum dispositionis culpae remissionem, quam esse vocem Scripturarum et Patrum, supra docuimus Mendacio 8. Opera vero hominis justificati, facta ex gratia, per Christi meritum nobis infusa, mereantur ex condigno remissionem poenae, quae interdum relinquitur, culpa dimissa. Nam, ut ait August. Tractat. 124. in Joan. Productior est poena, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena. Nec solùm poenae remissionem, sed et coronam gloriae mereri nostras satisfactiones, paulo ante ex Cypriano audivimus, in serm. de lapsis, in postremis verbis.

L. MENDACIUM

Pag. 200. in apologia art. 21. *Nec vident isti asini* (inquit humanissimus Philippus), *apud Hieronymum contra Vigilantium, nullam exstare syllabam de invocatione. Loquitur de honoribus sanctorum, non de invocatione.* At quaenam est ista consequentia: Loquitur Hieronymus de honoribus sanctorum; Ergo non de invocatione? Videlicet invocatio non est honor, sed ignominia. Et idcirco nullum praeter Christum, invocari vultis, ne decus Christo proprium, cum aliis communicetur. Audi igitur. Vigilantius nolebat sanctos honorari; et quoniam non ignorabat, praecipuum sanctorum honorem, esse ipsorum invocationem, duabus rationibus ostendit, non eos debere ab hominibus invocari, tum, quia abditis receptaculis inclusi, non possent ubi vellent esse praesentes, et se invocantibus per se opem ferre; tum etiam, quia nec posset ullus post mortem, pro alio apud Deum aliquid impetrare, et proinde supervacanea esset invocatio. Utramque rationem Hieronymus refellit. Ais, inquit, vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei, animas apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis (ubi videlicet a fidelibus praecipue invocantur) et ubi voluerint adesse praesentes. Senatoriae videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia recludantur. Tu Deo leges pones? Tu apostolis vincula injicies etc. Et infra: Dicit, inquit, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Si apostoli et martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro caeteris; quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Cum ergo Hieronymus Vigilantii argumenta refellat, quibus ille sanctorum honoribus invidens, invocationem eorum oppugnabat, vere stupidi ac ferme asini essemus, si non inde colligeremus, invocationem sanctorum e Hieronymo approbari.

LI. MENDACIUM

Pag. 200. in apologia, art. 21. *Neque reliqui veteres scriptores* (inquit Philippus) *ante Gregorium fecerunt mentionem invocationis.* Non te pudet tantum magistrum in Israël, aut nihil in veteribus legisse, aut tam impudenter mentiri? Proferam igitur viginti quatuor Patres, Gregorio antiquiores, qui instar viginti quatuor seniorum de Apocalypsi testimonium dicant pro invocatione sanctorum. Vide Dionys. areopag. lib. de ecclesiastica hierarchia cap. 6. Iren. lib. 3. Euseb. lib. 13. de praepar. evang. cap. 7. Athan. serm. in evangelium de s. Deipara. Basilium orat. in quadraginta martyres; item in psal. 33. Nazianzenum orat. in Cyprianum; item in Athanasium. Nyssenum orat. in s. Theodorum. Cyrillum catechesi 5. mystagogica. Ephrem. serm. de laudibus martyrum. Chrys. hom. 66. ad populum Antiochenum. Item hom. 43. in Genesin hom. 8. in Matthaeum hom. 1. in priorem ad Thessalonicens. Theodoretum lib. 8. de curandis Graecorum affectionibus. Et in hist. religiosa, ad finem singularum vitarum. Hilarium in psal. 124. et in psal. 129. Ambrosium lib. 10. in Lucam cap. 21. Et in lib. de viduis. Hieron. in epitaphio Paulae. Ruffinum lib. 2. hist. eccles. cap. 33. Prudentium in hymno de s. Cassiano; item de s. Hippolyto; item de s. Laurentio. Paulinum Nolensem, epist. 12. ad Severum. Gaudentium Brixiensem, tractatu in dedicationem basilic. concilii sanctorum. Severum Sulpitium, epist. ad Aurelium diaconum, et epist. ad Bassulam Socrum. Maximum Taurinensem, serm. de s. Agnete. August. lib. de cura pro mortuis cap. 4. et serm. 17. de verbis Apostoli. Leonem I. serm. 5. de epiphania. Victorem Uticensem lib. 3. de persequutione Wandalica. Fulgentium Ruspensem, serm. de laudibus beatae Mariae. His accedit concilium chalcedonense, 630. Patrum, et alia quae supra citavimus, Mendacio X.

LII. MENDACIUM

Pag. 201. in apologia, art. 21. *Triplex honos*, inquit, *probandus est. Primus est gratiarum actio. Secundus confirmatio fidei nostrae. Tertius imitatio fidei et caeterarum virtutum. Hos veros honores non requirunt adversarii.* At ubi legisti, vel a quo audivisti, nos non requirere hos honores?

LIII. MENDACIUM

Pag. 200. in apologia, pro conjugio sacerdotum. *Vituperabant monachi*, inquit, *conjugium, tamquam vitae genus, quod vix unquam Deo placeret, aut certe non placeret, nisi propter procreationem.* At omnes monachi, qui commentaria in magistrum scripserunt, agnoscunt tria bona, propter quae matrimonium Deo placeat, fidem, prolem et sacramentum. Vide lib. 4. sent. dist. 31.

LIV. MENDACIUM

Pag. 223. in apologia, pro conjugio sacerdotum, Philippus sic argumentatur. *Joviniani tempore nondum norat mundus legem de perpetuo coelibatu. Impudens igitur mendacium est, conjugium sacerdotum, Joviniani haeresim esse.*

Utrum Philippus mentiatur nec ne, judex sit beatus Hieronymus. Is igitur in lib. contra Vigilantium sic ait: Quomodo Euphorbius in Pythagora renatus esse perhibetur, sic in isto Joviniani mens prava surrexit: ut in illo, et in hoc, diaboli respondere cogamur insidiis. Illae romanae Ecclesiae auctoritate damnatus, inter phasides aves et carnes suillas non tam emisit spiritum, quam eructavit: iste caupo Calagurritanus, et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino; et de artificio pristino, suae venena perfidiae catholicae fidei sociare conatur, impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in convivio saecularium contra sanctorum jejunia proclamare. Proh nefas, episcopos sui sceleris dicitur habere consortes; Si tamen episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint; nulli coelibi credentes pudicitiam, immo ostendentes, quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur. Et nisi praegnantes uxores viderint clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient orientis Ecclesiae? quid Aegypti et sedis apostolicae? quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt. Hoc docuit Dormitantius, libidini fraena permittens etc. Si igitur Hieronymo teste Vigilantii haeresis ac Joviniani, una atque eadem sententia fuit, adeo ut in Vigilantio Jovinianus revixisse dicatur, mentitur Philippus, cum ait, non fuisse haeresim Joviniani oppositam continentiae sacerdotum. Quod vero mendacium etiam sit, Joviniani tempore, mundo notam non fuisse legem perpetui coelibatus, satis constat ex iis, quae supra diximus, Mendacio XIV. necnon ex hoc ipso Hieronymi testimonio, et ex Augustino in lib. de haeresibus cap. 82. ubi legimus, quasdam sacras virgines, provectae jam aetatis, Joviniano auctore, nuptias contraxisse. Quod certe d. Augustinus non reprehendisset, si virginitas consecrata Deo, votum perpetui coelibatus non complecteretur, aut hoc votum illo tempore notum mundo non fuisset.

LV. MENDACIUM

Pag. 226. in apologia, de missa. *Hic caussae status est* (inquit Philippus) *de quo ita nobis monendi sunt lectores, ut Aeschines admonebat judices, ne sinerent adversarium extra caussam egredi. Nos in confessione nostra ostendimus, nos sentire quod coena Domini non conferat gratiam ex opere operato, nec applicata pro aliis, vivis aut mortuis, mereatur eis ex opere operato remissionem culpae aut poenae.*

At mira ista perversitas est, alios arguere ejus peccati, quod ipse committis. Non enim iste est caussae status, an missa mereatur gratiam, et justificet ex opere operato. Si enim iste status esset, caussa finita esset. Quaestio vero praecipua in eo consistit: an missa sit verum et proprie dictum sacrificium, quod omnes Lutherani negant, et catholici omnes affirmant.

LVI. MENDACIUM

Pag. 233. in apologia, de missa. *Sed adversarii* (inquit) *ubique sacrificii nomen ad solam caeremoniam detorquent: praedicationem evangelii, fidem, invocationem et similia omittunt; cum caeremonia propter haec instituta sit.* Fatemur quidem sacrificium proprie dictum, nec praedicationem evangelii, nec invocationem significare, sed oblationem corporis Christi, cum mystica caeremonia a sacerdote factam; sed quod non sit apud nos evangelii praedicatio, nec invocatio, nimis impudens mendacium est, cum in ipsa celebratione sacrificii legatur evangelium, et saepe etiam exponatur, et multae preces fundantur pro sacerdotibus, pro regibus, pro populo.

LVII. MENDACIUM

Pag. 236. in apologia, de missa. *De fide* (inquit) *qua gratis consequimur remissionem peccatorum nulla prorsus fiebat ab adversariis mentio; De exercitiis fidei luctantis cum desperatione, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, omnes libri, omnes conciones adversariorum mutae erant.* Magnus et mirabilis vir fuit Philippus, qui omnes libros legit, omnes conciones audivit, etiamsi variis in locis eodem tempore, aut variis temporibus eodem loco haberentur. Et quod mirabilius est, etiam illas conciones audivit, quae prius factae sunt, quam ipse nasceretur, alioqui, unde novit, de gratuita remissione peccatorum propter Christum omnes conciones mutas fuisse.

LVIII. MENDACIUM

Pag. 239. in apologia, de missa. *Transferunt* (inquit) *missam et ad mortuos, liberant animas*

applicatione sacramenti, a poenis purgatorii; cum sine fide nec vivis missa prosit. Neque ex Scripturis, vel unam syllabam afferre possunt, ad defensionem istarum fabularum, quas in Ecclesia magna auctoritate docent: neque Ecclesiae veteris, neque Patrum testimonia habent. Duo sunt hic mendacia. Unum, quod applicatione sacramenti, liberari dicamus animas a poenis purgatoriis. Nemo enim catholicorum hoc docet; sed quod de sacrificio dicimus, imperite aut callide transfert Philippus ad sacramentum. Alterum mendacium est, quod non habeamus testimonia veteris Ecclesiae, quod missa prosit etiam defunctis. Tot enim habemus testimonia, ut plane adversarios obruere possimus. Concil. carthaginiense IV. can. 79. jubet commendari defunctos orationibus et oblationibus. Concil. wormatiense can. 10. jubet, etiam pro suspensis orari et sacrificari. Similia passim in conciliis leguntur. Tertullianus lib. de monogamia. Pro anima, inquit, ejus oret et offerat annuis diebus dormitionis ejus. Cyprianus lib. 1. epistol. 9. Non est, inquit, quod pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio aut deprecatio. Ambrosius lib. 2. epistol. 8. Itaque, inquit, non tam deplorandam quam prosequendam orationibus reor, nec moestificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam. Cyrillus catechesi 5. mystagogica. Maximum, inquit, credentes esse animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius et tremendi sacrificii. Chrysostomus homil. 69. ad populum antiochenum. Non temere haec ab apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur memoria. Omitto caeteros.

LIX. MENDACIUM

Pag. 247. in apologia, de missa. *Falso* (inquit Philippus) *citant adversarii contra nos damnationem Aerii, quem dicunt propterea damnatum esse, quod negaverit in missa oblationem fieri pro vivis et mortuis.*

Quaestio nostra cum Lutheranis est, an missa prosit mortuis, nam quod vivis prosit, nemo negat. Porro Augustinus lib. de haeres. cap. 53. inter dogmata propria Aërii etiam illud numerat: Orare, vel offerre pro mortuis oblationem, non oportere. At hoc idem omnes Lutherani dicunt.

LX. MENDACIUM

Ibidem, sic ait Philippus. *Epiphanius testatur Aerium sensisse, quod orationes pro mortuis sint inutiles, id reprehendit, neque nos Aerio patrocinamur.* Si verum loquitur Philippus, mentitur altera pars Concordiae, cui fere concordant omnes Lutherani. Nam pag. 381. *Purgatorium animarum mera diaboli larva esse definitur.* At si nullum est purgatorium animarum, inutiles sunt orationes pro mortuis, ut volebat Aërius, nisi forte velit Philippus, pro animabus beatis, aut damnatis orandum esse. Adde quod Epiphanius haeres. 75. quae est Aërii, refert etiam alium ejusdem errorem, et quidem ipsius verbis; Sed neque jejunium, inquit, erit ordinatum; *Haec enim judaica sunt, et sub jugo servitutis. Justo enim lex non est posita, sed patricidis ac matricidis et reliquis. Si vero omnino volo jejunare, qualemcumque eligam diem, a me ipso, et jejunabo propter libertatem.* Et infra: In diebus autem paschatis (quos nos vocamus majorem, sive sanctam hebdomadam) quando apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliae ac jejunia, et omnes animarum salutes, per sanctas afflictiones; ipsi a summo mane obsonantur, carneque ac vino venas suas explentes, cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadis paschatis perficiunt. Quaeso te, Philippe, an non et vos hoc idem facitis et docetis? Magis ingenue Matthias Illyricus facit, qui cent. 4. cap. 5. col. 401. agnoscit, Aërii dogmata fuisse, non orandum, nec offerendum pro mortuis; nec stata jejunia servanda; et quia horum similia docuit Lutherus, mavult Epiphanium et Augustinum haereticos facere, quam Aërium.

LXI. MENDACIUM

Pag. 253. in apolog. de votis monasticis: *Obedientia, paupertas et coelibatus* (inquit Philippus) *exercitia sunt ἀδιάφορα. Ideoque sancti uti eis sine impietate possunt, sicut usi sunt, Bernardus, Franciscus, et alii sancti viri: Et hi sunt propter utilitatem corporalem, ut expeditiores essent ad docendum.* Scilicet, magna utilitas corporalis erat s. Francisco, nudis pedibus ambulare, una sola tunica eaque cilicina, et asperrima cooperiri, humi cubare, pane solo et aqua ut plurimum vivere, totas noctes vigilare. Deinde quid dicemus de s. Antonio, s. Hilarione, s. Paulo I. eremita, immo de tot millibus sanctorum anachoretarum, qui non fungebantur docendi officio, et tamen vitam pauperrimam et severissimam, in perpetuo coelibatu, et sub obedientiae jugo ducebant? Porro s. Bernardus non solum vilissimis pannis et cibariis aridissimis utebatur, sed etiam serm. 30. in cantica diligenter monuit, non esse monachi, sed medici, corporis utilitatem et bonam valetudinem curare: Monachi vero esse, spiritus utilitatem quaerere et carnem crucifigere, atque in ea re Dominum et Salvatorem imitari.

LXII. MENDACIUM

Pag. 255. in apologia: *Nemo nescit* (inquit Philippus) *vitam monasticam recens excogitatam esse.* Omitto quod Patres ad apostolos referunt, ut Euseb. lib. 2. hist. cap. 16. Epiphan. haeres. 29. quae est Nazaraeorum, Hieron. 1. lib. de scriptoribus ecclesiasticis, in Philone. Joan. Cassianus, lib. 2. de institutis coenobiorum, cap. 5. et Collat. 18. cap. 5. Augustin. serm. 2. de communi vita clericorum. Possidonius in vita s. August. Sozomenus lib. 1. hist. c. 12. Et Nicephorus lib. 2. cap. 15. Certe Magdeburgenses centur. 4. cap. 6. col. 464. anno 300. a Salvatoris adventu ponunt initium monasticos. Quod si contendunt, monachos hujus temporis, non esse illis similes qui erant tempore

Antonii, Hilarionis, Augustini; tamen non negant, nec possunt negare, quin saltem monachatus qui nunc est, a tempore s.Benedicti initium sumpserit, id enim Lutherani omnes admittunt, cum videant adhuc exstare, et servari regulas ab ipso conditas, et habitari monasteria, quae ille fandavit. Sanctus autem Benedictus ante 1000. annos floruit.Nisi ergo apud Philippum mille anni sint,sicut dies unus, ut Scripturae loquuntur de temporibus, cum Dei aeternitate collatis, viderit ipse, quam sit verum, vitam monasticam recens excogitatam.

LXIII. MENDACIUM

Pag. 158. in apologia, de votis monasticis. *Desertio facultatum* (inquit Philippus) *non habet mandatum, aut consilium in Scripturis. Nam evangelica paupertas, non est desertio rerum,sed non esse avarum etc.* De hoc mendacio diximus supra Mendacio 6. sane deberet sufficere tot sanctorum exemplum. Omnes enim illi veteres monachi, qui tantopere celebrantur a Patribus, verba Domini, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc. de rerum desertione intellexerunt.

LXIV. MENDACIUM

Pag. 259. in apologia, de votis monasticis: *Sancti*, inquit Philippus, *in locum Christi subrogantur, et impie coluntur.* Longe aliud ostendunt litaniae, aliaeque preces catholicorum. Christo enim, ut Deo ac Domino dicimus, Κύριε ἐλέησον, Christe eleison, sanctis vero, sancta Maria, ora pro nobis; sancte Petre, ora pro nobis. Sed antiqua ista calumnia est;quod enim Lutherani nun dicunt, dixerunt olim ethnici, judaei, haeretici,ut patet ex historia Eusebii, lib. 4. cap. 15. Et lib. 8. cap. 5. Ex Cyrillo lib. 6. et 10. in Julianum. Ex Hieronymo lib. contra Vigilantium. Et ex Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 21.

LXV. MENDACIUM

Pag. 263. in apologia,de potestate ecclesiastica. *Suas traditiones*, inquit Philippus, *longe accuratius servari postulant, quam evangelium.*Hoc de episcopis Ecclesiae generatim dictum, apertissimum mendacium est.

LXVI. MENDACIUM

Pag. 267. Ibidem: *Libri adversariorum*,inquit, *nusquam fidei mentionem faciunt, cum de remissione peccatorum loquuntur.Nusquam docent de dignitate rerum civilium, nusquam docent quomodo evangelium tradat justitiam externam.* Et haec mendacia toties repetuntur in hac apologia,ut mirum sit quomodo non ipsi auctori nauseam fecerint.

LXVII. MENDACIUM

Pag. 268. Ibidem:*Cultus sanctorum*, inquit,*plenus est apud eos manifesta idololatria.* At nos corde sentimus, et voce asserimus,sanctos non esse Deos, sed creaturas eximias.Nec illis ut Diis sacrificamus, ut etiam d. Augustinus docet, lib. 22. Civit. Dei cap.10. Nec invocamus, ut gratiam vel gloriam largiantur; Sed ut eam nobis a Deo precibus suis obtineant. Nec denique illabi eos animis, et corda scrutari existimamus,ut adversarii nos credere mentiuntur; Sed Deo revelante atque ostendente, quid nos petamus, cognoscere eos posse docemus.

Hic libellus tam fabre aperit mendacia, revellit errores Concordiae lutheranae, ut nihil possit esse aut enucleatius, aut nervosius in hoc genere; Nam animus fuit auctori, stringere rem, non explicare, sed stringere ea arte, ut Lutherani alioqui plumbei facile tangant se tangi, aut potius everti.

Censui ROBERTUS TURNERUS sacrae theologiae doctor atque INGOLSTADII professor, et pro tempore ejusdem facultatis decanus.

BREVIS APOLOGIA

ROBERTI BELLARMINI

PRO LIBELLO SUO DE LIBRO CONCORDIAE LUTHERANORUM

Cum ante multos annos liber Concordiae Lutheranorum in Saxonia prodiisset, petiit a me vir quidam gravissimus atque doctissimus, et qui mihi jure suo imperare poterat, ut ei per literas significarem quid mihi de ea Concordia videretur. Perlegi continuo librum, quem idem ipse ad me miserat, et sententiam meam de eo libro paucissimis verbis, idest, brevissimo libello comprehendi. Pervenit is meus libellus, nescio quomodo, ad manus Davidis Sartorii, egregii sane typographi, qui tunc Ingolstadii catholicis libris excudendis magna cum laude operam dabat. Is vero per amicum quendam meum a me quaesivit, moleste ne essem laturus, si is libellus typis ipsius emitteretur in lucem: respondi, quod res erat, me non eo animo libellum confecisse, ut ederetur, sed ut ei parerem, qui mihi onus illud imposuerat: tamen si theologi Ingolstadienses opusculum illud utiliter edi posse judicarent, me non repugnare quo minus id fieret. Ita libellus in lucem editus est: qui quoniam visus est non leviter adversarios pupugisse, iterum jussu clarissimae memoriae Stephani regis Poloniae potentissimi typis mandatus est. Nec multo post in linguam germanicam paraphrastice conversus, et auctus ita ministrorum novi evangelii bilem accendit, ut dignus visus sit qui ab universa Academia Wirtembergensium theologorum conjunctis armis, et quasi agmine facto opprimeretur. Sed libellus ipse, ut audio vivit adhuc, immo ne guttam quidem cruoris emisit, sed clipeo veritatis armatus canit cum propheta, *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum.* Et certe si auctor ipsius vacaret in ejusmodi nugis tempus consumere, posset decem diebus, decem alios similes libellos emittere de vanitate, erroribus et mendaciis hujus refutationis. Ac ut rem ita se habere demonstrem, pauca quaedam exempli gratia proferam. Totum enim librum adversariorum refellere non esse operae pretium, nisi quem juvet bonas horas male perdere, ex his paucis quae dicemus lector intelliget. In prima parte libelli notaveram vanitatem eorum, qui ut Concordiam in doctrina maximam esse apud Lutheranos ostenderent, coëgerant ad subscribendum dogmatibus fidei turbam ludimagistrorum, hipodidascalorum, et similium qui neque auctoritate, neque scientia pollent, ut de dogmatibus praesertim controversis judicare possint. Atque addidi, nullum exemplum ejusmodi subscriptionum in negotio fidei posse ab antiquitate peti, cum ab apostolicis temporibus per mille quingentos annos conciliis tum generalibus tum nationalibus, vel provincialibus soli praelati, qui jurisdictionem habent, subscribere consueverint. Ad hoc respondent theologi Wirtembergenses, his verbis: *Non latet nos, Deo laus, quae ratio in conciliorum subscriptionibus observata fuerit, quam etiam in nostris conventibus ante hac multoties sequuti sumus, ut si quid de religione scripto commendaretur, praecipui tantum theologi subscriberent: quemadmodum in Smalchaldicis articulis videri licet. Quod autem etiam vulgariter, nec ita excellenter docti ministri subscripserunt; in scripto publico omitti id bene poterat, nisi electores et principes ad hoc coegissent impudentes vestrae calumniae, quas contra ipsorum theologos et ministros in publicam confessionis Augustanae contumeliam publicis typis evomuistis. Meminisse autem jesuitae debebant, qualibus ementitis titulis tridentini concilii episcopi superbiverint, ut homines in sui admirationem raperent, cum se episcopos et patriarchas jactarunt nescio quorum locorum, in quae nemo illorum unquam pervenit, neque ex illis regionibus quisquam ecclesiasticus ad concilium tridentinum missus erat.*

Haec responsio satis indicat, eos nihil solidi habuisse, quo vanitatem illam a nobis notatam purgare possent. Primum enim non eis objecimus, quod antiquis conciliis soli theologi praestantes subscribere consueverint, sed quod soli praelati, qui jurisdictionem habent, idest, episcopi. Itaque cum dicunt, non latere se, quae ratio servata sit in antiquis conciliis, et eam a se quoque servatam in suis conventibus, ubi praecipui theologi tantum subscripserunt, vel falso dicunt non latere se formam veterum conciliorum, vel mentiuntur cum affirmant, eam a se in conventibus suis esse servatam. In veteribus enim conciliis veros episcopos, non autem theologos quoscumque; in conventibus autem Lutheranorum nullum verum episcopum, sed theologos nescio quos subscripsisse non dubium est.

Deinde cum addunt, omitti potuisse nomina mi-

nistrorum vulgariter tantum, et non excellenter eruditorum nisi coëgissent eos nostrae calumniae, quibus eis exprobare solemus, quod nulla sit inter ministros eorum concordia: nihil omnino dicunt, quod ad rem faciat. Nos enim cum illis objicimus, quod in gravissimis dogmatibus inter se non conveniant, non loquimur de turba imperitorum, quam scimus facile duci ab iis, quos opinione doctrinae suspiciunt: sed de viris doctis, vel certe qui docti haberi volunt. Scimus autem non solum in tota Germania inter varias Lutheranorum sectas, sed in ipsa Saxonia, atque inter eos, qui proprie Lutherani dici volunt dissensiones esse gravissimas, ut vel ex colloquio Altemburgensi cognosci potuit, ubi ex ipsa Saxonia duodecim viri delecti ad componenda dissidia de religione, non solum gravissimos errores alii aliis objecerunt, sed etiam inde absque alia spe concordiae discesserunt. Ad hanc igitur notam tantae inter eos dissensionis eluendam, nihil omnino prodest subscriptio tot millium vilium personarum. Quid enim mirum, si ex una factione sex tantum viri (tot enim fuerunt auctores libri Concordiae) inter se conveniant, et octo millia imperitorum, sibique subjectorum ad subscribendum cogant? Certe in Ecclesia catholica definitionis tridentini concilii omnes omnino qui catholici haberi volunt, sive docti, sive indoti, sive principes, sive privati, sive Itali, sive Galli, sive Hispani, sive Germani, sive Angli, sive Poloni, sive cujuscumque regionis sint, sententiam suam, judiciumque subjiciunt.

Quod postremo adjungunt de Patribus tridentini concilii, quod numquam viderint ea loca; quorum titulos praeferunt, inter splendida mendacia numerari potest. Exstat enim concilium, extant nomina et tituli singulorum episcoporum. Atque inter trecentos ferme episcopos, variarum nationum, nescio an tres, vel quatuor inveniri possint, quorum Ecclesiae in iis locis sitae sint, ubi episcopi tutum aditum habere non possunt.

In altera parte mei libelli reprehendi sex errores gravissimos contra symbolum apostolicum, quos in libro Concordiae Adversarii posuerunt. Ita vero ipsi in sua refutatione respondent, ut errores erroribus addant, et eam imperitiam rerum theologicarum praeseferant, ut indociles omnino videantur.

Exemplum esto in refutatione primi erroris. Primus error a me notatus in eorum libro fuerat, quod Christus non solum ut homo, sed etiam ut Deus Patri fuerit obediens. *Respondent se hanc sententiam libenter agnoscere, nec opus est*, inquit, *ut jesuitae ex libro Concordiae, et locis communibus Philippi istius doctrinae nos prolixe convincant, quandoquidem hanc non tantum constanter profiteamur, sed eam quoque summam nostram consolationem esse ducamus, quod obedientia, qua justi et beati reputamur, Christo non solum secundum humanitatem, verum etiam secundum deitatem adscribatur.* Haec illi. Nec solum admittunt Christum ut Deum, obedisse Patri, sed etiam admittunt b. Virginem Mariam non tantum esse Matrem Dei, quae est catholicorum omnium sententia, verum etiam esse Matrem Christi, ut Dei, quod est hactenus apud Christianos inauditum, cum, ut infra ostendam, reduplicatio, ut, non suppositum, sed formam reduplicet. *Quemadmodum*, inquiunt, *Maria Christi non solum ut hominis, sed etiam ut Dei Mater est, ita quoque Christus, non solum ut homo, sed etiam ut Deus, Patri obediens fuit.* Quid est autem, si proprie loqui velimus, beatam Mariam esse Matrem Christi, non solum ut hominis, sed etiam ut Dei, nisi Christum a beata Maria divinitatem, quemadmodum ab illa humanitatem habet? Quod si Christus a Matre humanitatem et divinitatem habet, certe antequam ex Virgine nasceretur, Deus non erat, immo neque aliquid erat, qui est error Ebionis et Photini.

Ex eodem ignorantiae fundamento paulo post adjungunt, non posse negari, quin Christus ut Deus, fuerit Patri obediens, nisi duae cum Nestorio affirmentur in Christo esse personae, una quae obediverit Patri, videlicet persona humana, altera quae Patri non obediverit, videlicet Filius Dei. Quasi vero non possit una et eadem persona divina *in forma servi* (ut Scripturae verbis utamur) obedire Patri, in forma Dei cum Patre jubere. Sic enim Apostolus ad Philipp. 2. de una et eadem Christi persona dicit, quod *in forma Dei non rapinam putaverit, esse se aequalem Deo Patri, in forma servi Patri obediens fuerit usque ad mortem, mortem autem Crucis;* et s. Athanasius in symbolo de eadem persona Christi dicit, *Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Neque aliud est, quod theologi catholici dicunt, Christus unus et idem, idest, una et eadem persona, ut Deus, aequalis est Patri, ut homo, minor est Patre: ut Deus fuit ante Matrem ut homo ex Matre principium habuit.

Sed ulterius progrediuntur Adversarii, et obedientiam Filio Dei tribuunt etiam antequam formam servi acciperet, idest, non solum secundum deitatem, sed etiam secundum solam deitatem, quod quemadmodum ab haeresi Ariana distingui possit, ipsi viderint. Adferunt enim illa verba Domini Joan. 3. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.* Sic enim ipsi citant, qui vulgatae atque antiquissimae editionis rationem nullam habent: ac statim adjungunt: *Si igitur suum unigenitum in mundum misit, ut genus humanum servaret, necesse est hunc Filium Dei obedientem fuisse Patri, dum in mundum venit, naturam humanam assumpsit, et in ea nos miseros peccatores redemit. Hinc de Filio Dei aeterno in symbolo nicaeno cantatur: Descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto etc.* Haec illi, ex quibus manifeste colligitur, eos sentire, Filium Dei etiam antequam esset homo, obedivisse Patri, ac per hoc secundum solam deitatem. Filius enim Dei cum venit in mundum, et naturam humanam assumpsit, non erat Deus et homo, sed Deus tantum, nisi quis ita desipiat, ut dicat, Deum et hominem descendisse de coelo, ut fieret homo. Itaque Deus Verbum, cum non esset homo, descendit de coelo, ut fieret homo, et ideo Verbum caro factum est, et ipsa incarnatio descensio fuit. Quod aliis verbis di-

cit Apostolus Philipp. 2. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Quod si Deus Verbum, cum nondum esset homo, obedivit Patri, ut descenderet et fieret homo, quis non videt, obedientiam, ac per hoc subjectionem tribui Deo Verbo secundum solam divinitatem? Neque enim secundum humanitatem,quam non habebat obedire poterat. At, inquiunt: Si Deus Filium suum misit in mundum, ut carnem assumeret,quomodo non obedivit Filius Patri, dum venit in mundum et carnem assumpsit? Hoc ipsum est argumentum Arianorum, qui ex missione colligebant subjectionem; sed respondebant majores nostri veteribus Arianis et nos respondemus novis Arianis, mittere non esse jubere, nec mitti semper esse parere. Nam dominus quidem servum jubendo mittit, amicus amicum hortando, inferior superiorem orando mittere potest. Ac certe negare non possunt Adversarii, Spiritum sanctum mitti a Patre et Filio: juxta illud Joan. 14. *Paracletus autem, quem mittet Pater in nomine meo*, et cap. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a patre:* et tamen Spiritum sanctum obedire Patri et Filio, vel Patrem et Filium imperare aliquid Spiritui sancto, ne adversarii quidem admittere ausi sunt. Itaque vera est communis theologorum sententia, missionem in divinis non jussionem, non imperium, sed processionem unius personae ab alia significare, cum novi effectus connotatione. Sed operae pretium erit cognoscere quid Adversarii ad nostra argumenta respondeant. Referunt primum haec nostra verba: Si Christus, ut Deus, Patri obedivit, certe ut Deus a Patre distinguitur. Alius igitur Deus est Pater,alius Deus est Filius: sed unus tantum est verus Deus,et constat Patrem esse verum Deum:non igitur Filius est verus Deus nec ὁμοούσιος Patri, ut in nicaeno symbolo confitemur. Respondent deinde his verbis: *Rudes asinos jesuitas istos esse opertet, quod distinguere nesciunt inter unitatem deitatis, et distinctionem inter personas in hac una deitate. Nam certe Filius a Patre distinctus est,tamquam persona divina,qua ipse Pater non est: et tamen non alius Deus quam Pater est. Atque ita Pater et Filius unus Deus sunt, licet distinctae personae,quarum una alteri obedit.* Haec illi. Qui qua modestia praediti sunt,eodem pollent acumine.Nos autem quia scimus unitatem deitatis cum sola personarum distinctione credi ab omnibus fidei catholicae professoribus, ideo tamquam exploratum errorem notavimus dogma Adversariorum,ex quo sequitur, deitatem Filii distingui a deitate Patris, et proinde Filium non esse verum Deum, neque Patri consubstantialem. Argumentum vero , quo id sequi demonstravimus, Adversarii non solverunt. Quod enim illi exponunt,Christus ut Deus obedivit Patri, idem esse, ac si diceretur, Christus ut persona divina obedivit Patri, ut alteri personae divinae, nullo modo defendi potest.Siquidem illa particula reduplicans, *ut*, non reduplicat suppositum, sed formam. Neque enim dubium est,omnes actiones esse suppositorum, sive personarum, et idcirco non ponuntur reduplicantes particulae ad notandam personam, sive suppositum; sed quia dubium esse potest,secundum quam formam suppositum agat, quando plures habet formas,ideo per reduplicantem particulam significatur ea forma,secundum quam suppositum agit. Itaque sicut qui dicit, Petrus ut musicus canit, ut medicus curat, ut homo ratiocinatur, significat illam personam, quae dicitur Petrus secundum scientiam musicam canere , secundum scientiam medicinae curare, secundum rationalitatem. ut sic loquamur, ratiocinari; ita qui dicit, Christus ut Deus obedit Patri,significat Christum, qui est persona divina, obedire Patri secundum deitatem.Et quoniam,qui obedit distinguitur ab eo cui obedit,sequitur ut Christus,qui obedit Patri secundum deitatem,distinguatur a Patre secundum deitatem.Quod si Filius distinguitur a Patre secundum deitatem, evidenter sequitur,ut duae sint deitates Patris et Filii, et alius Deus sit Pater, alius Deus sit Filius, quemadmodum ex eo, quod Filius distinguitur a Patre secundum personalitatem, recte colligunt omnes theologi duas esse personalitates Patris et Filii,et aliam personam esse Patrem aliam personam esse Filium. Hoc igitur est argumentum, quod solvere debuissent theologi illi wirtembergenses. Sed ut videtur, argumenti vim non perceperunt , cum tamen tam acuti videri velint, ut eorum comparatione caeteri omnes asini dici possint.

Nec multo felicius ab altero nostro argumento se expediunt. His enim verbis alterum argumentum nostrum proponunt.*Rursus qui obedit, minor est illo cui obedit, nam imperare superioris, obedire inferioris est.Ergo si Christus ut Deus Patri obedit, ut Deus, minor est Patre, et mentitur symbolum Athanasii cum ait: Aequalis Patri,secundum divinitatem,minor Patre,secundum humanitatem.* Respondent autem hoc modo: *Haec ratio locum habet in iis personis quae non sunt ejusdem dignitatis: ubi haec imperat, illa necessitate quadam paret etiam invita. Cum Christo autem, ejusque obedientia res se aliter habet. Pater enim Filio ut Deo non imperavit,ut coactus humanam naturam sumeret:Sed Filius Dei sponte et libere hoc fecit secundum aeternum decretum totius Trinitatis,quocirca etiam Filii Dei obedientia alia est, quam obedientia subditi erga suum magistratum.* Novam hic audimus theologiam, novam philosophiam, novam vocabulorum acceptionem.Hactenus enim obedientia virtus fuit, qua subditus superioris sui mandatum implet.Inter personas ejusdem prorsus dignitatis, atque adeo in omnibus aequales inauditum est esse veri nominis obedientiam,cum par in parem non habeat imperium vel potestatem. Certe b. Paulus ad Ephes. 6. scribit: *Filii obedite parentibus, et rursum, servi obedite dominis*, et ad Hebr. 13. *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis*:Et ratio horum omnium est, quia praepositus major est subdito , dominus major est servo, pater in humanis major est filio, quia senior,quia prudentior,quia caussa: et s. Augustinus serm. 6. de verbis Domini scribit, obedientiam superioribus esse praestandam, sed illo ordine, ut semper majores minoribus anteponantur, ita ut filii parentibus obediant, quia parentes majores sunt filiis, sed magis patriae, quam parentibus,quia patria parentibus major est;et ma-

gis, Deo, quam patriae, quia Deus major est, quam patria. Sic etiam obediendum docet curatori, sed magis proconsuli, quam curatori; magis imperatori, quam proconsuli; magis Deo, quam imperatori. Nec difficile esset multa hujusmodi testimonia proferre, non solum ex Scripturis sanctis, et veteribus Patribus, sed etiam ex philosophis, aliisque scriptoribus profanis, apud quos semper obedientiae, quasi e regione respondet imperium, et obedientia subdito, imperium principi tribuitur. Neque recte Adversarii obedientiam respondentem imperio non agnoscunt, nisi in iis, qui parent inviti: quasi vero non sit illa vera et laudabilis obedientia, qua subditus libenter principi suo patet. Quae cum ita sint, nisi Adversarii vocabulis abuti, et obedientiae novam definitionem assignare velint, omnino coguntur, aut admittere cum Arianis, Christum secundum divinitatem esse Patre minorem, si Christum secundum divinitatem Patri veram obedientiam exhibuisse contendunt: aut negare debent Christum secundum divinitatem Patri obedivisse, si cum catholicis aequalem Patri filium secundum divinitatem esse volunt.

Sed ineptissima praeter caeteras est responsio ad argumentum tertium. Sic enim argumentum nostrum tertium ipsi proponunt. *Ad haec, secundum illam naturam Christus obedivit, secundum quam mortuus est; nam ipsa mors obedientia fuit summa et absolutissima; At non est mortuus Christus secundum divinitatem, sed solum secundum carnem: ergo nec secundum divinitatem, sed solum secundum humanitatem obedivit Patri.* Respondent his verbis. *Voces κατὰ, secundum, caussam indicant propter quam Filio Dei adscribitur quod humanitatis proprium est: et vicissim cur deitatis propria homini tribuantur, quia enim non duo, sed unus dumtaxat Christus est, in quo duae diversae naturae arctissime, et intime unitae sunt: idcirco hae duae naturae, omne istius personae operationes, passiones et gloriam quoque inter se communicant etc.* Mirum est valde cur non animadvertant ex hac responsione sua non solvi, sed confirmari argumentum nostrum. Nam si vox κατὰ, idest, secundum, indicat caussam, cur tribuatur Filio Dei, quod proprium est humanitatis, et homini Christo, quod proprium est divinitatis, certe non licet dicere, Filius Dei secundum divinitatem mortuus est, sicut non licet dicere, Christus homo secundum humanitatem creavit mundum; sed hoc modo dicendum est: Filius Dei secundum humanitatem mortuus est, et Christus homo secundum divinitatem mundum creavit. Caussa enim cur Filio Dei mors tribuatur, non est divinitas, sed humanitas, et caussa cur mundi creatio tribuatur homini non est humanitas, sed divinitas, ut Adversarii in sequenti pagina confitentur, et res ipsa per se clamat. Quid igitur opus est, ut nos in eorum errore confutando laboremus, cum ipsi tam aperte secum pugnent, et sententiam suam sua responsione confutent? Quod vero paulo post addunt, nos cum Nestorianis negare, Christum Deum esse natum, passum, mortuum, mera calumnia est. Nos enim etsi negamus, Christum ut Deum sive secundum divinitatem, passum et mortuum esse: tamen Christum Deum passum et mortuum libentissime confitemur. Denique (ut hunc locum aliquando concludamus) id unum, ab Adversariis peto, ut quandoquidem ipsi in extremo libro Refutationis hujus provocant omnes jesuitas ad disputationem cum ea conditione, ut sola Scriptura divina sit judex, proferant unum locum ex toto veteri, aut novo Testamento, ubi habeatur, b. Mariam matrem esse Christi ut Dei, et Christum ut Deum, sive, quod est idem, secundum deitatem, obedivisse Patri, aut passum et mortuum esse. Hactenus enim non protulerunt, nisi illa, *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato*, 1. Joan. 1. et illud: *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, Joan. 3. et illud: *Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, et lex tua est in medio cordis mei.* Sed neque in his locis, neque usquam alibi invenient suas illas verborum novitates. Vel certe sicut nos illis ostendimus scriptum esse 2. Corinth. 13. *Christus crucifixus est ex infirmitate*, idest, ex ea parte qua erat infirmus et passibilis, nimirum ex humanitate, et ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*: et denique 1. Petri 4. *Christo igitur in carne passo*: ita nobis ipsi vicissim legant, alicubi scriptum esse: Qui crucifixus est ex virtute, idest ex ea parte, qua erat impassibilis, nimirum ex divinitate. Vel, qui factus est ei ex semine David secundum divinitatem; Vel, Christo igitur in deitate passo. Quod cum ostendere non possint, intelligant se, judice Scriptura, ad quam appellaverunt, omnino caussa cecidisse. Reliqua omnia quae ad errores pertinent, omittenda censui, quoniam superioribus similia sunt, et mihi propositum est, non refutationem respondere, sed id solum ostendere, refutationem indignam esse, cui respondeatur.

In postrema libelli mei parte notavi mendacia libri Concordiae, quae tam perspicua sunt, ut mirum sit, ausos fuisse Adversarios refutationem eorum aggredi. Sed quam apte responderint, uno exemplo, vel altero demonstrabimus.

In 21. articulo confessionis Augustanae habentur haec verba: *Haec fere summa est doctrinae apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia catholica, vel ab Ecclesia romana, quatenus ex scriptoribus nota est.*

In his verbis notavi mendacium contineri: quoniam in hoc ipso art. 21. docent non esse invocandos sanctos: et tamen non ignorant in Ecclesia catholica veteri, et in Ecclesia romana, ut nota est ex veterum scriptis, sanctos passim invocatos fuisse. Ac ut mendacium hoc tegi non posset, citavi in meo libello testimonia expressa pro invocatione sanctorum Eusebii, Basilii, Chrysostomi, Graecorum; et Ambrosii, Augustini, Ruffini, Latinorum. Addidi testimonia s. Leonis papae, ut inde fides Ecclesiae romanae veteris cognosceretur, et testimonium Prudentii ipso Leone antiquioris, qui testatur romanam Ecclesiam consuevisse sanctos invocare. Respondent in hac sua Refutatione, testimonia veterum Patrum, quae nos adduximus, pugnare cum divino mandato, *Invoca me*, et *Domi-*

num Deum tuum adorabis; et ideo veritati confessionis ipsorum nihil derogare. At nostra quaestio non est, an Patres vera scripserint,quamquam et hoc nullo negotio defendi potest, sed an scripserint, idest, an testentur, in Ecclesiam sui temporis, quam veram Ecclesiam, catholicam fuisse Adversarii confitentur, sanctos invocasse. Cum autem affirment Adversarii, Patres antiquos docuisse invocationem sanctorum, eosque accusent quod id fecerint contra mandatum Dei, quomodo non mentiuntur, vel mendacium non confirmant, cum dicunt et repetunt doctrinam suam , quae prohibet invocationem sanctorum, a doctrina Ecclesiae catholicae veteris non dissidere? Deinde ut probent in Ecclesia romana veteri non fuisse usum invocandi sanctos, adducunt unum testimonium Ambrosii ex commentario in c. 1. ad Romanos, ubi videtur Ambrosius damnare invocationem sanctorum, cum tamen constet Ambrosium esse doctorem Ecclesiae romanae. Sed multis modis respondere possumus. Nam primo auctor eorum commentariorum non damnat invocationem sanctorum,sed errorem quorundam gentilium, qui docebant Deum immediate adiri non posse. Sed necessario per quasdam inferiores virtutes coelestes adeundum esse. Secundo commentaria illa a viris doctis non tribuuntur Ambrosio. Tertio, Ambrosius in lib. de Viduis, quem nemo negat Ambrosii esse,apertissime docet invocationem sanctorum, atque adeo aperte, ut Adversarii hoc loco Ambrosium hoc nomine reprehendant, quod contra verbum Dei sanctos invocandos esse docuerit. Quarto Ambrosius nusquam dicit in romana Ecclesia non invocari sanctos, et contra Prudentius,qui aequalis Ambrosii fuit,disertis verbis in hymno de s. Laurentio romanam Ecclesiam invocare sanctos solitam esse testatur. Atque idem testatur s.Leo papa romanus.Quae omnia cum Adversarii sciant, et saltem in nostro libello legerint, qua fronte mendacium excusare possunt, quo affirmant doctrinam suam ab Ecclesia romana veteri non discrepare? Atque hoc de invocatione sanctorum exempli loco posuimus. Nam alioqui plurima sunt in confessione Augustana, quae manifeste discrepant a romana Ecclesia, quae ante mille annos et eo amplius florebat.

In eadem confessione Augustana in articulo de missa habentur haec verba: *Falso accusantur Ecclesiae nostrae, quod missam aboleant: retinetur enim missa apud nos, et summa reverentia celebratur.* In his verbis evidens mendacium contineri probavi in meo libello ex articulis Smalchaldicis,qui una cum confessione Augustana describuntur et approbantur in eodem libro Concordiae.Nam in articulis Smalchaldicis, missa, ut res commentitia et figmentum humanum, vel potius ut cauda draconis abroganda mandatur. Respondent in Refutatione, per missam, quae secundum confessionem Augustanam in ecclesiis Lutheranorum retinetur, intelligi distributionem sacramenti,non autem sacrificium pro vivis et mortuis: per missam , quae in articulis Smalchaldicis damnatur ut res commentitia, figmentum humanum, et cauda draconis intelligi missam papisticam,quae dicitur esse sacrificium pro vivis et defunctis. At hanc refutationem ego ante praevideram,et ideo in meo libello addideram, non accusari a nobis Lutheranos , quod abrogaverint distributionem sacramenti, sed quod sustulerint sacrificium, quod in Ecclesia catholica sub missae nomine celebratur. Itaque hoc dilemmate usus sum: Si per missam intelligitis coenam Domini, mendacium est quod accusemini, si vero intelligitis sacrificium,mendacium est quod falso accusemini. Ad hoc nostrum dilemma non potuerunt in refutatione aliud respondere,nisi missam a se abrogatam non esse,quia ipsa coenae Dominica nonnullis in locis apud Lutheranos adhuc missae nomen retinet,quamvis nullum in ea sacrificium offeratur.At non de nomine,sed de re quaestio est. Neque Lutherani a catholicis accusantur , quod missae nomen aboleverint, sed quod missam ipsam,qualem ante Lutheri tempora per multa saecula Germani sacerdotes celebraverant, jam non solum non celebrent, sed etiam ut idololatriam et sacrilegium execrentur. Quare eodem dilemmate uti possumus, si per missam intelligis vocabulum missae coenae Dominicae accommodatum, mendacium est quod accusemini: sin autem rem ipsam, quae missa dicebatur ante Lutheri tempora, idest, sacrificium corporis Domini pro vivis et defunctis oblatum, mendacium est, quod falso accusemini.

Addam et tertium exemplum. In eadem confessione Augustana, et ex ea in libro Concordiae habentur haec verba: *Augustini tempore monasteria erant libera collegia: postea corrupta disciplina ubique addita sunt vota,ut tamquam ex cogitato carcere disciplina restitueretur.* Hoc manifestum esse mendacium probavi ex ipso Augustino,qui sic loquitur in explicatione psalmi 75. *Nemo positus in monasterio frater, dicat, recedo de monasterio ; Neque enim soli qui sunt in monasterio perventuri sunt ad regnum coelorum, et illi, qui ibi non sunt,ad Deum non pertinent.Respondetur ei, sed illi non voverunt, tu vovisti.* Et in psalm. 99.*Dum non perseveraverit implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, et reus voti non reddit.* Respondent in Refutatione, falso accusari mendacii suam confessionem Augustanam, et reddunt rationem, quia s. Augustinus in eadem explicatione psalmi 99. significat, eodem loco habitas virgines sacras,quae in monasteriis degebant, et alias, quae in propriis aedibus versabantur. Secundo quia idem s. Augustinus in lib. de bono viduitatis cap. 10. et 11. dicit, se non probare illorum opinionem, qui dicunt lapsarum a sancto proposito foeminarum, si nupserint, adulteria non conjugia esse. Tertio:*Quia confessio Augustana, cum dicit, Augustini tempore monasteria fuisse libera collegia, et sine votis, non loquitur de votis in genere, sed de votis in papatu usitatis,quibus puellae et juvenes ante justam aetatem implicati et constricti in vinculis istis,et contra verbum Dei, et conscientiam manere coacti sunt.* At hoc quid aliud est, nisi fugere retia veritatis, et in laqueos falsitatis incurrere? Primum enim falsum est, quod eodem loco habitae fuerint virgines Deo sacrae, quae in monasteriis, et quae in domibus propriis versabantur. Nam quae in domibus propriis versabantur, solo voto castitatis obstrictae e-

rant, quae in monasterio degebant, voverant praeter castitatem etiam vitam communem, ut idem Augustinus in utroque loco a nobis allegato scribit. Deinde s. Augustinus dicit quidem in libro de bono viduitatis, videri sibi conjugia post votum castitatis non esse adulteria, sed vera conjugia, tamen addit in eodem loco esse sacrilegia, adulterio ipso pejora. Proinde non vult, liberum illis fuisse post votum nubere, nisi sacrilegia adulteriis pejora libera esse debeant. Adde quod Augustinus eo loco de voto castitatis simplici loqui videtur, non de voto castitatis solemni, quale est illarum, quae ut mundo omni ex parte mortuae, in monasteriis vitam communem sub obedientia profitentur. Denique falsum est, quod in Ecclesia catholica ante justam aetatem juvenes aut puellae servare cogantur vota temere emissa. Contrarium enim cavetur in antiquis conciliis, et in ipso jure canonico, et demum idem renovatum cernimus in concilio tridentino sess. 25. cap. 15. et 17. de Regularibus. Sed illud omnem impudentiam superat, quod verba confessionis Augustanae, generalia, perspicua, diserta, quibus asseritur tempore Augustini monasteria fuisse libera collegia, et postea ob corruptam disciplinam, addita fuisse vota, per novam glossam restringere velint ad vota emissa ante justam aetatem. Sed veniam damus pudori, voluerunt enim aliquo saltem imaginario pallio Patrum suorum verenda contegere. Quamvis si quis eos urgeret, ac peteret, an vota monastica emissa justa aetate necessario servanda sint, ex doctrina s. Augustini, et exemplo veteris Ecclesiae, in majores angustias credo, redigerentur: Nec scio, qua ratione Lutheri et Catharinae, Buceri, Petri martyris, totque aliorum suorum principum apostasiam defenderent. Sed his omissis, veniam ad id, quod in principio, in medio, in fine totius Refutationis, atque adeo in singulis fere paginis libri sui repetunt et inculcant ad nauseam usque. Quoniam enim ad tot mendacia illis objecta quid solidi responderent, non inveniebant, excogitaverunt callidum sane consilium, ut jesuitis invidiam eo nomine conflarent, quod ausi sint illustrissimos principes mendacii coarguere. Ita enim derivata mendaciorum infamia a se in principes, id futurum speraverunt, ut quod ipsi rationibus non possent, notam videlicet mendaciorum eluere, id principes auctoritate praestarent. Ego vero sancte affirmare possum, numquam mihi in mentem venisse, ut illustrissimos principes, quamvis a religione catholica alienos, mendacii reprehenderem. Illorum esse mendacia, quae retuli, semper existimavi, qui confessionem Augustanam, qui apologiam, qui librum Concordiae confecerunt, idest, Philippi, Smiddelini, et paucorum aliorum theologorum. Isti enim sunt, qui sciebant, vel certe scire poterant, et scivisse praesumuntur falsa esse, quae dicebant et scribebant, atque hoc est esse mendacem. Principes et populi, quorum munus non est libros evolvere, quique suis theologis crediderunt, seducti, circumventi, decepti dici possunt, mendaces dici non possunt. *At* (inquiunt, Adversarii pag. 62.) *idcirco jesuitae non solo foedo illo mendacii nomine contenti, adjuncto epitheto illustre mendacium vocarunt, hoc est, vanitatem et mendacium principum; probe namque noverunt, vocem hanc, illustre, in lingua latina, praecipue erga principum personas usurpari.* Responderem profecto illustrem hanc esse calumniam, nisi timerem, ne id etiam detorquerent ad principum injuriam. Ego igitur in Cicerone, aliisque bonis linguae latinae auctoribus frequentissime legi (illustre) pro dilucido et perspicuo, pro verbo vel facto principis numquam legi. Illustre perjurium est in oratione Ciceronis, de Aruspicum responsis. Quod si Adversarii nostri perjurium hominum illustrium, idest, principum, interpretentur, quis non rideat? Ita igitur jesuitae de mendaciis principum ne cogitantes quidem, illustria dixere mendacia Philippi Melanchthonis, aliorumque similium sectariorum, quomodo Tullius illustre perjurium, quod perspicua, manifesta, clarissima essent; nam ut idem ait Cicero in Partitionibus: Illustre aliquanto plus est, quam dilucidum. *At*, inquiunt, *verba illa praefationis Concordiae, in quibus mendacia notantur, principum verba sunt.* Verba quidem illa ita scripta sunt, ac si a principibus dicerentur, sed a theologis composita et conscripta sunt. Principes enim nomine suo praefationem illam edi voluerunt, quo liber Concordiae plus auctoritatis haberet. Sed quemadmodum decepti sunt, non autem mentiti, cum Concordiae subscripserunt, quia vera esse crediderunt, quae in ea continebantur: ita quoque cum praefationem a theologis confectam suo nomine typis mandari voluerunt, non ipsi mentiti esse dicendi sunt, quamvis in ea prefatione multa sint falsa, sed ii, qui scientes falsa esse, non veriti sunt ea conscribere. Quae cum ita sint, si principes Lutherani recte judicare voluerint non de jesuitis querentur, a quibus nulla injuria sunt affecti; sed theologis suis merito irascentur, atque ab his dignas poenas reposcent, qui ipsis ita imposuerunt, ut errores gravissimos, mendaciaque clarissima pro veritate eis obtruserint. Quod autem ad libellum meum attinet, is magnas agit Adversariis gratias, quod cum antea ab auctore suo neglectus, sola typographi benignitate lucem aspiceret, nunc tantorum virorum summo conatu, totisque viribus oppugnatus, et nihil tamen laesus, cujus rei judicium aequis lectoribus libere libenterque permittitur, ab auctore proprio, non solum pro suo agnitus, et ejusdem jussu editus, sed etiam inter alios ejus libellos optimo loco sit collocatus.

FINIS

INDEX RERUM

MEMORIA DIGNARUM

Quae in hoc appendicis opusculo operum d. Roberti Bellarmini societatis Jesu theologi passim occurrere possunt, serie alphabetica digestus.

A

Aaron a Moyse fuit in summum sacerdotem consecratus *Pag.* 31. 32.

Aaronicorum sacerdotum licet sacrilegorum et impiorum Christus Salvator et apostoli honorifice loquendo meminerunt, et quare 21.

Absolutio duplex, altera particularis, altera generalis, et utra earum requirat cognitionem caussae 122.

Absolutio non modo a peccatis, per sacramentum poenitentiae, sed a censuris quibuscumque, et etiam dispensatio in omnibus unde colligatur. *Vide* 116.

Actionum humanarum bonarum duplex valor, scilicet meriti et satisfactionis 112.

Adolphus comes Holsatiae propter Christum ex opulentissimo et potentissimo principe pauperrimus monachus factus est 43.

Adrianus papa, Carolum Magnum electionum pontificis caeterorumque episcoporum jure et patritiatus simul dignitate ornavit 84.

Adrianus IV. antea monachus ab Eugenio III. card. creatus, doctissimus et optimus in Norvegiam missus, eam provinciam Christo suis laboribus acquisivit 24.

Adrianum IV. novo et insolito mortis genere apud Anagniam extinctum fabulose refert Abbas urspergensis ex Joanne quodam Cremonensi obscuro auctore et schismatico quem ex affectu potius quam veritate talia scripsisse refert Joannes Nauclerus in chronico 54.

Aerius quid senserit pro missa in remedium defunctorum 30. 31.

Aeneas Sylvius postea Pius II. appellatus, pont. max. imperium in reges Francorum per suos praedecessores pontifices translatum affirmat 74.

Albertus imperator a Bonifacio VIII. vehementer contendit ut imperium sibi et haeredibus suis confirmaret, sed non impetravit, quia rom. pont. voluit imperatorem eligi, non nasci; unde cognosci potest quae fuerit ejus imperatoris sententia de potestate summi pontificis in evehendis hominibus ad imperium 59. 60.

Albertus Pighius apologiam Ludovici IV. egregie refutavit *Pag.* 103.

Alberti Krantzii Germani testimonio electorum jus septemvirum nominandi regem in imperatorem per pontif. promovendum a pontificibus romanis promanasse comprobatur 99.

Ejusdem testimonio Illyricus mala fide abusus notatur *ibid.*

Alciatus vir doctissimus et historiarum peritissimus etiam haereticorum adversariorum testimonio 96.

Alciati ejusdem nobilis jureconsulti error, quo scribit Carolum Magnum imperium sibi a pontifice populoque romano designari procurasse 68.

Alexandri III. pontif. responsum legatis Graecorum imperatoris unionem iterum fieri cupientibus orientalis simul et occidentalis imperii datum, auctoritate et prudentia plenum 62.

Alexandrinus patriarcha non multis ab hinc mensibus missis ex Aegypto literis moderno pontifici maximo Clementi VIII. inscriptis, caput eum Ecclesiae universae Christique vicarium confitetur 8.

Anabaptistae palam magistratum omnem de medio tollunt 41. 42.

Anima Christi habuit essentialem gloriam sine meritis in instanti conceptionis suae, et ideo de rigore justitiae meruit omnibus hominibus gratiam et gloriam 118.

Animae existentes in purgatorio non dicuntur liberari applicatione sacramenti contra Lutheranos, ita assserentes 144.

Anselmus Cantuariensis episcopus vir sanctimonia et literis clarissimus, Henricum IV. Neronis, Domitiani et Diocletiani successorem vocat 45.

Antichristus in suo nomine venit, qui nullum supra se Deum agnoscit 7.

Antichristum futurum genere Judaeum atque ex tribu Dan, cum s. Irenaeus dicit, Hierosolymisque regnaturum, et in templo quod Salomonis dicebatur fessurum, summa est Calvinianorum caeterorumque haereticorum impudentia ejusdem Antichristi notam romano pontifici impie adscribere 9.

Antipapas tres ob simultates cum legitimis pontificibus susceptas schismatice fovit potentia impe-

riali Fridericus I. imperator contra Alexandrum Adriani IV. successorem *Pag.* 54.
Apostolicae sedis auctoritate imperii gaudet praerogativa Germania 71.
Aquilam bicipitem quare romani imperatores pro gloriosis gerant insignibus 64.
Argumentum libelli inscripti falso ab haereticis, synodus parisiensis, ab auctore explicatur 104.
Argumentum secundum catholicorum desumptum ex Apostolo 2. Corinth.sex objectionibus impugnatur a Kemnitio, et quae illae sint 138.
Argumenta Lutheri contra indulgentias quomodo refellantur 88 *ad* 90 *et seq.*
Arianos, Macedonianos, Nestorianos et Pelagianos non solum catholici,sed etiam Lutherani et Calviniani pro haereticis habent 8.
Arnulphus Germaniae rex a papa Formoso Romam veniens summo favore exceptus et imperii corona donatus 92.
Arnulpho imperatore defuncto, magna inter Italos Longobardos, Germanos seu Francos orientales et Francos occidentales seu Gallos de possessione imperii fuit concertatio *ibid.*
Articuli multi Lovaniensium damnati a Pio V. et Greg. XIII. et praecipue ille, qui habet solius Christi satisfactionibus remitti poenam temporalem, sanctorum autem passionibus offerri Deo, ut ipse earum intuitu malis applicet merita Christi 119.
Auctorum nomina, qui de indulgentiis, et pie, et catholice scripserunt tum eorum,qui ipsis impie detraxerunt 111 *et seq.*
Aurum ex Ennii stercore colligebat olim Virgilius, at Illyricus ex historicorum auro stercus colligit 78.

B

Babylon ubi Roma dicitur a Tertulliano et Hieronymo immo ab ipso principe apostolorum Petro, et similiter ab apostolo Joanne de Roma ethnica non de Roma christiana intelligitur 9.
Bambergensis episcopus Friderici orator imperatoris ad summum pontif. principis sui nomine coronae imperialis insigne a pontifice petiit 54.
Baptismus renovat ita hominem, ut post illum nihil prorsus sit expiandum, neque culpae, neque poenae, aut aeternae, aut temporariae, et post illum si maneat in statu gratiae,nullo modo sunt necessariae indulgentiae 100.101.
Baptismus et monachatus quam similitudinem habeant invicem quo ad culpam, et poenam 192.
Barbari suos duces dominant reges 82. 83.
Belisarius et Narses Graeci imperatoris duces Gothos Italiae possessione exuerunt non Longobardi ut mentitur Illyricus 66. 67.
Belli jure imperium Germanorum non fuisse acquisitum 62.
Berengarius tyrannus ab Othone I. imperatore captus 91.
Berengarius Longobardus Italiae rex et imperator ab Othone I. jam imperatore praedecessor et imperator appellatus 92.
Boccacius jure a catholicis reprehensus quod primae fecerit fabulae fundamentum sacramenta confessionis atque extremae Unctionis *Pag.* 20.
Bohemiae rex ab electorum numero ab Hostiense cardinale Henrico excluditur, quod non sit teutonicus 93.
Revera non eligit imperatorem cum caeteris, sed solum quando sex electores inter se ita dividuntur, ut tres uni, et tres alteri suffragentur, tum ille jus habet ex duobus electis alterum nominandi *ibid.*
Bona opera non prohibentur praeter fidem in justificatione contra mandacium Lutheranorum 184.
Bona clericorum tam ecclesiastica quam saecularia libera sunt,ac merito esse debent attributis principum saecularium; et istius propositiones varias probationes. *Vide* 27.
Bona clericorum temporalia, bona dominica proprie dicuntur et quare 30. 31.
Bullae indulgentiarum sunt conficiendae, contra Kemnitium, quamvis hoc non probetur ex Scripturis in particulari,sed tantum in communi 155.

C

Calvinus refutatur cum dicat sanguinem Christi profanari indulgentiis 144.
Calvinus decipitur et est mendax cum dicit, catholicos negare sanguinem Christi non sufficere ad remissionem, reconciliationem et satisfactionem peccatorum, hoc enim falsum esse multis rationibus probatur 144.
Calvinus citans testimonia Scripturae, quibus nititur probare merita sanctorum si adjungantur sanguini Christi, sive ejus meritis ipsum Christi sanguinem profanari, quomodo sint intelligenda *ibid.*
Calviniani paulatim in atheismum prolabentes de religione jocum,et de controversiis fidei ludicras declamatiunculas faciunt 5. 6.
Calviniani opinantur potestatem remittendi,vel retinendi peccata esse referendam ad concionem, quod absurdum reprobatur 147. 148.
Caput Ecclesiae cum sit Christus quomodo item caput ejusdem summus pontifex dici possit nimirum ministeriale 21.
Carolus Magnus occidentis primus et Francorum imperator a Leone III. pont. max. nominatus et coronatus Irenes imperatricis orientis nuptias ambit illa nec ab eo conjugio abhorrente 55.
Carolus Magnus omnium consensione historicorum primus ex gente Francorum fuit romanorum imperator ex quo constat non haereditario eum jure imperium ut mentitur Illyricus habuisse 69.
Carolus Magnus Romam venit pontificis max. ulturus injurias non eum judicaturus ut mentitur Illyricus 86.
Carolus Magnus patritius romanus numquam Romanorum hostis,sed semper eorundem amicus fuit 63.
Longobardorum in Italia regnum armis adeptus est; Romam venit non ut hostis orbem expugnaret, sed ut patritius et orationis etiam gratia, et ut

caussam cognosceret quae inter pontificem et seditiosos quosdam cives fuerat exorta *Pag.*63.
Caroli Magni successionis series videatur 87 *et per totam.*
Carolum Magnum precibus populi romani Leo pontifex imperatorem dixit 74.
Carolus Calvus ab infestatione Ludovici junioris imperatoris non hortatu pontificis summi Adriani,sed mandato abstinuit 99.
Caroli Calvi testimonio et seria celerique ad pontificem ex Francia profectione ostenditur praeter coronationem et imperii jus ad reges per summum pont. transferri posse 59. 60.
Carolomannum qui relicto principatu Franciae monachatum elegit divino succensum amore fuisse scribit Abbas urspergensis 43.
Carolus V. imperator cum Francisco I. rege pacem fecit,et Leonoram sororem ei in matrimonium collocavit non communicata cum eo imperii dignitate 78.
Carolus Molinaeus Gallus haereticus et ob id pont. rom. inimicus auctoritate fidei in suis scriptis caret 99.
Cassiodorus chronographus insignis Theodorici Gothorum regis cancellarius 71.
Catholici praeter fidem in lapsis contritionem,confessionem et satisfactionem necessariam volunt Lutherani solam fidem 151.
Catholici theologi omnes volunt homines justificatos posse satisfacere Deo pro debito poenae temporalis de congruo, sed etiam de condigno contra secundum cap. Kemnitii falso imponentis ipsis poenam temporalem non posse exsolvi 153. 154.
Catholicis omnibus sacrosancta pontificum esse debet auctoritas 61.
Caussa justa indulgentias concedendi utrum debeat esse proportionata, ita, ut minima indulgentia minimam requirat caussam, maxima vero maximam, in hoc gravissimorum auctorum diversae sententiae et rationes 131.
Caussa justa indulgentiae, quare non requirat, ut opus injunctum sit omnino satisfactorium, ita ut compensent omne delictum *ibid.*
Caussam justam, ut plurimum in dandis indulgentiis duo requirere 132.
Caussae concedendi indulgentias antiquis temporibus, et novis,quaenam essent,et in quibus different, et convenirent 168.
Caussae indulgentiae datae particulari; et in communi invicem diversae, et quomodo 132.
Caussae indulgentiarum quot sint , et quae illae 167.
Caussae ecclesiasticae quaenam vocentur 25. 26.
Caelestinus V. rom. pont. a Dante reprehensus quod pontificatu sponte se abdicarit 13.
Ejusdem laudes ob vitae sanctitatem et miraculorum exhibitionem. Vide. *ibid. et* 24.
Ejusdem vitam fideliter et docte scripsit cardinalis Cameracensis Petrus ab Alliaco 13.
Caelibatus quomodo sit necessarius ad sacerdotium 168.
Caeremoniae Ecclesiae veteris antiquorum Patrum in Ecclesia nostra servantur contra mendacium Lutheranorum asserentium se illas servare; et quae illae sint *Pag.*168.
Caesar dictator in bello adversus Gallos interdum opera Germanorum se usum testatur 64.
Caesar Germanicus regnum habet ex electione suorum principum, a pontif. autem max. habet nomen imperatoris 51.
Caesares ante pontificiam coronationem reges,post eam vero imperatores et augustos a veteribus usitata phrasi appellari solitos 56.
Caesares olim dicebantur qui Augusti futuri erant 89. 90.
Caesarum Germanorum potentiam et gloriam ad Antichristi praestigias et tyrannidem Lutherus ejusque filii Chytraeus Bibliander et Illyricus referunt 45.
Caesarei juris fuisse per omnem vetustatem castigare pontifices summos, cum totius vetustatis exempla contrarium clament, affirmare, ut facit Illyricus, summae est impudentiae 91.
Christus Salvator et apostoli de sacerdotibus aaronicis,licet jam sacrilegis et impiis honorifice loquuti fuerunt et quare 21.
Christus Salvator quare ad tributi solutionem non fuerit obligatus 28.
Christus assumpsit sibi adjutorem Paulum ad salvandum dignatione, non necessitate, quomodo sit etiam per merita sanctorum admixta ipsis meritis Christi in indulgentiis 146.
Christus licet non judicarit res terrenas, id non fecit quia non potuit, sed quia noluit 82. 83.
Christus Pilato fuit subjectus de facto non de jure, et potestas desuper data quam in Pilato Christus agnovit non potestas judiciaria,sed permissio intelligenda est,ut sancti Patres docent 33.
Christus sua passione satisfecit pro omnibus peccatis non solum pro peccato originis contra Lutheranos volentes missam fuisse institutam, ut pro actualibus prodesset 190.
Christus quare voluit applicare integrum pretium suae redemptionis,tam quoad culpas,quam quoad poenas, tum aeternam, tum temporalem, sacramento Baptismi, non autem sacramento Poenitentiae 159. 160.
Christum suscepisse pro nobis omnem culpam,sed non tam poenam est mendacium falso a Kemnitio catholicis impositum 155.
Clavium missio ad principes viros summorum Ecclesiae romanae pontificum religiosum munus erat, non dignitatum vel papale insigne 85.
Clemens VI. annum, in quo summae indulgentiae conceduntur adeuntibus basilicas apostolorum , instituit appellandum annum Jubilaei, more veteri propter similitudinem 110.
Clemens VI. quibus rationibus fuerit adductus edere Extravagantem qua determinat,extare thesaurum spiritualem passionem Christi,et sanctorum 115.
Clemens VIII. laudandus 133.
Clerici sic dicti tamquam ad sortem Domini pertinentes 30. 31.
Clerici graviter puniuntur decretis conciliorum milevitani et matisconensis si ad terreni imperatoris caussam Ecclesiae deferant 25. 26.

Iidem quomodo ab obligatione legum civilium non eximantur scilicet obligatione non coactiva, sed solum directiva *Pag.* 25. 26.
Clerici etiamsi leges civiles non servent, non possunt a judice saeculari judicari 27.
Clericorum exemptio in rebus politicis tum quoad personas, tum quoad bona introducta est jure humano pariter et divino 28.
Clericos ob honorem Domini tributa non solvere divus asseruit Hieronymus *ibidem.*
Clericos tum majores tum minores jure subjectos esse debere saeculari potestati asserere haereticum est 25. 26.
Jure divino tantum esse liberos et eorum bona a potestate principum saecularium catholici aliquot tenent *ibid.*
Et nonnulli ex iis pariter catholicis partim divino jure, partim humano iisdem hanc immunitatem competere asseruerunt *ibid.*
Clodoveo Carolus Magnus trecentis fere annis posterior fuit 73.
Clodoveo consulatus et patritiatus insignia contulit Anastasius imperator non augustalem dignitatem ut mentitur Illyricus *ibid.*
Clodoveo coronam auream gemmatam sibi ab Anastasio imperatore donatam Romam s. Petro misit *ibid.*
Communio sanctorum qui est nonus articulus, quam communionem significet, et quod illa sit triplex contra Kemnitium 164.
Concessio indulgentiarum quo ad ea, quae pendent ex solo jure ecclesiastico est rata etiam sine justa caussa, quae vero pendet a Deo, vel in hac vita vel in alia non; et qua de caussa 131.
Concilium generale secluso papa non posse concedere plenarias indulgentias, quare 134.
Concilium nicaenum statuit quo cultu imagines sint adorandae, vivifica crux contra imposturam Michaëlis Balbi 105. 106.
Concilium generale secluso papa non habet auctoritatem papalem nec formaliter, nec eminenter, sed tantum episcopalem 130.
Concilia Ecclesiae catholicae, quare non mutent quotannis dogmata, ut Lutherani 152.
Concilia tum generalia, tum provincialia antiquissima probant dari indulgentias 117.
Conciliatio opinionum circa proportionem justae caussae ad dandas indulgentias et utra verior sententia 132.
Conditiones necessariae indulgentiae quae, et quot sint 133.
Confessio Augustana cohaeret cum Ariana haeresi circa unitatem essentiae divinae, et quomodo 182.
Confessio Augustana damnata a Carolo V. cum subscriptione quinque electorum; Ecclesiasticorum principum triginta, saecularium viginti trium, abbatum viginti duorum; comitum et baronum triginta duorum; civitatum liberarum et imperialium trigintanovem 180. 181.
Confessioni Augustanae unum solum principem electorem, sex principes, et civitates liberas solum duas adhaesisse et subscripsisse constat 40.
Eandem in Augustano conventu imperii ordinum ab ipso imperatore Carolo V. damnatam cum numerosa principum et civitatum subscriptione *Pag.* 40.
Confessio Lutheri in quot dissentiat a confessione Augustana contra ipsos Lutheranos: et quam sit secum pugnans in duobus articulis, altero de unitate Essentiae divinae, altero de Incarnatione 180. 181 *et seq.*
Confessio quando sit necessario facienda ante indulgentiae perceptionem, et quando non 134.
Conjugium quando prohibitum sacerdotibus contra Lutheranos dissentientes 187.
Conjugium omnino prohibitum sacerdotibus ex canonibus omnibus contra mendacium Lutheranorum 188. 189.
Constantinus magnus Constantinopolim quasi alteram Romam aedificavit 30. 31.
Constantinus qui primus fuit imperator aperte christianus, natura docente ecclesiasticos immunes a communibus reipub. oneribus declaravit *ibid.*
Quod et multi alii imperatores post eum fecerunt *ib.*
Idem episcopum Eusebium nicomediensem in exilium relegavit antea, tamen a concilio nicaeno depositum propter haeresim 27.
Ejusdem donatio Sylvestro pontifici facta, non solum urbem Romam atque Italiam universam, sed etiam omnes occidentalis imperii provincias complectebatur 51.
Ejusdem imperatoris heroicum non minus quam pium in defensionem nominis sacerdotalis factum ex Theodoreto. *Vide* 21.
Constantino magno excepto nullus imperator felicior, nullus Ecclesiae utilior Carolo Magno repertus fuit 81.
Constitutio pontificia quae septemviros principes electores esse voluit, odiosa 97.
Postea tamen vitandorum occasione schismatum omnium consensu recepta fuit *ibid.*
Consuetudine communi Christianorum praeterquam quod ex sacris literis et libris sanctorum patrum nominibus patris et pastoris sacerdotes ornantur 30. 31.
Consules tres uno anno fuisse inauditum est 73.
Contradictiones Illyrici haeresiarchae de imperii romani translatione quam plures. *Videto late* 38. *usque ad* 42.
Crucis imaginem cum colere liceat, multo magis imaginem crucifixi 107.
Crucem tantum esse adorandam, non autem reliquas imagines impie blaterant haeretici *ibid.*
Culpa peccati cur solvatur per sacramentum tantum, reatus vero poenae extra sacramentum 116.
Culpae hominum non possunt expiari passionibus sanctorum et qua ratione id fiat 118.
Culpae multae lethales, quarum unaquaeque sit offensio infinita, non requirunt ad sui expiationem multas infinitas satisfactiones, et hoc quare 119.
Cyrus persa, Alexander macedo et Julius Caesar romanus, jure belli per se occupando jura aliorum summa tenuere imperia 62.

D

Dantes Alighierius poëta haud vulgaris adulatorio poëmate praedixit imperio romano praesertim

per omnem Italiam aliquando potiturum Chanem Scaligerum Veronae principem summum suum benefactorem, sed vaticinio falso et inani *Pag.* 15. 16.
Quaestuarios indulgentiarum reprehendit non ipsas indulgentias *ibid.*
Testimonia ejusdem prolata in defensionem aliquot praecipuorum fidei catholicae capitum, ut de primatu pontificis romani, de igne purgatorio, de operum meritis bonorum, de libero hominis arbitrio, et de signo Crucis venerando, sanctorum invocatione, Deiparae intercessione, reliquiarum veneratione et imaginum *ibid. et* 17 *per totam.*
Idem donationem Constantini et lepram ejusdem Baptismo curatam affirmat, idque in commendationem sanctae sedis romanae 12.
Quamvis in hoc illi fidem habendam Satyricus scriptor neget 14.
Idem factione ghibellinus non domesticus sed hostis fuit romanorum pontificum *ibid.*
Et ob istius factionis affectum in pontificum clerique reprehensione non immerito suspectus haberi debet, cum odio potius inimicorum, quam veritatis amore ad scribendum animum appulisse videatur *ibid.*
Agnoscit pontif. romanum pro vero Eccles. pastore *ibid.*
Quos pontifices romanos et quot numero praecipue reprehendat adversantes ghibellinae factioni *ibid. et* 12. 13.
Dantem Alighierium quinque numero romanos pontifices reprehendisse, et quosnam illos, Satyricus scriptor anonymi libelli Gallus annotavit *ibid.*
Definitio propria indulgentiae, cum aliorum auctorum definitionibus 126.
Defuncti cum juvantur, per modum suffragii satisfactorii juvantur, quia indulgentiae non sunt nis satisfactoriae, et quomodo illa satisfactio detur 138.
Defuncti existentes in purgatorio quomodo excommunicentur et absolvantur ab ipsa excommunicatione 137.
Defunctis cur non prosint indulgentiae per modum absolutionis, sed per modum tantum suffragii, qui modus est oppositus primo, vide pulcherrimas rationes *ibid.*
Defunctis prodesse indulgentias non tantum per modum impetrationis quod est proprium, sed etiam per modum satisfactionis, et hoc quibus rationibus 135. 136.
Defunctis quare non concedantur indulgentiae, nisi per modum suffragii 120. 121.
Debitum mortis contractum per peccatum, erat ut non solum moreremur, sed, ut etiam in ipsa morte perpetuo maneremus 143.
Desiderium regem Longobardorum Papia obsessa Carolus Magnus captivum fecit 85. 88.
Deus aliorum mala utitur voluntate, quam tamen ipse non fecit ad aliorum peccata punienda, exemplo Nabuchodonosor et Salmanassar 65.
Deus distribuit unicuique secundum opera sua, de qua justitia intelligi debeat Matth. 25. 112.
Deus cur voluerit, ut unusquisque nostrum propriis meritis coronam gloriae sibi acquireret *Pag.* 144.
Deus cum per poenitentiam remittit omnem culpam et poenam sempiternam sine indulgentiis, cur non et temporalem sine illis, ut gratuita et plenaria sit remissio ipsius Dei 133.
Deiparam Virginem magno affectu implorat Petrarcha, damnatque simul amores et amatoria cantica quae juveni sibi exciderant 19.
Discipulus Christi qui esse non possit 81.
Dogma catholicorum est flagella Dei aliquando posse averti per voluntarias afflictiones contra Kemnitium impugnantem 161.
Dogmata catholica quomodo differant ab haereticorum dogmatibus 117.
Dogmata immo mendacia sex omnino pugnantia cum nostris, et quae illa sint 193.
Dona justitiae non acquiruntur per indulgentias, et hoc quare 145.
Dona justitiae non potest dare, nisi qui justificat impium 161.
Donatistae quomodo conveniant cum Lutheranis circa missae utilitatem, quam volunt esse non ex opere operato, ut catholici, sed ex opere operantis 191.

E

Ecclesia graeca in quo concilio damnet conjugia sacerdotum non esse facienda post susceptos ordines et quae poena illis esset constituta 187.
Ecclesia habet duos modos vivendi perfectos, et qui illi sint 184.
Ecclesiam veteri testimonio imbutam, tum apostolorum, tum eorum qui iis proxime successerunt didicisse probatur, se concessisse indulgentias propter martyres, quod videret ipsorum merita posse applicari poenitentibus pro remissione poenae temporalis 116.
Ecclesiarum immunitates violare praesumentes signis et prodigiis calamitate plenis a Deo puniti 30. 31.
Ecclesiastica potestas spiritualis cum sit et coelestis, politica vero humana et terrena, illa huic longe praeferenda est huicque urgente caussa imperare potest 81.
Eadem potestas politicam dirigit, eique imperat *ibid. et* 82. 83.
Ecclesiasticum regimen a politico distinctum esse Scripturae sanctae docent 25. 26.
Effectus indulgentiarum quis ille sit proprius, et cui tribuatur 156.
Electionis titulo imperarunt apud Romanos olim Claudius, Galba, Vespasianus, et plurimi alii romani imperatores 62.
Electus rex romanorum a pontifice maximo confirmatur, et plenitudinem imperii accipit, sicque tandem sit imperator 57.
Electores principes jus pontificium confirmandae eorum electionis agnoscere debent et agnoverunt 100. 101.
Electores principes septemviros instituit Greg. V. pontif. maxim. genere teutonicus 93. 94.

Electores septemviros ante Gregorii X. pontif., et Friderici II. imperatoris tempora designatos *Pag.* 93. 94.
Varietas sententiae auctorum triplicis generis *ibid.*
Prior sententia ut verior ab auctore defensa *ibid.*
Electorum imperii septemvirum officia *ibid.*
Eleemosynae in indulgentiis quare injungantur a summo pontifice contra Martinum Kemnitium 153. 154.
Emanuelis Comneni orientis imperatoris amplissimae pollicitationes et oblationes non contemnendae Alexandro III. pontif. factae ea potissimum caussa fuere, ut auctoritate ejusdem pontificis unio vicissim orientalis et occidentalis imperii in ipsius commodum fieri posset 61.
Episcopi non possunt excedere indulgentias unius anni, neque possunt concedere indulgentias, nisi de poenitentiis injunctis 126.
Episcoporum potestas elargiendi indulgentias est a summo pontifice, non autem a Deo, sacramentorum vero e contra, et cur 130.
Evangelium politicas leges non tollit, et ideo etiam sacerdotes et monachos eis debere parere inquit Chrysostomus 27.
Evangelium, nec indulgentiae possunt esse mendacia contra positionem Calvini 147. 148.
Eugenius III. pont. max. antea monachus, miraculis vivus et mortuus floruit 24.
Eugenio papae falso ascribi ostenditur ipsum scripsisse epistolam Michaeli Balbo contra adorationem imaginum ex multis incommodis 107.
Eutychetes haereticus negans realitatem verae carnis Christi, quibus verbis confutetur a s. Leone papa 145.
Excommunicatio a pontifice romano in quosdam Galliae principes lata a concilio trecensi solemniter comprobatur 9.

F

Fabulam Joannis VIII. refellit Onuphrius in additione ad Platinam 93. 94.
Fabulae sunt vere aliqua, quae in indulgentiis ab imperitis quibusque miscentur contra pontificum diplomata, aut graves auctores, et illae resecandae, et quae illae sint, non tamen indulgentiae damnandae 170. 171.
Feudum esse pontificium imperium germanicum numquam pontifices vel asseruerunt, vel negarunt 54.
Fictio in quo consistat, et quid fingi dicatur 46. 48.
Fides in homine est mere gratuitum Dei donum, non procedens ab humano arbitrio 185.
Fides virtus sacramentorum, et etiam satisfactionum refertur ad meritum Christi contra Lutheranos 188. 189.
Fideles, quare gratiam debeant quaerere per fidem, et sacramenta, quamvis tamen Christus gratiam et gloriam nobis suo sanguine acquisierit 124.
Fiduciam sanctorum fidelium esse Deo honorificam ne dum contumeliosam probatur ex evangelio, et cujus generis illa sit 152.
Finis solus quando sit caussa justa concedendi indulgentias sine mediis, idest sine opere injuncto *Pag.* 132.
Flori codex librariorum incuria corruptus 64.
Foemina romano imperio praesedit tempore Leonis III. pontificis, maxime quod acciderat antea numquam 81.
Fridericus primus in Italiam venit, et a pontifice max. Adriano IV. ad imperium provehi postulavit 51.
Fridericus primus in Armenia a flumine quodam absorptus misere periit non sine certa numinis vindicta ob simultates cum Christi vicariis exercitas 54.
Friderici II. imperatoris ex Nauclero, et Krantzio auctoribus Germanis scelera, impietas, perjurium, crudelitas et rabies in clerum odio romani pontificis, videatur 10. 11.
Fructus indulgentiae quare non impediatur tempore quo percipitur ipsa indulgentia per superveniens peccatum veniale 134.
Fructus indulgentiae quando impediatur per peccatum veniale, et quando non quo ad perfectionem operum injunctorum *ibid.*
Fundamentum indulgentiarum quare non ponatur in operibus supererogationis sanctorum, sed in satisfactionibus ipsis non necessariis 156.
Fundamentum tertium catholicorum pro indulgentiis, vel potius pro satisfactione desumptum ex duobus locis sacrae Scripturae, et qui illi sint cum bipartito ordine illorum adductum a Kemnitio ut impugnetur 160.
Fundamentum quartum catholicorum pro indulgentiis, desumptum ex d. Paulo ad Coloss. 1. impugnatur a Kemnitio duobus mendaciis, et quae sint, cum solutione 162.
Fundamentum quintum catholicorum pro indulgentiis desumptum ex d. Paulo Corinth. 2. quam falso impugnetur a Kemnitio 163.
Fundamentum sextum catholicorum pro indulgentiis desumptum ex nono articulo fidei quibus fundamentis impugnetur a Kemnitio 164.
Fundamenti tertii catholicorum pro indulgentiis impugnatio ex quatuor incommodis, et quae illa sint cum responsione 159 *ad* 161.
Furtum apud Germanos non fuisse vitium, sed virtutem aliquando, ex Caesaris commentariis de bello gallico constat 29.

G

Galliae rex christianissimus totius regni caput splendidissima legatione pontificem max. Clementem VIII. honoravit 7.
Eundem Christi loco in terris esse agnovit et obedientiam eidem suo nomine praestari jussit *ibid.*
Garrulitas inanis et verbosa dicaxque contentio, haereticorum propria est, qui cum rebus non possint, verborum certe profusione coram imperitis malam caussam suam utcumque sustentant *ibid.*
Gentiles hominum mortuorum simulacra et Hebraei

aureum vitulum ante Simonis magi tempora adorarunt *Pag.*105 106.
Germania imperatores non habuit a Ludovico Arnulphi filio usque ad Othonem primum, sed reges tantum 88.
Germania Dei agnitionem quo beneficio nullum est majus per sanctos episcopos Maternum, Chilianum et Bonifacium diversis temporibus a sede romana missos primum accepit 44.
Germaniae iterum imperium in Othone I. restitutum fuit auctore Philippo Bergomense 88.
Germani ut corpore candidi, sic etiam animo sinceri et veritatis amantes 103.
Germanorum opera se usum in bello adversum Gallos interdum testatur Caesar dictator 64.
Gradus naturalium praeceptorum tres numero ponuntur 29.
Gratia Dei quomodo intelligatur includi in literis pontificiis, sive in plumbo et membrana, contra argumentum Calvini 147, 148.
Gratiae status requiritur eo tempore quo percipitur indulgentia, et hoc quare, requiritur etiam cum perficiuntur opera injuncta, si opus injunctum sit ejusdem rationis ut non conferat ad finem nisi in statu gratiae;si vero opus injunctum confert ad finem,etiamsi non sit in statu gratiae, tunc non requiritur, et hoc quare 133. 134.
Gratianus decretalium diligens quidem compilator de rebus tamen gestis imperatorum et pontificum parum curavit 84.
Idem apud Lutheranos jam pridem publico igne exustus fuit *ibid.*
Graecorum imperatorum donatione imperium ad Germanos non pervenisse 75. 76.
Eorundem indignatio et vehemens commotio quam primum ad eos fama coronationis Caroli Magni pervenit evidens judicium est et argumentum imperium Carolo non fuisse Graecorum donatione tributum ut mentitur Illyricus *ibid.*
Gregorii V. pontificis et Othonis III. imperatoris tempore electores imperii principes septemviros institutos 95.
Gutta una sanguinis Christi Verbo uniti, sufficiens fuit toti mundo reconciliando 119.

H

Hadrianus papa II. in octava synodo Constantinopoli habita curavit omnes iterum approbare septimam synodum de cultu imaginum. *Vide* 108.
Hannibalis carthaginiensis contra Romanos quadruplex notabilis victoria,qua totos consulares exercitus fudit 64.
Duos modios aureorum annulorum Carthaginem misit nobilitatis romanae apud Cannas bello et strage memorabili caesae *ibid.*
Haereditario jure dicitur regnare qui naturali successione regnat, quo Salomon David, Tiberius Augusto,Carolo Magno Lodovicus atque alii successerunt 62.
Haeresis Lutheranorum circa justificationem in quo consistat, et cur ipsi negent epistolas Judae, et Jacobi esse autenticas 156.
Haeresis eutychiana circa humanitatem Christi *Pag.*156.
Haeresum caussae quae extiterint 144.
Haeretici Scripturis convincuntur apertissime cum dicant non esse petendum auxilium a sanctis;et quod auxilium praestent ipsi sancti 130.
Haeretici non solum illi sunt qui evangelium aut symbolum aperte rejiciunt, sed illi etiam qui in evangelii et symboli interpretatione judicium proprium Ecclesiae judicio praeferunt 8.
Haereticorum auctoritates et argumenta, desumpta tum ex August. tum ex aliis quibus probare contendunt imagines non esse adorandas,neque ipsam Christi imaginem, sed tantum Crucem, pulchris rationibus diluuntur 105 *ad* 107.
Henricus auceps Saxo non imperator sed rex tantum fuit, cum oblatam a pont. unctionem coronationemque sponte recusarit 87.
Solo regio nomine contentus fuit *ibid.*
Henrici Lucemburgii ad imperium pontifice maximo suadente per Germanos electores promotio cur facta 61.
Henricum quartum Caesarem ut invidiam romano pontifici conflaret Illyricus cum sequacibus suis Lutheranis praeclarissimum haeroëm appellat, impium alioquin et scelestum 45.
Ejusdem abdicationem ab imperio per pontificem maximum factam, a Germanis ipsis procuratam fuisse *ibid.*
Ejusdem vitam dissolute transactam et improbos mores historicorum testimonio Germanorum et ipsorum etiam adversariorum contestatione videbis *ibid.*
Eundem Otho Frisingensis episcopus non est veritus licet avum suum non verum rom. imperatorem appellare quod imperium a schismatico papa suscepisset 57.
Hildericus rex Francorum qui ultimus Merovingorum Francis imperabat,depositus et in monasterium missus est 48.
Hildericus regno Galliae a Zacharia pontifice maximo privatus, Pipino et filiis ejus pontificis ejusdem voluntate locum fecit, et quare 81.
Historia originis indulgentiarum secundum Kemnitium contra catholicos falsa probatur, et quae tempora haec historia contineat 167.
Homo justificatus per gratiam Dei tantum potest satisfacere ipsi pro poena temporali,et ideo necessaria fuit incarnatio Christi, et quare 151.
Sacerdos nullus episcopis inferior de jure communi potest concedere indulgentias, potest tamen ex commissione pontificis 130.
Sacerdotes non posse conjugio se obstringere ullo modo, quae caussae 187.
Sacerdotes, qui uxorem duxissent,quare ab Ecclesia non solerent puniri, nec soleant propter sacrilegium 190.
Sacramentum Baptismi virtute passionis Christi remittit omnem sive aeternam, quod ad culpam attinet,sive temporalem poenam, quod ad satisfactionem spectat 118.
Sacramenti extremae Unctionis usum pertinere ad solos episcopos expresse habemus tantum ex s. Innocentio, et quare 169.
Sacramenta nullam vim habere a passionibus sanctorum ostenditur, et qua ratione id fiat 118.
Sacramenta non justificare ex opere operato esse mendacium Lutheranorum 184.
Sacrificium proprie dictum quid significet 200.
Sacrilega Illyrici impietas quia congerie suorum mendaciorum Spiritum sanctum auctorem facit 103.
Sancti quomodo sint intercessores pro hominibus, et item Christus contra mendacium illustre Lutheranorum 185. 186.
Sancti, ut plus praestiterunt Deo pro satisfactione poenae temporalis,quam sibi esset opus, sic non fuerunt meriti apud Deum,plus quam sibi neces-

se erat, neque illorum merita in alios unquam redundarunt, contra Calvinum *Pag.*146.
Sanctorum satisfactiones fuerunt superabundantes, et multo plura sunt perpessi propter Deum et justitiam, quam exigeret reatus poenae temporalis, cui erant obnoxii: poenae vero sempiternae per culpam contractae non satisfecerunt, nisi merito passionis Christi 113. 114.
Sanctio Gregorii V. pont. max. teutonici de eligendo a septemviris principibus imperatore quadrimembris 96.
Satisfactio Christi quamvis pro culpis et poenis omnium in infinitum valeat, quare non repugnet nostrae satisfactioni, immo eam requirat 158.
Satisfactio dicitur quatenus continet laborem et poenam, meritum vero quatenus continet charitatem 112.
Satisfactio est compensatio poenae, vel solutio debiti, quae tam pro se, quam pro alio praestari potest, pertinetque ad commutativam 113. 114.
Satisfactio et indulgentiae, quare non prosint iis, nisi qui per veram contritionem et reconciliationem sunt justificati a Deo contra Tilmannum 151.
Satisfactio nostra quomodo dicatur concurrere cum satisfactione Christi in remissione peccatorum 150.
Satisfactio unius potest applicari alteri pro solutione reatus poenae temporalis per charitatem, et communionem sanctorum 146.
Satisfactiones, tum Christo, tum sanctis supervacaneas aliis applicari posse, probatur multis rationibus 115.
Satyricus scriptor anonymus majorem in Bocacii fabulis operam quam in legendis posuit et meditandis theologis 22. 23.
Sebastianus Francus historicus recens et a catholica religione alienus 77.
Securitas de statu gratiae, quomodo praesupponatur in nobis 151.
Schismatis nefarii sub Alexandro papa qui Adriano IV. successit fautor praecipuus fuit Fridericus primus imperator 54.
Scripturae utrum probent posse non satisfacere Deo operibus et an purgatorium existat, et an dentur opera supererogationis, et an claves sint traditae soli Petro, et an sacerdos debeat poenitentias imponere contra Kemnitii secundam disputationem 153. 154.
Sergium papam Lothario imperatori fidelitatem jurasse dum scribit Illyricus, id ad cumulum ipsius mendaciorum accedit 102.
Servi inutiles qui dicantur in Scripturis sacris 156.
Simon magus cum obtulit pecunias Petro, non petiit facultatem concedendi indulgentias, sed dandi Spiritum sanctum 157. 158.
Simonis magi vanitas et arrogantia qua imaginem suam et Helenae meretriculae suae jussit a suis discipulis adorari 105. 106.
Sixto V. et Pio item V. pontificibus maximis anonymus satyrarum et insulsus scriptor generis ignobilitatem et monastices cultum ridicule objicit 24.
Solvere et ligare quare latius pateant, quam remittere et retinere 157.
Spirae Nemetum sepulchra Chunradi et Henricorum Germaniae regum *Pag.*87. 88.
Status gratiae praesupponitur in suscipiente indulgentias, et hoc quibus rationibus, et perfectio operis injuncti 133.
Status perfectior qui sit, et quare non sit imperatus 184.
Statio quid proprie significet secundum Ecclesiae significationem 169.
Suffragia quomodo differant ab indulgentiis 138.
Suffragia dicuntur juvare defunctos tribus modis, et quibus *ibid.*
Summus poenitentiarius et cardinales de consuetudine possunt concedere centum dies indulgentiae 130.
Superstitio Florentinorum quae Dantis Alighierii tempore vigebat, qua opinabantur eos qui homicidium perpetrassent non posse in manus inimicorum devenire si super occisi tumulum panem vino maceratum comedissent 14.
Suscipiens indulgentias duo requirit, et quae illa sint 133.

T

Tacitus a senatu dictus quidem imperator fuit sed militibus jubentibus 75. 76.
Testamentum vetus licet per novum sit abrogatum, ejus tamen caeremonialia tantum sunt abrogata non autem moralia 31. 32.
Testamento imperium cum filiis Carolus magnus divisisset, rem totam a Leone voluit pontifice confirmari, ut non sine consensu ejus a quo illud acceperat imperium aliis tradere videretur 58.
Testes omni exceptione majores ex quibus faciat Dantem, Petrarcham et Boccaccium anonymae auctor Satyrae ut malae suae patrocinetur causae 11.
Testimonia veterum Patrum a Kemnitio adducta ad destruendas indulgentias quomodo sint intelligenda 165. 166.
Testimonia multa Scripturae sanctae male adducta a Calvino ad destruendas indulgentias, quomodo sint intelligenda 144.
Theodosius senior occidentis imperator et Justinianus orientis ante Caroli magni tempora primatum pontificis agnovere 80.
Theodoricus Gothorum et Italiae rex, Zenonis imperatoris filius adoptivus effectus 71.
Theodorici Gothi licet natione Barbari et religione Ariani praeter haeresim laudes 72.
Idem Theodoricus sub finem vitae moderatum regimen in apertam tyrannidem commutavit *ibid.*
Ejusdem Theodorici Gothi Italiae regis successores Justinianus imperator Italiae possessione privavit 71.
Thomas Aquinas Lutheranorum judicio supra modum papista fuit 41. 42.
Thesaurus spiritualis quis sit 115.
Thesaurus meritorum Christi, et sanctorum quamvis sint vera caussa concedendi indulgentias, requiritur tamen etiam alia quae moveat potius uno quam alio tempore 133.

Tilmannus Heshusius oppugnat indulgentias ob quatuor capita, et quae illa sint *Pag.* 150.
Idem, quae loca Scripturae adducat contra indulgentias, non esse contra nos probatur *ibid.*
Tituli numero sex sunt quibus homines regna atque imperia possidere solent et quinam illi 62.
Translatio reipublicae Hebraeorum a judicum potestate ad regiam gubernationem prophetica unctione non vi gladii facta est 65.
Translatio item ejusdem regni post Babylonicam captivitatem a domo Juda ad domum Levi, hoc est, a ducibus ad sacerdotes, non bello sed populi consensu facta est *ibid.*
Translatio item regni Francorum a Merovingis ut historici loquuntur ad Carolingos pontificis romani auctoritate et procerum consensu sine armis facta est *ibid.*
Tributum solvit Christus Salvator noster non quia debuit,sed quia voluit 27.
Et tributum quod Caesari solvebatur tempore Christi non erat didrachma, sed denarius 28.
Et tributum didrachmi post eversum a Vespasiano imperatore templum, quod Judaei omnes templo singulis annis solvebant ut deinceps in Capitolium deferretur institutum fuit *ibid.*
Turcarum rex Graecis provincias universas Latinis magnam Pannoniae partem per injuriam manu armata eripuit 66. 67.
Turcarum principem decies prudentiorem et probiorem esse principibus Christianis seditiose scripsit Lutherus 41. 42.

V

Valeriani imperatoris miseranda clades et infelix ad extremam usque senectutem servitus Sapori Persarum regi praestita 65.
Vanitas libri Concordiae haereticorum ex subscriptione notatur 175.
Varius sensus particulae illius (per modum suffragii) et quis sit illius verus sensus *Pag.*138.
Velamine sacro ab imperatore insigniri quid,et quis ejus caeremoniae effectus 72.
Venerem deam et prolem ejus Cupidinem Lutherani et Calvinistae pro summis numinibus venerantur 12.
Veteres fuisse parcissimos in concedendis indulgentiis 133.
Viatores qui sint subjecti summo pontifici visibiles solum an invisibiles etiam, ut scilicet existentes in purgatorio 137.
Vicarius Christi summus pontifex in quo differat a Christo in remittendis culpis et poenis aeternis 157.
Et in quo differat ab ipso in indulgentiis dandis *ibid. et* 158.
Victoriae triumphi Caroli magni.Translationem imperii in eum factam divino consilio contigisse testatae sunt 81.
Universalis episcopi nomen quomodo pontifici romano et quomodo non conveniat 9.
Usus indulgentiarum quando incoeperit contra Kemnitium 158.
Utilitatem praecipuam indulgentiae esse remissionem poenae temporariae, et eam indulgentiam afficere omnes homines nedum scelestissimos, contra Lutherum 129.

Z

Zacharias papa Pipino regnum Francorum dedit, idque ei totum praestitit deposito et in monachum consecrato Carolomanno fratre ejus et Hilderico rege priore, etiam Illyrici testimonio 39.
Zonaras et Cedrenus res gestas Graecorum principum literis mandarunt 104.
Zwinglianorum haeresis quae sit circa sacramentum Eucharistiae, et circa corporis Christi omnipraesentiam 178.

FINIS

RECOGNITIO

LIBRORUM OMNIUM

ROBERTI BELLARMINI

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE

CARDINALIS AMPLISSIMI

AB IPSO REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO
AUCTORE EDITA

RECOGNITIO

LIBRORUM OMNIUM

ROBERTI BELLARMINI

S. R. E. CARDINALIS

AB IPSO AUCTORE EDITA

Praefatio ad lectorem

Scripsi, Deo teste, quod verum esse existimavi, non gratiam hominum, vel propriam utilitatem, sed honorem Dei et Ecclesiae commodum respiciens. Neque in scriptis meis aliquid a divinis literis, aut sanctorum Patrum regulis alienum sciens posui. Quia tamen scriptum est, *in multiloquio non deerit peccatum*, quod etiam de multa scriptione dici posse non dubito: Ego ipse jam senex et morti proximus. S. Augustinum imitatus libros meos recognoscere et dijudicare volui. Quod opus Deo adjuvante aggressus, nunc demum eodem adjuvante perfeci, et aliqua obscure dicta explicavi, quaedam etiam nimis breviter indicata, non paucis additis locupletavi, paucis denique, quae minus placebant correctis, extremam manum omnibus libris a me conscriptis imposui. Precor autem typographos omnes, si qui forte libros meos iterum excudere velint, ut textum librorum non mutent, sed hanc recognitionem, vel ad initium, vel ad finem operis addere non graventur.

RECOGNITIO LIBRORUM

De Verbo Dei

Principium operum meorum sunt libri de Verbo Dei, in quibus ea quae sequuntur annotanda esse censui.

Lib. 1. cap. 3. in ipso titulo ponitur d. Pauli pro b. Pauli. Ego enim numquam probavi vocem, divus, vel diva, cum de sanctis agitur, tum quod eam vocem apud veteres latinos Patres non inveniam, tum quod apud ethnicos divi nomen, diis tantum tribui soleat. Itaque ubicumque in libris meis lector inveniet, divum, sciat vel mihi imprudenter excidisse, vel quod saepius accidit, me scripsisse beatum. Sed typographi ubi legerunt b. quod beatum significat, illud in d. mutarunt, et sic ex beato divum effecerunt.

Lib. 2. cap. 12. in ultimis verbis respondetur ad contradictionem, quae videtur esse inter Michaeam prophetam, et Matthaeum evangelistam, quod verba Michaeae: *Et tu Bethlehem parvula es*, debeant legi cum interrogatione, et hoc modo non sint contraria verbis Matthaei: *Et tu Bethlehem non minima es*. Sed haec responsio, ut brevis et expedita est, si probari possit: ita non est solida et firma, si probari non possit. Et quidem non satis video, unde probari possit. Nam neque in codice hebraico, neque in chaldaeo, neque in interpretatione LXX. interpretum, neque in versione s. Hieronymi ullum invenitur signum interrogationis apud Michaeam. Quod autem alii dicunt a s. Matthaeo fideliter relata fuisse verba sacerdotum et scribarum; sed ab illis non fideliter fuisse relata verba Michaeae, incredibile mihi esse videtur. Nam neque verisimile est, sacerdotes et scribas, quos Herodes convocaverat, non intellexisse verba satis aperta Michaeae; Neque ulla caussa est, cur voluerint prophetae verba studiose corrumpere. Existimo igitur s. evangelistam non verba Michaeae referre, sed sententiam adducere, atque exponere voluisse. Quamvis autem Michaeas dixerit, Bethlehem parvulam fuisse in millibus Juda, idest, tam exiguam quoad numerum domorum, ut vix digna esset, quae in millibus oppidorum tribus Juda numeraretur: tamen ipse idem satis indicavit, eandem Bethlehem privilegio nativitatis Christi fuisse maximam, et dignam numerari inter principales urbes Juda, cum addidit: *Ex te mihi egredietur qui regat populum meum Israel.* Ad hoc igitur privilegium respexit sanctus Matthaeus, et non ad numerum domorum, vel frequentiam incolarum, et ideo ait: *Non minima es in principibus Juda:* et adjungit particulam, *enim*, dicens: *Ex te enim mihi exiet dux, qui regat populum meum Israel*, ut reddat rationem cur dixerit non esse minimam. Itaque non negavit Matthaeus, quod Michaeas expresse posuerat, sed expressit quod ille obscure significaverat. Nulla igitur discordia est inter prophetam et evangelistam, cum ille minimam dixerit Bethlehem propter exiguum numerum domorum, iste non minimam dixerit propter maximam gloriam nativitatis Christi.

Libro 2. cap. 16. prope finem objicitur exemplum quorundam populorum, qui linguis suis vulgaribus sacra celebrant; et respondetur eorum exemplum non esse magnifaciendum cum sint haeretici vel schismatici. Non omnino approbo hanc solutionem. Nam sunt etiam inter Ruthenos et Armenos catholici, ut etiam inter Syros sunt Maronitae catholici, qui tamen divina officia non celebrant graece, vel hebraice, vel latine. Dicendum igitur est, in iis regionibus desiisse plane usum harum trium linguarum, ut nulli, aut pene nulli sint, qui eas intelligant. Proinde necessitas ipsa cogit, ut divina officia aliqua alia lingua apud eos celebrentur, qualem necessitatem Germani et Galli non patiuntur. Addendum est praeterea apud eas nationes non esse omnino vulgarem linguam, qua divina officia celebrantur; sed esse linguam aliam, quae non magis intelligitur a plebe ipsarum nationum, quam intelligatur ab italica plebe lingua latina. Certe quidem Maronitae vulgo loquuntur arabice, juxta morem totius orientis, et tamen in sacris utuntur lingua chaldaica. Quod idem de aliis nationibus dici potest. Nam ipsa lingua arabica, et etiam graeca et syriaca, alia est popularis, alia erudita: et quemadmodum Graeci vulgo utuntur lingua graeca populari, in sacris vero lingua graeca erudita, qua libri sacri scripti sunt: sic etiam ipsi utuntur in sacris lingua arabica, vel syriaca, non vulgari, sed erudita utuntur.

Libro 3. cap. 3. § *De ipso autem sensu literali.* Ubi dicitur in illo Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes*, illud, *omnes*, est ambiguum: nescitur enim an omnes homines absolute significet, an omnes fideles tantum, an omnes apostolos. Ista verba non sic accipienda sunt, quasi dicere voluerim absolute, dubium esse sensum hujus loci evangelici, sed esse dubium, si sola ista verba evangelii inspiciantur, alioqui enim jam supra diximus sensum esse clarissimum ex verbis Marci cap. 14. qui addidit: *Et biberunt ex eo omnes*, apostoli videlicet. Proinde perperam colligunt haeretici ex illis verbis, *Bibite ex hoc omnes*, teneri omnes fideles ad communicandum Eucharistiam sub utraque specie.

Eodem lib. cap. 5. § *Octavum testimonium.* Ubi dicitur: *Porro Ecclesia non aliter loquitur, quam per os pastorum ac doctorum, ac praecipue in generali concilio congregatorum.* Haec intelligo de concilio, quod vel summum pontificem habuerit praesentem et praesidentem, vel ab eo confirmationem atque approbationem meruerit obtinere.

Eodem lib. cap. 8. § *Gregorius nazianzenus*, citatur oratio Gregorii nazianzeni ad cives timore perculsos, et imperatorem irascentem. Sed animadverti ex eadem oratione diligentius perlecta, non ad imperatorem, sed ad praesidem esse habitam. Fefellerat me nomen principis a Billio interprete in inscriptione positum. Siquidem principis nomine imperator eo tempore intelligi solebat. Quamvis autem erratum sit in nomine, non est erratum in re. Nam ex sententia s. Gregorii aperte colligitur principes terrenos, sive minores, sive majores, sive etiam summos, quia oviculae Christi sunt, subjectos esse pastoribus a Christo ovili suo praepositis, atque ab iis doctrinae pabula percipere, non iis tradere debere.

Lib. 4. cap. 3. § *Octavum est*, quod dixi, sanctum Sylvestrum auctorem fuisse consecrationis altarium: debet intelligi de altari lapideo, et plenam atque solemni consecratione. Nam ante Sylvestri tempora, s. Dionysius areopagita lib. de ecclesiastica hierarchia cap. 5. part. 1. scripsit altaria oleo inungi debere, cum ab episcopo consecrantur.

Eodem lib. 4. cap. 4. § *Quod autem Scripturae.* Ubi sic legitur: *Non potest dici, quod singuli libri sint sufficientes; nam tunc falsum esset quod dicit Kemnitius*, id tantum significare volui, non posse Kemnitium dicere, singulos libros sufficientes esse, quia tunc falsum esset quod ipse alibi dicit, sibique ipse nimis aperte contradiceret.

Eodem capite, § *Praeterea Esdras.* Non probo, quod dixi, certum esse, periisse epistolam Pauli ad Laodicenses. Nam probabile quidem est Apostolum in epist. ad Coloss. extrema, loqui de epistola sua scripta ad Laodicenses, ut Anselmus et aliqui alii in commentario ejus loci docent, tamen non est omnino certum, quia s. Chrysostomus in commentario ejus loci scribi, aliquos existimasse Apostolum loqui de epistola scripta a Laodicensibus ad ipsum, non de epistola scripta ad Laodicenses ab ipso, et ponderat verba graeca, ubi legitur: *Et eam, quae est ex Laodicea*, non autem, *et ea quae est ad Laodicenses.* Verba latina sunt ambigua; quod enim nos legimus: *et ea quae Laodicensium est*, potest significare epistolam scriptam ad Laodicenses, et epistolam scriptam a Laodicensibus. Certius est epistolam unam scriptam ad Corinthios periisse, ut Anselmus, Cajetanus, et alii colligunt ex illis verbis 1. Corinth. 5. *Scripsi vobis in epistola etc.*

RECOGNITIO LIBRORUM

De Christo

Lib. 1. cap. 3. in fine, consulendus est s. Anselmus in lib. de Incarnatione, qui ex professo disputat adversus quendam, qui docuerat, Patrem, et Filium et Spiritum sanctum esse tres res separatas, ut tres angelos, vel tres animas.

Lib. 2. cap. 5. § ult. Mirantur nonnulli cur Calvinum defenderim adversus ea, quae illi Genebrardus objecerat. Ego vere non Calvinum defendere volui, qui se indignum reddidit, qui a catholicis defenderetur, et quem in omnibus meis scriptis in primis oppugno. Sed lectores admonui, in ea controversia, quae est inter duos haereticos, Valentinum Gentilem, et Joannem Calvinum, non esse ita Calvinum accusandum, ut Gentilis excusari videatur, cum in ea re Gentilis, isque solus erraverit, quod Genebrardus vir catholicus et pius non advertit, cum libros Gentilis in fonte fortasse non legerit.

Eodem lib. cap. 8. § *Caeterum catechismi*, quod scripsi haberi in symbolo apostolico Christum esse unicum Dominum nostrum: verum quidem est, sed etiam est verum, Christum esse unicum Filium Dei. Recte enim annotavit Ruffinus in expositione symboli, vocem, *Unicum*, quae legitur in secundo ar-

ticulo symboli: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum*,posse referri, tum ad Filium,tum ad Dominum.Vere siquidem Jesus Christus est Filius unicus Dei, naturalis videlicet, cum caeteri sint adoptivi: et vere est unicus Dominus noster, principalis et summus, cum caeteri sint Domini minus principales,fateor tamen communiorem lectionem apud ecclesiasticos eam esse, quae vocem, *Unicum*,refert ad Filium; quam lectionem Ego quoque sequutus sum,tum in catechismo,tum in symboli explicatione italica.

Libro 3. capite 2. § ultimo,modum loquendi,quo dixi, naturam divinam et humanam in Verbo subsistere,inveni in auctoribus non malis: tamen quia subsistere ad personam non ad naturam proprie pertinet; rectius cum s. Leone dixissem, naturam divinam et humanam in unam Verbi convenisse personam,vel cum s. Thoma 3.part. quaest. 2. art. 4. Verbi personam in natura divina et humana subsistere. Sic etiam non probo modum loquendi,quo dixi, naturam divinam non esse natam, neque passam, sed solum humanam: nasci enim, et pati, et similia, quae actionem, vel passionem significant, suppositorum sunt, non naturarum. Itaque magis proprie dixissem naturam divinam non esse natam, neque passam, sed Deum in natura humana natum ex Virgine, et passum in cruce, quo modo sanctus Petrus loquitur, cum ait, Christo igitur in carne passo, etc. 1. Petri 4.

Libro 4. cap. 16. § *At probabile*. Re melius considerata sequendam esse existimo sententiam s.Thomae,quae est et aliorum scholasticorum in 3.sent. dist. 22.praesertim cum testimonium ecclesiastici, et sanctorum Patrum, qui videntur affirmare,Christum descendisse ad loca omnia inferni, verificari possint, etiamsi dicamus Christi animam non descendisse ultra limbum sanctorum Patrum;nam ex eo loco potuit apparere omnibus spiritibus, qui in variis inferni locis degebant, et alios terrere, alios consolari, prout expedire ipsi videbatur. Si enim dives ille Epulo ex loco damnatorum videre potuit Lazarum in sinu Abrahae, idest, in limbo Patrum commorantem,et cum ipso Abraham sermones miscere: quanto facilius potuit Christus ex eodem Abrahae sinu inspicere omnes partes inferni, et ab omnibus spiritibus, sive purgatorii, sive gehennae conspici? Sic igitur penetravit omnes inferiores partes, usque ad sedem magnae illius mentis,quae dicitur diabolus, non substantiam animae suae in omnibus partibus constituendo, sed ex limbo praesentem se, et conspicuum omnibus partibus exhibendo.

RECOGNITIO LIBRORUM

De Summo Pontifice

Lib. 1. cap.6.Dum haec scripta recognoscerem, anno videlicet 1606. forte accidit, ut quidam scriptor librum italicum ederet, in quo, praeter alia, probare conatus est, episcopos s. Cypriani tempore a plebe judicari consuevisse, cujus contrarium in hoc sexto capitulo nos docuimus.Adduxit autem locum s. Cypriani ex lib. 1. epist. 4. ubi haec habentur: *Quando ipsa plebs maxime habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.* Sed fallitur, nam in hoc loco non agitur de potestate judicandi episcopos electos,sed de potestate admittendi,vel recusandi,cum eliguntur, quando nondum episcopi sunt. Neque vult s. Cyprianus ad plebem spectare proprie electionem episcoporum, sed tantum consentire in electionem praebendo testimonium de bona vita, et sanctis moribus eligendorum; vel dissentire praebendo testimonium de mala vita, et perditis moribus eorundem. Haec enim sunt verba ejus post verba superius recitata: *Quod*, inquit, *videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.* Et infra: *Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, idest, instruit et ostendit ordinationes sacerdotum tales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, et sit ordinatio justa et legitima, quae omnium suffragio et judicio fuerit examinata.*

Eodem libro cap. 8. § 2. Video me nimis obscure esse loquutum, cum dixi: *Si enim Ecclesia regitur ab optimatibus, ut habet secundus error : certe presbyteri non sunt optimates:vel si presbyteri sunt optimates,Ecclesia non regitur ab optimatibus, etc.* Sic igitur explico quod eo loco scripsi. Calvinus duo docet, Ecclesiam regi a coetu seniorum, quos optimates appellat; et episcopos et presbyteros jure divino pares esse: harum duarum sententiarum alteram refello ex altera.Sic enim disputo. Si Ecclesia regitur a coetu seniorum, idest, ab optimatibus; vel in coetu seniorum includuntur soli episcopi, qui sunt veri Ecclesiae optimates, vel includuntur etiam presbyteri: si includuntur soli episcopi, sequitur presbyteros non esse pares episcopis, neque esse optimates: et tunc refellitur ille Calvini error, quo episcopos et presbyteros divino jure pares faciebat. Si includuntur etiam presbyteros divino jure pares faciebat. Si includuntur etiam presbyteri, sequitur, Ecclesiam non regi a coetu seniorum, sive ab optimatibus,qui erat alter error ejusdem Calvini. Constat enim in conciliis generalibus, in quibus de administratione totius Ecclesiae agitur, et ubi leges, quibus Ecclesia regitur, feruntur vel abrogantur, numquam interfuisse presbyteros, cum auctoritate definiendi,nisi essent legati, et locum tenerent absentium aliquorum episcoporum,id quod non opus est aliter probare quam ex actis conciliorum,quae adhuc extant.

Lib. 2. cap. 4. § *In concilio* 5. *act.* 1.Quod hoc loco vocamus concilium quintum, sequuti veteres tomos conciliorum,id non est vere concilium quintum generale, sed est concilium quoddam particulare,quod ipsam quintam synodum generalem praecessit, de qua re vide quod scripsimus lib. 1. de conciliis cap. 5. ubi diligentius conciliorum historiam consideravimus.

Eodem lib. cap. 6. ubi explicatur quomodo sit intelligendum,quod scribit s.Ignatius Christum baptizatum fuisse cum explesset tres annorum decа-

des, cum tamen communis sententia sit Christum baptizatum anno trigesimo inchoato, non expleto : posset facilius responderi, si diceretur, tres annorum decades rectissime dici posse expletas, quando perventum est ad annum trigesimum, etiamsi annus ille non sit finitus. Complementum enim trium decadum, hoc solum requirit,ut possit in numero poni annus trigesimus, sive completus, sive inchoatus. Quomodo loquitur s. Lucas cum dicit cap. 2.evangelii:*Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Significat enim perventum esse numerando ad octavum diem,non autem expletum fuisse diem octavum.Sic etiam loquitur idem Lucas Actor. 2. dum ait: *Cum complerentur dies pentecostes*; non enim significat completum fuisse diem quinquagesimum, sed inchoatum. Illo enim inchoato complebatur numerus quinquagenarius, quia dici poterat, hodie est dies quinquagesimus. Sic igitur completae sunt tres annorum decades,quando dici potest, jam agitur annus trigesimus.

Eodem lib. cap. 13. § 1. Ubi dicitur, *ex quibus novem ita generalia fuerunt, ut in eis Graeci et Latini interfuerint*, vox illa,*novem*, omitti potuisset, nam in concilio 2. generali, nulli fuerunt Latini; et synodus constantinopolitana, quae in caussa Anthimi celebrata est, non fuit proprie generalis.

Eodem libro cap. 28. § ultimo. Non sine caussa dixi, sanctum Gregorium partim ex humilitate,partim ex necessitate se imperatori Mauritio subjecisse. Siquidem Mauritius imperator usque adeo tyrannice romanam Ecclesiam premebat, ut ipse s. Gregorius quamvis mitissimus esset, eum cum Diocletiano et Nerone comparaverit. Sic enim loquitur in explicatione psalm. 101. qui est unus ex poenitentialibus: *Sunt*,inquit, *portae inferi quaedam potestates hujus mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, numquid non omnes portae inferi?* Et paulo ante de eodem imperatore loquens:*Contra catholicam veritatem suae furore tyrannidis efferatur: in tantum autem suae temeritatem extendit vaesaniae, ut caput omnium ecclesiarum romanam Ecclesiam sibi vendicet, et in domina gentium terrenae jus potestatis usurpet.* Quare idem s. Gregorius lib. 11. epistol. 43. et 44. indict. 6. scribens ad Phocam Mauritii successorem, et ad Leontinam Augustam, deplorat jugum durissimum, quod longo tempore sub Mauritio ferre coactus fuerat.Ex quo sequitur, ut obedientia quam s. Gregorius Mauritio exhibebat, non debita fuerit, sed coacta.

Eodem lib. cap. 29. § *Secundo dici potest.* Non probo,quod eo loco dixi cum Alberto Pighio s.Paulum appellasse ad Caesarem, tamquam ad suum legitimum principem. Nam si ratio exemptionis ecclesiasticorum est, quia sunt ministri Christi, qui est princeps regum terrae,et rex regum,certe sunt exempti de jure, non solum a potestate principum christianorum, sed etiam principum ethnicorum. Permanendum igitur est in prima solutione, quod apostolus Paulus fuerit subjectus Caesari de facto non de jure, et appellaverit ad ipsum, non tamquam ad superiorem suum, sed tamquam ad superiorem praesidis Judaeae et Judaeorum, a quibus injuriam patiebatur. Non enim potuit aliter liberare se ab injusto illo judicio, et periculo injustissimae mortis, nisi recurrendo ad ipsorum principem et judicem, quod ipse idem significavit Actor. 28. cum ait: *Coactus sum appellare Caesarem.*

Eodem libro et cap. § *Ab Othone*: Sciendum est, quod Otho non propria auctoritate Joannem pontificem deposuit,sed auctoritate concilii deponendum curavit. Quod concilium in multis erravit, nec tam concilium, quam conciliabulum fuit, et ideo paulo post abrogatum, vide card. Baronium tom. 10. annalium ad annum Domini 963.

Eodem lib. et cap. § *Respondeo illud Gregorii.* Admisi duos canones ex Gratiano, dist. 63. videlicet, can. Adrianus, et can. in synodo. Sed card. Baronius tomo 9.annalium, ad annum Domini 774. Probat,hos canones non videri legitimos,tum quod eos Gratianus non aliunde collegerit,nisi ex chronico Sigeberti, qui pontificibus fuit infensus, tum quod contrarium ex aliis auctoribus colligatur.

Eodem lib. cap. 31. § *Secundum nomen.* Addi potest testimonium Tertulliani,qui in lib. de pudicitia, in principio, romanum pontificem vocat episcopum episcoporum,qui titulus satis aperte docet pontificis primatum semper in Ecclesia agnitum fuisse.

Libro 3. cap. 9. § ultimo. Dixi de Antichristo: *Non apparebit, nec regnare incipiet nisi tribus annis cum dimidio ante mundi finem.*Quod ideo dixi,quia quod intercedet inter mortem Antichristi et finem mundi, tam erit modicum, ut pro nihilo reputari possit. Alioqui enim non eram oblitus, a nobis paulo ante demonstratum esse, inter mortem Antichristi et finem mundi intercessuros dies quadragintaquinque ex cap. 12. Danielis.

Eodem libro cap. 21. § *Denique si ad sanctos.* Ubi dicitur: *Omitto caeteros Patres, vereor enim ne si eos excutiamus, nullum inveniamus, qui non negaverit Jesum esse Christum.*Non loquimur absolute, sed ex hypothesi, videlicet si vera sit Illyrici doctrina, non enim id nos affirmamus, quod esset omnino blasphemum sed ex doctrina Illyrici hoc absurdum sequi dicimus.

Libro 4. cap. 2. § *Quarta sententia.* Ubi dicitur: *Haec est communissima opinio fere omnium catholicorum;* Rectius dictum fuisset: *Haec est communissima sententia.* Opinio enim incertitudinem habet, eam vero sententiam certam esse credimus, atque ut talem in sequenti capite defendimus.

Eodem lib. et cap. § ult. Ubi dicimus sententiam illorum,qui docent infallibilitatem judicii non esse penes papam, sed penes concilium generale, non esse plane haereticam, sed erroneam et haeresi proximam: Rectius dicemus, nos non audere eam sententiam, plane haereticam judicare, quoniam qui sententiam illam sequuntur, neque ab Ecclesia ipsi damnati, neque libri eorum prohibiti unquam fuerunt. Videri tamen nobis ita manifeste erroneam, ut merito possit Ecclesiae judicio haeretica declarari.

Eodem lib. cap. 5. § ult. Ubi diximus, quod si papa praeciperet vitium, aut prohiberet virtutem,

Ecclesia teneretur credere virtutem esse malam, et vitium esse bonum: loquuti sumus de actibus dubiis virtutum aut vitiorum, nam si praeciperet manifestum vitium, aut prohiberet manifestam virtutem, dicendum esset cum Petro, *obedire portet magis Deo quam hominibus*. Loquimur enim de actibus virtutum necessariis; alioqui enim non ignoramus, posse pontificem justa de caussa jubere, ut tali die non jejunetur, tali loco divina officia non celebrentur et similia. Neque enim necessarium est, omni die jejunare, aut in omni loco divina officia celebrare: non poterit autem jubere, ut non colatur Deus, ut non diligatur proximus, et alia id genus.

Eodem lib. cap. 8. § ult. Concessimus s. Marcellinum idolis sacrificasse. Sed non videtur id esse omnino certum. Siquidem s. Augustinus lib. de unico Baptismo cap. 16. scribit, id objectum fuisse a Donatistis, sed minime probatum, et addit s. Marcellinum innocentem fuisse, quod etiam confirmari videtur ex eo quod Eusebius nec in historia, neque in chronico, neque alii veteres hujus rei meminerunt, immo Theodoretus lib. 1. cap. 3. laudat Marcellinum, quod praeclarissime in persequutione se gesserit.

Eodem lib. cap. 10. § *Respondeo ad primum*. Admonemus hoc loco, sententiam Gelasii, quicumque tandem is Gelasius fuerit, in lib. de duabus naturis Christi, quae videtur asserere in sacramento Eucharistiae, substantiam panis adesse cum corpore Christi, explicatam esse a nobis lib. 2. de ucharistia cap. 27.

Eodem libro cap. 14. § ultimo. Indicavimus uno verbo, narrationem Volaterrani, quod Norvegi ex permissione Innocentii VIII. sine vino sacrificium Eucharistiae habuerint, videri falsam; sed postea quo magis de hac cogitavimus, eo magis falsa, aut certe valde suspecta falsitatis ea narratio nobis visa est, tum quia nemo alius eam rem prodidit, nisi ex ipsius Volaterrani auctoritate, tum quia nullum extat ejus rei vestigium, tum quia non est verum tantam inopiam vini unquam in Norvegia fuisse, ut ad sacrificium deesse potuerit, tum denique quia verba Volaterrani secum ipsa pugnare videntur. Ait enim permissum fuisse Norvegis calicem sine vino sacrificare; quasi calicem vacuum, aut aliquo alio liquore plenum sacrificaverint.

Eodem lib. cap. 16. § *Tertius locus*. Hoc loco brevissime indicatum est, ex illis verbis Joan. 21. *Pasce oves meas*, colligi auctoritatem imperandi regio more, quia de hac re satis copiose scriptum fuerat lib. 1. de pontifice cap. 15. Itaque si cui locus hic obscurus videatur, consulat locum superiorem citatum.

Eodem libro cap. 21. § *Respondet Joannes*. Ubi dicitur de s. Joanne chrysostomo, quod homil. 83. in Matthaeum alloquatur presbyteros, cum dicit: *Si dux quispiam, si consul, si ipse denique, qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe et coerce*. Rectius dicemus, illis verbis alloquutum esse diaconos, sed parum refert.

Eodem lib. cap. 22. § 2. Ubi dixi potestatem ordinis, et potestatem jurisdictionis internae pertinere ad materiam de clavibus Ecclesiae, et eam materiam eo loco non disputari: non volui significare, potestatem jurisdictionis exterioris, de qua eo loco disputabatur, non pertinere ad claves Ecclesiae. Sed hoc solum dicere volui, potestatem ordinis et jurisdictionis interioris, tractandam esse in libris de Sacramentis, ubi tractatur integra materia de clavibus: nam in libris de Summo Pontifice non susceperam disputationem de clavibus in genere, sed solum de potestate jurisdictionis externae, seu forensi summi pontificis.

Libro 5. cap. 2. § ult. Quod attinet ad Bullam Alexandri VI. de divisione orbis nuper inventi, et debellatione Indorum occidentalium, cum ea scriberem, Bullam non videram, et ideo sequutus sum doctrinam cardinalis Cajetani in 2. 2. quaest. 66. artic. 8. Francisci Victoriae in 2. relectione de jure belli, et Dominici a Soto in quartum sententiarum dist. 5. qu. unica art. 10. ad 5. Argumentum, tum propter eorum rationes, tum quia Cajetanus vixit tempore Alexandri VI. et ei supervixit, proinde facile scire potuit, quid sibi voluerit Alexander pontifex, cum orbem recens inventum divisit.

Eodem libro cap. 3. § *Item si papa*. Quod dixi, id esse episcopum in Ecclesia particulari, quod est papa in universali, ita accipiendum est, ut sicut papa est verus pastor et princeps Ecclesiae universae: ita sit episcopus verus pastor et princeps Ecclesiae particularis, non vicarius aut administrator ad certum aliquod tempus, alioqui enim non ignoramus, neque negamus cum majori potestate praeesse papam Ecclesiae universae, quam praesit episcopus Ecclesiae suae.

Eodem lib. cap. 4. § 1. Distinctio illa de jurisdictione temporali summi pontificis, directe vel indirecte; non solum habetur apud auctores ibi citatos, sed etiam apud glossam in cap. novit. de judiciis § de feudo, quam etiam sequitur Innocentius IV. ibidem, ubi dicitur, papam non judicare de feudo directe, secus indirecte ratione peccati. Intelligimus autem per jurisdictionem indirecte, jurisdictionem quam summus pontifex habet super temporalia in ordine ad spiritualia, quae spiritualia proprie, et per se respicit ejus jurisdictio, ut declaramus cap. 6.

Lib. 5. cap. 4. § *Caeterum hoc etiam*. De regno Christi scripsi, quae vera esse credidi, atque etiam nunc credo. Sed quia dum haec recognoscerem, acriter de hac re inter scriptores disceptabatur, operaepretium esse duxi paulo clarius et fusius meam sententiam aperire. Igitur cavendum esse censeo piis hominibus, ne sic regnum Christi temporale defendant, ut veram ejus paupertatem negare videantur, atque eo modo ingrati sint magnae illi gratiae, de qua dicit Apostolus ad Corinthios: *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis*, 2. Corinth. 8. Et contra ne sic paupertatem Christi propugnent, ut verum ejus regnum oppugnent, et eo modo desinant in ipsius regno partem habere. In Scripturis sanctis Christi regnum evidentissime praedicatur, neque unum tantum, sed tria. Primum et proprium Christi regnum est illud de quo loquitur angelus ad Virginem Lucae 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem Da-*

vid patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis, quae verba videntur desumpta, ex cap. 9. Isaiae, ubi dicitur: *Super solium David et super regnum ejus sedebit, ut corroboret illud, et confirmet in justitia, et judicio amodo, et usque in sempiternum*, quibus locis conformia sunt multa alia, ut illud psalm. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus.* Et psalm. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, etc.* Et Daniel. 9. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus regnum, etc.* Et Zachar. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi, etc.* Et Mich. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Et Hierem. 23. *Suscitabo David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit, etc.* Et Ezech. 37. *Et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans, etc.* Hoc autem regnum proprium Messiae, non temporale, sed spirituale futurum fuisse, praeter Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, et Bernardum, qui paulo post citabuntur, docent duo interpretes Scripturarum accuratissimi, Cornelius Jansenius, et Adamus Sasbout. Ille, Jansenius videlicet, sic scribit in cap. 3. Concordiae, explicans verba evangelii, Lucae 1. *Dicitur*, inquit, *regnum Messiae sedes, et regnum David, non quod temporale esset, sensibile et terrenum, sed quod in regno Davidis adumbratum fuit. Et Davidi in proprio semine promissum sub typo regni ejus. Ita et domus Jacob hic non potest accipi pro familia Jacob carnali, sed pro spirituali, quae est omnium fidelium congregatio.*

Adamus Sasbout in comment. cap. 9. Isaiae, declarans illud: *Super solium David, et super regnum ejus sedebit: Ad haec verba*, inquit, *alludit angelus Gabriel apud Lucam, ubi ait: Dabit ei Dominus sedem David patris ejus. Et quemadmodum locum illum apud Lucam male intelligunt illi, qui millenarii dicuntur, putantes Christum in terra mille annos regnaturum: sic Judaei praesentem locum interpretantur de regno corporeo, quale est regnum principum hujus mundi; cum apertissimae Scripturae sint in Testamento veteri, testantes regnum Christi hujusmodi non futurum. Dicitur enim apud Zachariam 9. et ipse erit pauper, etc. Dicitur autem Christus super solium David sedere et regnum ejus non habiturum finem, quoniam in Ecclesia, et populo fideli, cujus typus erat regnum David, ipse dominium tenet, et imperium amodo usque in sempiternum*, haec ille, et confirmantur haec omnia ex evangelio et epistolis b. Pauli. Nam princeps cum quo pugnavit Christus, ut regnum sibi acquireret, non fuit Herodes, aut Caesar, sed diabolus, et sicut diabolus princeps erat hujus mundi, quia invisibiliter regnabat in cordibus hominum per infidelitatem et inobedientiam: sic diabolo per Christum superato et triumphato, coepit Christus regnare in cordibus fidelium per fidem et obedientiam mandatorum Dei. Luc. 11. *Si in digito Dei ejicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet: si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa ejus arma auferet in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.* Et clarius Joan. 12. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Et Coloss. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae.* Et cap. 2. *Et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam, triumphans illos in semetipso.* De qua re s. Augustinus tractat in psalm. 54. *Attende gloriam crucis ipsius: Jam in fronte regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem, domuit orbem, non ferro, sed ligno.* Et sanctus Leo sermon. 8. de passione Domini: *O admirabilis potentia Crucis, o ineffabilis gloria passionis, in qua, et tribunal Domini, et judicium mundi et potestas est crucifixi.* Nec sine magno mysterio in titulo crucis, scriptum fuit literis, hebraicis, graecis et latinis *Rex Judaeorum*, ut totus mundus agnosceret Christum per passionem suam de diabolo triumphasse et regnum sibi peperisse. Quamvis autem hoc regnum proprie spirituale sit, et per fidem ad aliud pertinere incipiamus, tamen negari non potest, quin etiam ad temporalia se extendat, quatenus ad spiritualia ordinantur, ut omnes theologi confitentur. Neque hoc regnum verae paupertati Christi repugnat, quia aliud est habere potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, aliud habere proprietatem et dominium particulare rerum temporalium. Praelati enim ecclesiastici, ac praesertim ii, qui sunt praepositi ordinum religiosorum, habent potestatem disponendi de rebus temporalibus suae Ecclesiae, vel religionis, et tamen non habent dominium, vel proprietatem rerum temporalium. Sic igitur Christus, ut rex Ecclesiae, disponere potuit de temporalibus rebus Ecclesiae, immo etiam de rebus totius mundi, et tamen vere dicere potuit: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Luc. 9. et verbo et exemplo docuit statum religiosae vitae, quae abdicat omne dominium in particulari, ut definierunt summi pontifices, Nicolaus IV. Clemens V. et Joannes XXII. qui Joannes definivit quidem in extravaganti, *Quia quorundam*, Christum habuisse dominium in communi cum apostolis earum pecuniarum, quas ex eleemosynis collectas in loculis Judas ferebat: sed admisit Christum vere fuisse pauperem, ut sunt omnes veri religiosi, sive habeant dominum in communi, sive non habeant.

Alterum Christi regnum est regnum divinum universale, quod Christo convenit ratione unionis hypostaticae, sed recte Cajetanus admonet in commentario primi capitis epistolae ad Hebraeos, hoc dominium convenire Christo homini ratione divinae filiationis, non ratione humanae, ille enim homo Christus, quia vere est Filius Dei naturalis, est haeres universorum sine ulla exceptione, quamvis autem Christus non habeat ex humana filiatione dominium universale, habet tamen Christi humanitas ex donatione Patris, ratione hypostaticae unionis, dominium quoddam universale, simile dominio divino, quod non tollit dominia particularia,

sed ea conservat, et in hoc dominio fundatur jus illud, quo potuisset Christus, si voluisset, regna omnia sibi assumere, ut etiam in libro nostro diximus. De hoc regno intelligimus illa verba Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Et Joan. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* Et Joan. 18. *Omnia tua mea sunt, et sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Et Hebr. 1. *Quem constituit haeredem universorum.* Et Apocal. 3. *Habet in vestimento et in femore suo scriptum, rex regum et Dominus dominantium.* Hoc regnum accepit Christus ab initio conceptionis: et est illi commune cum Patre, sed non potest communicari cum ulla pura creatura, neque repugnat verae paupertati, quam Christus elegit, pro tempore mortalitatis suae; nam ipse idem Christus homo ratione dominii universalis ditissimus erat, ratione particularis, pauperrimus. Ipse idem vere in propria venit, ut dicitur Joan. 1. quia Domini est terra et plenitudo ejus, et simul vere non erat ei locus in diversorio, ut dicitur Luc. 2. et in alieno natus est, ut dicit Gregorius hom. 8. in evangelia, neque enim privare voluit ullum hominem dominio rerum suarum. Neque regnum hoc temporale dici potest, quale est regnum hujus mundi, nam neque opibus, neque militibus, neque armis, neque arcibus, neque aliis ejusmodi praesidiis indiget, sine quibus regna temporalia conservari non possunt: neque tollit hoc regnum regna hominum, qui juste illis possident, sed illis praeest potestate quadam altiore et sublimiore, quam sit potestas ullius regis aut monarchae temporalis. Et potuisset quidem Christus ex hac potestate sua eminentissima privare regnis temporalibus quoscumque reges terrae, neque fecisset illis injuriam, si hoc fecisset: sed maluit regna temporalia iis dimittere, qui ea possidebant, ut humilitatis et paupertatis, patientiae et obedientiae exemplum daret.

Tertium regnum, est regnum gloriae, quod in perfecta corporis et animae beatitudine et felicitate consistit, ex qua sequitur exemptio et libertas ab omni subjectione creaturarum, et potestas, seu potestatis exequutio super omnes creaturas. Hoc regnum adeptus est Christus in ipsa resurrectione et ascensione, quamvis ei destinatum fuisset ab initio conceptionis. Sicut enim David, qui figura Christi fuit, in pueritia rex inunctus est a Samuele, et tamen regni possessionem, non nisi post multos labores et dolores obtinuit: sic etiam Christus ab initio conceptionis Dominus gloriae esse coepit: sed tamen oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam. Luc. ult. De hoc regno dicitur Luc. 19. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti.* Ubi aperte loquitur de passione sua, per quam abiturus erat accipere sibi regnum gloriae coelestis, et reversurus tandem in die judicii. De hoc etiam dicitur Marci 9. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei in virtute veniens,* et paulo post describitur transfiguratio Domini, per quam viderunt tres apostoli gloriam claritatis Christi, quam regnum Dei paulo ante nominaverat. De hoc quoque regno intelligitur illud Lucae 22. *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Et Luc. 23. *Memento mei dum veneris in regnum tuum,* de hoc regno intelligimus illud Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Nam tunc demum datum est Christo homini, ut non amplius subjectus esset ulli creaturae, non solum de jure, quomodo numquam fuit, sed neque de facto, idest, neque hominibus, neque fami, neque siti, neque laboribus, aut doloribus aut ipsi morti: sed contra omnibus omnino dominaretur: *In hoc,* inquit Apostolus Rom. 4. *Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominaretur.*

De hoc etiam dicitur Danielis 7. *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli, quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ei servient, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Et beatus Petrus cap. 3. prioris epistolae dicit de Christo: *Profectus in coelum, subjectis sibi angelis, potestatibus et virtutibus.* Et in epistola 2. cap. 1. *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi.* Et beatus Paulus Philipp. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.* Et beatus Joannes cap. 1. Apocalyp. *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae.* Hoc regnum nunc est invisibile, et sola fide percipitur, sed in die judicii visibile fiet, ut ipse Dominus ait Matth. 26. *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.* De quo etiam Apostolus dicit 2. Timoth. 4. *Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius, et regnum ejus.* Hoc regnum comminabitur a Christo suis electis. ut dicit Apostolus Philippens. 3. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Et Roman. 8. *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat.* Et Colossens. 2. *Cum apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et beatus Joannes Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Et clarius Matth. 19. *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* De hoc regno non oportet quaerere, an repugnet paupertati Christi, quia paupertas illa non erat duratura, nisi pro tempore mortalitatis. Neque dici potest hoc regnum temporale, cum sit alterius rationis, et longe eminentius omni regno temporali, et tandem in die judicii, ut praedixit Daniel cap. 2. consumere et destruere debet omnia regna temporalia, et ipsum in aeternum permanere. Sunt igitur tria Christi regna, unum proprium ipsius, alterum commune cum Patre, tertium commune cum electis. Illud primum incipit a praedicatio-

ne, secundum a conceptione, tertium a resurrectione.

Praeter ista regna, quartum regnum, quod proprie temporale dici debet, qualia sunt regna principum terrenorum, nos quidem in Scripturis et in Patribus non invenimus; immo existimamus repugnare Christi paupertati, et sapere errorem Judaeorum et haereticorum, quo nomine refutatur ab Adriano Fino in flagello Judaeorum, et Adamo Sasbout in cap. 9. Isaiae, Augustino de Ancona de potestate Ecclesiae quaest. 1. art. 9. et fusissime a Thoma Waldensi lib. 2. doctrinalis fidei antiquae. At, inquies, Christus figuratus fuit per Moysem, et per Melchisedech, ut Apostolus docet ad Hebr. 3. et 7. proinde non debuit habere minorem potestatem, quam habuerint, Moyses et Melchisedech: sed illi fuerunt simul pontifices et reges temporales: igitur Christus etiam debuit simul esse pontifex summus, et rex maximus temporalis. Respondeo: Christum ob hoc ipsum, quod figuratus fuit per Moysem et Melchisedech, non debuisse esse regem temporalem, ut illi fuerunt, sed regem altioris ordinis, nam figura semper est inferior et imperfectior figurato, et hoc manifestum est ex figura sacerdotii. Moyses enim sacrificabat oves et boves: Christus autem sacrificavit se ipsum agnum rationalem et divinum: Melchisedech obtulit panem et vinum, Christus obtulit corpus et sanguinem suum. Sicut igitur sacerdotium Christi fuit longe sublimius sacerdotio Moysis et Melchisedech: sic etiam regnum Christi debuit esse multo excellentius, idest, non temporale, ut illorum, sed aeternum, spirituale et coeleste, nam etiam regnum Davidis fuit figura regni Christi, et tamen Patres aperte dicunt Christum non regnasse in Hierusalem terrena, ubi regnavit David, sed in Hierusalem spirituali, quae est Ecclesia. Quod autem Christus non habuerit regnum temporale, non fuit in caussa, quia non potuerit illud habere: sed, quia indignum erat Christo, qui est rex angelorum, ut fieret quasi unus de regibus terrae, et sedere ad judicandas lites terrenas, ut sederunt Moyses, Melchisedech et David. Quod si ii, qui regnum temporale Christo tribuunt, per regnum temporale, nihil aliud intelligant, nisi dominium universale, quod non tollit particularia et eminentem potestatem disponendi de rebus temporalibus, in sententia convenimus, et solum de verbis disceptamus. Et ego quidem libros veterum Patrum ea qua potui diligentia, evolvi, et legi non raro Patres negantes Christi regnum temporale aut terrenum; affirmantes autem idipsum non legi, placuit autem aliquot testimonia hic adscribere.

Egesippus apud Eusebium in ecclesiast. histor. ex versione Ruffini lib. 3. cap. 20. scribit a Domitiano interrogatos affines Christi, quale esset ipsius Christi regnum, ita respondisse: *Responderunt*, inquit, *quod non hujus mundi regnum, neque hujus terrae ei designetur imperium: sed quia coeleste ei regnum per angelorum ministeria in consummatione saeculi praeparetur, quando scilicet adventans in gloria de vivis et mortuis judicabit.*

S. Irenaeus lib. 4. cap. 37. describens visionem Heliae, et accommodans ad regnum Christi, sic ait: *Ostendebatur autem, et regni ejus mitis, et pacifica requietio, post enim Spiritum, qui conterit montes, et post terraemotum et ignem, tranquilla, et pacifica regni ejus adveniunt tempora, in quibus cum omni tranquillitate spiritus Dei vivificat et auget hominem*, haec ille, qui satis aperte describit regnum spirituale in quo Christus per spiritum gratiae regnat in cordibus.

Tertullianus in lib. adversus Judaeos cap. de nativitate Christi exponit verba Isaiae, qui per Cyrum intelligit Christum ubique regnaturum. *In omnibus locis*, inquit, *Christi nomen regnat, utpote ante quem omnium civitatum portae sunt apertae, et cui nullae sunt clausae, quamquam et ista spiritualiter sunt intelligenda, quo praecordia singulorum variis modis a diabolo obsessa, fide Christi sint reserata: attamen perspicue sunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi habitat, quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Filius Dei qui omnibus in aeternum regnaturus nunciabatur?* Similia vide capite sequenti, quod est de regno Christi aeterno.

S. Cyprianus in 2. libro adversus Judaeos, sequutus Tertullianum, multa scribit de regno Christi, sed potissimum loquitur de regno glorioso, quod accepit post resurrectionem, sic enim loquitur cap. 26. *Quod cum resurrexisset, acciperet a Patre omnem potestatem, ac potestas ejus aeterna sit apud Danielem. Videbam in visu nocte, et ecce in nubibus coeli quasi filius hominis veniens, venit usque ad veterem dierum, et stetit in conspectu ejus, et qui assistebant ei obtulerunt eum, et data est ei potestas regia, et omnes reges terrae per genus, et omnis claritas serviens ei, et potestas ejus aeterna, quae non auferetur, et regnum ejus non corrumpetur.* Et cap. 28. iterum probat Christum in aeternum regnaturum, multis testimoniis, et nusquam meminit regni temporalis, seu contra potius allegat verba Domini Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc saeculo.*

Eusebius Caesariensis lib. 7. de demonstratione evangelica de regno Christi sic loquitur: *Ubi vero Dominus et Salvator noster Jesus Christus, qui de semine David ortus est, in totum orbem rex denunciatus est, tamquam ea quae de terra, et ruina instaurata sit ipsa illa sedes David, per divinum Salvatoris nostri regnum, erecta est, et permanebit in aeternum, veluti sol in conspectu Dei, illius lucis radiis, quam doctrina illius praefert, totum orbem terrarum illustrans*, haec ille, qui apertissime demonstrat Christi regnum esse spirituale et coeleste, dicit enim sedem David fuisse eversam, et regnum destructum: sed per Christum instauratam esse sedem illam David et regnum ejus renovatum: certum autem est non fuisse instauratum regnum temporale Davidis, sed illud quod eo figurabatur. Idem patet ex eo, quod Eusebius hoc Christi novum regnum divinum appellat: item quia dicit per doctrinam Christi, quae in toto orbe fulget, hoc regnum ubique dilatari.

Hilarius in psal 2. exponens illa verba: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem san-*

ctum ejus, sic ait: *Non super illum utique terrenae civitatis montem, comploratae scilicet,et homicidae et parricidae Hierusalem, sed Hierusalem ejus, quae in coelis est, quae est mater nostra, quae civitas magni regis est.*

Cirillus hierosolymitanus catechesi 13. regnum Christi gloriosum docet, neque de temporali unquam meminit: *Regnat*, inquit, *Christus in saecula, qui judicat vivos et mortuos, qui pro vivis et mortuis mortuus est, ut Paulus dicit.*

S. Ambrosius lib. 3. in Lucam non longe a fine tractat quaestionem, quomodo apud Lucam legatur Christus habiturus sedem David patris ejus, cum apud Hieremiam dicatur, nullum de semine David post Jehoniam sessurum in illa sede: et concludit prophetam loqui de regno temporali, evangelistam de regno spirituali: *Ipsum*, inquit, *regem secundum honorem saeculi non accepimus Christum.* Et infra: *Quod regnavit Christus, non contra prophetiam est, non enim saeculi honore regnavit, nec in Jechoniae sedibus sedit,et ibidem regnare se dixit, qui non regnavit in terris.*

S. Epiphanius haeresi 29. quae est Nazaraeorum, quaerit quomodo impletum sit, quod dicitur in psalmo 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Qua ratione*, inquit,*super sedem David non sedit? Venerunt, inquit evangelium, ut ungerent eum regem, quo cognito secessit etc. qua ratione carnaliter impletum non est in Salvatore, ut sedeat super thronum David*, et paulo post: *Thronus igitur David, et regia sedes ejus, est sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem regiam, simulque pontificiam simul conjunctim largitus est Dominus sanctae Ecclesiae translato in ipsam throno David non deficiente in aeternum*, haec ille, qui per regiam dignitatem, cum sacerdotio conjunctam, non intelligit regnum aliquod temporale, sed potestatem ecclesiasticam, quae non consistit solum in officio sacerdotali sacrificandi et orandi, sed etiam in vera jurisdictione gubernandi et regendi fideles secundum leges evangelii. Ideo enim pontifices nostri dicuntur etiam pastores et doctores, et ut saepe retulimus, Gregorius nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum et praesidem irascentem, dicit: *Imperamus et nos, addo etiam imperio altiore et sublimiore, etc.*

Nam Epiphanius sequitur Eusebium, et alios, qui docuerunt, regnum David fuisse typum regni Christi spiritualis, quo regnat in Ecclesia, cujus regni participes sunt omnes episcopi, sed praecipue summus pontifex, qui in universam Ecclesiam potestatem habet. Satis enim clare dixit antea idem Epiphanius, Christum non sedisse carnaliter in throno David.

S. Hieronymus lib. 4. in Hieremiam, exponens verba capitis 22. *Non sedebit*, inquit, *super thronum David vir et homo, sed sedebit Deus, regnumque ejus non erit terrenum et breve, ut fuit David, sed perpetuum et coeleste dicente Scriptura,regnabit super domum Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Ubi s. Hieronymus solvit quaestionem de contradictione, quae videtur esse inter Hieremiam et Lucam, eo modo quo Ambrosius et alii Patres, videlicet, quod propheta, qui dicit neminem post Jechoniam ex stirpe David sessurum in throno David, loquatur de regno terreno, Lucas autem, qui dicit, Christum sessurum in throno David, loquatur de regno spirituali.

S. Joannes chrysostomus homil. 82. in Joan.explicans verba illa: *Regnum meum non est de hoc mundo*, dicit, *Christi regnum esse divinum et coeleste, non autem tale, quale putaverat Pilatus. At non est*, inquit, *mundi hujus Christi regnum? quid ni? quomodo dicit non esse? Non quod hoc etiam non possideat,sed quod in coelo habeat imperium non humanum, sed longe majus, atque praestantius.* Et infra: *Regnum suum dicit, non esse hinc, non quod mundum providentia sua et protectione privet, sed ut dixi, ut neque, humanum, neque caducum esse demonstret.*

S. Augustins tractat. 115. in Joan. Super verba: Regnum meum non est de hoc mundo, *Audite*, inquit, *Judaei et gentes, audi circumcisio, audi praeputium, audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram in hoc mundo.* Regnum meum non est de hoc mundo. *Nolite timere timore vanissimo*; et paulo post: *Venite ad regnum quod non est de hoc mundo, venite credendo et nolite saevire metuendo. Dicit quidem propheta de Deo Patre: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Sed Sion ille et mons ille non est de hoc mundo: quod est enim regnum nisi credentes in eum?* Et lib. 17. de Civit. Dei cap. 7. exponens illud: *Dirumpet Dominus regnum Israel de manu tua*,sic ait: *Populi ergo Israel personam figurate gerebat homo iste,qui populus regnum fuerat amissurus, Christo Jesu Domino nostro, per novum Testamentum, non carnaliter regnaturo.* Idem tract. 50. in Joannem: *Rex Israel Christus est, quod mentes regat, quod in aeternum consulat, quod in regnum coelorum credentes, sperantes amantesque perducat.*

S. Cyrillus alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 10. explicans illud:*Regnum meum non est de hoc mundo, Liberavit*, inquit, *a formidine Pilatum, qui dignitatem Caesaris in Judaea servare debebat.* Et infra: *Christus Pilato respondens, regem se esse non negat, mentiri enim non poterat,sed regno Caesaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed coeli, terrae, caeterarumque omnium rerum.* Vide etiam cap. 11. et cap. et cap. 12. ubi rursus docet, Christi regnum non esse mundanum, quale suspicabatur Pilatus, sed divinum et coeleste.

S. Gregorius papa lib. 1. in primum regum,prope finem, explicans illa verba: *Sublimabit cornu Christi sui*, per *cornu*, intelligit regnum Christi, et regnum Christi Ecclesiam credentium esse dicit: *Per regnum Christi*, inquit, *sancta Ecclesia designatur, quod profecto cornu sublimabitur, quia ima nostra ad angelorum aequalitatem perducentur;* et infra:*Sublimabitur,ergo cornu Christi, quia sancta Ecclesia in aeterna contemplatione sui Redemptoris extollitur.*

S. Isidorus in cap. 12. Genesis: *Nomen*, inquit, *Melchisedech rex pacis,vel rex justitiae interpre-*

tatur, quod bene refertur ad Christum, ipse enim est rex pacis, quin per ipsum reconciliamur Deo, ipse est rex justitiae, quia ipse venit, ut discerneret justos ab impiis.

S. Joannes damascenus orat. 2. de nativitate Virginis, sic de rege Christo loquitur: *Ut autem rex pacis ac princeps et dux in Israel, non partis in oculorum sensum cadentis ratione, in Davidis patris sui solio sedere ostenditur, verum spiritualiter in domo Jacob in aeternum regnasse, nec regni finem unquam accepisse.*

Beda in psalmum quintum, *Christus*, inquit, *Deus noster rex secundum humanitatem; secundum quam nos doctrina et vitae exemplo rexit.* Idem in caput primum Lucae, super illud: *Regnabit in Domo Jacob in aeternum. Non dixit*, inquit, *in acquisitione gloriae, gazarumque terrenarum, non in acquisitione gentium plurimarum, urbiumque debellatione superbarum: sed in judicio et justitia, per haec enim regnum Christi, et in singulis quibusque fidelibus, et in universa pariter multiplicatur et confirmatur Ecclesia.*

S. Bernardus homil. 4. super *Missus est: Quaero*, inquit, *quomodo dederit ei Dominus sedem David; cum ipse in Hierusalem non regnaverit, quin imo turbis volentibus eum constituere regem, non acquieverit; sed et ante faciem Pilati protestatus sit: Regnum meum non est de hoc mundo; denique quid magnum promittitur ei, qui sedet super cherubim, quem propheta vidit sedentem super solium excelsum et elevatum, sedere in throno David patris sui? Sed novimus quandam aliam Hierusalem multo ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hic significatam;* et infra: *Dabit ergo ei Dominus sedem David Patris ejus, non typicam, sed veram, non temporalem, sed aeternam, non terrenam, sed coelestem.*

S. Thomas in commentar. ad cap. 18. Joan. *Sciendum est*, inquit, *quod Dominus ad quaestionem respondens de regno, ita responsionem temperavit, ut nec manifeste confiteretur se esse regem, cum rex non esset eo modo, quo intelligebat Pilatus, nec negaret, cum spiritualiter esset rex regum; dicit ergo, tu dicis, quia rex sum ego, scilicet carnaliter, secundum quem modum rex non sum: sed alio modo rex sum ego.*

S. Bonaventura collat. 85. in evangelium Joannis, declarans illud: *Regnum meum non est de hoc mundo*, sic loquitur: *Ait ergo regnum meum, ad differentiam aliorum regnorum. Est enim regnum satanicum quo regnat diabolus. Item est regnum mundanum, quod est infimum ordine, quia de hoc mundo, et est regnum divinum quod est sublime majestate, quia regnum coelorum.* Haec ille, qui regnum Christi dicit non esse mundanum, sed divinum. Et paulo infra: *Credentes*, inquit, *sunt regnum ejus qui non sunt de hoc mundo.* Vide eundem in postilla super cap. 12. et 18. Joannis.

Eodem 5. lib. cap. 8. § *Probatur hujus argumenti propositio.* Non approbo quod dixi, non posse principes infideles privari per Ecclesiam dominio, quod habent super fideles, nisi avertere conentur fideles sibi subjectos a fide. Quamvis enim Durandus, quem ego sequutus sum, in 2. sent. dist. 44. quaest. 3. probabiliter disputet contra sanctum Thomam docentem in 2. 2. quaest. 10. art. 10. posse Ecclesiam privare infideles dominio, quod habent super fideles: tamen auctoritas s. Thomae merito praevalere debet. Itaque si tales principes non conantur fideles a fide avertere, possent quidem per Ecclesiam privari dominio: tamen Ecclesia non semper id facit, vel quia vires non habet, vel quia non judicat expedire. At si isti iidem principes conentur avertere populum a fide, possunt et debent privari suo dominio.

Eodem lib. cap. 9. § *Jam vero quod jure.* Probavi ex Adone et Leone Hostiensi principatum temporalem apostolicae sedis: sed inveni postea auctorem utroque antiquiorem. Paulus Diaconus lib. 6. cap. 28. de gestis Longobardorum sic ait: *Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii alpium Cottiarum, quae ad jus pertinuerant apost. sedis; sed a Longobardis multo tempore fuerant ablatae, restituit, et hanc donationem aureis literis exaratam, Romam direxit.* Ejusdem rei meminit Beda in lib. de sex aetatibus. Videmus autem hoc loco, Aripertum regem non fuisse primum, qui donavit Alpes Cottias apostolicae sedi, sed fuisse primum ex Longobardis, qui eas restituit, cum antea ad jus ejusdem sedis pertinuissent, quod est diligenter notandum.

Eodem lib. cap. ult. § *Dico secundo.* Ubi dixi, reges ignorantes Deum, idest, infideles, tyrannos potius esse quam reges; non volui significare omnes reges infideles esse tyrannos, quo ad jus dominandi, ac per hoc illegitimos principes, sed esse tyrannos quoad modum dominandi, sive quoad usum potestatis: neque de omnibus omnino intellexi, sed de plerisque. Nam et ipse Dominus cum ait: *Reges gentium dominantur eorum*, de plerisque loquitur, non de omnibus, certe Augustus et Titus et Antoninus aequissimi principes fuerunt.

RECOGNITIO LIBRORUM

Quatuor de conciliis et Ecclesia.

Lib. 1. cap. 5. § *Est vero animadvertendum*, et cap. 13. probavi ex epistola concilii constantinopolitani ad Damasum, quae habetur apud Theodoretum lib. 5. hist. cap. 9. secundam synodum generalem fuisse congregatam jussu Damasi papae, et unam et eandem haberi debere cum synodo romana, eodem tempore celebrata. Sed postea animadverti, eam epistolam non esse secundae synodi generalis, sed episcoporum, qui in ea synodo interfuerant, et sequenti anno iterum Constantinopoli convenerant, quamvis autem ex ea epistola non probetur secundam synodum indictam fuisse jussu Damasi: id tamen satis probatur ex concilio sexto, Actor. 18. ut ibidem annotavimus, quod autem secunda synodus, et synodus romana sub Damaso in eandem sententiam convenerint, et pro una et eadem haberi possint, in materia fidei, ex epistola illa satis probatur, ut etiam ex epistola Damasi, quae habetur apud Theodoretum lib. 5. cap. 10.

Cap. 13. § *Quarta ratio est.* Quod in eo para-

grapho dicimus, pontificem olim subjectum fuisse imperatoribus, ut Dominus suis temporalibus, intelligimus de facto, non de jure, cum enim potestas spiritualis superior temporali sit, nulla ratio patitur, ut princeps supremus spiritualis jure subjiciatur principi temporali, quamvis supremo, sed auctoritas summi pontificis paulatim magis ac magis declarata est.

Libro eodem cap. 19. § *Quartum concilium.* Dixi hoc loco, judices saeculi, qui in concilio quarto interfuerunt, non tulisse sententiam, neque aliquid sibi usurpasse in negotio ecclesiastico, quod verissimum est. Quamvis enim in fine primae actionis videantur judices saeculares sententiam tulisse contra Dioscorum, et alios episcopos: tamen non fuit illa proprie sententia judicialis, sed exposuerunt judices illi, quid sibi videretur de caussa, quae tractabatur, et judicium integrum episcopis reliquerunt. Siquidem in tertia actione dicunt episcopi, judices dixisse sententiam contra Dioscorum, si ita sanctissimis episcopis videretur, quibus hanc inferre a Domino Deo creditum est. Itaque synodus in illa tertia actione, tertio citari jubet Dioscorum, et non comparentem, legati papae romani, ut veri praesides condemnaverunt, et eorum sententiam tota synodus approbavit.

Lib. 3. cap. 6. § *Chrysostomus.* Ad testimonium sanctorum Patrum, quibus probatur excommunicatos non esse in Ecclesia, addi potest testimonium s. Gregorii, qui in expositione primi versiculi psalmi quinti poenitentialis sic ait, *De hoc spiritu non vivit haereticus, non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus, quia non sunt de corpore.*

Eodem cap. § *Probatur ultimo.* Quod dixi in quarta ratione, non posse excommunicari nisi contumaces et incorrigibiles, intelligi debet de excommunicatione ab homine, quae cum trinam monitionem requirat ex jure canonico, recte dicitur ferri in incorrigibiles, cum in eos feratur, qui bis, terve admoniti corrigi non potuerunt. At excommunicatio a jure contumaciam quidem requirit, sed non incorrigibilitatem.

Cap. 7. § 1. Ubi dicitur, *ex parabolis Domini*, rectius dicetur, ex parabolis evangelicis, nam prima illa parabola de area, tritico et paleis, non est parabola Domini, sed Joannis Baptistae.

Lib. 4. cap. § *Sed nec Zwinglius.* Scripsit Calvini sectam diminui coepisse per Puritanos in Anglia. Sed Puritani, ut postea didici, puri Calviniani sunt.

Cap. 9. § 4. *Peputiani.* Ubi dixi, Calvinianus in Anglia mulierem esse summum pontificem, rectius dixissem, Protestantibus in Anglia mulierem esse caput Ecclesiae. Calviniani enim abhorrent a regimine unius capitis, et in coetu seniorum regimen Ecclesiae ponunt.

Et § 18. *Xenaias.* Ditavi Paulinum in vita s. Felicis, et Athanasium in quaestionibus ad Antiochum. Sed per vitam s. Felicis intellexit, natales s. Felicis carmine scriptos. Quod autem dixi haberi in vita s. Felicis, habetur natali decimo.

Librum quaestionum ad Antiochum, cum existimo esse s. Athanasii Alexandrini episcopi: quippe qui in ipso libro alicubi citatur et rejicitur, nisi forte inserta sint multa ab aliquo posteriore auctore. Certe liber auctoris veteris est, et inter opera s. Athanasii excudi solet. Et fortasse libri auctor Athanasius est, sed ab illo priore et celebriore diversus.

Cap. 14. § *Decimoquarto saeculo.* Non recte positus est s. Bernardinus saeculo quartodecimo, cum ponendus fuerit saeculo sequenti cum s. Vincentio.

Cap. 17. § 2. In fine paragraphi desunt haec: *Maxentius denique imperator in decipulam conjectus, quam Constantino paraverat, misere periit et incruentam victoriam Constantino reliquit, ut scribit Eusebius lib. 9. hist. cap. 9. ex versione Ruffini.*

RECOGNITIO LIBRORUM

De membris Ecclesiae, idest, clericis, monachis, laicis.

Lib. 1. qui est de clericis, cap. 5. § 1. ad tertiam propositionem, quae est haec; *Electio ministrorum Ecclesiae non sit a solo Deo.* Animadvertendum est, non negari a nobis posse electionem fieri a solo Deo, quomodo scimus electos fuisse Moysem, Petrum et alios. Sed quod voluimus dicere, est, non fieri ordinarie electionem ministrorum a solo Deo, ratione praedestinationis, idest, quia ipse solus novit, qui sint praedestinati. Est enim propositio adversus Wiclefum, qui solos praedestinatos admittit ad Ecclesiae ministerium.

Eodem cap. § 3. *Ex Patribus.* Non approbo quod dixi, fuisse Caipham verissimum pontificem, quia dignitatis illius gratia prophetaverit: Nam potuit Deus dono illo prophetiae ornare Caipham, quia de facto pontifex erat, etiamsi fortasse de jure non erat. Constat enim ex Josephi historia pontificatum ab Herode rege delatum ad homines, qui non erant ex familia pontificia, factumque annuum et vendibilem, aliisque modis degenerasse a divina institutione. Sed placuit Deo honorare nomen ipsum, ac forte umbram solum pontificatus.

Cap. 9. § *Quartus modus.* Animadverti postea quam haec scripseram, et praelo commiseram: non esse omnino certos canones illos duos, qui hoc loco citantur ex Gratiano dist. 63. can. *Adrianus*, et can. *In synodo*; ut supra diximus in recognitione libri 2. de pontifice cap. 29. et infra dicemus in recognitione lib. 1. de translatione imperii cap. 13.

Cap. 16. § *Haec Onuphrii.* Ubi probatur ex synodo s. Gregorii plures presbyteros cardinales fuisse in eodem titulo, potest addi aliud argumentum simile ex prima synodo sub Symmacho, in qua subscribunt sexaginta septem presbyteri, et tamen non inveniuntur tituli cardinalium tempore Symmachi, nisi viginti octo, quia videlicet plures erant cardinales ejusdem tituli, ut ex illis ipsis subscriptionibus apparet. Potest etiam addi insigne testimonium ex epistola Joannis III. papae, quam refert cardinal. Baronius in appendice ad tomum nonum annalium. Nam in ea epistola dedicat Joannes papa Ecclesiam apostolorum, eamque titulum cardinalem declarat. Atque in eo titulo non unum, sed plures cardinales constituit, ut ex initio epistolae in-

telligi potest. Sic enim incipit epistola: *Joannes episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis cardinalibus, et clericis Ecclesiae apostolorum.*

Eodem cap. § *Postea tamen.* Ubi dicitur: Pontifices solitos fuisse eligi aliquando ab imperatoribus. Potest et forte debet nomen imperatorum deleri. Id enim scripseram sequutus canones illos, Adrianus et in synodo dist. 63. Sed eos canones dici postea non esse satis probatos, et quamvis aliquando imperatores nominaverint viros aliquos ad pontificatum, tamen irrita censebatur electio, nisi clerus romanus eosdem iterum elegisset. Itaque Leo IX. cum ab imperatore nominatus, purpura indutus pontificia Romam veniret, occurrit ei Hildebrandus, qui postea fuit papa Gregorius VII. eique persuasit, ut privato habitu urbem ingrederetur, quod imperatoris nominatio non satis esset ad pontificem rite creandum, nisi cleri romani accessisset electio. Vide Othonem Frisigensem in historia.

Cap. 26. § 2. in fine paragraphi, verba illa: *At certe discipuli Christi clerici omnes esse debent*, ambigua sunt. Posset enim his verbis significari, debere omnes qui discipuli Christi esse volunt, ad clericatum transire. Sed vera interpretatio est omnino contraria, voluimus enim significare, clericis omnibus convenire, ut discipuli Christi sint.

Cap. 27. § ult. in ultimis verbis: *Vide quae scripsimus in* 3. *tomo lib. ult. cap.* 7. rectius dictum fuisset: *Vide quae scripsimus in lib.* 3. *de bonis operibus, qui est de eleemosyna cap.* 7. Nam in editione veneta hi libri sunt in quarto tomo: in prioribus editionibus in tertio.

Cap. 28. § *Tertia propositio.* Ad concilia citata pro exemptione clericorum a jurisdictione principum saecularium, addi possent concilium milevitanum canon. 19. et concilium costantiense sess. 31. cujus verba sunt haec: *Laici in clericos nullam habent jurisdictionem et potestatem.* Vide etiam quae allegantur paulo infra pro quinta propositione.

RECOGNITIO LIBRI SECUNDI

Qui est de monachis.

Cap. 14. § 2. Ubi dixi, *apud Graecos et Latinos non erat ulla vera pietas.* Rectius dixissem, *vix erat ulla vera pietas.* Quamvis enim regnaret eo tempore apud omnes fere nationes idololatria, tamen non certo scimus, non fuisse etiam tunc aliquos vere pios, qualis fuit Job et amici ejus; et posteriore tempore Cornelius centurio, et alii.

Cap. 22. § *Sed primum, si sola conjectura.* Non approbo quod hoc loco dixi, b. Virginem non statim cogitasse se fore matrem Messiae, cum angelus ei dixit: *Ecce concipies in utero, et paries filium*, et quod addidi, probabile esse, tunc eam non scivisse, Matrem Messiae Virginem futuram. Haec inquam non approbo, quia satis aperte angelus loquutus est, et Virgo prudentissima facile intelligebat quod dicebatur. Quod autem sciverit Matrem Messiae Virginem futuram, scribit b. Ambrosius hunc ipsum locum exponens. Nam cum probasset Matrem Messiae debuisse Virginem esse, ex illis verbis Isaiae: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*, addidit, *legerat hoc Maria, et ideo credidit futurum, sed quomodo fieret, ante non legerat*, haec ille. At, inquies, si noverat b. Maria Christum ex Virgine nasciturum, et se Christi Matrem futuram, angelo id nuncianti credidit, cur timuit virginitati suae? timuisse enim verba illa declarant, *Quoniam viro non cognosco*, quae sic exponuntur a s. Bernardo: *Si oportuerit me frangere votum, ut pariam filium, et gaudeo de filio, et doleo de voto.* Et a s. Athanasio in sermon. de sancta Deipara, qui ait: *Hic haesitat Virgo, utpote ad naturam respiciens, et de Josepho cogitans, cui nupta erat.* Respondeo: Fortasse non venisse tunc statim illi in mentem quod antea legerat, de virginitate Matris Messiae, et ideo virginitati suae timuisse, atque hoc videtur dicendum, secundum s. Bernardi et s. Athanasii expositionem. Addo, fortasse non timuisse virginitati suae, sed cupivisse discere modum, quo futurum erat, ut Virgo pareret ac si dicere voluisset, quoniam virum non cognosco, sine dubio non pariam filium naturali ordine, et modo, sed si paritura sum, certe Virgo paritura sum: quomodo autem res tam nova et insolita fiet? Atque haec videtur esse sententia b. Ambrosii, qui dicit b. Mariam credidisse se Virginem pariturum, sed interrogasse de modo, quo id futurum esset. Et quadrat huic expositioni responsio angeli dicentis. *Spiritus sanctus superveniet in te etc.* idest, ideo Virgo paries, quia Spiritus sancti, non viri alicujus opera, paries.

Cap. 27. § 3. epistolae Martialis Apostoli, et liber Abdiae de rebus gestis apostolorum citantur a nobis, tum hoc loco, tum etiam alibi, quoniam ab aliquibus recipiuntur: quamvis non ignoremus eos libros non esse tantae auctoritatis, ut in iis, dogmata fundari possint.

Cap. 38. § *Quintum est*, quae adducuntur ex s. Augustino, potuissent omitti, valde enim probabile est in illis locis per sponsas intelligi eas, quae promissae fuerant, non quae per verba de praesenti matrimonium contraxerant.

RECOGNITIO LIBRI TERTII

Qui est de laicis.

Cap. 3. § *Ad primum ergo.* Quod hoc loco scripsi, illud: *ergo liberi sunt filii.* Matth. 17. ad literam de solo Christo intelligi, verum est. Sed non ideo excluduntur ecclesiastici ab exemptione tributorum, immo excluduntur, quia cum filius regis liber est a tributo, consequenter liberi sunt ejus famuli et familiares ut supra diximus in lib. de clericis cap. 28.

Cap. 6. § *Quinto nota.* Docuimus hoc loco, potestatem politicam in regibus, aliisque principibus non esse immediate a Deo, sed mediante consilio et consensu hominum. Et quoniam haec communis sententia est, non curavimus ullis argumentis eam communire. Quia vero dum hunc locum recognosceremus, nonnulli scripserant, regum potestatem politicam, non minus immediate esse a Deo, quam sit potestas summi pontificis: necessarium esse duxi aliquid hoc loco addere. Primum igitu

adfero auctores hujus sententiae, ex theologis antiquis s. Thomam 2. 2. quaest. 10. artic. 10. ex recentioribus, Dominicum a Soto, lib. 4. de just. et jure quaest. 4. art. 1. ex canonistis Navarrum in cap. *Novit*. de judic. notab. 3. num. 41. et 85. quibus plurimi alii adjungi possent, secundum addo experientiam, nam romana civitas primo reges habuit: deinde populus ipse reges sustulit, et magistratus annuos creavit, et quemadmodum regum imperium justum habebatur: ita postea justum habitum est, imperium consulare, quia populo ita placuit, et hoc regimen Romanorum laudatur lib. 1. Machab. cap. 8. sed rursus eadem civitas ad unius absoluti principis regimen rediit, quod non minus justum habitum fuit, cum Scriptura jubeat talibus principibus obediri, Rom. 13. et alibi, et rationem reddit Justinianus in institut. de jure natur. gent. et civili, § *sed et quod principi*, ubi sic ait: *Quod principi placuit, legis habet vigorem, quia populus lege regia, quae de ejus imperio lata est ei, et in eum omnem suam auctoritatem et jurisdictionem transtulit*, haec ille. Qui aperte fatetur, potestatem principis a populo dimanasse. Addidit autem Seneca in epist. 108. etiam ab ipsis regibus provocationem ad populum fuisse. Quod Livius lib. 1. confirmat exemplo Tullii Hostilii regis. Quod autem diximus de romana civitate, de multis aliis dici posset, quae regimen unius in aristocraticum vel democraticum aliquando mutaverunt, et rursum ad regimen unius principis redierunt. Itaque Navarrus loco notato non dubitat affirmare, numquam populum ita potestatem suam in regem transferre, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit. Addo postremo testimonia et exempla Scripturae. Deuter. 12. habemus ad populum pertinere constituere super se regem; quamvis Deus voluerit eum eligi in populo suo, quem ipse designasset. Quod docent exempla Scripturae divinae, enim illos ipsos, quos Deus immediate ad principatum elegisse videtur, consensu populi opus habuisse, ut reipsa regnum obtinerent pacificeque regnarent. Lib. 1. Regnum cap. 10. Samuel propheta Dei jussu Saulem unxit in regem, tamen haec unctio fuit potius praedictio quaedam, quam traditio regiae potestatis, nam paulo post Samuel forte regem elegit, et sors in Saulem cecidit, et quia non pauci non acquiescebant illi electioni: capite sequenti dixit Samuel ad populum: *Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit*, inquit Scriptura, *omnis populus, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala*. Deus igitur Saulem secreto designavit regem; et providentia sua fecit ut sors in eum caderet, et rursum inclinavit populi voluntatem, ut eundem regem habere vellent proinde non sine consensu populi, neque immediate a Deo Saul rex factus est. Idem multo clarius in Davide perspicitur. Nam lib. 1. Reg. cap. 16. dixit Deus Samueli: *Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethleemitam, providi enim in filiis ejus mihi regem*. Et paulo post unxit Samuel Davidem in regem super Israël, sed quod haec designatio quaedam et praedictio fuerit, et non proprie regiae potestatis collatio, perspicuum est ex eo, quod David Saulem, donec vixit, pro vero rege et Domino suo coluit: neque etiam Saule defuncto ausus est sibi regnum vindicare, nisi a populo regiam potestatem acciperet. Sic enim legimus lib. 2. Reg. cap. 2. *Veneruntque viri Judae, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda*. Et paulo post, dicit ipse David; *licet mortuus sit Dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi*. Et cum aliquandiu fuisset bellum inter David, quem sequebatur domus Juda et Isboseth filium Saul, quem ut haeredem regni sequebatur domus Israël, tandem post annos septem defuncto Isboseth, venit etiam domus Israël, et pactum iniit cum David, eumque unxit in regem super omnem Israël, ut scribitur lib. 2. Regum cap. 5. fecit igitur Deus Davidem regem, sicut tanto antea illi promiserat, sed fecit mediante consensu populi, quem providentia sua inclinavit, ut Davidem inungerent, regemque constituerent. Sic etiam lib. 3. Regum capite 11. per Abiam Silonitem prophetam elegit Deus Hieroboam in regem Israël, sed complevit opus suum cap. 12. mediante consensu populi, qui rebellavit a rege Roboam, et constituit sibi regem Hieroboam. Si ergo illos quos Deus ipse reges fecit, non sine consensu populi fecit: certe multo minus ulli alii recte dici possunt immediate a Deo regiam potestatem accepisse.

Cap. 11. § 7. et ult. septima illa ratio ducta ex doctrina apostolorum, ad probandum, legem humanam obbligare in conscientia, nimis obscure et breviter posita est. Ideo suppleatur hoc modo. *Haec loca divinae Scripturae satis demonstrant quod volumus. Nam si principes habent a Deo potestatem imperandi, certe, qui eis non parent, non solum principes, sed ipsum etiam Deum offendunt, et si qui principi resistunt, Dei ordinationi resistunt; certe peccant in conscientia, non secus ac si divinas leges praevaricarentur, et si qui resistunt, damnationem sibi acquirunt, certe culpam in conscientia dignam ea poena incurrunt, et si ex necessitate subditi sunt homines privati principibus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, quomodo non peccant in conscientia, qui eis justa imperantibus non obediunt? Denique si principes, Dei sunt ministri, et eis propter Deum parendum est, certe Dei majestatem laedunt, qui principum leges non servant.*

Cap. 13. § ult. Tractatur locus evangelii Matth. 5. *Dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo etc.* Adhibitae sunt autem duae explicationes, sed adhiberi potest alia tertia, quae nobis magis literalis esse videtur. Igitur Christus non reprehendit legem talionis, quae sancta et justa erat, data enim est judicibus publicis, non personis privatis, et ipsi judicii datur lex servanda inter aequales, nam inter inaequales lex talionis injusta esset, gravius enim est peccatum filii in parentem, quam parentis in filium, et ideo in ipsa lege praecipitur, ut qui maledixerit patri, morte moriatur, ubi non servatur forma talionis, cum maledictioni non maledictio, sed mortis poena rependitur. Neque solum poena talionis inter aequales justissima est, ut et-

iam philosophus docet in libro 5. de moribus, sed etiam clemens. Semper enim laesus pluris aestimat suam laesionem, quam revera sit, et qui vulnus accepit, mortem pro vulnere referret, si posset. Deus autem hunc affectum temperavit, et voluit laesos contentos esse simili poena. Addit autem Josephus lib. 4. antiq. cap. ult. licuisse reo poenam illam pecunia redimere, si laesus consensisset. Itaque Dominus, ut diximus, legem veterem non reprehendit; sed jubet tolli discordiarum initia, ut non sit opus, ut judex usque ad poenam talionis desaeviat: quasi dicat, lex jubet puniri crimina gravium offensionum per talionem; ego autem jubeo tolli occasiones gravium offensionum, ne talionis poena sit opus, quod fiet, si initio contentionum non resistatis malo, sed patienter feratis initium offensionis. Omnis enim magna contentio initio fuit levissima, sicut magna incendia a modica scintilla, et maxima flumina ab exiguo fonte incipiunt. Recte igitur s. Hilarius in commentario hujus loci scribit, legem veterem excidere ramos vitiorum, evangelium securim ponere ad radices. Et clarius s. Hieronymus in hunc ipsum locum: *Ibi*, inquit, *idest, in lege, emendatur culpa; hic peccatorum auferuntur exordia.* Et potest id cognosci ex superioribus. Lex enim, ut ipse Dominus ait, prohibuit homicidium, ipse autem prohibuit iracundiam, quia iracundia semen est homicidii. Lex prohibuit perjurium, ipse prohibuit juramentum, sine necessitate susceptum. Lex prohibuit adulterium, ipse prohibuit aspectum lascivum, et sic de caeteris.

Cap. 20. § *Ad illud.* Adde, quod ex libris Pelagii nihil extat sub nomine Pelagii, sed solum sub nomine sancti Hieronymi, qualia sunt commentaria in omnes epistolas sancti Pauli, Epistola quaedam ad Demetriadem, et symbolum falso inscriptum ad Damasum.

Cap. 22. § *Respondeo, et si nunc.* Non probo quod dixi incertum esse, quae sit lectio verior in epistola ad Titum cap. 3. *post unam correptionem*, vel, *post unam et alteram correptionem.* Nam etiamsi prior lectio sit apud Irenaeum, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium et Hieronymum: tamen in editione vulgata, quam sequi debemus, nulla est varietas lectionis, sed omnes codices tum impressi, tum manuscripti legunt *post unam et alteram*; et s. Hieronymus in comment. hujus loci affirmat in latinis exemplaribus haberi, *post unam et alteram*, ut nos modo legimus, eamque lectionem magis placuisse s. Athanasio, quam aliam, ex quo etiam colligitur lectionem illam priorem, non fuisse in omnibus codicibus graecis, sed in aliquibus tantum. Itaque non debet in dubium revocari, lectionem quam nunc habemus in latinis et graecis codicibus, esse verissimam.

RECOGNITIO DUORUM LIBRORUM

De purgatorio.

Lib. 1. cap. 7. § *Eusebius Emissenus.* Citatur hoc loco Eusebius Emissenus in homilia de epiphania, quia sub tali nomine circumferuntur homiliae illae. Sed re vera Eusebius Emissenus non potuit esse auctor, tum quia ille graecus fuit et Arianus, ut scribit s. Hieronymus in chronico: homiliae autem illae latinum et catholicum auctorem; quod attinet ad fidem substantialitatis Filii, sine dubio habuerunt, tum quia auctor homiliarum illarum significat variis in locis se monachum fuisse in monasterio Lirinensi, quod erat in Gallia. Eusebius autem episcopus fuit Emissenus in Graecia. Verus auctor creditur fuisse a nonnullis Faustus episcopus Regiensis, ab aliis Caesarius Arelatensis, uterque enim ex monasterio Lirinensi assumptus est ad episcopatum.

Cap. 10. § 1. Citatur Athanasius in quaestionibus ad Anthiochum. Sed ut supra diximus, verus auctor ignoratur.

Lib. 2. cap. 3. § *Ad tertium dico.* Dixi b. Joannem cum ait 1. epist. 4. *perfecta charitas foras mittit timorem*, non loqui de timore poenae, sed de timore culpae praecipue propter poenam, quibus verbis volui significare, Joannem non loqui de timore naturali, vel filiali, qui cum perfecta charitate consistunt; sed de timore servili tantum, quo timemus culpam propter poenam, ac per hoc praecipue timemus poenam. Sed facilius dici posset, Joannem loqui proprie de timore rei amatae, qui omnino charitati repugnat. Dicit enim, timorem non esse in charitate, quia charitas non gignit timorem, sed desiderium rei amatae; immo, ut ipse addit, *perfecta charitas foras mittit timorem*, quia, qui diligit, non timet, sed cupit praesentiam ejus quem diligit, et addit rationem, quia timor poenam habet, et contra charitas gaudium habet. Loquitur enim de adventu Christi ad judicium, et docet, eos qui non diligunt Christum, timere adventum ejus, et refugere apparere ante conspectum ejus: eos autem, qui perfecte diligunt, non timere, sed desiderare adventum ejus, neque reformidare conspectum ipsius, sed ad illum inhiare ac dicere cum propheta in psal. 41. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Et cum sponsa in Apocalypsi cap. ultim. *Veni Domine Jesu.* De quibus dicit Apostolus 2. Timoth. 4. *Non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt*, idest, desiderant, *adventum ejus.* Atque haec expositio nihil juvat intentionem Lutheri, qui ex hoc loco probari existimabat, Animas in purgatorio non esse perfectas in charitate, quia timent poenas. Nam ex hoc loco probatur potius eas esse perfectas in charitate, quia timent sive horrent poenas illas, propter quas differtur visio Dei, ad quam vehementer anhelant, et ex altera parte libenter tolerant easdem poenas, quia vident per eas se purgari et disponi ad videndum Deum, quem toto corde diligunt.

Cap. 8. § *De damnatis similiter.* Dixi orari pro obstinatis in malo, ut Deus det illis gratiam efficacem, quae certe non datur nisi ex privilegio, quo loco non volui dicere gratiam efficacem non dari absolute nisi ex privilegio; sed non dari obstinatis in malo, peccantibus, videlicet, in spiritum, nisi ex privilegio, horum enim peccatum dicitur irremissibile, quia nonnisi rarissime, et difficillime remittitur, quomodo morbus dicitur incurabilis, quia non curatur nisi miraculo.

RECOGNITIO TRIUM LIBRORUM

De gloria et cultu sanctorum

Lib. 1. cap. 8. § ult. Quod diximus sanctos veteres coepisse coli in Ecclesia universali, non tam lege, aliqua, quam consuetudine, consensu summorum pontificum, saltem tacito, approbata: non ita intelligimus, quasi in sua etiam provincia sancti illi absque ullo episcopali decreto coli coeperint. Scimus enim semper in Ecclesia catholica morem fuisse, ut sine examine et judicio episcoporum, ne martyres quidem publice colerentur, ut ex Cypriano lib. 3. epist. 6. Optato lib. 1. adversus Parmenianum ex Augustino in Breviculo collationis tertiae diei cap. 11. agnosci potest. Sed quod dicere voluimus, est, sanctos, qui colebantur in certis provinciis ex decreto particularium episcoporum, paulatim coepisse coli in aliis provinciis, et in ipsa universali Ecclesia, non tam lege aliqua summi pontificis, qui solus potest toti Ecclesiae leges dare, quam consuetudine ubique recepta, et ab ipso pontifice consensu saltem tacito approbata. Quibus autem id non placet, ii proferant certius aliquod fundamentum unde probetur sanctos plurimos, ut Hilarium, Martinum, Nicolaum, et similes in Ecclesia universa recte coli, cum nulla extent summorum pontificum de eorum canonizatione diplomata: neque ullae historiae de ipsorum canonizatione aliquid testentur.

Eodem lib. cap. 10. § *Quoad septimum.* Ad eos honores, qui exhiberi possunt sanctis nondum canonizatis, addi potuisset pia devotione frequentare sepulchra illorum, et tabellas indices gratiarum per eorum intercessionem adeptarum appendere. Nam id fieri videmus passim in tota Ecclesia, et inter alia, quae investigantur cum agitur de canonizatione alicujus, quaeri solet, utrum sepulchrum ejus frequentari soleat. Scribitur etiam in historia de vita et rebus gestis s. Antonini archiepiscopi florentini, ipsum sanctum virum ante ipsius canonizationem per visum apparuisse cuidam foeminae, comitiali morbo gravissime laboranti, atque eam sanitati perfectae restitutam admonuisse, ut ad sepulchrum suum ceream imaginem, et tabellam sanitatis testem appendere non negligeret.

Lib. 2. cap. 3. § *Eusebius Emissenus.* Jam supra monuimus nos non ignorare auctorem homiliarum, quae sub nomine Eusebii Emisseni circumferuntur, non esse illum Eusebium Emissenum graecum, cujus meminit s. Hieronymus in chronico, et in libro de scriptoribus ecclesiasticis, sed esse Faustum Regiensem, vel Caesarium Arelatensem, vel alium aliquem: sed citamus saepe sub eo nomine quo vulgo inscribi solent.

Eodem lib. cap. 11. § *Tertio adducunt,* Diximus non esse credibile extare librum Ludovici Pii imperatoris adversus imagines Christi et sanctorum, ut Centuriatores scribunt. Sed posteaquam ista scripseram, prodiit liber inscriptus *synodus parisiensis de imaginibus, anno Christi* 824. atque hunc esse librum animadverti de quo Centuriatores loquebantur. Eum libellum continuo refutari, et refutatio edita fuit Venetiis cum aliis quibusdam opusculis, quae addita fuerunt secundo tomo controversiarum.

Eodem lib. cap. 27. § *Jam vero modus crucifigendi.* Dixi s. Andream clavis fuisse cruci affixum, non funibus alligatum, eo quod omnes qui crucifigendi erant, solerent crucem suam gestare et verberari, cruci clavis affigi. Sed non recolui tunc quod saepe legeram in libello de passione s. Andreae, jussisse Aegeam proconsulem, ut s. Andreas, praeter ordinarium modum, ad longiorem cruciatum, non clavis figeretur, sed funibus quasi in equuleo suspensus alligaretur. Modum autem ordinarium fuisse, quem dixi, cognosci potest ex eodem libro de passione s. Andreae, loquitur enim Aegeas in eo libro ad s. Andream dicens: *In ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi praecipiam.* Caeterum postea fustigari quidem illum jussit, sed clavis affigi noluit: *Mandavit enim,* inquit auctor libri, *quaestionariis, ut ligatis manibus et pedibus, quasi in equuleo tenderetur, ne clavis affixus cito deficeret.*

Lib. 3. cap. 7. § *De benedictione cerei paschalis.* Ubi diximus ex pontificali patere Zozimum papam mentionem fecisse cerei paschalis; per pontificale, intelligimus librum de romanis pontificibus, qui habetur in primo tomo conciliorum, quo loco annotandum est, non fuisse auctorem Zozimum, benedictionis cerei paschalis, cum de eodem cereo insigne carmen conscripserit Prudentius, qui Zozimum aetate praecedit; sed Zozimum concessisse, ut in singulis paroechiis cereus paschalis accenderetur, cum antea in solis majoribus ecclesiis ejus cerei usus fuisset.

RECOGNITIO DUORUM LIBRORUM

De sacramentis in genere

Lib. 1. cap. 18. § *Probatur haec propositio.* Dixi verba consecrationis Eucharistiae ex concilio florentino non esse formam sacramenti, sed formam consecrationis. Quo loco non retuli verba, sed sensum concilii: neque negare volui verba illa: *Hoc est corpus meum,* posse dici formam sacramenti Eucharistiae, sed solum admonere volui, non esse illa verba, formam ex qua sacramentum constet, sed ex qua conficiatur, ac per hoc non esse in sacramento Eucharistiae materiam et formam ita proprie, ut in composito physico. Verba concilii haec sunt: *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum.* Ubi vides, verba Domini dici formam sacramenti, quia per illa conficitur sacramentum.

Lib. 2. cap. 15. Citatur Eusebius Emissenus inter graecos auctores. Sed revera homiliae, quae inscribuntur Eusebio Emisseno, latinum auctorem habuerunt quamvis non omnino certum.

Eodem lib. 2. post caput 17. Admonendum censui lectorem, in tota praecedenti disputatione numquam me negare voluisse in circumcisione remitti solitum peccatum originale, sed solum ipsam circumcisionem non remisisse peccatum vi sua, et ex opere operato, ut facit Baptismus, nam paulo infra, videlicet cap. 26. § *Sed haec levia sunt,* aperte

circumcisionem excepi, quando dixi, sacramenta vetera non fuisse instituta ad remittenda peccata. Quamvis enim aliqui veteres Patres, quos adduxi ad probandum nulla sacramenta vetera gratiam contulisse ex opere operato, videantur aliquando significare, circumcisionem nullo modo valuisse ad peccati remissionem, tamen non ignorabam s. Augustinum et Patres ac doctores, qui s. Augustini tempore floruerunt, magno consensu tradidisse, in circumcisione, peccatum originale remissum fuisse, videlicet s. Gregorium lib. 4. moralium cap. 2. auctorem sermonum de operibus cardinalibus Christi, serm. de circumcisione, qui falso inscribitur s. Cypriano. Bedam lib. variarum quaestionum quaest. 15. et in comment. ad cap. 2. Lucae s. Bernardum epist. 77. denique Magistrum sentent. lib. 4. dist. 1. Quem omnes theologi scholastici sequuntur, et ipse etiam Innocentius pontifex III. cap. *Majores*, de Baptismo, et ejus effectu. Quem doctorum consensum, praesertim accedente sententia summi pontificis, neque ego contemnere ausus fuissem, neque ullus pius doctor unquam me auctore contemnet.

Eodem lib. cap. 27. § *Paschasius in libro de coena.* Dixi Cyprianum, sive auctorem de operibus cardinalibus Christi, in sermonibus de coena Domini, de ablutione pedum et de Chrismate, explicasse tria sacramenta, quae Dominus instituit in coena, quae sunt Eucharistia, Chrisma et Ordinatio. Sed non recte dictum est auctorem illum explicasse sacramenta, quae Christus instituit in coena: cum potius dicendum fuisset, ab auctore illo explicari mysteria, quae Ecclesia celebrat in die coenae Domini, quae sunt Eucharistiae institutio, ablutio pedum, reconciliatio poenitentium et confectio Chrismatis.

RECOGNITIO LIBRI

De Baptismo

Cap. 7. § *Tertio probatur exemplis.* Dixi Ananiam cum apud Damascum baptizavit apostolum Paulum, non fuisse sacerdotem, neque diaconum, sed mere laicum. Quod satis probari existimavi ex eo quod conversio et Baptismus s. Pauli inciderit in primum annum a passione Domini. Animadverti postea non deesse qui conversionem s. Pauli ponant anno secundo a passione Domini, et qui velint Ananiam illum diaconum fuisse. Sed nos in assignando tempore conversionis s. Pauli sequuti sumus Eusebium, qui in chronico, tum necem s. Stephani, tum conversionem s. Pauli ponit anno trigesimoquarto a nativitate Domini, et decimonono Tiberii imperatoris, et hoc tempus satis cohaeret cum iis, quae scribit Apostolus in epist. ad Galatas cap. 1. et 2. videlicet post annos tres a sua conversione venisse Hierosolymam, videre Petrum, et rursum post annos quatuordecim iterum Hierosolymam rediisse, et cum apostolis caeteris evangelium contulisse. Id enim communiter accidisse creditur anno decimooctavo a passione Domini, quando primum concilium Hierosolymis celebratum est, de quo agitur Act. 15. Nam si ad annos tres, et quatuordecim addas annum unum, qui fluxit a passione Domini, licet non integrum, fient anni decem et octo. Neque obstat quod quidam dicunt non potuisse martyrium s. Stephani, et conversionem s. Pauli incidere in eundem annum, cum post mortem s. Stephani narrentur in actis apostolorum multae res gestae ante conversionem s. Pauli, quae non potuerunt brevi tempore compleri. Hoc, inquam, non obstat, nam quae narrantur de rebus gestis a Philippo diacono, non est necesse, ut omnia contigerint ante conversionem s. Pauli. Potuerunt enim eodem tempore et Philippus praedicare in Samaria et Paulus proficisci in Damascum. Sed s. Lucas non potuit omnia simul narrare. An autem Ananias fuerit eo tempore diaconus, necne, incertum esse arbitror: et quod scripsi ex conjectura, non ex certa scientia, scripsi. Oecumenius quidem affirmat Ananiam fuisse tunc diaconum, id quod ex canone Clementis probat. Sed, Clemens in constit. apostolicarum lib. 8. contrarium significare videtur. Cum enim de Philippo et Anania loquitur, Philippum diaconum, Ananiam fidelem fratrem appellat.

RECOGNITIO LIBRI

De Confirmatione

Cap. 4. Prope finem citatur concilium constantinopolitanum tertium, can. 7. Sciendum autem est, hunc canonem esse unum ex illis novem, qui adscribuntur sextae synodo generali, quae fuit tertia constantinopolitana, in quodam codice reperto in monasterio s. Bavonis apud Gandavum; ut annotatur in secundo tomo conciliorum, quod admonere volui; ne quis putaret citatos esse canones synodi Trullanae.

Cap. 10. § 1. Dixi formam sacramenti Confirmationis esse; *Consigno te signo Crucis*, etc. Et quidem verbum, *Consigno*, habetur apud s. Thomam loco citato, 3. part. qu. 72. art. 4. Tamen in concilio florentino, et in pontificali romano non habetur, *Consigno*, sed, *Signo*. Et quamvis idem sensus sit: tamen retinendum est, *Signo*, quod etiam habetur in ordine romano antiquissimo, et apud Ambrosium de iis, qui initiantur mysteriis cap. 7. et apud Apostolum 2. Corinth. 1.

RECOGNITIO LIBRORUM

De Eucharistia

Lib. 1. cap. 8. § *Quantum ad primum.* Dicuntur novem esse explicationes haereticorum ad illa verba: *Hoc est corpus meum*, et ex iis tres dicuntur fundari in pronomine, *hoc*, postea tamen capite decimo refutantur quatuor explicationes ad pronomen, *hoc*, sed nulla est contradictio, nam capite octavo dicuntur tres esse expositiones, quae per tropum exponunt pronomen, *hoc*, quibus additur quarta in capite decimo, quae est sine tropo, falsa tamen. Si libeat tamen decem explicationes numerare, facile erit mutare numeros.

Cap. 10. § *Secundo omissa ista inepta.* Cum dicitur, *Ergo ineptus est etiam, qui dicit, Panis Eu-*

charistiae est ipsum corpus Domini,non nudum symbolum; Non infertur conclusio absolute, sed ex hypothesi, idest, si vera sit Calvini sententia.

Lib. 2. cap.18. § *Aliud testimonium.*Quod scripsi,Gorgoniam ante altare coram venerabili Sacramento orasse, posset alicui videri folsum, cum illis temporibus non soleret asservari sacramentum super altare, sed solum per certa momenta ibi esse, ut scribit Optatus lib. 6. advers. Parmen. Sed ego cum dixi orasse illam coram venerabili Sacramento, non volui significare sacramentum super altare tunc fuisse asservatum, sed referre volui breviter, quod fusissime in ea oratione Gregorius narrat. Scribit enim Gregorius, Gorgoniam ante altare procubuisse ac deinde particulam Eucharistiae, quam apud se recondiderat, pro more illius temporis, protulisse , et quomodo Maria Magdalena olim Christi pedes lachrymis rigaverat,ita Gorgoniam super Eucharistiam, idest, super Christum in specie illa panis delitescentem lachrymas orando fudisse, et impetrasse sanitatem, quam postulabat. Sed forte dicet aliquis, per signacula pretiosi corporis , non significari eo loco Eucharistiam, sed panem benedictum, ex quo Eucharistia confici solebat. Videtur enim Gorgonia tunc adhuc catechumena fuisse, ex illa ipsa oratione Gregorii extrema: Catechumenis autem non licebat Eucharistiam cernere, ne dum apud se habere. At non admitto Gorgoniam tunc fuisse adhuc catechumenam, Gregorius enim scribit quidem illam non longe ante mortem baptizatam fuisse, sed indicat, non tam exiguum tempus inter Baptismum et mortem intercessisse, cum dicat, illam orasse Deum, ut maritum quoque ad Baptismum pervenire concederet, sicut ipsa jam per Dei gratiam ad Baptismum pervenerat, idque impetrasse. Itaque fieri potest, ut miraculum illud per Eucharistiae venerationem contigerit in ultima ejus aetate, cum jam baptizata non longe abesset ab ultima die.

Lib. 3. cap. 11. § *Quinta sententia.* Dixi: Rupertum Tuitiensem abbatem fuisse auctorem erroris eorum, qui docent verbum assumpsisse panem ad unionem hypostaticam, et addidi hunc errorem a Dominico a Soto non recte expositum fuisse. Reprehendit utrumque dictum meum Franciscus Suarez in 3. tomo super tertiam partem s. Thomae, disput. 49. sect. 2. his verbis: *Robertus Bellarminus Sotum reprehendit quod Rupertum excusare voluerit ab errore. Non solum enim putat non posse excusari ab errore, sed etiam fuisse primum auctorem erroris de impanatione per hypostaticam unionem. Ego vero nec invenio, ubi Sotus eum excusaverit: nam potius in eo loco quem ipse citat, scilicet in 4. dist. 9. quaest. 2. artic. 4. illi tribuit hunc errorem. Deinde censeo non fore reprehensione dignum eum, qui varia hujus auctoris dicta observando eum pie interpretari studuerit. Sunt enim in praedictis ejus locis multa, quae indicare possunt illum non habuisse erroneum sensum*, haec ille. Quae, fateor, non sine magna admiratione legi. Ego enim nusquam Sotum reprehendi, quod excusare voluerit Rupertum ab errore: sed quod eam sententiam, quam ipse tribuit Valerano, quae tamen revera Ruperti est, perperam exposuerit. Sic enim eam exponit loco notato in 4. dist. 9. quaest. 2. art. 2. *Posuit*, inquit, *cum corpore Christi manere substantiam panis, non quod aliquo pacto unirentur,sed taliter existerent, ut essent duo supposita omnino distincta.* Hanc Soti expositionem, dixi non esse bonam, sicut re vera non est, ut patet legenti opera Ruperti in locis a me notatis. Neque verum est, quod addit Suarez, Sotum tribuere Ruperto errorem impanationis: quia error Ruperti non est error impanationis, ut paulo ante demonstravi. Ea enim caussa fuit,cur dixerim sententiam Valerani, sive potius Ruperti perperam fuisse a Soto expositam. Quod denique Suarez dicit, ex dictis Ruperti colligi posse, eum non habuisse erroneum sensum: repugnat iis,quae idem Suarez ante duas pagellas de Ruperto scripserat: Haec enim sunt verba Suarez pag. 612. col. 1. *Ubi sentit*, Rupertus ; *panem et carnem Christi uniri inter se, medio verbo. Idem lib. 3.in Joannem circa illa verba; Panis quem ego dabo,caro mea est, pro mundi vita; sicut Verbum caro factum est, non mutatum in carnem; ita Verbum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo, et in unitatem personae suae transferendo panem*, haec ille. Jam igitur si teste Suarez Rupertus sentit , panem et carnem Christi uniri inter se medio Verbo, quia videlicet Verbum assumpsit panem ad unitatem suae personae, et haec sententia erronea est in fide, eodem teste Suarez in eadem pagina columna sequenti: quomodo idem Suarez paulo post, idest, pag. 616. affirmat, Rupertum non habuisse erroneum sensum? Num sentire contra fidem, non est habere erroneum sensum, *At*, inquit Suarez, *Rupertus aliquando dicit panem converti in corpus Christi.* Ita est, sed intelligit consequenter ad suum errorem, nimirum; converti in corpus Christi, quia fit corpus Christi per unionem hypostaticam. Sed ut ipse Rupertus scripsit, lib.2. de divinis officiis cap. 2. et citat etiam Suarez pag. 612. *Panis et corpus de Virgine sumptum, non sunt duo corpora, quia unum et idem Verbum utrumque assumpsit, et sursum est in carne, in altari est in pane.* Sed de his satis.

Eodem lib. 3. cap. 18. § *Ex his colligimus.* Dixi conversionem panis in corpus Christi, non esse productivam, sed adductivam. Quod dictum video a nonnullis perperam esse acceptum, qui inde colligunt hanc non esse vere conversionem, sive transubstantiationem, sed translocationem. At pace ipsorum aperte falluntur, sicut enim conversio et transubstantiatio ad panem pertinent, non ad corpus Christi: Sic etiam translocatio, si cui conveniret, pani conveniret, non corpori Christi. At pani nullo modo convenit, cum non mutet locum, sed transeat in corpus Christi. Sed neque corpus Christi per conversionem adductivam translocari dici potest, cum neque deserat locum suum in coelo, neque incipiat esse sub speciebus, ut in loco, sed ut substantia sub accidentibus, remota tamen inhaerentia. Itaque adductivam conversionem appellavimus, ut significaremus, corpus Christi per consecrationem Eucharistiae non produci de novo,sed praeexistere et per conversionem panis in ipsum

incipere esse sub speciebus panis. At, inquiunt, aliqui Patres dicunt, corpus Christi fieri, vel etiam creari per verba consecrationis, ut patet ex Ambrosio lib. 4. de Sacramentis cap. 4. et Hieronymo in epist. 1. ad Heliodorum. Respondeo: Nullus Patrum dicit, corpus Christi fieri, vel creari absolute, per verba consecrationis: sed fieri ex pane, vel per consecrationem, idest, fieri ut sub speciebus panis non sit amplius panis, sed corpus Christi: neque desunt alii Patres qui quoad modum loquendi videntur probare adductionem, ut patet ex Chrysostomo lib. 3. de sacerdotio, et Gregorio lib. 4. dialogorum cap. 58. et s. Bonaventura in 4. sent. quaest. 10. p. 2. art. 1. quaest. 1. expresse dicit, in transubstantiatione fieri, ut quod erat alicubi, sine sua mutatione sit alibi, et quaest. 2. dicit, per transubstantiationem corpus Christi non fieri, quia factum est in conceptione. Sed quicquid sit de modis loquendi, illud tenendum est, conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi esse substantialem, sed arcanam et ineffabilem, et nullis naturalibus conversionibus per omnia similem, et quam solus Deus facere potest, qui solus in totam entis naturam, ut s. Thomas loquitur 3. part. quaest. 75. art. 4. absolutam potestatem habet.

Lib. 4. cap. 27. § *Respondeo si proprie.* Dixi haberi in evangelio Lucae cap. 22. *Coenantibus illis accepit Jesus panem* etc. Et postmodum multis interjectis: *Similiter et calicem postquam coenavit.* Ut probarem, speciem panis datam esse inter coenandum, speciem autem vini, post coenam. Sed non adverti verba illa, *coenantibus illis*, non esse apud Lucam, sed apud Matthaeum cap. 26. illa autem: *Similiter et calicem postquam coenavit*, esse apud Lucam loco citato. Quare argumentum quod feci, non habet eam vim, quam haberet, si omnia illa verba essent apud eundem evangelistam. Tamen non videtur carere mysterio, quod s. Lucas cap. 22. et s. Paulus 1. Cor. 11. proprie de calice dicant, *Similiter et calicem, postquam coenavit.* Poterant enim eadem facilitate dicere, *Postquam coenavit, accepit panem etc.* Quod etiam servat Ecclesiae, quae in consecratione solius calicis dicit, *Postquam coenatum est.* Quare non est improbabile, sacramentum in specie panis, datum esse statim post lotionem pedum, ut nulla comestio esset media inter esum agni paschalis, qui figura erat Eucharistiae in specie panis, et ipsam Eucharistiam in specie panis, quae erat res figurata; et hanc vocari coenam ab evangelista, qui scripsit, *Coenantibus illis accepit Jesus panem.* Deinde post eam coenam manducato ab omnibus agno coelesti, ultimo loco consecratum fuisse, et praebitum calicem sanguinis in specie vini. Illud certe negari non potest, discrimen esse inter coenam Domini et nostram, quod Dominus primo consecravit, et dedit manducandum corpus suum in specie panis, ut impleret figuram agni paschalis: et alimentum spirituale praeberet. Deinde repetita gratiarum actione, consecravit, et dedit bibendum sanguinem suum in specie vini, tum ut impleret sacrificium secundum ordinem Melchisedech, tum ut moestos discipulos consolaretur: Nos autem nemini damus edendum Christi corpus, nisi prius utramque speciem consecraverimus. Franciscus Suarez disput. 41. De sacramento Eucharistiae, sect. 4. videtur reprehendere Joannem a Lovanio, et me, quod scripserimus, sacramentum in specie panis datum esse a Domino inter coenandum legali coena: in specie autem vini, post finitam omnino coenam, multis interpositis aliis rebus vel actionibus. Sed quicquid sit de sententia Joannis a Lovanio, mihi numquam venit in mentem dicere, vel sentire, sacramentum Eucharistiae datum fuisse inter coenandum coena legali, ac per hoc ante lotionem pedum: neque inter consecrationem panis et calicis a Domino factam, aliam actionem interpositam fuisse, praeter ipsam manducationem sacramenti in specie panis, et de hac intellexi, cum dixi, multis interjectis, *idest, manducatione a multis facta, quae sine aliqua mora fieri non potuit.*

RECOGNITIO LIBRORUM

De Missa

Lib. 1. cap. ult. § *Denique manducatio.* Mirantur aliqui cur dixerim, feria sexta majoris hebdomadae non celebrari sacrificium missae; cum tamen in actione illa sacerdos dicat: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium, etc.* Et paulo ante: *In spiritu humilitatis et animo contrito suscipiamur a te Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi Domine Deus.* Sed in his duobus locis vox *sacrificium*, non videtur proprie accipienda, sed largo modo pro tota illa sacra actione, quomodo in sabbatho sancto vocatur sacrificium, incensi et cerei paschalis oblatio. Cum dicitur: *Suscipe sancte Pater incensi hujus sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione solemni reddit Ecclesia.* Nam quod in sexta feria majoris hebdomadae missa proprie non celebretur, legimus in ordine romano antiquissimo. Item in lib. Alcuini de divinis officiis cap. de feria sexta, quae de parasceve ubi etiam citatur epistola decretalis Innocentii I. Item in 1. lib. de eccles. officiis Amalarii cap. 13. et lib. 2. Rabani de institut. cleric. cap. 37. et apud Thomam Waldensem de sacrament. cap. 88. et 89. Quod idem docent multi scholastici theologi lib. 4. sentent. dist. 13. et s. Thom. 3. part. qu. 83. art. 2. et multi alii ex canonistis super can. *Visum praeterea*, de consecr. dist. 1. et can. *Sabbatho*, de consecr. dist. 3. et cum his Navarrus in enchir. cap. 23. num. 68. Et ratio est, tum quia in illa actione omittitur totus canon in quo praecipue sacrificium missae consistit. Tum quia non sumitur Sacramentum nisi in specie panis: Cum tamen sacrificium Christi, quod est secundum ordinem Melchisedech, necessario in specie panis et vini celebretur. Denique quia sacramentum Eucharistiae non ponitur illo die in altari, nisi ad communionem. Omnes enim ea die sub silentio communicabant, ut dicitur in ordine romano, et eo modo ut scribit s. Thomas loco notato ad 2. participabant fideles fructum passionis Domini, quae potissimum in die illa recolitur.

RECOGNITIO LIBRORUM

De sacramento Poenitentiae

Lib. 1. cap. 1. § *Proprie autem.* Posuit inter libros catholicos, tum hoc loco, tum in praefatione

libri de Matrimonio, enchiridion Joannis Gropperi, quod scripsisse fertur sub nomine concilii coloniensis. Sed quamquam Gropperus ipse vir catholicus semper habitus est, tamen in eo enchiridio non leves errores inveniantur, ut nos indicavimus lib. 3. de justificat. cap. 3. ut non sine caussa is liber in indicem librorum prohibitorum redactus sit, anno Domini 1596.

Cap. 4. § 2. habentur haec verba, *His autem omnibus de numero illo detractis, ad exiguum sane reducetur cumulum ille ingens acervus errorum.* Ex quibus verbis forte suspicabitur aliquis nos admittere ex numero octoginta trium errorum, quos Heshusius catholicis tribuit, saltem paucos aliquos vere esse catholicorum errores. Sed ego id solum significare volui, detractis illis tribus generibus, quae nullam habent speciem errorum, paucissimas remanere sententias, quae nonnullis errores videri possent, antequam eas disputando veras esse, et ab omni errore liberas demonstraremus. Caeterum quia revera nulli sunt errores catholicorum ex iis quos Heshusius eo loco notavit, rectius dixissem: *His autem omnibus de numero illo detractis ad nihilum plane redigetur ille ingens acervus errorum.*

Lib. 4. cap. 11. § *Verumtamen non erit difficile.* Ubi agitur de satisfactione determinata ad certum numerum annorum, vel mensium, vel dierum, posset addi ex lib. Num. cap. 12. exemplum Mariae sororis Moysis, quae post remissam culpam jussa est a Deo per septem dies morari extra castra.

RECOGNITIO LIBRORUM

De sacramentis extremae Unctionis, et Ordinis

De sacramento extremae Unctionis nihil occurrit notandum.

De sacramento Ordinis cap. 5. § *Ac primum.* Dixi Cajetanum tomo 1. opusc. 11. admisisse episcopatum esse sacramentum. Quamvis autem hic auctor non expresse nominet sacramentum, sed Ordinem: tamen videtur omnino idem sensisse quod nos diximus. Qui enim negant episcopatum esse sacramentum, iidem negant esse Ordinem. Nam cum Ordo presbyteratus sit sacramentum; sine dubio episcopatus, qui est presbyteratu major, aut non est Ordo, aut est etiam sacramentum, alioqui Ordo superior non esset sacramentum, et Ordo inferior sacramentum esset. Et contra, qui docent episcopatum esse sacramentum, iidem docent esse Ordinis sacramentum ac per hoc Ordinem, alioqui plura numerarentur sacramenta quam septem.

In eodem capite, ubi dixi, solos episcopos posse confirmare et ordinare, et si inferiores ista attentent nihil prorsus efficere: intellexi per ordinariam potestatem; non enim eo loco negare volui, quod alibi affirmaveram, posse presbyterum ex dispensatione apostolica confirmare.

In eodem capite, ubi dixi, episcopatum et presbyteratum esse unum Ordinem, sed genere non specie, et paulo infra, presbyteros et episcopos, esse duas species sacerdotum, rectius dixissem esse unum Ordinem, sed gradus diversos, non tam episcopus, quam presbyter sacerdos et dicitur et est: sed ille major, iste minor, quare in libro pontificali, ubi traditur ritus ordinandi presbyteros, dicuntur presbyteri secundi ordinis sacerdotes.

Eodem modo ubi dixi, cap. 8. extremo, septem Ordines esse unum sacramentum, vel genere, vel quia ad unum finem omnes referuntur: potuisset omitti illud, *vel genere*; nam ut s. Thomas recte docet in 4. dist. 24. quaest. 2. sive in additione ad 3. part. qu. 37. art. 1. ad 2. Ordinis sacramentum non est unum universale, quod dividatur in species, neque integrale, quod dividatur in membra; sed unum potestativum, quod plene reperiatur in Ordine sacerdotii, in aliis per participationem, ut ad sacerdotium referuntur.

RECOGNITIO LIBRI

De Matrimonio

Cap. 17. § *Ad tertiam probationem.* Dixi adversus Bucerum, qui contendebat nuptias esse necessarias omnibus hominibus, Christum, b. Virginem, et s. Joan. Baptistam sine conjuge esse voluisse, quo loco non volui significare, s. Josephum non fuisse verum conjugem beatissimae Virginis Mariae, quorum verum matrimonium alibi defenderam: sed probare volui exemplo trium excellentissimarum personarum, Christi, Mariae et Joannis, non esse necessarium omnibus adhaerere conjugi in ordine ad carnis commistionem, de qua ibi cum Bucero disputabatur.

Cap. 22. § *Sed intelliguntur.* Quod hoc loco dicitur, non dirimi Matrimonium quando contractum est inter virum habentem aliam uxorem, et mulierem ignorantem virum illum esse conjugatum; non intelligitur dum vivit prima uxor, sed posteaquam ea mortua fuerit, dum enim vivit prima uxor, non potest vir ejus aliam ducere, ut supradictum est in quaestione de polygamia: sed ea mortua, si tam mulier quam vir sciebant, vivere primam illam uxorem, et nihilominus inter se Matrimonium contraxerunt, secundum leges Ecclesiae omnino separandi sunt. Sed si mulier a viro decepta existimabat, illum vel uxorem numquam habuisse, vel priorem esse defunctam: Matrimonium non dirimitur, nisi ipsa velit: si enim nolit, cogitur vir illam in uxorem ducere, et illi ut verae uxori deinceps cohabitare, atque hic est sensus capitis primi, de eo qui duxit, etc. et hoc idem nos dicere voluimus, sed obscurius loquuti sumus, dum brevitati nimium studemus.

RECOGNITIO LIBRI

De gratia primi hominis

Cap. 4. § *Jam igitur primus homo.* Diximus primum hominem in statu innocentiae non egusse auxilio excitante, dirigente et protegente. Et quidem si agatur de his auxiliis, quatenus nobis necessaria sunt ob ignorantiam et infirmitatem relictam ex peccato originali, ut s. Thomas dicit 1. 2.

qu. 109. art. 9. verissimum est quod diximus,nam ut s. Augustinus scribit lib. de corrept. et grat. c. 2. Adam in statu innocentiae non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis etc.* Verumtamen quia primi illi homines adhuc tentari a daemone, et seduci poterant, ideo non videtur absolute negandum, eguisse homines in statu innocentiae auxilio excitante, dirigente et protegente, praesertim cum dicat sanctus Augustinus lib. 14. de Civitate Dei cap. 27. *Cur non permitteret Deus ut ab illo primus homo tentaretur, quandoquidem sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret bonus homo malum angelum vinceret.*

RECOGNITIO LIBRORUM

De amissione gratiae, et statu peccati

Lib. 2. cap. 17. Cum solverem secundum Calvini argumentum, videor mihi paulo brevius, atque obscurius esse loquutus. Probare volebat Calvinus Adamum peccasse, quia Deus decreverat,ut peccaret, adducit autem hanc rationem. Non est factum naturaliter ut a salute exciderent omnes, unius parentis culpa: cum igitur hoc naturae adscribi nequeat, ab admirabili consilio Dei profectum esse minime obscurum est, quid ergo prohibet fateri de primo homine quod inviti de toto humano genere concedunt? Respondi:Falsum esse antecedens, atque ostendi naturaliter factum esse, ut primo homine cadente, ut suo casu naturam corrumpente, omnes posteri nascerentur vitiati et peccatores. Sed contra objici posset, non ita esse, nam si donum justitiae originalis fuisset personale,idest,soli Adamo concessum, ut vere esse poterat, cum supernaturale donum esset: posteri ejus nascerentur sine justitia originali, et tamen peccatores non essent. Quod igitur peccatores nascerentur Adami filii, non debet tribui soli propagationi naturali, sed etiam decreto Dei, quo statuerat, ut tum donum justitiae originalis, tum praevaricatio Adami, si de ligno vetito vesceretur, transfunderetur ad posteros per naturalem propagationem. Hinc enim factum est, ut peccatores nascamur, quia nascimur sine justitia, quam in primo parente accepimus, et quia ex pacto Dei,illo peccante omnes peccavimus. Respondeo: Negari non posse quin propagatio peccati originalis praesupponat decretum,sive pactum Dei de dono justitiae, et de primo peccato transfundendo in posteros. Sed hoc decreto praesupposito, omnino naturaliter transfunditur peccatum originale per carnalem generationem. Et hoc breviter insinuavimus, cum in nostro libro diximus: Naturam humanam in se primus homo vitiavit,cum justitiam illam originalem amisit, quam Deus illi pro se, et pro toto genere humano donaverat. Quare cum paulo infra dicimus, sine alio decreto Dei, per ipsam naturalem propagationem nascimur omnes peccatores, non excludimus decretum illud de dono justitiae,et de primo peccato transfundendo in posteros, sed decretum novum,quo Deus decreverit, ut filii Adam nascerentur peccatores;sicut ex sententia Calvini, Deus decrevit, ut Adam peccaret, multum enim interest inter decretum Dei, ut justitiae originalis donum,et ejus privatio transfunderetur ad posteros, quod agnoscimus, ut bonum, et Deo dignum: et decretum, ut Adam peccaret, et peccato suo totam naturam corrumperet, quod ut iniquum et Deo indignissimum detestamur.

Lib. 4. cap. 15. § *Habemus octavo.* Scripsi auctorem, nomine Idiotam, vixisse paulo post annum octingentesimum a natali Domini,id autem scripsi, sequutus fidem aliorum. Sed postea animadverti ab eo auctore verba sancti Bernardi usurpari, ex quo colligitur, ut vixerit post annum Domini 1153. hoc enim anno s. Bernardus obiit.

RECOGNITIO LIBRORUM

De gratia et libero arbitrio

Lib. 1. cap. 6. § *Primo concilium.* Ubi dixi, ex mente concilii tridentini unicam esse formalem caussam justificationis, eamque in fide, spe et charitate consistere: magis proprie dixissem, eam in charitate consistere, quamvis enim fides et spes necessario requirantur ad justificationem, tamen id quod verissime propriissimeque justificat tamquam unica formalis caussa, charitas est; de qua concilium loquitur cum ait,ut ibi citavimus:*Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri JESU Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret,* neque enim homo incipit vivere aut justus esse, nisi cum incipit diligere: dicente apostolo Joanne, *qui non diligit, manet in morte,* 1. Joan. 3. cui subscribit Augustinus in libro de natura et gratia cap. ultim. cum ait:*Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.*

Eodem libro cap. 12. § *Rursus idem Augustinus.* Diximus:Vocationem Dei internam esse moralem inclinationem et impulsionem,cui libere consentimus. Et paulo infra § *Postremum argumentum.* Iterum dicimus: Gratiam Dei determinare voluntatem non physice, sed moraliter, per modum persuasionis. Quo loco per vocem, *determinare,* non intelleximus determinationem proprie dictam, quae tollit indifferentiam, sed persuasionem, quae moralis motio quaedam est voluntatis, neque enim potest moveri voluntas nisi moraliter, quando movetur mediante intellectu proponente objectum.Sed non ideo negare voluimus, voluntatem moveri per gratiam etiam efficienter et physice, ut explicavimus in eodem libro cap. 13. ubi diximus: Deum non solum illustrando intellectum proponere objectum voluntati, sed etiam aspirare voluntati bonum desiderium, et infra,afflare initium bonae voluntatis, quae aspiratio, sive afflatio, physica actio est et Deo propria, qui novit facere intus operando, ut voluntati placeat objectum propositum, neque tamen illa delectatio a Deo infusa,sive complacentia, sive suavitas, ut eam s. Augustinus vocat,

necessitat voluntatem, sed inclinat solum. Ibidem etiam diximus, Deum per gratiam adjuvantem vere efficienter et physice movere voluntatem. Quae repetere voluimus, ne quis existimaret, nullam nos agnoscere motionem voluntatis per gratiam, nisi moralem.

Ad idem cap. 12. ubi ex Augustini sententia demonstrare conati sumus, gratiam efficacem non consistere in gratia adjuvante et praedeterminante physice, sed in gratia congruae vocationis, sive excitationis, visum est addere alia testimonia ejusdem Augustini, quoniam res gravissima est. Igitur idem Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2. *Illi*, inquit, *electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, nec contemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti, quamvis vocati.*

Idem Augustinus lib. de corrept. et gratia, cap. 5. *Quare*, inquit, *iste sic, et ille aliter, atque alii aliter diversis, et innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur: absit ut dicamus judicium luti esse debere, sed figuli.* Haec ille. Ubi docet, homines vocari, ut reformentur, non uno modo, qualis est physica praedeterminatio, quae in omnibus eadem est, sed variis et innumerabilibus modis, prout sunt varia et innumerabilia objecta, quae ad movendas hominum voluntates, per internas inspirationes a Deo repraesentari possunt.

Similis locus est in lib. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 19. *Trahitur, miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex non volentibus fiant.*

Idem Augustinus in lib. de gratia Christi cap. 13. *Haec gratia*, inquit, *si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occulis, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impendat charitatem.* Haec ille. Ubi admittit, gratiam efficacem posse dici doctrinam, sed interiorem et efficacem, ut non solum suadeat, sed etiam persuadeat, illuminando videlicet intellectum et inflammando voluntatem.

Denique idem Augustinus in eodem libro de gratia Christi cap. 41. explicat quomodo gratia interius operetur, exemplo conversionis s. Petri, post trinam negationem. *Quod scriptum est*, inquit, *respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lachrymas movit, et produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus et actionibus nostris, ecce quemadmodum et velle et operari, operatur in nobis.* Haec ille. Qui non meminit ullius physicae praedeterminationis, sed illuminationis intellectus, cum ait, *cor tetigit*; excitationis memoriae, cum addit, *memoriam revocavit*, inflammationis voluntatis, cum ait, *interioris hominis produxit affectum.*

Eodem lib. 1. cap. 13. solvimus argumentum quo probari posse videbatur, internam illuminationem non esse proprie gratiam Christi, quam Pelagiani negabant, sed pertinere ad legem, atque doctrinam, quam iidem Pelagiani gratiae nomine appellabant. Potest addi aliud argumentum ex testimonio sancti Augustini. Nam in lib. de gratia Christi cap. 7. refert sanctus Augustinus haec verba Pelagii: *Adjuvat nos Deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne praesentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi et ineffabili dono gratiae coelestis, illuminat.* Deinde his recitatis addit Augustinus: *In his omnibus non recessit a commendatione legis, atque doctrinae.* Ubi videtur sanctus Augustinus coelestem illuminationem non ad veram Christi gratiam, sed ad legem atque doctrinam referre. Respondeo: Pelagium non agnovisse ullam gratiam interiorem, sed solum externam doctrinam sanctarum Scripturarum, quae dum legitur vel auditur, oculos cordis aperit et futura demonstrat, et diaboli pandit insidias, et multiformi dono, per promissiones, vel minas, vel exempla, quae in Scripturis continentur, illuminat. Id ita esse ejusdem Augustini testimonia ex eodem lib. petita demonstrant. Nam c. 9. sic ait: *Quid ergo est, quod iste*, Pelagius videlicet, *legem atque doctrinam deputat gratiam, qua juvamur ad operandam justitiam? quae ut multum adjuvet, ad hoc adjuvat, ut gratia requiratur, nemo enim potest legem implere per legem, plenitudo enim legis charitas, charitas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, proinde per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam compleatur. Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eandem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere?* Haec ille. At lex, quae impletur per gratiam, lex est scripta in divinis libris.

Idem auctor in eodem lib. cap. 10. cum retulisset verba Pelagii, qui dicebat gratiam, qua Deus operatur in nobis velle bonum, consistere in promissione gloriae, in revelatione sapientiae, in persuasione omnis boni, ait: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur, velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque et doctrina sanctarum Scripturarum futurae gloriae, atque praemiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est, et si inter docere et suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc doctrinae generaliter concluditur, quae quibuscumque sermonibus, vel literis continetur, nam sanctae Scripturae docent et exhortantur.* Haec ibi. Ubi vides per legem et doctrinam nihil significari nisi doctrinam Scripturarum, sermones et literas.

Idem Augustinus in eodem lib. cap. 24. *Legant*, inquit, *et intelligant, intueantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras re-*

velationes, sed etiam bonas voluntates. Nota illud, *forinsecus insonante.*

Idem Augustinus in eodem lib. cap. 31. cum dixisset, Pelagium confiteri, liberum arbitrium in omnibus operibus semper divino auxilio adjuvari: addit, per hoc auxilium intellexisse Pelagium more suo legem, atque doctrinam; et dixisse, semper juvari, quia scriptum est: *In lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Idem Augustinus in eodem lib. cap. 41. *Sed hoc adjutorium*, inquit, *legis atque doctrinae, etiam propheticis fuisse temporibus: adjutorium autem gratiae, quae proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quae nobis evangelica praedicatur.*

Idem Augustinus in epist. 107. ad Vitalem: *Quid est*, inquit, *quod ait Apostolus, Deus in nobis operatur et velle et perficere? Respondeo: Per legem suam, per Scripturas suas, Deum operari, ut velimus quas vel legimus vel audivimus.* Et infra: *Corrigantur*, inquit, *qui putant gratiam Dei esse naturam liberi arbitrii, cum qua nascimur, aut gratiam Dei esse doctrinam, quamvis utilem, quae per linguas et literas praedicatur.* Denique ut lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 19. idem Augustinus ostendit, nullam internam excitationem bonam Pelagianos confiteri solitos, cum tamen suggestionem malas daemonibus tribuerent. *Vos autem*, inquit, *in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum voluntate, nihil eam credatis operari, quod satis tua verba declarant. Cur enim non dixisti hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum diaboli suggestionibus excitari?* Constat igitur ex Augustino, nullam internam gratiam agnovisse Pelagianos. Et certe si interna illuminatio non esset vera gratia, sed lex atque doctrina, quam solam agnoscebant Pelagiani, concilium tridentinum non diceret sess. 6. cap. 5. exordium justificationis fieri a praeveniente gratia, hoc est, a Dei vocatione: quam declarat cum ait: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem.* Et cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divina gratia et adjuti fidem ex auditu concipientes etc.* Adde quod idem concilium separat doctrinam legis, quam Pelagiani agnoscebant, ab interna inspiratione, ut intelligi potest ex can. 1. et 3. Proinde concilium internas inspirationes non legem atque doctrinam, sed Christi veram gratiam esse credebat.

Lib. 2. cap. 3. § *Quartum sumunt.* Quod fides sit donum Dei, probatum est ex illo 1. Corinth. 12. *Alteri datur fides in eodem spiritu.* Sed hoc loco non agitur de fide, quam christiani omnes habent, quam esse donum Dei probandum erat; sed de excellenti quadam fide, quae necessaria est ad miracula facienda. Rectius igitur allatus fuisset locus ex cap. 2. ad Ephes. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est.*

Eodem lib. 2. cap. 6. allegantur multi auctores, qui docent auxilium sufficiens, non dari omnibus momentis ad resurgendum a peccato, sed pro loco et tempore, ut Abulensis, Adrianus, Cajetanus. Sed observandum est, auctores istos non hoc solum dicere, quod nos dicimus, sed aliquid etiam aliud, quod nos non dicimus, videlicet, aliquibus hominibus, vel ob gravitatem, vel ob multitudinem peccatorum, Deum in reliqua vita certo decreto auxilium denegare. Siquidem episcopus Abulensis quaest. 12. in 4. cap. Exodi, cum dixisset, propter certum numerum peccatorum damnari interdum aliquos ad hanc poenam, ut non detur eis deinceps gratia necessaria ad conversionem, addit haec verba: *Et quando ista poena alicui infligitur, tantum est ac si actualiter in infernum demergatur, vel si tunc in peccato mortali moriatur.* Adrianus quaest. 3. de poenitentia in responsione ac argumenta: *Ex his*, inquit, *respondeo, quod sicut damnatis nulla est facultas per poenitentiam revertendi ad Deum: ita peccatoribus in via perditae vitae merito adimitur saepe facultas, sine qua sint convertendi.* Cajetanus Jentaculo 8. quaest. 1. *Et quamvis*, inquit, *etiam istis, si poenitentiam agerent, venia daretur, disponit tamen divina justitia permittere istos impoenitentes perseverare, ita quod sub hac dominica revelatione cadit non solum negatio remissionis, sed negatio doni poenitentiae, tamquam si dictum fuerit, quod peccantibus spiritu blasphemiae numquam concedetur remissio, quia numquam concedetur gratia poenitendi, exigente hoc maxima ipsorum nequitia.* Quibus doctoribus tres sancti Patres favere videntur. Ait enim sanctus Anselmus in comment. ad cap. 12. sancti Matthaei. *Quidam recognoscunt veritatem, et tamen ex invidia et pravitate animi contra conscientiam suam bonitati Dei resistunt.* Et paulo post: *Isti tales in diabolicum peccatum cadunt, et Deus deserit eos, sicut Judam, ita quod non possunt poenitere et humiliare se, sed per obstinationem detenti sunt.* Sanctus Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 15. *Nonnulli*, inquit, *ita despiciuntur a Deo, ut deplorare mala sua possint.* Et infra: *Ingemiscendum est jugiter, et postposita securitate lugendum, ne Dei decreto et justo judicio deseratur homo, et perdendus in potestate daemonum relinquatur.* Sanctus Augustinus in explicatione quarundam sententiarum epistolae ad Romanos, sententia 62. *Non deputabatur*, inquit, *Pharaoni in peccatum, quod Deo non obtemperaret, quoniam obdurato corde obedire non poterat.* Ego sicut tantos auctores reprehendere non audeo, ita pium esse credo sentire de Domino in bonitate, ut nulli sint, qui pro loco et tempore dum vivunt, divinae gratiae respectu non visitentur. Atque ad hoc tantum confirmandum auctores illos initio capitis allegavi. Quod admonere volui, ne quis existimet, me sententiam illorum, quos citavi, in omnibus esse sequutum.

In eodem sexto capite explicatur locus s. Thomae ex 3. p. q. 86. art. 1. Sed paulo obscurius. Ideo sciendum est, cum s. Thomas dicit, erroneum esse asserere, aliquod peccatum per poenitentiam deleri non posse: duplicem esse sensum eorum verborum, ut ipse dicit; unum, aliquod peccatum per poenitentiam deleri non posse, quia poenitentiae sacramentum non sufficiat ad illud delendum. Alterum, quod ideo peccatum aliquod per poeni-

tentiam deleri non possit, quia non possit qui illud commisit converti ad Deum et poenitentiam agere. In utroque sensu recte dicit sanctus Thomas erroneam esse illam sententiam. Et in priori quidem, manifestum est esse erroneam, quia derogat virtuti passionis Christi, unde vim habent omnia sacramenta. In posteriore vero, dicit esse erroneam, quia praesupponit gratiam Dei in illo, qui dicitur non posse poenitentiam agere, et ad Deum converti, ac si dictum esset, non posse hominem de aliquo gravissimo peccato poenitere etiam adjutum gratia Dei. Probat enim s. Thomas illam sententiam esse erroneam, quia repugnat libertati arbitrii et virtuti gratiae Dei. Vere autem repugnat libertati arbitrii, qui dicit non posse hominem gratia Dei adjutum poenitentiam agere: non autem repugnat, qui dicit, non posse hominem sine auxilio gratiae poenitere, et pari ratione repugnat virtuti gratiae, qui dicit hominem gratia praeveniente et sufficiente adjutum, non posse poenitere: non autem repugnat, qui dicit hominem gratiae auxilio destitutum, non posse poenitere. Atque hinc etiam declaratur sententiam concilii lateranensis, quae habet, semper posse hominem per veram poenitentiam reparari. Est enim sensus ex doctrina s. Thomae, semper posse hominem, per veram poenitentiam reparari, et quia sacramentum poenitentiae vim habet ad omnia peccata delenda, et quia potest homo gratia Dei adjutus semper veram poenitentiam agere. At ex his non sequitur, auxilium gratiae omnibus momentis cuivis peccatori semper adesse. Quod etiam non sequi ex eodem s. Thoma probari potest, qui in 2. 2. quaest. 2. art. 5. ad primum dicit, hominem non posse sine auxilio gratiae credere et diligere: Hoc autem auxilium quibus datur, ex misericordia dari, quibus non datur, ex justitia non dari in poena peccatorum praecedentium. Itaque admittit s. Thomas auxilium necessarium aliquando non dari.

Lib. 4. cap. 11. § *Secundo efficienter.* Ubi diximus, a s. Thoma notari in qu. 22. de verit. art. 8. duos modos quibus potest Deus inclinare voluntatem ad operandum, unum, efficienter et physice, immediate illam movendo et determinando ad unum: alterum efficienter quidem, sed mediante aliqua forma, quam imprimit in voluntate. Nam volumus significare, Deum ex mente s. Thomae reipsa uti illo primo modo, cum movet homines per gratiam efficacem. Existimamus enim Deum posse quidem uti illo primo modo, si velit, sed tunc tolli omnino libertatem arbitrii, ac per hoc, non putamus Deum uti de facto illo primo modo, neque absolute, neque ex mente s. Thomae, ut probamus in hoc eodem lib. c. 14. Itaque hoc loco non diximus quid reipsa faciat Deus, sed quid facere possit, si velit. Sed quia s. Thomas dum explicat primum modum, non utitur illis verbis, quibus nos usi sumus, videlicet efficienter et physice immediate determinando; sed solum dicit Deum operari in ipsa voluntate, movendo illam sine appositione ullius formae: Verisimile est, s. Thomam per priorem modum non intellexisse solam physicam determinationem, sed in genere loquutum esse de motione Dei, sine appositione formae, itaut comprehendat tum physicam determinationem, quae necessitat, licet non cogat, tum motionem moralem, quae neque cogit, neque necessitat. Nam in explicatione posterioris modi, qui est per appositionem formae, explicat, Deum hoc facere aliquando necessitando, ut cum apponit formam perfectam, qualis est charitas beatorum; aliquando non necessitando, ut cum apponit formam imperfectam, qualis est charitas viatorum.

Eodem libro et capite, § *Quarto objective.* Ubi diximus, Deum aliquando movere voluntatem objective et efficaciter, sed itaut efficacia proveniat, non tam ex vehementia persuasionis, quam ex dispositione voluntatis, quam Deus praevidet. Non sumus loquuti de efficacia gratiae, sed de efficaci motione ad actiones civiles, sive indifferentes, de quibus tantum eo loco disputabatur. Nam cum agitur de actibus supernaturalibus ad gratiam pertinentibus, non dubitamus, efficaciae ipsius gratiae actionem esse tribuendam: et cum dicimus, Deum ita vocare, ut videt, voluntatem esse aptam ad sequendum, non volumus significare, voluntatem aptam esse ad sequendum solis suis viribus, sed praeparatam et adjutam a gratia.

Cap. 14. § *Sanctus Thomas.* Attulimus aliqua loca s. Thomae, in quibus videtur nobis satis aperte indicasse sententiam suam de concursu Dei cum libero arbitrio. Sed possumus addere sequentia loca, adhuc fortasse clariora. Quod libro primo art. 7. ad 2. *Deus*, inquit, *movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Idem in 2. sent. dist. 25. quaest. 1. art. 1. ad 3. *In libero arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi illi ministret, et illo operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis, et finis in potestate liberi arbitrii constituitur.* Accedunt ad haec principia quaedam, quasi propria s. Thomae, cum quibus doctrina de praedeterminatione non videtur posse consistere. Certe s. Thomas in 1. part. quaest. 63. art. 5. et alibi constanter docet, primum actum voluntatis tribuendum esse Deo, reliquos autem ipsi voluntati. Cujus differentiae non est caussa, quod ad primum actum voluntas habeat se mere passive, vel quod fiat sine judicio rationis; sed solum quod ad illum praedeterminetur a Deo. Igitur in aliis actibus non praedeterminatur. Alioqui non esset discrimen inter primum et sequentes.

Deinde idem s. Thomas in 1. part. quaest. 14. art. 13. magno labore inquirit, unde Deus noverit futura contingentia, et recurrit ad coëxistentiam omnium temporum cum aeternitate, atque addit, in caussis suis futura contingentia non posse cognosci, quia caussae contingentium sunt indeterminatae, et ad opposita se habent. At si Deus praedeterminaret omnes caussas, etiam liberas, certe in illis futura contingentia facile cognosceret.

Ad haec idem s. doctor quaest. 6. de veritate, artic. 3. in corpore, certitudinem praedestinationis declarat exemplo conservationis speciei per multi-

plicationem individuorum. Liberum enim arbitrium deficere potest, et excidere a salute: Deus tamen in iis, quos praedestinavit, tot adminicula praeparat, ut vel praedestinati non cadant, vel si cadunt omnino resurgant. At profecto si Deus praedeterminaret voluntates ad singulos actus, non esset opus tot adminiculis. Ex ipsa enim praedeterminatione infallibilis esset, et certissima praedestinatio. Denique idem auctor in quaest. 24. de verit. art. 9. scribit, confirmatos in gratia non habere ex solo intrinseco dono, ut numquam peccent mortaliter, sed ex variis adminiculis, et continua Dei custodia. At si praedeterminatio admitteretur, illa sola pro adminiculis omnibus plane sufficerent.

Lib. 5. cap. 27. § *Deinde nos egemus.* Dixi, Adamum non eguisse auxilio speciali ad superandas tentationes, sed potuisse tentationes omnes liberi arbitrii viribus superare. Rectius dixissem, Adamum in statu innocentiae non eguisse auxilio speciali ad superandas tentationes; quia carnis rebellio et concupiscentia in eo non erant. Nam de tentationibus agitur eo loco, quae ex concupiscentia oriuntur.

Lib 6. cap. 7. § *Nos igitur.* Quod scripsi, nullam dilectionem Dei neque perfectam, neque imperfectam haberi posse sine speciali auxilio Dei, intelligo de vera dilectione, quae sit pius erga Deum affectus, et initium verae conversionis. Alioquin enim dubitari non potest, quin homo queat propriis viribus elicere quosdam actus, qui videri poterunt actus affectionis. Sed erunt potius velleitates, quam voluntates et imagines dilectionis, quam verae dilectionis actus; quales sunt cum ii, qui in peccatis laethalibus perseverantes aliquando dicunt, volo Deum super omnia diligere, vel cum haeretici Deum se amare jactant, et forte in oratione lachrymas fundunt, cum tamen sine fide, qua haeretici carent, vera dilectio Dei esse non possit. Atque hinc fortasse concilium tridentinum, sess. 6. can. 3. cum docet, non posse hominem sine auxilio gratiae credere, sperare, diligere, addit, *sicut oportet*, et theologi docent, unam ex caussis, cur non possimus certitudinem habere de nostra justitia, esse similitudinem actuum naturalium et supernaturalium. Vide s. Thomam.

Denique s. Gregorius hom. 30. in evangelio, scribit, nullum fere esse, qui interrogatus, an diligat Deum, non respondeat *diligo:* Et tamen multi falluntur, cum 1. Joan. 4. scriptum sit, *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.*

Eodem libro cap. 15. § *Octava sententia.* Ubi dicimus, gratiam excitantem efficacem non tollere arbitrii libertatem, quia nihil est aliud, nisi suasio, quae non determinat voluntatem, sed inclinat per modum proponentis objectum: non excludimus actionem Dei immediate in voluntatem, nam in eodem cap. § *Ad quartum*, paulo ante habentur haec verba: *Respondeo, ad gratiam excitantem pertinere, ut proponat objectum aliquod congruum menti, per quod homo persuaderi possit; et praeterea excitet mentem ad illud considerandum, et ut moveat voluntatem, eamque inclinet ad illud acceptandum.* Quo loco per motionem voluntatis, et inclinationem ad objectum acceptandum, intelligimus complacentiam, sive affectionem erga illud, quam Deus immediate et latenter miro modo infundit per actionem vere efficientem, ut alibi diximus. Hoc igitur loco brevissime indicavimus, quae paulo ante pluribus verbis docueramus, et cum diximus, *nihil est aliud nisi suasio*, intelligi debet, cum aliis quae ad persuadendum infallibiliter requiruntur.

RECOGNITIO LIBRORUM

Quinque de justificatione

Lib. 1. cap. 17. § *Alterum argumentum.* Dixi, fidem esse caussam formalem inchoatam justificationis. Quod ex eo colligitur, quia concilium tridentinum, et Patres citati dicunt, fidem esse initium et fundamentum justificationis. Sed hoc loco attente considerandum est, longe aliter fidem esse initium justificationis ac justitiam imperfectam et inchoatam: quam s. Augustinus lib. de natura et gratia, cap. ult. dicat, charitatem imperfectam et inchoatam, esse imperfectam, inchoatamque justitiam: Charitas enim vere et absolute formalis justitia est, et ideo qui vel unum gradum verae charitatis habet, absolute justus est, et vivit vita gratiae. At fides ita inchoata, et imperfecta justitia est, ut neque ipsa possit absolute dici justitia, neque qui habet omnem fidem, ut etiam montes transferat, si charitatem non habeat, justus dicatur, aut vivus. *Qui enim non diligit, manet in morte*, 1. Joan. 3. Itaque imperfecta charitas, imperfecta justitia est, quomodo puer est homo imperfectus, qui tamen vere, absolute et simpliciter est homo. Fides autem est imperfecta justitia, quomodo embrio nondum animatus, est homo inchoatus et imperfectus, qui absolute, et simpliciter non est homo. Qua similitudine utitur s. Augustinus lib. 1. ad Simplic. quaest. 2. Item charitas imperfecta, est imperfecta justitia, quo domus ex fundamento parietibus, et tecto constans imperfecta dicitur, si desit aliqua vel fenestra, vel aula, cum absolute et simpliciter domus sit: At fides inchoata justitia est, quomodo fundamentum sine parietibus, et tecto inchoata domus est, sed simpliciter domus non est. Fides igitur proprie et simpliciter justificat per modum dispositionis; formaliter autem simpliciter et absolute non justificat, ut probamus in libro sequenti, cap. 4.

Lib. 3. cap. 9. Propositum est argumentum pro certitudine gratiae ex verbis Domini Luc. 17. *Cum feceritis haec omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Videtur enim ex his verbis colligi, posse hominem agnoscere et secure affirmare, se fecisse omnia, quae debuit facere, ac per hoc, se implevisse omnia mandata, et ideo justum esse, quia factores legis justificabuntur. Ad hoc argumentum respondimus quidem, sed dum brevitati studuimus, obscuritatem vitare non potuimus. Addendum igitur est, verba illa (*quod debuimus facere fecimus*) non significare, implevimus omnia Dei mandata; sed quod fecimus, si quid fecimus, ex debito fecimus, quia facere tenebamur, et ideo servi inutiles sumus, quia nihil fecimus amplius quam deberemus.

Ideo enim Dominus non dixit, cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite, fecimus omnia, quae praecepisti nobis,sed *quod debuimus facere fecimus*, idest, si quid fecimus, non debetur nobis magna laus quia debuimus facere. Quod etiam aperte colligitur ex parabola praecedenti, ex qua haec dominica admonitio processit. Ait enim Dominus:*Quis vestrum habens servum arantem,aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi:Statim transi, recumbe; et non dicat ei: para quod coenem, et praecinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam, et post haec tu manducabis et bibes? numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quod ei imperaverat? Non puto; sic et vos cum feceritis omnia* etc. Itaque non colligitur ex his verbis, hominem justum posse, aut debere secure, affirmare se mandata omnia implevisse:sed agnoscere conditionem suam servilem, seque facere debuisse quod fecit, graviter puniendum nisi fecisset. Huc respexisse videtur s. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagianos cum ait: *Haec hominibus sola perfectio, si perfectos esse se noverint. Et vos, inquit, cum feceritis omnia,dicite,servi inutiles sumus,quod debuimus facere fecimus.* Hinc etiam s. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 51. scribit, verba Domini, *cum feceritis omnia*, etc. dicta esse ad docendum, quod nemo ex opere suo extolli debeat.

Et s. Bernardus serm. 4. in psal. *Qui habitat. Quod debuimus*,inquit, *facere, fecimus; vae enim nobis si non fecissemus. Haec est utique magna virtus et summa securitas, quando et pie vivis, et tamen plus attendis, quae desunt tibi, quam quae obtinuisse videris.* Quomodo autem ex his verbis non colligatur, mandatorum observationem non mereri ex condigno mercedem, explicatur infra suo loco.Sed interim dicimus,ex parabola praemissa satis aperte colligi, non agi hoc loco de mercede debita operi, sed de gratia et dono, quod debetur beneficio praecedenti. Sic enim loquitur Dominus de servo faciente quod debuit: *Numquid gratiam habet servo illi, qui fecit quod ei imperavit? non puto.* Non ait Dominus, non redderet ei debitam mercedem pro labore, sed non habebit illi gratiam, quasi ab eo beneficium accepisset. Sic etiam dicitur Luc. 6. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quod vobis est gratia?* Et tamen diligere amicos, qui nos diligunt, virtus est et digna mercede, sed non est aliquid eximium, pro quo gratiae habendae sint et beneficia rependenda. Sic etiam loquitur b. Paulus 1. Corinth. 9.*Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria. Necessitas enim mihi incumbit.* Ubi non negat sibi deberi mercedem pro labore evangelizandi,sed negat sibi deberi aliquid peculiare et egregium pro opere supererogationis,quale sibi debebatur ex eo quod sine sumptibus, ut ipse loquitur, poneret evangelium,idest, sumptus necessarios non acciperet a populis, quibus evangelium praedicabat.Sic denique intellexit s. Ambrosius in libro de Viduis,ubi cum posuisset verba illa Domini: *Dicite servi inutiles sumus*, addit, *hoc Virgo non dicit, hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit,sed quasi reposita expectat praemia, sicut s. Apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Non enim quasi inutilis servus quod debuit facere, fecisse se dicit, sed quasi utilis Domino*, etc.

RECOGNITIO LIBRORUM TRIUM

De bonis operibus, idest, oratione, jejunio, et eleemosyna

Nihil occurrit notandum in his libris.

RECOGNITIO OPUSCULI

De translatione imperii

Lib. 1. cap. 7. § 1. Dixi, Moysem,Aaronem,Saulem, Davidem, et Petrum singulari Dei vocatione principatum vel ecclesiasticum vel politicum accepisse. Id quidem verum est, sed non eodem modo per omnia accipiendum. Moyses enim et Petrus immediate a Deo sine ulla hominum electione, vel consecratione, vel requisito consensu,principatum adepti sunt. Aaron a Deo quidem vocatus, sed a Moyse consecratus fuit. Saul et David a Deo designati reges fuerunt, sed a populis facti dicuntur in lib. 1. Regum cap. 11. et lib. 2. Regum cap. 2. et 5. de qua re plura scripsimus in Recognitione libri de Laicis, qui est tertius de membris Ecclesiae.

Eodem lib.1. cap.13. § *Multa sunt hoc loco.*Admisi tamquam legitimos canones, qui habentur apud Gratianum dist. 63. can. *Adrianus*, et can. *In synodo.* Sed postea animadverti,canones illos esse vel falsos, vel certe dubiae fidei,ut etiam admonui in Recognitione libri secundi de Summo Pontifice cap. 29. et lib. de Clericis cap. 9. et cap. 16. quia non nituntur auctoritate ulla, nisi Sigeberti, qui suspectus haberi potest ob nimiam propensionem erga imperatores, qui suo tempore cum romanis pontificibus de investituris episcoporum contendebant. Neque responderi potest, hos duos canones, niti etiam auctoritate Ivonis Carnotensis, qui Sigeberto antiquior fuit, extant enim in Panormia, sive Pannomia,ut rectius scribi deberet, Ivonis lib. 8. cap. 135. et 136. Hoc, inquam,responderi non potest,quoniam auctor Panormiae Ivonis non fuit Ivo, sed alius recentior, qui canones collegit magna ex parte ex Ivone,sed addidit etiam aliquos ex decretis, quae facta sunt post obitum Ivonis.Itaque vocatur Panormia Ivonis, quia est quasi compendium decreti Ivonis, non quod auctor compendii fuerit Ivo. Quod enim auctor Panormiae fuerit Ivone posterior, colligitur ex lib. 8. ubi ponuntur multa decreta Innocentii II. qui sedit post obitum Ivonis.Vide lib. 8. cap. 141. 142. 143. 149. 152. quemadmodum igitur in Panormia inveniuntur canones Innocentii II. qui fuit Ivone posterior,ita potest fieri, ut canones illi duo, *Adrianus*,et *In synodo*,desumpti sint ex auctore qui vixerit post Ivonem. Certe canones isti in decreto Ivonis,cujus Panormiae dicitur esse compendium, nullo loco inveniuntur.

Lib. 3. cap. 2. Dixi:Electores imperii constitutos fuisse a Gregorio V. Sed decretum ejus pontificis fuisse quidem continuo exequutioni mandatum,quatenus constituebat, ut rex eligeretur a principibus

mperii, sed non fuisse nisi post ducentos annos, et amplius usu receptum quoad restrictionem ad numerum septenarium. Sed postea cardinalis Baronius,cui multum omnino Ecclesia debet ob immensos labores, quos pertulit, toto fere vitae suae tempore, in historia ecclesiastica undique colligenda et literis commendanda, invenit librum cujusdam Matthaei parisiensis monachi s. Albani in Anglia, qui anglicam historiam scripsit ab anno Domini 166. usque ad annum 1250. atque ex eo auctore haberi scripsit ab Innocentio IV.in concilio lugdunensi generali, quod celebratum est anno Domini 1245. restrictum fuisse numerum electorum imperialium ad septem; videlicet, ad ducem Austriae, ducem Bavariae, ducem Saxoniae, ducem Brabantiae, archiepiscopum Coloniensem, archiepiscopum Moguntinum et archiepiscopum Salsburgensem.Sed videtur omnino vel in eodem concilio,vel paulo post in locum Salsburgensis substitutus fuisse archiepiscopus Trevirensis, et in locum ducum Austriae, Bavariae et Brabantiae, substituti,rex Bohemiae, marchio Brandeburgensis et comes Palatinus Rheni: Hos enim septem nominat Martinus Polonus,qui fuit poenitentiarius ejusdem Innocenti IV. pontificis, s. Thomas,Augustinus Triumphus et Henricus Ostiensis, qui eodem fere tempore floruerunt, et omnes alii posteriores. Et quamvis nemo historicus tradat, quis auctor fuerit, ut illa mutatio et substitutio fieret: tamen certum omnino haberi debet, factam esse vel ab eodem Innocentio vel ab aliquo ejus successore. Non enim decretum summi pontificis Innocentii in concilio generali factum,ullus pontifice maximo inferior mutare ausus fuisset, vel jure potuisset.

In aliis opusculis nihil notandum occurrit, sicut nec in libris lingua italica scriptis.

Finis Recognitionum

TRACTATUS DE POTESTATE

SUMMI PONTIFICIS

IN REBUS TEMPORALIBUS

ADVERSUS

GULIELMUM BARCLAJUM

AUCTORE

ROBERTO BELLARMINO

S. R. E. CARDINALI

DE POTESTATE
SUMMI PONTIFICIS
IN REBUS TEMPORALIBUS
ADVERSUS
GULIELMUM BARCLAJUM

PRAEFATIO

Qui librum Gulielmi Barclaji de Potestate Papae nuper emisit in lucem, neque nomen suum, neque typographi, ac ne loci quidem ubi liber excusus sit, prodere ausus est. Quamvis enim in quibusdam codicibus editus dicatur is liber Musiponti: id tamen confictum fuisse, exploratum habeo. Timuit videlicet, nec sine caussa, poenam aut vituperationem; non praemium aut laudem expectavit. Nomen tantum auctoris, quod ipse auctor, si viveret, libenter fortasse texisset, libere detexit; quod sciret eum ad judicem supremum avocatum et raptum, nihil negotii cum mortalibus jam habere. Haec sane non boni operis argumenta sunt; qui enim male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta, Joan. 3. Ipse etiam Barclajus veritus fortasse, ne incredibilis arrogantiae ac temeritatis arguerctur, si quasi alter Goliath, adversus acies omnium catholicorum scriptorum unus procederet; dissimulata multitudine adversariorum, mea solius scripta ex proposito oppugnanda suscepit. Sed ego non tanti sum, ut caussam Ecclesiae universae a me uno pendere existimem: novi imperfectum meum; scio me unum esse de multis, neque committam, ut communi caussae praejudicetur, sive disputando stem, sive cadam. Ea de caussa primum adferam in medium sententias clarissimorum Scriptorum ex omni natione orbis christiani, ut omnes intelligant Barclaji sententiam singularem esse, et scriptoribus catholicis omnibus tum theologis, tum sacrorum canonum ac civilium legum professoribus repugnare. Mirum autem esset si Barclajus nunc viveret, et in theatrum tot virorum doctissimorum, Italorum, Gallorum, Hispanorum, Germanorum, atque Anglorum introductus, tot adversa lumina intueri, vel os aperire aut omnino mutire auderet. Deinde, ut de sententia catholicae Ecclesiae nemo dubitare possit, plurium conciliorum Patres in unum quasi maximum concilium cogam; ubi aliquot summi pontifices, non pauci patriarchae, plurimi archiepiscopi, episcopi, abbates, aliique viri doctissimi, qui variis locis et temporibus olim congregati sederunt; nunc iterum simul omnes conveniant, et unum Barclajum in medium vocatum sententiis suis obruant. Postremo cum satis constiterit, tum ex singulis scriptoribus, tum ex conciliis generalibus, quis sit Ecclesiae catholicae sensus de summi pontificis potestate in temporalibus: tum demum ad Barclaji objectiones solvendas, atque ejus argumenta examinanda deveniam. Et quoniam Barclajus potestatem summi pontificis in temporalibus universe negat; ego quoque potestatem eamdem universe astruam, non multum laborans, si ea potestas sit absoluta, vel in ordine tantum ad spiritualia se extendat. Relaturus igitur sententias illustrium scriptorum occidentalis Ecclesiae de Potestate Papae in temporalibus, visum est ab italica natione incipere, quia idem observatum esse video in concilio constantiensi, sess. 41.

Sententiae illustrium scriptorum nationis italicae

Primum igitur ex italica natione prodeat s. Gregorius VII. papa, qui lib. 8. Registri sui, epist. 2. ad episcopum Metensem, copiose docet, posse a romano pontifice principes christianos excommunicari et principatu privari eorumque subditos ab obedientia eorum absolvi: *Quod autem*, inquit, *postulasti, te nostris scriptis juvari et praemuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, non potuisse auctoritatem sanctae et apostolicae sedis regem Henricum excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis ejus absolvere, etc.*

S. Thomas Aquinas, qui non solum excellenti

doctrina floruit, sed ea sanctitatis gloria fulsit, ut eum ab omni adulatione erga pontificem longissime abfuisse, dubitari non possit, in 2. 2. quaest. 10. art. 10. *Considerandum est*, inquit, *quod dominium, vel praelatio introducta sunt ex jure humano: distinctio autem fidelium vel infidelium est de jure divino: jus autem divinum quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione:ideo distinctio fidelium et infidelium secundum se considerata, non tollit dominium et praelationem infidelium supra fideles. Potest tamen juste per sententiam, vel ordinationem Ecclesiae, auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii, vel praelationis tolli: quia infideles merito suae infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei, sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque non facit.* Haec s. Thomas, qui duo dicit adversus Barclajum: unum est, dominium et praelationem introductam esse de jure humano, non ex jure divino,ut Barclajus frequenter affirmat: alterum est, auctoritate Ecclesiae, quae sine dubitatione plenissime residet in papa, privari posse principes infideles dominio, quod habent super fideles. Neque per infideles intelligit s.Thomas solos ethnicos, ut videtur existimare Barclajus; sed omnes infideles, sive pagani, sive Judaei, sive haeretici sint: nam art. 6. ejusdem quaestionis enumerat et comparat inter se species infidelitatis,ac dicit: *Haereticos esse infideles paganis et Judaeis absolute, et simpliciter deteriores:* deinde art. 10. de omnibus infidelibus diserte pronunciat, *Posse eos privari dominio, quod habent super fideles, si Ecclesia judicet expedire.* Idem repetit qu. 12. art. 2. et addit, *Propter alia etiam crimina,posse ab Ecclesia privari dominos dominio, quod habent super alios.* Idem in eadem 2. 2. quaest. 60. art. 6. *Ad tertium potestas*, inquit, *saecularis subditur spirituali,sicut corpus animae; et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis praelatus se intromittat de temporalibus.* Idem s. Thomas in 2. sent. dist. 44. in fine, dicit, in papa esse apicem utriusque potestatis spiritualis et temporalis. Idem, si tamen idem lib. 3.de regimine principum cap. 10. *Quod si dicatur*, inquit, *ad solam referri spiritualem potestatem* (plenitudinem videlicet potestatis pontificiae) *hoc esse non potest, quia corporale et temporale ex spirituali et perpetuo dependet.* Et cap. 19. *Simile contingit in principe totius regni, quia pro conservatione regiminis super subditos ampliatur ejus potestas imponendo taleas, destruendo civitates et castra pro conservatione totius regni. Multo igitur magis conveniet summo et supremo principi,idest, papae ad bonum totius christianitatis*, haec ille. De quo etsi non nihil dubium est,an sit s.Thomas, cum cap. 20. sequenti, mentionem faciat Alberti imperatoris, cujus tempora s.Thomas vivendo non attigit; et quia cap. 10. citato, s. Petrum Christi successorem non semel appellat; qua voce successoris videlicet, uti non solent, qui proprie loquuntur, ut s. Thomas in primis solet;tamen auctor est antiquus et doctus, quem Barclajus spernere non potest.

Sanctus Bonaventura,vir doctissimus et sanctissimus episcopus card. Albanensis, tantum abfuit ab adulatione pontificis, ut ne levis quidem suspicio tanti criminis in eo unquam adhaeserit. Is nihilominus, in lib.de ecclesiastica hierarchia, part. 2. cap. 1. sic loquitur: *Jam vero possunt sacerdotes et pontifices ex caussa amovere reges et deponere imperatores, sicut saepius accidit et visum est,quando scilicet eorum malitia hoc exigit, et reipublicae necessitas sic requirit. Summus vero pontifex penes quem in terris prima residet auctoritas non a rege, non a principe saeculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur.*

Aegidius Romanus Ordinis sancti Augustini, archiepiscopus Bituricensis,in tract. de potestate ecclesiastica, part. 1. cap. 30. *Sed*, inquit, *diceret aliquis, quod reges et principes spiritualiter non temporaliter subsint Ecclesiae, sed haec dicentes vim argumenti non capiunt: nam si solum spiritualiter reges et principes subessent Ecclesiae,non esset gladius sub gladio; non essent temporalia sub spiritualibus; non esset ordo in potestatibus; non reducerentur infima in suprema per media, haec ille, qui toto illo tractatu hoc probat potestatem Ecclesiae, quae plenissima est in summo pontifice, non ad sola spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendere.*

Beatus Augustinus Triumphus, alias de Ancona, vir adeo pius et doctus fuit, ut in ejus sepulchro. beati titulum incisum videamus. Is in lib. de potestate Ecclesiae quaest. 22. artic. 3. *Imperatorem*, inquit, *a papa posse deponi quis ibit inficias? ejus enim est deponere imperatorem, cujus est eundem constituere, id quod exempla ipsa declarant.* Vide plurima alia in tota quadragesimae quaestione.

Beatus Joannes de Capistrano, qui doctrina et miraculis Ecclesiam catholicam illustravit, in lib. de potestate papae, part. 2. secundae partis principalis, in argumento octavodecimo pag. 54. editionis Venetae anni 1588. *Papa*, inquit, *principes in spiritualibus, debet similiter in temporalibus eminere, ut tamquam dignior propter eminentiam, supremus in omnibus habeatur.*

Sanctus Antoninus Florentiae archiepiscopus, vir aeque sanctus ac doctus, atque ab omni adulandi specie alienissimus in summa sua part.3. tit. 22. cap. 3. § 7. *Talis*, inquit, *est potestas imperatorum, regum et principum,quia per papam habet institui, regulari et confirmari, si bona est; et per ipsum habet judicari et condemnari, si bona non est.* Item cap. 5. § 7. *Potest*,inquit,*ipsos reges ex caussa rationabili deponere.*

Isidorus Mediolanensis Ordin. praedicat. lib. 2. de imperii militantis Ecclesiae dignitate,tit.8.concl. 3. *Papa*, inquit, *potest eorum demeritis exigentibus imperatorem ac regem deponere.*

Gabriel Biel insignis theologus, lect. 23. in canone missae, *Ille*, inquit, *regit et custodit, qui propter ipsius Ecclesiae regimen, unum* (papam videlicet) *praeposuit universis, ut omnes ab uno sicut corpus a capite gubernentur.* Et prope finem, *Papa transfert potestatem supremam sae-*

cularem de gente in gentem, et imperatorem deponere potest etc.

Thomas Cajetanus Ordin. praedic. S. R. E. card. doctrina, et vitae integritate insignis, in apologia, de comparata auctoritate papae, et concilii, part. 2. cap. 13. ad octavum, idem docet: nam proposito argumento octavo adversarii his verbis, *Octavo, quia nonnulli summi pontifices inveniuntur definivisse, se in temporalibus habere supremam potestatem: caeteri vero in oppositum; Respondet his verbis; Ad octavum dicitur, quod quia potestas papae directe est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis; ideo suae potestati duo conveniunt: primo, quod non est directe respectu temporalium: secundo, quod est respectu temporalium in ordine ad spiritualia: hoc enim habet ex eo quod ad supremum finem omnia ordinari debent, etiam temporalia, ab eo procul dubio, cujus interest ad illum finem omnes dirigere, ut est Christi vicarius: primum autem ex natura suae potestatis consequitur. Ex his autem sequitur, quod utrumque vere potest determinare, ut papa: et quod habet supremam potestatem in temporalibus; et quod non habet supremam potestatem in temporalibus: quoniam utrumque verum est ad sanum intellectum, affirmatio namque est vera in ordine ad spiritualia: negatio vero est vera directe, secundum se ipsa temporalia. Unde nihil ex utraque decisione erroris accidit.*

Alexander de s. Elpidio Ordin. eremitarum s. Augustini in lib. de auctoritate summi pontificis, et jurisdictione imperii, cap. 9. *Deo*, inquit, *non subditur, qui subjectus non est Dei vicario et ecclesiasticae potestati: nullus ergo rex, nullus temporalis princeps, cujuscumque conditionis existat, excipi potest, si christianum se fateri vult nomine, et re: quia etiam in temporalibus potestati supremae spirituali subjici debent.*

Petrus de Monte venetus et episcopus Brixiensis, in monarchia, part. 2. quaest. 4. in fine, *Magnam*, inquit, *habet potestatem papa super imperatorem, quia ex delicto eum deponit.*

Petrus Ancharanus in cap. *Canonum statuta*, n. 6. de constitut. *Papa*, inquit, *habet utrumque gladium, et superioritatem ad imperium, et hinc est, quod imperatorem coronat et inungit, et quandoque deponit.*

Sylvester Prieras Ordin. praed. theologus et canonista doctissimus, in summa, verbo, *Papa*, n. 10. *Papa*, inquit, *potest eligere imperatorem per se ipsum immediate, quando ex justa, et rationabili causa expediret: quia principalis agentis habentis dirigere omnes fideles ad pacem, et finem spiritualem, est eligere ministros.* Et infra: *Potest (papa imperatorem) dignum excommunicare, et dignum depositione deponere*, et num. 11. Habet (*papa in reges et principes christianos omnes*) *universalem spiritualium et temporalium jurisdictionem.* Et infra, *potest ex rationabili causa deponere.*

Astensis in Summa, 1. part. lib. 2. tit. 64. art. 4. ag. 101. *Ex praedictis*, inquit, *collige, quod rincipes sacculi, et Domini temporales, non tantum propter haeresim suam, sed etiam propter negligentiam extirpandi haeresim aliorum, sunt excommunicandi, ab Ecclesia deponendi, de terris suis expellendi, et terrae eorum occupandae catholicis possunt exponi. et idem, si princeps circa regnum, et justitiam faciendam, inventus fuerit negligens, insufficiens, et ineptus; Unde Zacharias deposuit Childericum, et Innocentius Othonem.*

Nicolaus abbas panormitanus, in cap. *Solitae*, de major. et obed. num. 7. *Papa*, inquit, *potest rationabiliter increpare imperatorem, et alios principes saeculares, et non mirum, nam potest eos ex caussa deponere*, idem docet in cap. *Per venerabilem, Qui filii sint legitimi.*

Joannes de Anania, archidiaconus bononiensis in cap. *Licet*, de voto, num. 10. *Papa*, inquit, *privat laicum ordine geniturae, quia habet potestatem super reges et regna. Unde deponit imperatorem.*

Bartholus in 1. *Si imperator*. C. de legibus, num. 4. *Jus*, inquit, *eligendi imperatorem habent principes de Alemania, et jus privandi solus papa habet.*

Baldus in prooemio ff. vet. *Solus*, inquit, *papa privat imperatorem.*

Petrus Andreas Gambara, in tract. de officio et potestate legati lib. 2. tit. de variis ordinariorum nominibus, num. 220. *Solus*, inquit, *papa deponit imperatorem et reges, demeritis suadentibus.*

Restaurus Castaldus, in lib. de imperatore qu. 81. *Solus*, inquit, *papa sine concilio deponit imperatorem, quia papae, et Christi unum est tribunal.* Et infra: *Papa principem quantumcumque exemptum, si expedit, punit et deponit.*

Dominicus cardinalis Tuscus vir doctissimus, qui adhuc vivit, et magnum opus ante paucos annos edidit, in sexto tomo Practicarum conclusionum, verbo, *Papa*, multos auctores citat ad hoc ipsum propositum: ad eum, si quis plures auctores velit, lectorem remitto.

Sententia illustrium scriptorum nationis gallicae.

Sanctus Bernardus lib. 4. de Consideratione cap. 4. *Quid tu*, inquit, *denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam; quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic; Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipse tuo forsitan nutu, et si non tua manu evaginandus, alioquin si nullo modo ad te pertineret, et iis, dicentibus apostolis, ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiae, et spiritualis scilicet gladius, et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exerendus est, ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris, haec sanctus Bernardus, qui certe non diceret, gladium materialem Ecclesiae esse, et non solum pro Ecclesia exerendum, sed etiam ad nutum sacerdotis exerendum, si cum Barclajo, existimaret, po-*

testatem in temporalibus nullo modo ad Ecclesiam, ejusque praesidem pertinere. Sed de hac sententia suo loco plura dicemus.

Petrus de Palude patriarcha hierosolymitanus, vir doctissimus, in tract. De caussa immediata ecclesiasticae potestatis art. 4. qui est de potestate papae, sic loquitur: *Licet papa non habeat confirmare quemlibet regem, qui consensu populi a principio regnum assumpsit: tamen potest deponere omnem talem, non solum propter haeresim, aut schisma, aut aliud crimen intolerabile in populo; sed etiam propter insufficientiam, utpote, si quis idiota sensit, vel impotens viribus in regno praeesset, et propter ejus insufficientiam regnum fidelium periclitaretur.* Et infra reddens rationem ait: *Quia papa est superior in spiritualibus, et per consequens in temporalibus, quantum necesse est pro bono spirituali.*

Durandus episcopus Meldensis theologus insignis, in lib. de Origine jurisdictionum, quaest. 3. *Quia*, inquit, *utraque potestas temporalis, et spiritualis est necessaria, ideo utramque potestatem (Christus) contulit Petro.* Et infra: *Isti sunt veri termini jurisdictionis spiritualis, et temporalis a fundatione Ecclesiae, quos transgredi non licet; quia jurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil novit: jurisdictio vero spiritualis se extendit primo, et principaliter ad spiritualia, secundario vero, et per quamdam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quae ordinantur ad spiritualia tamquam ad finem.*

Erveus Brito Ordin. praedic. magister generalis et theologus acutissimus, tract. de potestate papae. § Ad evidentiam secundi, sic loquitur, *Ad papam pertinet corrigere omnem abusum tam potestatis ecclesiasticae, quam terrenae in quocumque existente de populo christiano.*

Jacobus Almain in tract. de Suprema potestate ecclesiastica, et temporali, quaest. 2. principali, quae est de suprema potestate laica, cap. 5. ad tertiam allegationem: *Papa*, inquit, *potest imperatorem deponere in duobus casibus: primus, pro crimine pure spirituali, ut est haeresis: secundus, quando illi, ad quos spectat jure ordinario, sunt negligentes ipsum deponere. Ibidem ad quartam allegationem, sic ait, Si gens imperii efficeretur haeretica, vel transferret se ad aliam sectam dimittendo sectam christianam: posset propter hoc papa illam gentem privare dignitate imperiali, et sic transferre in aliam gentem.*

Henricus card. Ostiensis in summa tit. de haereticis. paragr. *Qua poena puniantur* num. 11. *Nota*, inquit, *quod Domini temporales, non solum propter suam haeresim, sed etiam aliorum, quod cum possunt admoniti exterminare negligunt, excommunicari possunt, et terrae ipsorum exponi catholicis occupandae. Idem, si princeps negligens inveniretur circa regimen et justitiam faciendam. Unde Zacharias papa deposuit Childericum regem Francorum.*

Petrus Bertrandus cardin. et episcopus Eduensis in tractat. de Origine jurisdict. quaest. 4. num. 5. *Potestas*, inquit, *spiritualis debet dominari omni humanae creaturae: et quemadmodum Jesus Christus dum fuit in hoc mundo, et etiam ab aeterno naturalis Dominus fuit, et de jure naturali in imperatores, et quoscumque alios depositionis, et damnationis sententias ferre potuisset: ita eadem ratione ejus vicarius.*

Joannes de Sylva, tract. de Beneficio p. 3. quaest. 8. *Et papa*, inquit, *potest deponere regem.*

Stephanus Aufrerius, in tract. de Potestate saecularium, num. 5. et 6. *Papa*, inquit, *ipsum imperatorem tamquam inferiorem destituit, exigentibus caussis, et in omnibus arduis negotiis, et maximis difficultatibus generantibus scandalum in christianitate. papa potest hujusmodi majoritatis ratione se intromittere, etiam inter laicos, et exercere hujusmodi potestatem sibi a Deo attributam.*

Gulielmus Durandus episcopus Mimatensis, Speculator vulgo dictus, in Speculo lib. 1. tit. de legato. § Nunc ostendendum, num. 17. *Papa*, inquit, *deponit imperatorem propter ipsius iniquitates, et dat (principibus) curatores, ubi ipsi sint inutiles ad regendum.*

Joannes Faber in legem primam, num. 10. C. de summa Trinit. et fid. catholica. *Sed*, inquit, *de papa non est dubium, quin sit superior omnibus christianis, et in temporalibus et in spiritualibus.* Et infra: *Cum agitur de praejudicio animae, vel populi, papa potest et debet providere, et si necesse sit, quoscumque reges deponere.*

Aegidius Bellamera episcop. avenionensis, in cap. *Alius*. 15. quaest. 6. num. 2. sic ait: *Papa potest deponere imperatorem, qui ab eo temporalitatem recognoscit.* Et infra: *Etiam alios reges, licet ab eo regna sua non teneant infaeudum, nec temporalitates suas ab eo recognoscant, nec juramentum fidelitatis ei praestent, videlicet pro delictis et negligentiis.* Et infra: *Depositio autem regum facienda per papam, non ex illa ordinaria; sed ex quadam suprema et absoluta potestate procedit: et quod illam supremam et absolutam potestatem papa habeat, videtur multum aequum, et reipublicae valde expediens, scilicet ut sit aliquis supremus monarcha, qui regum hujusmodi excessus possit corrigere, et de ipsis justitiam ministrare.* Vide eumdem, in cap. *Novit*, de Judic. et in cap. *Solitae*, de majorit. et obed.

Joannes Quintinus Haeduus in repetitione ad c. *Novit* de Judic. num. 64. *Quare*, inquit, *ponimus utrumque gladium Ecclesiae datum esse; hoc est, Ecclesiae pontificem habere jus et potestatem in spiritualia simul, et omnia temporalia, atque de his statuere et decernere ex caussa posse, cujus decretis standum: nam quamvis homo sit mortalis, tamen coelesti potestate pollet.* Et infra num. 127. *Hoc*, inquit, *jure papa Zacharias anno Christi nati 753. Childericum longa majorum serie legitimum Galliae regem, et possessorem regno avito destituit, et in ejus locum Pipinum Belgam substituit, caussatus peccatum esse, hominem tantae imparem potestati, inertem, et nihil agentem reipublicae gubernacula moderari.* Et infra: *Hinc et Leo, ut pontifex romanus, eadem fultus aucto-*

ritate Carolum pariter Gallorum regem, romanum creavit imperatorem.

Raimundus Ruffus, contra Molineum c. 6. pag. 106. *Non ignoramus*, inquit, Leonem III. *pontificem Graecis ademptum imperium in Carolum magnum contulisse: id enim cum nostri Annales, tum Graecorum libri testantur: quod jure sibi quaesitum, et Carolus magnus, et posteri Franci, Germanique putarunt. Omitto Pipinum a Stephano II. vel ut nonnulli, a Zacharia regem factum, detruso in monasterium Childerico ignavo, stupido et bardo rege.*

Sententia illustrium scriptorum nationis hispanicae.

Sanctus Raymundus, in Summa lib. 1. tit. de haereticis § 7. Ex praemissis, inquit,inter alia collige notabiliter, quod judex, vel potestas saecularis, non solum propter haeresim suam; sed etiam propter negligentiam contra haeresim extirpandam, potest non solum excommunicari ab Ecclesia; sed etiam deponi: et extende hanc poenam, et Ecclesiae potestatem quandocumque princeps aliquis saecularis fuerit inutilis, dissolutus et negligens circa regimen et justitiam observandam 17.quaest. 4. § *Si quis princeps.*

Pelagius Alvarus episc. Sylvensis ex Ordine minorum assumption.in tractat. de planctu Ecclesiae lib. 1. art. 21. Papa, inquit, transfert imperium, et confirmat imperatorem, electum canonice inungit et coronat; et contumacem et persequutorem Ecclesiae imperio privat.

Joannes de Turrecremata S. R. E. card. doctissimus, in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 113.propositione 4. docet: Papam jure papatus non habere extra principatum suum ecclesiasticum potestatem in temporalibus directe: sed cap. 114. docet per sexdecim conclusiones, papam in ordine ad spiritualia habere potestatem amplissimam in temporalibus. Referam hoc loco unam tantum conclusionem. Quarta propositio, romanus pontifex videtur jurisdictionem etiam in temporalibus habere, quia non solum principes saeculares circa usum suae jurisdictionis delinquentes potest per censuram ecclesiasticam coërcere; verum etiam notabiliter negligentes a dignitate deponere. Videat lector totum caput,et commentarium ejusdem auctoris in cap. *Alius* 15. quaest. 6.

Cyprianus Benetus aragonensis Ordin. praedic. in libro de prima orbis sede, in resp. ad sextum pro 2. parte conclusionis primae. In traditione,inquit, clavium includitur etiam collatio terrenarum potestatum pro conservatione bonorum spiritualium.

Franciscus Victoria Ord. praedic. de potestate Ecclesiae Relectione 1. quaest. 5. prop. 8. In ordine, inquit, ad finem spiritualem papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes principes et reges, et imperatorem, et infra.Quando necesse est ad finem spiritualem potest, non solum omnia, quae principes saeculares possunt; sed et facere novos principes, et tollere alios et imperia dividere.

Dominicus a Soto Ordin. praedic. in 4. sent. dist. 25. quaest. 2. art. 1. concl. 5. Potestas, inquit, quaecumque civilis eatenus est ecclesiasticae subjecta in ordine ad spiritualia,ut papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei, et religionis exegerit, non solum ecclesiasticarum censurarum fulminibus adversus reges agere, eosque cogere; verum et cunctos christianos principes temporalibus bonis privare,et usque ad eorum privationem procedere.

Alphonsus de Castro Ordin. minor. lib. 2. cap. 7. De justa haereticorum punitione, sic ait: Nec mirari debet aliquis, quod papa propter haeresis crimen regem a regia dignitate deponat, et regno privet; quoniam in negotio fidei, etiam reges,sicut et alii inferiores subduntur summo pontifici.

Jacobus Simanca Pacensis episc. in lib. de catholicis institutionibus tit. 45. Quamvis,inquit, ecclesiastica potestas distincta sit a saeculari, et papa jurisdictionem civilem non habeat in saecularium principum regna: nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem habet pontifex maximus amplissimam potestatem in omnes principes orthodoxos. Unde si princeps aliquis inutilis esset, aut iniquas leges contra religionem, aut contra bonos mores conderet, aut quidpiam simile faceret in detrimentum rerum spiritualium, posset papa servatis justis circumstantiis, congruum remedium adhibere, privando etiam talem principem administratione et jurisdictione.

Dominicus Bannes, in 2. 2. quaest. 10. art. 10. in fine commentarii,paragr.quarta concl.Ita etiam, inquit, a jure divino positivo est potestas, quam habet pontifex ad auferendum dominium, et jurisdictionem ab infidelibus supra fideles: quando autem utendum sit hac potestate,relinquitur ejus dominio vel judicio,et quaest.12.art.2. in comment. paragr. Circa ultimam conclus. Ecclesia, inquit, non tantum privat dominio in subditos, principes apostatas perfecte,verum etiam illos,qui lapsi sunt aliquo pacto in haeresim.

Martinus Ledesmius in secunda quartae quaest. 20. art. 4. concl. 8. In ordine, inquit, ad finem spiritualem papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes principes et reges et imperatores.

Gregorius de Valentia, in 2. 2. disput.1.quaest. 12. punct. 2. asser. 2. Jure, inquit, ecclesiastico per summi pontificis auctoritatem, atque sententiam,omnino potest quis dominio et praelatione erga subditos privari propter peccatum apostasiae a fide, neque est de hac assertione dubium ullum apud vere orthodoxos.

Gulielmus de Monserat catalanus, in tractat. de successione regum, num. 30. Papa, inquit, vicarius Christi cum caussa potest quemcumque christianum principem privare; prout privavit et deposuit Childericum regem Franciae,et in ejus locum Pipinum instituit, et romanum imperium a Graecis transtulit in Germanos.

Alphonsus Alvarez, in Speculo cap. 16. Hinc, inquit,est,quod (papa) imperium transferre potest de certo genere personarum, cum maxima caussa ad aliud genus: et infra. Et ipsum imperatorem,

tamquam inferiorem destituit exigentibus caussis maximis et arduis.

Antonius Cordubensis Ord. minor, lib. 1. Quaestionarii, quaest. 57. dub. 3. Potestas, inquit, civilis subjecta est, non quidem potestati temporali papae; sed spirituali aliquo modo, in casu necessitatis, vel magnae utilitatis spiritualium. Et Ecclesia, et maxime papa, habet potestatem, et auctoritatem, vel jurisdictionem aliquam temporalem in ordine ad finem spiritualem super omnes homines et principes, et res omnes et regna totius mundi.

Ludovicus Molina, tom. 1. de Justit. et Jure, tract. 2. disp. 29. concl. 3. *Potestas*, inquit, *spiritualis summi pontificis ad finem supernaturalem adjunctam quasi ex consequenti habet supremam, et amplissimam potestatem jurisdictionis temporalis super omnes reges, et reliquos, qui sunt de Ecclesia; praecise tamen quantum postulat finis supernaturalis ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest summus pontifex deponere reges, eosque regnis suis privare.*

Didacus Covarruvias, in tract. de Restitutione super regulam, Peccatum, part. 2. § 9. num. 7. *Haec*, inquit, *sententia vera est in hoc sensu, ut papa vere habeat potestatem temporalem etiam super imperatorem, quatenus ea utilis, et necessaria sit ad Ecclesiae catholicae regimen, et spiritualis potestatis usum.*

Fernandus Vasquius, lib. 1. Illustrium controversiarum cap. 21. *Caeterum*, inquit, *papa habet etiam jurisdictionem in temporalibus, quatenus necessaria sunt ad spiritualium expeditionem.* Et infra: *Id quod admittunt communiter utriusque partis fautores.*

Michaël de Aninyon, in tract. de Unitate ovilis et pastoris, num. 12. *Penes papam*, inquit, *est utraque suprema potestas, licet non habeat usum gladii temporalis: et quia potestas papae immediate a Deo emanavit, et ipsi soli Deo subest: potestas vero imperatoris a vicario Christi, cui est subordinata, ideo papa potest imperium de certo genere personarum transferre ad aliud, et imperatorem ungit et coronat, confirmat, approbat et reprobat, ac etiam deponit caussis exigentibus.*

Martinus Navarrus, in Comment. ad cap. *Novit*, de Judiciis Notab. 3. num. 41. *Potestas*, inquit, *ecclesiastica, est species potestatis, distincta a laica, et longe nobilior ea: ut aurum est species metalli distincta a specie plumbi, et nobilior ea; quaeque directe solum amplectitur supernaturalia: indirecte vero eatenus naturalia, quatenus sunt necessaria ad consequutionem finis supernaturalis*, et infra, num. 99. *Colligitur*, inquit, *ratio quare papa deponere potest reges adeo negligentes in regendis regnis suis, ut ob id populus Dei subditus illis retrahatur a consequenda vita aeterna.* Porro hic auctor plurimos citat in eamdem sententiam.

Sententia illustrium scriptorum nationis Germanicae

Stephanus episc. Alberstatensis, in epist. quae extat in appendice Mariani Scoti, loquens de Henrico IV. imperatore, *Dominus*, inquit, *Henricus haereticus est, et pro nefandis malis a sede apostolica, excommunicatus, nec regnum nec potestatem aliquam super nos, quia catholici sumus, potest obtinere.*

Hugo de s. Victore, natione saxo, vir doctrina et sanctitate celeberrimus lib. 2. de Sacrament. part. 2. cap. 41. *Spiritualis*, inquit, *potestas terrenam potestatem, et instituere habet ut sit, et judicare habet, si bona non fuerit. Ipsa vero a Deo primum instituta est, et cum deviat, a solo Deo judicari potest.*

Henricus de Gandavo, Quod libro 6. quaest. 33. *Iste*, inquit, *hierarcha primus post Christum super universalem Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claves tradidit, et duos gladios commisit; sic, ut regimen universalis Ecclesiae, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad ipsum pertineret.*

Ulricus in sua Summa, sic ait: *Si rex esset manifeste haereticus, vel si interpellatus ab Ecclesia negligeret nihilominus regimen regni sui, quantum ad ea quae sunt fidei, scilicet si non intenderet extirpationi haereticorum, posset ab Ecclesia deponi a regia dignitate.* Hunc auctorem allegat Joan. de Turrecremata loco supra citato.

Dionysius Carthusianus, in lib. de regimine politiae, art. 19. *In Ecclesia*, inquit, *Dei est unus pontifex summus, videlicet Dominus papa, in quo est utriusque potestatis, atque dominii plenitudo, et apex, hoc est, tam spiritualis, quam saecularis potestatis: idcirco jurisdictionem et dispositionem habet super omnia regna et principatus fidelium non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationalis caussa requirit. Nam et imperatorem potest deponere, et reges, si vita eorum id mereatur, regnis suis privare.*

Joannes Driedo libro 1. de libertate christiana cap. 14. *Verum*, inquit, *hic non est silentio praetereundum, quod papa ex plenitudine potestatis super universos principes christianos, potest reges ac principes propter haeresis crimen privare sui regnis atque imperiis, et in temporalibus prorsus eximere plebem christianam ab obedientia et subjectione eorum.* Vide etiam cap. 9. ubi demonstrat auctor in ordine ad finem supernaturalem, subjectam esse potestatem temporalem potestati spirituali.

Albertus Pighius lib. 5. de ecclesiastica hierarchia cap. 2. *Quare*, inquit, *hi omnes (reges et principes videlicet christiani) ut pars et membra sunt Ecclesiae, necessario etiam subsunt ecclesiasticae hierarchiae praesidi, qui sui imperii habena moderetur eosdem; in suam mutuo, et totius corporis utilitatem conspirantes teneat omnes, contineat in officio, praevaricantes corrigat, et si ita exigat totius necessitas; administratione quoque et officio amoveat, et in locum eorum constituat alios, aut constituendos praecipiat per eos, ad quos hoc ipsum de jure, aut consuetudine pertinet.* Vide eumdem auctorem cap. quartodecimo, ubi idipsum repetit, et exemplis allatis probat.

Jacobus Latomus, in lib. de Ecclesia cap. 14. *Ex*

ejusdem, inquit, *principiis conficitur, regem, aut alium quemcumque terrenum principem christianum, regno et principatu jure privari posse per Ecclesiam; quia regnum et principatus cum personis, ut supra dictum est, in Ecclesiae corpus, et jus transiit per sacrum Baptisma, et per christianae religionis liberam acceptionem Christo et sponsae ejus dedicatum et consecratum, et donatum donatione irrevocabili.* Haec ille, qui potestatem Ecclesiae plenissime residere in summo pontifice demonstravit in alio libro, quem de Primatu romani pontificis inscripsit.

Conradus Brunus lib. 3. de Legationibus cap. 6. *Haec*, inquit, *jurisdictio judicia civilia et criminalia, denunciationes et inquisitiones, accusationes, poenas item, et censuras ecclesiasticas complectitur in personas et res ecclesiasticas: multis etiam casibus in laicas personas, et pro rebus temporalibus datur. In his omnibus plenissimam habet jurisdictionem summus pontifex: determinatam autem, et certis limitibus conclusam archiepiscopi, episcopi, etc.*

Sententia illustrium Scriptorum nationis anglicae et scoticae.

Alexander Alensis anglus Ordin. min. vir doctissimus, et sanctorum Thomae et Bonaventurae praeceptor part. 4. quaest. 10. in explicatione canonis missae in illud. Et pro rege N. *Spiritualis*, inquit, *potestas terrenam habet instruere et judicare, si bona fuerit: ipsa vero a Deo primum instituta est, et cum deviat, a solo Deo judicari potest.* Idem Alexander part. 4. quaest. 79. membr. 5. et 6. *Voluit*, inquit, *Deus quosdam in alios plures habere potestatem; et deinde in illos alios pauciores: et sic semper donec deveniretur ad unum, scilicet papam, qui sub Deo immediate est.* Quo loco docet Alexander, papam ita praeesse omnibus potestatibus, ut ipse solus sub Deo immediate sit.

Robertus Olkot anglus, in lib. Sapientiae lect. 200. *Hic autem*, inquit, *est regum, cui omnes subsunt nationes et populi, qui temporalia ab eo recipiunt: Sacerdotio tamen, ac summo pontifici debet subesse.* Et infra: *Samuel unxit David in regem, in figura quod vicarius Christi, et praelatus Ecclesiae confert principatum et regiam potestatem ad utilitatem Ecclesiae, unde jus et auctoritas examinandi personam electam in regem, et promovendi ad imperium, ad papam pertinet.*

Franciscus Maironus Scotus. in 4. sent. distinct. 19. quaest. 4. *Plenitudo*, inquit, *potestatis secundum utramque jurisdictionem concurrit in eamdem personam: hoc patet auctoritate Christi dicentis*, Quodcumque ligaveris etc.

Joannes Bachonus anglus Ord. carmelitarum, in prologo super 4. sent. quaest. 11. art. 4. *Papa*, inquit, *habet judicare de regnis et de regibus in caussa belli et pacis: potest enim compellere principes temporales, ut pacem et justitiam sibi invicem servent.* Et infra: *Habet regem deponere, ut alteri regnum tribuatur, ratione iniquitatis, vel inutilitatis suae personae. Item habet imperatorem deponere, et imperium alteri dare, si non defendat Ecclesiam.*

Thomas Valdensis Ordin. ejusdem, in lib. 2. Doctrinalis fidei antiquae, art. 3. cap. 75. explicans quo sensu s. Gregorius servum se imperatoris dixerit: *Profecto*, inquit, *nec beatus papa Gregorius eminentiae sui status super statum imperatoris praejudicavit in aliquo, cum regem sibi verbo tenus praeposuit, negotio quoque, quod tunc tractabatur attento: quod tunc apte videbimus, si posteriora ejus facta et scripta quaeramus. Vide an se magistrum et imperatorum et regum non arbitratur, cum post privilegia quaedam senatori presbytero, et abbati Xenodochii Francorum directa sub interminatione dignitatis, et honoris omni ejus violatori conclusit*, haec ille, qui continuo subjungit duo privilegia sancti Gregorii, quibus minatur regibus regnorum amissionem, si privilegia illa violare praesumerent.

Reginaldus Polus, sanctae romanae Ecclesiae cardinalis, in lib. de summo pontifice cap. 8. *Ex quo*, inquit, *id quod paulo ante diximus ita concludi potest, Christi vicarium, cui singulare, et maximum omnium ministerium commissum est, illud nimirum, quod ultimum spectat hominis finem, in orbe terrarum, Ecclesiaque gubernanda, obtinere summam ac praecipuam potestatem inter caeteros omnes Dei ministros, seu imperatores, seu reges, seu principes, aut quocumque alio nomine nuncupentur.*

Nicolaus Sanderus, in lib. 2. de Visibili monarchia Ecclesiae. cap. 4. *Ex his igitur*, inquit, *quae tum divinum jus, tum ipsius naturae lumen revelat, abunde apparet, quantopere aberrent a veritate, qui putant reges christianos in suis regnis supremam semper potestatem habere, nec unquam episcopis ita subesse, ut cum in fidem obstinate peccant, a regno removeri queant, et supra, pontifex igitur non minus dabit operam, ut regem, qui populum christianum falsa doctrina imbuit, a regimine populi removeat, quam pastor operam dat, ut male affectum arietem de medio tollat.*

Habemus igitur: quae doctrina viguerit in Ecclesia antequam Barclajus et ego litigare inciperemus. Et si s. Augustinus, in lib. 2. cap. ultim. adversus Julianum, adductis testimoniis undecim scriptorum, quorum aliqui ante ducentos annos, aliqui ante centum, aliqui ipsius aetate vixerant; affirmat, in nullo concilio ecclesiastico tot illustres scriptores et magistros unquam simul convenisse; et miratur, si Julianus in illum conventum introductus os aperire, et tot viris gravissimis et doctissimis resistere ausus fuisset: quanto majore ratione possumus nos affirmare, in nulla synodo quantumvis numerosa convenisse unquam scriptores eximios supra septuaginta, quorum aliqui ante quingentos annos floruerunt, quique diversis saeculis in diversis christiani orbis partibus, non solum doctrina, sed etiam sanctitate et miraculis Ecclesiam illustrarunt? Et quamvis affirmare non possum, an Barclajus in coronam tot insignium scriptorum introductus, si nunc viveret, resistendum, an credendum sibi esse censeret: hoc tamen securus affir-

mo, vel omnium istorum libros, quibus Ecclesia tot jam saeculis usa est, exterminandos esse; vel Barclaji libellum, ut scandalosum, temerarium, seditiosum et erroneum flammis ultricibus esse tradendum.

Sententia conciliorum de potestate summi pontificis in temporalibus.

Sed si forte alicui fidem non faciunt testes singulares, quamvis plurimi, et omni exceptione majores: veniam ad testes contestes, eosque pene innumerabiles, qui adversus Barclajum testimonium dicent. Ante annos 900. a Gregorio II. Romano pontifice excommunicatum fuisse Leonem Isauricum imperatorem, propter crimen haereseos, et vectigalibus Italiae, ac per hoc parte imperii mulctatum, testantur historici graeci Glycas, Theophanes, Cedrenus et Zonaras, in Leone Isaurico ; et latini Sigebertus anno 727. Paulus Diaconus lib. 21. et Platina in Gregorio III. Latini enim tribuunt Gregorio III. hoc factum, quoniam is Gregorii II. sententiam confirmavit. Porro sententiam Gregorii II. in synodo episcoporum latam fuisse, testatur Joannes Zonaras graecus auctor, in vita Leonis Isaurici, cujus haec sunt verba, tom. 3. Annalium, Gregorius, qui tum Romae veteris Ecclesiam gubernabat, illos una cum imperatore synodico anathemate obstrinxit, et vectigalia, quae ad id usque tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, inito cum Francis foedere. Itaque tota illa synodus Gregorio pontifici assensit, totque sunt ejus rei testes, quot in eamdem synodum episcopi convenerunt.

Deinde post annos circiter trecentos, cum Gregorius VII. pontifex, Henricum IV. imperatorem saepius admonitum excommunicavit, et imperio regnoque privavit; non id occulte, et solo suo arbitratu, sed in synodo romana, ad quam plurimi episcopi undique convenerant, omnibus consentientibus et laudantibus, publice et solemni ritu , ac caeremonia fecit: de hac synodo scribitur in lib. 7. Registri Gregorii VII. actam esse anno Domini 1080. anno septimo ejusdem Gregorii, atque ad eam synodum convenisse archiepiscopos et episcopos, nec non abbates et diversorum ordinum clericorum et laicorum innumerabilem multitudinem.

His addi debent alia quinque concilia habita a successoribus Gregorii VII. videlicet beneventanum a Victore III. placentinum ab Urbano II. romanum a Paschale II. coloniense a Gelasio II. remense a Callisto II. in quibus confirmata est sententia Gregorii VII. Vide de his conciliis infra cap. 9.

Praeterea cum Urbanus II. pontifex Philippum I. Francorum regem, ob repudiatam legitimam uxorem, et adulteram in matrimonium acceptam, et admonitum obedire recusantem, excommunicaret, et corona regni privaret; id fecit in concilio frequentissimo claramontano, ut testis est Sigebertus, in chronico anni 1095. et clarius idem refert Matthaeus Paris in Villielmo II. ad annum 1095. Sed quod cum excommunicatione intelligeretur privatio regiae dignitatis, intelligi potest ex Ivone episcopo carnotense, qui in epist. 28. ad Urbanum II. papam sic loquitur: *Qui ad vos venturi sunt in calliditate ingenioli sui, et venustate linguae impunitatem flagitii se impetraturos regi a sede apostolica promiserunt, hac ratione ex parte usuri, regem cum regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam, restituatis, eumque ab anathemate absolvatis.* Intelligi potest etiam ex historicis, qui testantur, veritum fuisse ab Urbano pontifice, ne diadema regium Philippo excommunicato imponeretur. Vide Chronicum Joan. Naucleri, Gener. 37. Paulum Aemilium lib. 3. in Rege 38. Papirum Massonium, Annal. lib. 3. Adde etiam quod scribitur in Summario, sive Compendio historiarum Francicarum Nicolai Vignerii, toto tempore quo Philippus sub anathemate vixit, in publicis scripturis non fuisse positum de more, regnante Philippo, sed, regnante Christo; quia videlicet regem excommunicatum pro rege populus non habebat.

Ad haec, Innocentius III. pontifex anno 1215. concilium generale lateranense, quod jure maximum dici solet, convocavit: adfuerunt enim cum ipso summo pontifice patriarchae orientales duo per se, constantinopolitanus et hierosolymitanus: duo per legatos, Alexandrinus et Antiochenus, archiepiscopi septuaginta, episcopi quadringentiduodecim, abbates, priores conventuales octigenti, legati imperatorum occidentis et orientis, regum vero, Hierosolymae, Franciae, Hispaniae, Angliae et Cypri. In hoc igitur orbis christiani celeberrimo conventu editus est canon, qui est ordine tertius, adversus haereticos in haec verba: *Excommunicamus, et anathematizamus omnem haeresim extollentem se adversus hanc sanctam orthodoxam catholicam fidem, quam superius exposuimus etc.* Et infra: *Si vero Dominus temporalis admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab haeretica foeditate, per metropolitanum, et comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, et terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis haereticis sine ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, salvo jure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum praestet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent dominos principales.* Quid hic Barclajus diceret? si haec non est Ecclesiae catholicae vox, ubi obsecro eam inveniemus? et si est (ut verissime est) qui eam audire contemnit, ut Barclajus fecit, an non ut ethnicus, et publicanus, et nullo modo christianus et pius habendus erit? si non habet summus pontifex potestatem in terris, disponendi de temporalibus usque ad depositionem principum eorum, qui vel ipsi haeretici sunt, vel haereticis quoquo modo favent, cur in editione hujus canonis nullus ex tanto numero reclamavit? cur ne unus quidem ex tot imperatorum et regum oratoribus mutire ausus est? Nondum videlicet parasiti principum temporalium exorti fuerant, qui, ut regna temporalia stabilire videantur, regnum aeternum iis, quibus adulantur, eripiunt.

Sed addamus et lugdunense concilium. Ergo In-

nocentius IV. pontifex anno salutis 1245. Lugduni generale concilium celebravit, in quo praeter archiepiscopos et episcopos undique evocatos interfuerunt etiam Balduinus imperator orientis cum aliis multis principibus. Sanctum quoque Ludovicum Francorum regem eo tempore Lugduni fuisse, et pontifici adfuisse, testantur Aemilius et Nauclerus. Atque in conventu illo, Ecclesiam universam sine dubio repraesentante, lata est sententia in Fridericum II. imperatorem in haec verba: *Nos itaque super praemissis, et quampluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris, et sancto concilio deliberatione praehabita diligenti, cum Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in b. Petri persona dictum sit, Quodcumque ligaveris super terram, ligatum erit et in coelis, memoratum principem, qui se imperio et regnis, omnique honore et dignitate reddidit indignum, quique propter suas iniquitates, a Deo ne regnet, vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis et abjectum, omnique honore et dignitate privatum a Domino ostendimus et denunciamus; et nihilominus sententiando privamus; omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur adstricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes, auctoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de caetero sibi tamquam imperatori pareat et intendat: decernendo quoslibet, qui ei deinceps veluti imperatori, vel regi consilium, vel auxilium praestiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis sententiae subjacere. Illi autem ad quos in eodem imperio, imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De praefato Siciliae regno providere curabimus cum eorumdem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.* Haec sententia est summi pontificis toto approbante concilio, hoc est, tota consentiente et laudante christianorum praesulum universitate: et tamen audet unus nescio quis contra disputare, et librum suum in lucem edere, atque imperitorum oculos fascinare. Quod si singula per se concilia catholicae Ecclesiae, praesertim cum in iis praesidet summus pontifex, fidem amplissimam faciunt, ut nemini fas sit contra sentire: quanta temeritas esset, si quis decem conciliis frequentissimis, simul junctis, contradicere auderet? Nam etiam si concilia ista diversis locis et temporibus habita sint, tamen facile possunt ante oculos mentis omnia simul constitui, et ex omnibus unum maximum et numerosissimum fieri, ubi simul conspiciantur Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Callixtus II. Innocentius III. et Innocentius IV. sanctissimi omnes, doctissimique pontifices, apostolica potestate, reges haereticos, vel haereticorum patronos excommunicantes, atque a regni solio deponentes; et simul omnes praesules ecclesiarum cum legatis omnium fere principum sententias tantorum pontificum, ut justissimas approbantes et collaudantes. Certe si Barclajus, aut quicumque illi similis est, in ejusmodi conventum introduceretur, mirum est, si loqui auderet, immo si non continuo obmutesceret. Sanctus Augustinus lib. 1. in Julianum cap. 2. concilium palaestinum episcoporum quatuordecim, satis magnae auctoritatis futurum existimavit ad unius Juliani audaciam comprimendam; cur igitur non multo magis valeant ad unius Barclaji temeritatem damnandam episcopi supra mille, qui in decem conciliis convenerunt? Hanc igitur sententiam Ecclesiae catholicae, quam in meis disputationibus de summo pontifice, cum juvenis adhuc essem breviter attigeram, cogor nunc adversus Gulielmum Barclajum, senex defendere: quem sane laborem ab homine, qui se catholicum profitetur, mihi adferendum, suspicatus numquam fuissem. Nam eos, qui foris sunt, et assidue contra me scribunt, nihil moror.

CAPUT PRIMUM

De excusatione Barclaji.

His ergo quasi prolegomenis praemissis, venio ad librum Barclaji. Is in primo capite totus est in se excusando et purgando, quod in hac quaestione de potestate papae scripserit, quod scripsit. Ac primum probat, licuisse sibi sententiam suam dicere, quia multi alii catholici id fecerunt.

Si complures, inquit, *tum theologi, tum jureconsulti, alii post alios in eamdem hanc quaestionem exculiendam incubuerunt, nec priorum de ea judicium sequentium scriptorum sententiis praejudicavit; cur non et ego aliquem indagandae veritatis locum (quandoquidem in eo studio aetatem consumpsi meo mihi quodammodo jure vindicem?).*

At quanti momenti sit haec ratio, vel ex eo potest intelligi, quod ne suo quidem haeredi, aut amico singulari persuasit. Cur enim haeres ipsius, aut quicumque fuit, qui librum ejus edidit, qui certe amicissimus fuit, et nomen suum, et typographi, et loci, in quo liber editus est, silentio involvendum censuit, nisi quia non sine caussa existimavit, non licuisse auctori impune scribere quod scripsit? Nam alioqui haereticorum omnium errores excusari possent. Ergo licuit catholicis scriptoribus, qui consentiunt in re, disputare de modo: non licuit Barclajo adversus omnes alios scriptores, atque adversus omnes conciliorum etiam generalium sententiam, negare omnino potestatem summi pontificis in temporalibus: quemadmodum licuit, et licet scholasticis doctoribus, qui confitentur in Deo Unitatem essentiae cum Trinitate personarum, multa disputare de attributis essentiae divinae et personarum constitutione: sed non licuit Arianis veteribus et novis, vel essentias Dei scribendo multiplicare, vel Trinitatem confundere. Pari ratione, licuit, et licet catholicis doctoribus, qui consentiunt de substantia septem Sacramentorum, disputare de multis, quae ad fidei fundamenta non pertinent; non tamen licet, nec licuit sectariis Lutheranis et Calvinistis tam multa scribere, contra substantiam et numerum Sacramentorum: quod idem de aliis fidei dogmatibus dici potest, subjungit Barclajus.

Monendus in primis lector est, omni me reverentia, et benevolentia sedem illam prosequi: nec

id aut hic, aut alibi agere, ut debitae potestatis, et dignitatis aliquid decedat vicario Christi, et successori sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

At hoc videtur simile esse ei, quod scribit s. Marcus cap. 15. Percutiebant caput ejus arundine, et ponentes genua adorabant eum: et quod scribit s. Joan. cap. 19. Veniebant ad eum, et dicebant: *Ave rex Judaeorum*, et dabant ei alapas. Sic enim Barclajus omni reverentia et benevolentia prosequitur apostolicam sedem, sed interim potestatem ejus fere dimidiat, et addit postea:

Eos itaque obsecro qui ante me bono, ut opinor, animo scripserunt, ne indignentur, aut succenseant, si ab illorum opinione recessero: neque enim (ut sancto Augustino loquar epist. 111.) quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, veluti scripturas canonicas habere debemus, etc.

At ego non indignor, neque succenseo, quod a mea opinione, vel Barclajus, vel alius quicumque recesserit: sed illud aequo animo ferre non possum quod a communi scriptorum sententia in re tam gravi, immo etiam conciliorum universalium sensu et consensu ullus recedat. Et quamvis non debeamus libris doctorum, quantumvis catholicorum et laudatorum hominum eam reverentiam, quam Scripturis sanctis debemus: tamen negari non potest, quin communi scriptorum sententiae multum omnino tribui debeat, ut a temeritate excusari non possit, qui contra torrentem doctorum, ut dici solet, scribendo nititur. Nam ipse idem sanctus Augustinus, qui scripserat, disputationes quorumlibet hominum nullo modo aequandas esse auctoritati Scripturarum divinarum; Juliani temeritatem arguit, quod se auderet opponere undecim scriptoribus catholicis, quorum verba et sententias diligenter expendit lib. 1. cap. 2. et lib. 2. cap. ult. adversus Julianum.

Deinde Barclajus ad rem propius accedens refert duas catholicorum sententias. Alteram, quam plerique canonistarum sequuntur, quod in summo pontifice sit potestas utraque spiritualis et temporalis, ut Christi vicarius est. Alteram, quae theologis fere communis est, quod potestas summi pontificis, ut Christi vicarius est, spiritualis proprie, ac per se sit, sed tamen per eam disponere possit de temporibus, ut ad spiritualia ordinantur. Tum sententiam suam, pro qua nullum catholicum scriptorem citat, ita proponit.

Mihi vero, inquit, *neutra istarum opinionum, quantum ad temporalem potestatem, satis firma visa est;* et paulo infra: *Theologi itaque isti canonistarum opinionem probissime refellunt, sed pace ipsorum dicam, nec ipsi melius sentiunt.*

Haec ille, qui satis aperte se prodit, tamquam alterum Ismaëlem e regione universorum fratrum suorum fixisse tabernaculum, ut manus ejus contra omnes essent. Genes. 16. Extremam partem primi capitis totam consumit in refutatione, vel potius irrisione Bozii, qui cum se theologum profiteatur, canonistarum opinioni adhaerere maluit. De qua re nihil habeo quod dicam: nam Bozii opinionem, neque refutare, neque defendere statui; sed id tantum, in quo catholici omnes conveniunt, et in quo a Barclajo omnes dissidemus, neque ipse ab ejusdem Barclaji objectionibus propugnare decrevi.

CAPUT II.

Excutitur principium sive fundamentum doctrinae Barclaji.

In secundo capite Barclajus fundamenta jacere aggreditur doctrinae suae: quorum unum ac forte primarium est, potestatem ecclesiasticam et politicam jure divino distinctas et separatas esse, ut, quamvis ambae a Deo sint, utraque suis terminis conclusa in alterius fines invadere suo jure nequeat, neutrique in alteram imperium sit. Ad probandum hoc principium adducit can. *Duo sunt*, et *Cum ad verum*, dist. 96. cap. *Novit*, de Judiciis, cap. *Per venerabilem*. *Qui filii sint legitimi*, s. nctum Bernardum lib. 1. de Consideratione, Joann. Driedonem lib. 2. de Libertate christiana, cap. 2. et Hosium Cordubensem episcopum, apud Athanasium in epist. ad solitariam vitam agentes.

At qui hoc principium, sive fundamentum in ultima particula falsum omnino esse contendimus, in illis videlicet ultimis verbis, Neutrique in alteram imperium sit. Siquidem affirmamus, ecclesiasticam potestatem, distinctam quidem esse a politica, sed ea non modo longe nobiliorem, verum etiam ita superiorem esse, ut eam dirigere et corrigere, et in certis casibus, in ordine videlicet ad finem spiritualem et vitam aeternam eidem imperare possit.

Neque ultima illa particula, videlicet: Neutrique in alteram imperium sit, invenitur in testimoniis allegatis sive ex canonibus, sive ex doctoribus. In can. *Duo sunt*, qui desumptus est ex epist. Gelasii papae primi, ad Anastasium imperatorem, haec habentur, Duo sunt quippe, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum et regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regiminibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem, et infra, Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.

Haec ibi: ubi non solum non habetur, quod Barclajus dicit: Neutri in alteram imperium esse; sed habetur omnino contrarium: nam si pontifex redditurus est Deo rationem pro regiminibus hominum certe dirigere debet ea regimina, et si forte deviant, corrigere atque in viam reducere. Quomodo autem potest dirigere et corrigere humana regimina, si nullum in ea imperium habet?

Pari ratione in canone, *Cum ad verum*, qui ex epist. Nicolai papae primi, ad Michaëlem imperatorem, sumptus est, non habentur illa verba; Neutri in alterum imperium esse. Haec enim sunt verba pontificis Nicolai, Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit: quoniam mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus actibus propriis et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit.

Hic quoque nullo verbo indicatur, Neutram potestatem in alteram habere imperium, sed solum

discretas esse actibus, dignitatibus et officiis. Et quoniam idem Nicolaus, paulo post subjungit, Christianos imperatores egere pontificum ministerio pro aeterna vita; et contra pontifices uti legibus imperialibus pro cursu tantum vitae temporalis: apertissimo indicatur finem potestatis pontificiae, superiorem esse fini potestatis politicae, ac per hoc potestatem pontificum, imperium habere super politicam potestatem, quatenus opus est ut potestas politica non impediat adeptionem vitae aeternae, ad quam a pontificia potestate dirigenda est. Sic etiam in cap. *Novit*, de judic. et in cap. *Per venerabilem*, *Qui filii sint legitimi*, quae sunt Innocenti III. pontificis, nihil omnino habetur, unde colligi possit, politicam potestatem spirituali, sive ecclesiasticae potestati non esse subjectam: alioqui non decrevisset idem pontifex in concilio lateranensi generali cap. 3. posse principes saeculi per apostolicam sedem principatu privari, si negligentes essent in purgandis terris suis ab haeretica labe, et admoniti ab episcopis, non obedirent. Neque idem ipse Othonem IV. imperatorem deposuisset, si existimasset potestati ecclesiasticae nullum imperium esse in politicam potestatem. Sanctus quoque Bernardus in 1. lib. de Consid. dicit quidem, pontificis potestatem esse in peccata, et spiritualem; sed idem s. Bernardus lib. 4. de consid. c. 4. utrumque gladium spiritualem et materialem dicit esse Ecclesiae, et materialem ad nutum pontificis evaginandum esse: quae sane non diceret, nisi crederet gladium materialem gladio spirituali esse subjectum. Porro de sententia Joan. Driedonis, nulla dubitatio esse potest: nam dicit quidem, potestates ecclesiasticam et politicam esse discretas; sed dicit etiam politicam ecclesiasticae adeo esse debere subjectam, ut possit pontifex in certis casibus in ordine ad vitam aeternam reges et principes regnis suis, dominiisque privare, ut nos supra allatis verbis ipsius indicavimus. Denique Hosii episc. cordubensis verba, a s. Athanasio commemorata, distinctionem officiorum utriusque potestatis demonstrant, aequalitatem non demonstrant: *Tibi Deus*, inquit, *imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit: et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita et tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens magno crimini obnoxius fias: date, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, et quae Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thimiamatum et sacrorum potestatem habes imperator.* Haec ille, qui non repugnat s. Gregorio nazianzeno, qui oratione ad populum timore perculsum, et praesidem irascentem apertissime docet, ecclesiasticam potestatem ita se habere ad politicam, ut anima se habet ad corpus: animam autem praeesse corpori, illudque regere, eique imperare nemo unquam in dubium revocavit.

Pergit deinde Barclajus et Bozium exagitat, ejusque responsiones et disputationes refellit: quae ipsi Bozio integra relinquo; non enim defendenda suscepi, nisi ea, quae caussam communem, vel meam particularem attingunt: quale est illud quod in extremo capite Barclajus dicit, non posse unam potestatem alteri subordinari, et subjectam esse, nisi dignitas et officium, quod est in subordinato, sit etiam in subordinante. Nam subjectionem et subordinationem potestatis politicae ad ecclesiasticam, omnes catholici docemus; sed non omnes admittimus quod Barclajus inde colligit. Haec enim subordinatio duobus modis potest intelligi: uno modo, ut potestas quae est in subordinato, derivetur a subordinante, qualis est potestas vicarii, quae derivatur ab eo, cujus est vicarius et legati, quae derivatur a principe, qui eum legavit, et judicis sive praesidis, quae derivatur a rege; et tunc sine dubio potestas subordinantis includit potestatem subordinati: altero modo, ut una non derivetur ab altera, sed ob id solum subjecta et subordinata sit alteri, quia finis unius subjicitur, et subordinatur fini alterius, qualis est subordinatio et subjectio variarum artium ad artem regendi populos, quae regia dici potest. Vere enim dixit poeta:

> *Excudent alii spirantia mollius aera,*
> *Credo equidem vivos ducent de marmore vultus:*
> *Orabunt caussas melius, coelique meatus*
> *Describent radio, et surgentia sydera dicent:*
> *Tu regere imperio populos, Romane, memento.*
> *Hae tibi erunt artes.*

Ars enim regendi populos distincta est ab artibus, sculptoria, oratoria, astronomica, et aliis similibus, neque una derivatur ab alia, neque una proprie alteram includit; et tamen omnes subordinantur, et subjectae sunt arti regendi populos, ut possit rex omnes dirigere ad communem populi utilitatem, et nisi pareant, exterminare de regno suo, vel removere quoslibet artifices, et alios substituere, quoniam fini artis regiae subjiciuntur, et subordinantur fines artium caeterarum. Jam igitur si subjectio et subordinatio potestatis politicae ad ecclesiasticam intelligatur priore modo, utique sequitur, ut potestas politica conjuncta sit ecclesiasticae; neque video quo modo id non repugnet verbis Gelasii, Nicolai et Innocentii summorum pontificum; necnon Hosii, Bernardi, Driedonis: sed si intelligatur posteriore modo, ut nos eam intelligimus, tum ratio, et exempla Barclaji nihil omnino concludunt: quemadmodum enim ars regia non includit artem sculptoriam, neque sculptoria derivatur a regia; et tamen ars regia imperat sculptoriae, eamque subjectam et subordinatam habet, et potest ac debet rex sculptori jubere, ut non sculpat statuas obscoenas, ne corrumpatur juventus; neque ex auro vel argento, ut ea metalla serventur ad usum magis necessarium; neque statuas suas nimis magno pretio vendat, ad coërcendam avaritiam: sic ars ecclesiastica regendi animas, quae est ars artium, et praecipue residet in papa, non includit necessario artem regiam, neque necesse est, ut omnia regna deriventur ab Ecclesia; et tamen quia finis ejus est vita aeterna, ad quam subordinantur omnes alii fines; subjecta et subordinata est illi ars politica regendi populos, et potest ac debet summus pontifex regibus imperare, ut non abutantur potestate regia ad Ecclesiam evertendam, ad haereses et schismata solvenda, ad perniciem denique aeternam animae suae, et populorum sibi subjectorum;

et si non obtemperent, cum admoniti fuerint, potest eos de Ecclesia per censuram excommunicationis ejicere, et populos a juramento fidelitatis absolvere, denique etiam eos regno exuere et regia potestate privare.

CAPUT III.

Potestatem summi pontificis in temporalibus, non esse rem dubiam, neque ab opinionibus doctorum solum pendere.

In tertio capite contendit Barclajus, de potestate summi pontificis in temporalibus nihil certi haberi, sed rem totam inter theologos et canonistas libere disputari.

Ingens, inquit, *theologos inter et canonistas, et utrorumque inter se de hac re dissensio, dum hi directam, alii indirectam potestatem adstruunt, facit, ut quaestio haec de temporali potestate papae dubia et incerta, ac tota in hominum opinione posita videatur: ac proinde solutionis ejus veritatem lumine rationis, et disserendi subtilitate esse pervestigandam.* Haec ille.

At magnum est discrimen inter quaestionem An sit, et quid sit, vel, quomodo sit. Deum esse ne pagani quidem in dubium revocare solebant; tamen de natura deorum plurimae erant apud philosophos opiniones. Deum esse trinum et unum, nullus catholicus negat, sed omnes firmissima fide tenent: et tamen, quot sunt inter scholasticos theologos de constitutione personarum, de relationibus, de notionibus opiniones? Sic igitur de potestate in temporalibus, quod ea sit in papa, non opinio, sed certitudo apud catholicos est: quamvis non desint altercationes, quid sit et qualis ea potestas, idest, an sit per se, et proprie temporalis: an potius ipsa quidem spiritualis sit, sed per quamdam necessariam consequentiam, et in ordine ad spiritualia de temporalibus disponat. Quare non recte colligit Barclajus dum sic ratiocinatur:

Dissensio est inter theologos et canonistas, dum hi directam, illi indirectam potestatem adstruunt, ergo quaestio de temporali potestate papae dubia et incerta, ac tota in opinione hominum posita est.

Esse autem rem certam et exploratam, posse pontificem maximum justis de caussis de temporalibus judicare, atque ipsos temporales principes aliquando deponere; probamus.

1. Primum ex communi consensu scriptorum, quorum verba initio disputationis attulimus: quod enim communi consensu doctores variis in locis et temporibus docent, in Ecclesia universa sentire et docere censetur: ideo enim posuit Deus in Ecclesia pastores et doctores, ut dicitur ad Ephes. 4. ut eos populi tamquam duces sequantur, neque ab eis recedant, nisi forte videant unum aliquem novi aliquid contra doctrinam communem invehere, ut hoc tempore Barclajus fecit.

2. Secundo: Probamus per Extravagantem, Unam sanctam, de majorit. et obedientia, ubi docemur, gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati: et quod si deviat terrena potestas, judicabitur a spirituali; si deviat spiritualis minor, a suo superiore; si vero suprema, a solo Deo poterit judicari. Neque obstat quod definitio hujus decretalis videtur esse revocata a Clemente V. in Extravaganti, *Meruit*, de privilegiis. Neque enim Clemens V. Extravagantem Bonifacii revocavit, sed admonuit, eam nihil novi definivisse, sed antiquam obligationem declarasse, quam habent homines ad obediendum et subjacendum apostolicae sedi.

3. Tertio: Probamus ex conciliis supra allatis, quorum duo postrema generalia fuerunt: quomodo enim potest in dubium revocari, et a sola hominum opinione pendere, quod generalia, catholica, legitimaque concilia probant? Posse autem per summum pontificem deponi principes temporales, quando Ecclesiae necessitas id postulat, ac per hoc temporalem principum potestatem spirituali potestati pontificum subjectam, et subordinatam esse, concilia illa decem, ac praesertim duo postrema lateranense et lugdunense apertissime docent.

4. Quarto, probamus ex divinis literis, quemadmodum id probat Gregorius VII. in epist. 21. libri octavi. Nam in Scripturis, et traditione manifestissime reperimus fundatum Primatum ecclesiasticum romani pontificis, quo primatu amplissima potestas continetur regendi, ligandi et solvendi quoscumque etiam reges et imperatores: id quod neque Barclajus, neque ullus catholicus negat. Ex hoc autem principio satis aperte colligitur esse in romano pontifice potestatem temporalia disponendi, usque ad ipsorum regum et imperatorum depositionem: nam per ipsam spiritualem potestatem potest summus pontifex ligare principes saeculares vinculo excommunicationis; potest per eamdem solvere populos a juramento fidelitatis et obedientiae; potest obligare eosdem populos sub excommunicationis poena, ut regi excommunicato non pareant, atque ut alium sibi eligant regem. Praeterea cum finis spiritualis regiminis sit adeptio aeternae vitae, qui est finis supremus et ultimus, cui omnes alii subordinantur fines; certe necesse est, ut spirituali potestati supremi hierarchae ecclesiastici subjiciatur, et subordinetur omnis saecularis potestas quam ille dirigere debet, et si deviat corrigere et judicare, ac demum efficere ne impediat salutem populi christiani. Atque haec est ratio cur et Gregorius VII. et Innocentius IV. in depositione imperatorum, ut ostenderent jure se id facere, verba Domini allegaverint: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, Matth. 16. et, *Pasce oves meas*, Joan. 21. nimirum ut significarent potestatem suam disponendi de temporalibus, quando id requirit salus animarum, religionis incolumitas, Ecclesiae conservatio; non pendere ab incertis hominum opinionibus, sed ab ordinatione divina Christi regis aeterni et pontificis maximi, qui et super omnia Deus est benedictus in saecula, teste Apostolo ad Roman. 11.

Sed videamus, quid contra haec Barclajus objiciat.

1. Primum argumentum ejus hoc est: *Absurdum et iniquum est dicere, principes ethnicos durio-*

re, et deteriore conditione ad Ecclesiam esse receptos, quam homines privatos: vel papam habere majorem nunc potestatem in principes politicos christianos, quam olim b. Petrus, et caeteri apostoli in quemlibet privatum hominem Ecclesiae filium: At hi nullum jus, et potestatem temporalem habuerunt tunc temporis in christianos laicos: ergo nec papa in principes saeculares potestatem ullam temporalem nunc habet.

Respondeo: Assumptio argumenti falsa est, et Scripturis sanctis omnino contraria: primum enim jus habebant apostoli percipiendi ex bonis temporalibus laicorum. Id probat Apostolus 1. ad Cor. cap. 9. dicens: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus evangelio Christi: nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Ita, et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annunciant de evangelio vivere. Deinde, potuerunt apostoli jubere, ut christiani in caussis civilibus judices christianos constituerent, nec ad judicia gentilium magistratuum accederent: sic enim mandat Apostolus 1. ad Cor. 6. dicens: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? nescitis quia angelos judicabimus? quanto magis saecularia? saecularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Quare si poterant apostoli ordinare judicia in caussis civilibus; et mandare laicis, ut ministros evangelii suis facultatibus sustentarent: quomodo nullum jus habebant in bona temporalia laicorum?

2. At inquit Barclajus: *Certo certius est, ecclesiasticam potestatem fuisse omnino separatam a politica tempore apostolorum, et hanc totam penes ethnicos principes extra Ecclesiam fuisse, adeo ut ipsi apostoli in potestate temporali ethnicorum fuerint; idque Albertus Pighius et Robertus Bellarminus, aliique theologi insignes ingenue fatentur.*

Respondeo: Ecclesiastica potestas nunc etiam separata est a politica: non enim eadem, sed diversa est potestas pontificum et regum. Sed quoniam, ut supra diximus, potestas ecclesiastica, quae spiritualis est, praeest potestati politicae temporali, et eam dirigere debet ad finem supremum aeternae vitae: ideo potest in ordine ad spiritualia disponere de bonis temporalibus. Verum autem est apostolorum tempore, politicam potestatem, non quamcumque, sed regiam, sive imperatoriam, fuisse apud ethnicos totam, quia nulli tunc erant reges aut imperatores christiani; sed ex hoc nihil aliud sequitur, nisi potestatem ecclesiasticam eo tempore non habuisse paratam exequutionem, praesertim in temporalibus, ut hoc tempore habet: ipsos vero apostolos fuisse in potestate temporali principum ethnicorum scripsi olim cum Alberto Pighio et aliis nonnullis: sed postea recognoscens, et expendens diligentius libros meos, censui, apostolos de facto subjectos fuisse principibus illis, non de jure; ut in Recognitione mea posui.

3. At inquit Barclajus: *Non venit Christus solvere legem, sed adimplere, nec naturae et gentium jura tollere, aut quemquam temporali rerum suarum dominio excludere. Itaque sicut ante eum reges politica potestate subditis praeerant, ita etiam posteaquam advenit, et a nobis deinde in coelos recessit, eam ipsam potestatem apostolica doctrina confirmatam, nullaque ex parte debilitatam retinuerunt. Si itaque Petrus, caeteri que apostoli, antequam Christum sequerentur, temporali principum ethnicorum ditioni, et jurisdictioni subjiciebantur, quod negari non potest, nec Dominus ullibi diserte, et nominatim juris obligatione liberavit; consequitur necessario, mansisse eos sub eodem jugo, etiam post apostolatum.*

Respondeo: Christus non venit legem solvere, sed adimplere: ideo non sustulit jura gentium et naturae, sed perfecit: non privavit reges et principes dominio aut jurisdictione; sed eorum jurisdictionem et dominia ordinavit: nam et in ipsa Ecclesia reges et principes sunt non minore praediti potestate politica, quam ethnici essent: hoc solum accessit, quod praeposuit illis pastorem magnum, qui vice sua fungeretur in terris, a quo dirigerentur, si forte a via, quae ducit ad regnum coelorum, eos aberrare contingeret: quod beneficium Dei inter potissima debet agnosci a fidelibus omnibus; sed a nullis magis, quam a regibus et principibus, qui quo sunt in loco sublimiore, eo magis obnoxii sunt casui graviori, et tanto magis egent episcopo et pastore animarum suarum, ut eleganter et copiose admonuit Reginaldus Polus cardinalis, in dialogo de pontifice maximo: quod autem Christus non liberaverit nominatim et expresse Petrum et apostolos ab obligatione, qua tenebantur ethnicis principibus, videtur omnino evangelio repugnare: siquidem Matth. 17. Christus solvit didrachma pro se et Petro, ob scandalum vitandum: nam alioqui neque se, neque Petrum ad id vectigal solvendum obligatos fuisse demonstravit illis verbis: *Reges terrae a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* et respondente Petro, *Ab alienis*, dixit illi Jesus: *Ergo liberi sunt filii*: quibus verbis declaravit, se, quod filius esset regis omnium regum, immunem esse ab omni tributo et censu: et quoniam cum filius regis immunis est, ipsa quoque ejus familia censetur immunis; ideo Petrus et apostoli, qui ad familiam Christi, ipsius beneficio, pertinebant, immunes quoque esse debebant: sed de hac re alibi scripsimus copiosius.

4. Sed non quiescit Barclajus, addit enim: *Sed et eos aliorum civium instar principibus subditos exstitisse, ex ipsorum doctrina, et factis apparet: quippe id illis exprobrari non potest, quod Christus scribis et pharisaeis improperat, aliud eos fecisse, aliud docuisse. Docuerunt autem christianos subjectionem et obedientiam, de qua loquimur, regibus et principibus exhibendam: qua de caussa Paulus ipse ad Caesarem appellavit, et jussit christianos omnes subjectos esse temporali potestati ethnicorum, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Respondeo: Apostoli sine dubio non fuerunt similes pharisaeorum, qui aliud docebant, aliud faciebant; sed non ideo de jure subjecti erant instar aliorum civium temporalibus potestatibus, cum essent ipsi constituti a Deo principes super omnem terram, ut legimus in psal. 44. quamvis enim principatus ille spiritualis esset, non temporalis; tamen verus principatus erat, et temporali principatu longe nobilior. Porro s. Paulus appellavit ad Caesarem, ut ad judicem praesidis Judaeae, et Hebraeorum, qui injuste illum opprimebant: alioqui enim caussa illa, quae spiritualis erat, videlicet de resurrectione Christi, et caeremoniis legis mosaicae, ad principem ethnicum jure pertinere non poterat. Vide Acta apostolorum c. 21. 22. 23. 24. 25 et 26. Idem vero Paulus ad Rom. 13. universalem doctrinam tradidit de obedientia inferiorum ad superiores, cum ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: quam postea doctrinam applicavit in particulari ad obedientiam, quam debent subditi principibus temporalibus; et tandem concludit, *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Quare si quis probet, se non esse jure subditum alicui potestati, non tenebitur hac apostolica sententia, etiam si forte de facto, vel ad scandalum vitandum subditum illum esse oporteat.

5. Subjungit Barclajus: *Nam quod quidam dicunt, b. Paulum non de potestate temporali saecularium principum illic loqui, sed de potestate in genere, ut quisque suo superiori obediat, laicus laico, ecclesiasticus ecclesiastico; mera cavillatio est, et responsum viris doctis ac theologis indignum: nulla siquidem tunc temporis alia, quam politica et temporalis potestas vulgo ab hominibus agnoscebatur.*

Respondeo: In verbis Apostoli, ut paulo ante diximus, quaedam sunt sententiae generales, quaedam particulares. Quis enim inficiari potest, illam esse sententiam generalem, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? Item illam, Non est potestas nisi a Deo? et illam, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit? At Apostolus subjungens, *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali;* et infra, *Si male egeris, time, non enim sine caussa gladium portat*: videtur omnino, per sublimiores potestates, intelligi voluisse principes politicos. Ita est, per sublimiores potestates, politicos principes intelligi voluit, sed non solos: maluit enim doctrinam suam Apostolus generalibus verbis concipere et proponere, ut pluribus prodesset, unde alibi monet, ut filii parentibus obediant; uxores viris, servi dominis, et populi praepositis suis ecclesiasticis. Nam quod Barclajus dicit, nullam tunc temporis agnitam fuisse vulgo hominibus potestatem, nisi politicam; et temporalem; sententia est prorsus indigna homine docto et jureconsulto. Siquidem notissima semper fuit potestas patria, potestas herilis, potestas maritalis, potestas magistri in discipulos, potestas denique ecclesiastica: quae omnes potestates a politica (si proprie loqui velimus) apertissime distinguuntur. Ac de potestate ecclesiastica, nonne idem Apostolus frequentissime meminit? Certe sic loquitur, 2. Cor. 10. *Nam et si amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem, non erubescam*, et c. 13. *Haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi*, et ad Hebr. 13. *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis.*

6. Addit Barclajus testimonium s. Augustini, in expositione quarumdam propositionum epist. ad Roman. Ex quo testimonio colligit Barclajus, Primo: Christianae religionis professionem non eximere quemquam a temporalis potestatis subjectione. Secundo: Apostolos, et ipsum sanctum Petrum, ethnico magistratui subjectos fuisse. Tertio: Non licuisse primis illis christianis ab ethnicorum principum imperio deficere, et alios sibi principes constituere, etiam si vires illis ad perficiendum suppetissent. Quarto: Augustinum intellexisse verba Apostoli de potestate temporali tantum. Quinto: Augustinum seipsum includere in numero eorum, quos Apostolus jubet subjectos esse debere potestatibus temporalibus: Ex quo sequitur, ut etiam episcopi et clerici omnes subditi esse debeant iisdem temporalibus potestatibus. Sexto: Duplex esse officium subditorum: unum, ut obediant regi, quando nihil jubet contra Deum: alterum, ut non obediant regi, quando contrarium jubet Deus.

Respondeo: S. Augustinus vere docet christianae religionis professionem non eximere quemquam a temporalis potestatis subjectione: idque rectissime colligit ex verbis Apostoli, neque nos contradicimus. Sed ex hoc non sequitur s. Petrum et apostolos caeteros subjectos fuisse de jure temporalibus potestatibus; neque hoc s. Augustinus dicit: nam etiamsi non eximebat apostolos ab illa subjectione professio christianae religionis; eximebat tamen principatus apostolicus, qui sublimior est omni principatu temporali. An autem licuerit christianis deficere ab ethnicis imperatoribus, infra suo loco tractabimus interim hoc solum dicimus, id non colligi ex verbis Augustini, vel Apostoli: docet enim s. Augustinus ex Apostolo: Christianos debere obedientiam temporalibus principibus, dum videlicet, cum potestate imperant: non autem si a principatu excidant. Utrum autem licuerit christianis imperium ethnicis abrogare, neque Apostolus, neque Augustinus hoc loco definit. Illud vero falsum est, s. Augustinum intelligere hunc locum Apostoli de temporali potestate tantum: nusquam enim habetur apud Augustinum, neque apud Apostolum particula, tantum, et nos habemus s. Joannem chrysostomum cum Theodoreto et Theophilacto, qui exponunt de potestate in genere: et s. Anselmum, qui exponit de potestate ecclesiastica et temporali, et s. Bernardum epist. 42. et 183. qui exponit etiam de utraque. Quod autem s. Augustinus se ipse numeret inter eos, qui jubentur obedire temporalibus potestatibus; non cogit, ut inde colligamus, episcopos et clericos non esse exemptos a potestate saeculari: nam cum dicit: Cum constemus ex anima et corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendae hujus vitae utamur; oportet, nos ex ea par-

te, quae ad hanc vitam pertinet subditos esse potestatibus, idest, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus: ostendit, omnes homines egere legibus, et magistratibus politicis, sine quibus haec vita tranquille duci non potest. Quemadmodum etiam Nicolaus papa, in epist. ad Michaëlem, scribit, ipsos etiam pontifices uti legibus imperialibus pro cursu rerum temporalium: omnes enim observare debent hujusmodi leges, sed non omnes vi legum ipsarum, sed aliqui vi legum, aliqui vi rationis.

7. Pergit Barclajus, et ait: *Quid indignius et iniquius dici potest, quam principes Christi fidem profitentes duriori jugo pressum iri, quam singulos de multitudine? At privati homines quando in spiritualem Ecclesiae ditionem concedebant, nihil patrimonii, aut juris temporalis amittebant, exceptis rebus illis, quas sponte obtulerant, ut ex Actis apostolorum patet: similiter ergo et principes, ubi Christo nomen dabant, jus suum temporale, imperium dico et potestatem politicam, integram et intactam retinebant.*

Respondeo: Privati homines cum in Ecclesiam admittuntur, non amittunt quidem patrimonia, aut alia temporalia jura: possunt tamen per Ecclesiam cogi, ut parochos suos alant, et, ut Apostolus loquitur, seminantibus spiritualia, concedant, ut carnalia metant; ad quae ante fidem susceptam minime tenebantur: possunt quoque in poenam variorum criminum, non solum cogi in foro interiore a confessariis, ut eleemosynis redimant peccata sua: sed etiam ab episcopis in foro exteriore mulctari poena pecuniaria, vel etiam carceribus mancipari, ut ex concilio trident. sess. 25. cap. 3. perspicuum est. Pari ratione principes temporales cum ad familiam Christi veniunt, neque principatum, neque jurisdictionem suam amittunt; sed subjiciuntur ei, quem Christus super familiam suam constituit, ut ab eo regantur et dirigantur in ea via, quae ducit ad vitam.

8. *Nec juvat*, addit Barclajus, *adversariorum caussam; dicere, apostolos ideo non habuisse temporalem potestatem in saeculi principes, quia nondum facti erant christiani: secundum illud, Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* 1. Corinth. 5. *Papam vero nunc illam potestatem habere, quia facti sunt christiani et filii Ecclesiae, cujus ipse supremus princeps, et caput in terris est, atque omnium christianorum pater: et rectum naturae et rationis ordinem postulare, ut filius patri, non pater filio subjiciatur. Haec, inquam, adeo nihil ratio est, ut mirum sit, locum ei aliquem a viris doctis datum esse: nam illa subjectio spiritualis, per quam principes facti sunt filii papae, penitus distincta et separata est a subjectione temporali, ita ut altera alteram non sequatur. Sed quemadmodum praeses, vel consul interea dum magistratum gerit, potest se in adoptionem alio dare, atque ita in familiam patris adoptivi, et patriam potestatem transire, cum tamen per illum actum legitimum nec fasces consulares, nec aliud quicquam jure magistratus sibi competens in adoptantem transferat.*

Respondeo: Mirum est quam facile Barclajus de scriptis hominum doctorum pronunciet: cum optimo jure in ipsum retorqueri possit, ejus responsiones atque similitudines, adeo nihili esse, ut vix credibile sit eas auctori suo satisfacere potuisse. Siquidem illa similitudo de filio adoptivo, qua tota ejus responsio nititur, nihil omnino facit ad rem: potestas enim patris ad filium adoptivum, et potestas praesidis sive consulis, non solum distinctae et separatae sunt; sed etiam prior posteriore inferior est; et si pater potestate patria abutatur, potest per praesidem sive consulem ac multo magis per regem et principem corrigi, et in certis casibus potestate sua privari: cum e contrario si praeses, aut consul, aut princeps potestate sua politica abutatur, non possit a patre adoptivo, vel etiam naturali pro imperio corrigi, et multo minus potestate sua privari. Jam vero potestas summi pontificis spiritualis et supernaturalis, et regia temporali et terrena potestate sublimior, atque major non debuit conferri cum potestate humana patris adoptivi erga filium praesidem aut consulem, idest, cum potestate inferiore erga superiorem: sed cum potestate principis aut praesidis erga potestatem patriam civium privatorum, idest, cum potestate superiore erga inferiorem. Ex quo sequitur, ut quamvis potestas papae et regis distinctae sint et separatae, et non necessario alia aliam sequatur: tamen cum in eodem Ecclesiae corpore inveniuntur, potestas papae ita eminet, ut regiam potestatem dirigere et corrigere; non ab illa dirigi vel corrigi debeat aut possit. Itaque tota deceptio Barclaji in eo posita est, quod spiritualem et supernaturalem paternitatem summi pontificis erga reges et principes christianos, nihilo sublimiorem esse censuit paternitate humana et civili hominis privati erga filium adoptivum; quae manifesta et puerilis hallucinatio est.

9. *Huc accedit*, inquit Barclajus, *quod florente plurimum republica christiana tum multitudine credentium, tum sanctimonia pontificum, tum eruditione et exemplis doctorum, atque a malis interim principibus christianis vexata, atque jactata, nulla de hoc principatu et jurisdictione temporali in principes, non dicam expressa et manifesta declaratio, sed ne levissima quidem mentio facta sit.*

Respondeo: Quaerere possem a Barclajo, unde factum sit, quod in Testamento veteri tot saecula transierint, antequam pontifex regem deponi et alium substitui jusserit: quod factum est cum Jojada pontifex Athaliam reginam, non solum deponi, sed et interfici mandavit, et Joas regem substituit 4. Reg. 11. Item cum post divisionem regni Salomonis in regnum Israël et regnum Juda, inter reges Israël nullus fuerit pius, sed omnes impii et idololatrae; cur aliis multis toleratis propheta Domini unxerit Jehu in regem, et jusserit, ut regem Joram, cui fidelitatem juraverat, interficeret: quod ille continuo fecit, et laudatus a Deo fuit, ut habemus 4. Reg. 9. et 10. Responderet opinor: Sic placuisse Deo, cujus judicia inscrutabilia sunt. Eodem igitur modo Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, non semper exerit potestatem suam, sed pro loco et tempore, ut a spiritu Christi admonetur et ducitur. Et

quidem primis trecentis annis Ecclesia christiana, non habuit reges christianos, nisi paucissimos, ut Lucium in Britannia et Donaldum in Scotia, qui cum pii essent, non erant caussa, cur Ecclesia potestatem suam in illos exerceret. Successerunt postea reges, aut valde pii et religiosi, ut Costantinus magnus. Constans, ejus filius, Jovianus, Valentinianus, Gratianus, Theodosius, Honorius et alii: aut valde impii et blasphemi, ut Constantinus, Julianus, Valens, Theodoricus, Totila, Gensericus, Hunericus et alii. Erga priores Ecclesia benevolentiam ostendere debuit, non severitatem: erga posteriores, quoniam potentissimi erant, severitatem ostendere nihil profuisset, ideo patientia potius adhibenda fuit, quam auctoritas. Sed cum temporibus Gregorii II. pontificis, italici populi egre ferrent imperium Leonis Isaurici, haeretici et persecutoris; et prompti essent ad jugum nefarii principis excutiendum, si pontifex juberet vel annueret, tum demum opportunum visum est apostolicae sedi auctoritatem suam exerere; quando videlicet non frustra exereret. Sic etiam non ante pontifex Zacharias de Childerico rege deponendo et Pipino ad regnum evehendo cogitavit, quam populus et proceres Franci id expeterent: neque enim prudens consilium pontificis fuisset, si invito populo et proceribus, regem illorum quamvis ineptum et ignavum exauthorare tentasset. Quod si Barclajus tanti facit silentium annorum septingentorum, cur non majoris facere debemus nos verba et exempla annorum nongentorum? nam pontifices et scriptores Ecclesiae prioris temporis, ut non affirmarunt, ita etiam non negarunt, esse in apostolica sede potestatem aliquam disponendi de temporalibus, in ordine saltem ad spiritualia: Pontifices autem et scriptores posterioris temporis, diserte pronunciarunt, eam potestatem Ecclesiae non deesse. Ecclesia certe eadem est, neque adversus eam portae inferi unquam praevalebunt; neque desunt Ecclesiae temporis posterioris homines doctrina et sanctitate illustres. Quare non recte de Ecclesia Christi sentit, qui nihil admittit, nisi quod expresse in veteri Ecclesia scriptum, aut factum esse legit, quasi Ecclesia temporis posterioris, aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi et declarandi, constituendi etiam et jubendi, quae ad fidem et mores chistianos pertinent.

10. Adducit Barclajus s. Gregorium, qui in ep. 61. lib. 2. vocat se famulum indignum imperatoris, et dicit: Imperatori coelitus datam esse potestatem super omnes homines: ubi notat illud, *omnes*, comprehendere etiam papam, si papa est homo, et ne quis forte respondeat, s. Gregorium ex humilitate ita esse loquutum, citat illud ex s. Augustino serm. 29. de verbis Apostoli: *Cum humilitatis caussa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras.* Denique addit verba s. Gregorii, in fine illius epistolae: *Utrobique ergo quae debui exolvi, qui et imperatori obedientiam praebui, et pro Deo, quod sensi minime tacui.*

Respondeo: Sanctus Gregorius non solius imperatoris: sed omnium fidelium servum se nominabat, cum initio epistolarum suarum adscriberet, Gregorius servus servorum Dei. Et Joannes Diaconus lib. 4. vitae s. Gregorii cap. 58. testatur, a s. Gregorio vocari solitos fratres, omnes sacerdotes, filios, omnes clericos; dominos, omnes laicos; nec tamen, opinor, Barclajus concedet, s. Gregorium omnibus laicis fuisse subjectum. Porro quod scribit s. Gregorius datam fuisse potestatem imperatori coelitus non significat, imperatoriam potestatem esse immediate a Deo; sed esse a Deo in eo sensu, quo dicit Apostolus, ad Roman. 13. *Non est potestas nisi a Deo.* Omnis enim potestas a Deo est; sed aliqua immediate, ut Moysis, ut s. Petri, ut s. Pauli: aliqua mediante consensu hominum, ut potestas regum, consulum, tribunorum: nam (ut s. Thomas docet in 2. 2. quaest. 10. artic. 10. et quaest. 12. art. 2. dominia et principatus humani de jure humano sunt, non de jure divino. Quod addit s. Gregorius, super omnes homines romano imperio subditos; alioqui potestas Mauritii imperatoris fuisset etiam super Antipodas, super Garamantas et Indos, et tamen non fuit super vicinos Persas, vel Scytas, nec super Germanos, aut Francos, aut Hispanos, aut illos innumerabiles: proinde poterat Barclajus omittere illam consequutionem, ergo super papam, si homo est, Neque mentitus est ex humilitate b. Gregorius, cum servum se dixit eorum, quibus subjectus non erat; servus enim dicitur, qui servit aliorum utilitati, sive id faciat obediendo, sive imperando: nam et Apostolus, servum se fuisse scribit Corinthiorum, super quos tamen potestatem a Christo accepisse se dicit 2. Cor. 4. et 13. Denique quod attinet ad obedientiam, quam se exhibuisse scribit s. Gregorius imperatori; dico eam fuisse coactam, et de facto, non de jure praestitam: nam idem s. Gregorius in explicatione psal. 101. de Mauritio imperatore scribit haec verba. In tantum autem suae temeritatis extendit vesaniam, ut caput omnium ecclesiarum romanam Ecclesiam sibi vindicet, et in domina gentium terrenae jus potestatis usurpet.

Pergit Barclajus et exclamat: *O divinum antistitem, et sententiam nullis non sequentium saeculorum pontificibus inculcandam. Sed proh numen; quo benigna illa et humitis confessio a nostris saeculis exulavit; cui paulatim succrevit haec minax et fastuosa adversus reges et imperatores oratio. Nos in supremo justitiae throno collocati, supremum in omnes reges et principes universae terrae, cunctosque populos, gentes et nationes, non humana, sed divina institutione nobis traditam potestatem obtinentes, declaramus, jubemus, praecipimus etc. quae verba falsa et inania, vel ex eo esse patet, quod papa in principes et populos infideles, qui multitudine Christianos superant, neque temporalem, neque spiritualem potestatem habeat, ut Bellarminus in libris de romano pontifice firmissima ratione ostendit.*

Respondeo: Hanc inanem exclamationem, et humilis confessionis laudationem s. ipse Gregorius refellit in eo privilegio, quod monasterio s. Metardi concessit, quodque subscriptum ab ipso Gregorio, multisque episcopis legitur lib. 22. epistolarum post epistol. 31. in eo siquidem privilegio ita

loquitur. Si quis autem regum, antistitum, judicum, vel quarumcumque saecularium personarum, hujus apostolicae auctoritatis, et nostrae praeceptionis decreta violaverit, aut contradixerit, vel fratres inquietaverit, vel conturbaverit, aut aliter ordinaverit, cujuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo privetur, et ut catholicae fidei depravator, vel sanctae Dei Ecclesiae destructor, a consortio christianitatis et corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur. Et supra dixerat, auctoritate divina, vice b. Petri apostolorum principis se statuere. Iisdem verbis utitur s. Gregorius in alio simili privilegio, quod habetur lib. 11. epist. 10. quae est ad senatorem abbatem. Itaque humilis ille servus servorum Dei eminentiam suae dignitatis non ignoravit, cum divina auctoritate, vice principis apostolorum, omnibus regibus cujuscumque dignitatis et sublimitatis essent, sub interminatione privationis proprii honoris imperare non timuit, ut praeceptionis suae decreta violare non auderent. Quid igitur est in Bullis Pii V. et Sixti V. (has enim bullas notat in margine) quas minaces et fastuosas appellat Barclajus, quod non sit in privilegio illo ab humili Gregorio dato? Pius et Sixtus dicunt, potestatem divina institutione sibi traditam: et Gregorius dicit, auctoritate divina se praecipere. Illi dicunt, super omnes reges se potestatem habere: iste dicit, si quis regum, vel quarumcumque saecularium personarum, etc. Illi dicunt, jubemus, praecipimus: Iste dicit, si quis regum etc. hujus apostolicae auctoritatis et nostrae praeceptionis decreta violaverit. At, inquit, verba illa Pii V. et Sixti V. falsa et inania esse, vel ex eo patet, quod papa in principes infideles, neque temporalem, neque spiritualem potestatem habet. Respondeo: Si falsa et inania sunt ista verba, multo magis falsa et inania erunt verba s. Gregorii, in epist. 61. lib. 2. a Barclajo supra citata et laudata, ubi s. Gregorius dicit: Mauritio imperatori, datam esse a Deo super omnes homines potestatem: constat enim imperatoris Mauritii potestatem non fuisse super omnes homines, cum non fuerit nisi super homines romano imperio subditos, quod imperium eo tempore ne tertiam quidem hominum partem continebat; quemadmodum igitur verba s. Gregorii de potestate Mauritii super omnes homines, intelligi debent de omnibus hominibus, qui romano imperio subjecti erant: sic etiam verba pontificum de potestate super omnes reges et populos, intelligi debent de omnibus regibus et populis, qui sunt in Ecclesia catholica, quae toto terrarum orbe diffusa est: sic enim debere intelligi verba illa, docent verba praecedentia. Pius enim V. initio Bullae scribit, unicam esse veram Ecclesiam Dei, eamque totam s. Petro ejusque successoribus esse commissam, atque inde colligit, summum pontificem potestatem habere super omnes reges et populos, qui videlicet ad Ecclesiam pertinent, quae in universo mundo est. Sixtus vero V. dicit, sibi curam incumbere ecclesiarum omnium populorum et gentium; ubi non dicit, se habere potestatem in omnes populos et gentes; sed in ecclesias, quae sunt in omnibus populis et gentibus. Similis locutio invenitur apud s. Bernardum il lib. 3. de Consid. cap. 1. ubi dicit, totum orbem terrarum ad curam summi pontificis pertinere: *Ita*, inquit, *tu haeres et orbis haereditas*, et, *orbe illi exeundum est, qui forte voluerit explorare, quae non ad tuam pertinent curam;* et tamen ibidem dicit: Papam non esse dominum orbis; sed orbem totum ad eum pertinere, quia debet fideles pascere, eisque cum potestate praeesse, et infidelium conversioni studium, et diligentiam adhibere, ut apostoli faciebant. Sanctus quoque Thomas in 2. 2. quaest. 12. art. 2. dicit papam habere potestatem super fideles et infideles, qui fidem aliquando susceperunt; non autem super eos, qui fidem numquam susceperunt, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 5. *Quid ad me de his qui foris sunt judicare?* quos auctores, et multos alios ego sequutus sum in loco quem Barclajus notavit, videlicet lib. 5. de pontifice cap. 2. Neque his repugnat quod supra docuimus cum s. Thoma, posse a summo pontifice privari quoscumque infideles a dominio quod habent super fideles: nam etiam si absolute non pertineat ad pontificem de his qui foris sunt judicare, neque habeat pontifex in illos ordinariam potestatem, cum ad gregem sibi commendatum non pertineant, nisi in potentia; tamen in ordine ad conservationem fidelium habet a Deo, auctoritatem privandi principes infideles dominio, quod habent super fideles, ut idem s. Thomas docet 2. 2. quaest. 10. art. 10.

Addo postremo, verba Pii V. non esse ita fastosa et minacia, ut Barclajus dicit: haec enim sunt ipsius verba in Bulla excommunicationis Elisabethae praetensae Angliae reginae. *Regnans in excelsis, cui data est omnis in coelo, et in terra potestas, unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet apostolorum principi, Petro, Petrique successori romano pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum super omnes gentes, et omnia regna principem constituit, qui evellat, destruat, dissipet, disperdat et plantet et aedificet, ut fidelem populum mutuae charitatis nexu constrictum in unitate spiritus contineat salvumque et incolumen suo exhibeat Salvatori: quo quidem in munere obeundo, nos ad praedictae Ecclesiae gubernacula, Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus etc.* Et infra: *Illius itaque auctoritate suffulti, qui nos in hoc supremo justitiae throno (licet tanto oneri impares) voluit collocare, de apostolicae potestatis plenitudine declaramus, praedictam Elisabetham haereticam, et haereticorum fautricem, eique adhaerentes in praedicti anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi corporis unitate praecisos: quin etiam ipsam praetenso regni praedicti jure, necnon omni, et quocumque dominio, dignitate privilegioque privatam etc.* Porro Bulla Sixti V. ita incipit: *Ab immensa aeterni regis potentiae, b. Petro, ejusque successoribus tradita auctoritas omnes terrenorum regum et principum supereminet potestates, stabilique in petra consistens, nec ullis adversitatibus, vel etiam secundis flatibus a recto deflexa inconcussa profert in omnes judicia.* Et infra: *Itaque in praecelso hoc solio, et in pleni-*

tudine potestatis, quam ipse rex regum, et Dominus dominantium, nobis licet indignis, tribuit, constituti, auctoritate Dei omnipotentis, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus,et nostra, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, pronunciamus et declaramus etc. Quare sententia quam Barclajus recitat, non habetur ad verbum in Bullis Pii V. vel Sixti V. Sed eam ipse variis ex locis ita construxit, ut ad invidiam conflandam aptissimum esse judicavit. Omitto caetera, quae sunt in hoc tertio capite: quia non argumenta, vel rationes; sed maledicta sunt, et convicia adversus pontifices: illum enim imitari volumus, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur. 1. Petri 2.

CAPUT IV.

De falsa caussa originis temporalis potestatis pontificiae a Barclajo assignata.

In quarto capite disserit Barclajus de origine temporalis potestatis pontificiae: quasi jam exploratum esset, divino jure sola spiritualia ad summum pontificem pertinere. Sed quoniam id neque exploratum, neque verum est, facile potuissem totum hoc caput silentio praeterire, ut quod ad rem non faciat, vel certe solito fundamento careat. Videamus tamen quid sit, quod hoc loco adfert Barclajus.

Duas res, inquit, *potissimum invenio, quae ansam pontificibus tantam potestatem arrogandi videntur praebuisse. Una est ingens ille honor, qui ut par erat a principibus et populis christianis summo animarum pastori deferebatur,et deferri adhuc debet, atque etiam praejudicata sanctitatis opinio de sede illa beatorum apostolorum Petri et Pauli*, et infra: *Alteram tantae jurisdictionis temporalis captandae ansam praebuit gladius excommunicationis.*

Respondeo: Frustra quaerit Barclajus unde tanta potestas summis pontificibus accesserit, cum ratio sit in promptu, quam et doctores communi consensu, et ipsa generalia concilia tradiderunt, summa videlicet spiritualis potestas divinitus collata apostolo Petro,ejusque successoribus super omnem Ecclesiam, ex ea siquidem manifeste sequitur, ut in ordine ad spiritualia et vitam aeternam, possit summus pontifex de temporalibus quoque disponere, ut capite superiore explicatum est. Quod autem Barclajus dicit, ex honore maximo, qui summis pontificibus deferebatur, et praejudicata sanctitate illius sedis, captasse ansam pontifices arrogandi sibi potestatem temporalem super reges et principes; falsum esse constat ex iis,quae supra Barclajus ipse scripsit: siquidem honor maximus, et praejudicata sanctitas non defuit primis mille annis, immo tunc maxime viguit: et tamen Barclajus contendit, primum fuisse Gregorium VII. qui sibi potestatem temporalem in reges et principes usurpavit, post annum millesimum et septuagesimum ab adventu Salvatoris. Dicet fortasse, primis illis annis fuisse pontifices optimos, sed postea factos deteriores ad gloriam temporalis imperii aspirare coepisse. At Gregorius VII. vir sanctissimus fuit, nec solum innocentia vitae, sed etiam miraculis clarus; cujus rei tot sunt testes, quot scriptores illius temporis, exceptis schismaticis,vel haereticis: quemadmodum etiam Innocentius III. et IV. qui hac potestate praeter caeteros usi esse videntur, pontifices laudatissimi habiti sunt. Neque verum est Gregorium VII. fuisse primum, qui de temporali regno disponere coepit: nam et Gregorius primus et secundus, et alii pontifices optimi et laudatissimi ante Gregorium VII. hanc potestatem habere se testati sunt, ut paulo infra docebimus.Porro excommunicatio est quidem instrumentum, quo pontifices plerumque uti solent ad coërcendas hujus saeculi potestates; sed etiam sine isto instrumento non semel pontifices maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiae utilitate, et animarum salute disposuerunt;ut cum Zacharias Childericum regem Francorum deponi mandavit, et Pipinum inungi, atque in solium exaltari jussit, et populos ab obedientia et fidelitate Childerico praestita liberavit: et cum Hadrianus primus Carolo magno regi Francorum dignitatem patritiatus romani contulit: et cum Leo III. eumdem Carolum, imperatorem occidentis dixit. Quare verum non est,excommunicationis censuram ansam dedisse pontificibus, ut potestatem temporalem sibi arrogarent.

Sed placet notare nonnulla, quae in hoc capite Barclajus non sine magna temeritate effutiit.

1. Primum est illud: *Sed hic lector monendus est, sententiam illam omnium vocibus celebratam, excommunicationem omnem esse timendam; cum hac exceptione intelligi debere, extra quam si manifeste constet esse injustam; tunc enim nec curanda, nec timenda est,modo absit ab excommunicato contemptus et praesumptio.*

Hanc Barclaji doctrinam damnant omnes boni scriptores, qui distinguunt inter excommunicationem injustam et nullam: et injustam quidem docent cum s. Gregorio esse timendam; nullam autem, non esse timendam, nisi aliquando ob scandalum, quando videlicet nullitas excommunicationis nota non est. Ac ne singulos doctores afferre necesse sit,audiamus Martinum Navarrum,qui communem doctrinam hanc esse testatur.In enchiridio cap. 27. num. 3. sic Navarrus loquitur, sententia excommunicationis, quantumvis injusta, valet regulariter, et ob id Gregorius in cap. 1. 11. quaest. 3. dixit, timendam esse sive justa sit, sive injusta, et infra: Ubi glossa, et ubique doctores aperte dicunt valere,et ligare excommunicationem injustam, et differre ab ea, quae est nulla.

2. Alterum est in illis verbis: *Cujus generis excommunicationis illa videtur, quae in subditos profertur, eo quod regi vel principi suo excommunicato pareant in iis, quae temporalis sunt jurisdictionis, et Dei mandatis non repugnant.*

Hujus doctrinae temeritatem, vel ex eo possumus demonstrare, quod per eam damnatur sententia Innocentii IV. lata in lugdunensi concilio:quae potest enim major esse temeritas, quam damnare manifestae injustitiae sententiam summi pontificis, in generali concilio latam, et omnium consensu probatam?

3. Tertium est in illis verbis: *Et vero Gregorius VII. partim publica offensa Henrici IV. imperatoris, partim privata injuria permotus, id juris dandi et auferendi regna aperte sibi primus omnium asseruit.*

Atqui falsum omnino est, quod Gregorius VII. primus omnium sibi asseruerit jus dandi et auferendi regna: jam enim supra numeravimus sex pontifices, qui ante Gregorium VII. idem fecerunt, videlicet Gregorium primum, Gregorium secundum, Zachariam, Leonem tertium, Gregorium quartum et Hadrianum secundum. Nam Gregorius primus privilegio supra citato apposuit illa verba, *Si quis autem regum, antistitum, etc. honore suo privetur.* Gregorius secundus imperatorem Leonem Isauricum vectigalibus Italiae privavit, teste Zonora, Cedreno et aliis. Zacharias Childericum a regno deposuit, et Pipinum in regnum exaltavit, testibus Annalibus Francorum antiquissimis, ubi sic legimus: *Data auctoritate sua (Zacharias) jussit Pipinum regem constitui.* Et infra: *Secundum romani pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est.* Idem dicit Aimoinus, Eginarthus, Lambertus, Rhegino, Sigebertus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Abbas Urspergensis, Otho Frisingensis et Albertus Chrantzius, quorum verba infra citabimus. Leo tertius a Graecis ad Francos imperium occidentis transtulit, quod testimoniis historicorum, pontificum, imperatorum et ipsorum principum electorum probavimus in lib. 1. de translatione imperii. Gregorius IV. decretorum Francorum, quo Ludovico Pio imperium auferebatur, auctoritate sua rescidit, et imperium Ludovico restituit, ut refert Marianus Scotus lib. 3. Chronici, his verbis, *Ludovicus reginam Aquis obviam ei venientem jubente papa Gregorio accepit: siquidem filii Ludovici non solum imperium patri abrogaverant, sed etiam Juditham uxorem ei ademerant; sed utrumque jubente Gregorio recepit.* Et Paulus Aemilius lib. 2. de rebus gestis Francorum: *Lugduni*, inquit, *concilium episcoporum, quos Ludovici imperatoris filii contraxerant, habitum, imperiumque patri abrogatum, quod decretum mox a Gregorio pontifice maximo rescissum est.* Denique Hadrianus secundus plus ducentis annis Gregorio septimo antiquior, cum accepisset, imperium Ludovici junioris imperatoris a Carolo Calvo rege armis tentari, scripsit ad Carolum minaces literas, teste Aimoino lib. 5. cap. 24. qui sic ait, *In epistolis papae continebatur, ut regnum quondam Lotharii, quod Ludovico imperatori spirituali ejus filio, haereditario ei jure debebatur, et quod ad eum post mortem ejusdem Lotharii rediit, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invaderet, nullus commoveret, nullus ad se conaretur inflectere: quod si quis praesumeret, non solum per suae auctoritatis ministerium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus nomine christianitatis privatus, cum diabolo omnino locaretur.*

4. *Quartum est in verbis sequentibus: Verum enim nihil aliud Gregorius eo facto quam cruentas et furiosas tragoedias excitavit, nec infeliciter destinata vi et armis prohibitus perfecit.*

Hoc quoque falsum esse notissimum est, quoniam cruentas et furiosas tragoedias non Gregorii decretum, sed Henrici inobedientia peperit: et quod potissimum optavit Gregorius, ut videlicet investituras episcoporum de manibus laicorum eriperet, partim per se, partim per successores omnino perfecit. Siquidem Gregorii sententiam, et decretum confirmarunt omnes ejus successores. Victor tertius, Urbanus secundus, Paschalis secundus, Gelasius secundus et Callixtus secundus, cujus tempore imperatoribus cedentibus pax inter sacerdotium, ut regnum facta est: sic enim scribit Abbas Urspergensis in chronico anni 1122. *Ipse, in cujus manu cor regis est, omnem animositatem Augusti sub apostolicae reverentiae obedientiam, causa matris Ecclesiae etiam ultra spem plurimorum inflexit*, etc. vide totum locum.

5. Quintum et ultimum est in illis verbis, ubi magnifice laudat Hosium episcopum cordubensem, quem vocat virum magnum et nobilissimum confessorem: atque ex ejus sententia constare dicit, Ecclesiam primis temporibus, neque temporalem potestatem in principes habuisse, neque habere se credidisse: ac ne quidem ob haeresim, quod crimen gravissimum et perniciosissimum est.

Sed nos Hosium virum magnum aliquando fuisse scimus, sed turpissime postea lapsum in Arianam haeresim non ignoramus. Id enim tradit Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, et in apologia secunda; Hilarius in lib. de synodis; Epiphanius haeresi 73. Sebadius in libro contra Arianos: Sulpitius lib. 2. sacrae historiae; Socrates lib. 2. cap. 26. Sozomenus lib. 4. cap. 5. Vigilius martyr, in lib. 5. adversus Eutychetem: denique Isidorus de viris illustribus in Gregorio Betico. Deinde Hosius quantumvis numquam lapsus fuisset, tamen non tanti faciendus est ab hominibus catholicis, ut anteponatur conciliis generalibus, non uni, sed multis et doctoribus omnibus initio a nobis citatis, qui communi consensu docent, propter haeresim posse a summo pontifice principes deponi ac principatu privari. Addo postremo verba Hosii nihil omnino adversus communem sententiam facere. Quid enim ille dixit? non licere pontifici imperium gerere, ut neque imperatoribus pontificatum. Sed etiam si pontifex imperium non gerat, potest tamen per ipsam pontificalem potestatem imperatorem haereticum ab Ecclesia arcere, ac ne Ecclesiae noceat, imperium illi abrogare. Neque enim Zacharias rex erat, et potuit tamen regem deponere: Neque Leo III. imperator erat, et tamen imperium ab una gente ad aliam transferre potuit. Immo si papa rex aut imperator esset, non posset imperiali, aut regia potestate imperatorem aut regem deponere, quia par in parem non habet imperium: proinde quod facit papa, facit apostolica, idest, suprema spirituali potestate, ut Christi vicarius, non ut princeps terrenus. Ex his apparet quantum officiat lumini mentis pravus propriae opinionis affectus: Barclajus enim amore captus opinionis suae in verbis Hosii perspicue se id videre existimavit, cujus nos ne vestigium quidem cernimus.

CAPUT V.

De potestate in temporalia, quam indirecte theologi summo pontifici tribuunt.

In quinto capite Barclajus explosa (ut ipse dicit) canonistarum, et Bozii sententia, aggreditur refutare sententiam theologorum, qui dicunt papam habere potestatem in temporalia indirecte. Sed antequam ad ejus argumenta refellenda accedam, explicabo breviter quid intelligamus per voces illas directe et indirecte; et quis sit auctor earum vocum. Igitur per voces directe et indirecte, non intelligimus, ut aliqui per jocum dicunt, potestatem spiritualem esse in pontifice directe, idest, juste et legitime; temporalem autem indirecte, idest, injuste et usurpative; sed potestatem pontificiam per se, et proprie spiritualem esse, et ideo directe respicere, ut objectum suum primarium, spiritualia negotia; sed indirecte, idest, per ordinem ad spiritualia, reductive, et per necessariam consequentiam, ut sic loquamur, respicere temporalia, ut objectum secundarium, ad quod non convertitur haec spiritualis potestas, nisi in casu, ut loquitur Innocentius tertius, in cap. *Per venerabilem*, Qui filii sint legitimi, *In aliis*, inquit, *regionibus certis caussis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus:* quomodo etiam loquitur sanctus Bernardus, in lib. 1. de Consideratione, cap. 5. *Sed*, inquit, *aliud est incidenter excurrere in ista (temporalia negotia) caussa quidem urgente; aliud vero ultro incumbere istis, tamquam magnis, dignisque tali.* Porro auctorem harum vocum habemus Innocentium IV. pontificem doctissimum. Is enim explicans, cap. *Novit*, de judiciis, paragr. de feudo, dicit: Pontificem directe non judicare de feudis, secus autem indirecte, ratione peccati. Eadem distinctione utitur Joannes de Turrecremata, Thomas Cajetanus, Petrus de Palude, Durandus, Franciscus Victoria, Dominicus a Soto, Martinus Ledesmius, Jacobus Simanca, Antonius Cordubensis, Martinus Navarrus, Ludovicus Molina, et alii.

Venio nunc ad argumenta Barclaji. Primum adfert argumentum, quo ego fueram usus adversus eos, qui potestatem pontificis, simul pontificiam et regiam, spiritualem et temporalem esse volebant, reges autem temporales, non tam esse reges, quam exequutores pontificiae potestatis et voluntatis. Argumentum meum hoc fuit: Potestas regum terrenorum est a Deo, ut confitentur ipsimet pontifices; s. Leo, epist. 38. ad Martianum; sanctus Gelasius, in epist. ad Anastasium; sanctus Gregorius, lib. 2. epist. 61. Nicolaus, in epist. ad Michaëlem: ergo vel potest summus pontifex tollere exequutionem administrationis a regibus et imperatoribus tamquam summus ipse rex et imperator, vel non potest; si potest ergo est major rex Christo, cum possit auferre, quod Christus dedit; si non potest, ergo non habet vere potestatem regiam in ipsos reges et imperatores. Hoc argumentum ita retorquet Barclajus adversus meam et theologorum caeterorum sententiam.

1. *Aut potest summus pontifex aliquo modo, hoc est, directe vel indirecte auferre regibus et imperatoribus regna atque imperia, aliisque conferre; aut non potest: si potest, ergo est aliquo modo major Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert: minor enim vel par auferre non potest, quod a majore vel aequali concessum est; ac ne vicarius quidem ejus, qui concessit sine expresso Domini mandato: (ne quis nobis reponat, papam tamquam Christi vicarium id facere, cum ipse nullum de ea re mandatum neque expressum, neque tacitum accepisse inveniatur) si non potest, ergo falsum est, quod dicunt, eum habere summam potestatem indirecte disponendi de omnibus rebus temporalibus christianorum, et deponendi de solio reges et imperatores, aliosque in eorum locum sufficiendi.* Haec Barclajus.

Respondeo: Cum dicimus ex pontificum sententia regum terrenorum potestatem esse a Deo: non intelligimus, esse a Deo immediate, quomodo est a Deo potestas summi pontificis; sed esse a Deo, quia Deus voluit esse in genere humano politicum regimen; et ideo instinctum quemdam naturalem dedit hominibus, ut eligant sibi magistratus a quibus regantur: et praeterea voluit Deus regimen politicum esse distinctum ab ecclesiastico, ut expresse docuit Nicolaus papa, in epist. ad Michaelem; et post eum Innocentius, in cap. *Solitae*, de majorit. et obedient. et ante utrumque Gelasius, in epist. ad Anastasium. Ex his perspicuum est argumentum meum solidum esse, et argumentum Barclaji omnino infirmum: nam si in summo pontifice esset potestas spiritualis, et temporalis directe, et esset pontifex rex mundi, ut est pontifex Ecclesiae universae, et reges caeteri essent meri exequutores temporalis jurisdictionis; certe posset pontifex pro arbitrio suo privare quoslibet reges administratione et exequutione jurisdictionis temporalis; et hoc modo posset tollere regimen politicum, vel confundere cum ecclesiastico: et esset major Christo, cum posset tollere vel confundere potestates, quas ille voluit esse, et esse distinctas. At si in summo pontifice ponatur potestas spiritualis tantum directe, et temporalis indirecte, idest, in ordine solum ad spiritualia; non sequitur posse pontificem tollere vel confundere politicum regimen, sed solum sequitur posse pontificem per spiritualem, atque apostolicam eminentissimam suam potestatem dirigere et corrigere potestatem politicam, eamque, si opus sit ad finem spiritualem, uni principi adimere et alteri conferre. Atque ut respondeamus in forma ad argumentum: cum ille dicit, Aut potest summus pontifex aliquo modo, hoc est, directe, vel indirecte auferre regibus et imperatoribus regna, atque imperia aliisque conferre, aut non potest. Respondeo: Potest; cum ille colligit, si potest, ergo est aliquo modo major Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert: nego consecutionem, nam Deus non dedit immediate regnum huic aut illi; sed dicitur potestas regum esse a Deo, quia Deus voluit esse inter homines potestatem politicam, eamque distinctam ab ecclesiastica; proinde cum summus pontifex transfert regnum ab uno ad alium, non tollit quod Deus dedit, sed ordinat et dirigit: et quem-

admodum Deus dat regna hominibus mediante consensu et consilio hominum;et potest ac solet ea mutare et transferre de gente in gentem, mediante consilio et consensu eorumdem hominum: ita potest majore ratione ea mutare et transferre propter finem spiritualem per vicarium suum generalem, quem constituit super totam familiam suam. At, inquit Barclajus, iste vicarius non habet mandatum Domini, neque expressum, neque tacitum. Immo habet expressum, sed in genere: eo siquidem ipso quod factus est pastor gregis totius et praepositus toti familiae, et caput vice Christi totius corporis Ecclesiae, intelligitur habere mandatum regendi,et dirigendi, et corrigendi omnes oves totius gregis; omnes conservos,qui sunt in familia;et omnia membra, quae sunt in corpore: neque excipiuntur imperatores et reges, nisi velint excipi a numero ovium Christi, et servorum Christi et membrorum corporis Christi.

2. Adfert deinde Barclajus alterum argumentum, quod ego proposui adversus eorum sententiam,qui tribuunt summo pontifici potestatem temporalem directe in omnia regna mundi: illudque retorquere conatur adversus meam et aliorum theologorum sententiam de potestate temporali indirecte, idest, in ordine ad spiritualia, sic autem loquitur.

Sed aliud longe efficacissimum, quod ex eodem Bellarmini libro et capite supra retulimus, hoc loco ad institutum nostrum optimo jure in hunc modum adaptabimus. Si verum est, papam habere potestatem indirecte disponendi de rebus temporalibus omnium christianorum, aut eam habet jure divino, aut jure humano; si jure divino, deberet id constare ex Scripturis,aut certe ex apostolorum traditione: ex Scripturis nihil habemus, nisi datas pontifici claves regni coelorum: de clavibus regni terrarum nulla mentio fit: traditionem apostolorum nullam adversarii proferunt.

Respondeo: Habet summus pontifex jure divino potestatem disponendi de rebus temporalibus christianorum in ordine ad finem spiritualem. Id vero constat ex Scripturis; nam in clavibus regni coelorum apostolo Petro, pro se et successoribus traditis, Matth. 16. non intelliguntur quidem claves regni terrarum, de quibus nulla mentio facta est in evangelio, quia non erat necessarium, ut summus princeps Ecclesiae simul esset monarcha temporalis hujus mundi: sed intelligitur potestas disponendi de temporalibus, quatenus ea juvat ad aperiendum fidelibus regnum coelorum, vel impediunt atque obstant, ne fidelibus aperiatur regnum coelorum.

3. *At, objicit Barclajus, (Quod si dixerint, neque expresso Dei verbo, neque traditione apostolorum ad hujus potestatis confirmationem opus esse; cum indirecte tantum, et ex quadam sequela pontifici competat,tamquam inseparabilis quaedam accessio, et appendix potestatis illius spiritualis, qua supremus animarum pastor in omnes christiani gregis oves raeditus est. Non rursus ab eis petemus aliquod ejus accessionis et conjunctionis testimonium ex Scripturis, vel traditione apostolorum.*

Respondeo: Jam dixi, potestatem, de qua loquimur, haberi expresse in Scripturis, sed generatim, non in particulari; in illo videlicet cap. 16. Matth. *Tibi dabo claves regni coelorum*, et Joan. 21. *Pasce oves meas:* atque ex iisdem istis testimoniis divinis colligi particularem illam accessionem et conjunctionem potestatis disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, ut non semel explicatum est. Neque verum est quod Barclajus subjungit, hanc tantam potestatem tum a Christo, tum ab apostolis eorum successoribus alto silentio in Ecclesia tot saeculis fuisse praetermissam. Nam a Christo satis aperte significata est in locis citatis: et ab Apostolo etiam indicata. 1. Corinth. 6. cum ait, *Nescitis, quia et angelos judicabimus? quanto magis saecularia?* et a successoribus apostolorum Petri et Pauli, Romanis videlicet pontificibus, re ipsa demonstrata est in depositione regum et imperatorum, jam inde ab anno Domini septingentesimo nam ante illud tempus, vel defuit necessitas, vel opportunitas.

4. *Objicit rursus Barclajus, (Si utraque potestas ab altera: spiritualis scilicet a temporali, et e contra, separari possit, locus erit sententiae, qua quod directe fieri non permittitur, id nec indirecte fieri statuit: ita enim prudentes definierunt quoties aliquid directe fieri prohibetur, id nec indirecte quidem, sive per consequentiam fieri posse; nisi id quod prohibitum est, sequatur necessario ad aliud jure permissum, ita ut permissum sine prohibito non possit procedere, et nisi (ut cum jure consulto dicam l. 3.§ generaliter, de donatione inter vir. et uxor.) utriusque caussa ita commixta sit, ut separari non possit. Unde eum, qui solus rem alienare non potest, ne credere quidem posse liti super ea motae concluditur, juxta Panorm. in cap.* Dudum. 54. *de elect. et cap.* Cum pridem, *de pact. quod nimirum oblique et indirecte hoc modo rem alienaret. Si igitur papa, quatenus papa nullam temporalem jurisdictionem directe habet in christianos, quod illi concedunt, superiore juris sententia effici videtur, eum ne indirecte quidem habere posse. Quapropter ut suam hominibus sententiam persuadeant, debent ex Scripturis, aut apostolorum traditionibus testimonium proferre, vel saltem docere, temporalem potestatem de qua loquuntur ita conjunctam esse cum spirituali, ut ab ea divelli, et separari, ut, inquam, spiritualis sine ea consistere nullo modo possit:quod quoniam praestare nequiverunt, nihil nisi opiniones incertas sunt sequuti, et rationes quae non satis videntur concludere quod assumunt.*

Respondeo: De conjunctione et separatione ecclesiasticae potestatis et politicae, duplex potest esse quaestio; una, An possit ecclesiastica potestas esse sine politica, ita ut nullus in Ecclesia sit princeps politicus; et contra, An possit potestas politica inveniri in aliqua gente, ubi nullus sit praelatus ecclesiasticus; et hoc modo concedimus posse inveniri has potestates omnino separatas: primis enim temporibus Ecclesiae fuit in terris Ecclesia sine ullo principe temporali christiano,et fuerunt eodem tempore, et sunt etiam nunc aliqua regna infidelium,

ubi nulli sunt praelati ecclesiastici. Altera quaestio esse potest, An possit dari summa potestas ecclesiastica, sive spiritualis, quae non habeat aliquo modo annexam potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia: et hoc modo negamus posse dari potestatem summam ecclesiasticam, sive spiritualem, quae non habeat annexam potestatem temporalem aliquo modo, idest, in ordine ad spiritualia. Nam etiam illo tempore, quo nulli erant in Ecclesia principes temporales, potuit princeps ecclesiasticus jubere fidelibus, ut de bonis temporalibus alerent ministros sacramentorum: item, ut fideles dirimerent inter se lites civiles, et non adirent pro his rebus tribunalia infidelium: quorum utrumque docet Apostolus in priore ad Corinth. cap. 6. et 9. Potuit quoque Ecclesia non tolerare super se principem infidelem, si is avertere conaretur fideles a cultu veri Dei, ut s. Thomas docet in 2. 2. q. 10. art. 10. Denique illo tempore deerat usus potestatis hujus in principes, quia nulli erant: sed potestas ipsa non deerat: aliud enim est potestas, aliud usus potestatis. Itaque fundamentum Barclaji de separatione harum potestatum omnino corruit, et eo ruente ruit totum aedificium argumentorum ipsius. Nam quod adducit ex jure civili et canonico non facit ad rem, quia non admittimus separari posse omnino potestatem spiritualem a temporali; et contrarium pro comperto habemus; idque ex testimonio Scripturae, et praxi Ecclesiae. Barclajus autem assumit tamquam certa et concessa, nos destitui testimonio Scripturae, et potestates illas nullo modo esse conjunctas: quae nemo nostrum concedit; immo etiam falsa esse contendimus. Accedit praeterea, quod quando in Ecclesia sunt principes temporales, ut post primos ducentos, vel trecentos annos semper fuerunt: tunc potestas ecclesiastica et politica conjunctae sunt adhuc strictiore vinculo; quoniam princeps politicus subjectus est principi spirituali, ut filius patri et membrum capiti. Siquidem res publica politica et spiritualis unam Ecclesiam faciunt, non duas: et illius unius Ecclesiae caput est vicarius Christi, Petrique successor. Quare si quid valerent argumenta Barclaji pro principibus qui fidem Christi numquam susceperunt, quod tamen non admittimus; certe pro principibus christianis, aut qui christiani aliquando fuerunt, nihil prorsus valent. Sed de hac re plura suo loco dicenda sunt.

CAPUT VI.

Cur primis septigentis annis summi pontifices non deposuerunt reges haereticos vel apostatas.

In 6. cap. Barclajus producit tam quam argumentum insolubile, quod neque usus, neque exemplum, neque mentio ulla talis pontificiae potestatis annis circiter mille in Ecclesia fuerit: cum multi interea principes christiani impie, crudeliter, perverse et magno Ecclesiae detrimento regnis, atque imperiis abuterentur. Deinde adfert solutionem ad hoc suum argumentum, quam ante annos viginti ad argumentum simile dedit Franciscus Romulus in responsione ad apologiam, quae falso catholica inscribebatur: et eam solutionem in toto capite et sequentibus usque ad duodecimum prolixe admodum, et magnis clamoribus odiosissime refellere nititur, ut in his sex capitibus non jureconsultum aut theologum disputatorem: sed tragicum declamatorem agere voluerit. Quare adscribam hoc loco responsionem integram Francisci Romuli, ut eam Barclajus refert, deinde respondebo ad singulas partes Barclajanae confutationis. Sic igitur loquitur Franciscus Romulus in apologia cap. 8.

Jam vero quod quarto loco adversarius objicit de majorum nostrorum consuetudine, qui principes multos haereticos passi sunt, ut Constantium et Valentem, Arianos; Anastasium euthychianum; Heraclium monothelitam, et si qui sunt alii, ad rem nihil facit; neque enim Ecclesia temere et inconsiderate potestate sua debet abuti. Porro non raro accidit, ut tanta sit quorumdam regum cum improbitate ac saevitia juncta potentia, ut ecclesiastica censura, neque ad eos coercendos quicquam prosit, et catholicis populis, in quos principes irritati magis saeviunt, plurimum obsit. Quid enim quaeso profuisset quondam Ecclesiae, si tentasset, vel Ostrogothos reges in Italia, vel in Hispania Visegothos, aut Wandalos in Africa excommunicare ac de solio deturbare, quamvis id facere optimo jure potuisset? Quod idem de Constantio, Valente et aliis supra nominatis intelligi debet. Siquidem ea tunc erant tempora, ut potius ad martyrium subeundum episcopi, quam ad principes coercendos parati esse deberent. At ubi vidit Ecclesia suae potestati locum aliquem aperiri, vel cum ipsorum principum spirituali utilitate, vel certe sine detrimento et pernicie populorum: non sibi defuit ut exempla paulo ante allata demonstrant. Sic enim Ecclesia Leonem Isauricum imperii parte, et Henricum quartum toto imperio et Childericum regno Franciae spoliandos esse judicavit, ut re ipsa deinceps, et Leo parte imperii, et Henricus imperio toto, et Childericus regno caruerit. Itaque veteres illos imperatores Constantium, Valentem et caeteros, non ideo toleravit Ecclesia (ut adversarius somniat) quod legitime in imperium successissent; alioqui enim Leonem etiam, et Henricum et Childericum, qui non minus legitime successerant, pertulisset; sed quod illos sine populi detrimento coercere non poterat, istos poterat.

Haec responsio Francisci Romuli a morsibus Barclaji vindicanda est, tum quia ad rem nostram maxime facit, tum quia est hominis catholici et eruditi, cujus librum jam olim vidi non Romae excusum, ut Barclajus fingit; sed in Galliis; qua urbe non memini. Ergo Barclajus partem illam reprehendendam primo loco sibi desumpsit, ubi dicitur, Ea tunc erant tempora, ut potius ad martyrium subeundum episcopi, quam ad principes coërcendos parati esse deberent. Quae verba Barclajus pro sua modestia dicit, falsa esse, et in meris mirisque mendaciis fundata. Deinde addit, ea indigna sibi videri, quae ab ullo catholico, nedum theologo in medium adferantur. Denique ita in partem deteriorem ea verba interpretatur, ut exclamet: *Quid e-*

nim? an nos incidimus in ea tempora, quibus episcopi milites potius quam martyres esse debeant? aut legem Dei, atque Ecclesiam praeliis, quam praedicationibus defendere? Atque hinc accepta occasione toto illo capite adversus mores episcoporum et cardinalium maximo furore bacchatur. Sed nos conviciis et maledictis praeteritis, et tota ejus canina eloquentia praetermissa, breviter respondebimus. Primo falsum esse dico, quod initio capitis ipse sumit, annis circiter mille, neque usum, neque exemplum, neque mentionem ullam talis pontificiae potestatis in Ecclesia fuisse: siquidem exempla Gregorii primi, secundi et quarti, nec non Zachariae et Leonis III. supra allata contrarium evidenter ostendunt. Deinde addo, Franciscum Romulum non divisisse responsionem in partes duas, ut iste fingit; una est enim et simplex responsio, videlicet non potuisse Ecclesiam illo tempore uti potestate sua: ideo subeundum fuisse martyrium potius, quam fidem abnegandam. Quemadmodum etiam hoc tempore ubi ethnici praevalent, ut in insulis Japonis; vel haeretici, ut in Britannia, plurimi ad martyrium animantur, et reipsa martyrium fortissimo animo suscipiunt potius, quam ad fidei abnegationem perduci se sinant. Adjungo postremo tempus martyrii proprium illud esse, cum neque fuga, neque justa defensione, sed sola passione abnegatio fidei declinari potest. Neque enim Dominus in evangelio vim vi repellere unquam prohibuit; fugam autem non modo permisit, sed etiam in certo casu, ut cum Ecclesiae necessitas, vel major utilitas id postulat, imperavit dicens: *Cum vos persequentur in una civitate, fugite in aliam*, Matth. 10. neque in gladios persecutorum irruere, sed mortem pro fidei confessione illatam tolerare aequo animo jussit. Et quidem quod attinet ad fugam tam evidens est mandatum Domini et testimonia, atque exempla sanctorum prophetarum et apostolorum, quae copiose adducit s. Athanasius in apologia pro fuga sua, ut nulla de hac re dubitatio catholicis relicta sit, quod autem liceat vim vi repellere, et jure belli persecutionem sive gentilium, sive haereticorum propulsare, si vires adsint; docent bella Machabaeorum adversus Antiochum, qui populum Dei ad idololatriam compellere satagebat, docent bella catholicorum adversus haereticos in Africa tempore s. Gregorii, de quibus loquitur idem s. Gregorius, lib. 1. epist. 77. ad Gennadium Exarchum, ubi eum laudat, quod magno zelo haereticos armis persequeretur, eumque excitat, et hortatur, ut viriliter pergat, docent bella catholicorum adversus haereticos Albigenses, et Tholosanum comitem Raymundum patronum ipsorum, ubi divina adjuvante gratia plus centum millibus uno praelio a Simone comite Monfortio cum exigua manu caesi sunt, ut scribit Paulus Aemilius lib. 6. historiae Francorum, docent nostro tempore bella Helveticorum catholicorum adversus Helveticos haereticos Zwinglianos. Nam ut scribit Joannes Cochleus de actis Lutheri anno 1531. Helvetii pro fide catholica pugnantes, cum numero et viribus essent inferiores, et sola justitia caussae superiores, quinque praeliis haereticos gloriose vicerunt, quo tempore autem catholici a Constantio Ariano imperatore vexari coeperunt, ad Constantem principem orthodoxum, qui in occidente imperabat S. Athanasius aliique episcopi catholici confugientes literas impetrarunt minaces ad Constantium, ut habetur in historia tripartita, lib. 4. cap. 25. quibus literis ad tempus repressa persequutio est; sed paulo post Constante defuncto, et Constantio in toto orbe romano imperium obtinente, cum nemo esset, qui illi resistere auderet; tempus illud advenit, quo episcopi ad martyrium parari non autem de imperatore excommunicando, vel deponendo cogitare deberent. Atque haec est sententia Francisci Romuli, non ea, quam illi Barclajus affingit, quasi voluerit olim episcopos martyres esse debuisse, nunc milites esse debere.

CAPUT VII.

Cur Ecclesia Constantium haereticum, et Julianum apostatam imperatores non deposuit.

In septimo capite refutare Barclajus aggreditur verba illa postrema Francisci Romuli. *Itaque veteres illos imperatores Constantium, Valentem et caeteros, non ideo toleravit Ecclesia, quod legitime in imperium successissent: alioqui enim Leonem etiam, et Henricum et Childericum, qui non minus legitime successerant, pertulisset; sed quod illos sine populi detrimento coercere non poterat, istos poterat.* Et miratur, hoc idem scripsisse Bellarminum, lib. 4. de pontifice, cap. 7. Sed ut magis miretur, sciat hoc idem sensisse s. Thomam in 2. 2. quaest. 12. art. 2. ad primum, ubi dicit Ecclesiam tolerasse, ut fideles obedirent Juliano apostatae, quia in sui novitate, nondum habebat vires compescendi principes terrenos. Existimat igitur Barclajus, Ecclesiam facile potuisse, si voluisset, tum Constantium Arianum, tum Julianum, apostatam de solio deturbare; sed id non fecisse, quod sciret illos legitime in imperium successisse. Argumenta ejus haec sunt. Primum, quia totus orbis tempore Constantii christianus erat, et ejus pars maxima orthodoxa. *Falsissimum*, inquit, *esse dico, non potuisse Ecclesiam coercere illos aeque facile atque istos, ne dicam facilius, et sine detrimento populi, sive id armis tentare, sine arte aliqua, et hominis devoti opera uti voluisset. Jam enim totus orbis sub Constantio christianus fuit (ut ex epist. Constantini magni ad Ecclesiam, ab Eusebio et Nicephoro relata constat) et ejus pars maxima orthodoxa: ita ut vires illis ad opprimendum imperatorem nequaquam defuerint, si fas, aut pium credidissent armis adversus legitimum principem decertare.*

Respondeo: Primum, verum non est, tempore Constantii totum orbem fuisse christianum, neque hoc dicit in ea epistola Constantinus. Et si hoc esset verum, quomodo Simmachus praefectus urbis longa oratione (quae extat apud s. Ambrosium inter epistolas ejus vigesimam nonam et trigesimam primam) persuadere conatus fuisset Valentiniano imperatori, ut sacra gentilibus Romanis restitueret? Cur s. Joannes chrysostomus in orat. de sancto Babyla, et Theodoretus, in libris de curandis Grae-

corum affectionibus tam multa disputassent adversus gentiles sui temporis? Cur s. Augustinus et Paulus Orosius scripsissent contra querelas gentilium, ille libros de Civit. Dei: iste historiam cladium, quas Romani antequam Christus advenisset acceperant? Denique Barbari, cum quibus post tempora Constantini ad orientem et septentrionem Romani assidue decertabant, Parthi, Persae. Sarmatae, Gothi, nonne maxima ex parte gentiles erant? Deinde etiamsi hoc esset verum; non tamen inde recte colligi posset, facile fuisse Ecclesiae coercere Constantium, vel Julianum: nam imperatores illi potentissimi erant, et multas legiones armatas ducebant, adversus quas nihil poterat inermis multitudo fidelium, praesertim cum principem aliquem christianum non haberet qui vellet, aut posset eam armare, et armatam ducere adversus imperatores. Hoc certe tempore in imperium Turcarum plurimi sunt christiani, et fortasse plures numero, quam ipsi Turcae sint: tamen quia neque ducem, neque arma in promptu habent, adversus Turcarum regem nihil possunt; quae caussa fuit olim, cur neque Itali jugum Gothorum, neque Africani Wandalorum, neque Galli Francorum excutere possent. At Leonem imperatorem Graecum facile fuit summo pontifici Gregorio excludere ab imperio Italiae, quoniam vires ejus in Italia debilitatae erant, et proceres Italiae hoc ipsum maxime expetebant, ut facultas eis a pontifice daretur deficiendi ab imperatore impio: pari ratione Childericum regem Francorum nullo negotio potuit Zacharias pontifex regno privare, cum id ipsum proceres Franci cuperent, et ipse potestate rerum gerendarum ad magistrum palatii translata otio desidiaque langueret. Denique Henricum imperatorem non ante Gregorius papa deponendum esse decrevit, quam gravissima ejus crimina vocibus populorum ad eum delata justitiam postularent, ut Marianus Scotus aliique ejus temporis historici docent.

Addit Barclajus, temporibus Constantii non defuisse in Aegypto et Lybia, aliisque locis per Asiam et Europam monachos permultos, in quibus non minor zelus erat quam in illo, qui Henricum tertium Francorum regem confodit, qui, si licuisset, facile Constantinum de medio tollere potuissent.

Respondeo: Non pertinet ad monachos, aut alios ecclesiasticos viros caedes facere, ut habetur 23. q. 8. can. 1. et seq: multo autem minus per insidias reges occidere. Neque summi pontifices consueverunt ista ratione principes coërcere; Ipsorum mos est, primum paterne corripere, deinde per censuram ecclesiasticam sacramentorum Communione privare; denique subditos eorum a juramento fidelitatis absolvere, eosque dignitate, atque auctoritate regia, si res ita postulat, privare. Executio ad alios pertinet. Quare Innocentius pontifex cum in concilio lugdunensi Friderico II. imperium abrogasset, dixisse fertur, *Ego, quod meum est, feci; faciat, et prosequatur super his Deus, quod voluerit.* Id refert Matthaeus Paris in Henrico III. referens acta anni Domini 1245.

Pergit deinde, et probare nititur, facile fuisse Ecclesiae tollere de medio Julianum apostatam et Valentem arianum, quia exercitus eorum magna ex parte catholici erant, et episcopis obedientes, quod cum non fecerit, sequitur, aut pontifices illius temporis non esse sanctos officio suo, aut credidisse non sibi licere principes, quamvis apostatas, aut haereticos deponere.

Respondeo: Julianum apostatam difficillimum fuit deponere, quoniam ipse solus imperium regebat, neque verum est totum ejus exercitum fuisse christianum: scribit enim Ruffinus, lib. 2. cap. 1. totum fuisse pollutum sacrilegiis, sacrificiis videlicet idololatricis. Nam, ut scribitur in historia tripartita, lib. 7. cap. 1. legem tulerat Julianus, ut omnes milites sacrificarent idolis, aut de militia ejicerentur. Itaque plenus erat exercitus paganis, aut iis, qui a Christo defecerant. Neque his repugnat, quod adversarius citat ex Ruffino, Socrate et Theodoreto; Joviano recusante imperium sumere, quod ipse christianus cum esset, paganis imperare nolebat, exercitum una voce clamasse, et nos christiani sumus. Siquidem ea vox significabat, plerosque illorum corde ac voto christianos fuisse, non manifesta professione: alioqui Jovianus, non eis objecisset paganismum, neque dixisset, se nolle imperare paganis. Itaque si qui erant in exercitu Juliani christiani, occulti erant, et communicatione sacrilegorum maculati, pagani habebantur. De valente idem omnino dici potest: quamvis enim paucos quosdam in exercitu suo catholicos haberet, tamen multitudo principis sequebatur errores. Neque alia caussa est, cur Valentinianus catholicus imperator fratrem Valentem haereticum toleraret, nisi quia non facile erat sine periculoso et ambiguo bello de imperatorio solio illum dejicere.

Subjungit postremo Barclajus duo Patrum testimonia, unum s. Gregorii nazianzeni, orat. 1. in Julianum, cujus verba sunt, *Coercitus est Dei clementia, et lachrymis christianorum, quae multae jam, et a multis erant effusae, cum solum hoc contra persecutorem haberent remedium.* Alterum, s. Augustini, tract. in psal. 124. qui sic loquitur. *Julianus extitit infidelis imperator, nonne extitit apostata, iniquus, idololatra? Milites christiani servierunt infideli imperatori: ubi veniebant ad caussam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelo erat; quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, praeponebant illi Deum: quando autem dicebat, producere aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant, distinguebant Dominum aeternum a domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam domino temporali.*

Respondeo: S. Gregorius dicit, nullum adversus Juliani persecutionem fuisse remedium praeter lachrymas; quoniam non habebat Ecclesia vires, quibus illius tyrannidi resistere posset. Ideo enim lachrymis Dei benignitas imploranda erat; quoniam aliunde auxilium expectari non poterat. Neque negavisset s. Gregorius, potestatem politicam jure subjectam esse debere spirituali pontificum potestati, cum hoc ipsum disertis verbis scriptum reliquerit, in oratione ad populum pertimescentem, et praesidem iratum: quare hoc loco de facto loquitur non de jure. Sanctus Augustinus recte dicit: Mili-

tes christianos servivisse Juliano imperatori infideli, quoniam initio imperii sui tolerabat christianos; nec solos milites christianos esse patiebatur; sed etiam episcopos catholicos, quos Constantius Arianus relegaverat, ad sedes suas reverti permisit, ut refert Ruffinus, lib. 1. cap. 27. postea tamen, ut ex Tripartita citavimus, cogebat omnes, aut idolis sacrificare, aut militia excedere: quo tempore Jovianus et Valentinianus cingulum militiae abjicere, quam idolis sacrificare maluerunt; propter quod Deus, qui reddit centuplum in hac vita, utrique paulo post, pro cingulo militiae regium diadema donavit. Porro Barclajus perperam interpretatur illa verba; *Ubi veniebant ad caussam Christi*: dicit enim, caussam Ecclesiae esse caussam Christi; et ideo si licitum esset imperatorem apostatam deponere, debuissent milites christiani, jubente Ecclesia, in ipsum Julianum arma convertere. At s. Augustinus verba sua ipse interpretatur, cum ait: *Quando volebat Julianus, ut idola colerent, praeponebant illi Deum.* Hanc igitur vocat caussam Christi s. Augustinus: quamvis autem sit etiam Christi caussa, Ecclesiae caussa, tamen non tenebantur milites christiani in imperatorem suum, quamvis apostatam et persecutorem arma convertere, nisi antea hostis judicatus esset: Ecclesia vero tolerandum potius censuit, quam irritandum, cum satis virium ad eum deponendum non haberet, ut sanctus Thomas ad hoc ipsum argumentum respondet in 2. 2. qu. 12. artic. 2.

CAPUT VIII.

Cur Ecclesia non deposuit Valentinianum juniorem arianum.

In cap. 8. Barclajus probat, non defuisse vires Ecclesiae, quibus Valentinianum juniorem haereticum ab imperio deponeret: sed frustra laborat; non enim Franciscus Romulus, cujus disputationem Barclajus refellendam suscepit, de isto Valentiniano ullam mentionem fecit: sciebat enim facile fuisse s. Ambrosio illum dejicere, praesertim cum maximus princeps catholicus jam esset in armis, ut Valentinianum haereticum coerceret, et tota civitas Mediolanensis, et ipsi etiam milites ab Ambrosio starent. Cur igitur, inquies, s. Ambrosius Valentinianum haereticum toleravit? Caussa est in promptu, quia Valentinianus puer erat, et non proprio judicio, sed matris auctoritatem sequutus Ecclesiam persequi coepit. Sperabat vero s. Ambrosius facile posse adduci eumdem Valentinianum, ut parentis sui Valentiniani senioris, et fratris Gratiani, necnon collegae Theodosii catholicorum imperatorum fidem et pietatem sequeretur. Quod etiam brevi contigit: resipuit enim Valentinianus, et s. Ambrosium ita colere coepit, ut nullum haberet, cui magis fideret, neque quem magis observaret: denique parentis loco illum deinceps semper habuit, quae omnia vera esse intelligeret, qui orationem ejusdem s. Ambrosii in funere Valentiniani imperatoris habitam legere voluerit. Ex quo etiam respondetur ad id quod Barclajus objicit de Theodosio imperatore, qui Valentinianum ad se confugientem complexus est, eumque fugato Maximo in imperium restituit.

Res notatu digna, inquit Barclajus, *haereticus a catholico fugatur, ad catholicum auxilii caussa fugit: a quo et reprehensus est propter haeresim, et propter reverentiam majestatis humaniter exceptus, atque in regnum restitutus, et quia Ecclesia rebellionem, religionis ergo, adversus legitimum principem non laudavit, Maximus neque reformator imperii dictus est, neque restaurator Ecclesiae, sed rebellis et tyrannus.*

Respondeo: Theodosius optimo jure Valentinianum adjuvandum suscepit adversus Maximum, tum quia animadvertit, illum a matre seductum facile posse ad fidem catholicam reduci, quod ut (dixímus) continuo factum est; tum quia Theodosius a Gratiano Valentiniani fratre ad imperii societatem vocatus fuerat, proinde aequum erat, ut benefactoris sui fratrem et imperii collegam in tanto periculo non desereret; tum denique quia Maximus non praecipue propter religionem, sed propter dominandi cupiditatem imperium usurpaverat, et Gratianum legitimum principem interfecerat. Itaque Theodosius non adversus defensorem catholicae fidei, sed adversus parricidam imperatoris et injustum imperii usurpatorem arma suscepit.

His explicatis Barclajus, quasi parta victoria exultans, ait: *Haec cum ita sint, desinant nunc velim adversarii commento suo nobis imponere, aut saltem dicant, unde id hauserint?*

Respondeo: Commentum dici non potest, quod omnes doctores, et ipsa concilia generalia tradiderunt. Unde autem id hauserimus, non semel ostendimus, et paulo post clarius ostendemus.

Subjicit Barclajus: *Constat omnes ea aetate sensisse, nullam vel episcopo romano, vel Ecclesiae universae temporalem potestatem ullo modo, ullave ex caussa in eos competere, sed solius Dei judicio, quantum ad poenas temporales relinquendos*, et paulo post, *Hujus*, inquit, *rei testem in primis Tertullianum produco, qui de imperatoribus loquens in apologetico, Sentiunt*, inquit, *Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, a quo solo sunt secundi, post quem primi, ante omnes Deos, et super omnes homines, et in libro ad Scapulam, Colimus*, inquit, *imperatorem sic, quomodo, et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quicquid est a Deo consequutum, solo Deo minorem: hoc et ipse volet; sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.*

Respondeo: Falsum est, constare, omnes doctores ea aetate sensisse, nullam vel episcopo romano, vel Ecclesiae universae temporalem potestatem ullo modo, ullave ex caussa in principes christianos competere. Auctores enim, quos Barclajus adducit, et paucissimi sunt, et non dicunt quod ipse affirmat. Tertullianus, qui primo loco citatur, de principibus ethnicis loquitur, qui toti orbi romano imperabant, et nondum sceptra sua Christo subjecerant. Itaque secundi a Deo in rerum temporalium administratione de facto dici poterant; *At*, inquit Barclajus, *lex Christi jure suo neminem privat, proinde reges et imperatores accedendo ad Ec-*

clesiam, nihil juris sui temporalis amittunt. Verum est, nihil amittunt,sed multa lucrantur potius, cum et reges temporales sint, ut antea erant,et regni coelestis haeredes fiant, quod antea non erant. Sed si ad regnum coeleste adipiscendum, oporteat eos vicario Christi subesse, ut jam non liceat illis temporali potestate abuti ad suam, et aliorum perditionem, moleste ferre non debent.

Secundo loco Barclajus Ambrosium producit,qui in apologia David sic loquitur: *Rex utique erat (David) nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges a vinculis delictorum: neque enim ullis ad poenam vocantur legibus, tuli imperii potestate.*

Respondeo: Liberi sunt reges a legibus politicis, tum suis, tum praedecessorum regum, quia par in parem non habet potestatem: non sunt tamen liberi a legibus Dei, et Ecclesiae; et hoc videmus etiam commune fuisse cum regibus Testamenti veteris, qualis erat David. Siquidem cum rex Ozias thus adolere vellet in templo Domini, quod erat officium summi sacerdotis, et repulsus a sacerdotibus non acquiesceret, continuo lepra percussus est, et ad judicium sacerdotum coactus est habitare seorsim, et a regni administratione cessare; ut dicitur in 2. lib. Paralip. cap. 26. Addit Josephus lib. 9. antiquitatum cap. 11. ab eo tempore Oziam privatum vixisse, ac longo moerore consumptum. Simili fere modo, cum principem christianum lepra haeresis infectum cernit summus pontifex, segregat illum a coetu piorum per sententiam excommunicationis,ac ne caeteros inficiat, solvit ejus subditos a juramento fidelitatis,atque si opus sit, jubet etiam sub eadem excommunicationis poena, ne illum pro rege habeant, neve illi ut regi pareant.

Tertio Barclajus Gregorium Turonicum testem adducit, qui in lib. 5. hist. Francorum cap. 18.his verbis alloquitur regem: *Si quis de nobis, o rex, justitiae tramites transcendere voluerit, a te corripi potest: si vero tu excesseris,quis te corripiet? loquimur enim tibi, sed si volueris, audis,si autem nolueris, qui te condemnabit, nisi is, qui se pronunciavit esse justitiam?*

Respondeo: Loquitur Gregorius de potestate, quam habent reges de facto cogendi homines particulares, et quam non habent homines particulares ad cogendos reges: accusaverat enim rex Childericus Praetextatum episcopum rothomagensem tamquam reum majestatis, apud parisiensem synodum, in qua cum aliis multis Gregorius Turonicus sedebat: et quoniam Gregorius Praetextatum innocentem esse, et a subornatis falsis testibus gravari intelligebat, condemnationi ejus assentiri nullo modo volebat. Itaque sciens rex unum Gregorium sibi resistere, dixit illi, O episcope,justitiam cunctis largiri debes; et ecce ego justitiam a te non accipio; sed ut video consentis iniquitati, et impletur in te proverbium illud,*quod corvus oculum corvi non eruet.* Tum Gregorius demonstrare volens, fieri non posse, ut aliquis nolit regi justitiam facere, cum rex possit eum cogere, ut justitiam faciat; sed e contrario fieri posse, ut rex nolit justitiam facere, cum nemo possit eum cogere, ut justitiam faciat: respondit verba superius posita: *Si quis de nobis, o rex, justitiae tramitem transcendere voluerit,a te corripi potest: si vero tu excesseris,quis te corripiet?* Atque hanc esse sententiam horum verborum, non solum perspicuum est ex verbis praecedentibus; sed etiam ex eventu illius caussae, nam cum rex variis artibus et dolis conatus esset extorquere a synodo sententiam damnationis contra Praetextatum, et non obtinuisset; vi adhibita, conjecit eum in carcerem, et cum is elabi voluisset, graviter caesus in exilium missus est, ut eodem loco narrat Gregorius, et etiam Aimoinus, lib. 3. hist. Francorum cap. 26. Neque hic finis furoris fuit Fredegundis reginae, in cujus gratiam rex omnia illa moliebatur, nam cum postea per Guntrannum regem Praetextatus in suam sedem restitutus fuisset, dolo ejusdem reginae per sicarium quemdam ad altare sacrum Praetextatus occisus fuit, teste eodem Gregorio lib. 8. cap. 31. qui Praetextatus inter sanctos martyres haberi coepit. Haec igitur est illa potestas, quam reges in episcopos habent, ut videlicet vi adhibita contra justitiam in illos, si velint, animadvertant; et quam non habent episcopi in reges, ut eos quamvis jure damnatos obtemperare cogant, nisi ab alia temporali potestate majori juventur.

Quarto loco adducit Barclajus testimonium sancti Gregorii papae, qui se famulum imperatoris appellavit,et imperatori coelitus datam potestatem super omnes homines fassus est. De quo testimonio satis multa dicta sunt capite tertio, neque opus est illa repetere.

Ultimo loco adducit Othonem Frisingensem in epistola ad Fridericum Aenobarbum, cujus haec sunt verba, *Soli reges, utpote constituti supra leges,divino examini reservati,saeculi legibus non cohibentur: unde est illud tam regis, quam prophetae,* Tibi soli peccavi: *et mox, Cum enim juxta Apostolum homini mortali horrendum sit incidere in manus Dei viventis, regibus tamen,qui nullum praeter ipsum supra se habent, quem metuant, eo erit horribilius, quo ipsi possunt caeteris peccare liberius.*

Respondeo: Otho Frisingensis aperte loquitur de legibus saeculi, quibus sine dubio reges subjecti non sunt, subjectione coactiva: nam non solum in verbis citatis habetur,saeculi legibus non cohibentur; sed etiam paulo ante sic loquitur Otho: *Praeterea cum nulla inveniatur persona mundialis, quae mundi legibus non subjaceat, subjacendo coerceatur, soli reges, utpote constituti supra leges etc. At,* addit Barclajus, *reges ex Othonis sententia nullum habent supra se, quem timeant, nisi Deum; ergo non solum a legibus saeculi, sed etiam a legibus Ecclesiae, saltem quoad temporalem poenam liberi sunt, alioqui haberent supra se summum pontificem, quem timerent, et non solum Deum. Praeterea ex ejusdem Othonis sententia, reges divino solius Dei examini reservantur:non igitur judicio subjiciuntur papae, saltem in temporalibus.*

Respondeo: Otho episcopus catholicus et pius, non voluit dicere, reges non teneri legibus pontificiis, vel non habere super se Christi vicarium,

quem timeant, vel non subjacere summi pontificis examini saltem in rebus spiritualibus; et quoad poenas spirituales; si enim id vellet, haereticus esset. Ergo cum ait, reges solius Dei examini reservari, et non habere super se, quem timeant, nisi Deum, et solutos esse legibus, utpote supra leges constitutos; necesse est restrictionem addere, vel ex parte legum, vel ex parte poenae. Barclajus libenter admittet restrictionem ex parte poenae; sed nos dicimus restrictionem subintelligendam esse solum ex parte legum. Id probamus, quia in verbis Othonis invenitur restrictio ex parte legum, cum dicat, eos non subjacere mundi legibus, et rursum, saeculi legibus non cohiberi: restrictio ex parte poenae, temporalis videlicet, in verbis ejus, nusquam legitur. Praeterea, non ignorabat Otho Childericum regem a summo pontifice fuisse depositum, et postea Henricum imperatorem a Gregorio papa VII. exauthoratum, nam utriusque rei meminit in historia sua, lib. 5. cap. 23. lib. 6. cap. 34. 35. 36. neque reprehendit factum: immo videtur probare cum his verbis laudet Gregorium VII. lib. 6. cap. 34. *Forma*, inquit, *gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit*: et cap. 36. *Ecclesia*, inquit, *tanto pastore, qui inter omnes sacerdotes et romanos pontifices praecipui zeli et auctoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit.* Igitur sensus verborum Othonis hic erit, reges legibus saeculi non teneri, et quantum ad eas leges solius Dei examini reservari, et quantum ad easdem leges, neminem super se habere, quem metuant, nisi Deum.

Propter haec testimonia triumphat Barclajus dicens: *Si contrariae opinionis assertores tot antiquorum Patrum testimonia, immo si vel unum proferre possint, quo diserte scriptum sit, Ecclesiam, vel ejus caput summum pontificem habere temporalem illam potestatem in reges et principes saeculares, et posse eos temporalibus poenis quoquo modo, directe scilicet, vel indirecte coercere, aut regno, regnive parte mulctare, non equidem recusabo, quo minus lis tota secundum ipsos sine provocatione judicetur.*

Respondeo: Auctores a Barclajo producti non diserte scripserunt, reges et principes christianos non posse ab Ecclesia, vel ejus capite summo pontifice poenis temporalibus directe vel indirecte coërceri, aut regno regnive parte mulctari: et si hoc diserte scripsissent, possemus nos Tertulliano ab ipso allato s. Cyprianum opponere, qui lib. 1. epistol. 3. jubet cum haereticis nulla commercia copulari: quod antea s. Irenaeus Tertulliano antiquior docuerat, lib. 3. cap. 3. adversus haereses dicens: *Tantum apostoli, et horum discipuli timorem habuerunt, ut neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem; quemadmodum, et Paulus ait, haereticum hominem post unam correptionem devita.* In quam sententiam omnium Patrum testimonia possent adduci. Ex quibus aperte colligitur, haereticum regem, si id fieri possit, non esse ab Ecclesia tolerandum, sed excommunicandum; et fidelem populum ab ejus obedientia re novendum, ne cogatur ei servire, quem vitare jubetur; neque cum eo commercia copulare, cum quo ne colloquium quidem miscere deberet. Sancto Ambrosio, s. Gregorium nazianzenum opponeremus ejus aequalem, qui in oratione ad populum timore perculsum, et praesidem irascentem, comparavit spiritualem potestatem animae, temporalem carni, ac docuit, ita subjectam esse debere potestatem temporalem spirituali, ut caro subjecta est animae. Atque hoc ipsum est fundamentum sententiae nostrae. Sancto Gregorio Turonico opponeremus, s. Gregorium Romanum aetatis ejusdem, qui ut supra diximus, in duobus privilegiis illa verba apposuit. Si quis autem regum, antistitum, aut judicum, aut quarumcumque saecularium personarum hujus apostolicae auctoritatis, et nostrae praeceptionis decreta violaverit, honore suo privetur. Denique Othoni Frisingensi opponeremus Gregorium VII. centum fere annis antiquiorem, qui diserte scribit, posse regem saeculi a sede apostolica certis de caussis regno privari, vide epistolam ejus ad episcopum Metensem. Opponeremus etiam s. Bernardum, et Hugonem de s. Victore, qui Othonis tempore floruerunt, quorum testimonia in praefatione produximus. Opponeremus praeterea s. Thomam et s. Bonaventuram, qui Othone Frisingensi, non multum aetate inferiores: sed doctrina et sanctitate longe superiores, disertissime docent, quod Barclajus requirit: vide testimonia ipsorum supra allata. Praeterea, quinque testimoniis veterum scriptorum opponeremus plusquam septuaginta testimonia scriptorum variarum aetatum.

Denique quinque hominibus a Barclajo in testes adductis opponeremus decem concilia, quorum duo generalia fuisse non dubium est. Neque ideo conciliis, praesertim generalibus minus credendum est, quia posteriora fuerunt: Nam eadem est Ecclesia, et conciliorum eadem est auctoritas, sive priora sint, sive posteriora: et quemadmodum in concilio niceno post annos trecentos ab adventu Domini licitum fuit Ecclesiae Scripturas de filii Dei consubstantialitate declarare, ac illam praecipue, *Ego et Pater unum sumus*; sic etiam licitum fuit post annos septingentos eidem Ecclesiae Scripturas de potestate summi pontificis explicare, qualis illa est; *Quicquid ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quicquid solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Quare si Barclajus pollicitationi suae stare vellet, lis tota sine provocatione finita esset.

CAPUT IX.

An potuerint posteriores principes sine detrimento populi per Ecclesiae auctoritatem principatu privari: et simul, justa ne, an injusta fuerit Gregorii VII. sententia in Henricum imperatorem.

In cap. 9. Barclajus aggreditur demonstrare falsam esse illam alteram partem sententiae Francisci Romuli, quod videlicet Ecclesia sine detrimento populi potuerit regno, vel parte regni privare Childericum, Leonem et Henricum: probat autem id esse

falsum, quia Henricum IV. imperatorem Gregorius VII. papa non sine magno populi detrimento deposuit, cum, Othone Frisingensi auctore, inde nata sint bella, schismata et alia id genus multa. Sed Franciscus Romulus non de uno Henrico loquutus est, sed de Leone quoque et Childerico. Constat autem Leonem Isauricum imperatorem parte imperii mulctatum sine ullo populi detrimento: quod idem manifestissime constat de Childerici regis depositione, et Pipini exaltatione, ad quae duo exempla Barclajus nihil habuit quod responderet; ideo silentio illa involvens, in solo Henrico demoratus est. Quid si addamus etiam translationem imperii a Graecis ad Francos sine populi detrimento a Leone III. pontifice factam, completus erit numerus ternarius exemplorum, quae Franciscus Romulus adferre voluit. Quia tamen Barclajo placuit de solius Henrici depositione Franciscum Romulum reprehendere, quasi vel historias ignoraverit, vel alia de caussa mentiri voluerit. Respondeo: Detrimenta aliqua populum christianum accepisse ex Henrici excommunicatione et depositione, sed emolumenta majora detrimentis fuisse, ut non immerito dici possit, sine detrimento populi rem illam esse peractam; neque enim detrimentum pati dici potest, qui jacturam facit frumenti, quod seminando spargit in sulcos, si tempore messis multiplicatum cum exultatione reportet. Vidit Gregorius pontifex sanctus, et sapiens plenas esse provincias concubinariis et simoniacis; animadvertit imperatores contra canones sacros, ac praecipue octavae synodi generalis, investituras episcopatuum et monasteriorum sibi vindicasse. Adjecit animum ad Ecclesiam repurgandam et liberandam, et quamvis per multas molestias et pericula, partim per se, partim per successores, quod voluit ad felicem exitum perduxit, nam et sacerdotibus abstulit concubinas, et beneficia ecclesiastica, ut gratis darentur et acciperentur, effecit et, quod erat omnium difficillimum, investituras ecclesiarum Henrico V. Henrici IV. filio, Callixto II. pontifici libere renunciante, recuperavit. Id quod sine manifestis signis et prodigiis coelestibus factum non fuisse, testatur Abbas Urspergensis in Chronico.

Sed libet jam per partes discutere, quae Barclajus adversus Gregorium VII. ex Othone Frisingensi, aliisque auctoribus annotavit. Primum igitur adfert illa verba Othonis Frisingensis lib. 6. cap. 35. *Lego et relego Romanorum regum et imperatorum gesta, et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc (Henricum IV.) a romano pontifice excommunicatum, vel regno privatum; nisi forte quis pro anathemate habendum ducit, quod Philippus ad breve tempus a romano episcopo inter poenitentes collocatus, et Theodosius a b. Ambrosio propter cruentam caedem a liminibus Ecclesiae sequestratus sit.*

Respondeo: Fuit quidem Otho Frisingensis doctrina, moribus et nobilitate insignis: sed tamen legendo et relegendo non invenit omnia, nam Archadium imperatorem ab Innocentio I. pontifice propter ejectionem s. Joannis chrysostomi, excommunicatum fuisse testatur Nicephorus lib. 13. cap. 34. qui et sententiam ipsam excommunicationis ad verbum recitat: ejusdem excommunicationis meminit Gregorius VII. in epist. ad episcopum metensem. Leonem quoque Isauricum imperatorem a Gregorio II. et rursum a Gregorio III. excommunicatum propter haeresim Iconomachorum, et vectigalibus Italiae privatum testantur historici et latini, ut supra demonstravimus.

Deinde Barclajus ex eodem Othone commemorat mala, quae ob excommunicationem Henrici IV. imperatoris Ecclesiae acciderunt, bella videlicet, schismata, exilium papae, caedem Rudolphi imperatoris a Gregorio electi, et alia id genus: et iis connumeratis exclamat: *Hoccine est principem sine detrimento populi coercere?*

Respondeo: Quando evangelium Christi praedicari coepit ab apostolis in Hierusalem, coorta est persecutio magna in Ecclesiam, Stephanus lapidatus, Jacobus capite caesus, Petrus conjectus in carcerem, fideles dispersi per varias regiones: quando vero praedicari coepit idem evangelium inter gentes, commotum est imperium romanum universum, persecutiones exortae gravissimae, direpta bona, incensae Ecclesiae, strages sanctorum toto orbe terrarum incredibiles factae: quaero igitur an evangelium cum detrimento, an cum salute populorum praedicatum sit? si carnis oculis res consideretur, videbitur evangelium non salutem, sed perniciem populis attulisse: sed si mentis oculo fidei lumine repurgato res eadem spectetur, perspicue apparebit idololatriam fuisse de mundo pulsam, Ecclesiam propagatam, martyres coronatos, denique bona omnia per evangelium ad nos venisse. Tale aliquid (ut paulo ante diximus) accidit Ecclesiae, cum papa Gregorius Henricum imperatorem excommunicatione coërcuit.

Pergit Barclajus, et factum Gregorii his verbis reprehendit: *Fieri potest, ut bono id animo fecerit Gregorius (Deus de intentione judicet) at fieri non potest, ut recte, prudenter, et ex officio fecerit; et quin largiter erraverit more et consilio humano; cum id sibi tribueret, quod suum sane non erat; deponendi scilicet, et abdicandi imperatoris munus, inque ejus locum alterius substituendi potestatem*, et infra: *Culpa igitur Gregorii papae permagna mihi in hoc negotio videtur.*

Respondeo: Satis audacter Barclajus in Christum Domini, et suum, atque omnium christianorum judicem sententiam tulit: nec saltem dubitando vel suspicando, vel opinando loquutus est; sed praecise et absolute quasi de re explorata, et certa pronunciavit, fieri non posse, ut Gregorius in hac re juste, prudenterque se gesserit. At ego sententiam Barclaji falsam et temerariam, ne dicam sacrilegam et blasphemam his argumentis fuisse demonstro.

Primum: Constat sententiam Gregorii ab omnibus episcopis, qui in concilio romano cum illo sederunt, fuisse probatam. At quis credat, pontificem cum universo concilio tam injustam et imprudentem sententiam tulisse, ut Barclajus dicit.

Deinde: Judicium Gregorii VII. confirmarunt omnes ejus successores, Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. et Callixtus II. cujus tempore pax facta est inter sacerdotium et regnum: et

tamen omnes isti viderunt bella et schismata exorta occasione sententiae papae Gregorii: quod argumentum certissimum est, justam et prudentem fuisse sententiam, quam Gregorius tulit, cum tot prudentissimi, justissimique pontifices conciliis episcoporum cooperantibus, et spreta persecutione schismaticorum, defendendam confirmandamque susceperint.

De Victore tertio, qui proxime post Gregorium sedit, testis est Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi lib. 3. cap. 71. ab eo celebratum fuisse concilium beneventanum, atque in eo confirmatam sententiam Gregorii VII. de investituris cum illa clausula, *Si quis imperatorum, regum, ducum, principum, comitum, vel cujusvis potestatis saecularis episcopatum, vel quamvis aliam ecclesiasticam dignitatem dare praesumpserit, ejusdem sententiae vinculo se adstrictum noverit.*

De Urbano secundo, Victoris tertii proximo successore, Bertoldus Constantiensis ejus temporis historicus scribit, in synodo beneventana anno Domini 1091. confirmatam ab Urbano sententiam excommunicationis in Guibertum antipapam, et omnes ejus complices, quorum praecipuus erat Henricus imperator. Item anno 1093. eamdem sententiam confirmatam ab eodem Urbano in synodo placentina, coram innumerabili multitudine, et anno eodem rursus confirmata in concilio generali claramontano.

De Paschali secundo, Urbani secundi proximo successore, testatur Abbas Urspergensis anno 1102. in concilio romano generali a Paschali confirmatam fuisse sententiam Gregorii VII. et excommunicatum Henricum, et omnes illi adhaerentes. Addit quoque idem Abbas, se praesentem Romae fuisse, et audivisse feria quinta in coena Domini ab ore ipsius pontificis, cum Henricus excommunicatum denunciaretur.

De Gelasio secundo, Paschalis secundi proximo successore, testatur idem Abbas Ursupergensis anno 1118. ab eo per canonem episcopum card. Praenestinum, legatum suum in concilio coloniensi, et altero Friteslatensi, confirmatum decretum Paschalis de excommunicatione imperatoris Henrici.

De Callixto secundo, Gelasii proximo successore, testatur Abbas Urspergensis, in Chronico, nec non Sugerius abbas in vita Ludovici regis Francorum, necnon Rogerius in annalibus anglicanis, a Callixto in concilio remensi Patrum quadrigentorum iterum confirmata decreta synodalia praedecessorum, Gregorii videlicet, Victoris, Urbani, Paschalis et Gelasii.

Tertio: Judicium Gregorii septimi approbatum fuit ab omnibus bonis, qui tunc vivebant, quique longe melius scire poterant justitiam vel injustitiam illius caussae, quam Barclajus, qui plus quingentis annis posterior est. Marianus Scotus, qui tempore Gregorii vixit, in Chronico anni 1075. *Gregorius*, inquit, *querimoniis et clamoribus catholicorum justis, adversus Henricum, et scelerum ejus immanitatem auditis, zelo Dei accensus jam dictum regem excommunicatum pronunciavit, maxime propter simoniam: quod factum catholicis viris beneplacuit; Simoniacis vero et fautoribus regis nimirum displicuit*, haec ille, qui non de uno, aut altero loquitur, sed in commune de multitudine catholicorum factum pontificis approbante.

Lambertus Schaphnaburgensis, qui eodem tempore vixit, in historia rerum germanicarum, *Hildebrandi*, inquit, *constantia et invictus, adversus avaritiam animus omnia excludebat argumenta humanae fallaciae*, et infra: *Signa et prodigia, quae per orationes Gregorii papae frequentius fiebant, et zelus ejus ferventissimus pro Deo et ecclesiasticis legibus, cum contra venenatas detractorum linguas communiebant*, haec ille, qui non solum detractores sui temporis, sed etiam Barclajum detractorem confundit: neque enim Gregorius tam charus Deo fuisset, neque per eum tot miracula Deus patrasset, si sententiam tulisset tam injustam, et tam imprudentem, et tot malorum caussa extitisset, ut Barclajus dicit. Idem Lambertus refert ibidem horribilem mortem Gulielmi episcopi Trajectensis, qui Gregorio detrahebat, ut Barclajus postea detraxit: *Repente*, inquit, *gravissima aegritudine correptus, miserabili ejulatu coram omnibus vociferabatur, justo Dei judicio se et praesentem vitam amisisse, et aeternam: quod regi ad omnia quae perperam intendisset, operam suam summo annisu praebuisset, atque in spem gratiae ejus romano pontifici sanctissimo et apostolicarum virtutum viro graves contumelias sciens, et prudens innocenti irrogasset.* S. Anselmus Cantuariensis, qui eodem tempore vixit, initio libri de fermentato et azymo ad Waleramum: *Scienti*, inquit, *breviter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non favere successori Julii Caesaris, et Neronis, et Juliani, contra successorem et vicarium Petri apostoli, libentissime vos ut amicissimum, et reverendum episcopum salutarem*, haec ille, qui Henricum imperatorem comparat cum Julio Caesare oppressore reip. cum Nerone persequutore Ecclesiae, et cum Juliano apostata et persequutore, et Waleramum episcopum, quem favere existimabat Henrico contra Gregorium, ne salutare quidem audebat: quod certe non faceret, si Gregorii sententiam adversus imperatorem injustam esse crederet. Idem Anselmus, in epist. 8. ad Gulielmum, sententiam Gregorii defendit, et aperte justam esse pronunciat. Sanctus Anselmus episcopus Lucensis ejusdem temporis auctor vir sanctissimus, et miraculis clarus scripsit epistolam ad Guibertum antipapam, quem Henricus imperator Gregorio papae opposuerat; in qua epistola Gregorium mirifice laudat. Scripsit quoque apologeticum pro Gregorio adversus eumdem Guibertum, ubi inter caetera refellit argumentum, quo utitur hoc tempore Barclajus, et quo tunc utebantur antipapa, et ejus complices; quod videlicet fuerit Gregorius caussa turbarum, et sanguinis effusi, praesertim in Saxonia, quem sanguinem clamare dicebat adversus Gregorium, et ejus sectatores, quorum unum erat hic sanctus Anselmus: sic autem loquitur, lib. 1. Apologetici, *Non adversus nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos cum universo mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit, clamat coelum, clamat terra, clamat omnis Ecclesia justorum, et quae adhuc peregrinatur,*

et quae jam cum Christo regnat; clamat Christus, clamat Pater pro sponsa filii sui, clamat Spiritus sanctus, qui quotidie postulat pro ea gemitibus inenarrabilibus, etc. Ubi rectissime dicit, turbas illas et bella non esse tribuenda Gregorio, qui pro officio suo pastorali arcere conatus est lupos a grege; sed inobedientiae et obstinationi eorum, qui in pastorem et gregem ipsum tanto ferocius saevierunt, quanto humilius Deo ejusque vicario obedire salubriter admonentibus et consulentibus debuerunt.

Nam quam horrenda, et non toleranda fuerint Henrici scelera ex sequenti testimonio intelligitur. Sanctus Gebehardus archiepiscopus Salsburgensis, qui obiit tribus annis post mortem Gregorii VII. idest, anno 1088. disputans cum Wecilone archiepiscopo maguntino, aperte pronunciavit, imperatorem non injusto judicio tam regno, quam communione, apostolica sententia, privatum: cujus sententia ita probata est a concilio quodam, ut contraria sententia Wecilonis haeresis sit appellata, vide Abbatem Urspergensem in chronico anni 1085. Stephanus Halberstatensis ejusdem temporis auctor in epistola ad Waleramum, quam refert Dodechinus continuator Mariani Scoti ad annum Domini 1090. *Dominus*, inquit, *Henricus, quem regem dicunt, episcopatus et abbatias vendit: etenim constantiensem, bambergensem, maguntinensem, et plures alios pro pecunia: Ratisponensem, augustensem, stratsburgensem, pro gladio; abbatiam fuldensem pro adulterio; monasteriensem episcopatum (quod dicere, et audire nefas est) pro sodomitica immunditia vendidit*, et infra: *Pro quibus nefandis malis ab apostolica sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia catholici sumus, poterit obtinere.* Leo ostiensis episcopus, ejusdem temporis auctor, in chronico cassinensi multa scribit de Gregorii VII. justitia, sapientia, zelo aliisque virtutibus. Sed lib. 3. cap. 53. refert etiam coelestem visionem, qua Deus ipse testatus est placere sibi facta Gregorii, quae nunc Barclajus cum veteribus schismaticis vituperare ausus est. Vidit igitur, quidam candidissimam columbam super Gregorium sacrum missae mysterium celebrantem: quod visum cum is, qui vidit patefacere cunctaretur: his verbis aperire divinitus jussus est: *Vade celeriter, et hoc ipsum auribus papae intimato, ut constanter vigore sancti Spiritus, quod coepit exequatur.* Bertholdus ejusdem temporis auctor presbyter constantiensis in Chronico suo plurima scribit pro justitia caussae Gregorii VII. sed inter caetera de Imbricone episcopo augustano haec refert: *Imbrico augustensis episcopus, qui in praeterito pascha Rudolpho regi fidelitatem juravit, nil e perjurio curans, Henrico advenienti adhaesit, et apud illum quadam die missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, ut sacra oblationis perceptio in judicium ei proveniret, si Dominus ejus Henricus regnum sibi injuste usurparet. Post hanc temerariam perceptionem, parvo quod supervixit tempore usque ad mortem numquam se sanum de lecto levavit: nam circa kal. julii absque ecclesiastica communione defunctus est.* Isti sunt auctores septem, qui ipso tempore Gregorii vixerunt, quibus addam quatuor alios, qui non diu postea floruerunt. Gulielmus episcopus tyrensis in lib. 1. de bello sacro cap. 13. de Henrici imperatoris perversis moribus loquens: *Quod*, inquit, *dominus papa contra omnem fieri honestatem considerans, et jura in eo facto conculcari ecclesiastica perpendens, semel, secundo ac tertio eumdem imperatorem commonuit, ut a tam detestabili desisteret praesumptione: quem praeceptis salutaribus commonitum, cum revocare non posset, vinculo anathematis innodavit.* Otho Frisingensis, ut supra notavimus, Gregorium VII. virum sanctissimum fuisse confessus est. lib. 6. cap. 34. et 36. et lib. 7. cap. 1. neque fieri potest ut vir tam sanctus injustam sententiam publice ferret, neque eam unquam retractaret, sicut revera non retractavit, ut perspicuum est ex verbis illis, quae eodem Othone teste lib. 6. cap. 36. moriens Gregorius pronunciavit, *Dilexi justitiam et odi iniquitatem: propterea morior in exilio.* Dodechinus Mariani Scoti continuator in chronico anni 1106. *Henricum*, inquit, *hominem perversum, et justo judicio ab Ecclesia electum constat manifeste. Vendidit enim omnia spiritualia, et ad annum* 1090. et 1093. tam multa et tam horribilia scelera Henrici refert, ut mirum sit, si ullus audeat eum injuste damnatum affirmare, quod tamen Barclajus audacter affirmat. Abbas Urspergensis in Chronico anni 1106. narrat, obitum Henrici repentinum, et tam miserabilem ipsi, quam laetum omnibus aliis; *Miserabile*, inquit, *dictu est, tanti nominis, tantae dignitatis, tantique animi virum, sub professione christiana mundum tantopere lucratum, nec ad instar cujuslibet pauperis defuncti pium, vel compassivum luctum, a quavis inter tot christianos persona promeruisse, sed potius universorum tam ibidem, quam ubivis vere christianorum corda simul et ora infinito nimis tripudio, sui oblitos, rumore replesse. Non aliter concinebat Israel Domino, Pharaone demerso, nec Augustiori ipsi Octaviano, sive ullo Augustorum applaudebat Roma triumpho. Fraenum enim quod erat in maxillis populorum, versum est illis in canticum, sicut vox sanctificatae solemnitatis;* Haec ille, qui certe sufficere deberet ut os Barclaji iniqua loquentis opprimeret. Quo modo enim Henricus injusta Gregorii sententia oppressus est, et nullus in toto orbe christiano inventus est, qui mortem ejus defleret, immo qui non vehementissime gauderet, ut olim Israël Pharaone demerso, vel romanus populus principe triumphante? nullus in toto orbe repertus est, qui justitiam Henrici perspexerit? nullus qui Gregorii injustitiam viderit? Sed audiamus quid paulo infra idem scriptor dicat: *Hic*, inquit, *finis, hic interitus, haec sors ultima Henrici sub vocabulo quarti Romanorum imperatoris a suis appellati; a catholicis vero, idest, cunctis b. Petro, suisque successoribus fidem, et obedientiam lege christiana conservantibus archipirata simul et haeresiarca, necnon et apostata, persecutorque plus animarum, quam corporum competenter dicebatur, utpote qui nec naturalibus, nec consueludinariis contentus scceleribus, nova, et a saeculis inaudi-*

ta, ideoque nonnulla incredibilia excogitasse, et exercuisse infamabatur. Ac de his satis: nam si vellem auctores posteriores adducere pro justitia et sanctitate Gregorii, nullus esset finis. Videat lector, quae scripsimus lib. 4. de pontifice cap. 13.

Pergit Barclajus, et probare nititur, non debuisse a Gregorio Henricum excommunicari, cum in societatem sceleris Henrici tantus hominum numerus coierit: adducit autem ad hoc probandum sententiam s. Augustini ex lib. 3. cont. epist. Parmeniani cap. 2. quae relata est in decretum Gratiani 23. qu. 4. canon. *Non potest.* Verba haec sunt:*Non potest esse salubris a multis correptio, nisi eum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem: cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor et gemitus,ut per illud signum quod Ezechieli sancto revelatur illaesi evadere ab eorum vastatione mereantur. Ne cum voluerint colligere zizania,eradicent simul et triticum: nec per diligentiam segetem Domini purgent, sed per temeritatem, ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoque idem apostolus cum jam multos comperisset et immundos luxuria, et fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epistola scribens, non itidem praecepit, ut cum talibus nec cibum sumerent: multi enim erant,nec dici de eis poterat, si quis frater nominatur fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut aliquid tale, cum ejusmodi nec cibum quidem sumere: sed ait, ne iterum cum venero ad vos humiliet me Deus, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam super immunditia, et luxuria, et fornicatione, quam gesserunt: per luctum suum potius eos divino flagello coercendos minans, quam per illam correptionem,ut caeteri ab eorum conjunctione abstineant,* et paulo post: *Revera si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinae disciplinae severa misericordia necessaria est: nam consilia separationis (hoc est excommunicationis) et inania sunt, et perniciosa, atque sacrilega , quia et impia et superba fiunt,et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos.*

Haec cum ita sint, inquit Barclajus, *nemo, ut arbitror, ex collatione doctrinae s. Augustini, quae et Ecclesiae est, cum gestis a Gregorio in Henricum, non perspicue cernet, papam magnopere errasse, etc.*

Respondeo : Barclaji temeritas undecumque se prodit, cum ob unum s. Augustini locum non bene intellectum , synodalem sententiam pontificis maximi, a multis aliis pontificibus et conciliis confirmatam ita damnare audeat, ut dicat, papam magnopere errasse. Sed ostendamus non papam in judicando, sed Barclajum in intelligendo vehementer errasse.

Primum: Sanctus Augustinus loquitur de correptione,sive excommunicatione illius,qui multos habet socios in eodem crimine; ut perspicue est ex illis verbis; *Cum vero idem morbus occupaverit, etc.* et ex illis; *Ideo Apostolus cum jam multos comperisset, et immundos luxuria et fornicationibus inquinatos, etc.* At Gregorius unum Henricum excommunicavit propter crimina illi uni propria, quod videlicet venderet episcopatus et abbatias, et admonitus resipiscere nollet, non ergo facit ad rem locus ex Augustino, vel ex Gratiano citatus.

Deinde loquitur: Sanctus Augustinus adversus Parmenianum,aliosque Donatistas qui separaverunt se ab Ecclesia universa, et se solos esse dicebant Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam. Ideoque docet s. Augustinus propter multitudinem peccatorum non esse faciendam separationem,cum semper futuri sint mali cum bonis usque ad mundi consummationem. Tunc enim (ut dicitur Matth.13. *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum:* atque haec est caussa, cur s. Augustinus dixerit, consilia ejusmodi separationis non solum esse inania et periculosa, sed etiam sacrilega et superba; quoniam qui ita separantur assumunt sibi officium Dei, qui solus potest separare omnes bonos ab omnibus malis, quod fiet in novissimo die: atque interim oportet pisces bonos esse in eodem rete cum piscibus malis, et triticum cum paleis in eadem area, et zizania cum frumento in eodem agro. Porro Gregorius nihil tale sibi desumpsit, sed solum ecclesiastica censura coërcere voluit hominem, qui publice multorum et intolerabilem criminum reus erat.

Tertio: Quod Dominus ait Matth. 23. *Sinite utraque crescere usque ad messem*; non sic intelligitur, quasi prohibitum sit, purgare zizaniis, excommunicando incorrigibiles, necando maleficos, comburendo haereticos, persequendo latrones, aliasque Ecclesiae, vel reipub. pestes: alioqui graviter peccasset David, qui in psal. 106. dicit: *Interficiebam omnes peccatores terrae*: peccarent principes omnes, qui quotidie suspendunt fures, et latrones, ac viarum grassatores, et quo plures esse cognoverint, eo majori diligentia, gravioribusque suppliciis delere, atque extirpare conantur: peccasset Innocentius III. pontifex cum lateranensi concilio excommunicans omnes haereticos, quamvis plurimos esse non ignoraret: peccassent principes catholici, qui haereticos Albigenses, pene innumerabiles armis domuerunt, et usque ad internecionem deleverunt. Igitur cum Dominus ait: Sinite utraque crescere usque ad messem, potest fieri, ut Dominus noster non tam imperando quam praedicendo quod futurum erat, loquutus sit. Significavit enim semper fore malos cum bonis, neque ulla diligentia effecturos homines, ut omnes mali ab omnibus bonis separentur, qualis est etiam illa loquutio, Isaiae 6. *Audite audientes, et nolite intelligere; videte visionem, et nolite cognoscere: excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava*;quod explicat Dominus Matth. 13. *Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis: incrassatum enim est cor populi hujus,* etc. Et Apostolus Act. 28. citans eumdem locum Isaiae:Aure, inquit,audietis et non intelligetis, et videntes videbitis et non perspicietis: incrassatum enim est cor populi hujus, etc. Itaque verba Isaiae: *Audite et nolite intelligere*; hoc significant, *audietis, et non intelligetis*: et illud, *Excaeca cor populi hujus*; significat, *excaecabitur cor populi hujus*,sive, ut explicat s. Joan.

cap. 12. *Excaecatum est cor populi hujus.* Hoc modo s. Augustinus in psalmorum explicatione omnes imprecationes malas, quae exprimuntur per modum imperandi, ut, Effunde iram tuam in gentes, et alias similes, docet esse praedictiones, non imprecationes. Tales etiam locutiones inveniuntur in evangeliis, ut Joan. 2. *Solvite templum hoc*, idest, solvetis, vel permittam ut solvatis, Matth. 23. *Implete mensuram patrum vestrorum*, idest, implebitis, vel, sinam ut impleatis. Joan. 13. *Quod facis, fac citius*, idest, quod mente agitas ut me tradas, citius implebis quam putas, idque me permittente. Sic igitur, *Sinite utraque crescere usque ad messem*, hoc videtur significare, Sinetis, sive permittetis, velitis nolitis, utraque crescere usque ad messem: nam omni vestra diligentia numquam perficietis ut mali permulti cum bonis permixti non sint usque ad diem judicii: tunc enim mittam angelos meos, qui separabunt malos de medio justorum.

Quarto, dico: Approbare me sententiam eorum, qui dicunt prohiberi in hac parabola, separationem malorum, sive haereticorum, sive aliorum iniquorum, non absolute; sed quando periculum est, ne cum zizaniis eradicetur triticum, idest, ne cum impiis involvantur pii; alioquin licitum esse, zizania evellere, quando non est periculum, ut eradicetur triticum; et contra periculum est, ne ex commixtione zizaniorum triticum corrumpatur. Sed hoc judicium non pertinet ad quoscumque; sed ad Patremfamilias, sive ad illum, quem Christus constituit super familiam suam. Quare ad Barclajum non pertinebat judicare, an Gregoriis VII. recte fecisset, cum excommunicando Henricum, partem zizaniorum evellendam curavit; sed ad pontificem maximum pertineret, si Barclajus adhuc esset in vivis, ejus temeritatem castigare.

Addit ultimo loco Barclajus argumentum ex historia Sigeberti, ut probet, Gregorium papam valde errasse in iis, quae egit adversus Henricum imperatorem. Hildebrandus papa (inquit Sigebertus in Chronico anni 1085.) qui et Gregorius VII. apud Salernum exulans moritur; de hoc ita scriptum reperi. *Volumus vos scire, qui ecclesiasticae curae solliciti estis, quod Dominus apostolicus Hildebrandus, qui et Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocavit unum de duodecim cardinalibus, quem multum diligebat prae caeteris, et confessus est Deo, et s. Petro, et toti Ecclesiae, se valde peccasse in pastorali cura, quae ei ad regendum commissa erat, et suadente diabolo contra humanum genus iram et odium concitasse. Tunc demum misit praedictum confessorem ad imperatorem, et ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitae suae aspiciebat, et tam cito induebat se angelica veste: et dimisit ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum imperatori, et omni populo christiano vivis et defunctis, clericis et laicis, et jussit suos abire de domo Deodorici, et amicos imperatoris ascendere.*

Respondeo: Sigebertus, teste Trithemio in cathalogo scriptorum, unus fuit ex sectatoribus Henrici imperatoris, propterea nullam fidem meretur, et sine dubio falsum est, quod hoc loco scribit, cum certum auctorem non habeat, aut indicare non audeat. Nos autem habemus auctorem certum fideque dignissimum qui scribit, Gregorium paulo ante mortem dixisse; *Dilexi justitiam et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio;* quae sunt omnino contraria iis, quae scribit Sigebertus; nam in his juste se egisse, in illis graviter se peccasse dicit: Habentur autem verba supradicta apud Othonem Frisingensem lib. 6. c. 36. Bertoldus in Chronico ad annum 1085. et Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, lib. 3. c. 64. describunt mortem Gregorii, ac docent eum in eadem constantia permansisse usque ad ultimum spiritum; et miraculis magnis, vivum et mortuum claruisse. Praeterea confirmatio sententiae Gregorii in Henricum, quam supra demonstravimus factam a quinque successoribus ejus Victore III. Urbano II. Paschali II. Gelasio II. et Callixto II. apertissime docet, fabulam esse, quam Sigebertus scripsit de poenitentia ejusdem Gregorii. Denique ipsa sibi narratio Sigeberti contradicit ac repugnat. Nam si Gregorius graviter peccasse se agnoscebat in pastorali cura, et suadente diabolo se fecisse, quae fecerat: quomodo tam audacter ibidem affirmabat, se mox veste angelica induendum? certe ob peccatum tam grave non vestem angelicam; sed gehennae, aut purgatorii graves poenas expectare debuisset.

CAPUT X.

Discutitur sententia Othonis Frisingensis de judicio Gregorii septimi pontificis.

In decimo capite actum agit Barclajus. Redit enim ad probandum auctoritate Othonis Frisingensis, non licuisse Gregorio pontifici imperatorem Henricum communione, vel regno privare. Ac primum repetit, quae supra citaverat ex Othone, lib. 6. cap. 35. *Lego et relego Romanorum regum, et imperatorum gesta, et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc a romano pontifice excommunicatum, vel regno privatum.* Deinde addit ex lib. 1. de gestis Friderici imperatoris, cap. 1. *Novum esse visum Othoni Frisingensi, quod Henricus imperator a pontifice romano, anathematis gladio percussus fuerit.* Sed ad haec respondimus capite superiore; atque ista non esse nova luculenter ostendimus.

Addit, ex eo posse intelligi sententiam Gregorii fuisse injustam, quod Otho Frisingensis eodem loco, idest, lib. 6. cap. 17. scribit ex decreto Gregorii *Inter alia mala illud consequutum esse, ut papa super papam, et rex super regem poneretur. Quibus verbis*, inquit Barclajus, *ostendit Otho, utrumque pari jure, seu potius pari injuria factum esse, ut sicut injuste papa super papam ab imperatore, ita etiam injuste rex super regem a papa positus sit.*

Respondeo: Scribit quidem Otho, occasione decreti Gregorii factum esse, ut papa super papam, et rex super regem poneretur; sed utrumque pari jure, vel injustitia pari, factum esse Otho non dicit, neque dicere potuit. Nam regem super regem po-

suit auctoritas legitima capitis Ecclesiae;papam super papam posuit inobedientia schismatici regis : quod enim jure possit imperator papam deponere, et alium superponere, nescio an si vel unum Barclajus inveniret virum catholicum, qui dixerit, aut scripserit:quod autem possit papa imperatorem excommunicare et deponere justis de caussis, scripserunt auctores catholici plurimi, et idipsum censuerunt concilia multa generalia, quorum testimonia retulimus in prolegomenis hujus libri, et nonnulla attigimus capite superiore. Itaque Otho enumerat mala, quae nata sunt ex Henrici excommunicatione, et ejusdem inobedientia; sed non determinat, an ea justa fuerint, vel injusta: possunt enim aliqua esse mala et justa , qualia sunt mala poenae; et talis fuit depositio Henrici:possunt quoque alia esse mala et injusta, qualia sunt mala culpae, et talis fuit creatio antipapae Guiberti ab imperatore procurata, vel facta.

Pergit Barclajus, et ponderat illa verba ejusdem Othonis Frisingensis ex eodem lib. 6. cap. 36. *Quia ergo in principe suo regnum ab Ecclesia praecisum graviter percussum fuit , Ecclesia quoque tanto pastore, qui inter omnes sacerdotes et romanos pontifices praecipui zeli et auctoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit. Id*, inquit Barclajus, *quid aliud sonat, quam propter violatum in principe imperium, violatam fuisse in pontifice Ecclesiam, sive propter percussum regnum in persona principis, percussam fuisse Ecclesiam in persona pontificis; inter quae cum nullum juris aut injuriae discrimen faciat, nec possit utrumque juste fieri,consequens est utrumque injuste factum esse existimet.*

Respondeo: Non intellexit Barclajus verba Othonis: non enim loquitur Otho, de depositione Gregorii a pontificatu; quemadmodum loquitur de depositione Henrici ab imperio. Sed dicit, percussum fuisse imperium in persona principis, quia princeps excommunicatus et depositus fuit: percussam autem fuisse Ecclesiam in persona pontificis; quia per mortem subtractus ab hominibus dolorem magnum Ecclesiae reliquit. Quare non bene colligit Barclajus, tam in percussione imperii in persona principis, quam in percussione Ecclesiae in persona pontificis injustitiam intervenisse. Nam Henricus quidem per sententiam Ecclesiae depositus fuit ab imperio; in qua sententia justitia et injustitia locum habere non potuit, et satis constat, sententiam illam fuisse justissimam: Gregorius autem naturali morbo extinctus est, ubi si locum habet injustitia, Deus injustus dicendus erit, quae est ingens blasphemia: non enim Gregorius occisus fuit ab Henrico,quemadmodum Henricus depositus fuit a Gregorio; sed, ut diximus, naturali morbo , pie et religiose obiit: mors autem naturalis post originale peccatum a Deo est: ipse enim sententiam illam, et quidem justissimam tulit, *Pulvis es et in pulverem reverteris* Gen. 2. et de Deo dicitur, *Dominus mortificat et vivificat* 1. Reg. 2. et Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitae et mortis habes potestatem*, et Ecclesiastici 11. *Vita et mors a Deo est.* Neque dici potest, Gregorium papam, ex sententia Othonis, occisum fuisse a Deo in poenam peccati commissi in depositione imperatoris:nam ipse idem Otho fatetur, Gregorium fuisse hominem praecipui zeli; sed etiam si Gregorius in poenam peccati occisus fuisset a Deo, non tamen injusta mors ejus dici posset, nisi Deo injustitia tribueretur.

Pergit Barclajus, et ex lib.1. de gestis Friderici, cap. 6. Othonis Frisingensis, probare nititur. injustam fuisse depositionem imperatoris per Gregorium factam,quia Otho defectionem Rudolphi ducis Sveviae ab imperatore rebellionem appellat:rebellio autem dicitur, cum inferior deficit a superiore; sed imperator superior non fuisset, si jure depositus fuisset; igitur non jure depositus erat ex Othonis sententia. Idem probat ex lib. 7. historiae cap. 8. ubi Otho Frisingensis Henricum quartum imperatorem vocat, etiam post depositionem.

Respondeo: Rebellare dicitur non is solum, qui a principe legitimo deficit; sed etiam qui deficit a principe regnante de facto, quamvis non de jure: quemadmodum etiam rex dicitur non solum, qui jure regnat; sed etiam qui de facto regnat; non enim ubi scriptores proprietatem illam vocabulorum observant, ut neminem dicant regem, nisi qui regnat legitime, neque rebellare ullum dicant, nisi qui a legitimo principe deficit, lib. 4. Reg. cap.18. ponitur in laudibus Ezechiae regis optimi,quod rebellaverit contra regem Assyriorum, ubi rebellio dicitur defectio a rege non legitimo, eodem lib. 4. Reg. cap. 9. Jehu jussu Dei rex factus, vivente adhuc Joram rege, dicitur conjurasse contra dominum suum, eumque occidisse cum omni progenie, ubi conjuratio,quae aliquid amplius est,quam simplex rebellio, in bonam partem accipitur: conjuravit enim contra regem a Deo abdicatum et damnatum. Quare dixit ad Jehu Dominus 4. Reg.10. *Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quae erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Habemus igitur non esse mirum, si Otho Frisingensis, rebellionem appellat defectionem a rege jam abdicato, cum eumdem ipsum loquendi modum habeamus in divinis literis. Idem dicere possumus de nomine regis: nam lib. 2. Reg. cap. 15. cum Absalon filius David ejecto patre regnare coepisset in Hierusalem, neque rex legitimus, sed tyrannus revera esset: tamen David ipse regem ipsum appellabat,eum diceret ad Ethai Gethaeum, *cur venis nobiscum? revertere, et habita cum rege*: sic etiam lib. 3. Regum cap. 16. Zambri,occiso rege legitimo regnum sibi injustissime usurpavit: et tamen Scriptura dicit: *Irruens ergo Zambri percussit et occidit eum* (regem Ela) *et regnavit pro eo: cumque regnasset, et sedisset super solium ejus percussit omnem domum Baasa, etc.* Ac ne magnum videatur Barclajo, quod Otho Frisingensis vocet imperatorem Henricum,etiam post excommunicationem et depositionem: sciat idem nomen inveniri apud Abbatem Urspergensem, aliosque scriptores, immo et apud ipsum Leonem Ostiensem,qui addictissimus erat Gregorio VII.Nam lib. 3. Chronici Cassinensis cap. 49.plus quam decies Henricus imperator dicitur a Leone Ostiense, et Leone referente, saepissime Desiderius abbas,

qui Gregorio in pontificatu successit, eumdem Henricum post abdicationem, imperatorem appellat, non alia de caussa, nisi quia re ipsa, quamvis non jure imperabat.

Pergit Barclajus, et ait: *Est et alius ejusdem auctoris locus* lib. 1. de gestis Friderici cap. 8. *in quo id ipsum manifestius declarat, papam scilicet per illam excommunicationem et abdicationem nihil juris regni Henrico ademisse. Nam postquam narravit, Bertolfum Rudolphi generum (quem, ut dictum est, papa regem creaverat) peremptо socero, ducatum Sveviae, tamquam sibi a socero concessum usurpasse; et ex altera parte Henricum, papae judicio depositum, concessisse eumdem ducatum nobili cuidam Sveviae cui Friderico nomen: qui Bertolfum ad pacis conditiones, et ad exfestucationem ducatus adegit, addit, Bertolfus iste, quamvis in hoc negotio imperio simul et justitiae cesserit, tamen strenuissimus et fortissimus fuisse traditur. En ut nihil circuitione usus affirmat, imperium et justitiam ab Henrico stare, in quem pontifex sententiam depositionis multo ante tulerat.*

Respondeo: Testem hoc loco Barclajus suspectum adducit: nam ab isto Friderico Fridericus primus imperator descendit: cujus imperatoris patruus fuit Otho Frisingensis; nec solum patruus Friderici imperatoris; sed etiam nepos Henrici quarti. Itaque Otho, ne avum maternum, Henricum quartum imperatorem, et filium fratris uterini Fridericum primum imperatorem laederet, scripsit, Bertolfum imperio, justitiaeque cessisse in negotio ducatus Sveviae. Quae etiam caussa fuit, cur idem Otho in historia sua mediam viam elegerit. Nam Gregorium VII. eximie laudat lib. 6. cap. 34. neque enim poterat salva conscientia, reprehendere hominem notissimae sanctitatis. Henricum autem, non ut caeteri historici, turpissimorum plurimorumque criminum reum facit; sed modestissime excessum ejus vitamque lascivam notat, lib. 7. c. 11. Quod autem hoc loco dicit, Bertolfum imperio; justitiaeque cessisse: non cogit, ut existimemus, sensisse Othonem, injuste Henricum a Gregorio fuisse depositum: nam, ut idem Otho narrat, post longam disceptationem coëgit Fridericus ab imperatore adjutus Bertolfum ad conditiones pacis, quae erant, ut Bertolfus retineret Turegum nobilissimum Sveviae oppidum, reliquam Sveviam Friderico cederet. Cessit ergo Bertolfus imperio, tamquam potentiori, cui par esse non poterat; cessit etiam justitiae, quoniam in re dubia justum esse censuit, retento nomine Ducis, et oppido nobilissimo, reliqua cedere fortiori. Nam si Bertolfus existimasset injuste a se possessam fuisse Sveviam, debuisset totum dimittere, et neque partem praecipuam, neque ducis nomen sibi retinere; ut eodem teste Othone retinuit, ad posterosque transmisit. Quod si Barclajus velit, Othonem sensisse, Henricum a Gregorio injuste fuisse damnatum, repugnabit eidem Othoni, qui lib. 6. histor. cap. 34. dicit, Gregorium fuisse fortem per omnia athletam, murumque se pro domo Domini opponere non timuisse, et cap. 36. dicit, gladio anathematis imperatorem feriri decuisse: et ibidem refert Gregorium in morte dixisse: Dilexi justitiam, et odi iniquitatem: et, Ecclesiam in obitu tanti pastoris, qui inter omnes romanos pontifices praecipui zeli, et auctoritatis erat, non modicum dolorem habuisse, et lib. 7. cap. 1. ait: Defuncto apud Salernum beatae memoriae Gregorio summo pontifice etc. Ista enim nullo modo cohaerent cum opinione gravissimae injustitiae, qualis fuisset depositio imperatoris, si eum juste Gregorius deponere non potuisset: haec enim sola injustitia omnes Gregorii laudes sine dubio corrupisset.

Postremo Barclajus cum non haberet aliud, quod ex Othone adferret, nec tamen quiescere posset, repetit quod supra dixerat, reges ex Othonis sententia non habere ullum, praeter Deum super se, quem timeant. Repetit quoque quod supra verbosissime deploraverat, multa mala occasione excommunicationis Henrici imperatoris in orbem terrarum, ac praecipue in Ecclesiam irruisse. Ad quae omnia jam ante respondimus, neque libet eadem frustra repetere.

In extremo capite producit in medium verba Gregorii VII. quibus cum Henricum deponeret, precatus et apostolos Petrum et Paulum, ut sententiam suam ex eorum auctoritate prolatam confirmarent: et judicium cito in Henricum ejusmodi exercerent, ut omnes intelligerent, iniquitatis filium non fortuito, sed ipsorum opera ex imperio cecidisse. Hanc precationem dicit Barclajus non fuisse ab apostolis auditam; *Cum nihil non infaustum pontifici, pontificiae parti auctoribus, et fautoribus acciderit, triumphante interim et imperium tenente Henrico.*

Respondeo: Precationem Gregorii omnino exauditam fuisse, testantur aerumnae maximae, quae Henricum divinitus oppresserunt. Primum enim a magna parte Germaniae destitutus ad pontificis pedes abjectus misericordiam demississimis precibus implorare compulsus est. Deinde, cum duobus aemulis, Rudolpho et Hermanno diu ambiguo marte certavit. Postea a proprio filio carceri mancipatus, coronam, sceptrum et reliqua imperatorum insignia resignare coactus est. Inde elapsus Laeodium se recepit, unde miseriam suam incredibilem propriis literis, quae apud Urspergensem Abbatem extant, testatus est. Denique repentina morte sublatus neminem invenit, qui ejus mortem defleret: cum e contrario mundus totus ob ejus infelicem exitum summo gaudio exultaret, ut supra ex Abbate Urspergensi retulimus. Hic videlicet est triumphus Henrici, quem fingit Barclajus, Porro pontificiam partem semper in melius profecisse, cooperante Domino signis et prodigiis, et tandem omnino praevaluisse, constat ex iis, quae de Callixto secundo, et Henrico quinto omnes historici narrant, ac praesertim Abbas Urspergensis in Chronico anni 1120. et sequentibus.

CAPUT XI.

De comparatione Julii II. et Clementis VIII.

In cap. 11. Barclajus multa repetit ex iis, quae antea dixerat: neque aliquid addit, quod mihi re-

fellendum nova responsione esse videatur, nisi cum Clementem octavum pontificem veris laudibus effert, non tam ut eum laudet, quam ut ex ejus comparatione Julium secundum carpat. *Quis*, inquit, *non paternam Clementis VIII. pietatem, cum summa prudentia conjunctam, qua reges et principes christianos ad concordiam reducere, et in concordiam retinere annititur, infinitis partibus Ecclesiae utiliorem judicet, quam Julii secundi loricati furores martios, quibus Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam, caeterasque gentes christianas hostilibus animis inter se committere, impie et inhumaniter connitebatur?*

Ad haec ego ut respondeam, admonitos lectores esse volo, romanos pontifices, qui simul etiam principes sunt temporales non contemnendi imperii, non minus ex officio obligari ad ea conservanda, quae sedis apostolicae, sive Ecclesiae romanae sunt, quam principes caeteros. Quare quemadmodum reges et principes supremi caeteri pro defensione regnorum suorum, sive ditionum aliarum bella gerere possunt et debent; et si ad ea defendenda confoederatione cum aliis principibus opus habent, jure possunt cum sociis principibus foedus inire, et conjunctis viribus hostem propulsare, quando justam belli gerendi caussam habent: sic etiam romani pontifices, qua principes supremi sunt, omni jure possunt, et debent populos sibi creditos armis protegere, et si res ita postulet, adversus hostes bella gerere, necnon ad auxilium, vel belli societatem principes alios evocare. Neque primus fuit Julius II. qui pro recuperandis Ecclesiae romanae provinciis bella gessit, vel cum magnis principibus foedus percussit. Nam Pius II. multo antea exercitum armatum habuit, et bella cum hostibus cum laude gessit, ut Nauclerus et Platina referunt: et ante Pii II. tempora Innocentius VI. vir prudentia et vitae innocentia clarus per legatum suum Albernotium cardinalem, ecclesiasticam ditionem a tyrannis diversis occupatam, felicissime armis recuperavit, ut scribunt iidem Nauclerus et Platina, multique alii historici. Clemens IV. qui Innocentium VI. multis annis praecessit, et pontifex sanctus est habitus, Carolum Andegavensem ducem, s. Ludovici regis Francorum fratrem, e Galliis evocavit, ut Manfredum tyrannum e regno neapolitano, quod est Ecclesiae romanae feudum, armis expelleret, ipsumque Carolum regem instituit, imposita quadraginta millia nummorum aureorum pensione quotannis solvenda in recognitionem feudi: testes sunt auctores iidem et alii, quos ipsi citant. Sed ante haec tempora Leo IX. pontifex, non solum vitae probitate, sed etiam divinis miraculis clarus, atque adeo in sanctorum numerum relatus, adversus Northmannos pro Beneventana civitate recuperanda praesens ipse in exercitu armis decertavit, ut Hermannus Contractus in Chronico, et Leo Ostiensis in histor. Cassinensi lib. 2. cap. 88. testes sunt. Ubi illud memorabile accidit, quod cum pontifex a Northmannis victus et captus fuisset, ea submissione et reverentia victores erga victum usi sunt, ut pontifex victus et captus victoribus imperare ac dominari videretur. Porro Leo IV. pontifex plus ducentis annis Leone IX. antiquior, vir sanctissimus et miraculis clarus, teste Anastasio in ejus vita, exercitum duxit adversos Saracenos, qui ad Ostia Tyberina cum ingenti classe appulsi romanam urbem capere et spoliare cupiebant; et oratione praemissa ad Deum, et exercitu apostolica benedictione munito, memorabilem victoriam reportavit. Omitto confoederationem Zachariae, Stephani II. Adriani, Leonis III, aliorumque pontificum cum regibus Francorum, pro recuperatione et defensione provinciarum et civitatum, quae ad romanam Ecclesiam pertinebant adversus Longobardos et Graecos. Omitto etiam fortissimos Machabaeos, qui et summi sacerdotes et principes erant, et pro patriae defensione gravissima bella gesserunt. Omitto denique Moysis pontificis et principis sapientissimi, qui adversus Amorraeos, aliosque populi sui perturbatores armis decertare non dubitavit. Hos igitur clarissimos sacrosque viros Julius II. imitatus, eorumque virtutem et diligentiam aemulatus partim armis propriis, partim auxilio foederatorum regum ecclesiasticam ditionem, fere totam amissam, magno labore recuperavit. Quod factum qui reprehendere voluerit, oportebit etiam, ut industriam et virtutem sanctorum pontificum, addo etiam Machabaeorum, et ipsius Moysis, virtutem bellicam reprehendat. Neque ab hoc numero Clemens VIII. eximendus est, qui quemadmodum pacem inter christianos principes reformare studuit, ut Barclajus dicit; sic etiam exercitum comparare non neglexit cum ei Ferraria recuperanda esset: et ad bellum pro ecclesiastica ditione faciendum, occasio defuit illi, non animus. Placuit enim Deo, in cujus manu sunt corda principum, ut nobilissima civitas ante ad Ecclesiam rediret, quam militum gladii nudarentur. Hanc vero Clementis VIII. laudem Barclajus non ignoravit, sed dissimulare voluit, ut liberius Julium reprehenderet.

CAPUT XII.

Diluuntur argumenta adversus theologorum sententiam de potestate pontificis maximi in temporalibus.

In cap. 12. conatur Barclajus ex proposito affirmare ac demonstrare, nullam habere pontificem maximum potestatem in temporalibus super reges, aliosque principes christianos.

Primum argumentum ejus est, quia tota antiquitas christiana semper censuit, reges solo Deo minores esse. Quod argumentum jam ante proposuerat in cap. 8. ubi et nos illi copiose respondimus. Id enim habet veluti proprium hic auctor, ut eadem argumenta saepius repetat et inculcet, nescio an ut librum grandiorem faciat, an ut importunitate obtineat assensum, quem vi rationum extorquere non potest. Hoc igitur primo argumento praetermisso, secundum audiamus.

2. *Quid*, inquit, *quod ipsi pontifices fatentur, reges non habere superiores in temporalibus? cap.* Per Venerab. Qui filii sint legitimi. *Habent, et non habent, simul vera esse nequeunt. Falsum est*

ergo reges non habere superiorem in temporalibus, si alius possit jure iis temporalia auferre, alterique conferre.

Respondeo: Sententia pontificis in eo capite est: Reges supremos esse principes temporales, et ideo nullum habere supra se principem temporalem, quemadmodum duces, aliique principes inferiores in eodem regno superiorem in temporalibus regem habent: sic enim loquitur Ecclesiastes cap. 5. *Excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universae terrae rex imperat servienti*, et s. Petrus in priore epist. cap. 2. *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis.* Idem igitur est: Regem non habere superiorem in temporalibus; et regem non habere supra se alium regem, sive principem alium temporalem, alioqui non esset rex supremus in ordine principatus temporalis, sive politici. Et ea forte ratio est, cur idem Innocentius in eodem cap. *Per venerabilem*, paulo ante dixerit: *Nonnullos principes nullum inter homines, excepto romano pontifice, superiorem agnoscere*: Addidit enim illam exceptionem, ut cum postea dixit: *Regem Francorum nullum in temporalibus superiorem agnoscere*, intelligamus, sermonem fuisse de superioribus temporalibus: non enim rex agnoscit ullum supra se principem temporalem, sed agnoscit romanum pontificem, principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia judicare potest. *At*, inquit Barclajus, *habent, et non habent simul vera esse nequeunt.* Respondeo: Habent, et non habent de re eadem, simul vera esse nequeunt: de re diversa, nihil impedit quominus vera esse possint. Habet coccineum pallium, et non habet coccineum pallium, simul vera esse nequeunt: sed habet coccineum pallium, et non habet nigrum pallium, vera simul esse queunt; sic igitur, habet rex in temporalibus superiorem temporalem, vera esse nequeunt. Sed, habet rex in temporalibus superiorem temporalem, verissima simul esse queunt et sunt.

3. Sed instat Barclajus. *Quod*, inquit, *in verbis directe, et indirecte discrimen statuunt, id non ad facultatem judicandi, et effectum judicii, sed solum ad modum et rationem acquirendi tantam potestatem pertinet, canonistae enim dicunt papam directe dominium temporale totius orbis a Christo accepisse. Hi vero negant eum accepisse tale dominium directe, quasi dicas per se, simpliciter et sine alterius rei consideratione, sed tantum indirecte, hoc est, per consequentiam, ratione illius potestatis spiritualis, quam directe a Domino accepit. Haec igitur ex verbis istis differentia ad initium, et modum acquirendi temporalem potestatem, non autem ad ejus vim et effectum referri debet.* Haec ille, qui vult, pontificem ex sententia theologorum habere potestatem temporalem super reges indirecte acquisitam; esseque eorum judicem in temporalibus: quod repugnare videtur Innocentio, in capite citato, ubi dicit Innocentius, reges non habere superiorem in temporalibus.

Respondeo: Distinctione opus est, ut plane intelligatur verene, an falso Barclajus colligat pontificem habere potestatem temporalem super reges, esseque eorum judicem potestas disponendi de temporalibus, sive ipsa potestas in se sit spiritualis; sive temporalis, vere colligit, pontificem habere potestatem temporalem in reges: si vero per temporalem potestatem intelligatur potestas quae sit in se temporalis, ut est potestas regum et aliorum principum politicorum, falso colligit, pontificem habere potestatem temporalem in reges ex theologorum sententia. Theologi enim tribuunt summo pontifici temporalem et spiritualem potestatem in ecclesiastica ditione tantum, quam potestatem plenam in patrimonio s. Petri appellat Innocentius, in cap. *Per venerabilem*: in reliquas provincias christianas et principes christianos, tribuunt pontifici potestatem solum spiritualem, quae per se et proprie respicit spiritualia; temporalia vero respicit, ut subordinantur spiritualibus. Et ideo quando proprie loquimur, dicimus pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem, qua pontifex est. Ex quo sequitur, ut discrimen vocum, directe et indirecte, non referatur proprie loquendo, ad modum acquirendi potestatem, ut Barclajus falso dicit; sed ad explicandum objectum secundarium et consectaneum supremae spiritualis potestatis, quae ut supra diximus, primario et directe respicit spiritualia, secundario et indirecte, idest, in ordine ad spiritualia, respicit temporalia: quae sententia theologorum nullo modo repugnat verbis Innocentii in cap. *Per venerabilem*, ut ex dictis perspicuum est.

4. Addit praeterea Barclajus hoc argumentum. *Quod si adversariorum sententiae locus sit, reges, principes christiani, non erunt solum vassalli et clientes papae in temporalibus; sed (quod vilius est) quasi precario regna et principatus ab eo possidebunt. Id facile ex ipsis adversariorum principiis, sic ostendo: Summus pontifex potest alicui regnum auferre et alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem; Atqui judicare et decernere, an sit necessarium, pertinet ad eumdem pontificem, de cujus judicio aequum ne sit, an iniquum nemo potest judicare: ergo ubi libitum ei erit, poterit quemlibet regno privare, et illud alteri conferre.*

Respondeo: Reges christiani, aliique principes, iis exceptis, qui feudatarii sunt Ecclesiae, neque vassalli, neque clientes pontificis maximi dici debent, quamvis ita eos ad conflandam Ecclesiae invidiam, Barclajo appellare libuerit: multo minus precario regna et principatus ab eo possident: sed sunt veri reges, verique principes, tantoque ethnicis regibus et principibus nobiliores et feliciores; quanto non solum in terris ad tempus regnant; sed etiam post hanc vitam, si juste, pieque regnaverint, ad regnum coeleste et sempiternum transferuntur. Argumentum vero Barclaji ab omni parte vitiosum est: illa enim propositio, summus pontifex potest alicui regnum auferre et alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem: explicatione indiget; nam et bene, et secus intelligi, et vera, et falsa esse potest. Potest quidem pontifex, si necessarium ad salutem animarum sit, alicui re-

gnum auferre; sed si antea admonuerit, si spatium resipiscendi dederit, si perniciosum et incorrigibilem esse perspexerit. Potest quoque alteri regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit; sic enim vere precario reges regnarent; sed cui jure debetur, sive successio,sive electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur; cui ratio dictaverit, esse tribuendum.Sic enim Innocentius quartus in concilio lugdunensi cum Fridericum imperatorem deposuisset, electionem successoris electoribus, quibus jure competit, liberam reliquit: sic etiam Gregorius VII. post depositionem Henrici Rudolphum a principibus electum confirmavit. Sic etiam Zacharias regnum Francorum Pipino adjudicavit, quoniam ille re ipsa regnum administrabat et proceres eumdem expetebant. Leo quoque tertius imperium occidentale a Graecis ad Francos transtulit, quoniam ipsi in occidente potentissimi erant,et soli poterant eam dignitatem sustinere, et eosdem romanus populus maxime cupiebat. Sic etiam in testamento veteri Jojada pontifex posteaquam Athaliam reginam,quae regnum invaserat, interfici jussit, regnum contulit regis demortui filio, cui jure haereditario debebatur. 4. Reg. 11. et Azarias pontifex rege Ozia ob lepram divinitus immissam ab hominum commercio segregato,regni administrationem non cui voluit, sed cui debebatur, idest, regis filio dereliquit. 2. Paralip. 26. illa igitur propositio Barclaji, aut male intellecta falsa est, aut recte explicata non efficit, ut reges precario regnent. Jam vero assumptio illa, Atqui judicare et decernere an sit necessarium, pertinet ad eumdem pontificem, de cujus judicio aequum ne sit, an iniquum nemo potest judicare, similis est propositioni: nam perperam intellecta, falsa est; recte explicata, vera quidem est; sed non inde concluditur, precario regna a summo pontifice data possideri, quae est Barclaji conclusio. Pertinet quidem ad pontificem judicare an sit necessarium ad salutem animarum, regem aliquem regno privare; sed non pertinet ad eumdem necessitates pro libito fingere, vel sub colore necessitatis cupiditati servire. Et quoniam res haec gravissima est,et necessitas manifesta, et explorata esse debet, idcirco pontifices ordinarie in synodis episcoporum, vel consistoriis S. R. E. cardinalium, expositis rationibus, et consentientibus Patribus, ista gesserunt, ut supra ostendimus.

5. Pergit Barclajus, et posteaquam rationem superiorem multis verbis more suo amplificavit, et repetivit, subjungit haec verba: *Sed et omnis potestas, omneque dominium et jurisdictio , aut jure divino acquiritur, aut jure humano: et qui aliquid possidet, seu tenet, si neutro horum possideat, injuste possidet, ut praeclare in Donatistas ratiocinatur Augustinus tract. 6. ad cap. 1. Joannis, Canon.* Quo jure, *dist. 8. Fieri igitur non potest,ut papa imperium aliquod temporale in reges et principes saeculares juste exerceat, nisi constet id ei jure divino,vel humano esse tributum.*

Respondeo:Jure divino potestas in reges et principes christianos, non proprie temporalis sed quae se ad temporalia extendat, summo pontifici Christi vicario attributa est. Unde enim Barclajus ipse deducit,potestatem spiritualem amplissimam jure divino romano pontifici in omnes reges principesque competere: inde nos colligimus, eodem divino jure pontifici romano competere potestatem, quae ad temporalia pertingat; quoniam id requirit ordo potestatis superioris ad inferiorem, spiritualis ad temporalem. At, inquit adversarius, nullus neque in divinis, neque in humanis legibus locus reperitur, qui talem illi potestatem conferat. Respondeo: Immo locus invenitur in divina lege, qui potestatem illi conferat,et locus invenitur in humana lege, qui locum divinae legis exponat. Quod enim scriptum est Matth. 16. *Tibi dabo claves regni coelorum, etc.* et Joan. 21. *Pasce oves meas*;explicatum invenimus in multis conciliis,ac potissimum in romano sub Gregorio VII. in lateranensi sub Innocentio III. et in lugdunensi sub Innocentio IV. in eum sensum, ut potestas ligandi atque solvendi, nec non pascendi, atque regendi Ecclesiam universam,non ad sola spiritualia;sed etiam ad temporalia ratione spiritualium porrigatur: quod idem communis doctorum catholicorum sententia,et ipsa praxis, atque experientia confirmat.

6. *At*, inquit, *regum dominatio, et auctoritas multis sacrarum literarum testimoniis aperte commendatur et probatur, ut cum dicitur, Per me reges regnant. Data est a Domino potestas vobis. Reges gentium dominantur eorum. Cor regis in manu Dei. Dabo illis regem in furore meo. Time Dominum fili mi et regem. Regem honorificate, et passim id genus similia.*

Respondeo: Primus locus non demonstrat potestatem datam a Deo regibus; sed sapientiam regibus esse necessariam, ut regnent, sicut oportet. Verba enim illa sapientiae sunt, quae reges hortatur ad ipsius sapientiae studium, si volunt vere regnare, et leges ferendo justa decernere. Secundus locus dicit quidem, potestatem regiam esse a Domino: sed hoc dicit, ut reges non superbiant; sed intelligant habere supra se Dominum, a quo graviter punientur, si potestate abutantur. Tertius locus non potestatem tribuit; sed abusum potestatis reprehendit, reges enim gentium,qui vera Dei cognitione carent, non contenti administratione regia , plerumque dominari populis, quasi mancipiis affectant, et politicum imperium in despoticum transmutant, ac de regibus tyranni fiunt: quem abusum graeca vox καταχυριεύσιν, quae violentam dominationem significat, magis aperte demonstrat. Quartus locus potestatem Dei in reges, non potestatem datam a Deo regibus ostendit: ea enim est omnipotentia Dei, ut non solum corpora regum;sed etiam corda in potestate habeat, eaque vertat et convertat, ut sibi libuerit. Quintus locus non potestatem regiam commendat; sed minatur se permissurum, ut populus ob sua peccata in regem iniquum et crudelem incidat,a quo non tam regatur, quam devoretur. Sextus et septimus locus, timorem populi erga regem, non potestatem regis erga populum docet. Sed quicquid de his locis sit, ut non negamus regiam potestatem esse a Deo; sic etiam negari non debet,apostolicam potestatem esse a Deo; immo omnem potestatem esse a Deo, juxta illud

Apostoli Roman. 13. *Non est potestas nisi a Deo.* Quod autem potestas regia subjecta non sit apostolicae potestati, vel quod subjecta sit in spiritualibus tantum, non etiam in temporalibus; in his locis, neque aperte, neque obscure habetur, atque hoc est non quaeritur.

Postremo adducit Barclajus argumentum, quod etiam supra non semel adduxit. *Postremo*, inquit, *Quandoquidem potestas et jurisdictio ista temporalis papae, de qua nobis sermo, neque expresso Dei verbo in Scripturis comprehensa, neque ex traditione apostolorum, quasi per manus recepta, neque usu et consuetudine in Ecclesia per totos mille annos et amplius observata, aut ab ullo pontifice occupata, neque ab antiquis Ecclesiae Patribus laudata et probata, immo ne memorata quidem invenitur: quae nos obsecro credendi necessitas cogi eam admittere? aut qua nobis eam auctoritate persuadeant?*

Respondeo: Multa sunt quae ex verbo Dei per Ecclesiam explicata credimus, quamvis in verbo Dei expresse non habeantur. Filium Dei esse Patri consubstantialem, expresse in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Joan. 10. *Ego et Pater unum sumus.* Spiritum a Filio procedere expresse in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Joan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis: omnia quae habet Pater mea sunt, ideo dixi vobis quia de meo accipiet.* Baptismum parvulorum expresse in scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba illa Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc.* et Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me.* Sic ergo potestatem summi pontificis extendere se ad temporalia, ac praesertim ad regna et imperia expresse in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia Ecclesia in conciliis generalibus, sic docet intelligenda esse illa verba Domini Matth. 16. *Tibi dabo claves etc.* Falsum vero est, potestatem istam non fuisse in usu apud Ecclesiam per totos mille annos, et amplius. Jam enim supra docuimus, in usu fuisse post annum septingentesimum tempore Gregorii secundi et Zachariae pontificum. Item post annum octingentesimum tempore Leonis tertii et Gregorii quarti. Falsum quoque est ab antiquis Patribus non fuisse laudatam vel commemoratam; cum a Gregorio nazianzeno paulo obscurius; sed a Gregorio romano aperte commemorata; ac deinde posterioribus saeculis ab omnibus scriptoribus, quorum nonnulli in album sanctum relati sunt, apertissime commendata et celebrata fuerit. Quod in extremo capite Barclajus dicit, rationes nostras non esse demonstrationes, sed dialecticos syllogismos: proinde eas non certam fidem facere; id quale sit, et quantum ponderis et momenti habeat, in sequenti capite explicabimus.

CAPUT XIII.

Defenditur prima ratio Bellarmini pro potestate pontificis in temporalibus.

In cap. 13. aggreditur Barclajus refutare eas rationes, quas ego in lib. 5. de Pontif. cap. 7. adduxi ad probandam pontificis maximi potestatem in temporalibus. Et quoniam ille praefatur, neminem Bellarmino diligentius rationes pro hac potestate collegisse, vel argutius proposuisse, vel brevius et subtilius conclusisse; ut videlicet lectoribus persuadeat Bellarmino superato, rem totam esse confectam: ego quoque praefari debeo, me non admittere, quae Barclajus de mea diligentia, argutia et subtilitate dicit. Scio enim multos esse me longe doctiores et diligentiores ac subtiliores, qui in eodem argumento ante me versati sunt, et quorum ego diligentiam et studium pro ingenii mei tenuitate aemulari studui: proinde non in me superando stat summa victoriae, ut Barclajus persuadere lectoribus nititur. Admonendum quoque lectorem esse duxi me in hac re comprobanda rationes tantum et exempla, non Scripturas, concilia et Patres adduxisse: quoniam ista in libris superioribus copiosissime persecutus fueram in confirmando primatu spirituali summi pontificis; quo confirmato et firmiter stabilito facillimum esse censui, ex eo tamquam ex fonte deducere rivulos rationum ad potestatem in temporalibus comprobandam.

Prima igitur ratio mea, quam Barclajus ad verbum refert, haec fuit.

Potestas civilis subjecta est potestati spirituali, quando utraque pars est ejusdem reipub. christianae: ergo potest princeps spiritualis imperare principibus temporalibus, et disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale: omnis enim superior imperare potest inferiori suo.

Quod autem potestas politica, non solum ut christiana, sed etiam ut politica, sit subjecta ecclesiasticae, ut talis est: Primo demonstratur ex finibus utriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, ut patet, quia felicitas temporalis, non est absolute ultimus finis; et ideo referri debet in felicitatem aeternam. Constat autem ex Aristotele lib. 1. Ethic. c. 1. ita subordinari facultates, ut subordinantur fines.

Secundo: Reges et pontifices, clerici et laici non faciunt duas respublicas, sed unam, idest, unam Ecclesiam. Sumus enim omnes unum corpus Rom. 12. et 1. Corinth. 12. At in omni corpore membra sunt connexa, et dependentia unum ab alio: non autem recte asseritur, spiritualia pendere a temporalibus: ergo temporalia a spiritualibus pendent, illisque subjiciuntur.

Tertio: Si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium judicio tenetur princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni: ergo signum est, subjectam esse temporalem potestatem spirituali. Haec est mea ratio prima satis fideliter a Barclajo relata.

Huic rationi respondet ipse, falsum esse, quod ego assumpsi, civilem potestatem subjectam esse spirituali, quando utraque pars est ejusdem reipub. christianae. Id autem falsum esse probare conatur his verbis:

Siquidem hae duae potestates ita sunt partes reipublicae christianae, ut neutri in alteram imperium sit, utpote cum libere, et sui juris essent,

mutuo amore coierunt. Utraque ergo alteram in suo ordine, et munere recognoscit et veneratur, et suam utraque functionem arbitratu suo exercet; tantum inter eas conspirans quidam consensus, et societas est, ad christianam rempub. conservandam.

Respondeo: In his verbis affirmari video, non probari, politicam et ecclesiasticam potestates in eadem Ecclesia christiana conjunctas esse vinculo benevolentiae, non autem subjectione unius ad alteram. Sed hoc recte diceretur, si politica et ecclesiastica potestas ejusdem ordinis essent, et quasi duas separatas respublicas facerent, ut sunt pagi Helvetiorum. At ex Scripturis divinis pontifices et reges, clerici et laici in Christo regenerati unam remp. immo unam civitatem, immo unam domum, immo unum corpus efficiunt. Neque potestas spiritualis et temporalis in Ecclesia conveniunt, ut duae resp. in unam confederationem, sed ut spiritus et caro in unum hominem, ut Gregorius nazianzenus praeclare docuit in oratione ad populum timore perculsum: certum autem est, spiritum in carnem imperium habere debere, non contra: neque sunt in Ecclesia Christi pontifices et reges, ut principales arietes in ovili, sed ut pastores et oves: neque in dubium revocari potest, an pastores ovibus, vel oves pastoribus cum imperio praesint.

Subjungit Barclajus: *Utraque potestate, sive ut Genebrardi verbis utar, utroque magistratu Ecclesia continetur, munitur et vigel: ad quam protegendam et sartam tectam conservandam alterius sic*

Altera poscit opem res, et conjurat amice,

ut quamdiu societatem retinent, respublica christiana innumeris concordiae, et pacis commodis efflorescat. At ubi coitam dissolvunt, spiritualis quidem potestas, licet divina virtute praestans, imbecillior tamen in oculis hominum, et corporalibus auxiliis destituta plerumque contemnitur temporalis vero, quantumvis potens, atque fortis in suam ipsius perniciem per omne scelus, et insaniam properat, nimirum coelesti gratia destituta, qua per spiritualis potestatis coitionem fruebatur.

Respondeo: Haec omnia contra suum auctorem, non contra Bellarminum pugnant. Fatetur enim Bellarminus, optimum esse, ut duae istae potestates concordes sint, et valde perniciosum si inter se pugnent: sed non inde sequitur unam alteri non esse jure subjectam. Nam et in homine optimum est, ut spiritus et caro concordes sint, et perniciosum si dissideant, ut saepe carne reluctante imperio spiritus, et spiritui carnem in servitutem redigere conante, discordant: nec tamen ullus sapiens ex hac discordia colliget, non debere esse spiritui in carnem suam imperium; cum contrarium apertissime inde colligatur. Igitur eodem modo ex eo quod ex discordia duarum potestatum, spiritualis et politicae in eadem christiana republica tam multa incommoda sequuntur, et utrique valde necessaria concordia est: colligi debet, pertinuisse ad sapientiam Christi christianae reipublicae conditoris, ut unam potestatem alteri subjiceret, quo facilius pacem et concordiam inter se retinerent et colerent.

Addit Barclajus testimonium Hosii Cordubensis et s. Bernardi: sed quoniam ad testimonium Hosii non semel supra respondimus; audiamus verba s. Bernardi lib. 1. de Consideratione cap. 5. *Habent*, inquit, *haec infima et terrena judices suos, reges et principes terrae, quid fines alienos inauditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?*

Respondeo: Sanctus Bernardus ipse se declarat, cum in eodem loco subjungit: *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis: denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus. Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Sed aliud est incidenter incurrere in ista, caussa quidem urgente, aliud vero incumbere istis, tamquam magnis, dignisque tali et talium intentione rebus.* Ubi demonstrat pontifices maximos ut plurimum debere in rebus majoribus occupari et infima ista ac terrena relinquere judicibus minoribus, regibus videlicet et principibus terrae. Quemadmodum Apostolus 1. Corinth. 6. dixit, *Judicia saecularia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum.* Itaque s. Bernardus eo loco fines alienos, et messem alienam, judicia terrena vocavit, non quod non possit pontifex, sed quod ut plurimum non debeat, dimissis rebus gravioribus, istis terrenis et vilibus implicari. Et Barclajus non satis prudenter, ne dicam fraudulenter, verba citat, quae secum adferunt explicationem, si locus integer adferatur.

Pari astutia Joan. Driedonem allegat ex lib. 2. de libert. christiana cap. 2. cujus haec sunt verba: *Christus utriusque potestatis officia discrevit, ut una divinis et spiritualibus rebus, atque personis, altera profanis atque mundanis praesideret;* et mox: *Et plane vides Christum discrevisse utriusque potestatis officia, distinctio igitur ecclesiasticae potestatis papalis e potestate saeculari ac imperiali est de jure divino facta.*

Respondeo: Scribit Joannes Driedo, potestates illas duas distinctas esse; sed unam alteri subjectam esse, temporalem videlicet spirituali hoc loco non negat, et paulo infra in eodem capite disertis verbis affirmat, dicens: *Unde papa et imperator sunt in Ecclesia, non tamquam duo rectores summi inter se divisi, quorum neuter alterum cognoscit, et veneratur, tamquam superiorem: quia regnum sic contra se desolabitur*, haec ille: nec valet glossa Barclaji, quod imperator in spiritualibus papam, papa in temporalibus imperatorem cognoscere debeat, et venerari tamquam superiorem. Nam Joan. Driedo explicuit sententiam suam lib. 1. ejusdem operis, cap. 9. ubi docuit, in ordine ad finem supernaturalem, subjectam esse potestatem temporalem potestati spirituali, et cap. 14. docuit, papam habere plenitudinem potestatis super omnes reges et principes christianos, et posse eos regnis privare, et in temporalibus prorsus eximere plebem christianam ab eorum obedientia et subjectione: et nusquam docuit, potestatem spiritualem subjectam esse tem-

porali, aut posse a regibus privari pontificem papatu, aut ab ejus obedientia et subjectione populos liberari. Allegat Barclajus antiquam glossam in can. Hadrianus, dist. 63. sic dicentem, *Quemadmodum ille huic in spiritualibus: ita hic illi in temporalibus pater est.* Sed ego istam glossam neque in novis, neque in antiquis editionibus invenire potui. Fortasse tamquam delira Anus antiquata est, aut prae nimio senio jamdudum excessit e vivis.

Postremo addit Barclajus testimonium Bellarmini, ut Bellarminum cum Bellarmino committat, eumque proprio gladio vulneratum prosternat. *Nota*, inquit *Bellarminus lib. 5. de Pontifice cap. 3. quemadmodum non est idem sydus sol et luna, et sicut lunam non instituit sol, sed Deus: ita quoque non esse idem pontificatum et imperium, neque unum ab alio absolute pendere.* His verbis recitatis, *subjungit Barclajus: Sunt quidem sol et luna duo luminaria magna, quae pontifex Innocentius, cap.* Solitae *de majorit. et obed. per allegoriam interpretatur duas dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas, et illam soli, hanc lunae comparat. Unde hoc modo disputo. Quemadmodum luna non minus luna est, nec minus per se consistit, tunc cum a sole recedit, et mutuatum ab eo lumen errans amittit, quam cum ejus radiis pleno orbe, atque aspectu illustratur, ei neutro casu haec ab illo, aut ille ab hac dependet; sed ambo institutionis suae ordinem et modum tenentes Deo, mundoque deserviunt: sic etiam potestas regalis, sive politica propriis subnixa viribus per se semper consistit: et licet magnum quidem lumen ad bene, beateque vivendum a pontificali, spiritualique potestate accipiat: tamen ejus, neque accessu, neque recessu ulla ex parte in sua οὐσία, sive essentia mutatur, minuitur vel augetur, multoque minus advenienti subjicitur.*

Respondeo: Similitudines non in omnibus locum habent, sed in ea tantum re, ad quam explicandam adhibentur. Idem frustra quaeritur accommodatio in omnibus. Christus agnus Dei dictus est propter mansuetudinem, et leo propter fortitudinem, et petra propter firmitatem, et vitis propter foecunditatem: nec tamen licet Christo tribuere stoliditatem ovis aut saevitiam leonis, aut duritiem lapidis, aut fragilitatem vitis. Recte igitur comparavit Innocentius III. potestatem pontificiam soli, et potestatem regiam lunae, quod illa praesit spiritualibus, ista temporalibus, illa sit major, ista minor. Nec male ego notavi, pontificatum et imperium instar solis et lunae esse distincta et a Deo; et imperium absolute non pendere a pontificatu: quia videlicet imperium romanum fuit ante pontificatum christianum, ac per hoc institutum non fuit a pontifice: neque pontifex imperium sustulit unquam, sed solum transtulit ab uno homine ad alium, vel ab una gente ad aliam. Concedimus autem Barclajo potestates pontificiam, et regiam instar solis et lunae non pendere ab invicem quoad essentiam. Sed non concedimus, quod Barclajus in fine addidit, lunam soli non subjici. Subjicitur enim luna soli, cum ab eo lumen recipiat, et non subjicitur lunae sol, qui nihil recipit a luna. Nec solum luna, sed omnes etiam stellae subjiciuntur soli, quoniam ab illo lumen recipiunt; et recte Marcus Tullius in somnio Scipionis de sole dicit: Dux est et princeps et moderator luminum reliquorum. Itaque quemadmodum soli subjicitur luna et lunae non subjicitur sol: ita quoque pontifici subjicitur rex et regi non subjicitur pontifex.

CAPUT XIV.

Defenditur confirmatio primae rationis Bellarmini.

In cap. 14. Barclajus examinat tria illa argumenta, quibus ego probavi assumptionem primae rationis, sive antecedens primi enthimematis, ut scholarum verbis utamur. Primum argumentum illud fuit: Finis temporalis subordinatur fini spirituali; sed facultates subordinantur, ut subordinantur fines; igitur facultas, sive potestas temporalis, subordinatur facultati, sive potestati spirituali. Ad hoc argumentum respondet Barclajus his verbis.

Nego constanter talem ordinationem, vel subordinationem finium harum potestatum esse, quatenus ipsae tales potestates sunt. Nam finis politicae, seu civilis potestatis, quatenus politica est, nihil aliud absolute complectitur quam felicitatem temporalem, commune scilicet bonum, et vitae degendae ordinatam tranquillitatem, ut ipsemet alibi Bellarminus fatetur. Politica potestas, inquit, *habet suos principes, leges, judicia, etc. et similiter ecclesiastica suos episcopos, canones, judicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem aeternam.* Haec Barclajus, qui postea rem eamdem confirmat ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. qui jubet nos orare pro regibus, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate. Item ex Navarro, qui in cap. *Novit*, de judic. num. 90. dicit, finem potestatis laicae esse vitam bonam, beatam, et quietam temporalem mortalium, quae et finis est legum ab ipsa emanantium: potestatis vero ecclesiasticae, finem esse vitam aeternam supernaturalem, eumdemque esse finem legum ab ipsa emanantium.

Respondeo: Negat Barclajus rem certissimam omnium consensione doctorum; nec potest aliter paradoxa sua defendere, nisi audacter omnia negando, quae illi objiciuntur. Quid enim apud theologos et philosophos notius, quam inter caussas tum efficientes, tum finales ordinem esse, et inferiores superioribus subordinari? Certe Deus est prima caussa efficiens omnium rerum, eique subordinantur caussae secundae, sive universales, quales sunt coeli, sive particulares, quales sunt res istae inferiores, quarum unaquaeque producit effectus sibi similes, non absque actione coelorum, et cooperatione Dei, primae videlicet, atque altissimae caussae. Eodem igitur modo finis ultimus absolute Deus est, atque ad eum ordine quodam referuntur et subordinantur omnes alii fines. Finis quidem immediatus potestatis politicae, est pax reip. temporalis, sed haec pax subordinatur paci supernaturali hominis cum Deo; ista vero paci beatae, quae est in superna Hierusalem: quae tandem subordinatur

gloriae Dei conditoris, qui est primum principium et ultimus finis omnium rerum. Atque hoc ipsum docent auctores, quos hic Barclajus citat. Bellarminus enim, quem primo loco nominat, lib. 5. de Pontif. cap. 6. ubi scripsit, finem politicae potestatis esse pacem temporalem, et finem potestatis ecclesiasticae esse salutem aeternam: paulo post addit haec verba: *Quando istae potestates sunt conjunctae, unum corpus efficiunt, ideoque debent esse connexae, et inferior superiori subjecta, et subordinata*: cujus rei rationem reddit cap. 7. *Quia finis temporalis potestatis subordinatur fini potestatis spiritualis*. Sanctus quoque Apostolus 1. ad Timoth. cap. 2. quem Barclajus secundo loco citavit, cum jussit orari pro regibus, ut tranquillam vitam agamus; adjunxit, *in omni pietate, et castitate;* ut ostenderet tranquillitatem vitae, quae est finis politicae potestatis, subordinari pietati et castitati, quae finis est potestatis spiritualis, per quem ad finem ultimum pervenitur, qui est felicitas sempiterna. Denique Navarrus, quem tertio loco Barclajus attulit, in cap. *Novit*, de judic. num. 90. scribit, finem potestatis temporalis esse vitam bonam, et beatam mortalium temporalem; finem spiritualis potestatis esse vitam aeternam in coelis. Sed idem auctor eodem loco, num. 97. demonstrat, finem temporalis potestatis subordinari fini potestatis spiritualis, cum docet ex s. Thoma lib. 3. de regimine principum cap. 12. *Christi dominium ordinari ad salutem animae et spiritualia bona, licet a temporalibus non excludatur, eo modo quo ad spiritualia ordinantur. Expende*, inquit Navarrus, *illa verba, eo modo, quo ad spiritualia ordinantur: nam illo et non alio modo suprema haec papae patriae patris potestas extenditur ad illa, idest, ad temporalia.* Ibidem Navarrus adducit alium locum s. Thomae ex 2. 2. q. 40. art. 2. ad tertium. *Omnis persona*, inquit s. Thomas, *vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quae sunt ad finem: bella autem carnalia in populo fideli sunt referenda ad spirituale bonum divinum, cui clerici deputantur: et ideo ad clericos pertinet disponere et inducere alios ad bellandum bella justa.* Ubi s. Thomas docet bella carnalia ordinari ad bonum spirituale, ut ad finem non immediatum, sed mediatum: finis enim belli carnalis immediatus est victoria et pax temporalis: sed quia haec ordinatur ad bonum spirituale, ut alia omnia temporalia, ideo dicitur bellum carnale ordinari ut ad finem; mediatum videlicet, ad bonum spirituale: et ea de caussa disponere de bellis justis agendis pertinet aliquo modo ad clericos, idest, ad ecclesiasticam potestatem, cujus finis immediatus est bonum spirituale. Multa similia habet idem s. Thomas, de subordinatione finium in 1. 2. q. 1. art. 4. et lib. 3. cont. gent. cap. 17. 18. et seq.

Aggreditur deinde Barclajus secundum argumentum meum, quod erat hujusmodi: reges et pontifices, clerici et laici non faciunt duas respublicas, sed unam idest, unam Ecclesiam: sumus enim unum corpus Rom. 12. et 1. Cor. 12. At in omni corpore membra sunt connexa et dependentia unum ab alio: non autem recte asseritur spiritualia pendere a temporalibus, ergo temporalia a spiritualibus pendent, illisque subjiciuntur.

De hoc secundo argumento ita loquitur Barclajus. *Secundum vero argumentum usque adeo frivolum est et fallax, ut nihil inscitius dici aut vitiosius colligi possit, quam quod eo concluditur: ecqua enim Anus tam excors est, ut nesciat non valere hanc consecutionem, sunt membra unius corporis, ergo unum ab alio pendet: nam neque pes a pede, neque brachium a brachio, neque humerus ab humero pendet, sed ab uno tertio.*

Respondeo: Oblitus erat Barclajus, cum haec scriberet, eorum, quae paulo ante dixerat, neminem Bellarmino argutius argumenta proponere, neminem brevius, subtiliusque concludere, ista siquidem non bene cohaerent argumenta proposita argutissime, subtilissimeque conclusa a qualibet excorde Anu posse nullo labore dissolvi. Sed omitto Barclaji inconstantiam, qui Bellarminum nunc laudibus evehit in coelum, nunc conviciis deprimit in abyssum: parum enim Bellarmino est, ut a Barclajo judicetur, aut ab aliis ei similibus, qui judices ejus legitimi non sunt: omnes enim stabimus ante tribunal Christi, et ab illo juste vereque, ac sine omni animi perturbatione judicabimur. Quod ergo dixi, membra ejusdem corporis esse connexa, et unum pendere ab alio; de membris diversi generis intellexi, qualia sunt digitus, manus, brachium, humerus et caput: non de membris ejusdem generis, qualia sunt duae manus, duo pedes, duo oculi, duae aures: potestas enim politica et ecclesiastica, de quibus loquebamur, diversi generis sunt, ut notum est: et secundum post materiam verba intelligenda sunt; alioqui nulla esset tam certa demonstratio, quae calumniam pati non posset. Itaque potestas regia, quae in suo genere principalis est, si cum potestate pontificia, quae etiam in suo genere principalis est, in unum corpus coalescat, necessario debet, aut subesse, aut praeesse, ne sint in uno corpore duo capita: et cum satis constet pontificem esse caput Ecclesiae vice Christi, aperte sequitur, ut debeat rex, aut non esse membrum hujus corporis, aut pontifici subesse; et eodem modo potestas politica, quae praecipue residet in rege, aut debet subjecta esse spirituali, quae praecipue residet in pontifice, aut extra Ecclesiam remanere: quemadmodum non potest esse digitus in corpore, qui non pendeat a manu; neque manus, quae non pendeat a brachio; neque brachium quod non pendeat ab humero: neque humerus, qui non pendeat a capite. Quod autem Barclajus dicit paulo post, potestatem spiritualem et politicam, esse veluti duos humeros in corpore, quorum neuter alteri subjicitur; sed uterque subjicitur uni capiti Christo: non solum est falsum, quia potestates illae non sunt ejusdem generis, ut duobus humeris comparari possint, quo modo recte compararentur duobus humeris duae regiae potestates: sed etiam ad haeresim pertinet, quae hoc tempore maxime viget: quid enim haeretici hujus temporis majori conatu populis persuadere conantur, quam non esse summum pontificem caput visibile corporis Ecclesiae, cui omnes christiani, quantumvis magni necessario

subjici debeant, si salvi esse velint; Atqui hoc illis ultro concedit Barclajus, qui tamen in toto libro catholicorum se facit. Itaque potestas spiritualis, et politica non recte comparantur duobus humeris; sed vel spiritui et carni comparari debent, ut facit s. Gregorius nazianzenus in oratione saepe citata ad populum timore perculsum, et praesidem irascentem: vel brachio, et capiti membris videlicet principalibus et quorum tamen unum, quamvis in se valde potens et robustum ab altero superiore dirigi debeat et gubernari.

Sed instat Barclajus, atque objicit mihi mea ipsius scripta, lib. 3. de Pontifice cap. 19. ubi admitto reges terrae non habere in terris judicem, quantum ad res politicas pertinet: et contendit, me contraria loqui, cum uno in loco doceo, reges non habere judicem in terris, quo ad res politicas: in alio loco admitto, pontificem judicem esse regum, ut etiam eos per sententiam regno privari possit.

Respondeo: Innocentius III. in cap. *Per venerabilem*, *Qui filii sint legitimi*, scribit reges in temporalibus, non habere superiorem: et tamen ipse idem Othonem quartum imperatorem deposuit. Audeat ergo Barclajus Innocentium, tamquam secum ipsum pugnantem arguere: et ego cum tanto pontifice reprehendi non moleste feram. Sed defensio in promptu est: Reges enim non habent judicem in terris, quo ad res politicas, sive in temporalibus, dum eorum regimen ita intra res politicas et temporalia se continet, ut spiritualibus non officiat. Praeterea dicuntur reges non habere judicem in politicis et temporalibus, quia non habent super se judicem politicum sive temporalem, quamvis habeant judicem spiritualem, a quo dirigiet judicari possunt etiam in temporalibus per ordinem ad spiritualia.

Quod vero Barclajus addit, discrimen vocum directe et indirecte ad formam et modum pertinere, non ad vim et effectum judicii: jam supra refutatum est in capite duodecimo, ubi de his vocibus ex proposito disputavimus.

Restat argumentum meum tertium, quod tale erat: Si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium judicio tenetur princeps temporalis mutare illum modum administrationis, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est, subjectam esse temporalem potestatem spirituali.

Huic argumento duobus modis Barclajus occurrit: primum enim notat quod cum rem demonstrandam susceperim, signum tantum protulerim: deinde negat consequutionem argumenti: nam ex eo quod tenetur princeps temporalis mutare formam regiminis, si per eam bonum spirituale impediatur: dicit Barclajus sequi, spiritualia esse digniora temporalibus, non autem potestatem temporalem spirituali esse subjectam.

Respondeo: Non est novum, neque insolitum post demonstrationes adferre quoque argumenta a signo. Quod autem attinet ad consecutionem fallitur Barclajus. Nam ex illo antecedente, Tenetur princeps politicus mutare administrationem suam, si obsit bono spirituali; non sequitur absolute, ergo bonum spirituale est nobilius, ac dignius temporali: sed sequitur, ergo ad bonum spirituale ordinatur, ut ad suum finem bonum temporale, ac per hoc potestas temporalis subjecta est potestati spirituali: necessitas enim mutandi administrationem in eo casu non oritur ex dignitate, vel nobilitate boni spiritualis praecise, sed ex subordinatione unius ad alterum: quod perspicue ostendi in meo lib. 5. de Pontifice cap. 7. in explicatione hujus argumenti tertii, ad quae Barclajus nihil respondit.

CAPUT XV.

Refutatur digressio Barclaji.

In capite quintodecimo Barclajus non contentus iis, quae dixerat in responsione ad primam rationem meam: antequam transeat ad secundam examinandam et refellendam, iterum repetit sententiam suam de potestate ecclesiastica ac politica, quod videlicet, principes temporales subjecti esse debeant episcopis, quo ad spiritualia, et contra episcopi subjecti esse debeant principibus, quo ad temporalia: et quemadmodum episcopi cogere possunt spiritualibus poenis principes temporales ad obediendum in iis, quae ad animam pertinent; sic possint principes temporales cogere episcopos corporalibus poenis ad obediendum in iis, quae pertinent ad temporalia, modo fidei catholicae et bonis moribus non sint contraria. Excipit tamen summum pontificem, quem dicit non esse subjectum ulli principi temporali, quoniam ipse quoque est princeps supremus temporalis in provinciis ditionis ecclesiasticae. In summa tollit Barclajus de medio omnem exemptionem ecclesiasticorum a potestate principum saecularium. Ac primum ad hanc sententiam stabiliendam producit testimonium Francisci Romuli in responsione ad certa capita Apologiae, etc. qui disertis verbis affirmat, episcopos regibus in temporalibus rebus, et reges episcopis in rebus spiritualibus debere esse subjectos. Sed facilis est responsio. Loquitur enim Franciscus Romulus eo loco de subjectione, quam habent episcopi, et reliqui clerici ad observandas leges politicas, et non perturbandum ordinem politicum a regibus constitutum; ut etiam docent Gelasius et Nicolaus pontifex, ille in epist. ad Anastasium imperatorem, hic in epistol. ad imperatorem Michaëlem, quos eo loco Franciscus Romulus allegavit. Sed hinc non sequitur, posse cogi episcopum a rege ad obediendum, vel puniri, si non obediat, cum rex nullam habeat in episcopos, vel clericos potestatem, quod apertissime legitur in concilio constantiensi, sess. 31.

Secundo producit testimonium ipsius Bellarmini, ex lib. de Clericis cap. 28. ubi docet: Clericos, ut cives, esse partes et membra reipub. politicae, ac per hoc obligari ad leges politicas observandas. Sed quoniam idem Bellarminus in eodem loco, excipit potestatem coactivem a qua liberos esse dicit clericos: Barclajus reclamat ac dicit: *Verius est clericos ad obsequium legum, ubi caussa postulat, a temporali judice cogi posse, ut nec in ea re exemptionis suae beneficio gaudeant, quod ab imperatorum et principum legibus, eos accepisse*

satis constat. Frustra enim legum auxilium invocat, qui contra eas committit.

At hic Barclajus more suo contra sententiam catholicorum omnium loquitur: quamvis enim disputent theologi et canonistae de jure exemptionis, tamen esse clericos aliquo jure exemptos, et non posse cogi a laica potestate omnes docent. Utrum autem verius sit existimandum, quod unus, an quod universitas docet, aliis judicandum relinquo: sed de hac re inferius plura dicemus, et multa etiam in lib. de Clericis diximus.

Tertio Barclajus producit testimonium s. Gregorii, in epist. 15. lib. 4. ubi s. Gregorius ad Mauritium scribens, sic loquitur: *Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.*

Dominetur nimirum, addit Barclajus, *quatenus cives sunt, et partes reipub. reverentiam impendat, qua Dei sacerdotes et patres spirituales, quibus ipse imperator, ut Ecclesiae filius subjicitur.*

Respondeo: Possent verba s. Gregorii in eum sensum exponi, ut significare voluerit, imperatorem dominari posse sacerdotibus constituendo leges politicas, quas ipsi quoque vi rationis, sed non vi legis observare tenentur; sed eis reverentiam illam impendere debere, ut non eos ipse puniat, si leges non servent, sed praelatis ipsorum puniendos relinquat. Sed quoniam ex ipso Gregorio in Commentario psalm. 101. didicimus, Mauritium tyrannice imperasse in ultimis imperii sui annis, ac potissimum in sacerdotes saevire coepisse: mirum non est, si s. Gregorius ita loquatur, ut jugum tyrannicum si auferre non poterat, mitigare saltem et moderari niteretur.

Quarto producit testimonium Scripturae lib. 3. Reg. cap. 2. Ubi Salomon rex sacerdotem Abjatharem reum mortis pronunciavit, quod conjuranti Adoniae consensisset: et ejecit eum, ne sacerdotio fungeretur.

Responsio: Non est improbabile in Testamento veteri regem absolute majorem fuisse pontifice, tum quod ita doceat s. Thomas in lib. 1. de Regimine principum cap. 14. tum quod in Testamento veteri promissiones essent temporales, et sacrificia carnalia; sed quoniam probabilius est, in ipso etiam Testamento veteri, majorem fuisse pontificem rege, ut ostendimus lib. 2. de Pontif. cap. 29. ideo persistimus in ea responsione, quam in eo loco scripsimus, Salomonem non ut regem, sed ut prophetam divino instinctu judicasse Abjatharem mortis reum, et ei sacerdotium abrogasse, aliumque ei substituisse. Nam quod in Scriptura 3. Reg. 2. legimus: *Ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo*: ratio est, cur Salomon hoc fecerit. At inquit Barclajus, illud: *Ut impleretur sermo Domini, nihil aliud significat, nisi tunc impletum fuisse, quod Dominus praedixerat futurum: quemadmodum* Matth. 27. *cum dicitur, impios milites divisisse inter se vestimenta Christi, ut impleretur illud psalmi, Diviserunt sibi vestimenta mea.*

Respondeo: Illud, ut impleretur verbum Domini, aliquando significat solum, illud fuisse praedictum, et postea impletum, ut in loco allegato ab adversario. Aliquando significat id factum esse eo animo, eaque intentione, ut obedientia praestaretur Deo, qui voluit per eum id fieri, ut lib. 4. Reg. cap. 9. Jehu jussit, Joram regem occisum projici de curru in agrum Jezraël, ut impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam prophetam, Tolle, inquit, eum, et projice de curru in terram, juxta verbum Domini. Quod autem locus allatus ex lib. 3. Reg. cap. 2. debeat intelligi hoc secundo modo, probari potest ex voce hebraica: nam ubi nos habemus in textu latino, Ejecit ergo Salomon Abjathar, ut non esset sacerdos Domini; ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo: in hebraeo est verbum activae significationis למלך adimplendum, sive ut ipse impleret sermonem Domini. Quare verba textus latini debent sic intelligi, ut impleretur, supple, ab ipso Salomone sermo Domini etc. Adde, quod ex sententia Barclaji, rex non potest punire sacerdotem poena spirituali, neque miscere se in negotiis spiritualibus, sed solum in temporalibus: Salomon autem privavit Abjathar munere sacerdotali, et alium ejus loco substituit; ergo vel excessit modum potestatis suae, vel hoc fecit non ut rex, sed ut propheta, ex peculiari instinctu Dei, ut nos supra diximus. Denique si haec lectori non satisfaciunt; dicere possumus, in Scriptura sacra narrari factum Salomonis, sed non definiri, jure ne, an injuria id fecerit: quemadmodum etiam in eo loco narratur caedes Adoniae fratris Salomonis, jussu ejusdem Salomonis patrata, ob id, quod Adonias petierit sibi dari in uxorem Abisag Sunamitidem, quod recte ne, an secus factum fuerit, disputari potest. Itaque non bene colligeret qui diceret, rex Salomon privavit sacerdotem functione sua, et occidit fratrem suum, quia petierat in uxorem illam puellam, quae fuerat ancilla patris sui: ergo possunt reges privare functione sua sacerdotes, aliosque in eorum locum substituere: et possunt fratres suos interficere, si speciosam aliquam puellam, quam rex ipse fortasse amat, sibi dari postulent in uxorem. Iste, inquam, non bene colligeret, quia reges multa saepe faciunt ex potestate, non ex justitia: et videndum est non tam quid possint, quam quid debeant, sive quid jure possint: non enim verum est, quod imperatori Antonino Caracallae dictum fuit, regibus quod libet licet.

Addit Barclajus: (Aeque fallitur vir idem doctissimus, cum ait eodem lib. 2. de summo Pontif. cap. 29. non mirum esse, si in Testamento veteri summa potestas fuisset temporalis, in novo spiritualis, quia in veteri Testamento promissiones tantum temporales fuerunt, et in novo spirituales et aeternae).

Respondeo: Eam ego sententiam ut probabilem posui, propter auctoritatem s. Thomae in lib. 1. de Regimine principum, sive auctoris illius libri, quicumque fuerit, et propter non contemnendam rationem ab eodem auctore allatam. Barclajus autem dicit quidem in utroque Testamento potestatem regiam fuisse solum temporalem; potestatem pontificiam, solum spiritualem, sed nulla vel auctoritate, vel ratione probat. Quare nemo mirari debet si ve-

terem auctorem cum ratione loquentem anteponamus Barclajo, auctori recenti, et sine ratione veteres carpenti.

His expeditis percenset, ac numerat Barclajus ordine privilegia exemptionum, quae data sunt a regibus vel imperatoribus ordini ecclesiastico; ex quibus colligit, ecclesiasticos ex se subjectos esse in temporalibus politicae potestati: nisi enim subjecti essent, non egerent privilegiis, neque illa vel quaesivissent, vel etiam oblata accepissent.

Ad haec breviter respondeo: Nos hoc loco non suscepisse disputationem de potestate regum in ecclesiasticos, sed de potestate summi pontificis in temporalibus: neque aequum est de una disputatione ad aliam transire. Quare lectorem remittimus ad ea quae in Controversiis de exemptione ecclesiasticorum disputavimus, praesertim in editionibus post annum Domini 1598. in quibus paulo planius et plenius sententiam nostram explicuimus, quam in editionibus prioribus. Accedit etiam, quod Barclajus infra iterum de hac re, et fusius tractat, capite videlicet trigesimosecundo et trigesimotertio, ubi se in materia exemptionis novam doctrinam contra Scriptores omnes invenisse gloriatur.

CAPUT XVI.

Refellitur alia digressio Barclaji.

In capite sextodecimo Barclajus intermissa responsione ad rationes meas, pro potestate pontificis in temporalibus, iterum digreditur ad potestatem regum in pontifices. Et quoniam ego in lib. 2. de Pontif. cap. 29. dixeram, discrimen esse agnoscendum inter reges ethnicos et christianos, quod illi non subjecissent se per Baptismum summo pontifici, ut Christi vicario, isti autem subjecissent: et ideo probabiliter dici potuisse, summos pontifices olim subjectos fuisse imperatoribus ethnicis quoad temporalia; imperatoribus autem christianis, numquam fuisse de jure subjectos: aggreditur hoc discrimen impugnare, seque demonstraturum pollicetur, pontifices summos non minus subjectos esse de jure regibus christianis, quam ethnicis quod attinet ad temporalia. Excipit tamen eos pontifices, qui post adeptam temporalem ditionem in certis provinciis coeperunt esse supremi principes politici, ut sunt reges aliique principes absoluti. Utitur autem hac ratiocinatione; Principes temporales per Baptismum subjecerunt se potestati spirituali summi pontificis, ut Christi vicarii: ex hac autem subjectione non sequitur summum pontificem, non esse subjectum potestati temporali principum christianorum; ergo Bellarminus vitiose argumentatur.

Respondeo: Quod dixeram in loco citato de subjectione temporali summorum pontificum ad ethnicos imperatores, in Recognitione operum meorum ante duos annos edita mutavi: secutus enim fueram auctoritatem Alberti Pighii: sed animadverti postea, rationem ejus sententiae, non esse satis firmam. Sed nihil ad Barclajum: sive enim pontifices subjecti fuerint temporali potestati imperatorum ethnicorum, sive non fuerint, Barclaji ratiocinatio vitiosa est, et Bellarmini argumentum vitio caret. Per hoc enim quod reges per Baptismum potestati spirituali pontificis se subjecerunt, censentur etiam eidem potestati spirituali regna sua subjecisse, et politicam potestatem; ut videlicet a pontifice dirigi et corrigi vellent, si quo modo circa temporalia a via salutis deflecterent. Vana sunt autem omnia quae Barclajus subjungit de Constantino imperatore, Clodoveo et Donaldo regibus, qui per Baptismum imperio et regnis non exciderunt. Nam neque nos dicimus, reges per Baptismum regnis excidere, aut quicquam sui juris amittere; sed contra potius affirmamus, reges post Baptismum felicius, veriusque regnare. Neque enim Christi vicarius regna filiorum suorum spiritualium affectat, aut jurisdictionem illorum temporalem imminuere, aut perturbare cupit, ut aperte scripsit Innocentius III. in capite saepe citato, *Per venerabilem*, *Qui filii sint legitimi*; sed providere nititur, ut ita regnent in terris, ut regnum coeleste non amittant, et ut regna terrena regno coelesti famulentur, ut praeclare scribit s. Gregorius in lib. 2. epist. 61.

Subjungit postea Barclajus similitudinem, qua explicari aptissime, et confirmari efficacissime sententiam suam censet, haec est autem similitudo. *Si quis filius familias patre suo adhuc superstite magistratum publicum gerat: debebit patri parere in iis, quae ad res domesticas pertinent, et poterit si male se gesserit erga patrem, a patre puniri per exhaeredationem, aliasque poenas ad quae patria potestas se extendit: non tamen parere tenebitur in iis, quae ad publicam administrationem pertinent, neque poterit a patre privari magistratu, aliisve poenis coerceri, quae a publico magistratu infligi solent. Contra vero pater tenebitur filio magistratum gerenti assurgere, eique parere in rebus publicis et politicis; non autem in domesticis: et poterit in patrem animadvertere, atque in eum lege agere, ut in alios homines privatos, si contra publicas leges aliquid forte peccaverit. Sic igitur pontifex, qui pater est omnium christianorum, etiam regum et principum, poterit regibus imperare in iis, quae ad res domesticas, idest, ecclesiasticas pertinent, eosque punire poena gravissima exhaeredationis, idest, excommunicationis: sed non poterit aliquid eis jubere circa regimen politicum, neque eos regnis privare: contra, reges poterunt pontifici imperare in iis, quae spectant ad regimen politicum, non autem in rebus ecclesiasticis et spiritualibus.*

Respondeo: Jam supra admonui, Barclajum eadem saepius repetendo librum suum augere, ut ex parvo libello, liber justae staturae efficiatur. Hanc enim similitudinem jam antea proposuerat cap. 3. eo excepto, quod eo loco patri adoptivo pontificem comparaverat, hoc loco patri simpliciter comparat: sed quod attinet ad rem praesentem, eadem similitudo est. Atque ut cap. 3. admonuimus, similitudo illa tam est inepta et puerilis, ut mirum sit, Barclajum ipsum non animadvertisse vitia similitudinis a se allatae. Nam potestas publici magistratus major est potestate patria civium privatorum; et potest eam dirigere et corrigere, et, si justitia postulet,

potest patrem patria potestate privare: contra vero: Pater, cum civis privatus sit, non potest magistratum publicum dirigere, vel corrigere, multo minus illum potestatem privare. Potestas autem summi pontificis, patria quidem potestas est; sed haud similis potestati patriae civium privatorum; sed potestati Dei, cujus pontifex vices gerit in terris; proinde potestas est supernaturalis, spiritualis, publica, et omni potestate politica, atque humana longe sublimior. Itaque duo sunt in hac similitudine peccata Barclaji: unum quod potestatem politicam magistratus, et potestatem civium privatorum pares facit; cum tamen prior, ut superior, posterior ut inferiori subjiciatur: alterum, quod potestatem pontificiam similem fecerit potestati patriae humanae et privatae; cum sit potestas publica et divina, qua neque major, neque par in terris inveniri potest. Vide quae diximus de hac re cap. 3.

Addit postremo Barclajus testimonium Nicolai cardinalis de Cusa, qui in lib. 3. de Concordia catholica cap. 3. scribit, fuisse in antiqua quadam glossa ad canonem Hadrianus, dist. 63. *Papam esse patrem patricii in spiritualibus, et patricium esse patrem papae in temporalibus*, et cap. 4. scribit, *non esse in manu romani pontificis dare cuicumque provinciae per mundum regem, vel imperatorem, ipsa non consentiente.*

Ad primum testimonium jam supra respondi: Glossam illam antiquam merito fuisse antiquatam, et explosam. Ad secundum, respondeo: Pontificem romanum posse, praesertim in casu haeresis, imperatores ac reges excommunicare, atque deponere, eorumque subditos ab obedientia liberare: quis autem in locum ipsorum succedere debeat, liberum relinquere illis ad quos de jure pertinet. Itaque non obtrudit imperatores aut reges pro arbitrio populis invitis, neque jura haereditariae successionis, aut electionis tollit; atque hoc est solum, quod cardinalis ille requirit.

CAPUT XVII.

Defenditur secunda ratio pro potestate summi pontificis in temporalibus.

In capite septimodecimo Barclajus digressionibus expeditis, redit ad examinandas et refellendas Bellarmini rationes: et quoniam de prima ratione satis multa dicta sunt de cap. 14. aggreditur nunc secundam, quam fideliter transcripsit in haec verba.

Secunda ratio: Inquit, est: Respublica ecclesiastica debet esse perfecta, et sibi sufficiens in ordine ad finem suum: tales enim sunt omnes respublicae bene institutae: ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum: sed necessaria est ad finem spiritualem potestas utendi et disponendi de temporalibus rebus; quia alioquin possent mali principes impune fovere haereticos, evertere religionem; igitur, et hanc potestatem habet. Item potest quaelibet respub. quia perfecta, et sibi sufficiens esse debet, imperare alteri reipub. non sibi subjectae, et eam cogere ad mutandam administrationem, immo etiam deponere ejus principem, et alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab ejus injuriis: ergo multo magis poterit spiritualis respub. imperare temporali reipub. sibi subjectae, et cogere ad mutandam administrationem et deponere principes, atque alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.

Hanc rationem satis fideliter allatam ex duplici capite Barclajus reprehendit. Primum enim negat duas esse respublicas in Ecclesia, unam ecclesiasticorum, alteram laicorum, sive, unam spiritualem, alteram temporalem; unam sacram, alteram politicam: et probat ex prima mea ratione; in qua dixi, potestatem politicam et spiritualem esse partes ejusdem reipub. christianae, et clericos et laicos non facere in Ecclesia duas respub. sed unam.

Deinde negat, potestatem disponendi de rebus temporalibus necessariam esse ad finem spiritualem, quod ex eo probat, quod apostolus Petrus indicat Act. 5. se non habuisse potestatem disponendi de bonis temporalibus Ananiae, cui dixit, *Nonne manens tibi manebat, et venundatum erat in tua potestate?*

Ad primum caput facillima responsio est. Respublica enim spiritualis, sive ecclesiastica, et respublica temporalis, sive politica, et duae sunt et una: duae partiales, una totalis: quemadmodum spiritus, et caro simul juncta unum hominem faciunt, immo unus homo sunt, ut sanctus Athanasius in symbolo fidei loquitur: et colligitur ex 2. Geneseos, ubi legimus, *Formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem:* et tamen ita distinctae sunt potentiis et legibus et motibus, ut Apostolus ad Rom. 7. dicat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae:* et ad Gal. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem*; et quod magis est admirandum, 2. Corinth. 4. vocatur spiritus, homo interior, et caro homo exterior, cum dicitur: *Licet is, qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem*, et Rom. 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Itaque spiritus et caro sunt unus homo, et duo homines: neque Spiritus sanctus, qui utrumque dicit, sibi ipse contradicit: quare nec Bellarminus secum pugnat, cum rempublicam ecclesiasticam et politicam in Ecclesia nunc considerat, ut partes unius reipublicae christianae, nunc ut duas respublicas inter se distinctas: nam simillimam esse rempublicam ecclesiasticam spiritui, et politicam carni, non Bellarminus solus, aut primus docuit; sed ante eum Thomas Valdensis, et ante Valdensem s. Thomas, et ante s. Thomam, Alexander Alensis, et ante Alensem, Hugo de s. Victore, et ante Hugonem, s. Gregorius nazianzenus, ut supra non semel admonuimus.

Ad secundum caput Respondeo: Verba s. Petri ad Ananiam, non significare, non fuisse in apostolorum principe potestatem disponendi de rebus temporalibus Ananiae, si ea necessaria fuissent ad finem spiritualem: sed indicare solum, non usum fuisse s. Petrum ea potestate, neque uti voluisse, cum necessitas nulla esset: et certe si argumentum

Barclaji aliquid valeret, efficeret etiam, nullum regem posse disponere de bonis temporalibus subditorum suorum, in casu quo necessaria essent ad rempublicam conservandam. Omnis enim rex dicere potest subditis suis: Ager tuus nonne tibi manebat, et venundatus in tua erat potestate? quis te illum reipub. donare coëgit?et si donasse integrum profiteris, cur parte retenta integrum te donasse mentiris? Itaque quemadmodum jus, quod habent reges disponendi de rebus temporalibus civium, non est, ut pro arbitrio spolient cives dominio rerum suarum; sed ut possint cives cogere ad bona sua exponenda pro communi bono conservando:sic etiam potestas apostoli Petri in bona temporalia christianorum, non erat (ut Barclajus dicere nos fingit) ut posset Apostolus sine ulla caussa privare dominio rerum suarum omnes christianos, neque eis aliquid proprium relinquere: sed tantum ut posset providere,ne christiani bonis temporalibus abuterentur contra legem Dei; et contra , ut eis recte uterentur ad vitam aeternam consequendam. Habuisse autem apostolos potestatem aliquam disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia , vel ex eo constat, quod statuerunt, ut populi christiani praedicatores evangelii ex facultatibus suis alerent, idque juxta ordinationem Domini, ut patet ex Apostolo in priore ad Corinth. cap. 9.

At, inquit Barclajus, *primis trecentis annis non fuit in Ecclesia potestas disponendi de rebus temporalibus christianorum, invitis Dominis; ergo vel respublica christiana tunc fuit imperfecta, vel non est necessaria ista potestas ad finem spiritualem consequendum.* Atque hic multa verba Barclajus frustra profundit, ut ostendat, ad providentiam Dei pertinuisse, ut Ecclesia illa prima instructa esset omnibus iis rebus, quae ad ejus conservationem necessaria essent.

Respondeo: Ecclesia illa prima instructa fuit omni potestate, atque omnibus praesidiis, quae ad perfectam remp. constituendam necessaria erant: primis autem trecentis annis non fuerunt in Ecclesia multi principes politici: fuerunt tamen aliqui, ut Philippus imperator, et rex Lucius, ac rex Donaldus. Sed fingamus, nullos fuisse: non ideo defuit Ecclesiae potestas disponendi de bonis temporalibus principum, et dirigendi potestatem eorum politicam, quando illi Ecclesiae membra, vel filii effici vellent. Praeterea, ut paulo ante dixi, in ipso principio Ecclesiae, quamquam nulli fuerint principes christiani, apostolis ipsis Ecclesiam regentibus; fuerunt tamen multi homines divites, de quorum divitiis apostoli disposuerunt, statuentes ut ex iis ministros evangelii sustentarent.

Adducit postea Barclajus verba s. Bernardi, ex lib. 4. de Consider. cap. 3. *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris: absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, si amas me, pasce oves meas: in his successisti non Petro, sed Constantino*, haec Bernardus: quibus subjungit Barclajus: *Quamvis itaque potestas temporalis, de qua nobis sermo hominibus videri potuerit Ecclesiae necessaria; Deo tamen neque necessaria, neque utilis visa est.*

Respondeo: Posset hoc loco Barclajo dici, quod in libro Job cap. 38. Deus ipse dicit: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Sanctus Bernardus scribit : Apostolum Petrum pauperem fuisse divitiarum hujus mundi, et potuisse sine auro et argento proprio, sine equo albo et sine satellitibus implere salutare mandatum pascendi oves: non tamen s. Bernardus dicit, non fuisse in apostolo Petro potestatem disponendi de temporalibus bonis christianorum, et de ipsis regnis et imperiis, si necessitas spiritualis id requireret; immo contrarium dicit,cum pontifici,qua pontifex est, et Christi vicarius ac Petri successor, applicat illa verba Hierem. 1. *Ecce constitui te super gentes, et super regna, ut evellas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes*: non enim pugnat paupertas propria cum potestate disponendi de divitiis, et judicandi reges et principes terrae. Sic enim praelati ordinum religiosorum, cum sint ipsi voto paupertatis obstricti, potestatem habent de opibus amplissimis sui ordinis disponendi. Et apud veteres Romanos multi cives inopes, ut Fabricius, Curius, Cincinnatus et alii consules vel dictatores effecti, disponebant de regnis et regum opibus, cum ipsi tamen in pristina sua egestate remanerent. Ergo non debuit Barclajus divitias cum potestate confundere;quasi non possit idem homo et pauper esse pecuniis, et dives potestate. Deinde s. Bernardus dicit, pontificem in divitiis, et temporali principatu non successisse Petro, sed Constantino:quid inde colligit Barclajus? potuisse pontificem sine temporali principatu fungi munere apostolico, Quid tum?non enim quaestio nostra est de principatu temporali summi pontificis, sed de potestate spirituali et apostolica, quam nos dicimus extendi ad disponendum de rebus temporalibus, et de ipsis regnis et imperiis in ordine ad finem spiritualem. Barclajus autem ut hoc refellat, disputationem transfert ad principatum temporalem, quo Apostolus actu caruit, ut omnia confundendo et permiscendo aliquid dixisse videatur. Denique Barclajus, quasi raptus ad tertium coelum in consilio Dei fuerit, absolute pronunciat, Deo neque necessariam, neque utilem Ecclesiae visam esse potestatem temporalem, de qua nobis sermo. Ego vero a Barclajo quaero, de qua potestate temporali loqueris? Nam si de potestate illa loqueris, quae in se spiritualis cum sit, extenditur ad temporalia, non obscure Deo falsum imponis. Illam enim potestatem Deus ecclesiastico principi necessariam esse duxit, ideoque eam illi tribuit, cum ait: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Sic enim ista verba intelligi debere docuerunt concilia generalia,quae supra citavimus;quaeque verissime dicere poterant: Visum est Spiritui sancto et nobis. Sin autem loqueris de potestate temporalis principatus, quem Ecclesia nunc possidet, et ante annos octingentos possedit:omnino temere affirmas hanc potestatem Ecclesiae, neque necessariam, neque utilem Deo esse visam.Nam (ut alia nunc omittam) si Deo visum esset, non esse utilem Ecclesiae

nunc principatum, certe summi pontifices Zacharias, Hadrianus, Nicolaus primus, et secundus, Leo ertius, et quartus, et nonus, et alii, qui communi omnium scriptorum sententia optimi; et sanctissimi, et Deo gratissimi fuerunt, eum principatum non retinuissent, et multo minus pro eo conservando decertassent. Utrum autem de judicio divino magis credendum sit tot sanctis pontificibus, quam uni Barclajo, in dubium certe revocari non potest.

At rursus instat Barclajus, et argumentum in nos retorquet his verbis: *Omitto quod si ratio illorum bona esset, sequeretur e contrario, rempub. temporalem habere potestatem disponendi de rebus spiritualibus, et deponendi supremum reipublicae ecclesiasticae principem, quia debet esse perfecta, et sibi sufficiens in ordine ad finem suum, et habere omnem potestatem necessariam ad finem consequendum. Sed necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de rebus spiritualibus, et deponendi principem ecclesiasticum, quia alioqui possent mali principes ecclesiastici turbare statum et quietem reip. temporalis, et impedire finem civilis gubernationis, ut de facto aliquando nonnulli summi pontifices perturbarunt. Igitur hanc potestatem habet respublica temporalis. Consequens plane falsum est, et absurdum (nam princeps temporalis quatenus talis est, nullam habet potestatem spiritualem) proinde, et illud quoque falsum est, cui hoc est consequens.*

Respondeo: Tantum interest inter argumentum quod nos fecimus, et illud quod nunc Barclajus retorquendo facit, quantum distat verum a falso, et bonum a malo: illa enim propositio nostra, Necessaria est ad finem spiritualem potestas disponendi de rebus temporalibus, verissima est, quoniam temporalia ordinantur ad spiritualia, et bona est consecutio, ergo respub. spiritualis potest disponere de temporalibus in ordine ad spiritualia, quoniam qui potest consequi finem, potest etiam ordinare media ad illum finem. At propositio Barclaji, Necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de spiritualibus, falsa est, quoniam spiritualia non ordinantur ad temporalia, et potestas ordinandi spiritualia ad temporalia non est vera potestas, sed abusio potestatis et perversio ordinis: fieri autem non potest, ut alicui reipub. sit necessaria abusio potestatis, vel ordinis perversio: et cum necessaria non sit ad finem temporalem consequendum potestas disponendi de rebus spiritualibus; non potest bona esse consecutio, ergo respub. temporalis potest disponere de spiritualibus in ordine ad temporalia. Hoc totum facile potest intelligi ex similitudine jam saepius repetita, spiritus et carnis in homine: potest enim spiritus disponere de sensibus et membris corporis in ordine ad vitam aeternam, indicendo illis continentiam, abstinentiam, flagella, jejunia, vigilias, labores; et quod maximum est, jubendo carni, ut mortem patiatur pro confessione fidei: non tamen potest caro disponere de intelligentia et voluntate, neque prohibere actiones orandi et laudandi Deum, et multo minus potest spiritui jubere, ut mortem spiritualem, atque aeternam patiatur, pro quocumque temporali bono: quod si forte spiritus indiscretis laboribus mentis, ut nimis orando vel meditando laedat corporis sanitatem, peccabit quidem spiritus, sed non ideo poterit caro in spiritum imperium sumere; sed gemendo et fatiscendo faciet, ut spiritus remittat aliquid de nimio fervore suo. Sic etiam si forte princeps spiritualis abutatur potestate sua injuste excommunicando temporalem principem, vel ejus subditos sine justa caussa ab obedientia ejus absolvendo, et eo modo perturbet statum reipub. temporalis peccabit princeps spiritualis; sed non poterit tamen princeps temporalis judicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem principem judicare, et multo minus de sede sua spirituali deponere. Animadvertit Barclajus infirmitatem argumenti sui; propterea revertitur ad priorem solutionem, dicens:

Sed, ut dici solet, dare absurdum non est solvere argumentum. Respondeo igitur aliter ad priorem partem hujus secundae rationis, non esse scilicet hic duas resp. ut ille retur, sed unam tantum, in qua sunt duae potestates, sive duo magistratus ecclesiasticus et politicus, quorum uterque habet ea, quibus necessario indiget ad suum finem obtinendum, alter nempe spiritualem, alter temporalem jurisdictionem: et neque hanc jurisdictionem illi potestati, neque illam huic esse necessariam, alioqui fatendum esset, utramque potestatem mediis necessariis fuisse destitutam tunc, cum separatae, ut olim fuerunt.

Respondeo: Haec non est alia solutio, sed prior repetita; quam solutionem refutavi paulo ante, cum ostendi, rempub. ecclesiasticam et politicam, posse dici duas et unam; quoniam distinctae sunt et separatae inveniri possunt; tamen cum in unum corpus Ecclesiae conveniunt, ita una subordinatur alteri, ut sint duae partiales et una totalis. Neque sequitur, ut quo tempore separatae erant initio nascentis Ecclesiae, mediis necessarius fuerint destitutae: nam resp. politica non poterat aliquid detrimenti timere a potestate spirituali, cum non esset capax censurarum ecclesiasticarum, quae in solos christianos vim habent: et resp. spiritualis habebat potestatem disponendi actu de rebus temporalibus eorum, qui ad ipsam accesserant, et in potentia eorum, qui accessuri erant. Denique non est verum, potestatem spiritualem et politicam esse similes duobus magistratibus, quorum neuter indiget jurisdictione alterius. Nam duo magistratus pendent a rege, cujus potestas supereminet utrique magistratui, et potest operam dare, ut neuter alterum impediat: at spiritualis et politica potestas, non habent unam tertiam potestatem in Ecclesia, cui subordinentur, et quae utramque in officio contineat. Quare necesse est, ut una subordinetur alteri inferior videlicet superiori, temporalis spirituali. Atque ex hac responsione soluta manent omnia, quae usque ad finem capitis Barclajus disputat de officio cancellarii et comestabuli amplissimorum magistratuum, quibus rex solus imperat. Quod autem Barclajus addit, principem spiritualem et politicum uni Deo subesse, quemadmodum cancellarius et comestabulus subsunt regi: salva fide catholica admitti non potest. Ecclesia siquidem, quae regnum Christi est, non solum Christum pro Domino,

et rege suo agnoscit, sed etiam ex Scripturis sanctis, et traditione apostolica, et declaratione generalium conciliorum, et communi Patrum et doctorum consensu novit, unicum esse in terris Christi vicarium generalem, qui caput sit visibile visibilis Ecclesiae. Hunc autem Christi vicarium, romanum esse pontificem in toto suo libro Barclajus admittit: proinde (si catholicus dici velit) admittere etiam debet, pontificem et regem, non esse duos magistratus immediate sub Christo: sed regem Christo et pontifici, pontificem soli Christi subjectum esse debere.

CAPUT XVIII.

Defenditur secunda pars rationis secundae pro potestate summi pontificis in temporalibus.

In cap. 18. Barclajus refutare nititur secundam partem secundae rationis, quae initio capitis superioris proposita fuit. Argumenti summa haec est: Potest una respublica, si ab alia republica injuriam accipiat, et per ejus malam administrationem perturbetur ac vexetur; armis cogere rempub. illam, quamvis alia non sibi subjectam, ut mutet formam administrationis suae; et, si opus sit, potest ejus principem deponere: igitur majori ratione poterit respublica spiritualis, si a temporali injuriam accipiat, atque ab ea perturbetur et vexetur, imperare reipublicae temporali sibi subjectae, ut mutet formam administrationis, et, si opus sit, poterit etiam principem temporalem deponere.

Ad hoc argumentum Barclajus respondet, quod jam ante responderat, non esse duas respublicas, spiritualem et temporalem, sed unam cum duabus potestatibus, quarum neutra pendet ab altera. Sed quoniam hanc solutionem videbat non esse solidam: admittit coetum ecclesiasticorum, quorum princeps est papa, et coetum laicorum, quorum princeps est rex, posse dici duas respublicos intra ejusdem Ecclesiae sinum constitutas: et hoc admisso respondet. Priorem rempublicam, idest, ecclesiasticorum, non habere arma nisi spiritualia; posteriorem, laicorum, non habere arma nisi corporalia, et ideo non esse similes duabus rebuspublicis, quae armis corporalibus se defendunt, et una alteram cogit et subjicit.

Sed haec solutio non est priore solidior, quamvis enim arma reipublicae spiritualis, quibus ipsa per se utitur, sint spiritualia; tamen arma corporalia sunt etiam in ejus potestate, quia gladius est sub gladio; et potest Ecclesia invocare brachium saeculare, et per illud uti gladio corporali. Sed praeterea arma ipsa spiritualia possunt cogere remp. temporalem, et ejus principem, quia potest princeps spiritualis excommunicare principem temporalem, et ejus subditos a subjectione liberare, et ipsis sub excommunicationis poena mandare, ut principem excommunicatum pro principe non agnoscant, sed alium sibi eligant, vel legitimo successori adhaereant.

Addit postremo Barclajus, *Quid multis? licet illis suam comparationem, conclusionemque concedamus, nihil inde effici potest, nisi papam habere talem potestatem disponendi de rebus temporalibus christianorum, et eorum principes deponendi, qualem vel rex Franciae in Anglos, Hispanos, aliosve populos vicinos sibi injurios, vel horum singuli, in res, regesque Francorum ipsis infestos habere dignoscuntur: quae qualis, quantaque sit, ferro tantum cerni potest.*

Respondeo: Comparatio et ratiocinatio, qua nos usi sumus in comprobanda pontificis potestate, non procedit a simili, sed a majori, hoc enim est quod diximus, si potest ratione solius injuriae una respublica, aliam non sibi subjectam cogere, et ejus principem deponere: quanto magis poterit respublica spiritualis cogere temporalem sibi subjectam, ejusque principem deponere, si ab illa tale detrimentum accipiat, ut non possit alia ratione sibi prospicere, nisi principem illum removendo, atque alium substituendo? Itaque non est similis potestas, quam habet resp. spiritualis in temporalem, potestati Francorum in Anglos, vel Anglorum in Francos: sed potestati, quam habet spiritus in carnem sibi conjunctam, vel caput in membra sibi adhaerentia.

CAPUT XIX.

De sententia s. Bernardi circa potestatem pontificis maximi in temporalibus.

In cap. 19. Barclajus respondere nititur ad testimonium s. Bernardi ex lib. 4. de Consid. cap. 4. quod testimonium ad confirmandam rationem meam secundam ego adduxeram. Id quoniam s. Bernardus loco notato scribit: *Gladium materialem exerendum esse manu militis, ad jussum imperatoris, sed ad nutum summi sacerdotis*: Barclajus affirmat, per nutum non debere intelligi imperium, vel potestatem, sed assensum: felicius enim bella geruntur, cum ad potestatem regum accedit assensus sacerdotum, quorum est judicare, an bellum sit justum, vel injustum. Probat autem per nutum non intelligi potestatem, quoniam si forte imperator pontifice dissentiente bellum gerere velit, sanctus Bernardus non tribuit pontifici potestatem ullam in imperatorem, immo aperte docet, nullam ei potestatem competere, cum dicat materialem gladium ab Ecclesia exerceri non posse, sed tantum manu militis et jussu imperatoris: et confirmat hanc sententiam suam testimonio Gratiani, 23. qu. 8. in principio, qui scribit, *Pontificibus interdictum esse gladium materialem, et solum spiritualem esse concessum.*

Respondeo: Vox illa, nutus, significare potest assensum, praesertim quando alicui petenti aliquid, annuendo respondemus: sed quando nutus praecedit alias caussas, imperium significare solet, vel potius imperium ita potens et efficax, ut sine alio expresso mandato solus nutus ad rem efficiendam sit satis: sic accipitur Genes. 42. ubi dicitur: *Et Joseph erat princeps in terra Aegypti, et ad nutum ejus frumenta populis vendebantur*, et clarius lib. 2. Reg. cap. 17. *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel utile*, ubi ridiculum esset, per nutum intelligere assensum, cum Scriptura loquatur de nutu Dei, qui solus potest corda regum

vertere quocumque voluerit, et 2. Machab. 8. eadem Scriptura de Deo dicit, *Potest universum mundum uno nutu delere*, et Job.26. *Columnae coeli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus:* cui simile est illud poëtae :

Annuit et totum nutu tremefecit Olympum.

Quod autem hoc loco per nutum intelligat s.Bernardus imperium, et non simplicem assensum, perspicuum est ex eo quod primo loco inter caussas efficientes ponit nutum pontificis, deinde jussum imperatoris,ultimo executionem militis;proinde quemadmodum miles ex sententia s. Bernardi exequitur jussum imperatoris, ita imperator movetur ad jubendum militi ex nutu, idest, jussu pontificis. Deinde si nutus ille pontificis esset simplex assensus, non diceret s. Bernardus utrumque gladium esse pontificis; sed unum esse pontificis, alterum imperatoris. Cum ergo dicit, *Uterque tuus est ; sed non uterque tua manu exerendus;* manifeste docet utrumque esse in potestate pontificis; sed unum ab ipso immediate, alterum mediate, idest, per alium, sed nutu sive jussu ipsius exerendum.

Sed quid si imperator (inquit Barclajus) *nolit ad nutum sacerdotis gladium stringere? immo quid si plane contra nutum sacerdotis strinxerit? numquid aliquam s. Bernardus hoc casu potestatem temporalem sacerdoti tribuit in imperatorem?*

Respondeo:Si nolit imperator ad nutum sacerdotis gladium stringere, vel si contra nutum ejus strinxerit, et res sit ad bonum spirituale necessaria, coget illum pontifex gladio spirituali, idest, censuris ecclesiasticis, gladium materialem stringere, aut in vaginam recondere: et si censuris non movebitur, et Ecclesiae necessitas id requirat, liberabit subditos ejus ab obedientia,eique imperium abrogabit. Ita ostendet gladium esse sub gladio, et utrumque gladium ad potestatem Ecclesiae pertinere, quamvis non eodem modo.

At, inquit Barclajus, *sanctus Bernardus nullam temporalem potestatem pontifici competere posse docet, cum dicat, materialem gladium (quo verbo summa potestas temporalis significatur) ab Ecclesia exerceri non posse; sed tantum manu militis, et jussu imperatoris: quod idem apertius tradit Gratianus Bernardi fere coaetaneus, 23. quaest. 8. in principio.*

Respondeo: Sanctus Bernardus solum docet gladium materialem non esse exerendum manu sacerdotali, quod nos libenter fatemur; sed non negat, immo potius affirmat, gladium materialem subesse gladio spirituali; et nutu pontificis exerendum, vel in vaginam esse condendum. Gratianus quoque nihil aliud docet, nisi non licere clericis materiali gladio uti, et homines interficere, quod multis canonibus pontificum et conciliorum confirmat,quae vera sunt; sed non potest inde colligi, non habere pontificem potestatem ullam in temporalibus.

Adducit postea Barclajus verba sancti Ambrosii ex lib. 10. Commentariorum in Lucam, ubi haec leguntur: *Lex ferire non vetat: et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicit Christus, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege aequitatis eruditio,in evangelio bonitatis perfectio.* Ex quo loco colligit Barclajus, materialem gladium sacerdotibus, usque ad evangelium fuisse concessum.

Respondeo: Non negamus, ut paulo ante diximus, sacerdotibus post evangelium, non licere propria manu gladium materialem stringere: nisi forte in defensionem propriam, aut ob aliam caussam dispensante pontifice: usus enim ordinarius materialis gladii militum est, non sacerdotum. Nec tamen eo loco sanctus Ambrosius de solis sacerdotibus: sed de christianis omnibus loquitur: et ideo Erasmus hoc loco abusus est ad probandum prohibitum esse bellum christianis. Caeterum s. Ambrosius, neque Erasmo, neque Barclajo favet: docet enim in lege fuisse licitam non solum defensionem, sed etiam vindictam, in evangelio defensionem licitam esse; non vindictam: haec enim sunt ejus verba: *O Domine cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria, et videar potuisse vindicari; sed noluisse. Lex tamen referire* (sic enim legendum est, non ferire, ut Barclajus citavit) *non vetat; et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicit, quasi licuerit usque ad evangelium, ut sit in lege aequitatis eruditio, in evangelio bonitatis perfectio*, haec ille, qui non defensionem in evangelio prohiberi dicit, sed vindictam: et referire, non ferire vetitum. Cum autem s. Ambrosius dicit: *Lex referire non vetat*, respicere videtur ad illa verba Domini Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente;ego autem dico vobis non resistere malo etc.* Ubi non significatur, licitam fuisse vindictam antiquis auctoritate propria; sed auctoritate magistratus publici, eamque non vindictae cupiditate;sed amore justitiae: quod idem christianis licet. Sed magister bonus hortatur suos ad vitae perfectionem, ut Ambrosius dicit; *Quae perfectio in eo consistit, ut radices contentionum extirpent, et supportantes invicem in charitate non dent occasiones gravioribus malis, ut vulneribus et caedibus, ob quae necesse sit, ut publici magistratus vindictam de malefactoribus sumant.*

Addit rursus Barclajus, verba evangelii de duobus gladiis in sensu literali non significare duas potestates, ecclesiasticam et politicam: sed ideo nos non facimus argumentum ex verbis evangelii; sed ex verbis s. Bernardi, et Bonifacii VIII. qui mystice evangelii verba exponentes per duos gladios duas potestates intelligi docuerunt. Sanctus enim Bernardus, quem Bonifacius secutus est, duo loca evangelii simul junxit, unum ex cap. 18. Joannis: *Mitte gladium tuum in vaginam:* alterum ex cap. 22. Lucae: *Ecce duo gladii hic*: et quidem prior locus ad literam significat, noluisse Christum a Petro defendi gladio materiali, et impediri passionem suam: ideo enim subjunxit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* posterior locus dependet a verbis superioribus, ubi Dominus dixerat: *Qui non habet, vendat tunicam, et emat gladium*, existimantes enim discipuli, Dominum

per ea verba jussisse gladios parari, dixerunt: *Ecce duo gladii hic.* Dominus autem ait, *satis est*; vel ironice: ut exponit Theophilactus, quasi diceret: Quid sunt duo gladii adversus cohortem militum armatam? Vel ut alii volunt, videns eos non intellexisse, imposuit eis silentium dicens: Satis est, satis loquuti estis, tacete de hac re. Vere enim cum dixit: Qui non habet gladium, vendat tunicam et emat eum, non jussit, ut emerent gladios; sed significavit ad eas angustias eos esse venturos, in qua sunt, qui existimant, bonum esse vendere tunicam, et emere gladium. Denique cum apostoli non emerint gladios venditis tunicis, signum est, hoc non fuisse illis a Christo mandatum. Sed quidquid sit de expositione obscurissimi loci; s. Bernardus et pontifex Bonifacius mystice, sed apposite et eleganter, quae dicuntur de duobus gladiis ad duas potestates, ecclesiasticam et politicam transtulerunt.

Rursus Barclajus objicit, admissa hac mystica expositione, *Non potest colligi gladium esse sub gladio, vel utrumque in manu pontificis esse. Sanctus enim Bernardus hoc non dicit, Nec potuit sine calumnia dicere.*

Respondeo: Gladium esse sub gladio, Bonifacius aperte dicit: Sanctus autem Bernardus idem dicit, Sed aliis verbis: nam cum affirmat utrumque gladium ad pontificem pertinere, immo utrumque ipsius esse, et unum manu ejus, alterum nutu ejus evaginandum, satis ostendit, unum esse sub alio, materialem videlicet sub spirituali, et utrumque esse in manu, idest, in potestate pontificis.

Ad extremum Barclajus gloriatur se subtiliter aliquid in verbis s. Bernardi notasse, quod nescit an ullus alius antea animadverterit; cur videlicet s. Bernardus dixerit: Tuo forsitan nutu, et si non tua manu evaginandus: ac paulo post eadem repetens omiserit illud, forsitan. Scribit ergo Barclajus: *Distinguendum esse inter pontificem, ut pontifex est, et ut talis homo est. Pontifex enim, ut pontifex, non absolute, sed forsitan annuit, ut gladius evaginetur, idest, tunc solum, cum id Ecclesiae utile est, cum sano et sobrio consilio id judicaverit expedire. Pontifex autem, ut talis homo est, inimicitias cum alio gerens, vel ambitiosam dominandi cupiditatem explere cupiens, absolute gladium evaginari mandat.*

Sed istam subtilitatem demonstravit Barclajo non acumen ingenii, neque studium Scripturarum; sed odium in pontifices; certe ea subtilitas s. Bernardo numquam venisset in mentem: neque enim, forsitan, opponitur, absolute; neque accipi potest pro, aliquando, vel pro, quando vere expedit; nisi apud eum, qui perversus ipse cum sit, vocabula quoque ipsa pervertit. Cur ergo initio dixit, forsitan, postea, repetens omisit? responsio est in promptu: quia initio non posuerat nisi duo quaedam, videlicet nutum et executionem: et quoniam dubitavit, an deceret pontificem annuere militi, ut gladium vibraret: ideo dixit: Tuo forsitan nutu, non tua manu evaginandus: postea vero tria posuit, nutum pontificis, jussum imperatoris et executionem militis, et quia dubium esse non poterat, an deceret pontificem annuere imperatori, ut ejus jussu miles gladio uteretur, omisit, forsitan, et substituit sane: ac de sententia s. Bernardi satis multa dicta sunt.

CAPUT XX.

Defenditur tertia ratio Bellarmini.

In capite vigesimo aggreditur Barclajus tertiam rationem principalem Bellarmini, pro confirmanda potestate summi pontificis in temporalibus, executere atque refellere. Ratio haec erat: Non licet Christianis tolerare regem infidelem aut haereticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam haeresim vel infidelitatem: at judicare, an rex pertrahat ad haeresim, nec ne, pertinet ad pontificem, cui est commissa cura religionis: ergo pontificis est judicare, regem esse deponendum vel non deponendum. Hujus rationis propositionem tribus argumentis confirmavi; sed Barclajus eamdem refellit his verbis.

Quod non liceat christianis tolerare regem haereticum vel infidelem, id adeo falsum est, quam quod falsissimum; alioqui damnanda tota antiquitas, quae reges haereticos et infideles Ecclesiam Dei destruere conantes submisse pertulit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, hoc est, non quod deficerentur viribus ad impios principes exigendos; sed quod id sibi per Dei legem non licere judicarent.

Respondeo: Ubi veritas quaeritur inter cordatos et serios disputatores, non vincit ille, qui majore exageratione sententiam suam affirmat; sed qui fortioribus argumentis eam confirmat. Barclajus dicit quidem: Propositionem argumenti mei, tam esse falsam, quam id quod falsissimum est; sed quod dicit non probat nisi ex eo, quod antiquitas tota reges haereticos vel infideles Ecclesiam destruere conantes pertulit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. At hoc ipsum probare debuisset, videlicet reges haereticos vel infideles Ecclesiam destruere conantes non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam toleratos ab antiquitate fuisse. Nos enim contra dicimus, eos fuisse toleratos propterea, quod ad eos dejiciendos vires Ecclesiae non suppetebant: potuisse autem Ecclesiam, si vires adfuissent, immo etiam debuisse regibus illis imperium super fideles abrogare, nisi caussa aliqua esset, cur haec abrogatio in tempus commodius differenda videretur probamus hoc argumento, quod est prima confirmatio propositionis meae. Prohibiti sunt Judaei constituere super se regem non Judaeum, Deuteron. 17. et quia lex illa moralis est, eodem jure prohibentur christiani constituere super se regem non christianum, ne ab illo pertrahantur ad infidelitatem: at ejusdem periculi et damni est tolerare super se regem haereticum vel infidelem conantem avertere populum a fide: ergo, si vires adsint, tenentur eum non tolerare, sed deponere.

Ad hoc argumentum ita respondet Barclajus, ut admissa propositione et assumptione, quas negare non potuit, solam neget consecutionem: dicit enim non recte colligi ex paritate periculi et damni ita jus esse populo regem dejicere, quemadmodum jus

illi fuit cum non admittere. Id autem non recte colligi probat tribus argumentis ductis a simili: *Nam qui plagas accipit, aut fortunis spoliatur, idem periculum et damnum accipit, sive id a latrone per vim, sive a judice per iniquam sententiam patiatur: et tamen latroni armis resistere potest, judici non potest. Rursus, ejusdem periculi et damni est in navim cogitato conscendere, cujus carinam scis esse quassatam, et illud intrare, quod putas esse bonum, cum revera rimosum ac dissolutum sit: et tamen non est ejusdem peccati ex industria, et ex ignoratione periculo naufragii se committere. Denique ejusdem periculi et damni est, uxorem ducere valde morosam et rixosam sive id consulto propter fortunas, aut formam; sive ex errore et imprudentia fiat: et tamen neque par peccatum est, ejusmodi matrimonio studiose vel ignoranter implicari: neque licitum est uxorem repudiare, etiam si licitum fuit eam initio non ducere.*

Ad haec argumenta respondeo: Ea non à simili, sed a dissimili duci, ac per hoc non impedire, quo minus consecutio rationis meae optima sit. Primum argumentum non ducitur a simili; quoniam populus ad quem pertinet regem eligere, non solum potest, sed debet regem eligere de fratribus suis, ut lex jubet, idest, christianum atque catholicum, et gravissime peccat, si secus fecerit: qui autem incidit in latrones, potest, si velit, vim vi repellere; sed potest etiam injuriam illam aequo animo tolerare, et magis apud Deum meretur, si malit injuste a latrone occidi, quam juste se defendendo latronem occidere.

Alterum exemplum de ascendente navim rimosam, cum periculo naufragii faciendi, nullam habet cum re, de qua nos agimus, similitudinem: non enim ignoramus non esse idem peccatum, si quis ex industria, vel ex imprudentia eidem periculo se exponat: sed quod dicimus est, idem esse peccatum consulto eligere regem haereticum, et consulto tolerare regem haereticum, si is conetur populum a veritate fidei avocare, et ad eum removendum vires non desint: nam sicut numquam licet adire periculum salutis aeternae amittendae, ita numquam licet perseverare in simili periculo, modo possit illud vitari: qui enim amat periculum, in illo peribit, Eccles. 3. Tertium exemplum de uxore rixosa, non est etiam multum ad rem, tum quia ut modo diximus disputamus de eo, qui studiose adit periculum, et studiose in periculo perseverat: Adversarius autem ponit exemplum de eo, qui per ignorantiam, aut imprudentiam ducit uxorem rixosam, et de altero, qui sciens et prudens id facit. Deinde qui ducit uxorem more christiano, sive prudens, sive imprudens id faciat, non potest post matrimonium consummatum ulla ratione ab eo vinculo solvi: quod enim Deus conjunxit, non potest homo separare; populus autem, qui regem eligit, potest per pontificiam auctoritatem ab ejus obedientia et juramento fidelitatis liberari. Itaque si exemplum aptum, et simile per omnia Barclajus a matrimonio ducere velit, accipiat matrimonium fidelis cum infideli: quemadmodum enim non licet fideli uxorem ducere infidelem, quoniam periculum est, ne illum à fide avertat: sic etiam non licet cum uxore infideli perseverare, non solum quia matrimonium illud non est legitimum, sed quia idem est periculum uxorem infidelem ducere, et cum infideli perseverare. Nam etiam si matrimonium legitimum esset, ut est matrimonium infidelis cum infideli: tamen si alter conjugium convertatur ad fidem; et altera nolit sine injuria Creatoris viro cohabitare, potest matrimonium rite contractum rite dissolvi, ex Apostolo in priore ad Cor. c. 7. et usus Ecclesiae nunc habet, ut propter ingens periculum fidei, non solum liceat ejusmodi conjugium solvi, sed etiam non liceat viro ad fidem converso cum infideli conjuge cohabitare.

CAPUT XXI.

Defenditur confirmatio rationis tertiae principalis.

In capite vigesimoprimo Barclajus magno studio, nec minore dicendi vi refutare conatur alteram confirmationem rationis meae tertiae principalis. Confirmatio haec erat. Quod si christiani olim non deposuerunt Neronem et Diocletianum et Julianum apostatam, ac Valentem Arianum, et similes: id fuit, quia deerant vires temporales christiani, nam quod alioqui jure potuissent id facere, patet ex Apostolo 1. Corinth. 6. ubi jubet constitui novos judices christianis temporalium caussarum, ne cogerentur christiani caussam dicere coram judice Christi persecutore. Sicut enim novi judices constitui potuerunt, ita, et novi principes et reges, propter eamdem caussam, si vires adfuissent.

Hanc confirmationem multis modis reprehendi posse Barclajus dicit: ac primum reprehendit, quod dixerim defectionem virium in caussa fuisse, cur christiani olim non deposuerint Neronem, Diocletianum, Julianum et Valentem, ac lectorem remittit ad ea, quae supra scripsit de hac re cap. 6. 7. et 8.

Nos quoque lectorem remittimus ad ea, quae scripsimus cap. 6. 7. et 8. Id solum hoc loco admoneo, quod ego hoc loco dixi, dictum antea fuisse à s. Thoma in 2. 2. quaest. 12. art. 2. ad primum. Itaque non me solum, sed sanctum quoque Thomam Barclajus reprehendit: sed qui legere voluerit loca paulo ante notata, facile judicabit a qua parte stet veritas.

Deinde refellere nititur quod dixi, Apostolum jussisse, ut christiani constituerent sibi judices christianos civilium controversiarum; ex quo deduxi, potuisse eodem modo jubere, ut principes christianos sibi christiani populi eligerent, infidelibus et persecutoribus abrogatis, si vires ad id efficiendum praesto fuissent. Dicit autem Barclajus, judices illos de quibus Apostolus loquitur, fuisse meros arbitros, sive judices voluntarios, sine imperio; ex quorum constitutione nihil jurisdictionis detrahebatur principibus ethnicis, sub quibus tunc christiani vivebant. Atque ad hunc sensum confirmandum allegat s. Thomam et Nicolaum Liranum in commentario ad hunc locum Apostoli.

Ego vero fateor quidem, non habuisse judices illos christianos jussu Apostoli constitutos vim coa-

ctivam in foro exteriore, et si christiani vocati fuissent, sive ab ethnicis, sive a christianis ad tribunalia judicum ethnicorum, debuisse omnino parere: et hoc est solum quod s. Thomas et Liranus docent: tamen nego, eos fuisse meros arbitros, sive judices voluntarios: Arbitri enim eliguntur a personis litigantibus, neque aliam habent judicandi potestatem, nisi eam, quam litigantes ex pacto inter se inito illis attribuunt. Isti vero constituebantur auctoritate publica multitudinis; et obligabantur, qui caussas civiles habebant, ad istos adire, et prohibebantur ad tribunalia gentilium accedere. Id ex verbis Apostoli facile probari potest: *Audet*, inquit, *aliquis vestrum negotium habens adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Ubi ostendit, non esse bonum adire tribunalia judicum gentilium, quos iniquos vocat: et sicut loquitur de vero judicio, non de solo arbitrio, cum prohibet judicari apud iniquos; ita loquitur de vero judicio, cum jubet judicari apud sanctos, idest, christianos. Addit Apostolus: *An nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt? et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis saecularia?* Ubi demonstrat auctoritatem Ecclesiae, quae jure suo potest de saecularibus rebus judicare, cum sit judicatura cum Christo totum mundum, et ipsos angelos apostatas in die ultimi judicii: et certe Christus et Ecclesia non judicabunt ut arbitrii, sine imperio et jurisdictione mundum. Sequitur: Saecularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ubi concludit ex dictis, ut quoniam malum est judicari apud iniquos gentiles, et Ecclesia auctoritatem habet judicandi, communi consensu constituant aliquos de Ecclesia, qui sint judices ejusmodi saecularium controversiarum, et non dicit, unusquisque eligat sibi arbitros: sed vos congregati in unum constituite judices. Monet (inquit card. Cajetanus in hunc locum) ut sapiens aliquis constituatur judex multitudinis fratrum, adjungit: Ad verecundiam vestram dico, sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles. Ubi declarat, quod dixerat, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum; se non dixisse, ut re vera sapientibus relictis, insipientes constituerent ad judicandum: sed ut eos confunderet, qui sic adibant tribunalia infidelium, quasi nullus esset in Ecclesia vir sapiens, qui judex constitui posset; cum contra deberent contemptibiles, idest, infimi christiani aptiores esse ad judicandum, quam supremi et sapientissimi infideles. Jam vero ex hoc principio, quod videlicet Apostolo teste, habeat Ecclesia jus, et auctoritatem constituendi sibi judices; recte colligunt theologi, atque in primis s. Thomas in 2. 2. qu. 10. art. 10. habere eamdem Ecclesiam auctoritatem abrogandi principibus infidelibus imperium super fideles. Neque obstat, quod s. Joannes chrysostomus hunc locum exponens, mentionem faciat arbitri. Nam neque ipse, neque alius interpres, quod sciam, dicit Apostolum hic loqui de arbitris electis a partibus: sed solum Chrysostomus dicit, non esse necessariam magnam sapientiam arbitro controversiae inter fratres. Ubi vocat judicem, arbitrum controversiae, quamvis publicam haberet judicandi potestatem. Quomodo Justinus initio historiae scribit, arbitria principum pro legibus erant: quamvis enim principes veri judices essent, tamen eorum judicia vocata sunt arbitria, quia non judicabant ex praescripto legum, sed ex naturali suo judicio: sic etiam judices ab Ecclesia constituti in caussis civilibus christianorum, veri judices erant, sed non tenebantur legum civilium apices sequi, ideo a Chrysostomo arbitri sunt.

Sed contradicit Barclajus, atque ait: *Nihil jubet Apostolus eo loco, quod judicum infidelium jurisdictionem et imperium in christianos aut tollat, aut minuat, aut ei aliquo modo praejudicet. Immo vero nihil contra ejusmodi subjectionem juste jubere potuit, cum sit juris naturalis Dei auctoritate confirmati, ut teste s. Ambrosio, ipsemet Apostolus docet ad Rom. 13.*

Respondeo: Non praejudicat Apostolus per illam judicum christianorum constitutionem jurisdictioni, et imperio principum infidelium; quoniam non jubet christianis, ut non compareant coram judice infideli, si vocentur: sed tantum praecipit, ut sponte non accedant. Sed quod non potuerit Apostolus eximere christianos a subjectione principum infidelium, si id utile vel necessarium censuisset, et vires ad perficiendum habuisset: id sine gravi errore dici non posse arbitror: et ratio, quam pro sua sententia Barclajus profert, omnino infirma est. Nam juris naturalis a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati est, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: sed non est juris naturalis a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati, ut non possit sublimior potestas per aliam sublimiorem tolli de medio, et per hoc fieri, ut ei subjectio et obedientia non amplius debeatur. Siquidem magistratuum quoque inferiorum potestati jure divino parendum est non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: et tamen potest magistratus inferior per principem tolli aut mutari, et tunc personae illi, cui magistratus abrogatus est, nemo jam subjectionem, aut obedientiam debet. Sic etiam cum rex, vel a spirituali suprema potestate in casu haeresis, vel ab alio rege in casu victoriae de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet quod Apostolus ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Idem dici potest de patria, et despotica potestate: nam juris naturalis a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati ad Ephes. 6. est, ut filii obediant parentibus, et servi dominis, et tamen filii emancipari et servi libertate donari possunt, et per hoc fieri potest, ut nec illi parentibus, nec isti dominis suis obedire teneantur. Itaque nisi Barclajus naturalis juris, a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati esse demonstret, ut principes saeculares, sive fideles, sive infideles in certis casibus, per ecclesiasticam auctoritatem deponi non possint; nihil quod ad rem faciat, adhuc dixit, quantumvis multis verbis saepe ac saepius repetitis sententiam suam in hoc capite persuadere conatus sit.

Addit postea Barclajus etiam solutionem nihilo priore solidiorem: *Praeterea*, inquit, *si quis locum*

illum Apostoli non limis oculis percurrerit, animadvertet eum id sibi negotii dare, ut ad evangelicam perfectionem, quae consilii magis, quam praecepti est, christianos animos erudiat, cum eos hortetur, ut potius injuriam ferant, et fraudem patiantur, quam ut judicia inter se habeant etc.

Respondeo: Cum Apostolus hortatur ut christiani judicia inter se non habeant, sed mansuetudine et patientia occasione judiciorum praeveniant, consilium perfectionis, non praeceptum justitiae docet: sed cum jubet, ut si judicia inter se habuerint, ad judices christianos, non ad infideles caussas suas deferant: tum vero non consilium, sed praeceptum dare se luculenter ostendit, cum ait: *Audet aliquis vestrum negotium habens adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* et, *Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum.*

Pergit Barclajus, et omisso Bellarmino s. Thomam aggreditur, dicens: *Quoniam autem singula persequimur, admonere oportet d. Thomam in 2. 2. quaest. 10. art. 10. in ea opinione esse, ut existimet jus dominii et praelationis ethnicorum principum juste illis auferri posse per sententiam vel ordinationem Ecclesiae auctoritatem Dei habentis, ut ille ait. Divi Thomae magna apud me auctoritas est, sed non tanta ut omnes ejus disputationes pro canonicis scripturis habeam, vel ut rationem vincat aut legem. Ejus ergo manes veneror et suspicio: sed non est tamen, cur illa ejus opinione aliquis moveatur: tum quia nullam suae sententiae, vel rationem idoneam et efficacem vel auctoritatem profert: tum etiam quia in explicatione epistolae Pauli ad Corinth. contrarium plane sentit: tum denique quia neminem secum antiquorum Patrum consentientem habet, et rationes multae, auctoritatesque in contrarium suppetunt. Ratio autem quam adfert, est, quia infideles merito suae infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Mala ratio, et tanto viro indigna: quasi vero si quis meretur privari officio, beneficio, dignitate, auctoritate aliove jure, quod possidet, idcirco statim spoliari possit ab alio, quam ab eo a quo id accepit retinetque, vel ab alio expressum mandatum et potestatem ab ipso habente.*

Respondeo: Admiranda est hujus Aristarchi importunitas, qui tam libere principem theologorum reprehendit, ut dicat: Mala ratio, et tanto viro indigna; cum ipse jureconsultum se profiteatur et sacrae theologiae adyta, ne a limine quidem salutaverit. Illud autem non miror, quod manes s. Thomae se venerari dicat: nam liber ejus vocabulis impropriis plenissimus est: neque enim spiritus hujus sanctissimi doctoris cum diis manibus apud inferos, sed cum angelis apud superos aevo sempiterno fruitur. Quod vero Barclajus dicit s. Thomae sententiam nulla efficaci ratione esse munitam, falsum est; quamvis sit verum, vim rationis s. Thomae ab ingenio Barclaji penetrari minime potuisse. Quod autem addit, eumdem s. Thomam in commentario epist. ad Corinth. contraria scripsisse; manifestae ignorantiae Barclajum arguit. Siquidem in eo commentario scribit quidem s. Thomas, esse contra jus divinum prohibere, quod judicio principis infidelis non stetur, et subjectionem deberi principibus etiam infidelibus: quae verissima sunt; sed ex iis non sequitur, non esse in Ecclesia auctoritatem privandi principes infideles dominio, quod habent super fideles: proinde ista non sunt contraria, Debetur subjectio principi infideli, dum princeps est: et, potest princeps infidelis privari dominio, quod habet super fideles per auctoritatem Ecclesiae: et Barclajus, quia ea contraria esse judicat, vel dialecticam non didicit, vel ejus regulas oblivioni tradidit: quemadmodum etiam paulo infra cum idem Barclajus dicit:

Et vero sanctus Thomas in expositione epistolae Pauli superius hoc capite relata, satis aperte indicat, Ecclesiam non habere eam auctoritatem, qua possit ethnicos deponere: ait enim esse contra jus divinum prohibere, ne principum infidelium judicio stetur a subditis. Manifeste hallucinatur et fallitur: tametsi enim contra jus divinum est, negari principi obedientiam, dum princeps est, non tamen est contra jus divinum, quod Ecclesia potestatem habeat principem deponendi: nam est etiam contra jus divinum prohibere filios ne parentibus obediant, dum sub patria potestate sunt; nec tamen est contra jus divinum, quod aliquando filii eximantur a patria potestate, ut re ipsa eximitur filius familias cum ad episcopale fastigium evehitur. Porro illa sancti Thomae ratio: *Infideles merentur ratione suae infidelitatis potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei: ergo potest Ecclesia privare principes infideles dominio, quod habent super fideles*: non est adeo debilis ratio, ut Barclajus dicit: sed vere debile argumentum est, quo sancti Thomae rationem Barclajus oppugnat: hoc est enim argumentum Barclaji: *Merentur infideles amittere potestatem super fideles, sed non potest eos potestate privare, nisi qui dedit eam potestatem, aut qui mandatum expressum ab illo habeat, at principes a Deo potestatem habent, et solo Deo sunt minores: ergo a solo Deo privari potestate possunt: non autem, ab Ecclesia, quae neque dedit potestatem infidelibus, neque habet expressum mandatum Dei, quo illam auferre debeat, aut possit.*

Hoc, inquam, argumentum nullas vires habet: nam falsum est, principes politicos a solo Deo potestatem habere: habent enim illam a Deo, quatenus Deus instinctum naturalem in animis hominum insevit, ut ab aliquo gubernari velint. Ut autem gubernentur homines a regibus vel a consulibus; ab uno vel a multis; a magistratu perpetuo vel temporario, ab hominum voluntate dependet: quemadmodum etiam quod iste sit rex potius, quam ille, non Dei specialis jussio, sed hominum voluntas fecit: quare idem s. Thomas loco citato, 2. 2. qu. 10. art. 10. et qu. 12. art. 2. tamquam rem certam et exploratam ponit, dominia et principatus politicos, non esse de jure divino, sed de jure humano: cui nemo doctus contradicit, neque Barclajus contradiceret, si rationem non passionem in consilium adhiberet.

Praeterea etiamsi concederemus, regem esse im-

mediate constitutum a Deo, et ab illo solo potestatem habere, quod tamen non concedimus, adhuc argumentum Barclaji nihil efficeret adversus rationem sancti Thomae: responderet enim sanctus Thomas, Ecclesiam habere auctoritatem a Deo per suum rectorem et pastorem auferendi potestatem, in certis casibus, illis, quibus Deus eam dedit: Summus enim pontifex vicarius Dei est, ac per hoc potestatem habet a Deo dispensandi et mutandi in multis, secundum voluntatem Dei, cujus ipse interpres est: hoc enim modo dispensat pontifex in votis, et juramentis, quae Deus ipse jussit reddi, et quorum solutio de jure divino est: dispensat autem non quod sit ipse super jus divinum, sed quia interpretatur Deo placere, ut in tali vel tali casu, juramentum aut votum relaxetur: quemadmodum et Apostolus ait in posteriore ad Corinth. cap. 2. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi.* Ubi dicit se in persona Christi condonasse Corinthio incestuoso poenam, quam divino jure, vel in hac vita vel in purgatorio luere debuisset: atque hoc est, quod sanctus Thomas in loco notato dicit: Ecclesiam habere auctoritatem Dei, qua principes infideles privare possit dominio, quod habent super fideles.

Deinde Barclajus, ut nihil intactum relinquat: carpit etiam illud, quod s. Thomas in eodem artic. 10. quaest. 10. in 2. 2. dicit, Ecclesiam non semper uti jure suo in deponendis principibus infidelibus, ad vitandum scandalum: quemadmodum Dominus solvit didrachma, ad quod non tenebatur, ne scandalizaret eos, qui censum illum colligebant; et Apostolus admonet servos obedire dominis carnalibus, ne doctrina Domini blasphemetur.

Non solum, inquit Barclajus, *propter scandalum abstinuit, ut putat Thomas eo loco, sed propter defectum potestatis, quia non erat judex infidelium, secundum illud Apostoli.* 1. Corinth. 6. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare? et quia principes a Deo constituti solum Deum supra se judicem habent, a quo solo deponi possunt. Nec ad rem pertinet, quod Paulus dum jubet servos christianos dominis suis infidelibus omnem honorem exhibere, illud solum addit, ne nomen Domini, et doctrina blasphemetur.*

Respondeo: Intolerabilis est hujus morosi censoris carpendi et vellicandi libido: Sanctus enim Thomas cum ait Ecclesiam non uti suo jure propter scandalum: non addit particulam, solum: quare si sint etiam aliae caussae, non ideo reprehendi debet sanctus doctor, qui unam caussam eamque verissimam attigit, et illam ipsam, quam in simili caussa Christus ipse, et ejus Apostolus attigerunt: nam neque Dominus dixit propter solum scandalum a se solutum fuisse didrachma, neque Apostolus jussit honorandos esse dominos servis, ea solum de caussa, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Quod autem addit Barclajus, Ecclesiam non habuisse potestatem ullam in principes infideles, quia scribit Apostolus, quid ad me de his, qui foris sunt judicare? non est contra s. Thomam, qui in 2. 2. quaest. 12. art. 2. declarat hunc locum Apostoli intelligi de infidelibus, qui numquam fidem receperunt, quatenus infideles sunt, non quatenus dominantur fidelibus: ob solam enim infidelitatem Ecclesia non potest infideles judicare, quia ad ejus regimen non pertinent. Sed quando dominantur fidelibus, et praesertim quando subditos fideles avertere conantur a fide: tunc Ecclesia jus habet illos privandi dominio, quod habent super fideles. Sed non semper utitur jure suo, vel quia vires non adsunt, vel ob scandalum evitandum. Quod vero dicit, Principes a Deo esse constitutos, et nullum praeter Deum super se judicem habere, antiqua est cantilena Barclaji usque ad nauseam repetita, et in ipso capite, atque in superioribus refutata.

In extremo capite Barclajus s. Thoma dimisso revertitur ad Bellarminum, quem ex propriis scriptis convincere se posse dicit; producit autem verba quaedam ex lib. 2. cap. 29. de summo pontifice, ubi cum Alberto Pighio admittit apostolos subjectos fuisse de jure et de facto principibus infidelibus in civilibus omnibus caussis: et principes infideles non fuisse apostolis subjectos, neque de jure, neque de facto. Ex quo loco deducit Barclajus, Bellarminum sensisse, non habuisse illis temporibus Ecclesiam jus ullum ad deponendos principes infideles.

Respondeo: Jam in recognitione scriptorum meorum admonui, improbabilem esse sententiam Pighii, quam ego quoque olim sequutus fueram, et cum melioribus doctoribus sentiendum esse, apostolos jure exemptos fuisse ab omni subjectione principum terrenorum. Sed quamvis etiam vera esset sententia Pighii, non tamen sequeretur, non habuisse tunc Ecclesiam jus privandi principes infideles dominio quod habebant super fideles. Diceret enim Pighius Ecclesiam, et ipsos apostolos subjectos fuisse principibus infidelibus, quamdiu principes erant: sed si ab Ecclesia auctoritatem Dei habente, privati fuissent, tunc demum non fuisse amplius de jure subjectos. Nam et populus subjectus est regi, quamdiu regnat, sed si ab alio rege victus in praelio, regnare desierit, non amplius illi subjectus erit.

Adducit postremo Barclajus aliud Bellarmini dictum in eodem lib. 2. de Pontif. cap. 29. Quod videlicet, judicare, punire, deponere ad superiorem tantum pertinet. Quod quidem dictum verissimum est; sed tamen ex eo Barclajus secundum dialecticam suam hunc syllogismum texit.

Subjecti non possunt jure judicare, punire, deponere superiorem: Atqui omnes christiani erant subjecti Neroni, Diocletiano et caeteris imperatoribus et regibus ethnicis: ergo non poterant ejusmodi imperatores et reges deponere. Propositio concessa est, itemque subsumptio, et certissima veritate nituntur; conclusio autem ex antecedentibus consecutione pendet, atque ex diametro opponitur ei, quod dixit Bellarminus, christianos olim jure potuisse deponere Neronem, Diocletianum etc. sed quia viribus temporalibus deficiebantur, eo consilio abstinuisse: falsum igitur illud est, et reprehensione dignum: siquidem ajentia et negantia simul vera esse nequeunt. Hinc etiam patet falsitas opinionis divi Thomae, quam supra hoc capite refutavimus.

Respondeo:Magnus omnino magister in arte dialectica Barclajus est, qui unico syllogismo, non solum Bellarminum prostravit,sed s. Thomam etiam, qui doctoris angelici cognomento ob eximium sapientiae splendorem merito celebratur. Ad syllogismum ejus in forma sic respondeo: Propositio illa, Subjecti non possunt jure deponere superiores, vera est; sed deberet esse universalis, ut syllogismus legitimus esset: et praeterea intelligi debet formaliter, idest, subjectus, ut subjectus, sive quamdiu subjectus est, non potest deponere superiorem, ut superiorem, sive quamdiu superior est. Assumptio autem illa, omnes christiani erant subjecti Neroni, Diocletiano, etc. falsa est, quoniam apostoli, eorumque successores,qui principes erant spirituales, non erant jure subjecti regibus terrenis. Deinde populus christianus, etiam si alioqui subjectus esset regibus et imperatoribus infidelibus, tamen in casu periculi amittendae fidei divinae, poterat juste justae defensionis excutere jugum principis infidelis: praesertim si Ecclesia per summos pontifices, ita faciendum esse censuisset. Ex his sequitur conclusionem Barclaji esse manifeste falsam, et doctrinam s. Thomae ac Bellarmini, qui s. Thomam sequutus est, esse verissimam.

CAPUT XXII.

Defenditur altera confirmatio rationis tertiae principalis.

In capite vigesimosecundo Barclajus oppugnat confirmationem secundam rationis tertiae principalis,quam in meo libro posui ad probandam summi pontificis potestatem in temporalibus. Haec autem erat confirmatio. Tolerare regem haereticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere religionem evidentissimo periculo. At non tenentur christiani, immo nec debent cum evidenti periculo religionis regem infidelem tolerare:nam quando jus divinum et humanum pugnant, debet servari jus divinum omisso humano: de jure autem divino est servare veram fidem et religionem,quae una tantum est,non multae: de jure autem humano est, quod hunc, aut illum habeamus regem.

Ad hanc confirmationem respondet primo Barclajus argumentum non esse in forma syllogismi, sed hoc cavillari est: nam neque ego volui, nec cogitavi redigere argumentum ad formam syllogismi, quod vel ex eo potest intelligi, quod non exprèsse posui conclusionem, et multa inserui ex Scriptura sacra, ex prophanis auctoribus,et ex experimentis veteribus et novis, quae Barclajus omisit. Deinde omissa cavillatione de forma syllogismi, vim ipsam argumenti retundere conatur, dicens:

Demus eum optima forma ratiocinationem confecisse, et ad vim argumenti respondeamus.Dico igitur propositionem ejus falsam esse, dico, inquam, non verum esse,quod tolerare regem haereticum vel infidelem conantem pertrahere homines ad sectam suam, est exponere religionem evidentissimo periculo, sed est tantum pati religionem versari in periculo, in quod incidit vitio regis haeretici aut infidelis, et cui jam sine culpa populi exposita est: cum nullum ejus liberandae justum et legitimum remedium, praeter constantiam et tolerantiam, populo supersit.

Respondeo: Quando non suppetunt vires Ecclesiae excutiendi jugum infidelium tyrannorum, ut vere temporibus Neronis, Diocletiani,Constantii,Juliani et Valentis non suppetebant: tum verum est, tolerare regem haereticum vel infidelem conantem pertrahere populum ad sectam suam, non esse religionem exponere periculo, sed pati eam in periculo versari: sed quando vires suppetunt,et potest Ecclesia, si velit, per auctoritatem vicarii Christi privare regem haereticum vel infidelem dominio, quod habet super fideles : tum si non faciat , vere proprieque exponit religionem evidentissimo periculo, cum nolit adhibere remedium, quod in promptu habet, nisi forte ratio suadeat, hoc remedium ad tempus differre, et alia leniora interim experiri.

Quod autem hic subjungit Barclajus, facillimum fuisse christianis olim deponere Julianum, Constantium et Valentem; jam supra copiose refutatum est cap. 6. 7. et 8. neque libet Barclajum imitari in iisdem rebus saepius repetendis.

Pergit Barclajus, et ait: *Jam vero ad illud,quod deducit ex pugna juris divini et humani , respondeo breviter, illum valde falli in eo, quod putet esse ibi concursum et conflictum divini juris et humani: non sunt enim pugnantia, servare veram fidem et religionem; et tolerare regem haereticum, vel infidelem, neque alterum de jure divino est, alterum de jure humano, ut ille putat; sed sunt duo praecepta juris divini , colere Deum vera religione, et servire, atque obedire regi, quae simul servari et expleri possunt, ut ipsimet Jesuitae docent.*

Respondeo: Non ignorabam, servire et obedire regi esse juris divini; et ideo non hoc negavi in meo libro: sed dixi, juris humani esse, ut hunc, aut illum habeamus regem, juris autem divini servare veram fidem ac religionem : quamvis enim jure divino teneamur regi parere,dum rex est;non tamen jure divino cavetur,ut regi nullis de caussis regnum abrogari possit: alioqui quotquot ab exordio mundi regnis exuti sunt, omnes per injuriam exuti fuissent: neque ulla esset respublica,aut pene nulla jure instituta: Respublicae siquidem ut plurimum exactis regibus constituuntur.Hoc est igitur quod dicimus, ut jus divinum servetur de conservanda vera religione,fas esse aliquando mutari jus humanum, et transferri regnum ab infideli ad fidelem, quando vel non possit, aut vix possit alia ratione vera conservari religio.

At rursum excipit Barclajus. *Id quidem*, inquit, *totum verum est, jure videlicet humano fieri, ut hic aut ille sit rex. Sed cave lector, ne capiaris. Omisit Bellarminus, quod est praecipuum: addere enim debuit; At ubi hunc aut illum regem semel habemus, de jure divino est, ut illi in civilibus caussis cum omni honore et reverentia pareamus; Hac adjectione, quam nemo catholi-*

cus negare potest, illud ejus argumentum prorsus eliditur.

Respondeo: Jam ante docui, Ubi hunc vel illum regem semel habemus, jure divino illi parendum esse, dum in solio praesidet. Sed non esse de jure divino, ut semper, dum vivit, in solio regali praesideat: nam fieri potest, ut vel ipse se abdicet potestate, vel ab alio rege superatus cadat a regno, vel haeresis caussa deponatur, et quocumque modo rex esse desinat, obedientia quoque ei deberi desinit.

At, inquit Barclajus: *Ex Bellarmini sententia lib. 2. de Pontif. cap. 29. non licet concilio judicare, punire vel deponere papam nitentem turbare et destruere Ecclesiam Dei; sed tantum ei resistere non faciendo, quod jubet, et impediendo ne exequatur voluntatem suam. Cur non similiter, et potiore etiam ratione idem de regibus etiam censeamus? cum et ipsi sint populis (teste eodem auctore lib. 1. de pontif. cap. 9. et lib. 3. cap. 19.) superiores et judicem in terris nullum habeant? eumque praeterea nonnullis magni nominis theologis visum sit, concilium oecumenicum majore supra papam auctoritate praeditum esse, quam habeat populus in principem?*

Respondeo: Si pontifex maximus haereticus fieret, et Ecclesiam destruere, abducendo eam a fide catholica, niteretur; sine dubio deponi, aut certe depositus declarari a concilio posset, ut colligitur ex can. *Si papa*, dist. 40. et hoc neque Bellarminus, neque ullus catholicus negat, quare ex hoc ipso potuisset Barclajus intelligere, non esse mirum, si reges propter haeresim deponi possint, quamvis non habeant in temporalibus superiores, cum papa propter similem caussam deponi possit, qui neque in temporalibus, neque in spiritualibus superiorem habet in terris. Quod autem scripsi in lib. 2. cap. 29. Pontificem non posse judicari, aut deponi a concilio, intelligitur extra caussam haeresis, si vita solum et moribus Ecclesiam perturbare atque destruere velle videretur. Est autem discrimen inter pontificem et regem; quod pontifex nullum omnino in terris superiorem habet, cum sit ille servus principalis, quem posuit Dominus super omnem familiam suam Luc. 12. de quo idem Dominus eodem loco dicit, quod si servus ille male se gesserit, et coeperit percutere servos et ancillas, manducare et bibere cum ebriosis; veniet Dominus in die, qua non sperat, eumque severissime puniet: proinde non vult Dominus, ut a familia, vel aliquo de familia puniatur; sed ipse Dominus judicium de servo illo sibi reservat. Rex autem, qui non immediate a Deo regnum accepit; sed populus in eum potestatem suam transtulit: et praeterea si christianus est, aut fuit, pontifici, ut ovis pastori, subjectus est, et quamvis non habeat in temporalibus superiorem aliquem temporalem: habet tamen superiorem spiritualem, cujus potestas ad temporalia etiam se extendit: ideo deponi a summo pontifice, ut Christi vicario potest. Quod si aliqui viri docti senserunt, concilium esse supra papam, magis quam regnum supra regem: non multum de eorum sententia laboramus, cum ex Scripturis, et conciliorum etiam generalium decretis contrarium colligatur: de qua re satis multa scripsimus in secundo libro de conciliis.

Sed forte quaeret aliquis, si papa nullum omnino superiorem habet in terris: quo jure deponi potest a concilio, vel Ecclesia propter haeresim? Responsio est in promptu, quoniam cum propter alia crimina ejiciantur homines per excommunicationem ab Ecclesia, haeretici per se exeunt et recedunt, et ipsi se quodam modo excommunicant; ut sanctus Hieronymus notavit explicans illa verba Apostoli ad Titum cap. 3. *Haereticum esse proprio judicio condemnatum.* Itaque si pontifex, quod fieri non posse arbitror, haereticus vel infidelis vel apostata fieret, non tam deponendus, quam declarandus depositus a concilio esset.

CAPUT XXIII.

Defenditur tertia confirmatio tertiae rationis principalis.

In capite vigesimotertio Barclajus refellere nititur confirmationem tertiam rationis meae tertiae principalis: haec autem est confirmatio: Denique cur non potest liberari populus fidelis a jugo regis infidelis, et petrahentis ad infidelitatem; si conjux fidelis liber est ab obligatione manendi cum conjuge infideli, quando ille non vult manere cum conjuge christiana, sine injuria fidei, ut aperte deducit ex Paulo. 1. Corinth. 7. Innocentius III. in cap. *Gaudemus*, extra de divortiis? non enim minor est potestas conjugis in conjugem, quam regis in subditos, sed aliquando etiam major.

Ad hanc confirmationem Barclajus ita respondet, ut videatur de industria intelligere noluisse, in quo vis rationi consistat: idque ea de caussa facit, ut occasionem habeat, multa scribendo, vel doctrinam suam ostentandi, vel librum suum locupletandi. Sed prudens lector facile animadvertet eum extra rem vagari. Initio enim fingit me loqui de conjugio inter fideles contracto, quorum alter postea in haeresim labitur: quod matrimonium omnino insolubile est, et non recte comparari potest cum vinculo, quod est inter regem et populum.

Sed mihi numquam venit in mentem de matrimonio ejusmodi loqui. Igitur locutus sum de matrimonio contracto inter infideles, quorum alter cum ad fidem convertitur, liber est a cohabitatione et a jugo conjugis infidelis. Quod autem de hoc matrimonio locutus sim, planum est ex Apostolo et Innocentio, quos citavi; non enim Apostolus aut Innocentius liberum pronunciant a conjugio eum, qui contraxit post Baptismum cum fideli, sed eum qui contraxerat ante Baptismum cum infideli, et postea conversus est ad fidem conjuge in infidelitate permanente.

At, inquit Barclajus, *tu non dixisti, conjugem fidelem liberum esse a jugo, aut vinculo, sed ab obligatione manendi cum conjuge infideli.*

Respondeo: Me dixisse, quod Apostolus dixit, et intellexisse, quod Apostolus intellexit. Apostoli verba haec sunt: *Si quis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam: et si qua mulier habet virum infide-*

lem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi. Ubi loquitur de obligatione cohabitandi, quemadmodum, et ego loquutus sum; sed non intellexit Apostolus per libertatem ab obligatione cohabitandi, solam libertatem ab obligatione cohabitandi, manente vinculo et jugo conjugii; sed plenam libertatem cum potestate ineundi aliud conjugium, soluto vinculo et jugo conjugii prioris: et hoc eodem modo verba mea intelligi volui, quo modo verba Apostoli intelligunt omnes theologi. Itaque poterat Barclajus omittere plus quam partem dimidiam hujus capitis 23.

Accedit deinde propius ad rem, sed ut argumentum solvat implicat se gravissimo errori; sic enim loquitur.

Quod si de posterioribus conjugibus argumentum intelligat, in promptu responsio est ex eadem Innocentii epistola decretali: nimirum inter tales conjuges, non esse ratum matrimonium, quantum ad indissolubile conjunctionis vinculum attinet: et ideo ejusmodi conjuges plenam dissolvendi matrimonii libertatem habent, ut vel mutuo consensu et bona gratia, vel cum ira sui animi et offensa discedant: et alter invito altero, ubi ei libitum sit, nexum illum conjugii per repudium et divortium dissolvat, et infra: *Non mirum ergo si conjux ad fidem perductus a conjugis in infidelitate permanentis consortio et potestate liber sit: cum etiamsi ambo in infidelitate mansissent, aeque liberum alterutri eorum fuisset ab altero recedere; et matrimonium repudio dissolvere; quia nullum initio inter eos ratum et firmum obligationis vinculum intercessit,* et infra: *Cum itaque nullum inter istos ratum conjugium existat: et subjectio politica et regalis dominatio inter omnes gentes, et in omni lege, tam jure divino, quam humana rata et probata sit: quid absurdius, aut ineptius dici potest, quam illa inter se componere, et argumentum aliquod ab infidelium conjugum societate et jugo, quod excuti pro arbitrio potest, ad regalis imperii jugum repellendum deducere, et idem de utroque, quasi de plane similibus judicare.*

Respondeo: Mirum est, cur tantus jureconsultus ex uno verbo Innocentii male intellecto in tantum errorem se praecipitaverit, nam quod ait Innocentius in cap. *Quanto*, de divort. matrimonium infidelium non esse ratum, non significat, esse solubile ad libitum; sed non esse insolubile omnino, ut matrimonium fidelium: solum enim solubile est in casu Apostoli, ipso Apostolo declarante in ea re voluntatem Dei. Quod autem matrimonium infidelium legitime contractum sit firmum et insolubile, excepto illo casu, perspicuum est, primo ex ipso Innocentio in cap. *Quanto*, jam citato: Ubi dicit, Matrimonium infidelium esse verum: matrimonium autem verum definitur, Conjunctio viri et foeminae individuam vitae consuetudinem retinens, cap. *Illud*, de praesumptionibus. Ubi canonistae communiter eam definitionem approbant, ut etiam theologi apud Magistrum in 4. sent. distinct. 27. Secundo: Idem Innocentius, in cap. *Gaudemus*, de divort. expresse docet, repudium etiam apud infideles non esse licitum: quod idem habetur in canon. *Si quis judaicae* 28. quaest. 1. ubi dicitur apud infideles valere repudium lege fori, non lege poli. Tertio: Concilium tridentinum sess. 24. in principio: *Matrimonii*, inquit, *perpetuum, insolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Et certe Adam non de matrimonio tantum christianorum, sed de matrimonio in genere locutus est: proinde omne verum matrimonium perpetuum insolubilemque nexum habet. Accedit quarto, communis doctorum sententia: siquidem Magister sententiarum lib. 4. distinct. 33. Et cum eo sanctus Bonaventura, Richardus, Dominicus a Soto, et alii plurimi docent, repudium permissum fuisse Judaeis a Deo per Moysem, ut minus malum, sed numquam fuisse licitum neque apud Judaeos, neque apud gentiles. Alii vero non pauci, ut sanctus Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus, docent quidem cum Judaeis ita dispensatum fuisse circa repudium ad duritiam cordis eorum, ut licitum eis esset repudium: sed tamen a Christo sublatam fuisse eam dispensationem, ut postea non fuerit amplius, neque Judaeis, neque gentibus licitum: sunt enim Christi verba satis aperte Marci 5. *Qui dimissam duxerit moechatur*, et cap. 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium commisit super eam: et si uxor dimiserit virum et alii nupserit, moechatur.* Itaque excusari non potest Barclajus, qui Turcarum errorem sequutus, voluit licitum esse infidelibus pro arbitrio matrimonia separare. Tametsi enim Turcae id faciunt, tamen cum errore manifesto faciunt. Ex quibus argumentum nostrorum, quod frustra Barclajus solvere tentavit, omnino insolubile demonstratur. Nam si licet conjugi fideli propter fidem et religionem disrumpere vinculum alioqui insolubile, quo alligatus erat conjugi infideli ante conversionem suam ad fidem; quanto magis licebit populo fideli disrumpere vinculum propter fidem et religionem, quo alligatus erat principi infideli, praesertim si is populum fidelem pervertere satagat? Debilius enim esse vinculum quo adstringitur populus principi suo, quam sit illud, quo adstringitur uxor viro suo, perspicuum est, cum vinculum populi ad principem multis de caussis solvi potuerit, et adhuc possit: vinculum autem uxoris ad virum apud christianos in nullo casu solvi possit, si ratum, et consummatum fuerit: apud infideles autem jure solvi non possit, nisi per conversionem alterius eorum ad fidem, altero perseverante in infidelitate.

CAPUT XXIV.

Defenditur ratio quarta Bellarmini pro potestate pontificis in temporalibus.

In cap. 24. proponit Barclajus rationem quartam, qua ego usus fueram ad stabiliendam potestatem summi pontificis in temporalibus usque ad ipsos

principes in certis casibus abdicandos. Haec est autem ratio. Quando reges et principes ad Ecclesiam veniunt, ut christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso vel tacito, ut sceptra sua subjiciant Christo,et polliceantur,se Christi fidem servaturos, et defensuros etiam sub poena regni perdendi: ergo quando fiunt haeretici aut religioni obsunt. possunt ab Ecclesia judicari et etiam deponi a principatu, nec ulla fiet eis injuria si deponantur. Huc usque recitat Barclajus, quamvis in meo libro plura addantur ad confirmationem hujus rationis.

Respondet autem admittendo antecedens, et negando consequentiam. *Nam*, inquit, *licet verum si principes ad Ecclesiam venientes se sceptraque sua Christo subjicere, et vel ultro ea promissa seu tacite seu expresse facere, quae Bellarminus commemorat: non tamen verum est, nec inde sequitur, eos judicari et deponi posse ab Ecclesia vel summo pontifice, si fidem fallant, et pactum ad jusjurandum negligant: quia suprema illa Christi jurisdictio et potestas temporalis in reges omnes, et mundum universum, quam habet, ut Dei Filius,non competit Ecclesiae vel pontifici, sed tantum illa potestas, quam Christus sibi assumpsit, dum inter homines humano more versaretur: at Christus nullum temporale dominium et potestatem usurpavit, dum in terris, ut homo inter homines ageret, ac proinde neque Ecclesia, ut Ecclesia, neque papa, ut caput Ecclesiae et vicarius Christi ullam temporalem potestatem, ut pluribus explicat et probat idem vir doctissimus lib. 2. de Pontif. cap. 4.*

Respondeo: Argumentum Barclaji, quo mei argumenti consequentia oppugnatur, malam habet consequentiam et falsum antecedens ; quare sine viribus ullis solo strepitu verborum pugnat.Consequentia,inquam, ejus argumenti mala est,quoniam etiamsi Ecclesia,vel papa non haberet ex se potestatem principes haereticos deponendi,haberet tamen ipsa promissione jurata, et ex pacto inito cum ipsis principibus, quando ad Ecclesiam christianam admissi sunt: id quod exemplo illustrari potest: quando enim reges cum romano imperio societatem ineibant, et fidelitatem illi jurabant; si postea rex socius ad hostes romanorum deficiebat, non existimabant romani injuriam se illi regi facturos, si eum regno privarent: quoniam tametsi ante initam societatem, nullam haberent romani potestatem in eum regem: tamen fides data et juramento firmata potestatem illis dabat. Deinde falsum est antecedens argumenti Barclajani,ut huc usque satis ostendimus disputatione tam prolixa, et ex iis, quae Barclajus hoc loco admittit,nullo negotio demonstrari potest: admittit enim habere summum pontificem, ut Christi vicarium, eam potestatem,quam Christus habuit, dum ut homo inter homines vixit. Christus autem, quamvis noluerit, ullum temporale regnum eripere iis, qui ea possidebant, idque vel sibi assumere, vel aliis tradere; tamen qui negat potuisse Christum id facere, evangelium ipsum negat: quid enim est quod idem Christus dicit Joan. 13. *Dedit ei omnia Pater in manus?* Si habuit omnia in manus, certe super omnia potestatem habuit: si super omnia potestatem habuit, cur non potuit de temporalibus rebus omnium hominum disponere? Item Joan. 17. Idem Dominus ait Patri, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Ubi per omnem carnem omnes homines intelliguntur. Habuit igitur Christus homo in terris potestatem super omnes homines, ac per hoc super imperatores etiam et reges, potuitque eos, si voluisset, judicare, punire, regnis imperiisque privare: cujus potestatis exemplum aliquod ostendit, cum daemonibus concessit, ut in ingentem porcorum multitudinem irruerent,eosque omnes in mare suffocandos praecipitarent: neque timuit ne forte injuria afficeret eos, qui ex interitu tam numerosi gregis, qui ad duo millia ascendebat, teste s. Marco cap. 5. non levem jacturam patiebantur. Judicavit enim Dominus expedire ad gloriam Dei, ut de re illa temporali disponeret etiam cum detrimento dominorum, ut sciretur quanta multitudo spirituum immundorum hominem obsedisset, et quanta facilitate ipse tantum numerum daemonum solo imperio ejecisset.

Quod addit Barclajus, me docuisse, Ecclesiam, ut Ecclesiam, vel pontificem, ut caput Ecclesiae et Christi vicarium, nullam temporalem potestatem habere posse; mera impostura est. Ego enim solum docui, pontificis potestatem directe spiritualem esse, sed indirecte extendi ad temporalia, atque ad ipsam etiam principum terrenorum depositionem. Et cur, obsecro,tantum laborat Barclajus in examinandis et refellendis Bellarmini rationibus pro confirmanda pontificia potestate in temporalibus,si Bellarminus cum Barclajo convenit in abneganda pontificia potestate in temporalibus? Sed libri saepius recusi extant, et facile poterit lector judicare, utrum ego in eodem libro mecum ipse pugnem,an potius Barclajus impostorem agat, ea sententia nobilis poëtae fretus:

Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Addit postea Barclajus aliam responsionem,quoniam non erat tam stupidus,ut non videret priorem solutionem nullas vires habere, ait igitur: *Quae omnia promittunt quidem principes Christo, acceptante promissionem Ecclesia, tamquam ejus sponsa, in cujus sinu regenerantur,aut ipso pontifice, non ut homine, sed ut Christi Dei ministro vicariam operam praebente,ac proinde ipsi Christo per Ecclesiam, vel papam obligatio principaliter acquiritur*, et infra: *Si pactum conventum postea neglexerint, aut prorsus contempserint, ab eo solo puniri possunt, in cujus verba jurarunt, quique omnium rerum temporalium Dominus est, et quem supra se judicem in temporalibus solum habent; non autem ab eo,cui rerum tantummodo spiritualium, et recipiendae promissionis cura commissa est.*

Respondeo: Promissio, qua principes infideles, cum ad Ecclesiam veniunt, pollicentur se fideles futuros, et Ecclesiam defensuros, neque ab ea unquam recessuros, aut eam oppugnaturos, sub poena privationis regni; promissio, inquam, ejusmodi principaliter quidem ad Christum dirigitur; sed tamen transgressores non solus Christus immediate et per se punire potest: sed postea etiam Christi

vicarius, qui auctoritate a Christo accepta Ecclesiam regit, transgressores pacti, et juramenti punire, quemadmodum quotidie videmus, eos qui absenti regi coram prorege fidelitatem jurant, si forte defectionem moliantur ab ipso prorege, continuo puniri; et clericos, qui absenti episcopo, coram ejus vicario generali obedientiam spondent, si forte contumaces efficiantur, ab eodem vicario carceribus mancipari et plecti.

At, inquit Barclajus. *Raro rex ipse fidelitatis jusjurandum accepiat, sed ut plurimum per cancellarium id opus exequitur. Cancellarius itaque cum magnates in verba regis jurantes ad feuda et dignitates admittit, eas in civili administratione et jurisdictione temporali sub rege partes obit, quas pontifex sub Christo in spirituali gubernatione Ecclesiae, cum principes ad eam venientes interposito fidelitatis, et pietatis erga Deum sacramento, recipit. Et ut ille quidem clienti semel recepto (licet postea fidem frangat, crimenque committat, quod felloniam vocant) ex nulla causa feudum auferre potest, quod solius regis sit, minimeque cancellario concessum. Ita neque hic receptos in Ecclesiam principes, quantumvis graviter postea delinquant, fideique desertores fiunt, regnis et dignitatibus privare, aut alio modo temporaliter punire potest.*

Respondeo: Haec tota ratio deceptionis Barclaji, quod summum pontificem cancellario similem esse ducit, in quo nulla est jurisdictio. Quae similitudo longissime abest a veritate: siquidem Scripturae divinae veram potestatem, et jurisdictionem, eamque amplissimam et supremam pontifici tribuunt: nam quod dicitur Matth. 16. *Quodcumque ligaveris, et quodcumque solveris, non officium cancellarii, sed officium praesidis jurisdictionem habentis sonat.* Et illud, *Pasce oves meas*, Joan. ult. *non officium cancellarii in regno, sed potestatem illam pontifici tribuit in christianos, quam habet pastor in oves, qui eas utique regere et ligare, et baculo ferire et ad omnem obedientiam cogere potest.* Illud etiam quod Apostolus in Actis cap. 20. dicit, *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei: non officium cancellarii, sed officium rectoris et praepositi significat. Denique illud* Matth. 24. *Qui putas est fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam?* non officium cancellarii nobis ostendit, sed officium magistri domus, qui toti familiae cum potestate praeest. Quare summus pontifex non cancellario, sed prorege in regno, vel vicario in episcopatu, vel rectori in civitate, vel praeposito in familia, vel capiti in corpore comparari debuit: et haec quidem a nobis dicta sunt, si admittenda esset sententia illa Barclaji, quod principes cum ad Ecclesiam veniunt, soli Christo fidelitatem et obedientiam spondeant: sed ea sententia falsa est, neque eam admittere ulla ratione possumus, spondent enim principes obedientiam et fidelitatem expresse vel tacite, non Christo solum, sed etiam iis, qui Christi locum in terris gerunt. Atque huc pertinet illa confirmatio argumenti, quam ego rationi meae quartae subjeci, et quam Barclajus in extremo cap. 24. refert, et quorsum pertineat, ignorare se dicit, aut fingit.

Quod autem, inquit, *huic quartae rationi subjicit: (nam non est idoneus sacramento Baptismi, qui non est paratus Christo servire, et propter ipsum amittere quicquid habet: ait enim Dominus* Luc. 14. *Si quis venit ad me, et non odit patrem, et matrem, et uxorem, adhuc autem, et animam suam, non potest meus esse discipulus. Id quorsum spectet, non video: nemo certe hoc negat, sed quid inde? talis ratio non magis ad institutum pertinet, quam quod remotissimum est: ut nec illud, quod ibidem sequitur. (Praeterea Ecclesia graviter erraret, si admitteret aliquem regem, qui vellet impune fovere quamlibet sectam, et defendere haereticos, et evertere religionem) est hoc verissimum, sed ut dixi, nihil ad institutum pertinet: non enim de ea re hic quaestio est, sed de potestate temporali Ecclesiae sive summi pontificis.*

Respondeo: Quorsum ista pertineant, et quod ad rem propositam maxime faciant, ita ostendo. Fingamus regem aliquem infidelem ad Ecclesiam venire, et a Barclajo institutum ita loqui, Ego civis sanctorum per Baptismum effici cupio, et sancte promitto, sceptrum meum Christo velle subjicere, Ecclesiam ejus pro viribus defendere, et numquam a sancto proposito deficere: protestor tamen, quod si forte fidem fregero, si haereticus, si apostata, si paganus evasero, si religionem catholicam persequi, et funditus evertere conatus fuero: nolo ab Ecclesia, vel ejus praeside, sed a solo Christo poena temporali puniri: et si forte praeses Ecclesiae per sententiam excommunicationis me de coetu piorum expulerit; volo ut nihilominus fideles Ecclesiae filii mihi, ut regi servire, et obedire teneantur, neque ab hujus obedientiae vinculo absolvi ullo modo possint. Quaero nunc a Barclajo, an ejusmodi rex ab Ecclesia, ut idoneus, ad Baptismum possit admitti? affirmabit opinor; sed a prudentibus irridebitur. Nam si quis civitate terrena donari vellet, et protestaretur, si proditor civitatis fieret, nolle se a praeside civitatis, sed a solo rege in longinqua regione manente, immediate posse puniri: quis non rideret? Certe qui paratus esse debet, juxta evangelium, vitam propriam exponere pro Christi fide, nonne magis paratus esse debet regnum terrenum amittere? ridiculum autem est, dicere, paratus sum regno privari, si fidem fregero; sed nolo privari per sententiam hominum, volo per angelos de coelo sententiam pronunciari. Certe etiam Ecclesia valde esset imprudens, si in gremium suum admitteret eum, qui vellet impune grassari in Ecclesiae membra, et nollet fidelem populum posse per ullam hominum mortalium auctoritatem a sua tyrannide liberari.

CAPUT XXV.

Defenditur quinta ratio Bellarmini pro potestate summi pontificis in temporalibus.

In cap. 23. Barclajus excutit rationem meam quintam, ac primum eam refert his verbis: Quinta

et postrema ratio est ex cura, et officio pastorali. Cum Petro dictum est, inquit, *Pasce oves meas*, Joan. ult. Data est illi facultas omnis, quae pastori necessaria ad gregem tuendum: at pastori necessaria est potestas triplex, una circa lupos, ut eos arceat omni ratione, qua poterit: altera circa arietes, ut si quando cornibus laedant gregem, possit eos recludere: tertia circa oves reliquas, ut singulis tribuat convenientia pabula; ergo hanc triplicem potestatem habet summus pontifex.

His recitatis subjungit Barclajus: *Ex hoc principio et fundamento, tria, ut illi videtur, argumenta urgentia deducuntur. Sed ne longius abeat, respondeo in primis ad istud ipsum fundamentum, totum verum esse, ac pro me stare, atque inde contrarium ejus, quod ipse asserit bellissime colligi.* Haec ille, qui post multa inania verba texit hunc syllogismum: *Christus commendando suas oves Petro dedit omnem potestatem necessariam ad tuendum gregem. Atqui non dedit ei potestatem temporalem: Ergo potestas temporalis, non est necessaria ad tuendum gregem.*

Respondeo: Si per potestatem temporalem velit intelligi Barclajus potestatem, quae sit in se proprie et formaliter temporalis; admitti potest argumentum: sed nego inde sequi, non esse necessariam summo pontifici potestatem, quae licet sit in se spiritualis, tamen extendi possit ad temporalia, prout ad spiritualia referuntur, eisque subordinantur. Sin autem per potestatem temporalem intelligat potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia: tum dico, falsam esse assumptionem: et addo syllogismum Barclaji eo vitio laborare, quo nullum est in arte disserendi notius, id enim assumit, et sibi concedi petit, quod vertitur in quaestionem. Assumit enim s. Petro non fuisse datam temporalem potestatem, quasi hoc ipsum non esset quod in toto libro suo probare contendit. Et certe si isto modo disputare liceret, possem ego quoque ita ratiocinari: Christus Petro dedit eam solum potestatem, quae necessaria est ad tuendum et pascendum gregem: Atqui dedit potestatem spiritualem, quae extenditur ad temporalia, ut ad spiritualia referuntur; ergo ejusmodi potestas necessaria est ad gregem tuendum, atque pascendum. Sed audiamus alium syllogismum Barclaji, priori non dissimilem.

Deinde, inquit, *progredimur hoc modo, Absurdum est summum pontificem, quatenus successor est b. Petri, habere plus potestatis, quam habuit Petrus. At Petrus nullam habuit potestatem temporalem in christianos: ergo nec summus nunc pontifex, quatenus successor ejus est.*

Ac ne hic quoque objiciatur, eum assumere, quod erat probandum: probat assumptionem ex Bellarmino lib. 5. de Pontif. cap. 6. Ubi dicit, potestatem spiritualem, et temporalem esse similes spiritui et carni: et quemadmodum spiritus et caro possunt esse conjuncta, ut in homine: et separata, ut in angelis et bestiis: sic etiam potestas spiritualis et temporalis possunt esse conjunctae, ut nunc sunt inter christianos; et separatae, ut erant tempore apostolorum, quando nullus erat in Ecclesia princeps politicus. Ex his ita colligit Barclajus.

Si separatae erant hae potestates tempore apostolorum, ut erant revera de jure et de facto: consequitur necessario, divum Petrum nullam habuisse temporalem potestatem: alioqui falsum esset eas fuisse separatas.

Hoc argumentum tanti facit Barclajus, ut paulo infra dicat.

Et vero hae rationes apertiores sunt, quam quibus aliquis sine fraude reniti, et repugnare possit; ut mirum sit homines eruditos, caeterosque pios, ita zelo quodam inconsiderato obcaecari, ut dubia pro certis, pro perspicuis obscura, pro rectis contorta, pro expeditis denique involuta et implicata multis controversiis, et contradictionibus amplecti, et sequi non dubitent: Haec ille, qui usque ad finem capitis pergit reverentiam suam erga sedem apostolicam praedicare, nostram caecitatem redarguere, et multa ex iis, quae antea dixerat, more suo repetere.

Respondeo: Verissime dictum est a Bellarmino simillimam esse potestatem spiritualem, sive ecclesiasticam spiritui et temporalem, sive politicam carni: quam similitudinem ante Bellarminum ad hanc rem explicandam adhibuerunt s. Gregorius nazianzenus, Hugo de s. Victore, s. Thomas, Alexander Alensis, Thomas Waldensis, et alii. Nec minus vere dictum est, eas potestates tempore apostolorum fuisse separatas, quo modo spiritus angelicus separatus est a carne: et caro brutorum separata est a spiritu: nunc autem conjunctas esse, quo modo spiritus, et caro conjunguntur in homines. Ex his autem recte colligitur, s. Petrum habuisse potestatem apostolicam, idest, spiritualem et ecclesiasticam, supremam et amplissimam, et non habuisse potestatem regiam, sive imperatoriam, aliamve mere temporalem, atque politicam: sed non recte colligitur, potestatem spiritualem s. Petri non se potuisse extendere ad omnia temporalia, et ad ipsa regna et imperia dirigenda et corrigenda, si reges et imperatores christiani fierent. Itaque discrimen inter tempus apostolicum et nostrum non est circa potestatem, quae semper eadem fuit in s. Petro, et in successoribus; sed circa materiam subjectam, sive circa usum potestatis: tunc enim potestas apostolica non exercebatur in regibus dirigendis, quia nulli erant reges in Ecclesia christiana, cujus Ecclesiae pastor et rector est Christi vicarius: nunc autem eadem illa potestas exercetur in regibus dirigendis et corrigendis, quoniam non desunt in Ecclesia reges et principes politici.

Ac ut exemplis rem illustremus, certe spiritus humani a corporibus separati, iidem sunt, qui antea erant cum corpora animarent, et eamdem ipsam potestatem habent, quam antea habebant: et tamen nunc separari non regunt corpora, ut antea regebant, et iterum post resurrectionem regent, sic etiam spiritus angelici sive boni, sive mali, dum corpora nulla assumunt, non exercent potestatem in membra corporis: cum autem vel corpora aërea sibi adjungunt, vel in corpora humana ingrediuntur, corpora illa nutu movent, eisque imperant, et mo-

derantur: nec tamen ullus erit tam imprudens, qui existimet angelos acquirere potestatem novam,cum corpora assumunt: pari ratione cum in corpore humano membrum aliquod abscinditur, et a reliquo corpore separatur, non potest spiritus membrum illud movere, eique dominari; non quod potestas spiritui desit, sed quia deest membrum,in quo movendo spiritus exerceatur.Denique initio Ecclesiae christianae antequam apostoli diaconos ordinarent, non poterant apostoli diaconis uti, eisque imperare: posteaquam autem ordinati sunt, iis apostoli utebantur, eisque imperabant. Num igitur concedemus, defuisse apostolis aliquam potestatem ecclesiasticam antequam diaconi esse coepissent in Ecclesia? concedemus omnino, si cum Barclajo desipiamus, qui ex defectu materiae defectum colligit potestatis.Ex his apparet,quam levia sint argumenta Barclaji, quae ipsius judicio demonstrationes indissolubiles videbantur.

CAPUT XXVI.

Defenditur prima pars rationis quintae pro potestate summi pontificis in temporalibus.

In cap. 26. aggreditur Barclajus refutare primam partem rationis meae quintae: erat autem haec ratiocinatio.Pastori necessaria est potestas circa lupos, ut eos arceat omni ratione qua poterit ab ovili: lupi autem, qui Ecclesiam vastant, sunt haeretici: Ergo si princeps aliquis ex ove,aut ariete lupus fiat,idest, ex christiano fiat haereticus,poterit pastor Ecclesiae eum arcere per excommunicationem,et simul jubere populo ne eum sequatur, ac proinde privare dominio, quod habet in subditos.

Ad hanc ratiocinationem Barclajus respondens admittit omnia, excepta illa extrema parte conclusionis, qua diximus, posse pastorem jubere populo, ut non sequatur amplius regem suum: distinguit enim hanc partem, ac dicit, Posse quidem pastorem jubere fidelibus, ut non sequantur regem haereticum in haeresibus, sed non posse jubere, ut non sequantur eum in rebus politicis.

Addit autem posse quidem regem haereticum privari communione fidelium in rebus sacris, sed neque hoc esse faciendum, si periculum sit schismatis et scandali, et graviorum malorum, ex Augustino lib. 3. cap. 2. contra epist. Parmeniani: de qua re diximus, cap. 9. Ubi haec eadem Barclajus fusius tractavit; jam enim admonui, Barclajum in repetitione rerum earumdem magnam partem libri sui consumere voluisse.

His igitur omissis, tota ratio, ob quam negat Barclajus posse a summo pastore prohiberi fidelibus, ut regi haeretico obedientiam etiam in rebus politicis praestent, ea est,quoniam jure divino debetur regibus obedientia: et non potest ullus homo, ac ne ipse quidem summus pontifex dispensare in jure divino; et ad hoc probandum adducit rescriptum Innocentii III. qui cap. *Cum ad monasterium*, de statu monach. dicit: *Non posse dispensari cum monacho,ut uxorem ducat, vel rerum proprietatem habeat*: et hoc loco multa disputat de jure divino et humano, et de matrimonio Constantiae Rogerii regis filiae, quae cum esset sanctimonialis ex dispensatione Clementis III. pontificis nupsisse dicitur Henrico VI. imperatori.

At nos supra, rationem Barclaji nullius roboris esse demonstravimus: quoniam de jure divino est, ut inferior obediat superiori,quamdiu superior est; sed si desierit esse superior, desinet etiam praeceptum de obedientia illi exhibenda. Id quod ostendimus ex multis similibus:siquidem juris divini est, non solum, ut populus obediat regi; sed etiam ut filii obediant patri, servi domino, uxores maritis:et tamen si filius emancipetur, et servus libertate donetur, et uxor per divortium, aut repudium a marito separetur, non amplius tenentur lege illa divina: quemadmodum etiam promissio jurata jure divino servanda est,et tamen si is, cui promissio facta est, eam relaxet, non tenebitur eam implere qui promisit. Restitutio jure divino sancita est, et tamen si creditor debitum remittat,restitutionis obligatio nulla restat: atque exempla similia plurima possent adduci. Sic igitur, jure divino tenetur populus regi servire, dum rex est: sed si rex desinat esse, quod multis modis fieri potest; nulla remanet obligatio servitutis, aut obedientiae, non est autem de jure divino, ut rex justis de caussis deponi non possit: multoque minus juris divini est,ut summus pontifex declarare non possit, regem haereticum non esse legitimum regem, nullamque ei deberi a fideli populo obedientiam.

Quod autem attinet ad cap. *Cum ad monasterium*,de statu monachorum, res facilis est: id enim solum Innocentius docet, non posse consistere matrimonium, et proprietatem rerum cum statu monachorum; cum ad essentiam vitae monasticae pertineat continentia et paupertas. Itaque non poterit summus pontifex facere, ut idem monachus sit et conjugatus: idem monachus et dives opum in particulari. Aliud autem est, utrum possit summus pontifex dispensare cum monacho, ut transeat a vita monastica ad vitam saecularem, et saecularis effectus matrimonium inire possit,et opes proprias retinere, de hoc enim varie sentiunt doctores. De Constantia vero Rogerii regis filiae fabulam esse existimamus, quod sanctimonialis et velula cum esset, dispensatione Clementis III. nupserit Henrico VI. Nam Gotefridus Viterbiensis, qui Henricum VI. in literis et moribus instituebat , scribit, nuptias Henrici cum Constantia celebratas Mediolani anno salutis 1186. sedente in apostolica sede Urbano III. et ipsa Constantia annum trigesimum agente,ex quo sequitur, ut falsum sit dispensasse cum ea in votis monasticis Clementem III. vel, ut alii dicunt,Celestinum III. ut alii, Alexandrum III. nam hic jam obierat, illi nondum sedere coeperant: falsum quoque sit, eam nupsisse cum esset velula annorum supra quinquaginta: falsum denique fuisse antea sanctimonialem, cum id nullus scribat ex iis, qui eo tempore vixerunt. Vide card. Baronium tom.12. Annalium ad annum 1186.

CAPUT XXVII.

Utrum votum, an juramentum magis obliget.

In cap. 27. Barclajus, ut caussae suae undique adjumenta conquirat , confert votum monachorum

cum juramento illo, quo populi regibus fidelitatem et obedientiam pollicentur. Ac dicit, pontificem ex aliquorum doctorum sententia dispensare posse in votis monachorum, sed etiam si hoc detur, non esse admittendum, ut dispensare possit in juramento, quo populi ad regis obedientiam se adstringunt. Videtur igitur sentire Barclajus majus vinculum juramenti esse, quam voti, cujus tamen contrarium diserte docet sanctus Thomas in 2. 2. qu. 89. art. 8. et omnis fere schola theologorum in 3. sent. dist. 39. Votum enim est promissio facta Deo; juramentum est confirmatio promissionis homini factae: magis autem tenetur homo implere promissionem factam Deo, quam homini, deinde qui votum violat, infidelis est Deo: qui juramentum frangit, crimen irreverentiae in Deum committit: gravius autem crimen infidelitatis est, quam irreverentiae: cum infidelitas omnis erga superiorem irreverentiam conjunctam habeat, non omnis irreverentia infidelitatem. Igitur gravius peccat votifragus, quam juramenti violator; proinde magis obligat votum, quam juramentum. Denique votum res est absolute bona; juramentum bonum est necessitate cogente: alioqui Dominus Matth. 5. dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Et Jacobus in epistola sua cap. 5. *Ante omnia*, inquit, *fratres mei nolite jurare*: nusquam autem legimus, nolite vovere; sed contra, rex et propheta David hortatur, dicens in psal. 75. *Vovete et reddite Domino Deo vestro.* Igitur votum nobilius juramento est, ac per hoc gravius peccat qui votum frangit, quam qui juramentum violat; proinde magis obligat votum, quam juramentum: quare si summus pontifex dispensare potest in votis, multo magis poterit in juramento.

Sed Barclajus resistit hac ratione: *Totus ordo monachalis, aliique in Ecclesia, ut quidam volunt, ab humanis constitutionibus, et jure positivo profecti sunt, in quos idcirco plena, et omnimoda potestas pontifici est, uti superius paulo diximus: at submissio et obedientia regibus ac principibus, atque omnibus omnino praepositis et superioribus debita, est juris naturalis, et divini utroque testamento confirmata. Nam licet de humano jure sit, ut hac, aut illa reip. forma utamur, vel hunc, aut illum principem habeamus; tamen ut cum, quem semel accipimus, revereamur, eique in omnibus, quae Dei mandatis non repugnant, submisse pareamus, non humanae solum, sed naturalis et divinae est ordinationis.*

Respondeo: Hoc argumentum ab omni parte nutat: nihil enim solidi, nihil firmi habet. Nam quod totus ordo monachalis ab humanis constitutionibus et jure positivo profectus sit, non modo falsum, sed etiam haereticum est, siquidem consilia evangelica, in quibus ordo monasticus fundatur, non ex humana constitutione, sed ex ipso ore Domini, ac Dei nostri Jesu Christi profecta sunt: de qua re fuse tractavi in lib. de monachis, neque id ullus catholicus negat. Deinde vota ipsa monastica, in quibus essentia monasticae vitae consistit, juris esse divini, non modo catholici omnes docent, sed et ipse Barclajus paulo ante confessus est. Unde ergo nunc totum ordinem monasticum ab humanis constitutionibus et jure positivo profectum esse dicit? Praeterea si, ut ipse in hoc suo argumento assumit, submissio regibus ac principibus, atque omnibus praepositis et superioribus debita, est juris naturalis, et divini in utroque Testamento confirmata; ergo submissio monachorum suis praepositis et superioribus debita, est juris naturalis et divini, in utroque Testamento confirmata. Unde igitur Barclajus colligit, posse pontificem dispensare in obedientia, et submissione monachorum erga suos praepositos et superiores; et non posse in obedientia, et submissione populorum erga reges et principes, cum utraque sit juris naturalis et divini in utroque Testamento confirmata? quin etiam cum obedientia monachorum habeat votum, idque solemne adjunctum: et obedientia populorum simplici juramento confirmata sit: videtur omnino facilius posse dispensari per summum pontificem, in obedientia populorum, quam monachorum, cum voti vinculum majus sit, quam juramenti, ut theologi docent. Denique quemadmodum Barclajo teste juris humani est, qua forma reip. utamur, et hunc aut illum principem habeamus; sed posteaquam aliquem accipimus in principem ut ei pareamus, juris divini est: sic etiam juris humani est quo ritu et forma vivendi monachi utantur, et hunc aut illum praepositum habeant; et tamen ut ei, quem in praepositum semel susceperunt, submisse pareant juris divini est. Ergo omnia paria sunt, neque ulla est ratio cur possit summus pontifex in uno dispensare, et non in altero, idest, cur possit monachos a vinculo obedientiae praeposito suo promissae absolvere, et non possit absolvere subditum a vinculo obedientiae regi suo promissae.

Pergit Barclajus, et aliud argumentum texit ex natura voti, et juramenti: quod argumentum, quia non multum ad rem facit, et tamen verbosissime ab ipso proponitur, ego in pauca contraham, ut vis argumenti quanta sit appareat: sic igitur ille ratiocinatur: Votum est promissio facta Deo et Ecclesiae, proinde creditor principalis est Deus: potest autem pontifex, qui vicarius Dei est, et caput Ecclesiae loco Christi, declarare non displicere Deo et Ecclesiae, ut promissio illa ob justam aliquam caussam, et magis Deo gratam, quam sit promissionis illius adimpletio, remittatur et condonetur ei, qui voverat. At juramentum quo pactum aliquod, vel sponsio obsignatur, non facit Deum proprie creditorem, sed hominem, cum quo pactum initum, et cui promissio jurata facta est: quod ex eo perspicuum est, quod homo creditor potest etiam sine ulla caussa liberare debitorem et juramento solvere; si illi promissionem sibi factam libere remittere velit: neque hic habet locum interpretatio aut declaratio summi pontificis, cum homo ipse creditor per se loquatur. Ergo non potest summus pontifex homines a juramento solvere, quoniam privaret creditorem invitum obligatione sibi optimo jure quaesita, et omni jure divino et humano licita.

Respondeo: Quando summus pontifex solvit homines juramento, non tollit jus quaesitum ex justa et licita obligatione: sed vel declarat obligationem et promissionem fuisse, vel factam esse illicitam, ut cum absolvit populos a juramento fidelitatis praestito principi haeretico, vel qui postea in haeresim

lapsus est: aut tollit vinculum juramenti, relicta promissione in suo vigore, ad eum finem tantum, ut possit, qui promiserat, sine periculo sacrilegii prosequi jus suum coram legitimis judicibus.

Sed haec Barclajo non erant incognita, ut qui juris prudentiam praecipue profiteretur: ideo subjungit: *Sed esto auferre ex caussa possit, et promissionem jurisjurandi vinculo liberare (ne de hac re amplius cum canonistis hic contendam) auferat igitur; quid ei deinde facto consequens in nostro hoc negotio videtur? liberum fore populum, dices, ab imperio et subjectione principis, statim atque jurisjurandi nexu solutus est. Ita ne vero? an non perspicis, jusjurandum hoc non esse nisi accessionem tantum confirmatricem illius obligationis, qua fides et obedientia principi promissa est, an ignoras accessiones tolli et liberari posse sine interitu principalis obligationis? Manet ergo adhuc obligatio, cui jusjurandum accesserat; quae quoniam juris naturalis, et divini est, non minus tenet hominum mentes, et conscientias apud Deum, quam si esset juramento sustentata.*

Respondeo: Potest quidem, ut supra dixi, tolli vinculum juramenti, etiamsi non tollatur promissionis obligatio. Sed quando summus pontifex propter haeresim, aut aliam justam caussam, solvit populos a juramento fidelitatis, simul etiam solvere solet a vinculo promissionis, ac jubere, ut populi non amplius obediant ei, cui promissionem obedientiae fecerant: posse autem id pontificem, ut Christi vicarium, praestare, nos supra ex doctoribus et conciliis, et ex ipsis etiam divinis literis ostendimus, et ante multos annos idipsum quinque rationibus theologicis ostendimus: neque Barclajus omnibus suis argumentis et cavillationibus eas rationes refellere potuit. Nam quod hoc loco iterum repetit et inculcat, obligationem parendi regibus esse juris naturalis et divini: non semel a nobis explicatum est, id esse intelligendum de obligatione parendi regibus, dum reges sunt: non esse autem juris naturalis et divini, ut rex non possit regno privari, si haereticus efficiatur et ratio manifesta et usus frequens apertissime demonstravit.

At, inquit Barclajus, *hoc axiomate Bellarminus praecipue nititur, dum vult ostendere, papam non posse subjicere se ipsum sententiae coactivae conciliorum: quoniam (inquit lib. 2. de conciliis, cap. 18.) papae potestas super omnes est de jure divino: non autem potest papa dispensare in jure divino.*

Respondeo: Si papa se ipse subjiceret sententiae coactivae conciliorum, aut principum quorumcumque, vere subjiceret superiorem inferioribus, ac per hoc cum divino et naturali jure pugnaret: nam jure divino papa est pastor et pater et praepositus omnium christianorum, ac per hoc superior omnibus, qui oves et filii et subditi ipsius sunt: et jure etiam divino superior ab inferiore judicari non potest judicio saltem coactivo. At vero cum papa judicat regem, vel etiam deponit; nihil agit contra jus divinum, quoniam superior inferiorem judicat, pastor ovem, pater filium, praepositus subditum, quod est juri divino et naturali rationi maxime consentaneum. Quamvis enim reges in temporalibus non agnoscant superiorem temporalem, vel etiam nullum agnoscant directe nisi Deum: tamen agnoscere debent superiorem spiritualem, cujus potestas ad temporalia se extendit, quatenus ea spiritualibus subordinantur, ut supra non semel dictum est.

Ad extremum sic loquitur Barclajus. *Ne qua cremus, tenendum est, apostolicae potestatis plenitudinem eam tantum potestatem complecti, quam Dominus Jesus Dei Filius, cum in hoc mundo versaretur, ut homo inter homines habere voluit: et eatenus papam nobis Christum referre et ejus esse vicarium; non autem potestatem illam, quam ut Dei Filius, Deus ipse Patri aequalis ab aeterno habuit, et divinitati suae omnipotentiae reservavit. de qua ait: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.*

Respondeo: Non admitto solum, quod Barclajus hic postulat, plenitudinem apostolicae potestatis, non esse parem omnipotentiae divinitatis Christi: sed addo etiam, non esse omnino aequalem illi potestati, quam in terris habere voluit, et habuit Christus, ut homo. Christus enim etiam dum mortalis cum mortalibus versaretur, habuit potestatem, quam theologi vocant excellentiae, per quam sacramenta instituere poterat, et sine sacramentis peccata remittere, et alia id genus, ad quae plenitudo potestatis pontificiae non pertingit. Itaque non sum de numero eorum de quibus ait. Joan. de Turrecremata scripsisse, in can. *Conjunctiones* 35. quaest. 2. Mirum est, quod summi pontifices loquantur moderate de potestate eis data, et quidam doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt adulando eos quasi aequiparare Deo. Nihilominus tamen securus affirmo, potuisse Dominum nostrum Jesum Christum tempore mortalitatis suae, disponere de temporalibus omnibus, et reges ac principes regnis dominiisque privare, et hanc potestatem vicario suo sine dubio concessisse, ut ea utatur, quando necessarium judicaverit ad animarum salutem, quae illi praecipue curae esse debet.

CAPUT XXVIII.

Digressio circa sententiam cap. Inter corporalia, *de translatione episcopi.*

In cap. 28. invehitur Barclajus in canonistas, quos dicit potestatem omnem divinam et humanam pontifici attribuere, ex ignoratione verae sententiae verborum Innocentii III. pontificis, quae habentur cap. *Inter corporalia*, de translatione episcopi. Ibi enim Innocentius dicit, fortius esse vinculum conjugii spiritualis, quod est inter episcopum et Ecclesiam, quam sit vinculum conjugii carnalis inter virum et mulierem. Et quoniam vinculum conjugii carnalis homo solvere non potest, juxta illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: Vinculum autem conjugii spiritualis non raro papa dissolvit: videtur sequi, ut, aut falsum scripserit Innocentius, aut papam Deo aequare voluerit.

Sed quoniam haec disputatio ad institutum no-

strum non pertinet, et Barclajus, ideo solum hanc digressionem libro suo inseruit,ut occasionem haberet canonistas carpendi: nam, et in hoc capite audacter scribit, nihil esse meris canonistis imperitius; et in cap. sequenti non veretur dicere, Innocentium IV. et Joannem Andream canonistarum facile principes ineptissime hunc locum Innocentii III. explicavisse: propterea non ero in hoc capite confutando prolixior. Nam neque canonistae,inter quos multi viri doctissimi inveniuntur, defensione mea indigent; neque ego scientiam canonum ita calleo, ut audeam me patronum canonistarum profiteri. Illud unum annotare placuit, Barclajum calumniatorem videri, dum dicit canonistas summo pontifici divinam auctoritatem ex verbis Innocentii perperam intellectis, tribuere. Id enim tantum abest a vero, ut contra potius nonnulli eorum propter istum canonem pontifici detrahere, aut illum colligere, non vereantur. Glossa certe, ubi Innocentius dicit: Fortius esse vinculum spirituale,corrigit, dicens, dignius, non fortius: et Ostiensis in Summa, de Elect. num. 21. ut ipse hoc loco Barclajus refert, Illa, inquit, ratio non est sufficiens, salva auctoritate et reverentia reddentis. Denique neque Innocentius IV. neque Jo. Andreas, neque Abbas panormitanus, neque Ancaranus, neque ullus alius ex iis quos videre potui, ex verbis Innocentii III. divinam potestatem summo pontifici tribuunt, ut Barclajus calumniatur.

CAPUT XXIX.

De vero sensu cap. Inter corporalia, *de translatione episcopi.*

In cap. 29. Barclajus rejectis aliorum explicationibus,profert sententiam suam de vero sensu cap. *Inter corporalia*, de translatione episcopi: et in summa dicit, verba hujus capituli pugnare cum mente legislatoris, ut aliud pontifex senserit, aliud scripserit. Hoc autem, quid aliud est, nisi pontificem facere vel ignorantem, qui nescierit mentem suam explicare, vel malignum, qui voluerit mentiendo lectores decipere? At fuit Innocentius omnium consensu pontifex optimus et sapientissimus, ut procul ab eo abfuerit tum ignorantia, tum malignitas. Dicam igitur quid mihi videatur pontifex in hoc obscuro capitulo docere voluisse; et, nisi fallor, ostendam, verba capituli non tantum in se esse verissima, sed etiam ad mentem pontificis explicandam aptissima. Fortius esse dicit pontifex vinculum conjugii spiritualis, quam carnalis. Id esse verum probatur hac ratione, quoniam vinculum conjugii spiritualis non potest in totum solvi, ne per mortem quidem, semper enim manet impressus character episcopalis, qui nulla vi deleri potest: vinculum autem conjugii carnalis per mortem ita solvitur, ut si maritus defunctus ad vitam rediret, non posset uxorem repetere, quam vivens duxerat, doctrina est Apostoli ad Roman. 7. Deinde vinculum conjugii spiritualis a solo pontifice maximo solvi potest, non quidem omnino, ut diximus, sed in ordine ad Ecclesiam particularem cui junctus erat. Solus enim Christi vicarius episcopos transferendo, vel deponendo,vel facultatem renunciandi tribuendo, solvit a vinculo, quo Ecclesiae suae tenebantur obstricti: vinculum autem conjugii carnalis non solus papa, sed ipsi etiam contrahentes aliquando licite, libereque dissolvunt.Siquidem matrimonium ratum, non consummatum potest alter conjugum jure solvere, si ordinem religiosum profiteri velit, ex concilio trid. sess. 24. can. 7.neque in hac re ullam a summo pontifice facultatem petere debet. Item matrimonium inter infideles contractum et consummatum, quod utique verum matrimonium est, potest dissolvere alter conjugum, si ad fidem christianam convertatur altero conjuge in infidelitate remanente, ex Apostolo 1. Cor. 7. Idem in Testamento veteri, matrimonia etiam consummata passim ipsi conjuges per libellum repudii dissolvebant, neque pontificis auctoritatem expectabant, ex Deuteronom.cap. 24. Denique matrimonia rata et consummata fidelium solvi possunt quoad thorum et cohabitationem certis de caussis ab episcopis particularibus; matrimonium spirituale, ne quoad cohabitationem quidem ab alio, quam a summo pontifice solvi potest. Ex his igitur manifeste colligitur vinculum spiritualis conjugii, quod a solo pontifice solvi potest, firmius ac fortius esse,quam vinculum conjugii carnalis,quod ab ipsis conjugibus, vel ab inferioribus sacerdotibus solvitur. Atque huc respexisse videtur Innocentius pontifex, cujus propositum in eo capitulo erat docere, translationes episcoporum sine pontificis maximi consensu fieri non posse.

CAPUT XXX.

Respondetur ad objectiones contra primam partem rationis quintae pro potestate summi pontificis in temporalibus.

In cap.30.Barclajus post longas digressiones revertitur ad primam partem rationis quintae Bellarmini, quam in cap. 25. sibi refutandam susceperat. Ait igitur:

Admittimus quidem ejus propositionem, pastori scilicet necessariam esse potestatem circa lupos, ut eos arceat omni ratione qua potest. Admittimus et assumptionem, lupos videlicet, qui Ecclesiam Dei vastant,esse haereticos. Ex quibus concludit hoc modo.Ergo si princeps aliquis ex ove, aut ariete fiat lupus, idest, ex christiano fiat haereticus, poterit pastor Ecclesiae eum arcere per excommunicationem, et simul jubere populo ne eum sequatur, ac proinde privare eum dominio in subditos. Vitiosa collectio, cujus loco in bona dialectica reponendum est, Ergo si princeps aliquis ex ove, aut ariete fiat lupus, poterit princeps Ecclesiae eum arcere omni ratione qua potest.

Respondeo: Nullum hic est vitium, sed compendio dictum est, quod longiori circuitu dici potuisset: nam ratio, qua potest et solet pastor Ecclesiae haereticos, quasi lupos ab ovili suo arcere, illa est, ut per sententiam excommunicationis eos removeat

a commercio catholicorum et per absolutionem a vinculo subjectionis efficiat, ne populus catholicus principem haereticum deinceps sequatur. Neque propositum mihi fuit in libris scribendis, syllogismos proprie formare secundum figuras et modos, ut in scholis faciunt, qui de proposita quaestione, exercendi ingenii gratia disputant: sed vim rationum explicare, atque ostendere, ut alii faciunt, qui libros theologicos scribunt.

At, inquit Barclajus, *potest quidem pastor Ecclesiae jure suo excommunicare regem haereticum: sed absolvere populum a juramento fidelitatis, aut jubere ne populus catholicus regem haereticum in rebus politicis sequatur, jure non potest, cum hoc juri divino et naturali repugnet.*

Ac ne illi fortasse objiciamus, quod non servaverit formam argumentandi, format hunc syllogismum.

Summus pontifex nihil praecipere vel dispensare potest contra jus naturale et divinum: Atqui subjectio et obedientia principibus et superioribus debita, est de jure naturali et divino: Ergo summus pontifex nihil contra eam praecipere, vel dispensare potest: et per consequens non potest praecipere subditis, ne principi suo temporali obediant in eo; in quo princeps est et superior: et si de facto praeceperit, licebit subditis, tamquam extra territorium jus dicenti, impune non parere. Utrumque propositum est certo certius, ex quibus conclusio necessaria consecutione inducitur. Qui hujus argumenti vim enervaverit, is magnam mecum gratiam inibit. Ego mehercle, ut ingenii mei tenuitatem ingenue fatear, non satis perspicio, qua possit solida ratione elidi.

Respondeo: Haec sunt omnia refutata in cap. 26. neque aliquid novi Barclajus attulit hoc loco, sed aliis et aliis verbis more suo eadem repetivit. Sed ne queratur nihil nos ad insolubilem ejus demonstrationem in forma respondisse, distinguo assumptionem: nam cum assumit, Atqui subjectio et obedientia principibus et superioribus debita de jure naturali et divino; si intelligat de principibus et superioribus, pro tempore quo principes et superiores legitimi sunt; verum assumit, sed nihil inde concludere potest: nam principes haeretici post sententiam summi pontificis declarantis illos excommunicatos et depositos, non sunt amplius legitimi principes, vel superiores: sin autem intelligat de principibus et superioribus pro quocumque tempore, etiam post abrogatum illis imperium; falsum assumit, neque de hac re ullum esse dubium potest. Nam jure divino tenentur subditi non solum obedire regi tamquam praecellenti, sed etiam ducibus, tamquam ab eo missis, ut scribit s. Petrus in priore epist. cap. 2. et tamen posteaquam rex abrogavit duci potestatem, non tenentur amplius illi obedire, quemadmodum neque ipsi regi obedire tenentur, quando jure a regni solio dejectus est. Quare Barclajus si aliquid solidi adferre voluisset, debuisset probare, principes terrae cum semel principatum adepti sunt, jure divino in principatu ita stabilitos esse, ut nulla vi, nulloque jure dejici possint a principatu: hoc autem, in quo totius vertitur cardo quaestionis, numquam probare potuit.

Sed dicet, esto principes deponi possint, non tamen deponi possunt, nisi a superiore.

Respondeo: Papam omnino superiorem esse cum sit vicarius Jesu Christi, non puri hominis, sed Dei et hominis, ac per hoc sit vice Christi pastor et pater rector et caput omnium christianorum, etiam principum, regum et imperatorum, ut saepe dictum est, et ex ipsis divinis literis manifeste deducitur.

At, inquit Barclajus, *papa quidem superior est, sed non in eadem specie superioritatis: superior enim est regibus et principibus in rebus divinis et spiritualibus: in temporalibus autem fatentur ipsi pontifices, se regibus superiores non esse, ut notum est ex cap.* Per Venerabilem. Qui filii sint legitimi, *Ubi pontifex dicit, regem non habere superiorem in temporalibus.*

Respondeo: Jam haec omnia supra esse tractata et discussa: ostendimus enim pontificem superiorem esse regibus etiam in temporalibus, quando propter spiritualia necesse est disponere de temporalibus, quae spiritualibus subordinata esse debent: idque ostendimus ex communi sententia doctorum, allatis testimoniis supra septuaginta; item ex conciliis Ecclesiae generalibus non paucis, denique ex ratione in divinis literis fundata: adversus quae nihil attulit Barclajus, nisi clamores tragicos et verba turgida, sed inania. Quod autem Innocentius scribit reges, non habere superiorem in temporalibus, verissimum est in eo sensu, in quo id Innocentius dicit, quod videlicet sint reges, supremi principes temporales, neque habeant super se alios reges vel imperatores, excepto Deo, qui est rex regum et Dominus dominantium: sed hoc non prohibet, quo minus habeant reges superiorem spiritualem tanta praeditum potestate, ut possit temporalia dirigere ad spiritualia, cum ordinis ratio postulet, ut potestas temporalis subjecta sit spirituali, quando in unum conveniunt et unam Ecclesiam faciunt, quomodo corpus in homine subjicitur spiritui et ab eo regitur et, ubi opus est, corrigitur et castigatur.

Subjungit postea Barclajus longissimam apostrophem populorum ad pontificem, in qua quod ipse millies repetivit, iterum repetendo tribuit populis; quae imperitos et leves permovere forsitan possint: sed homines cordati et prudentes facile intelligent, haec esse refugia miserorum, qui quod viribus obtinere non valent, ea gemitibus et importunitate extorquere conantur. Verumtamen, ne lector existimet, nos laborem respondendi subterfugere velle, aut quae Barclajus in persona populi dicit, majora esse, quam re vera sint, instituam responsionem per modum dialogi et populum verbis Barclaji loquentem et pontificem verbis meis respondentem inducam.

CAPUT XXXI.

Dialogismus inter populum nimis addictum regi terreno, et pontificem populo salubriter consulentem.

Pop. Pater sancte, nequaquam es rege nostro in temporalibus superior: ideoque non potes obse-

quium temporale, quod illi praestamus, impedire.

Pont. Quando salus tua aeterna in periculum adducitur propter obsequium temporale, quod regi praestas; tunc omnino superior sum rege tuo etiam in temporalibus: nam et illum, et te ad vitam aeternam dirigere debeo, et omnia impedimenta de medio tollere, quae hoc iter impediunt.

Pop. Cur nos facere prohibes, quod Deus nos facere imperat?

Pont. Absit; non hoc prohibeo, sed contra potius impero, ne facias, quod Deus te facere prohibet. Ego pastor sum a Christo, qui Dominus gregis est, constitutus. Vos populi, oviculae estis, reges vestri arietes sunt. Itaque dum reges vestri arietes esse perseverant, sino ut vos regant et ducant: sed si vertantur in lupos; aequum ne erit, ut patiar duci oves Domini mei a lupis? Itaque jure veto, ne illos sequamini: nam et hoc Dominus vetat, quoniam cum nimis grandi periculo oviculae reguntur a lupis.

Pop. An quia tuum est, voluntatem Dei in lege divina, et Scripturis comprehensam interpretari?

Pont. Tu dixisti.

Pop. At non est tamen illa interpretatio adhibenda, quae legem penitus evacuet, et mandatum omnino destruat ac dissolvat.

Pont. Quam legem Dei interpretando destruximus aut dissolvimus unquam, vel praedecessores mei, vel ego?

Pop. Si quid dubii, aut obscuri est in lege divina, ad sedem Petri, idest, ad sedem, quam tu nunc tenes, interpretationis veritatem accepturi confugimus: quod autem per se clarum est, et perspicuum, id nulla interpretationis luce indiget.

Pont. Quid tum?

Pop. Cum Dominus et Salvator noster jubeat, nos reddere Caesari, quae sunt Caesaris, et quae sunt Dei Deo: et deinde per apostolum principibus et potestatibus subditos esse, et dicto obedire: tuum est nobis declarare, quae sunt Caesaris, idest, quae a nobis regi nostro debentur, et quae sunt Dei, ut sua utrique reddamus: et in ea distinctione vocem tuam libenter audiemus. At cum dicis, nolite quidquam Caesari, sive principi vestro reddere, contradicis Christo, ac proinde vocem tuam non audimus.

Pont. Quando Dominus dixit, *Reddite quae sunt Caesaris Caesari*, jussit censum dari ei, qui tunc imperabat, neque Judaeos ad idololatriam cogebat, neque adhuc erat ab ulla legitima potestate depositus: quod idem jussit multo antea per Hieremiam prophetam Deus fieri erga Nabuchodonosor regem Babylonis propter eamdem causam, sed cum tempore Machabaeorum Antiochus rex populum avertebat a fide et religione divina, non jussit Deus, ut eum pro rege habere pergerent, sed inspiravit Matathiae, et filiis ejus, viris fortissimis et religiosissimis, ut exercitu congregato bellum cum Antiocho tamquam cum hoste gererent et populum in libertatem vindicarent. Sic igitur et tu populo christiane regi legitimo, et qui a lege Dei et catholica religione te non avertit, quique propterea a me Christi vicario amatur ut filius, reddes obedientiam debitam, in iis, quae contra legem Dei, et fidem catholicam non jubebit. Regem autem, qui te sive minis, sive blanditiis, sive alio modo a via, quae ducit ad vitam, revocare conatur, et per sententiam meam a coetu piorum ejectus, et regno privatus est, pro rege non habebis; sed obedientiam civilem regi debitam alteri exhibebis, qui in ejus locum legitime successerit. Porro Deo, quae Dei sunt reddes, quando fide, spe, et charitate Deum coles, neque ullius hominis timore, vel amore a Dei timore, vel amore separari te sines. Itaque numquam ex me audies, nolite quidquam Caesari, aut principi vestro reddere; sed hoc audies, nolite seduci; ut etiam pro Caesare aut principe vestro habeatis, qui re vera Caesar et princeps esse desiit.

Pop. Fatemur quidem, et profitemur sanctitatis tuae expositioni atque interpretationi in legis divinae observatione locum esse: sed eam non admitti asserimus, quae facit ut jus naturale, et divinum sit ludibrio, et penitus contemnatur, veluti ne a re, de qua agitur, aberremus: jubemur principibus et potestatibus obedire: tuas in hujus mandati observatione explicationes et restrictiones, quae modo mandatum ipsum non extinguunt, tamquam filii obedientes libenter amplectimur: veluti cum nullam inde obligationem parendi regibus oriri dicas, nisi in iis, quae ad temporalem ipsorum jurisdictionem pertinent, spiritualia omnia vicario Christi, atque Ecclesiae reservanda esse. Item cum admones non esse regi obediendum in eo, quod contra jus divinum vel naturale imperat, aut quod alioqui bonis moribus adversatur. At quando simpliciter et absolute praecipis, ne principi nostro legitimo, ejusve monitis, mandatis et legibus ullo modo obediamus: praecepto tuo parere non possumus, quia hoc non est mandata Dei interpretari, quod sanctitati tuae conceditur: sed penitus antiquare, et abrogare, quod nullo modo potes.

Pont. In multiloquio non deerit peccatum: videris enim ex Barclaji alicujus schola prodiisse, dum tot verba sine ratione multiplicas: gravius autem peccas dum doctorem tuum docere, et legislatori legem dare praesumis: sed gravissime delinquis et erras, dum Christi vicario imponis, quod faciat jus naturale et divinum ludibrio haberi, quodque mandatum Dei de obedientia principibus debita antiquare et abrogare velit, nusquam enim ego aut praedecessores mei simpliciter, et absolute (ut tu loqueris) praecepimus, ne principi legitimo, ejusve monitis, mandatis et legibus ullo modo obediatur. Istae calumniae et imposturae sunt doctoris tui Barclaji: quod enim dicimus et docemus hoc est, ut principi ab Ecclesia, publica auctoritate excommunicato et deposito, cui proinde legitimus princeps esse desiit, nulla deinceps obedientia debeatur. Id vero cum nullo divino mandato pugnat: divinum enim mandatum non hoc habet, ut ei, qui princeps legitimus esse desiit, obedientia deferatur. Tu vero diligenter attende et expende, utrum majorem fi-

dem habere debeas patri tuo, Christi vicario et matri tuae Ecclesiae; an uni falso fratri, qui te seducit ac facit, ut contra mandatum Dei, patri et matri non obedias: dum obedientiae regiae zelum sine scientia vis habere.

Pop. Christus cum claves regni coelestis Petro tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum.

Pont. Nescis quid loquaris: siquidem in bono sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum, et de non peccato peccatum, peccatum est inire matrimonium in gradu prohibito, non jejunare in quadragesima, die festo laborare serviliter: et tamen haec omnia et alia id genus plurima, dispensante Petro auctoritate clavium sibi datarum peccata esse desinunt, contra vero potest Petrus addere novum gradum consanguinitatis et affinitatis, addere novum diem jejunii, addere novum diem festum, et hinc fient peccata, si quis in gradu illo addito conjugium contrahat, aut diebus additis non jejunet, aut ab opere servili non se abstineat, quae tamen antea peccata non fuissent. Sic igitur peccatum fuisset regi tali, vel tali non obedire, et tamen si per claves Petri ille talis rex haereticus declaretur, excommunicetur, et deponatur, jam non erit peccatum illi non obedire. Verum est tamen claves Petri ad id non se extendere, ut possit summus pontifex declarare, non esse peccatum, quod est peccatum, aut esse peccatum, quod peccatum non est: id enim esset dicere malum bonum et bonum malum: quod longissime abest et semper abfuit et aberit a doctrina illius, qui Ecclesiae praeest, quae est columna, et firmamentum veritatis.

Pop. Nos igitur communem canonistarum doctrinam in hac parte sequemur, qui tradunt, mandato papae non esse parendum, si vel injustum sit: vel ex eo multa mala, seu scandalum verisimiliter est futurum, aut turbatio status Ecclesiae et reipub. christianae oritura: et ideo si papa mandaret religiosis aliquid, quod esset contra substantiam ordinis, idest, quod repugnaret regulae ab iis professae, ut interpretatur Felinus, in cap. *Accepimus*, de fid. instrum. et cap. *Si quando*, de rescrip. non tenentur ei obedire: ut idem Innocentius docet in cap. *Ne Dei*, de Simonia, quem refert et sequitur Martinus de Coraziis, in tract. de principibus quaest. 498. et Felinus dicto cap. *Si quando*, et dicto cap. *Accepimus*: quanto igitur minus debent regum subditi pontificem, eos ab obedientia jure divino et naturali regi suo debita et arctissimo jurisjurandi foedere sancita, retrahere conantem audire?

Pont. Quae sit communis sententia non solum canonistarum, sed etiam theologorum et juris civilis peritorum, immo et ipsorum sacrorum conciliorum discere poteris ex prolegomenis hujus libri, ubi communi consensu affirmatur jure posse a summo pontifice justis de caussis regem excommunicari et deponi et subditos ab omni obedientiae et fidelitatis vinculo liberari. Non est autem credibile. Canonistas omnes secum ipsos pugnare. Cum ergo dicunt aliqui canonistarum non esse obediendum pontifici quando mandatum ipsius injustum est, aut scandalorum et perturbationis caussa; primum, non loquuntur de pontifice ex cathedra docente Ecclesiam universam: deinde non loquuntur absolute, sed conditionaliter, idest, si id fieret, si forte contingeret, ut pontifex alicui particulari homini mandaret aliquid contra legem Dei: tunc enim nota est s. Petri doctrina, Act. 5. *Obediendum est Deo magis, quam hominibus.* Sed quando pontifices praedecessores mei, ut Gregorius VII. Innocentius IV. et alii principes magnos excommunicare ac deponere et subditos eorum ab obedientia liberare voluerunt: id fecerunt ex cathedra, in concilio, publica caeremonia, ex auctoritate Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli sibi divinitus communicata: proinde, qui dicit, non esse obediendum vicario Christi, ita praecipienti, is universam condemnat Ecclesiam, et non tam canonista, quam canonum depravator dici debet, et quamquam non existimamus ullum bonum canonistam in hunc errorem incidisse: tamen si quis esset, secure posset fidelis christianus et prudens uni vel alteri canonistae conditores canonum anteponere: quod autem dicis, jure divino et naturali deberi obedientiam regibus: verum est de regibus legitimis, et nondum per sententiam judicis depositis: et quoniam ab horum, non ab illorum obedientia te retrahimus; propterea vel falsum nobis imponis, vel frustra de nobis quereris.

Pop. Si ob eam caussam nos jubes regis nostri jugum abjicere, quod per obedientiam illi exhibitam, spirituale bonum impediatur; respondemus, id quicquid est mali, ex quodam accidente evenire, sive per accidens fieri: malum enim ex bono, aut bonum ex malo per se oriri non potest: accidens autem illud dolenter ferimus, sed impedire non possumus. Nos officium regis debitum Dei jussu persolvimus, et secundum patientiam boni operis gloriam, honorem et incorruptionem quaerimus, ille si debito sibi obsequio, et tanto Dei beneficio abutatur, Deum supra se judicem et vindicem acerrimum sentiet: nobis non licet officium deserere et Dei mandatum praeterire, ut bonam inde, quantumvis magnum consequatur, ne eam, quam Apostolus nunciat, damnationem nobis ipsis acquiramus.

Pont. Videtur tibi satis apte convenire, quod Spiritus sanctus per os David prophetae et regis ait: Noluit intelligere, ut bene ageret: siquidem detrimentum spirituale, idest, periculum subversionis animarum, quod est annexum obedientiae ad regem haereticum, praesertim quando is rex fidem catholicam molitur evertere, sufficiens caussa est vicario Christi, qui super totam Christi familiam constitutus est, ut regem illum excommunicationis sententia feriat, et dominio illo privet, quod super fideles habebat. Ubi vero rex, alioqui legitimus, ob detrimentum spirituale regno privatus est, per sententiam ejus, qui Ecclesiam universam regit, non solum non tenetur populus illi parere, sed tenetur non parere; ac

per hoc cum illi jure deposito obedientiam praebet, non per accidens, sed per se caussa est mali, et inobedientiae peccatum incurrit,ut inobedientiae peccatum evitet. Neque officium regi debitum Dei jussu persolvit; sed officium regi, indebitum Deo prohibente persolvit, qui vero regi, ut dictum est, jure deposito obedientiam denegat, non facit malum,ut bonum inde sequatur: sed facit bonum, ut malum gravissimum evitetur: neque damnationem sibi ipse acquirit, sed a damnatione, quam alioqui incurreret liberatur.Quod si haec non intelligis, populo stulte et insipiens, cur non audis me pastorem tuum? cur judicio tuo fidis? cur seduceris ab alieno? *Oves certe pastorem proprium sequuntur, quia sciunt vocem ejus:alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum*, inquit veritas, Joan. 10.

*Pop.*Qui jubet nos regibus obedire et reddere Caesari quae sunt Caesaris, nullam bonos inter et malos principes distinctionem facit, ac per hoc nec distinguere debemus.

Pont. Addo etiam cum apostolo Petro,obediendum esse non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis, 1. Petr. 2. Itaque non distinguimus inter bonos et malos, dum superiores sunt: sed quaestio nostra est, An sit obediendum regi per sententiam rejecto ac deposito; huic enim obedientiam exhiberi Christus non jubet et vicarius Christi prohibet, vel potius per vicarium suum Christus ipse prohibet: proinde qui obedientiam illi exhibet, Christo non obsequitur, et vicarium Christi laedit.

Pop. Si, ut docet b.Augustinus,is qui continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideo credat uxorem sibi esse ducendam,quia promisit quae nuptias ejus appetit, futuram se esse christianam: atque ita acquirat Christo animam in morte infidelitatis positae foeminae,quae parata est,si huic nupserit fieri christiana: qua nos apud Deum excusatione utemur, si ut speratum aliquod bonum eveniat, jurisjurandi religionem et fidem violemus Deo, regique nostro datam? nihil enim anima pretiosius, pro qua Dominus et Salvator mori dignatus est:si ergo ut eam Christo lucremur, peccare non liceret, eccujus rei caussa peccandum?

Pont. Non sunt facienda mala, ut veniant bona, haec doctrina apostolica est, ac per hoc et nostra: hinc non licet votum castitatis violare, ut animas Christo lucremur:neque licet contra jurisjurandi religionem aliquid facere, ut mundum universum salvum faciamus: sed non ideo non licet mihi, cui Christus dixit in persona s. Petri: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, et in votis dispensare et a juramenti vinculo solvere:qui autem apostolica auctoritate, vel voto, vel juramento solutus est,jam non peccat contra votum vel juramentum, si ea faciat, quae antea ligatus voto vel juramento facere non poterat: quemadmodum enim inter homines, qui debet alteri pecunias, peccat, si non restituat: sed si creditor solverit debitorem obligatione reddendi,jam non peccabit etiam si numquam restituat: sic etiam dum votum aut juramentum viget et ligat:peccat qui illa non servat; sed si vicarius Dei, accepta a Deo auctoritate et ipsius Dei nomine relaxat obligationem voti vel juramenti,jam non peccat qui ea non servat: stulta igitur est illa interrogatio tua, eccujus gratia peccandum? quasi hoc a populo sacerdos discere opus habeat.

Pop. Quod autem praeterea dicis, te nos ab hujus officii vinculo absolvere, atque absolutos declarare: id non omnem conscientiis nostris scrupulum adimit; sed animo pendere, ac dubitare magis de tua potestate facit: quod sciamus praeceptum,cujus tu nobis gratiam te facturum promittis, Dei et naturae lege esse sancitum: sanctitatem vero tuam non posse, ne quidem de plenitudine potestatis, legis naturalis et divinae gratiam cuiquam facere.

Pont. Jam indocilem omnino te praebes, cum ad eadem semper revolveris. Nam ego tibi gratiam facio praecepti naturalis vel divini, cum ab obedientiae vinculo te absolvo, non enim permitto ut regi non pareas, quod esset contra jus divinum; sed facio, ut ille qui tibi rex erat, non sit tibi deinceps rex: quemadmodum,qui donat servum libertate, non concedit, ut servus non teneatur obedire Domino, quod esset etiam contra jus divinum, sed facit ut Dominum non habeat, cui obediat; et qui filium emancipando eximit a potestate patria, non docet liberum esse filiis, parentibus non obedire, sed facit ut ille, qui filius erat,jam non censeatur filius. Et qui votum, aut juramentum relaxat, non dat facultatem violandi vota vel juramenta, sed facit, ut non habeat votum vel juramentum.

Pop. Tibi igitur in spiritualibus, regi in temporalibus obsequemur: utrumque Deus jubet,utrumque praestabimus.

Pont. Si (ut paulo ante dicebas) pendebas animo et dubitabas; cur in re dubia te ipse judicem constituisti et tam audacter conclusisti? Deus certe in Deuter. cap. 17. in rebus dubiis et obscuris remittit homines ad sacerdotem, nec vult ut unusquisque sit judex. Et ut ipse paulo ante dixisti, in rebus dubiis ad sedem Petri esse confugiendum; cur igitur in dubitatione tam gravi ad locum,quem elegit Dominus, idest, ad sedem Petri non confugisti? Ac ut intelligas te tua conclusione nihil effecisse: attende primum, Deum quidem jubere,ut pontifici obedias in spiritualibus, sed non jubere ut in spiritualibus tantum; immo jubere,ut consequenter etiam obedias in temporalibus, sed regi qui legitime regnat, non regi, qui ob haeresim, vel alia justa de caussa regno privatus est: nam et ipsi pontifici obedire non deberes in spiritualibus, si forte (quod fieri non posse pie credimus) in haeresim lapsus ab Ecclesia pontificatu privatus esse denunciaretur. Attende postremo,dubitationem de potestate papae, an ad temporalia se extendat non esse dubitationem de re temporali, sed de re spirituali et supernaturali, quaeque non ab arbitrio vel judicio hominum; sed ab intelligentia Scripturarum et interpretatione voluntatis divinae depen-

det, quare non tuo judicio, sed Ecclesiae in tam gravi dubitatione stare debuisti. Ecclesia vero et per caput suum Christi vicarium et per concilia, idest, per principalia membra sua et per doctores theologos et canonistas, idest, per linguas suas, non obscure docuit, Potestati spirituali subjectam esse potestatem temporalem, ut corpus animae et ideo potestatem temporalem etiam regiam, a potestate spirituali, quae plenissime reperitur in papa, dirigi et corrigi, judicari et mutari posse, cum deviat.

Pop. Minas denique, quas mandato inseris miramur quidem et ex parte metuimus: sed non ita sumus meticulosi tamen, ut plus eas, quam oportet timeamus; aut iis ita terreamur, ut metu injustae excommunicationis, justum ac jure debitum obsequium regi nostro denegemus. Licet enim vulgo jactetur, omnem excommunicationem esse timendam: scire tamen oportet injustam excommunicationem, non laedere eum in quem fertur, sed eum potius a quo fertur: si ideo nos anathematis mucrone ferias, quia nolumus mandatum Dei, re jubente, praetergredi et malum facere: maledictio verteiur in benedictionem, ut quamvis ligati exterius videamur, interius soluti, atque innocentes maneamus.

Pont. Hoc nimirum est quod Sapiens dicit: Impius cum in profundum venerit, contemnit. In hanc te foveam praecipitem egit superbia, quia te ipse judicem rerum divinarum et coelestium constituisti: et in hujus foveae profundum demersus judicium non solum vicarii Christi, sed ipsius etiam Christi contemnis. Nam etiam si timere te dicas minas censurarum Ecclesiae; tamen cum audacter pronuncias, eis te non pariturum, non solum timorem excludis, sed addis manifeste contemptum: qui enim vere timet, saltem ex timore mandata observat. Quod autem dicis, injustam sententiam non laedere eum, in quem fertur: verum est quando is, in quem fertur, eam humiliter tolerat et observat, donec injustitia, vel potius nullitas ejus manifeste se prodat. Sed cum is, in quem fertur, eam superbe contemnit, et audacter mandata transgreditur, si non laedit eum excommunicatio injusta vel nulla, laedit tamen superbia et tumor, quo pastoris mandata contemnit. Sed haec dicenda essent, si censura et mandata, de quibus nunc loquimur, aliquam injustitiae vel nullitatis speciem praeseferrent. At cum vicarius Christi sub excommunicationis poena populis jubet, ut regi haeretico, vel alias juste excommunicato, atque deposito, non obediant: quae suspicio injustitiae suboriri potest? non enim ut tu falso affirmas, pontifex anathematis mucrone te ferit, quia non vis mandatum Dei, ipso jubente praetergredi et malum facere: sed contra potius, quia mandatum Dei pontifice prohibente, vis transgredi et malum inobedientiae facere. Nusquam enim mandavit Deus, ut regi haeretico et excommunicato ac deposito, populus obsequium praestet sed mandavit, ut haereticos vitet et ne Ave quidem illis dicat, ut pastori suo obediat et vocem ejus audiat.

Atque haec sunt, quae Barclajo in persona populi dicere placuit; ad quae non sine stomacho respondi, cum valde me pigeat eadem toties replicando tempus et operam perdere: et tamen haec puerili apostrophe tandem finita, jactat Barclajus firmissimis demonstrationibus et ineluctabilibus argumentis rem totam esse conclusam.

CAPUT XXXII.

Refutantur falsa quaedam pronunciata Barclaji, quae digrediendo effutiit.

In capite trigesimoprimo Barclajus multa repetit, quae supra dixerat de majoribus nostris, qui principes infideles, cum facile possent eos opprimere, patienter tolerarunt: item de turbis excitatis in Ecclesia occasione Gregorii VII. et Bonifacii VIII. qui principes christianos, vel re ipsa deposuerunt, vel deponere tentarunt. Addit vero reprehensionem Clementis septimi et Pauli tertii in haec verba.

De postremis duobus pontificibus ausim affirmare (est enim orbi notissimum) in caussa eos fuisse perdendae religionis in Anglia, quod istam tam invidiosam, et late patentem potestatem in regni illius principem, et populum sibi assumere et exercere conati sint.

Haec vero falsitas et calumnia tam est manifesta et notoria, ut mirum sit ab homine, qui se in historiis versatum profitetur, proficisci potuisse. Sed odium in pontifices et maledicendi libido, non solum mentem excaecat, sed etiam memoriam perdit. Quis enim ignorat Clementem septimum optasse modis omnibus Henrico VIII. Angliae regi sibi amicissimo gratificari, modo justitia et religio id paterentur? At Henricum anathemate feriit; et extat sententia Clementis in Henricum apud Nicolaum Sanderum lib. 1. de schismate anglicano. Verum est, sed coactus fuit et caussa anathematis adeo justa fuit, ut ne Barclajus quidem eam reprehendere possit, quamvis maxime vellet: nimirum Henricus contra omnia jura, cum maximo totius orbis terrae scandalo, lite pendente ad tribunal summi pontificis et ipso summo pontifice palam prohibente, et censuras Ecclesiae comminante, Catharinam legitimam conjugem a se abdicavit et Annam Bolenam sibi multis modis affinem matrimonio junxit; ita separavit quod Deus conjunxit, et conjunxit quae Deus separari mandavit. Quaero igitur a Barclajo, an potuerit Clemens pontifex, salva pietate, aliud agere quam quod egit? certe peccare non licet ullius boni acquirendi gratia: quomodo autem pontifex non peccasset, si matrimonium regis cum Catharina jure contractum diremisset: et matrimonium ejusdem regis cum Anna, quae ipsius regis soror et filia ex affinitate erat, approbasset? id enim ita se habere, ex confessione ipsius regis, Nicolaus Sanderus demonstrat lib. 1. de schismate anglicano. Ergo caussa perditionis Angliae, non pontificis justitia, sed regis impetens libido fuit. Paulus vero tertius severiorem quidem sententiam in Henricum protulit, sed quando jam rex a catholica fide defecerat,

seque per novam et inauditam haeresim caput Ecclesiae constituerat et regnum suum a communione corporis Christi mystici separaverat. Quare non potuit esse caussa Paulus pontifex perditionis Angliae, quae jam perierat: neque aliud propositum fuit pontifici, nisi ut gregem et regem perditum, si quo modo posset, inveniret, atque ad viam veritatis errantem reduceret, et mortuum in peccatis ad vitam gratiae revocaret; ut de eo dicere posset, Filius meus mortuus erat et revixit, perierat et inventus est. Vide apud Sanderum loco citato, defectionem regis et regni anno 1534. et sententiam pontificis Pauli III. anno 1535. quam etiam sententiam idem pontifex ob spem aliquam conversionis regis ostensam, ut in eodem loco Sanderus notat, executioni mandari noluit.

Subjungit postea falsitatem aliam, non in historia, sed quod gravius est, in fide et religione catholica: *Reges*, inquit, *non in eadem caussa sunt, sed supra omnes leges humanas, omneque jus positivum, soli Deo administrationem reddituri, et quanto tardius, tanto severius puniendi. Adversus privatos executio parata est, quam nequeunt nisi ex indulgentia principis evitare. Adversus principes, quae potest fieri exequutio, cum nullis humanarum legum sanctionibus teneantur, nullisque ad poenam vocentur legibus, tuti imperii potestate? Nam quod in jure expressum est, principem legibus esse solutum, cum de omnibus legibus, tum maxime de poenariis intelligunt, ut iis princeps, etiam si delinquat, non coerceatur.*

Haec vero Barclaji sententia primum secum ipsa pugnat: nam si legibus omnibus humanis reges soluti sunt, certe non delinquunt, cum secundum eas non operantur. Ubi enim non est lex, nec praevaricatio, inquit Apostolus ad Rom. 4. quo modo ergo Barclajus in ultimis verbis dixit: Principes non puniri, etiam si delinquant? admittit enim eos delinquere, cum leges humanas non servant, et tamen affirmat eos legibus non teneri: qui autem legibus non tenentur; utique non delinquunt, si eas non servent. Respondebit fortasse, principes non teneri legibus, quantum ad coactionem, teneri autem quantum ad directionem. Quamvis autem videantur verba ejus principes ab omni legum humanarum obligatione liberare: tamen admissa responsione paulo ante allata, iterum quaero, velit ne Barclajus principes solutos vi coactiva legum humanarum omnium tum civilium, tum ecclesiasticarum, an civilium tantum: nam si dixerit, eos solutos esse vi legum civilium tantum; certe aliter sentit, aliter loquitur: disertis enim verbis dicit, principes esse super omnes leges humanas, omneque jus positivum et nullis humanarum legum sanctionibus teneri: leges autem ecclesiasticas, quae a summis pontificibus, conciliisve episcoporum conduntur, humanas esse, et ad jus positivum pertinere dubitari non potest. Sin autem, ut verba sonant, solutos vult esse Barclajus principes legibus ecclesiasticis pontificum et conciliorum, errat in doctrina fidei manifeste, et repugnat iis, quae supra non semel repetivit, principes christianos omnes subjectos esse spirituali potestati summi pontificis, ut oves baculo pastoris: et posse censuris ecclesiasticis et ipsa etiam excommunicatione coërceri et cap. 32. addit: Posse principes per summum pontificem privari omnibus commodis regenerationis in Christo, item tradi Satanae usque ad legitimam errati, et contumaciae satisfactionem. Et quoniam privari tot commodis et Satanae tradi, gravissima poena est omnium consensu, fateri debet, parata esse adversus principes executionem, et eos quoque ad poenam legibus vocari: quae sunt omnino contraria iis, quae hoc loco scripsit, sed veniamus ad ea, quae ad institutum nostrum proprie pertinent.

CAPUT XXXIII.

Defenditur pars secunda rationis quintae principalis pro potestate summi pontificis in temporalibus.

In cap. 32. Barclajus ex longa digressione domum rediens, proponit ac discutit, et refellere nititur secundam partem rationis meae principalis, quae hac ratiocinatione continebatur: Potest pastor arietes furiosos destruentes ovile separare et recludere: princeps autem est aries furiosus destruens ovile, quando est catholicus fide, sed adeo malus, ut multum obsit religioni et Ecclesiae, ut si episcopatus vendat, ecclesias diripiat, etc. Ergo poterit pastor Ecclesiae eum recludere vel redigere in ordinem ovium.

Hanc ratiocinationem Barclajus impugnaturus incipit a censura vocabulorum, ac dicit, excludere dicendum erat, non recludere: recludere enim aperire est. At ego per recludere, non excludere, sed includere significare volui: solent enim pastores arietes furiosos includere in aliquem locum, ut non possint cornibus oviculas petere vel pedibus conculcare. Sed recludere, inquit ille, aperire est, non claudere. Verum est id quidem, cum dicimus, recludere fores, aut domum, aut carcerem: sed cum dicimus recludere aliquid intra fores, aut hominem in domo, vel carcere recludere: tum recludere, accipitur pro eo quod est claudere, vel includere: et hoc posteriore modo significare volui, arietem a pastore recludi in loco aliquo angusto et munito, unde non facile possit egredi. Ac ne putet Barclajus, me sine auctore esse loquutum, legat Hincmarum in vita s. Remigii, Ivonem in epist. 49. Aimoinum, in lib. 4. historiae cap. 57. et inveniet passim recludere ab auctoribus non malis usurpari pro includere, quo modo religare, non est solvere, sed iterum, vel arctius ligare. Ac ut os Barclaji penitus obstruamus, audiat s. Hieronymum auctorem primae classis, in libro adversus Vigilantium, sic loquentem: *Ais vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, et ubi voluerint adesse praesentes: Senatoriae videlicet dignitatis sunt, et non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in Fortunatorum insulis, et in campis Elysiis recluduntur:* haec s. Hieronymus,

cui non audebit, opinor, Barclajus dicere, recludere aperire est, proinde includuntur dicendum erat, non recluduntur. Ac ut ex eodem s. Hieronymo referamus Barclajo gratiam fraternae correptionis: meminerit se cap. 30. jurasse per Herculem, cum ait: Ego me Hercle, etc. et audiat s. Hieronymum in epistola ad Damasum, de filio prodigo dicentem: *Absit ut de ore christiano sonet, me Hercule, et me Castor, et caetera magis portenta, quam numina.* Sed his omissis, veniamus ad seria.

Admittit Barclajus ratiocinationem meam totam, et omnia, quae inde per bonam consecutionem deducuntur. Sed negat inde aliud effici posse, nisi ut pastor, idest papa arietem furiosum, idest regem deterrimum possit per excommunicationem ab ovili excludere, et privare spiritualibus beneficiis sacramentorum et suffragiorum : sed non ultra procedere ad ullam poenam temporalem, qualis in primis est privatio temporalis jurisdictionis aut dominii.

Sed Barclajus non percipit vim argumenti ex proposita similitudine, quam admisit, ut aptam atque idoneam ad hanc rem explicandam et probandam. Neque enim pastor arietem furiosum solum excludit a grege; sed alligat et recludit, sive includit in aliquo angulo, ut non possit amplius dux esse gregis. Et ad hujus pastoris similitudinem successor sancti Petri, et vicarius Christi principem christianum destruentem Ecclesiam, alligat vinculis excommunicationis, et quodam modo includit in angulum, dum non sinit, ut regat amplius populos christianos.

Quod autem Barclajus dicit: Posse principem excommunicari, sed non posse privari nisi spiritualibus bonis, ac per hoc non posse privari auctoritate vel jurisdictione vel dominio temporali, neque posse subditos ejus absolvi a fidelitate et obedientia, quam illi debebant, mirum est, cum sacri canones, quorum scientiam ipse profitetur, inter excommunicationis effectus ponant, non solum privationem sacramentorum et suffragiorum; sed etiam commercii civilis, ac praecipue forensis, ut non possit excommunicatus pro tribunali sedere et judicare, neque subditi comparere in judicio coram excommunicato, ut est communis sententia, ex cap. *Ad probandum*, de sent. et re judic. et ex cap. *Decernimus*, de sent. excommunic. in 6. Item privationem vel suspensionem jurisdictionis et absolutionem subditorum a fidelitate; de qua re apud Gratianum 15. q. 6. can. penultimo sic legimus. *Nos sanctorum praedecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate a juramento absolvimus, et ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant*, et can. ultim. *Juratos milites Hugoni comiti, ne ipsi quamdiu excommunicatus est serviant, prohibeto, qui si sacramenta praetenderint, moneantur, oportere Deo magis servire, quam hominibus.* Denique in casu haeresis privari etiam dominio docet sanctus Thomas in 2. 2. q. 12. art. 2. his verbis. *Quam cito aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto subditi absoluti sunt a dominio ejus, et a fidelis talis juramento, quo ei tenebantur.* Et quamvextra casum haeresis ex vi sententiae excommunicationis non sequatur privatio dominii temporalis, sive rerum particularium, sive regnorum et principatuum; tamen posse per summum pontificem privari reges aliosque principes justis de caussis regno vel principatu, probatum est supra testimoniis et rationibus multis, neque ea potuit Barclajus cavillationibus suis ullo modo convellere.

At, inquit, *bona temporalia, quae civili, et humana potestate possidentur, de manu principis politici accipiuntur, ergo non possunt auferri per excommunicationem, quae est sententia judicis spiritualis: quemadmodum spiritualia, non possunt tolli per sententiam judicis temporalis.*

Respondeo: Bona temporalia, quamvis humana, et civili potestate possideantur, tamen bonis spiritualibus subordinantur, et potestas ipsa temporalis potestati spirituali subjicitur. Ideo verum quidem est, non posse spiritualia tolli per sententiam judicis temporalis, quoniam spiritualia non subordinantur temporalibus, neque potestas spiritualis temporali subjicitur: sed non est verum, non posse temporalia aliqua tolli per excommunicationem, quae est sententia judicis spiritualis. Neque hoc in dubium revocari potest, cum satis constet commercium civile et actiones forenses, bona esse temporalia et civilia: et tamen istis bonis temporalibus privari excommunicatos, praesertim post publicam denunciationem vel declarationem.

CAPUT XXXIV.

Refutatur error Barclaji de exemptione clericorum.

Transit deinde Barclajus ad exemptionem clericorum, sumpta occasione ex eo quod dixerat, bona temporalia non posse dari, nec auferri, nisi a principe temporali, et neminem posse judicium principis in temporalibus declinare. Et quia poterat aliquis objicere clericos exemptos esse a potestate principum, ac per hoc etiam in temporalibus posse eorum judicium declinare: Respondet: Clericos privilegio principum exemptos esse, cum alioqui jure communi subditi essent, sicut caeteri. Digreditur igitur in hoc capite, et sequenti ad exemptionem clericorum, et multa dicit, quae non solum a veritate, sed etiam a communi scriptorum sententia abhorrent.

Primum dicit, antequam clerici beneficio principum eximerentur, jure communi subjectos fuisse judicio magistratuum temporalium. Id probat duplici ratione: primum ex eo, quod clerici, non solum clerici sunt, sed etiam cives reipublicae politicae; et citat librum meum de clericis cap. 28. Deinde ex eo quod olim sub optimis et pissimis principibus, caussae clericorum tam civiles, quam criminales, exceptis caussis ecclesiasticis, apud politicos et temporales judices agitabantur, et citat caput quintumdecimum hujus libri, ubi hoc demonstrasse putat.

Ad hoc respondeo: Clericos non solo privilegio principum, sed etiam decretis summorum pontificum, et quod majus est,divino jure exemptos fuisse, ac per hoc exemptos fuisse, antequam principum privilegio eximerentur. Quod autem clerici sint cives, et pars quaedam reip. politicae, probat, eos teneri ad observandas leges civiles vi rationis, non vi legis, atque ad hoc probandum ego rationem illam adduxi, qua nunc abutitur Barclajus ad probandum jure communi subjectos fuisse clericos civili magistratui: quod tamen inde non recte probatur. Quod vero sub piis principibus ante Justiniani tempora caussae civiles et criminales clericorum apud magistratus politicos aliquando agitarentur: dico, inveniri quidem leges principum in codice, tit. de episcopis et clericis,quae disponunt de caussis clericorum apud saeculares judices terminandis: sed inveniri etiam canones conciliorum ejusdem aetatis, ut carthaginiensis tertii can.9.milevitani can. 19. calcedonensis can. 9. et aliorum quibus prohibetur clericis accessus ad judicia saecularia.Itaque piis principibus nondum satis nota, et explicata erat exemptio, quam jure divino clerici habebant; et sancti Patres paulatim eam explicare, atque introducere nitebantur.

Secundo: Barclajus dicit, mirari se,Bellarminum asserere,papam potuisse eximere simpliciter clericos propria auctoritate per legem canonicam, a subjectione temporalium principum. *Id enim*, inquit, *pace tanti viri dicam, est falso falsius: quia lex Christi neminem privat jure,dominioque suo: privaret autem, si per eam jus et dominium temporale,quod principes antequam fierent christiani in clericis habebant, ipsis invitis auferret.* Haec ille.

Sed ut magis Barclajus miretur, non solus Bellarminus, neque soli illi, qui inter theologos et jureconsultos maxime favere videntur exemptioni clericorum; sed illi etiam, qui parum favere existimati sunt, idem prorsus dicunt: haec enim sunt verba Dominici a Soto in 4. sentent. dist. 25. q.2. art. 2. conclus. 6. *Papa potuit etiam inconsultis principibus et debuit clericos ab eorum exactionibus et foro excipere: cui quidem exemptioni principes contravenire nequeunt.*Atque hoc idem docet Didacus Covarruvias jureconsultus nobilis Sotum sequutus in practicis quaest. q.31. concl.3. his verbis, *Potuit summus pontifex clericos et eorum res a jurisdictione saeculari eximere:idque conveniens fuit, et est christianae reip. non tantum in spiritualibus, quod jure divino jam erat institutum, sed etiam in temporalibus*, et concl. 4. *Quamvis exemptio clericorum a jurisdictione saecularium jure tantum humano sit introducta, princeps tamen saecularis, utcumque summus sit, non poterit huic immunitati, aut exemptioni propriis legibus, propriave auctoritate derogare.* Desinat ergo jam Barclajus mirari si Bellarminus dicit, quod fere omnes dicunt et nolit ipse, quasi solus sapiat, id negare, quod fere nullus negat.

At, inquit: Lex Christi neminem privat jure, dominioque suo. Verum est per se, ac proprie;quasi hoc ipsum intendat, nisi aliquis culpa sua privari mereatur. Sed tamen dum evehit laicos ad ordinem altiorem, idest, clericorum, non est mirum si consequenter privet principes jure, quod in eos habebant, dum essent in gradu inferiore: neque desunt exempla in aliis rebus tam prophanis,quam sacris, Evehit rex privatum hominem, qui subjectus erat comiti ad principatum; consequenter privat comitem jure quod in illo habebat,et fortasse comitem eumdem subjicit illi principi jam effecto, cui idem comes antea jam praeerat. Evehit papa simplicem presbyterum, subjectum alias episcopo, in metropolitanum, ac per hoc sine ullius injuria facit, ut qui antea subjectus erat episcopo,incipiat tamquam metropolitanus episcopo praeesse, cui paulo ante subjectus erat. Jus habebat maritus infidelis in conjugem infidelem: convertitur mulier ad fidem, et consequenter liberatur a subjectione viri infidelis, et sine injuria ulla lex Christi privat virum infidelem jure, quod in uxorem suam habebat: pari ratione per matrimonium per verba de praesenti contractum, acquirit vir christianus jus in uxorem christianam, et tamen si intra tempus a jure praescriptum, velit illa ad professionem vitae altioris ascendere et sanctimonialis fieri, lex Christi privat virum jure, quod acquisierat,non per se, sed consequenter: non enim intendit lex Christi virum illum jure suo privare,sed foeminam ad altiorem gradum evectam honorare. Denique evehitur filius familias in episcopum,privatur pater ipsius potestate patria, non ut ipse afficiatur injuria, sed quia non decet patrem spiritualem subjici potestati parentis carnalis.

At rursus objicit Barclajus dicens: *Deinde cum ipsemet papa exemptionem suam,non alio jure, quam principum largitate et beneficio nactus sit, (nam ut adversarii fatentur subjectus erat de jure et de facto ethnicis principibus sicut alii cives) absurdum est dicere, eum potuisse liberare alios ab illa subjectione:alioqui id in eum conveniret, Alios salvos fecit,seipsum non potuit salvum facere.*

Respondeo: Argumentum Barclaji duplici vitio laborat: nam et antecedens habet falsum et consequutionem vitiosam. Falsum in primis est, pontificem non alio jure, quam principum largitate et beneficio, exemptionem suam nactum esse:qui enim vicarium suum in terris eum constituit, is hoc ipso exemit eum ab omni potestate principum terrae: sed etiam si subjectus jure fuisset regibus, vel imperatoribus ethnicis: non tamen sequeretur, eum subjectum quoque esse debere regibus vel imperatoribus christianis, nisi ipsorum largitate et beneficio eximeretur. Nam cum sit ipse super omnem familiam constitutus et reges atque imperatores ab eo in eamdem familiam coaptentur, ut ab ipso regantur et dirigantur, certe nulla ratio patitur, et ipse illis subjiciatur, quibus jure divino praesidet. Sed bene habet, quod Barclajus ita irridendum putavit vicarium Christi, quo modo perfidi Judaei Christum irridebant: qui tamen vel inviti confitebantur, multos a Christo ab ipsa morte salvos factos fuisse et sacrilege mentiebantur, eum non potuisse seipsum ab interitu salvum facere.

Tertio: Barclajus dicit, non esse verum quod multi dicunt, a veteribus conciliis fuisse clericos a potestate et jurisdictione magistratuum civilium exemptos; qui etiam addit, Patres, qui in conciliis interfuerunt, vetuisse quidem, ne clerici adirent tribunalia judicum saecularium: sed non vetuisse, ne vocati responderent: neque ullo modo prohibuisse temporalibus judicibus, ne caussas clericorum audirent: sed nec prohibere ulla ratione potuisse. Ac primum id ostendere conatur ex concilio III. carthaginiensi can. 9. ubi sic legitur: *Item placuit, ut quisquis episcoporum, presbyterorum, diaconorum, sive clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis caussa fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali judicio: in civili vero perdat, quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos judices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de judicio saeculari poscit auxilium: cum privatorum christianorum caussas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari praecipiat.* Hactenus verba concilii, in quibus nihil videre potuit Barclajus, pro clericorum exemptione: sed tantum id ait egisse Patres, ut eorum clericorum levitatem et procacitatem coërcerent, qui post caussam in Ecclesia tractari coeptam, spretis et relictis judicibus ecclesiasticis, laico se arbitrio judicioque committunt.

At nos multa videmus in hujus concilii verbis pro exemptione clericorum. Primum enim aperte damnant Patres recursum ad judicia saecularium magistratuum: quod certe non facerent, si saeculares magistratus omni ex parte legitimi judices ecclesiasticorum fuissent, quae enim culpa erat appellare a judicio episcopi ad judicium praesidis provinciae, vel ipsius principis, si praeses vel princeps legitimus judex erat, non solum clerici, sed etiam episcopi? Deinde concilium rescindit sententia judicis saecularis contra clericum latam, dum judicat, ut in criminali judicio clericus a saeculari judice absolutus amittat locum suum; et in judicio civili, perdat quod evicit, idest, neutri prosit sententia in favorem ejus a judice saeculari pronunciata: quamvis autem haec loco poenae decernantur; tamen injusta fuisset poena, si crimen non fuisset clerico saeculare judicium agnoscere. Denique quia Barclajus dicit: concilium reprehendere solum eos clericos, qui post inchoatam caussam in judicio ecclesiastico, eam transferunt ad judicium saecularium potestatum, quod injuriosum videri potest ecclesiasticis judicibus: audiat milevitanum concilium ejusdem aetatis, et in eadem Africa celebratum: sic enim loquitur, can. 19. *Placuit, ut quicumque ab imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur; si autem episcopale judicium ab imperatore postulaverit, nihil ei obsit.* Ubi videmus non agi de judicio inchoato, sed absolute, et sub poena gravissima prohiberi clericis ne confugiant ad imperatorem pro saeculari judicio obtinendo: concedi autem si episcopale judicium ab imperatore petatur, ad evitandum videlicet saeculare judicium.

Transit deinde Barclajus ad concilium calcedonense, in quo sic statuitur, can. 9. *Si quis clericus adversus clericum habeat negotium, non derelinquat proprium episcopum, et ad saecularia percurrat judicia: sed prius actio ventiletur apud proprium episcopum, vel certe consilio ejusdem episcopi apud quos utraeque partes voluerint judicium obtinebunt: si quis praeter haec fecerit, canonicis correptionibus subjacebit.* Ex hoc canone dicit Barclajus nihil colligi, nisi ut in prima instantia apud episcopum caussa ventiletur: deinde, si opus fuerit, ad saecularis judicis examen deferatur. Sed ista glossa destruit textum: nusquam enim in toto canone, vel aperte vel obscure mentio fit judicii saecularis; et expresse in hoc canone dicitur, ut clerici ad saecularia judicia non recurrant. Praeterea in eodem loco concilium addit, *Quod si clericus caussam habeat adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciae judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciae metropolitanum episcopus, vel clericus habet querelam, petat aut primatem dioeceseos, autem sedem urbis regiae constantinopolitanae, et apud ipsam judicetur.* Ubi cum optima esset occasio nominandi praesidem provinciae, aut ipsum imperatorem: nulla tamen eorum mentio facta est. Quid igitur (quaerit Barclajus) sibi vult illud, Sed prius actio ventiletur apud episcopum? prius enim refertur ad posterius: et cum non sit in concilio explicatum, quid posterius faciendum sit, ratio postulat, ut intelligamus, posterius recurrendum esse ad judicium saeculare, ut constituit postea Justinianus, Novella constitutione 83.

Respondeo: Prius caussa clerici ventilanda est apud episcopum proprium: quod si ibi terminata non fuerit, recurrendum est ad superiores mediatos, metropolitanum videlicet, patriarcham et papam: sed id non expressit concilium; quia notum erat, tum ex usu aliorum tribunalium, ubi semper a minore judice appellatur ad majorem; tum ex concilio sardicensi generali, can. 4. et 7. ubi ultima provocatio ecclesiasticorum, declaratur esse ad episcopum romanum, ad quos canones respiciens Gelasius papa primus in epistola ad Faustum scribit, *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt*, et in epistola ad episcopos Dardaniae, *Ad illam*, inquit, *de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo est appellare permissus.* Neque oportet canones Ecclesiae per Novellas Justiniani exponere, cum possumus per alios canones, aut per usum Ecclesiae illos explicare.

Adducit postea contra se Barclajus concilium agathense, ubi can. 3. statuitur, *Ne clericus quemquam praesumat apud saecularem judicem episcopo non permittente pulsare:* et queritur corruptum esse hunc canonem a Gratiano, qui in sua collectione 11. q. 1. can. *Clericum*, ita posuit, *Clericum nullus praesumat apud saecularem judicem*

episcopo non permittente pulsare: miratur etiam cur Bellarminus maluerit in hujus canonis citatione sequi potius Gratiani corruptionem, quam concilii veritatem.

Respondeo: Non est ullo modo credibile, Gratianum, virum probum et christianae perfectionis studiosum voluisse textum concilii depravare: sed potius credendum est, habuisse Gratianum aliam lectionem illius canonis, quam nos habeamus. Sed ut res se habeat, utraque lectio exemptionem clericorum satis aperte demonstrat. Nam in ipso concilio etiamsi verba illa prima, clericus nec quemquam praesumat apud saecularem judicem pulsare, non multum pro exemptione facere videantur: tamen sequentia verba, *Sed si pulsatus fuerit, non respondeat:* multum omnino faciunt pro exemptione: mandatur enim clerico, ut in judicium coram saeculari judice vocatus, non compareat, quo nihil apertius dici potuit: et in eumdem sensum recidit quod est apud Gratianum, clericum nullus praesumat apud saecularem judicem pulsare. Nam si non licet clerico respondere in judicio saeculari: neque licebit clerico vel laico clericum ad judicium saeculare vocare.

Quod autem notat Barclajus in secunda parte canonis, puniri laicum gravissima poena, qui per calumniam clericum, vel Ecclesiam fatigare tentaverit: non significat, licitum fuisse laicis trahere clericum vel caussam Ecclesiae ad forum saeculare, modo id sine calumnia fieret: sed significat crimen longe gravius esse et poena gravissima puniendum, si addatur calumnia, quam si absque calumnia id fiat. Sed neque certum est, concilium loqui de foro saeculari: potest enim fieri, ut laicus clericum accuset quidem ad suum forum, idest, ecclesiasticum, et tamen eum per calumniam injuste fatiget.

Addit deinde Barclajus canonem octavum concilii primi matisconensis, ubi sic legitur, *Ut nullus clericus ad judicem saecularem quemcumque alium fratrem de clericis accusare, aut ad caussam dicendam trahere quocumque loco praesumat: sed omne negotium clericorum, aut in episcopi sui, aut presbyteri, aut archidiaconi praesentia finiatur.* Addit denique, canonem tertiumdecimum concilii tertii toletani, in haec verba: *Diuturna indisciplinatio et licentiae inolitae praesumptio usque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, ut clerici conclericos suos, relicto pontifice suo, ad judicia publica pertrahant: proinde statuimus hoc de caetero non praesumi: si quis hoc praesumpserit facere, et caussam perdat et a communione efficiatur extraneus.*

His testimoniis conciliorum allatis, subjungit Barclajus. *Haec illa sunt solemnia et fere sola sacrorum canonum decreta, in quibus errorem suum fundant, qui falso putant, concilia potuisse eximere, et de facto eximisse clericos de potestate laicorum, quos tamen ipsemet canones adeo perspicue redarguunt, ut nihil necesse sit aliam ad eam opinionem convellendam aliunde accersere.*

Respondeo: Primum non sunt haec sola concilia, quae exemptionem clericorum declarant, sed multa alia, ex quibus haec breviter commemoranda consui. In concilio lateranensi sub Innocentio III. cap. 43. sic legitur, *Nimis de jure divino quidam laici usurpare conantur cum viros ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad praestanda sibi fidelitatis juramenta compellunt.* In concilio constantiensi, sess. 31. habentur haec verba: *Laici nullam in clericos jurisdictionem aut potestatem habent.* In concilio lateranensi sub Leone X. sess. 9. *Cum a jure tam divino, quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes et singulas constitutiones,* etc. In concilio tridentino sess. 25. cap. 20. de reformatione: *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus instituta est.*

Ad haec et similia, quae nimis aperte loquuntur, nihil Barclajus respondit, sed ea, quasi numquam legisset omisit.

Deinde nos non dicimus a conciliis proprie clericos fuisse exemptos, sed eorum exemptionem declaratam et poenis additis confirmatam.

Denique mirum est, cur Barclajus dicere audeat, ex canonibus allegatis redargui et convelli opinionem exemptionis, cum ea multis modis confirmetur et roboretur. Nam si laici magistratus legitimi judices clericorum essent; quo jure matisconense concilium supra citatum, omnia negotia clericorum in episcopi, aut presbyteri, aut archidiaconi praesentia finienda esse decerneret? Et cur concilium toletanum etiam citatum, tanta verborum asperitate vocaret praesumptionem, et illicitos ausus, recursum ad saeculare judicium? Et quo modo denique idem concilium auderet sententiam judicis saecularis irritare et recurrentem clericum ad forum saecularis judicis excommunicare? id enim significant illa verba, *Caussam, perdat, et a communione efficiatur extraneus.*

CAPUT XXXV.

Refutatur grande verbum Barclaji, quo exemptio clericorum funditus tollitur.

In cap. 33. Barclajus omni timore, vel pudore deposito, ita pronunciat. *Amplius dicam et veritatem dicam, licet odium fortassis mihi pariturum ab iis, quibus omnia sunt invidiosa, quae suo studio et desiderio vel minimum adversantur. Dicam ergo et grande verbum proloquar; cujus forte, aut nondum meminit quisquam, aut si meminit, saltem eos quorum intererat id scire, non ut debuit commonefecit, clericos scilicet per totum orbem, quocumque ordine vel gradu sint, non esse adhuc ullo modo exemptos et liberatos a potestate temporali principum saecularium, in quorum regnis et regionibus vitam degunt, sed perinde ac caeteri cives, iis subjectos esse in omnibus, quae ad politicam et temporalem administrationem et jurisdictionem pertinent, inque eos jus vitae ac necis, sicut in caeteros subditos ad ejusmodi principes pertinere.*

Hoc grande verbum Barclaji, nihil est aliud, nisi

grandis temeritas et intolerabilis error hominis unius, qui ut regibus aduletur, non veretur opponere se veritati et scriptoribus omnibus theologis et canonistis, quorum duos paulo ante citavimus, Solum videlicet et Covarruviam: quibus addere potuissemus scriptores alios innumerabiles et quod majus est concilia quatuor generalia paulo ante citata, lateranensia videlicet duo, constantiense et tridentinum, in quibus generatim affirmatur, non habere laicos ullam in clericos potestatem; neque excipiuntur imperatores vel reges. Neque est quod laboremus in demonstranda hujus doctrinae novitate, nam ipse fatetur, se verbum grande prolocuturum, cujus forte nondum meminit quisquam.

Sed videamus, quibus argumentis, tam grande, et adhuc inauditum verbum Barclajus persuadere orbi terrarum nitatur, contraham autem in breve compendium totam ejus ratiocinationem, ut quam vim habeat, facilius percipiatur, sit igitur ille: *Christiani tum clerici, tum laici subjecti erant principibus infidelibus, atque ab eis judicari poterant: ergo subjecti sunt etiam principibus fidelibus et ab eis judicari possunt: quia Christi lex neminem privat jure dominioque suo. Rursus principes fideles exemerunt quidem privilegiis suis clericos a potestate magistratuum inferiorum; sed non exemerunt a potestate sua: nusquam enim memoriae proditum est ab ullo scriptore, principes, qui istis clericos privilegiis donarunt, ita eos a se liberos dimisisse, ut sibi amplius non subessent. Immo nec potuerunt principes, nec adhuc possunt clericos in suis regnis constitutos ea libertate donare ne ipsis potestate temporali subsint; neve delinquentes ab iis judicari et puniri possint, nisi eadem opera sese principatu abdicent. Nam proprium est principis posse animadvertere in cives et membra suae reipublicae; sunt autem clerici, quod ad temporalia attinet, cives et membra reipublicae politicae, cujus caput et rector est princeps. Quare Carolus V. imperator Hermannum archiepiscopum coloniensem in jus ad se vocari jussit, ut de criminibus a clero et universitate ei objectis se purgaret, teste Surio in comment. anni 1545. Et multi principes sibi quaedam clericorum delicta specialiter vindicanda reservarunt, eaque suis magistratibus judicanda committunt: ut sunt illa crimina, quae in Gallia privilegiata vocantur veluti majestatis, gestationis armorum, adulterinae monetae et similia:* haec ille. Ex quibus omnibus sequitur, clericos non esse exemptos a potestate et jurisdictione principum temporalium.

Respondebo nunc ordine ad singulas propositiones. Ad primam illam de subjectione clericorum principibus infidelibus duae sententiae sunt, ut supra diximus: et neutra favet Barclajo. Vera sententia est, clericos jure fuisse exemptos etiam a potestate principum infidelium, quamvis de facto subjecti essent: exemit autem eos, tamquam proprios suos ministros ille, qui Apoc. 1. Vere dicitur princeps regum terrae. Itaque juxta hanc sententiam neganda est propositio prima Barclaji, quam neque ille usquam probavit, neque hoc loco probat, sed assumit, ut concessam; quam tamen graviores scriptores non concedunt, videlicet omnes illi, qui exemptionem istam de jure divino esse docent. Sed etiamsi concederetur, nihil inde Barclajus colligeret, quoniam negaretur illa consecutio, Ergo subjecti sunt clerici judicio et potestati principum fidelium: hanc enim propositionem, quae est secunda apud Barclajum, negant omnes catholici scriptores, tam theologi, quam canonistae: negatur autem illa consecutio, quoniam summus pontifex clericos absolute exemit a potestate principum fidelium, qui ejus potestatem agnoscunt; a potestate autem principum infidelium, qui ejus potestatem non agnoscunt, non ita absolute exemit; cum eos censuris ecclesiasticis coërcere non possit: ipsi etiam christiani principes clericos exemerunt, intelligentes, quanta sit dignitas clericorum, quod principes infideles non fecerunt, cum eis spiritualis illa dignitas nota non esset. Ad illam tertiam propositionem, lex Christi neminem privat jure dominioque suo: jam supra respondi capite superiore, ubi ostendi, per exemptionem clericorum non privari principes jure, quod habebant in eosdem, antequam clerici essent, per se et proprie, sed consequenter et quasi per accidens: quemadmodum cum filius familias evehitur ad episcopale fastigium, eximitur a patria potestate; nec tamen fit injuria patri, quoniam non privatur pater jure suo per se, sed consequenter: non enim intendit Ecclesia privare patrem jure patriae potestatis, sed evehere personam illam ad gradum, quo dignus est, quamvis inde sequatur illa privatio patriae potestatis. Vide multa alia exempla capite superiore.

Ad quartam propositionem; quae erat, a nullo scriptore memoriae proditum esse, quod principes exemerint clericos a potestate sua; sed solum quod exemerint a potestate magistratuum inferiorum.

Respondeo: Videtur qui hoc dicit, aut nihil legisse, aut lectores fallere voluisse. Scribit enim Ruffinus lib. 10. hist. cap. 2. Constantinum imperatorem disertis verbis pronunciasse, sibi non esse licitum judicare sacerdotes, sed ab illis potius se esse judicandum. Ubi satis aperte declaravit, sacerdotes exemptos esse non solum a potestate judicum inferiorum, sed etiam ab ipsius supremi principis imperio. Cui declarationi consentanea est lex ejusdem Constantini septima in codice Theodosiano, de episc. et clericis. *Lectores*, inquit, *divinorum apicum et hypodiaconi et caeteri clerici, qui per injuriam haereticorum ad curiam devocati sunt, absolvantur; et de caetero ad similitudinem orientis minime ad curias devocentur, sed immunitate plenissima potiantur.* Haec ille, qui cum absolute prohibeat clericos ad curias devocari et velit plenissima immunitate potiri, et nihil omnino excipiat, manifestum est, eum velle, ut neque ad ipsius principis curiam devocentur: non enim esset plenissima immunitas, si principali potestati essent obnoxii. Similis est lex Theodosii et Valentiniani cod. Theod. 1. ultima de episc. et clericis, ubi sic legimus: *Clericos, quos indiscretim ad saeculares judices debere deduci infaustus praesumptor ediderat, episcopali audientiae reservamus. Fas enim non est, ut divini muneris ministri tempora-*

lium potestatum subdantur arbitrio. In qua lege dum nihil excipitur, omnia comprehendi videntur, nisi forte principis potestas, temporalis dici non debeat. Ipse quoque Justinianus Novella octogesimatertia, quae saepe ab adversariis citatur, quasi in ea clerici in criminalibus exempti non videantur a foro saeculari: habet haec verba, *Prius hunc spoliari a Deo amabili episcopo sacerdotali dignitate et ita sub legum fieri manu*. Ubi videmus, clericos, dum clerici permanent, non esse sub potestate legum, sed solum posteaquam clericali honore per episcopos privati sunt: ac per hoc non solum exemptos esse, dum clerici sunt, a potestate judicum inferiorum, sed ab ipsis principum legibus, quod ad coactionem attinet: atque hoc est quod concilium constantiense sess. 31. dixit: *Laicos nullam in clericos jurisdictionem, vel potestatem habere*. Et certe nomine laicorum principes etiam supremos comprehendit, cum et ipsi laici sint. Denique, ut alia multa praeteream, imperator Fridericus secundus, in prima sua constitutione generaliter loquitur, dum ait: *Item statuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione, vel civili trahere ad judicium saeculare praesumat, contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones*, haec ibi. Per saeculare autem judicium non intelliguntur judicia solum judicum inferiorum, sed etiam supremorum, cum omnia sint aeque saecularia. Atque re ipsa sic observari videmus, ubi sacrorum canonum reverentia viget.

Ad quintam propositionem, quae erat, non potuisse principes supremos eximere clericos a sua regia potestate: respondemus, id manifeste falsum esse. Nam etiamsi non possit summus princeps, omnes qui in regno suo degunt ab omni potestate sua eximere, nisi principatu se abdicet, tamen potest aliquam partem populi sui ab aliqua parte potestatis suae, vel etiam a tota eximere et simul vere princeps dici et esse. Proprium enim summi principis est, tributum a populo sibi subjecto exigere, ut Apostolus docet ad Rom. 13. *Ideo enim*, inquit, *et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes:* et potest tamen rex, quos vult in suo regno immunes a tributis facere. Dicitur enim lib. 1. reg. cap. 17. *Qui percusserit Philistaeum, ditabit eum rex divitiis magnis, et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel*. Sic etiamsi magnus aliquis rex in medio regno suo civitatem unam vel liberam faciat, vel alicui absolute donet, non ideo rex dici non poterit totius regni sui, praesertim si civitatem illam protegat et defendat; et cives illi leges regni sponte servent: sic igitur potuerunt reges, clericos in suo regno degentes eximere a potestate sua regia et reges tamen dici et esse non solum laicorum, sed etiam clericorum, qui leges ejus politicas libere servant; et caussas, quas cum laicis habent, cum actores sunt ad tribunal ipsius deferunt: et judicio ac sententia ejus in ejusmodi caussis acquiescunt. Et quoniam rex pro defensione non solum laicorum, sed etiam clericorum laborat et vigilat, ideo non solum laici, sed etiam clerici honorem ei deferunt, qui regibus debetur, justa praeceptum apostoli Petri, *Deum timete, regem honorificate*. 1. Petr. 2. Denique pro rege Deum orant, ut Apostolus monet 1. Timoth. 2. dicens: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et pro omnibus qui in sublimitate sunt*: nec solum pro regibus generatim preces ad Deum fundunt, sed in specie dicunt, pro rege nostro N. vel pro imperatore nostro N.

At, inquit Barclajus, *omnia membra debent subesse capiti, et omnes cives rectori civitatis, ita ut caput et rector in omnia membra et cives animadvertere possit: sunt autem clerici membra corporis politici et cives terrenae civitatis, quoad temporalia*.

Respondeo: In corpore naturali necesse est, ut omnia membra capiti subsint; quoniam in ejusmodi corpore locum non habet exemptio. Sed in corpore politico, in quo locum habet exemptio, non est necesse, ut omnia membra, idest, omnes cives proprie subsint potestati capitis, idest, rectoris, ac per hoc non est necesse, ut principes in omnes cives animadvertere possint, sicut non est necesse, ut omnes cives solvant tributa, neque ut omnes armis rempublicam defendant; sed satis est, si consilio vel adhortatione, aut precibus apud Deum rempublicam temporalem juvent. *At perturbabitur respublica, si clerici leges principum impune transgrediantur*. Respondeo: Non impune transgredientur, quoniam ab episcopo suo, vel pontifice summo coërcebuntur. At *Carolus V. vocavit ad tribunal suum Hermannum archiepiscopum coloniensem*. Verum est, sed vocavit, ut principem imperii, eumdem enim ad suum tribunal vocavit Paulus III. pontifex, ut archiepiscopum, eodem teste Surio, in eodem loco, qui Surius postea scribit, anno 1547. jussu summi pontificis et imperatoris Hermannum loco motum fuisse. Sententia vero depositionis a pontifice lata est, quam autem fuerit Carolus V. diligens observator ecclesiasticae immunitatis, ex eo potest intelligi, quod anno salutis 1520. detecta atroci conspiratione adversus eumdem Carolum, in qua ecclesiastici nonnulli intermisti erant: Carolus in laicos animadvertit, ecclesiasticos, superioribus ecclesiasticis puniendos remisit, testis Molin. lib. 4. cap. 21. de Hisp. primog.

Addebat Barclajus, esse quaedam delicta gravia, quae privilegiata dicuntur in Gallia, summis principibus reservata. Sed hoc argumentum in ipsum auctorem retorqueri potest: illa enim non dicuntur privilegiata, quia princeps ipse sibi reservaverit, quando privilegium exemptionis clericis concessit, ut Barclajus existimat: sed dicuntur privilegiata, quia privilegio sedis apostolicae indultum est regibus Francorum, ut ea delicta cognoscere possint: id quod explicat Clarus q. 36. paragr. fin. versic. ulterius, quaero, et Aufrerius in Clementina, *Ut clericorum*, de offic. judic. ordin. limit. 13.

Ad ultimam propositionem, quam colligit Barclajus ex supradictis, quod videlicet, Exemptio clericorum a potestate principum nulla sit.

Respondeo: Eam propositionem ex dictis perperam colligi; tum quia demonstratum est, summos principes potuisse et voluisse clericos a sua pote-

state eximere: tum quia licet ipsi non voluissent, aut non potuissent, potuit et voluit summus pontifex illos eximere, aut jure divino exemptos declarare: neque possunt principes etiam supremi hanc exemptionem impedire. Atque haec est communis doctorum theologorum et canonistarum sententia, cui hactenus nonnisi haeretici restiterunt. Et quidem quod hoc sentiant illi, qui exemptionem volunt esse de jure divino, ne Barclajus quidem dubitat et expresse docet Navarrus in cap. *Novit*, de judiciis, notab. 6. num. 30. Quod autem idem etiam fateantur et doceant illi, qui exemptionem arbitrantur non esse de jure divino; perspicuum est ex Francisco Victoria, Relect. de potestate Eccles. q. 6. proposit. 5. ex Dominico a Soto, in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. ex Martino Ledesmio in quartum, part. 2. q. 20. art. 4. ex Dominico Bannes in 22. q. 67. art. 1. et ex Didaco Covarruvia pract. quaest. cap. 31. concl. 3. et 4. cujus verba, ut etiam Soti, capite superiore adduximus. Hinc solvitur quaestio, quam Barclajus in extremo capite insolutam reliquit, liceat ne principi privilegium exemptionis clericorum revocare. Respondent enim doctores allegati, nullo modo licere.

CAPUT XXXVI.

Defenditur secunda et tertia pars rationis quintae principalis pro potestate pontificis maximi in temporalibus.

In cap. 34. Barclajus post longam digressionem de exemptione clericorum, redit ad oppugnandam secundam partem rationis meae principalis, quam proposuerat initio cap. 32. Argumentum meum hoc erat: Pastoris munus est arietes furiosos, atque ovile destruentes separare et recludere: Princeps autem est aries furiosus, atque ovile destruens, quando est catholicus fide, sed adeo malus, ut multum obsit Ecclesiae et religioni, ut si episcopatus vendat, ecclesias diripiat, etc. Ergo poterit pastor Ecclesiae eum recludere et in ordinem redigere.

Ad hoc argumentum respondit in illo cap. 32. Barclajus, totum argumentum posse concedi, quoniam ex eo nihil aliud efficitur, nisi posse principem malum et Ecclesiae noxium separari a gregis consortio per sententiam excommunicationis. Nos vero eam responsionem in cap. 33. Refutavimus, ad quam lectores remittimus. Nunc igitur in cap. 34. Barclajus haec addit.

Ad argumentum, inquit, *nunc revertor, quod cap. 32. initio propositum est et respondeo, nihil illud ad bonorum quorumlibet temporalium, nedum ad regni ademptionem pertinere. Certum enim est et certo certius, excommunicationem, qua sola separantur et excluduntur perversi christiani a consortio fidelium et communione Ecclesiae, nemini patrimonium et bona temporalia auferre.* Haec ille, qui post multa verba in hac re explicanda consumpta concludit, si non possit papa per excommunicationem adimere patrimonia privatis hominibus multo minus posse per eamdem censuram privare reges ac principes imperiis atque regnis.

Numquid, inquit, *plus ei potestatis in principes, quam in privatos, Dei lege, tributum esse constat? aut numquid principibus, quam privatis duriore et deteriore conditione est vivendum, ut quod Ecclesia in privatum nequeat, id in principem possit exercere?*

Respondeo: Cum dixi: Arietem furiosum posse per pastorem separari et recludi, non intellexi per separationem et reclusionem, solam excommunicationem, sed excommunicationem et depositionem: quemadmodum enim pastor non solum separat arietem a grege, sed etiam recludit quasi in carcere, ut non amplius gregem ducat: sic pontifex summus regem destruentem Ecclesiam, non solum separat per excommunicationem a communione fidelium, sed etiam deponit et in ordinem redigit, ut non amplius populos regat. Itaque tota illa longissima disputatio, qua Barclajus probat, per excommunicationem non privari homines proprio patrimonio, supervacanea est, neque vim argumenti nostri Barclajus assecutus est: quemadmodum etiam vocem, recludere, exposuit per vocem, excludere, cum exponenda esset per vocem, includere, ut cap. 33. docuimus.

Addo praeterea magnum esse discrimen inter privatas opes et publicam jurisdictionem; ut etiam inter substantiam, sive divitias et potestatem, sive auctoritatem: potest enim homo aliquis pauperrimus esse privatis opibus, et jurisdictionem publicam atque amplissimam habere: et potest contra ditissimus esse auro, atque argento, agris et vineis et armentis: et nullam habere in alios homines politicam potestatem. Ex quo discrimine fit, ut quamvis excommunicatio non privet patrimonio proprio et opibus et divitiis, privet tamen jure et potestate commercii humani, electionum et contractuum, et similium; et simul impediat publicam forensem jurisdictionem: neque enim licet excommunicatis forensia judicia exercere, audire caussas, sententiam ferre, in sontes animadvertere, ut supra probavimus, ex cap. *Ad probandum*, de sent. et re judic.

Quamvis autem ex vi solius excommunicationis, nisi in casu haeresis et apostasiae, non sequatur amissio regni vel imperii: tamen summus pontifex, qui potest excommunicando suspendere jurisdictionem, ut diximus, potest etiam deponendo privare omni jurisdictione et potestate regia: quae ut in prolegomenis ostendimus, communis est doctorum et Ecclesiae ipsius sententia. Nec tamen hinc sequitur, plus habere potestatis pontificem in principes, quam in privatos: nam privati non possunt deponi a regno, quia regnum non habent, non quia minus obnoxii sint potestati summi pastoris: et tamen possunt etiam ipsi privari rebus, quas habent; quod fit cum poena pecuniaria, aut exilii, aut carceris, aut alia corporali poena mulctantur: falsum enim est, quod Barclajus nimium saepe repetit, corporalem poenam in solius politici magistratus potestate positam esse: cujus contrarium praxis ostendit, praesertim in tribunali sancti officii.

Addit postea Barclajus aliam rationem, quam in forma syllogisticae ratiocinationis hoc modo disponit.

Summus pontifex non habet nunc majus imperium in principes temporales, quam habuit antequam ipse esset princeps temporalis.

Atqui antequam esset princeps temporalis, nullum in eos temporale imperium ullo modo habuit.

Ergo nullum nunc quoque in eos ullo modo habet.

Et quoniam propositio manifesta videtur, probat assumptionem hoc modo.

Nemo inferior, et subjectus habet imperium in suum superiorem et dominum, ut possit eum judicare in eo ipso in quo est ei subjectus:

Papa autem, antequam fieret princeps temporalis, erat regibus et imperatoribus, quantum ad temporalia, inferior et subjectus:

Ergo non habet in eos temporale imperium, ut possit eos in temporalibus judicare.

Respondeo: Assumptio prioris syllogismi falsa est: proinde etiam falsa conclusio est: siquidem summus pontifex jus, quod habet in temporalibus supra reges et principes christianos, non acquisivit ex principatu temporali, quem nunc possidet, sed habuit a Christo, quando ab eo accepit potestatem apostolicam et supremam supra omnem Ecclesiam, ut esset ipsius vicarius generalis, caput et rector et pastor et princeps omnium fidelium: quamvis enim, ut saepe dictum est, ea potestas in se spiritualis sit, tamen extenditur ad temporalia eo modo, quo spiritus humanus, quamvis vere et proprie spiritus sit, non corpus, vel corporalis, tamen regit membra corporis, cui praesidet, et ea castigat et punit, prout ad salutem expedire cognoscit. Quare probatio assumptionis in posteriore syllogismo, nullas vires habet, nam assumptio quoque syllogismi posterioris est falsa, ac per hoc est etiam totius syllogismi falsa conclusio: siquidem falsum est, summum pontificem fuisse unquam regibus et imperatoribus jure subjectum, neque id probavit Barclajus, quod ut probatum assumit.

At, inquit, adversarii dicunt, exemptionem personarum ecclesiasticarum jure humano introductam esse.

Respondeo: Bellarminus, qui citatur in margine, non dicit jure humano solum, sed jure humano et divino. Deinde illi ipsi, qui exemptionem clericorum dicunt esse de jure humano, addunt eam, quo ad personas, esse valde conformem juri naturali et divino, ut perspicuum est ex Dominico de Soto in 4. dist. 25. quaest. 2. art. 2. concl. 5. Praeterea iidem auctores, qui negant exemptionem clericorum esse de jure divino diserte affirmant, summum pontificem potuisse et debuisse eximere clericos, etiam principibus temporalibus inconsultis: neque posse temporales principes contrarium suis legibus constituere, ut supra notavimus, ex Victoria, Soto, Ledesmio, Bannesio et Covarruvia: falsum est igitur quod tot verbis inanibus hoc loco Barclajus repetit de exemptione solo principum privilegio et munere clericis concessa.

Transit postea Barclajus ad tertiam partem rationis quintae principalis pro potestate summi pontificis in temporalibus: omitto enim quae ipse repetit ex c. 15. quae ibidem refutata sunt, sic autem loquitur. *Superest supremum Bellarmini argumentum in quo refutando non multa opera opus est. Tertium*, inquit, *argumentum est:* Potest pastor, ac debet omnes oves ita pascere, ut eis convenit: ergo potest pontifex christianis ea jubere, atque ad ea cogere ad quae quilibet eorum secundum statum suum tenetur, idest, singulos cogere, ut eo modo Deo serviant, quo secundum statum suum debent: debent autem reges Deo servire defendendo Ecclesiam, puniendoque haereticos et schismaticos: ergo potest, ac debet regibus, jubere ut hoc faciant, et nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes.

Ad hoc argumentum Barclajus respondet, si agatur de pastu et poenis spiritualibus, totum argumentum concedi posse: tenetur enim summus pontifex pascere omnes christianos pastu spirituali: nam ad pascendum pastu corporali, facultates ejus quantumvis amplae sint, nullo modo sufficerent: sic etiam tenetur cogere omnes ad officium suum poenis spiritualibus, quarum gravissima excommunicatio est, sed ulterius progredi non potest: et allegat ad hoc probandum Joannem Driedonem in lib. 2. de libertate christiana cap. 4.

Sed haec Barclaji responsio supra refutata est multis in locis, et nunc ex ipso Driedone, quem ipse citat, refutari potest: scribit enim Barclajus a Driedone nullam aliam judicii et correctionis papalis in imperatores delinquentes poenam, nisi solam excommunicationem poni. At Joan. Driedo repugnat Barclajo, eumque his verbis confutat, lib. 1. de libertate christiana, cap. 14. *Verum hoc non est silentio praetereundum, quod papa ex plenitudine potestatis super universos principes christianos, potest reges ac principes propter haeresis crimen privare suis regnis atque imperiis, et in temporalibus prorsus eximere plebem christianam ab obedientia et subjectione eorum*, haec Driedo, quem in patronum sententiae suae allegavit Barclajus; qui certe insignis doctor Joannes Driedo non poterat clarius mendacium et impostoram Barclaji redarguere. Quod ergo nos diximus, et docent omnes catholici, posse pastorem summum christianorum cogere omnes ad officium suum praestandum in obsequium Dei; non intelligitur de sola coactione per excommunicationem, sed etiam per privationem regnorum et principatuum, si ad salutem gregis idem pastor expedire judicaverit.

CAPUT XXXVII.

Defenditur primum exemplum allatum pro potestate summi pontificis in temporalibus.

In cap. 35. et 36. refert, et refellit Barclajus argumenta quaedam Nicolai Sanderi, quam totam disputationem omittendam hoc loco esse censui, quoniam non suscepi onus probandi omnia argumenta, quae a catholicis scriptoribus proponuntur, esse insolubiles demonstrationes. Scio multa interdum probabilia admisceri argumentis solidioribus, quae quamvis per se, ac sola, vim persuadendi non habeant, tamen addita firmioribus argumentis, non parum juvant ad rem, de qua agitur, confirmandam. Itaque conclusionem Sanderi, quae commu-

nis est inter omnes catholicos scriptores, adversus Barclajum,cujus manus sunt contra omnes,ut scriptura de Ismaële loquitur, defendendam mihi desumpsi,et simul ad ea, quae proprie adversus mea scripta Barclajus objecit,respondendum mihi esse judicavi. Igitur in cap. 37. refert argumentum meum primum ab exemplo et figura veteris Testamenti ductum, haec autem est argumenti summa. Ozias rex in lib. 2. Paralip. cap.26. cum sacerdotum officium usurparet,et a sacerdotibus repulsus non acquiesceret, continuo lepra divinitus percussus fuit,atque judicio sacerdotum separatus e coetu populi,seorsim in domo solitaria habitavit usque ab obitum: ex quo factum est, ut regni administratione privatus fuerit et filius ipsius in civitate populum judicaverit.Hinc argumentum ejusmodi conficitur, Si ob lepram corporalem poterat sacerdos olim regem judicare et regno privare:quare id non poterit nunc propter lepram spiritualem idest,propter haeresim, quae per lepram figurabatur, ut s. Augustinus docet lib. 2. quaest. evang. quaest.40. praesertim cum 1. Corinth. 10. Paulus dicat, contigisse Judaeis omnia in figuram?

Ad hoc argumentum respondet Barclajus: Judicio sacerdotum fuisse regem Oziam propter lepram separatum a reliquo populo; et eodem modo posse nunc regem judicio summi pontificis propter haeresim separari per excommunicationem a coetu fidelium: negat autem fuisse regem Oziam regno privatum,et propterea etiam negat, posse regem a pontifice propter haeresim regno privari. Quod autem non fuerit Ozias regno privatus, probat ex eo quod Scriptura testatur:*Anno aetatis sextodecimo regnare coepisse, et quinquaginta duobus annis regnasse.* 4. Reg. 15. et 2. Paralip. 26. proinde regnasse ab anno sextodecimo usque ad mortem. Idem etiam probat ex eo quod eadem Scriptura dicit: *Joatham filius regis gubernabat palatium,et rexit domum regis et judicabat populum terrae*: hinc enim colligitur, filium regis non auctoritate propria, sed nomine patris sui aegrotantis regnum administrasse haec Barclajus.

Respondeo: Ozias lepra percussus retinuit quidem nomen regium, sed inane: filius vero ejus sine regio nomine regnum cum plena potestate administravit,id verbis disertis testatur Josephus lib. 9. Antiquitatum, cap. 11. ubi dicit, *Oziam privatum vixisse in domo solitaria, et filium ejus rempublicam administrasse*, quod idem satis aperte indicat Scriptura, cum ait: Filios regis judicabat populum terrae: neque addit, id cum fecisse jussu patris, aut patris nomine; neque toto eo tempore quo rex percussus lepra mansit in domo solitaria, ullam partem regiminis ad eum ullo modo pertinuisse.Atque hoc intellexi,cum in argumento dixi, coactum fuisse Oziam filio regnum renunciare: per regnum enim non vocabulum regis, sed auctoritatem significavi: quam auctoritatem pater non retinuit, sed privatus vixit, ut Josephus loquitur. In hoc igitur vis argumenti ab exemplo ducti posita est, quod quemadmodum rex Ozias lepra percussus judicio sacerdotum coactus est habitare in domo solitaria et regni administratione dimissa privatus vivere:sic etiam rex haereticus, judicio summi sacerdotis per excommunicationem separari possit a coetu piorum, non solum quo ad sacramentorum et precum communicationem, ut Barclajus admittit, sed etiam quo ad forense judicium et regni administrationem, quod Barclajus negat. At Oziae relictum est nomen regium. Verum id quidem,sed non ideo nomen regium relinqui debet homini propter haeresim excommunicato,atque depositio:nam lepra spiritualis deterior est lepra corporali: et sacerdos christianus praestantior est sacerdote levitico et res figurata perfectior est,quam sit ipsa figura, sic enim agnus paschalis par non erat Christo crucifixo et manna inferius est Eucharistia et circumcisio Baptismum non aequat.

Quod autem Barclajus disputat de differentia auctoritatis regnandi et administrationis regni, non faciat ad rem, tum quia Ozias non sola administratione, sed etiam auctoritate privatus fuisse dicendus est, cum Josephus dicat, eum privatum in magno moerore vixisse post acceptam plagam leprae: tum etiam quia Barclajus non concedit,regem haereticum posse privari administratione regni, sic enim ipse loquitur pag. 312.*Quod autem dixi, papam posse separare regem haereticum a communione fidelium per excommunicationem, de separatione spirituali animorum, non corporum intelligendum est, subditi enim regi excommunicato obsequium denegare non debent:* haec ille, qui sine dubio, ut etiam supra docuit, non permittit, posse per pontificem interdici regi haeretico administrationem regni et curatorem illi dari,ut ipse fatetur, datum esse regi Oziae filium curatorem.Quare falso postea dicit:*Figuram Oziae,leprae separationis, bellissime convenire cum rege,haeresi et excommunicatione: et ex hac figura temporalem pontificis potestatem omnino fictitiam, usurpatam, atque a jure divino alienam ostendi.* Quo modo enim figura cum re figurata concordat, si in figura ponitur rex coactus habitare in domo solitaria, et negotia regni nulla tractare: in re figurata ponitur rex libere in urbe regia residere et jus dicere, ut antea faciebat? Et si veritas figurae requirit,ut nihil minus, sed potius aliquid amplius in re figurata reperiatur,quam in ipsa figura: et ideo necesse est, ut rex haereticus per sententiam pontificis administratione regni, et ipsa quoque auctoritate privetur, quo modo ex hac figura temporalis potestas papae fictitia et usurpata, et a jure divino aliena monstratur? Maneat ergo argumentum nostrum ab exemplo apposite ductum esse: neque a Barclajo potuisse convelli.

CAPUT XXXVIII.

Defenditur secundum exemplum pro potestate pontificis in temporalibus.

Proponit deinde Barclajus in cap. 38. secundum exemplum a nobis adductum ex lib. 2. Paralip. cap. 23. Ubi narratur, Athaliam reginam faventem superstitioni et idololatriae Baal a pontifice Jojada regno et vita fuisse privatam,et Joas regem in ejus locum institutum.

Ad hoc exemplum refutandum sternit sibi Barcla-

jus viam digressiuncula quadam,ex conflictis rumoribus et solida maledicentia in pontifices.Scribit enim hoc exemplum a me allatum, ne indiligentiae aut praevaricationis apud Sixtum V. pontificem accusaret, si illud ab aliis antea notatum omisissem. At ego multo antea quam Sixtus V. pontifex crearetur, haec scripseram,et in scholis dictaveram:deinde, si tam multa alia exempla praetermisi, quae in Sandero legeram, ut Barclajus ipse testatur, cur timere debui offensionem pontificis, si istud unum praetermittèrem ? Quod vero addit Barclajus, Sixtum V. in animo habuisse,ordinem Jesuitarum ad arctiorem formam vivendi, atque ad certum vestimenti genus, cogere; fabulae sunt hominum otiosorum, et mirum est Barclajum in his etiam nugis referendis voluisse tempus consumere. Quod vero adjungit, Bullam ejusdem Sixti V. qua Pontimussanae academiae perpetuus rectoratus Jesuitis addicitur, suppositiam vel obreptitiam videri, et quamvis vere sit a Sixto concessa, valere tamen non debere, quia statim ab ejus creatione fuerit impetrata: non jam ad fabulas vel nugas, sed ad calumnias et maledicentiam pertinet: quasi non potuerit idem pontifex toto illo quinquennio, quo pontificatum gessit, eam bullam revocare, si suppositiam, aut obreptitiam, aut fraude exortam didicisset.

Sed his omissis, ad exemplum Jojadae pontificis Athaliam reginam exauctorantis, respondet Barclajus, exemplum illud ad rem non facere;quod Athalia nullo jure regnaret, sed immani tyrannide per vim et scelus regnum occupasset.

At verum quidem est, initium regni Athaliae tyrannicum et violentum fuisse: sed cum annis sex quiete regnaverit,credibile est, populum consensu suo regnum ejus approbasse,praesertim cum ignoraretur superesse adhuc unum ex filiis regis defuncti et fama esset; omnes omnino interiisse. Neque novum aut insolitum est, ut initia regnorum sint violenta et tyrannica, et tamen paulo post consentiente populo reges legitimi habeantur. Ipse certe Augustus, qui imperator optimus habitus est,rempublicam injuste initio oppressit, et principatum sibi armis violenter usurpavit. Otho Galbam occidit: Vitellius Othonem ejecit : Vespasianus Vitellium; et omnes tamen imperatores a senatu populoque romano salutati sunt. Quid atrocius, quam quod Philippus gessit, cum Gordianum imperatorem legitimum sustulit,et imperium ejus invasit?et tamen ipse quoque legitimus imperator habitus est. Mitto Odoacrem Herulum , Gothos et Longobardos invasores Italiae; et alios prope innumerabiles, qui per vim regna occuparunt, et postea tamen accedente consensu populorum reges legitimi habiti sunt.

At, inquit Barclajus, sacerdos Jojada,non auctoritate propria Athaliam deposuit, sed hortatus est centuriones et milites cum illis in Athaliam conspiravit: sic enim Scriptura loquitur: *Misit Jojada pontifex, et assumens centuriones et milites introduxit in templum Domini, pepigitque cum eis foedus.*

Et hoc verum est, sed non impedit quo minus Jojadae auctoritate regina deposita fuerit. Sacerdos enim non poterat solus implere quod proposuerat; ideo centurionibus et militibus ad se accersitis, exposuit illis propositum suum deturbandae reginae de solio, tum ob alia crimina, tum quod falsam religionem Baal foveret : neque simplici promissione militum contentus esse voluit, sed foedus cum eis iniit, et adjuravit eos, ut fortiter proposito suo cooperarentur. Denique ipse armavit milites tradens eis hastas, et reliqua arma regis David, quae erant in domo Domini: ipse jussit interfici reginam; ipse novum regem coronavit; ipso auctore totus populus templum Baal evertit, et aras idolorum destruxit, et sacerdotem Baal aram ante ipsam occidit.

CAPUT XXXIX.

Defenditur tertium exemplum allatum pro potestate summi pontificis in temporalibus.

Tertium exemplum attuleram ex s. Ambrosio, qui Theodosium imperatorem excommunicavit propter caedem, quam Thessalonicae nimis crudeliter fecerat: deinde coëgit eum, ut legem ferret,ne sententiae latae de caede aut publicatione bonorum ratae essent, nisi post triginta dies a pronunciatione sententiae, nimirum ut si quid per iracundiam praecipitanter dictasset intra spatium illud sedato pectore revocaret. Ex quo exemplo collegeram ab episcopo mediolanense potuisse judicari imperatorem,qui apud mediolanum sedem habebat. Ex quo rursus deduxeram, si hoc potuit episcopus, quanto magis princeps episcoporum papa?

Ad hoc exemplum ita respondet Barclajus,ut primum admittat,episcopum posse cognoscere de crimine principis in foro externo ecclesiastico,et illud punire poena ecclesiastica, qualis in primis excommunicatio est,et hoc modo cognovisse Ambrosium caussam Theodosii de caede, ut peccatum erat et eumdem Theodosium reum factum excommunicasse: deinde concedit,ab episcopo Ambrosio imperatum fuisse, ut Theodosius legem illam ferret in poenitentiam peccati commissi, sine quo poenitentiae fructu vel signo, eum ab anathematis vinculo non solvisset. Ex his vero colligit, s.Ambrosium habuisse in Theodosium spiritualem jurisdictionem, non autem temporalem aut politicam.

At ego exemplum illud, quod attinet ad excommunicationem, non attuli adversus Barclajum, qui nondum orbi terrarum innotuerat: sed adversus alios , praesertim Anglos Calvinistas , qui negant principem supremum excommunicari posse a summo pontifice, vel summum pontificem ullam habere in supremos principes jurisdictionem vel potestatem. Quod vero attinet ad legem politicam,quam Theodosius ex Ambrosii praecepto tulit;non utique negamus, eam ad fructum poenitentiae pertinere,et a spirituali potestate episcopi fuisse imperatam:sed ostendere voluimus, posse principes ecclesiasticos non solum in foro interno conscientiae, sed etiam in foro externo ecclesiastico disponere de tempo-

ralibus, ut ad spiritualia ordinem habent. Certe enim qua potestate s. Ambrosius potuit Theodosium cogere, si a vinculo anathematis solvi vellet, ad legem illam politicam ferendam: eadem potuit eumdem cogere ad aliam legem politicam saluti animarum necessariam ferendam, nisi vellet anathematis vinculo alligari. Ex quo manifeste colligitur, multo majore ratione potuisse pontificem maximum, Ecclesiae universae praesidem, imperare principibus temporalibus sub anathematis poena, ut leges politicas spirituali bono necessarias ferant, et contra, ut eas abrogent, quae spirituale bonum impediunt: atque hoc modo spirituali potestati, temporalem potestatem esse subjectam.

CAPUT XL.

Defenditur exemplum quartum.

Quartum exemplum desumptum fuit ex privilegio sancti Gregorii monasterio sancti Medardi concesso, quod habetur lib 12. epistolarum extremo, in quo leguntur haec verba: Si quis regum, antistitum, judicum, vel quarumcumque saecularium personarum hujus apostolicae et nostrae praeceptionis decreta violaverit, cujuscumque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur, etc. Et similia habentur in alio privilegio ejusdem sancti Gregorii lib. 11. epistol. 10. ad senatorem abbatem.

De hoc exemplo sic loquitur Barclajus. *Si viveret hodie b. Gregorius, et superiora verba eo sensu accipi intelligeret, quasi ipse potestatem habuisset privandi reges suo honore et dignitate: exclamaret profecto calumniosam esse interpretationem, et se numquam tale quid, vel per somnium cogitasse: ea vero quae alibi scripta ab eo sunt, fidem abrogant huic expositioni, sunt igitur ista, non imperantis, sed imprecantis verba, quibus admonet et adjurat omne genus hominum, ne privilegium a se datum violent: quod si violaverint, Deum vindicem fore, qui eos suo honore privet, quod genus admonitionis et imprecationis nunc semper addi solet extremis Bullarum et Constitutionum pontificiarum, hoc modo: Nulli ergo hominum liceat hanc paginam, etc. si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus incurrat, sive quod idem est, se noverit incursurum.*

Respondeo: Interpretatio verborum sancti Gregorii, non mea est, sed alterius sancti Gregorii dignitate paris et sanctitate non multum inferioris. Sanctus, inquam, Gregorius VII. papa in epistola ad episcopum metensem, quae est vicesimaprima libri octavi, hunc locum sancti Gregorii adducit ad probandum jure a se fuisse depositum Henricum imperatorem: *Beatus Gregorius*, inquit, *papa reges a sua dignitate cadere statuit, qui apostolicae sedis decreta violare praesumpserint, scribens ad quemdam senatorem abbatem, his verbis: Si quis vero regum, etc: Quod si beatus Gregorius, doctor utique mitissimus, reges, qui statuta violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari, atque in aeterno examine damnari decrevit: quis nos Henricum non solum apostolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris Ecclesiae, quantum in ipso est, conculcatorem, totiusque regni, et ecclesiarum improbissimum praedonem, et atrocissimum destructorem deposuisse et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus?* Haec ille, cui Barclajus si cedere noluerit interpretatione verborum sancti Gregorii, nimis temerarius erit: si autem cesserit, fateri debebit, sanctum Gregorium primum non ignorasse, potestatem sibi divinitus datam extendi usque ad regum et principum depositionem. Sed addamus et alium interpretem verborum sancti Gregorii, ut in ore duorum testium stet omne verbum. Thomas Valdensis, vir doctissimus in lib. 2. doctrinalis fidei antiquae artic. 3. cap. 75. *Profecto*, inquit, *nec beatus Gregorius eminentiae sui status super statum imperialem praejudicavit in aliquo, cum regem sibi verbo tenus praeposuit, negotio quod tunc tractabatur attento, quod tunc apte videbimus, si posteriora ejus facta et scripta quaeramus. Vide an se magistrum et imperatorem et regum non arbitrabatur, cum post privilegia quaedam senatori presbytero et abbati xenodochii Francorum directa sub interminatione dignitatis et honoris omni ejus violatori conclusit. Si quis regum etc.* En quam bene doctor iste Barclajum nondum natum confutavit. Barclajus dicit ex aliis scriptis sancti Gregorii colligi, sanctum Gregorium non existimasse habere se potestatem super reges saeculi, quamvis ejus verba id significare videantur: Thomas Valdensis contradicit, ex aliis sancti Gregorii scriptis colligi, sanctum Gregorium verbo tenus se imperatori subjecisse, re autem vera non ignorasse eminentiam sui status super statum imperialem. Barclajus dicit, Verba sancti Gregorii sonare imprecationem, quam etiam quilibet privatus adjungere potest literis suis: Thomas Valdensis contra dicit, Verba sancti Gregorii sonare interminationem honoris et dignitatis, quam literis suis adjungere non potest, nisi princeps supremus. Utrum autem major fides habenda sit uni Barclajo, quam duobus viris tantae eminentiae, atque doctrinae, stultum est quaerere. Sed etiam si id quaeratur ex verbis ipsius sancti Gregorii tota quaestio nullo negotio dissolvetur. Siquidem s. Gregorius tria simul conjungit, videlicet, honore suo privetur, a communione fidelium segregetur, in divino examine ad poenas aeternas damnetur. At duo posteriora non continent imprecationem, sed decretum, sive declarationem: non enim praelatus, qui dicit, qui hoc fecerit, excommunicetur, imprecatur excommunicationem, sed jubet excommunicari: et qui dicit, qui hoc fecerit, in divino judicio ad poenas aeternas damnetur, non imprecatur damnationem aeternam (quis enim tam crudelis invenitur, qui hoc imprecetur?) sed declarat, qui hoc fecerit, eum gravissime peccaturum, et poenas aeternas in divino examine promeriturum. Igitur eodem modo illud, Honore suo privetur, non est imprecatio, sed decretum, ut ab honore suo decidat, et declaratio, ut liceat populo non obedire ejusmodi regi tamquam honore suo ac dignitate privato. Quemadmodum

etiam verba extrema constitutionum apostolicarum non significant imprecationem, ut perperam Barclajus exponit (neque enim summus pastor et vicarius boni illius pastoris, qui animam suam pro ovibus suis posuit, imprecaretur ovibus suis indignationem omnipotentis Dei), sed declarationem et denunciationem continent gravissimae poenae, quae contemptores apostolicorum praeceptorum sine dubio consequetur. Hoc enim manifeste significant illa verba, Indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli se noverit incursurum. Quare si sanctus Gregorius nunc in terris viveret, haud dubio exclamaret, calumniosam esse interpretationem Barclaji, et se nihil tale unquam vel per somnium cogitasse.

CAPUT XLI.

Defenditur exemplum quintum.

Quintum exemplum est Gregorii II. qui Leoni imperatori a se excommunicato prohibuit vectigalia solvi ab Italis, ac proinde eum imperii parte mulctavit.

Ad hujus et sequentium exemplorum refutationem, praemittit Barclajus satis prolixam admonitionem adversus argumenta, quae petuntur ab exemplis, immemor argumentorum, quae ipse duxit ab exemplis veterum pontificum et imperatorum, ex quibus plenissime constare dixit, nullam esse in pontifice potestatem disponendi de temporalibus. Sed quoniam isti sunt loci communes, qui ad omnem disputationem accommodari possunt, iis omissis ad rem propositam accedam. Igitur Barclajus praecise negat, verum esse quod historici tradunt, a Gregorio II. pontifice prohibitos fuisse Italos imperatori haeretico et excommunicato vectigalia pendere: tota vero ejus ratio est, quia Platina in vita Gregorii II. scribit, volentibus populis deficere ab imperatore haeretico, restitisse Gregorium et auctoritate sua, eos in fide, et obedientia imperatoris tenuisse. Cur autem uni Platinae major fides habenda sit, quam caeteris historicis antiquioribus et pluribus; eam caussam reddit, tum quia Platina scripsit historias pontificum jussu Sixti IV. et habuit Romae multa vetera monimenta: tum etiam quia Gregorius pontifex optimus et justissimus cum esset, numquam jussisset contra evangelium negari censum Caesari, qui usque ad obitum Caesar, et imperator Augustus permansit.

At haec Barclaji disputatio, tam est infirma ac debilis, ut mirum non sit, quod paulo ante tam longa praefatione exemplorum auctoritatem extenuare conatus sit. Videbat enim nihil firmum adferre se posse ad exemplum tam vetustum et tam evidens refutandum. Primum igitur ajo Platinam non esse contrarium historicis caeteris, si tempora distinguantur. Verum est enim per multos annos Gregorium restitisse populis italicis cupientibus ab imperatore deficere. Sperabat enim assiduis cohortationibus suis aliquando cessurum imperatorem, et ad meliorem mentem ac saniora consilia redditurum: atque hoc est, quod Platina vere narrat. Sed ubi vidit pontifex, se operam perdere et imperatorem quotidie deteriorem fieri: securim ad radicem misit et imperatorem coetu piorum ejecit, ac jussit, ut ei tamquam impio italici populi non parerent, neque vectigalia deinceps penderent. Id vero Platina non negat et historici plurimi graeci et latini affirmant, quos in libro meo citavi. Vide de hac tota caussa cardinalem Baronium tom. 9. Annalium, ad annum salutis 726. et 730.

Ajo secundo: Si Platina contrarium dicat, magis credendum esse historicis caeteris, quam ipsi: nam et multi sunt et antiquiores et diligentiores, et historias temporum scribunt, non vitam unius pontificis, ut Platina facit: quam autem Platina parum diligens fuerit in perscrutandis monimentis romanorum archiviorum, vel ex eo potest intelligi, quod Onuphrius Panuinus in additionibus ad Platinam, multa ejusdem Platinae vel omissa, vel errata demonstrat: et in additione praemissa vita Gregori secundi, admonet, Leoni tertio imperatori haeretico jure ereptum fuisse imperium, quod in Italia habebat, a Gregorio secundo romano pontifice.

Ajo tertio: Gregorium virum sanctissimum non peccasse in evangelium, quando populos Italiae prohibuit vectigalia pendere imperatori haeretico. Quod enim Dominus ait: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari*, intelligitur de Caesare legitime imperante.

Leo vero ille, qui ob crimen haereseos a summo pontifice publice excommunicatus fuerat et ab imperio depositus, non erat vere et jure Caesar, sed tyrannus et persecutor sub titulo Caesaris.

At, inquit Barclajus, usque ad mortem Leo permansit in imperio.

Respondeo: Apud Graecos, praesertim haereticos, imperator de facto, non de jure permansit: apud Latinos ac presertim Italos, neque de jure, neque de facto.

CAPUT XLII.

Defenditur exemplum sextum.

Sextum exemplum est Zachariae pontificis, qui Childericum regem Francorum deposuit, et Pipinum substituit.

Ad hoc exemplum Barclajus opponit multa, quae per partes singillatim refellenda sunt.

Primum contendit: Childericum fuisse solo nomine regem, qualis est, ut ipse loquitur, Rex Schaccorum.

Respondeo: Negari non potest, quin Childericus nihil omnino in regno per se gereret, sed regnum, et regni negotia per principes, ac potissimum per praefectum palatii administraret, ut Aimoinus tradit lib. 4. cap. 61. caeterum verum non est, eum solo nomine regem fuisse, fuit enim rex jure successionis, et tamquam verus, ac legitimus rex inunctus, et coronatus erat et a populis juramentum fidelitatis acceperat. Neque hoc negare Barclajus potest, nisi ipse sibi repugnare velit: nam paulo post scribit, gravissimam injuriam Childerico factam esse a Zacharia pontifice et a Pipino principe cum regno dejectus est. At quae injuria fieri poterat ei, si absque ullo jure falsum regis nomen gerebat? et cur

Pipinus in spem regni exarserat, et regium nomen non dissimulanter affectabat (ut paulo infra Barclajus loquitur) si Childericus nihil praeter inane nomen habebat?

Secundo Barclajus dicit: Childericum injuste depositum fuisse; in qua re socium habet Joannem Calvinum, lib. 4. instit. cap. 7. et Illyricum in historia Magdeburgensi centuria 8. cap. 10.

Sed nos juste fuisse depositum probamus primo ex testimoniis omnium scriptorum: omnes enim cum laude hanc historiam narrant. Vide Cedrenum in vita Leonis Isaurici, Paulum Diaconum lib. 6. c. 5. de gestis Longobardorum, Eginarthum in vita Caroli magni, Rheginonem lib. 2. chronic. Marianum Scotum lib. 3. chron. Othonem Frisingensem lib. 3. historiae cap. 55. Adonem viennensem, in chronic. Aimoinum lib. 4. cap. 61. Abbatem Ursperg. et Sigebertum in chron. Blondum lib. 10. decadis primae, Paulum Aemilium lib. 1. et 2. de gestis Francorum, Robertum Gaguinum, Papirium Massonium, et alios omnes haereticis exceptis.

Secundo ex caussa: Nam non solum Childericus, et aliquot ejus praedecessores nulla regni negotia curabant, sed etiam ob eorum socordiam christiana religio in eo regno maxime laborabat, ut scribit s. Bonifacius episcopus moguntinus in epistola ad Zachariam pontificem.

Tertio ex virtute auctoris et executoris: Nam Zacharias, cujus auctoritate haec res gesta est, omnium consensu vir sanctissimus, et sapientissimus fuit. Sanctus vero Bonifacius, qui jussu pontificis, Pipinum unxit, et coronavit, non solum doctor eximius, sed etiam martyr gloriosissimus fuit. Denique ab eventu, nam translatio ista regni Francorum a Childerico ad Pipinum Deo benedicente faustissima et regno, atque Ecclesiae utilissima fuit.

At, inquit Barclajus, *nullo casu licet malum facere, ut bonum inde quantumvis magnum consequatur: deponi autem regem legitimum a propriis subditis, aut deponentibus consentire, cum ille solum Deum supra se habeat, cui soli gestorum suorum rationem reddere tenetur, per se et simpliciter malum esse jam supra ostendimus.*

Respondeo: Childericum non subditi ejus, sed pontifex, qui superior erat, jure deposuit: non enim Zacharias solum assensum praebuit in depositione Childerici, sed ex auctoritate eum deposuit, ut mox ostendemus. Neque ullo solido argumento supra Barclajus probavit, reges non habere supra se nisi Deum, cui soli gestorum suorum rationem reddere teneantur. Videat lector. quae supra dicta sunt, et judicet.

Tertio Barclajus ridet argumentum illud, quod ab eventu felici duxi, ut probarem, juste Childericum fuisse depositum: ac dicit, plebejum et puerile argumentum esse, et allegat poëtam dicentem:

Careat successibus opto
Quisquis ab eventu facta notanda putet.

Addit etiam, eumdem felicem eventum habuisse translationem regni Francorum a Carolovingis ad Capevingos; et tamen constat Hugonem Capetum per summum scelus exuisse Carolovingos regno et illud ad Capevingos suos transtulisse.

Respondeo: Argumentum a solo eventu fortuito sine dubio parum valet, ut si quis damnaret prudentiam, vel peritiam imperatoris ex eo solum, quod victor in praelio non fuisset: saepe enim aliunde accidit amissio victoriae, quam ex imprudentia vel imperitia imperatoris: argumentum tamen a felici eventu ex providentia Dei, non parum valet, praesertim cum adjungitur aliis argumentis: solet enim Deus justitiae favere, nisi ob aliquam caussam sapientiae ipsius videatur aliter esse faciendum.

Quod autem Barclajus reprehendit Hugonem Capetum summi sceleris et regni usurpati; et Gaguinum auctorem adducit: nos ei cardinalem Baronium opponimus, qui tomo Annalium decimo ad annum Domini 987. multis argumentis probat, Hugonem fuisse legitimum regem, et in eo non defecisse, sed propagatam esse Caroli Magni stirpem. Nec desunt alii, qui Hugonem istum defendunt, ut Papirius Massonus, et alii: et Gaguinus non dicit per summum scelus id ab Hugone factum fuisse. Et certe magnum argumentum hujus rei esse potest, quod Robertus Pius, qui una cum patre Hugone, et post eum regnavit, vir piissimus, et sanctissimus fuerit, neque enim tanta pietas cum injusta usurpatione alieni regni cohaerere potuisset.

Quarto dicit Barclajus, sanctum Bonifacium non peccasse exequendo mandatum Zachariae pontificis, quamvis Zacharias mandando peccaverit: reddit autem rationem, quia tenebatur, inquit, papae sententiam exequi, licet scivisset illam esse injustam, et ideo licet fecisset Zachariam reum iniquitas imperandi, innocentem esse ostendit Bonifacium ordo serviendi et necessitas parendi, et allegat cap. *Pastoralis*, § *Qui vero*, de offic. judic. deleg. et can. *Quid culpatur*, 23. quaest. 1. et canon. *Miles*, 23. quaest. 5.

Respondeo: Hoc dictum non plebejum aut puerile, sed plane haereticum est; repugnat enim cum expresso verbo Dei, Oportet obedire magis Deo, quam hominibus, Actor. 5. quod ipsum declaravit sanctus Augustinus, et alii Patres, qui citantur, 11. quaest. 3. can. *Julianus*, et aliis multis canonibus ejusdem quaestionis. In illo vero cap. *Pastoralis* § *Qui vero*, ubi dicitur, sententiam injustam ab inferiore exequutioni mandandam esse; glossa recte docet, quae ibi dicitur sententia injusta, absolute justam esse, quia juste a lege inductum est, ut is qui in tempore praescripto non appellavit, adversus eum sententia proferatur, etiamsi alioqui justam caussam habuisset, et ibidem rectissime eadem glossa declarat, non esse obediendum mandato superioris evidenter injusto. Et can. *Quid culpatur*, 23. q. 1. S. Augustinus contra Barclajum loquitur, cum dicit, esse obediendum superiori, quando vel certum est justum esse, vel non est certum esse injustum quod jubetur, ex quo sequitur, ut quando certum est esse injustum, non sit ullo modo parendum, denique in can. *Miles*, 28. quaest. 1. non agitur de justitia vel injustitia mandati, atque id solum definitur, privata auctoritate hominem interficere peccatum esse, secus autem si publica auctoritate id fiat. Quare Barclajus sententiae suae amore caecatus, vel noluit jura intelligere, vel non potuit.

Quinto dicit Zachariam pontificem consensisse Francis volentibus Childericum deponere, et Pipinum regem creare; non autem potestate vel auctoritate sua, vel Childericum a regno deposuisse, vel in Pipinum regnum translulisse; et propterea nihil ex hoc exemplo trahi posse ad ostendendam romani pontificis auctoritatem in regibus, vel deponendis, vel creandis.

Sed haec nimia temeritas est, cum testimoniis historicorum omnium contrarium manifeste probetur.

1. Annales Francorum vetustissimi sic habent, *Data auctoritate sua (Zacharias) jussit Pipinum regem constitui.*

2. Eginarthus in vita Caroli Magni: *Pipinus*, inquit, *per auctoritatem rom. pontificis, ex praefecto palatii rex constitutus est.*

3. Aimoinus lib. 4. cap. 61. de gestis Francorum: *Pontifex*, inquit, *data auctoritate sua, jussit Pipinum regem institui.*

4. Rhegino lib. 2. chronici: *Zacharias*, inquit, *per auctoritatem apostolicam jussit Pipinum regem creari et sanctae unctionis oleo inungi.*

5. Lambertus Schaphnaburgensis, in hist. *Pipinus*, inquit, *decreto Zachariae papae per unctionem sancti Bonifacii rex appellatus est.*

6. Sigebertus in chronico, *Anno*, inquit, 750. *Pipinus princeps auctoritate apostolica, et Francorum electione a s. Bonifacio in regem consecratur, et anno 752. iterum inungitur in regem a Stephano papa.*

7. Hermannus Contractus, in chronico, *Anno*, inquit, 752. *Pipinus auctoritate Stephani papae detenso ac deposito rege Hilderico rex Francorum factus est.*

8. Marianus Scotus lib. 3. chronici, *Zacharias*, inquit, *papa ex auctoritate s. Petri apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus et in monasterium missus est.*

9. Abbas Urspergensis in chronico, *Anno*, inquit, 750. *Pipinus per auctoritatem Zachariae papae more Francorum electus ad regnum per manus sancti Bonifacii elevatus est in regni solium.* Et infra: *Stephanus papa Pipinum sacra unctione in regiae dignitatis honore confirmavit.*

10. Otho Frisingensis lib. 5. hist. cap. 22. *Auctoritate*, inquit, *Zachariae papae Pipinus ad regnum eligitur.*

11. Albertus Krantzius lib. 1. metropolis cap. 14. *Merito*, inquit, *summus pontifex et Gallorum rex mutuis se attollunt favoribus: quando ab initio haec sedes domui Caroli hoc praestitit, ut regiam haberet dignitatem.*

12. Paulus Aemilius in Childerico, *Zacharias*, inquit, *Francos sacramenti regi Childerico dicto solvit: hique conventu habito regem Pipinum salutaverunt.*

Habemus duodecim testes, quorum aliqui auctoritate pontificis, alii auctoritate apostolica, alii auctoritate sancti Petri, alii decreto papae Childericum depositum et Pipinum exaltatum testantur, postremus scribit, non ausos Francos Pipinum regem salutare, nisi prius sacramento per pontificem solverentur, quo regi Childerico tenebantur: et tamen Barclajus solita temeritate negat, auctoritate, vel decreto pontificis id esse factum. Hoc solum supererat, ut cum Matthia Illyrico, nostri temporis haeretico notissimo et historico mendacissimo diceret, mendacium ac figmentum esse, quod nostri affirmant, a Zacharia pontifice regnum Francorum a Childerico in Pipinum esse translatum. Vide Illyricum initio libri, de translatione imperii.

EPILOGUS

Cum exempla sex Barclajus frustra refutare tentasset; reliqua sex, quae supererant, aut volens praetermisit, quod ea clariora esse intelligeret, quam ut cavillationum suarum tenebris obscurari possent: aut morte praeventus inchoatum opus dimittere coactus est invitus. Utcumque sit, defunctus opere, et vita apud eum judicem constitutus est, quem nemo potest fallere, et apud quem principum gratia neminem juvat. Ego vero, qui ad tribunal ejusdem supremi judicis brevi sistendus sum, hoc bona conscientia testari me posse confido, nihil a me scriptum in gratiam, nihil in odium. Scripsi quod verum existimavi, quod ab Ecclesia didici, quod ante me plurimi non solum docti, sed etiam sancti scripserunt. Neque ultro in hanc arenam descendi, sed lacessitus ab homine mihi ignoto, coactus sum defendere senex, quod scripsi juvenis. Quod si pontificiam potestatem et scripta mea ita defendi, ut oportebat, quod efficere vehementer optavi; Deo, in cujus manu sumus nos, et sermones nostri, gratias humillimas ago: sin contra accidit, et in aliquo aut in multis, pro humana imbecillitate defeci, ab illo veniam peto, qui suavis et mitis est, ut multus in misericordia omnibus invocantibus eum. Ecclesiae quoque, et ipsius summi pontificis, Christi vicarii censurae non solum praesens opusculum, sed omnia scripta mea libens et volens submitto.

Finis hujus Tractatus

INDEX CAPITUM

HUJUS TRACTATUS

Praefatio. pag. . . . . Pag. 259
Sententia illustrium scriptorum nationis italicae de potestate pontificis . . . . . ibid.
Sententia illustrium scriptorum nationis Gallicae. 261
Sententia illustrium scriptorum nationis Hispanicae 263
Sententia illustrium scriptorum nationis Germanicae 264
Sententia illustrium scriptorum nationis anglicae et scoticae. 265
Sententia conciliorum de potestate summi pontificis in temporalibus. 266

Cap. I. *De excusatione Barclaji* . . . 267
» II. *Excutitur principium sive fundamentum doctrinae Barclaji.* 268
» III. *Potestatem summi pontificis in temporalibus, non esse rem dubiam, neque ab opinionibus doctorum solum pendere* . . 270
» IV. *De falsa caussa originis temporalis potestatis pontificiae a Barclajo assignata* 276
» V. *De potestate in temporalia, quam indirecte theologi summo pontifici tribuunt* 278
» VI. *Cur Primis septingentis annis summi pontifices non deposuerunt reges haereticos, vel apostatas.* 280
» VII. *Cur Ecclesia Constantium haereticum et Julianum apostatam imperatores non deposuit* 281
» VIII. *Cur Ecclesia non deposuit Valentinianum juniorem arianum.* 283
» IX. *An potuerint posteriores principes sine detrimento populi per Ecclesiae auctoritatem principatu privari: et simul, justa ne, an injusta fuerit Gregorii VII. sententia in Henricum imperatorem* 285
» X. *Discutitur sententia Othonis Frisingensis de judicio Gregorii septimi pontificis.* 291
Cap. XI. *De comparatione Julii II. et Clementis VIII.* . . . . . Pag. 292
» XII. *Diluuntur argumenta adversus theologorum sententiam de potestate pontificis maximi in temporalibus* 293
» XIII. *Defenditur prima ratio Bellarmini pro potestate pontificis in temporalibus* 296
» XIV. *Defenditur confirmatio primae rationis Bellarmini* 298
» XV. *Refutatur digressio Barclaji.* . 300
» XVI. *Refellitur alia digressio Barclaji.* 302
» XVII. *Defenditur secunda ratio pro potestate summi pontificis in temporalibus* 303
» XVIII. *Defenditur secunda pars rationis secundae pro potestate summi pontificis in temporalibus* 306
» XIX. *De sententia s. Bernardi circa potestatem pontificis maximi in temporalibus* . . . . ibid.
» XX. *Defenditur tertia ratio Bellarmini.* 308
» XXI. *Defenditur confirmatio rationis tertiae principalis.* 309
» XXII. *Defenditur altera confirmatio rationis tertiae principalis.* . . 313
» XXIII. *Defenditur tertia confirmatio tertiae rationis principalis.* . . 314
» XXIV. *Defenditur ratio quarta Bellarmini pro potestate pontificis in temporalibus* 315
» XXV. *Defenditur quinta ratio Bellarmini pro potestate summi pontificis in temporalibus* . . . 317
» XXVI. *Defenditur prima pars rationis quintae pro potestate summi pontificis in temporalibus.* . . 319
» XXVII. *Utrum votum, an juramentum magis obliget* . . . . . ibid.
» XXVIII. *Digressio circa sententiam cap. Inter corporalia, de translatione episcopi.* 321
» XXIX. *De vero sensu cap.* Inter corpo-

ralia, *de translatione episcopi* . . . . . Pag. 322
Cap. XXX. *Respondetur ad objectiones contra primam partem rationis quintae pro potestate summi pontificis in temporalibus* . ibid.
» XXXI. *Dialogismus inter populum nimis addictum regi terreno et pontificem populo salubriter consulentem* 323
» XXXII. *Refutantur falsa quaedam pronunciata Barclaji, quae digrediendo effutiit.* 327
» XXXIII. *Defenditur pars secunda rationis quintae principalis pro potestate summi pontificis in temporalibus* 328
» XXXIV. *Refutatur error Barclaji de exemptione clericorum* . . 329
» XXXV. *Refutatur grande verbum Barclaji, quo exemptio clericorum funditus tollitur* . Pag. 332
Cap. XXXVI. *Defenditur secunda, et tertia pars rationis quintae principalis pro potestate pontificis maximi in temporalibus* . . 335
» XXXVII. *Defenditur primum exemplum allatum pro potestate summi pontificis in temporalibus.* . 336
» XXXVIII. *Defenditur secundum exemplum pro potestate pontificis in temporalibus.* 337
» XXXIX. *Defenditur tertium exemplum allatum pro potestate summi pontificis in temporalibus.* . 338
» XL. *Defenditur exemplum quartum.* 339
» XLI. *Defenditur exemplum quintum.* 340
» XLII. *Defenditur exemplum sextum* ibid.
Epilogus 342

FINIS

APOLOGIA

ROBERTI BELLARMINI

S. R. E. CARDINALIS

PRO RESPONSIONE SUA

AD LIBRUM JACOBI

MAGNAE BRITANNIAE REGIS

CUJUS TITULUS EST

TRIPLICI NODO TRIPLEX CUNEUS

IN QUA APOLOGIA REFELLITUR

Praefatio monitoria regis ejusdem

Accessit eadem ipsa responsio iterum recusa, quae sub nomine MATTHAEI TORTI anno superiore prodierat.

RUDOLFO SECUNDO IMP.

CAESARI SEMPER AUGUSTO

CAETERISQUE REGIBUS AC PRINCIPIBUS QUI DEUM PATREM ET ECCLESIAM CATHOLICAM MATREM AGNOSCUNT DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS.

ROBERTUS CARDINALIS BELLARMINUS

Felicitatem a Domino sempiternam precatur.

Ante annos circiter tres Jacobus magnae Britanniae rex juramentum subditis suis Anglis catholicis suscipiendum proposuit, in quo sub specie fidelitatis, quae principibus debetur a populis, fidei catholicae abnegatio continebatur. Admonitus de hac re summus pontifex PAULUS V. ad quem sollicitudo omnium ecclesiarum pertinet, pro suo pastorali munere binas literas, in forma Brevis, ad Anglos catholicos dedit, instruens eos et docens, ut caverent insidias; juramentum enim illud sine pernicie animarum suscipi non posse. Et quoniam archipresbyter Anglorum, qui caeteris dux esse debuerat ad periculum vitandum, primus in foveam cecidit; ego ad eum, cum quo mihi olim necessitudo intercesserat, exhortatoriam epistolam scripsi. Haec officia pietatis cum ad regem delata fuissent, mirum in modum ejus animum pupugerunt. Itaque librum edidit, tacito nomine auctoris, quo et Brevia summi pontificis et epistolam meam vehementer exagitavit. Libri inscriptio erat, triplici nodo triplex cuneus. Ad eum librum, cum primum is ad manus meas pervenit, breviter et modeste respondere studui; ne forte libellus regius fructum illum nobis eriperet, quem Brevia summi pastoris et epistola mea in animis fidelium Anglorum gignere coeperant. Quia vero regius liber nomen auctoris non praeferebat; visum etiam mihi est justis de causis, nomen meum ita tegere, ut tamen juxta regulas ecclesiasticas nomen alicujus docti viri liber gereret, qui, si opus esset, de libro edito rationem redderet. Hanc meam necessariam defensionem rex in deteriorem partem interpretatus, excanduit, rursusque in arenam descendens, non solum priorem libellum recudi jussit, se auctorem professus; sed etiam addidit monitoriam praefationem, qua ita responsionem meam carpit potius, quam refellit, ut simul majestates et celsitudines vestras ad perfidiam sollicitare, atque ab Ecclesiae catholicae complexu abstrahere, et ad sinum adulterae pellicere non dubitaverit. Ego igitur apologiam hanc meam, qua praefationem monitoriam et refutationem libri mei, refellere statui, vobis reges et principes orthodoxi et potentissimi, dicandam esse censui: non ut antidotum contra venenum propinem, quo majestates et celsitudines vestras in recta fide fundatas et radicatas nequaquam egere, certissime scio; sed quia cum in tota praefatione, atque adeo in toto regio libro ego pungar, ego carpar, ego apud majestates et celsitudines vestras in invidiam adducar, aequum est, ut apud easdem ipse me defendam et scriptionis meae rationem reddam et simul (quod sacerdotum Domini proprium officium est) dogmata sanctissimae nostrae fidei impugnantibus pro viribus resistam. Neque debet novum, aut insolens videri, quod scribamus adversus regem et regios libellos, ubi necessitas fidei id requirit, cum extent libri non pauci veterum episcoporum, majorum nostrorum, Hilarii episcopi Pictaviensis et Luciferi episcopi Calaritani adversus Constantium imperatorem haereticum; Gregorii episcopi Nazianzeni et Cyrilli episcopi Alexandrini adversus Julianum imperatorem apostatam. Aggrediar igitur, vestra bona venia, praefationem monitoriam excutere, atque ab inscriptione principium faciam.

CAPITA HUJUS APOLOGIAE

ET QUAE PRAECIPUA SUNT IN ADJUNCTA RESPONSIONE

Cap. I. *De inscriptione praefationis.*
» II. *Quod non sit communis caussa regis Anglorum, cum regibus et principibus orthodoxis et catholicis.*
» III. *De comparatione regis et pontificis.*
» IV. *De comparatione regis et cardinalis.*
» V. *Quod cardinalis Bellarminus nulla injuria regem affecit, cum apostolicorum Brevium et epistolae suae defensionem suscepit.*
» VI. *Quod cardinalis Bellarminus directe responderit ad apologiam pro juramento fidelitatis: Adversarius vero statum caussae mutet, et ad alia extra rem digrediatur.*
» VII. *Jacobum regem ab haeresi excusari nulla ratione posse.*
» VIII. *Non esse recentia dogmata, sed antiquissima, intercessionem sanctorum, missam privatam transubstantiationem et alia, quae rex Angliae novitia et nupera vocat.*
» IX. *Nulla probabilitate ex cap. 2. epistol. 2. ad Thessalon. colligi posse romanum pontificem esse Antichristum.*
» X. *De sede et duratione Antichristi.*
» XI. *De Henoch et Elia.*
Cap. XII. *De quatuor visionibus sancti Joannis in Apocalypsi, quibus Antichristus designatur ex sententia regis.*
» XIII. *Diluantur variae calumniae.*
» XIV. *Excutitur peroratio regis.*
» XV. *Responsio ad ea, quae sub nomine mendaciorum, mentitarum historiarum, et novorum dogmatum, rex scripsit adversus librum Matthaei Torti, qui vere cardinalis Bellarmini liber est, sed justis de caussis alieno nomine editus.*
» XVI. *Sequuntur historiae, quas rex mentitas dicit, cum responsione.*
» XVII. *Sequuntur nova dogmata, quae rex notavit, cum responsione.*
Responsio ad librum inscriptum, triplici nodo triplex cuneus, quae huic apologiae adjuncta est.
Primum Breve pontificium ad catholicos Anglos.
Secundum Breve ad eosdem.
Epistola cardinalis Bellarmini ad archipresbyterum Angliae.
Responsio ad ea, quae objiciuntur contra epistolam cardinalis Bellarmini.

CAPUT PRIMUM

DE INSCRIPTIONE PRAEFATIONIS

Sacratissimo atque invictissimo principi ac domino Rudolpho II. roman. imper. semper augusto: Serenissimis atque potentissimis christiani orbis monarchis ac regibus, illustrissimis celsissimisque principibus, rebuspublicis atque ordinibus: Fratribus, consanguineis, affinibus, foederatis, atque amicis carissimis: Jacobus Dei gratia magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae rex, fidei vere christianae, catholicae, apostolicae, veterisque ac primitivae Ecclesiae, tot episcoporum, aliorumque fidelium martyrii gloria coronatorum sanguine illustris, propagator, ac defensor: in Christo Jesu omnium nostrum Salvatore ac mediatore unico, salutem, felicitatemque perpetuam.

Haec inscriptio, quod attinet ad fidem, ab omni parte falsa esse convincitur. Primum enim (1) fides, quam rex defendit, non potest esse vere christiana, nisi Christi verba sint falsa. Damnat rex in hac ipsa praefatione pag. 42. transubstantiationem panis in corpus Christi; et tamen Christus ipse accepto pane dixit: *Hoc est corpus meum*: testibus Matth. cap. 26. Marco cap. 14. Luca cap. 22. Paulo 1. Corinth. 11. Neque fieri potest, ut verba illa Christi sint vera, nisi per conversionem et transmutationem quam Ecclesia catholica proprio vocabulo transubstantiationem vocat, ut recte docet conc. trid. sess. 13. cap. 4.

Negat rex pag. 48. primatum apostoli Petri et tamen Dominus Joan. 21. non semel, sed tertio dixit: *Simon Joannis diligis me plus his?* Et respondente Petro: *Domine tu scis quia amo te*: subjunxit, *Pasce oves meas;* ubi nemo negare potest s. Petrum factum esse pastorem omnium fidelium et ipsorum etiam apostolorum, nisi neget fideles omnes et ipsos etiam apostolos fuisse oves Christi: quem locum fuse tractavi et expendi, lib. 1. de summo pontifice cap. 14. 15. et 16.

Affirmat rex pag. 56. romanum pontificem esse Antichristum. At Christus Joan. 5. dixit ad Judaeos: *Ego veni in nomine Patris mei et non recepistis me*, (2) *si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Ex quo loco colligunt sancti Patres Augustinus, Chrisostomus et Cyrillus in hunc locum, necnon Irenaeus lib. 5. adversus haereses, Ambrosius in comment. 2. Thessal. 2. Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 11. Antichristum recipiendum esse a Judaeis, ut Messiam. Satis autem constat romanum pontificem a Judaeis numquam habitum esse pro Messia: proinde ex sententia Christi, Antichristum non esse.

Omitto caetera, quae rex in hac praefatione damnat, vel negat, ut intercessionem sanctorum, missam, purgatorium, indulgentias et similia, quae qui negat, eum catholicum christianum non esse fideles omnes, non solum docti, sed etiam idiotae sciunt et profitentur.

Deinde, quod (3) fides, quam rex defendit, non possit jure dici catholica; intelligi potest ex definitione, quam tradit Vincentius Lirinensis in commonitorio adversus prophanas vocum novitates: illud enim dicit esse catholicum, quod semper et ubique creditum est. Certe autem per mille quingentos annos, ne nomen quidem Protestantium auditum est. Ac ne de omnibus articulis novis, quos rex defendit, disputationem suscipiamus: ille certe primarius et proprius Anglorum de primatu regis in spiritualibus, quem articulum rex ipse potissimum propagare et defendere nititur, adeo recens est, ut primus auctor ejus nostro tempore vixerit, Henricus videlicet, octavus rex Anglorum: ipse primus abnegata obedientia summi pontificis, se caput Ecclesiae anglicanae nominari et agnosci voluit. Cujus rei testes sunt omnes ejus temporis historici, Joannes Cochleus in libro de vita Martini Lutheri, Laurentius Surius in historia nostri temporis et alii multi. Sed unum auctorem praeterire non possum, qui scribit ea, quibus interfuit; is est Mauritius Channei anglus Carthusianus in lib. de vita et martyrio Carthusianorum cap. 9. cujus haec sunt verba.

(4) *In principio anni Domini* 1535. *diffinitum fuit per regem Angliae et in celebri actu parlamenti sui institutum, ut omnes auctoritatem et*

(1) *Fides Protestantium Anglorum non est vere christiana.*

(2) *Judaei Antichristum pro suo Messia recipient.*

(3) *Fides Protestantium Anglorum non est vere catholica.*

(4) *Quando coepit haeresis anglicana.*

obedientiam, quam debebant domino papae et cuique alii superiori in aliis regnis,abrenunciarent et ipsum regem, ut supremum caput Ecclesiae, tam in spiritualibus,quam in temporalibus sub juramenti attestatione susciperent: contradicentes vero tamquam rei laesae majestatis haberentur et aequali morte punirentur. Et cap.10. scribit, missum fuisse d. Thomam Crowel cum aliquot consiliariis ad trés monachos Carthusianos in turri Londinensi carceratos, ut eis proponeret decretum parlamenti, quo jubebantur auctoritati domini papae renunciare,et solum regem in caput Ecclesiae recipere.

Cumque, inquit, respondissent patres nostri, se consensuros omnibus, quae et in quantum lex divina permiserit; subjunxit ille (1):Nullam exceptionem admittam, sive lex divina permiserit,sive non. Replicaverunt nostri beatissimi patres, Ecclesiam catholicam aliter semper tenuisse ac docuisse.Respondit ille: Non curo Ecclesiam; vultis consentire, an non? Dixerunt illi, se propter timorem Dei non ausos esse contraire ac deserere Ecclesiam catholicam: Haec ille, satis aperte nos docuit, unde et quando initium habuerit nova haec fides anglicana, quam rex hoc loco catholicam nominat. Quomodo autem catholica est, idest, semper credita,si ante annum millesimum quingentesimum trigesimum quintum audita non est? vel si nova non est, sed antiqua; cur sancti illi martyres novitatem ejus ita exhorruerunt, ut dicerent Ecclesiam catholicam semper aliter tenuisse: et ob timorem Domini crudeli supplicio mori maluerunt, quam novum istud dogma et praedicatae fidei contrarium recipere?

Neque solum fides ista regis non est catholica, quia non semper credita, sed etiam (2) quia non ubique credita. Fides enim vere catholica ab initio apostolicae praedicationis in universo mundo seminari, crescere et fructificare coepit:sic enim loquitur Apostolus ad Coloss. 1. *In universo mundo*, inquit, *est verbum veritatis evangelii et sanctificat et crescit.* Et ad Roman. 1. *fides*,inquit, *vestra annunciatur in universo mundo.* Neque huic veritati repugnat, quod haereses quoque in universo mundo sunt: nam ut s. Augustinus scribit in lib. de pastoribus cap. 8. hoc interest inter fidem catholicam et haereses, quod fides catholica in universo mundo eadem est, haereses autem in universo mundo non eaedem, sed diversissimae sunt, ac per hoc nulla eorum catholica dici potest.

Certe romanae Ecclesiae fides, ut vere, proprieque catholica eadem est in Europa, eadem est in Asia, eadem in Africa, eadem in orbe nuper invento, eadem in Monte Libano, eadem in America, eadem apud ultimos Japones. Contra vero haereses Nestorii et Eutychetis orientis loca quaedam occupant; ad occidentem non pertinent. Haereses Lutheranae septentrionis angulum possident, mare non transierunt; Asiam et Africam non attigerunt; ad Graeciam appellere conatae cum ignominia repulsae sunt. Sed neque una est fides Lutheranorum, sed multae, atque adeo inter se contrariae,ut aliae alias haereticas vocent.

Porro fides Anglorum de primatu regis in spiritualibus adeo catholica dici non potest,ut ne unius quidem regni fides dici possit, cum in ipsa Britannia magna sit multitudo Puritanorum,qui Calvinum auctorem sequuti, primatum ecclesiasticum,non ad regem, sed ad senatum ministrorum pertinere contendant (3). Calvinus enim lib. 4. Institut. cap. 6. § 9. cum docuisset monarchiam non esse optimum regimen, addidit, etiam si esset in politica administratione regimen optimum monarchia, tamen in Ecclesia non esse: neque ullum hominem dici debere caput Ecclesiae, non solum principale, sed neque ministeriale. Et eodem lib. 4. cap. 11.§ 13. docet in caussis ecclesiasticis non esse imperatorem idoneum cognitorem,ac propterea vehementer laudat s. Ambrosium, quod vocatus ad palatium ad conferendum de fide coram imperatore, omnino accedere recusaverit. Et eodem lib. 4. cap. 20. § 7. disertis verbis dicit: Regis officium apostolicum munus non esse:sollicitudinem autem ecclesiarum ad apostolicum munus in primis pertinere docet Apostolus. 1. Corinth.12. et 2. Corinth. 11. Et idem Apostolus apud Lucam Act. 20. dicit: Episcopos a Deo positos Ecclesiam regere. Sed apertissime in cap. 6.Amos, invehitur in eos, qui Henricum VIII. Ecclesiae caput appellant.

Quod autem Puritani non admittant primatum regis in spiritualibus, docet ipse idem rex in opere quod inscripsit, Βασιλικων δωρον. Nam lib. 2. pag. 43. dicit,eos paritatem quamdam et aequalitatem in Ecclesiam inducere. Et in hac ipsa praefatione pag. 48. *Inconfusam*, inquit, *illam anarchiam et parilitatem Puritanorum invectus sum, ut ex* Βασιλικῳ *meo* δωρῳ *satis constat.* Quare cum fides, quam rex defendit ante paucos annos nata angustissimis limitibus contineatur, non catholica idest, vetus et universalis; sed nova particularis nominari debet.

Quod vero (4) apostolica (quod nomen fidei suae tertio loco rex tribuit) nulla jure appellanda; sed apostatica omni jure nominanda sit; ex eo manifeste convincitur, quod fides, quae nunc in Anglia viget, seminatores habuerit Bucerum et Petrum martyrem Vermilium, utrumque apostatam. Primi autem in Scotia eversores catholicae fidei et haeresis satores fuerunt viri quidam factiosi et turbulenti, quos apostolos nominare scelus maximum esset. Neque de hac re mihi fidem haberi volo,sed regi: sic enim ille scribit in Basilico suo doro lib. 2. pag. 40. et 41.

Reformata religio in hanc nostrom Scotiam divino plane miraculo introducta est: nam cum multa in illo negotio a concitata multitudine temere fierent et perturbate, multi etiam cupiditatum suarum turbine abrepti caeco animi impe-

(1) *Haeretici non magni faciunt legem divinam,quando repugnat humanae cupiditati.*

(2) *Alia ratio, cur fides Protestantium non possit dici catholica.*

(3) *Calvinus repugnat Calvinistis anglicanis, qui protestantes dicuntur.*

(4) *Fides Protestantium anglorum non est vere apostolica.*

tu et nullo judicio ad opus illud Dei peragendum ferebantur; Et paulo post. *In illa et rerum et temporum confusione orti sunt quidam igneae naturae concionatores, qui eo potentiae apud populum provehebantur, ut dulcedinem jam imperii degustantes, inciperent nescio quam democraticae reip. formam sibi somniare.*

Itaque reformata religio, idest, catholicae religionis eversio, ipso rege teste, ab hominibus temerariis, cupidis, sine judicio, caeco impetu, principatum, atque imperium ambientibus, in Scotia introducta est. Mirum est autem valde, quod rex reformationem religionis, ac non potius deformationem appellet, quam ab hominibus caecis, temerariis, cupidis, ambitiosis, idest, nulla forma virtutis praeditis et multitudine vitiorum deformatis introductam esse concedit.

Dicet fortasse, divino miraculo, per homines deformatos omni genere vitiorum, et qui ab apostolorum virtutibus longissime absint, apostolicam fidem in Scotia restitutam fuisse.

At nos contra scimus, divinam legem per Moysem et prophetas, viros sanctissimos introductam; evangelium Christi per apostolos, qui Spiritus sancti donis omnibus abundabant, mundo praedicatum; coetus hominum reformatos, quos ordines religiosos appellamus, per homines excellenti virtute praeditos institutos. Nova ista miracula, quibus colligantur de spinis uvae et de tribulis ficus, idest, a deformatis reformatio, et ab apostatis apostolica religio, Ecclesia vere christiana non novit. Sed de hac re in sequenti disputatione plura dicemus.

Sequitur igitur, ut ostendamus (1) fidem, quam rex defendit, non esse veteris ac primitivae Ecclesiae, martyrum sanguine illustris, fidem. Haec enim est quarta laus, quam rex fidei suae in inscriptione attribuit. Non esse autem fidem regis Anglorum, fidem Ecclesiae veteris, ac per hoc neque esse vere christianam, neque catholicam, neque apostolicam; ex iis quae rex in hac ipsa praefatione docet, nullo negotio demonstrabimus.

Scribit enim rex pag. 38. admittere se, praeter Scripturas sanctas, tria symbola, apostolicum, nicenum et s. Athanasii; quatuor prima concilia generalia; et quae sancti Patres, quadringentis (in anglico quingentis) post Christum annis unanimi consensu docuerunt. Deinde pag. 42. damnat intercessionem sanctorum, reliquiarum venerationem, quam intolerabilem idololatriam vocat, missas privatas, transubstantiationem, et alia id genus multa; ut etiam pag. 46. purgatorium, indulgentias, satisfactiones pro defunctis et similia.

Accipiam (2) intercessionem sanctorum, cum reliquiarum veneratione; quae si ostendere potuero, a Patribus, qui primis quadringentis, vel quingentis annis floruerunt, unanimi consensu approbari; simul effecero, fidem regis Anglorum non esse fidem veteris et primitivae Ecclesiae, sed figmenta et haereses Novatorum.

Primum igitur concilium quartum generale, in quo 630. episcopi interfuerunt, et quod ab ipso rege cum honore suscipitur, ita loquitur act. 11. *Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis oret.* Et in epistola episcoporum Europae ad Leonem imperatorem, quae tempore ejusdem concilii est: *Sanctissimum vero Proterium in choro et ordine sanctorum martyrum ponimus et ejus intercessione misericordem et propitium Deum habere postulamus.* Qui ergo recipit concilium quartum, quod omnium maximum et frequentissimum fuit, cur intercessionem sanctorum cum illo non recipit?

Sanctus Basilius vere Magnus in oratione in 40. martyres: *Qui*, inquit, *aliqua premitur angustia, ad hos confugiat; qui rursus laetatur, hos oret: ille ut a malis liberetur, hic ut duret in rebus laetis.* Idem de reliquiis sanctorum eorumdem, quae per totam eam regionem divisae erant: *Hi sunt*, inquit, *qui nostram regionem administrant et veluti turres quaedam cohaerentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non uno loco seipsos includentes, sed multis jam locis hospites facti et multas patrias exornantes.* Idem in oratione in psalm. 115. *Qui contingit*, inquit, *ossa martyrum, quamdam sanctificationis societatem assumit ex gratia corpori insidente.* Haec ille. Quid ni igitur veneremur sanctorum reliquias, unde tanta bona nobis proveniunt? vide eumdem Basilium oratione in Mamantem et oratione in Julittam.

Sanctus Gregorius nyssenus sancti Basilii frater, oratione in sanctum Theodorum, *Intercede*, inquit, *ac deprecare pro patria apud communem regem et dominum.* Et infra. *Quod si majori opus fuerit deprecatione et advocatione, fratrum tuorum martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare, admone Petrum, excita Paulum, Joannem theologum, ac discipulum dilectum.* Idem in eadem oratione de reliquiis loquens: *Corpus*, inquit, *venerandum et immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore et cultu compositum, atque ornatum, in augusto, sacroque loco situm est.* Haec ille, qui etiam addit, pulverem ipsum, qui circa conditorium reliquiarum reperitur, pro magno munere a piis peregrinis rapi consuevisse. Tanta erat in primitiva illa Ecclesia erga sacra pignora piorum devotio, quam rex intolerabilem idololatriam esse dicit, et tamen fidei primitivae Ecclesiae defensorem se facit.

S. Gregorius nazianzenus orat. in s. Cyprianum, *Tu*, inquit, *e supernis nos respice et populum hunc sanctum dirige, etc.* Et ibidem, refert certamen sanctae cujusdam virginis pro castitate: *Virginem*, inquit, *Mariam rogavit, ut periclitanti virgini opem ferret;* ac paulo post refert, eam fuisse exauditam: *Vicit*, inquit, *virgo, vincitur daemon.* Idem in oratione prima in Julianum imperatorem apostatam, arguit eum, quod sanctorum martyrum reliquias non coleret, cum deorum falsorum monumenta veneraretur: *Haec*, inquit, *non colis, sed contemnis et aspernaris, qui Herculis rogum ex calamitate, injuriisque muliebribus illatis excitatum admiraris.*

(1) *Fides Protestantium anglorum non est fides veteris Ecclesiae, sed recens adinventio.*

(2) *Intercessionem sanctorum, et venerationem reliquiarum admittit vetus Ecclesia orientalis.*

Eusebius Caesariensis in lib. 13. de praepar. evangel. cap. 7. explicans ritum Ecclesiae veteris: *Haec*, inquit, *nos quotidie factitamus, qui vere pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.*

S. Joan. chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum: *Nam*, inquit, *et ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, et fastu deposito stat sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant.* Ubi praedicat gloriam sanctorum martyrum ex eo, quod non solum populus, sed etiam imperator ad reliquias eorum accederet, et sanctis ipsis supplicaret. Idem in libro adversus Gentiles, loquens de reliquiis sancti Babylae: *Sententiae*, inquit, *nostrae abunde fidem faciunt, quae quotidiana a martyribus eduntur miracula.* Et in oratione de sanctis Juventino et maximo: *Saepius*, inquit, *illos invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur.* Quid hic quaeso rex dicet? Si Patres veteris Ecclesiae clamant, sanctorum tumulos adoremus; Quomodo rex veteris Ecclesiae fidem retinet et interim dicit, reliquiarum adoratio intolerabilis idololatria est?

Sanctus Ephrem in serm. de laudibus sanctorum martyrum: *Precamur*, inquit, *beatissimi martyres, ut pro nobis miseris et peccatoribus Dominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gratia Christi.*

Beatus Cyrillus hierosolymitanus catechesi 5. mystagogica: *Cum hoc sacrificium*, inquit, *offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum et martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras.* Et catechesi 18. *Ut autem non solum animae sanctorum honorentur, credaturque quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia; jacens in sepulchro Elisaei mortuus, mortuumque prophetae corpus attingens vivificatus est.* Haec ille, qui inde probat corpora sanctorum honoranda esse, et non solum animas. Atque hi quidem Graeci Patres sunt, et orientis lumina ad aetatem illam pertinentia, quam rex requirit, ut Patres (1) Ecclesiae veteris et primitivae esse intelligantur. Addamus nunc testimonia Patrum latinorum aetatis ejusdem.

Sanctus Ambrosius in libro de Viduis, *Obsecrandi*, inquit, *sunt angeli, qui nobis ad praesidium dati sunt, martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare: possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si quae habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri praesules, speculatores vitae, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere: quia ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent, cognoverunt.*

Idem in serm. 93. qui est de sanctis Nazario et Celso satis fuse commendat reliquiarum cultum, qui regi Angliae idololatria est. Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne jam resoluta atque consumpta? honoro in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam perennitate virtutis: honoro in cineribus semina aeternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum docuit mortem non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et daemones? quod et afflixeruut in supplicio et glorificant in sepulchro? honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in coelo.

Sanctus Hieronymus in epitaphio sanctae Paulae: *Vale*, inquit, *o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva: fides et opera tua Christo te sociant: praesens facilius quod postulas impetrabis.* Idem in lib. adversus Vigilantium, qui eo nomine haereticus habitus est in veteri Ecclesia, quod reliquiarum cultum improbaret: *Dolet*, inquit, *martyrum reliquias pretioso operiri velamine et non vel pannis, vel ciliciis colligari, vel projici in sterquilinium; ut solus Vigilantius ebrius vel dormiens adoretur.* Idem in epist. ad Marcellam, hortatoria, ut commigret Bethleem, inter alia bona ejus loci commemorat, posse sancti Joannis Baptistae, Elisaei, atque Abdiae cineres adorare, non enim idololatriam, sed pium cultum esse sentiebat adorationem reliquiarum; quia non ignorabat, adorationis esse multa genera et aliam Deo soli, aliam rebus sacris deberi.

Ruffinus ejusdem temporis auctor lib. 2. hist. cap. 33. de (2) Theodosio imperatore sic loquitur: *Circuibat cum sacerdotibus et populo omnia orationum loca: ante martyrum et apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat.* Haec ille; nec vana fides: obtinuit enim adversus Eugenium tyrannum Theodosius victoriam incredibilem non viribus militum, sed praesidio sanctorum, quos fideliter imploraverat. Hunc pium imperatorem, reliquiarum adoratorem et sanctorum invocatorem rex Anglorum idololatram vocare non dubitabit, et tamen edoctum scimus a sacerdotibus Ecclesiae veteris, et a Deo ita dilectum, ut propter hanc victoriam scripserit ille:

O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Sanctus Maximus in serm. de s. Agnete. *Itaque*, inquit, *o splendida Christo pulchra Dei filio et omnibus angelis, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus.* Idem in serm. de sanctis Octavio, Adventore et Solutore: *Cuncti*, inquit, *martyres devotissime percolendi sunt, sed ii praecipue venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus.*

Sanctus Gaudentius episcopus Brixiae in tractatu

(1) *Eadem admittit vetus Ecclesia occidentalis.*

(2) *Theodosius imper. per intercessionem sanctorum victoriam maximam obtinuit.*

de dedicatione basilicae multa scribit de cultu reliquiarum, ac inter alia: *Ut venerandas*, inquit, *sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit; deinde ut hanc honori earum basilicam fundare valeremus, ipse largitus est etc.* Ubi vides, tanti fecisse reliquias sanctorum Ecclesiae veteris Patres, ut earum honori etiam basilicae conderentur.

S. Paulinus in epistola 12. ad Severum invocat his versibus sanctum Clarum

Haec peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Ut sis Paulini, Therasiaeque memor.

Idem in tertio natali s. Felicis martyris, inquit,

Ad tumulum debes, et terra coronas.

Et ibidem de reliquiis apostolorum loquens ait:

Nam prius imperio tantum, et victricibus armis,
Nunc et apostolicis terrarum es prima sepulchris.

Prudentius ejusdem aetatis nobilis poëta christianus in hymno de s. Laurentio:

O ter quaterque o septies
Beatus urbis incola,
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossium,
Cui propter advolvi licet
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Vix fama nota est abditis,
Quam plena sanctis Roma sit:
Quam dives Urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

Multa similia in singulis prope hymnis de sanctorum reliquiis et invocatione scribit.

Sanctus Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli: *Habet*, inquit, *ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt cum martyres eo loco recitant ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro caeteris autem defunctis oretur; injuria enim est orare pro martyre, cujus nos debemus orationibus commendare.* Similis locus habetur tract. 84. in Joan. quibus locis non solum intercessionis sanctorum meminit sanctus doctor, sed etiam orationis pro defunctis et altaris, ubi offertur sacrificium missae: quae non minus damnat rex, quam invocationem sanctorum. Idem pater in epist. 103. ad Quintianum: *Portant*, inquit, *reliquias beatissimi et gloriosissimi martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.* Idem in lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. fusissime commemorat miracula, quae Deus suo tempore demonstrabat per invocationem sanctorum ad eorum reliquias, vel memorias.

Haec sunt testimonia veteris Ecclesiae graecae et latinae primorum 500. annorum post Christi ascensionem in coelum, de intercessione sanctorum et reliquiarum cultu. In promptu autem esset similia testimonia adscribere de caeteris dogmatibus, quae rex negat aut damnat: sed quia haec habentur tum in nostris libris controversiarum, tum in scriptis multorum aliorum catholicorum doctorum: parco labori et lectorum et meo. Volui enim ex uno saltem dogmate constare, fidem, quam rex defendit, non esse veteris Ecclesiae, ut ipse in inscriptione dicit.

At, inquiet, multa docentur in Anglia et Scotia a ministris, quae sunt communia veteri Ecclesiae, atque ea potissimum, quae in symbolo fidei, et decretis quatuor primorum conciliorum continentur. Ita est, sed quaestio inter catholicos et protestantes non est, utrum nihil omnino eorum, quae protestantes docent, habeatur in libris veterum; sed utrum ea, in quibus dissentimus, ut intercessio sanctorum, reliquiarum cultus, oratio pro defunctis primatus s. Petri, purgatorium et similia recepta et probata sint a veteri Ecclesia, ut a nobis recipiuntur et probantur; an rejecta et improbata, ut a rege, et ejus praedicatoribus rejicuntur et improbantur. Nos autem de uno principali dogmate controverso demonstravimus, receptum et probatum fuisse ab Ecclesia veteri, ut a nobis recipitur et probatur: et idem in libris nostris de caeteris controversiis dogmatibus manifestum fecimus. Itaque nos cum Ecclesia veteri in omnibus articulis convenimus: Protestantes vero in paucis conveniunt, in plurimis dissident, in iis videlicet omnibus, in quibus a nobis dissentiunt, proinde fides, quam adversus nos defendunt, non est fides veteris Ecclesiae, sed haeresis, ut supra diximus, Novatorum.

Restat ut pauca dicamus de vocibus, propagator et defensor, quae in inscriptione ultimo loco ponuntur. Et quidem ubi rex fidem propagaverit, vel evangelium annunciaverit, ignorare me fateor.

(1) Titulum defensoris fidei, quem majusculis litteris hoc loco scribi video, ut etiam in priore pagina et in basilico doro et alibi, non ignoro, neque ullus est, qui ignoret, a Leone X. pontifice maximo delatum Henrico VIII. Angliae regi ob librum ab eodem rege scriptum de septem Ecclesiae sacramentis adversus Lutherum, caeterosque ejus temporis Novatores. Quod si quaeratur, quid nomine fidei in eo titulo significetur; nihil aliud responderi poterit, nisi fidem illam significatam esse, quam praedicabat, qui titulum dedit, et quam profitebatur, qui titulum accepit, et quae defendebatur in libro, cujus gratia titulus datus et acceptus est.

Quae cum ita sint, non possum non vehementer admirari, cur hunc titulum sibi desumat, qui romanum pontificem, a quo titulus datus est, non agnoscit; qui eam fidem damnat, quam profitebatur, qui titulum primus accepit; qui denique non septem sacramenta, ob quorum defensionem titulus datus est, sed duo vel tria tantum esse contendit.

Quaero praeterea, qui titulo isto tam honorifico legem Angliae cohonestavit, Christi vicarius an Christi adversarius fuit? Si Christi vicarius, cur defensor christianae fidei, Christi vicarium non audit? non recipit? non veneratur? Si Christi adversarius, cur christianus rex titulo a Christi adversario dato gloriatur? cur characterem Antichristi ge-

(1) *Titulus defensoris fidei datus a Leone X. Henrico VIII. non convenit Jacobo I.*

rit? Quomodo enim ista cohaerent, ut quis romanum pontificem Antichristum esse credat, et titulum honoris ab eo datum non exhorreat? Ergo rex, si sapit, originem hujus tituli apud se diligenter cogitet et facile intelliget, eum ad se minime pertinere et apud homines sapientes plus vanae ostentationis habere, quam solidae dignitatis.

CAPUT II.

Quod non sit communis caussa regis Anglorum, cum regibus et principibus orthodoxis et catholicis.

Initio suae monitoriae praefationis conatur rex Anglorum, communem facere caussam suam cum omnibus regibus et principibus christianis: *Caussa*, inquit, *communis agitur, et quae ad jus, dignitatemque pertinet omnium non modo regum, sed aliorum etiam quibuscumque suprema est a Deo rerum civilium demandata potestas.*

Cur autem communis caussa agatur; unico verbo attingit, cum ait, hoc libro suo contineri apologiam pro juramento fidelitatis, ex quo intelligi vult, pugnare se adversus romanum pontificem pro juramento fidelitatis, quod omnibus regibus, atque principibus praestari debet et solet a subditis. Quasi pontifex romanus ejusmodi juramenta prohibeat, ac velit reges et principes omni potestate exuere.

Sed (1) frustra laborat rex, ut caussam istam communem faciat. Nam neque summus pontifex in Brevibus suis ad catholicos Anglos; neque ego in epistola mea ad archipresbyterum Angliae, juramentum quodcumque fidelitatis improbavimus; sed juramentum, quod sub specie civilis fidelitatis, abnegationem pontificiae auctoritatis continebat: neque reges et principes catholici ita sibi jurari volunt a populis fidelitatem, ut summi pontificis auctoritas abnegetur. Quae duo si demonstrare potuero, nemini dubium relinquetur, quin caussa regis Angliae propria ipsius sit, neque aliquid commune habeat cum caussa regum et principum catholicorum.

Quod igitur juramentum, quod rex Angliae fidelitatis et civilis obedientiae vocat, non sit juramentum simplicis fidelitatis, neque solius civilis obedientiae; perspicuum est ex titulo edicti, quo juramentum hoc praescribitur, hic enim est titulus: *Ad detegendos et reprimendos Papistas.* Finis igitur hujus juramenti non est, detegere sedit osos, inobedientes, rebelles; sed Papistas, idest, eos, qui summum pontificem, ut Christi vicarium venerantur. Neque finis est continere populos in ea obedientia, quae regibus et principibus debetur; sed reprimere Papistas, qui civilem obedientiam regibus exhibent; sed nolunt regem agnoscere caput, vel supremum gubernatorem Ecclesiae in spiritualibus; neque volunt primatum apostolicum summi pontificis abnegare. Sed quoniam ea, quae ad hunc locum pertinent, satis copiose tractavi in responsione ad librum regis, qui inscribitur, triplici nodo triplex cuneus; et haec ipsa responsio denuo recusa hic adjuncta fertur; ad eamdem remitto lectorem, ne bis eadem repetendo et me et lectorem frustra fatigem.

Quod autem reges et principes orthodoxi ita velint fidelitatem et obedientiam a populis sibi subjectis jurari et exhiberi; ut simul velint suam pontifici maximo, ut Christi vicario, fidelitatem et obedientiam conservari: ex ipsa reverentia et obedientia, quam ipsi nuper, de more, huic ipsi summo pontifici Paulo V. publice per legatos suos, viros amplissimos exhibuerunt, luce clarius demonstratus.

Vidimus enim tota spectante Roma (2), legatos reipub. Lucensis, deinde Genuensis, ac demum Venetae, cum splendidissimo comitatu ab urbem advenire, summi pontificis pedes deosculari, latina et pereleganti oratione reverentiam et obedientiam nomine totius reipublicae exhibere. Vidimus non diu post, regem Hispaniarum per oratorem suum illustrissimum et excellentissimum feriae ducem; ac post aliquod tempus regem Francorum christianissimum per oratorem suum illustrissimum et excellentissimum ducem nivernensem, cum eo procerum comitatu, eaque nobilium virorum multitudine, quae tantorum regum magnificentiam decebat, ejusdem summi pontificis deosculari pedes, eique amplissimis verbis per eloquentissimos oratores suos reverentiam et obedientiam praestare, quae s. Petro apostolorum principi, ejusque successoribus jure debetur. Nec defuerunt officio suo supremi, ac liberi principes caeteri, quotquot nomine catholico censentur, sive Germani, sive Galli, sive Itali; apparatu quidem minore, sed pietate et devotione pari.

Quare si reges ac principes orthodoxi publice profitentur obedientiam supremo Ecclesiae capiti, romano pontifici, a christianis omnibus deberi; et ipsi exemplo suo praeeunt populos, quos regendos susceperunt: Et pontifex maximus non modo non improbat juramenta fidelitatis erga reges et principes; sed probat et laudat; et ad ea servanda, cum opus est, censuris ecclesiasticis cogit: quid habet commune caussa regis Anglorum cum caeteris; cum ipse hoc in primis contendat, ut populos suos ab obedientia summi pontificis avertat, atque eo modo a Christi corpore, quod est Ecclesia, separet, ac secum in inferna demergat? Vera est enim sententia illa magni Leonis in epist. ad episcopos provinciae Viennensis: *Quisquis huic sedi principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiae suae semetipsum in inferna demergit.*

Quae cum ita sint, poterat rex ab illis verbis abstinere, quae in iniuriam omnium catholicorum principum protulit: *Expergiscimini igitur, dum tempus est, neque sinite somno diuturniore incidi in singulis, ad ruinam universorum, aucto-*

(1) *Frustra conatur Jacobus rex caussam suam communem facere cum principibus orthodoxis.*

(2) *Honorificae legationes ad Paulum V. pont. max. caussa exhibendae reverentiae et praestandae obedientiae, more majorum.*

ritatis vestrae nervos: quasi unus rex Anglorum vigilet, unus sapiat; caeteri dormiant et desipiant universi: neque possint reges auctoritatis suae nervos integros servare, nisi auctoritatis pontificiae nervos ipsi praecidant. Expergiscatur potius rex Anglorum et verbum Domini diligenter expendat: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Audiat et Apostolum Christi, qui quemadmodum ad Rom. 13. admonet populos ut subjecti sint et obediant temporalibus potestatibus et reddant vectigal, cui debetur vectigal, et tributum cui debetur tributum; ita eosdem monet, ad Heb. 13. ut obediant spiritualibus praepositis, et subjaceant eis, qui pervigilant, quasi rationem pro animabus ipsorum reddituri.

CAPUT III.

De comparatione regis et pontificis.

Ingressurus disputationem rex, duas rationes reddit (1), cur in apologia pro juramento fidelitatis, primum edita, nomen suum celaverit, nunc autem prodat. Altera ratio est, quod indignum majestate sua regia existimaret sub nomine suo disputationem theologicam evulgare: cum ad reges pertineat scribere potius decreta et edicta, quam libros. Id autem probat dicens: *Nam neque me pontifice ulla ex parte inferiorem esse credo (pace ipsius dixerim) quem eadem ratione censores meae apologiae excusant: eum quippe Brevia strictim et praecise conscripsisse; nec rationes aut argumenta addidisse, quod non sit illius disputare, sed judicare, atque decernere.*

At censores apologiae non dixerunt, non esse pontificis libros scribere, aut de rebus theologicis disputare. Scimus enim pontifices aliquos magna cum laude libros doctissimos edidisse: sed Paulum V. pontificem, cum Brevia illa ad Anglos misit; non librum, sed epistolam hortatoriam misisse, quae vicem edicti gereret. Addiderunt etiam, imprudentem fore principem, qui iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi librum integrum philosophorum more conscriberet. Itaque non dixerunt censores apologiae, indignum esse pontificia, vel regia majestate libros theologicos vel philosophicos scribere; sed edita et decreta pontificum vel regum non esse scribenda more philosophico cum adjunctis rationibus et argumentis, subtili et longa disputatione.

Sed his omissis, quae ad rem non multum faciunt, illud omnino praeterire non possum, quod rex ait (2), nulla ex parte se pontifice inferiorem esse. Certe enim si ad ovile Christi se pertinere credit, non potest se non inferiorem illo judicare, cui dictum est a Domino, *Pasce oves meas*: nisi forte oves pastore inferiores esse negare voluerit.

Neque ad rem facit, quod ipse in hac praefatione pag. 21. dicit, nihil in se potestatis pontificem habere, quod a nobis haereticus censeatur, Julianoque apostatae aequetur, extra caulam, gregemque pontificis esse credatur: proinde eodem jure cum ethnicis principibus censendus, in quos nihil posse pontificem fatemur: hoc, inquam, ad rem non facit; siquidem haeresis et apostasia privat haereticos et apostatas multis bonis, quae communia sunt fidelibus; sed non privat pontificem auctoritate, quam in eos habet: alioqui neque punire eos, neque redeuntibus poenam condonare posset. Et sunt quidem haeretici extra caulam de facto, et in favorabilibus, ut jureconsulti loquuntur; sed de jure, et in poenalibus ad eam pertinent, atque ad eam ut redeant compelli jure possunt. Neque fatemur absolute (3), pontificem in ethnicos principes nihil posse: sequimur enim doctrinam s. Thomae, qui in 2. 2. quaest. 10. art. 10. affirmat, posse infideles principes per sententiam Ecclesiae privari in certis casibus dominio quod habent super fideles, ut si terras christianorum vi occupaverint, vel subditos fideles a fide avertere satagant.

Adde quod cum summus pontifex multa maxima regna, atque adeo totum orbem christianum et ipsos etiam reges et principes, ut filios pater, atque ut oves pastor gubernet et regat; mirum est, quod is qui in angulo septentrionis duas insulas subjectas habet, ita de se praesumat, ut dicat: *Nulla ex parte me pontifice inferiorem esse credo.* Quod si nulla ex parte inferior est; numeret reges et respublicas, quae obedientiam illi praestent; quemadmodum nos paulo ante numeravimus reges et respublicas, quae solemni ritu Paulo V. pontifici obedientiam praestiterunt.

Neque iste honor exhibetur summo pontifici a regibus tantum occidentis; nam Justinus imperator, venientem ad se Joannem papam, pronus in terram adoravit, ut Anastasius bibliothecarius testatur. Justinianus senior Joannem secundum, caput omnium ecclesiarum appellavit, ut videre est. I. inter claras, C. de summa Trinitate, et fide cathol. Scribit etiam Liberatus in Breviario de caussa Nestorianorum cap. 22. quo tempore imperator, Silverium papam in exilium misit, episcopum Patarensem adisse imperatorem, et contestatum esse divinum judicium; ac dixisse, multos esse reges, sed nullum talem esse, qualis ille, qui est papa super Ecclesiam mundi totius.

Sed si Jacobus rex nulla ex parte pontifice inferiorem se esse affirmat; certe non id affirmare poterit de regibus Angliae praedecessoribus suis.

Extat epistola Henrici secundi ad Alexandrum III. pontificem in haec verba: (4) *Sanctissimo domino suo Alexandro, Dei gratia catholicae Ecclesiae summo pontifici, Henricus rex Angliae, dux Northmanniae et Aquitaniae, comes Andegavensis et Cenomanensis salutem et devotae subjectionis obsequium.* Et infra: *Vestrae jurisdictionis est*

(1) *Cur rex Jacobus nomen suum non adscripserit apologiae pro juramento fidelitatis.*

(2) *Non recte affirmat Jacobus rex, nulla ex parte se pontifice romano inferiorem esse.*

(3) *Jurisdictio summi pontificis ad haereticos puniendos extenditur.*

(4) *Reges Angliae olim summi pontificis auctoritatem super omnem Ecclesiam et super ipsos reges, agnoscebant et confitebantur.*

Angliae regnum,et quantum ad feudatarii juris obligationem vobis dumtaxat obnoxius teneor et astringor. Experiatur Anglia quid possit romanus pontifex. Vide Petrum Blesensem epistol. 136. vel cardinalem Baroniom tom. 12. pag. 660.

Extat epist. Aleonorae reginae Angliae ad Coelestinum III. ubi haec leguntur: *Nonne Petro apostolo, et in eo vobis omne regnum, omnisque potestas regenda committitur? Benedictus Deus, qui talem potestatem dedit hominibus. Non rex, non imperator, aut dux a jugo vestrae potestatis eximitur.* Vide haec et alia multa his similia apud Petrum Bles. epistol. 145. vel apud card.Baronium eodem tomo pag. 865.

Extat querela regis Anglorum adversus regem Franciae ad Innocentium III. tamquam ad communem judicem, cap. *Novit*, de judiciis.

Extat legatio Richardi regis Angliae ad pontificem romanum in haec verba: *Pater sancte salutat excellentiam vestram dominus noster rex Anglorum Richardus,et postulat sibi justitiam exhiberi de duce Austriae.* Vide Matthaeum Paris.in historia anglicana anni Domini 1193.

Extat apud eumdem Matthaeum Paris.in hist.anglicana anni Domini 1213. resignatio totius regni Angliae et Hiberniae facta a Joanne rege Angliae de consensu baronum in manus Innocenti III.pontificis, et receptio eorumdem regnorum in feudum: ita ut rex tamquam secundarius Dominus a romana Ecclesia illa se habere agnoscat; et in signum subjectionis debeant successores eidem Ecclesiae fidelitatem praestare et homagium recognoscere: necnon in annos singulos mille marcas sterlingorum eidem Ecclesiae numerare. Ergo rex Anglorum ex testimonio et sententia majorum suorum, non solum par non est romano pontifici; sed duplici jure subjectus, uno communi omnibus christianis hominibus, ratione apostolicae potestatis, quae in omnes extenditur, juxta illud ps. 44. *Constitues eos* (apostolos videlicet) *principes super omnem terram*:altero proprio ratione directi dominii, quod in regnum Angliae et Hyberniae romana habet Ecclesia, testibus duobus omni exceptione majoribus Henrico II. et Joanne regibus.

Quamquam haec subjectio multo est antiquior, si Polydoro Virgilio credimus: scribit enim lib. 4. hist. Anglicanae,Inam regem fuisse primum qui (1) regnum Angliae summo pontifici tributarium fecit circa annum Domini 740. Idem postea tributum confirmatum anno Domini 775. ab Offa rege: nec non postea a rege Atulpho anno Domini 947. Denique a rege potentissimo Anglorum et Danorum Canuto, qui regnare coepit in Anglia anno Domini 1016. Idem tributum confirmatum testatur Ingulphus, qui ante quingentos annos scripsit historiam.

Porro quod attinet ad Hyberniam (2), jus longe majus in eam pontifex habet. Constat enim ab Hadriano IV.pontifice datam fuisse eam insulam Henrico II. regi anno 1156. sub conditionibus multis, quas reges Angliae minime servarunt. Extant de tota hac re testimonia historicorum Gulielmi Neubrugensis lib. 3. cap. 9. Polydori Virgilii lib. 13. Nicolai Sanderi de schismate anglicano ab anno 1542. extant denique litterae apostolicae Joannis XXII. ad Edovardum II. datae.

(1) *Anglia tributaria facta est romano pontifici ante annos octingentos sexaginta.*

(2) *Hyberniam Hadrianus IV. pont. regibus Anglorum sub certis conditionibus tradidit.*

CAPUT IV.

De comparatione regis et cardinalis.

Altera ratio, quae regem movit,ut apologiae suae nomen suum non adscriberet, fuit imparitas cardinalis Bellarmini ad regem Jacobum: sic enim ipse loquitur pag. 5. *Altera tacendi nominis ratio mihi fuit eorum conditio, cum quibus ad disceptandum descendebam. Quamquam enim paucis pontificia Brevia notabam, mihi tamen id praecipue laboris dederam, ut Bellarmini litteras ad Blakuvellum refellerem. Neque vero mihi unquam persuasi tantum esse in purpura cardinalitia dignitatis, ut occurrere regio fulgori par ac aemula,et velut aequali majestate cum eo possit ad certamen componi. Nam et multa millia in subditis habeo, qui splendore natalium Bellarmino non concedant; et hanc illius ecclesiasticam dignitatem,cardinalatum inquam, nescio quo loco, aut pretio habeam, sive ad Scripturae auctoritatem, sive ad imperatorum constitutiones expendam: cum sit nihil aliud, quam nova paparum institutio, quam in immensum excrescere decessorum nostrorum, regum inquam, qui his aliquot saeculis rem christianam rexerunt, mollis, et ad omnia pontifici connivens lenitas permisit.*

At ego non video in disputatione theologica quid necesse sit paritatem natalium, aut dignitatis, aut imperii quaerere, cum sola necessaria sit paritas ingenii, atque doctrinae.Henricus VIII. rex Anglorum non indignum sibi putavit, adversus Martinum Lutherum monachum, vel, ut ipse rex loquitur, fraterculum scribere. Julianus quoque imperator, quia non contentus imperiali splendore, cupiebat etiam clarere nomine eruditionis, scripsit libros non adversus reges, sed adversus magistros christianorum, eumque Cyrillus episcopus copiosissime confutavit. Denique Nero imperator cum cantu et cithara cum antagonistis in theatro decertare vellet, non quaesivit reges aut principes,sed homines peritissimos musicae artis, quos si vicisset, tum magnam gloriam adeptum se esse arbitrabatur.

Sed quando rex Angliae majestate sua indignum judicat, ut vel ipse scribat in cardinalem rege longe inferiorem, vel cardinalis in ipsum scribat cardinali longe superiorem: de comparatione regis et cardinalis adducam judicium et testimonia (3) Patrum veterum, qui primis quingentis annis floruerunt, quos a se recipi rex ipse supra testatus est.

Igitur cardinales nihil sunt aliud, nisi episcopi,

(3) *Testimonium veteris Ecclesiae eminenti dignitate S. R. E. cardinalium.*

presbyteri et diaconi, electores, consiliarii et coadjutores summi pontificis. Ac de episcopis quibuscumque etiam non cardinalibus, scribit Gregorius nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum et principem, sive praesidem irascentem: *An me*, inquit, *libere loquentem aequo animo fertis? nam vos quoque potestati meae, meisque subselliis lex Christi subjecit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam praestantius, atque perfectius: nisi vero aequum est, spiritum carni fasces submittere et coelestia terrenis cedere.* Haec ille, qui aperte docet episcopos potestate spirituali majores esse regibus, et potestatem spiritualem praestantiorem esse temporali, atque terrena.

Sanctus Joannes chrysostomus in lib. 3. de sacerdotio, confert potestatem regis cum potestate sacerdotis, quo nomine episcopum praecipue intelligit ac dicit, sacerdotem tanto majorem a Deo potestatem accepisse, quanto coelum terrae et quanto animae corporibus praestant. Reges enim corpora ligandi, atque solvendi potestatem habent; sacerdotes vero animas ipsas ligant et solvunt.

Sanctus Ambrosius in lib. de dignitate sacerdotali cap. 3. *Nihil*, inquit, *est in hoc saeculo excellentius sacerdote, mihi episcopo sublimius reperitur.*

Ac ne solis hominum testimoniis nitamur, quamvis doctissimorum, sanctissimorum, atque antiquissimorum; audiamus Spiritum sanctum per os Apostoli loquentem in epist. ad Hebr. cap. 7. *Sine ulla contradictione minor a meliore benedicitur*, ubi melior ponitur pro majore et potiore, omnium consensu. Certum autem est, regem ab episcopo benedici, non episcopum a rege: proinde sine contradictione potior rege episcopus est. Quare si episcopi quicumque majores sunt regibus, multo magis episcopi cardinales majores regibus erunt.

Jam vero de presbyteris eadem ratio est. Sunt enim presbyteri minoris ordinis sacerdotes et quamvis sub episcopis, tamen potestatem ipsi quoque habent animas ligandi atque solvendi; reges et principes benedicendi; et sacrificium illud admirandum celebrandi, quod angelicas virtutes longe superat. Quare sanctus Ambrosius, cum Theodosius imperator in presbyterio sedere vellet, jussit eum arceri, dicens: *Purpura imperatores facit, non sacerdotes:* refert haec Theodoretus lib. 5. hist. eccles.

Addam et verba Severi Sulpitii, auctoris ejusdem saeculi et testimonium sancti Martini de dignitate presbyterali. Cum ergo narravisset Sulpitius, sanctum Martinum aliquando ad convivium imperatoris Maximi, cum uno ex presbyteris suis rogatum accessisse; ita subjunxit: *Convivae aderant, velut ad diem festum evocati summi atque illustres viri, praefectus, idemque consul Evodius, quo nihil unquam justius fuit, comites duo summa potestate praediti, frater regis et patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula juxta regem posita consederat. Ad medium fere convivium (ut moris est) pateram regi minister obtulit: ille sancto admodum episcopo dari potius jubet, expectans atque ambiens ut ab illius dextera populum sumeret. Sed Martinus, ubi ebibit, pateram, presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integram sibi fore, si aut regem, aut eos, qui a rege erant proximi, presbytero praetulisset.* Haec ille, Vides rex quale fuerit judicium sancti Martini, viri omnium ore laudatissimi, de dignitate presbyterorum. Quod si quicumque presbyteri, solum quia presbyteri, tali ac tanta dignitate praediti sunt, ut etiam regibus praeferantur, quis jure mirabitur, si cardinales aequales regibus a nonnullis esse dicantur?

Porro de diaconis Ecclesiae constantinopolitanae sanctus Joannes chrysostomus in ipsa urbe regia, in qua imperator residebat, affirmare non dubitavit, majorem eos ipsis imperatoribus habere potestatem, sic enim ad eos loquitur hom. 83. in Matth. *Si dux quispiam, si consul ipse, si is qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe et coerce; majorem tu illo habes potestatem.* Et si diaconi constantinopolitani, Chrysostomo auctore, majorem ducibus, consulibus et ipso etiam imperatore potestatem habebant; cur non eamdem habeant diaconi romani, atque ii potissimum, qui cardinales, idest, principales totius orbis terrae diaconi sunt? Quae cum ita sint, desinat rex Anglorum dicere, cardinalitiam dignitatem, nescio quo loco aut pretio habeam. Jam enim discere potuit ex Patribus veteris et primitivae Ecclesiae, quam solam probat, quo loco, aut pretio habendi sint episcopi, presbyteri et diaconi: atque inde conjecturam facere quo loco, aut pretio sint habendi episcopi, presbyteri et diaconi (1) cardinales, qui praeter sacrum ordinem electores sunt supremi Ecclesiae catholicae praesulis et sacerdotum omnium principis, atque ipsius Christi in terris vicarii generalis, et ejusdem coadjutores et consiliarii principales.

At, inquit, cardinalatus nova est paparum institutio. Nam ita est: Nam si cardinales ut episcopi, presbyteri et diaconi considerentur (2), a Christo ipso instituti sunt, et ab initio Ecclesiae, usque ad nostra tempora perdurarunt. Itaque tam sunt antiqui quam antiqua ipsa Ecclesia est. Si vero considereturn officium eligendi pontificem, eumdemque consilio atque opera adjuvandi, semper hoc officio functi sunt presbyteri et diaconi romani, cum episcopis urbi adjacentibus. Hoc solum interest inter antiqua tempora et recentia, quod olim ob paucitatem personarum, non distinguebantur presbyteri et diaconi romani cardinales a non cardinalibus, sed omnes in communi hoc officio fungebantur: postea vero crescente numero presbyterorum et diaconorum, et confusionem ac tumultus varios ipsa multitudine pariente, necesse fuit, paucos ex multis seligere, qui hoc munere fungerentur, atque ii dicti sunt episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E. cardinales.

Neque haec revocatio ad paucos et eminentia, quae inde sequuta est cardinalium, tam recens est,

(1) *Cardinales sunt electores, consiliarii et coadjutores summi pontificis.*

(2) *Antiquitas cardinalium.*

ut nova dici possit, cum anni quingenti, vel sexcenti ab eo tempore numerentur. Multa enim scribit de cardinalium amplissima dignitate,qua etiam patriarchas et primates omnes superabant, Petrus Damiani in epistola ad antipapam Cadaloum. Vixit autem Petrus Damiani ante annos sexcentos. Multa scribit s. Bernardus in lib. 4. de consideratione, ubi praeter caetera dicit: Cardinales de omni orbe esse eligendos, quoniam totum orbem sunt judicaturi. Multa leguntur in probatis historicis antiquis, ex quibus Abbas Urspergensis in chronico ad annum Domini 1116. testatur in concilio generali sub Paschali secundo vocatos cardinales, potiora membra Ecclesiae. Hanc vero eminentiam dignitatis, neque rex probare poterit, ex conniventia, vel lenitate principum temporalium processisse; et nos apertissimam rationem reddimus, cur tanta sit dignitas cardinalitia, quia videlicet, ut diximus ipsi soli summum pontificem eligant, eique ut collaterales et coadjutores in regenda universali Ecclesia semper assistant.

Ac ut absolvamus hunc locum de cardinalibus: excutiam etiam breviter, quae multo infra rex adjungit, siquidem non contentus iis, quae hoc loco scripsit,iterum pag. 116. ad idem argumentum revertitur, ac primum exprobrat cardinali Bellarmino obscuritatem natalium. *Jam*, inquit, *praeter regis majestatem esse puto, ut in lite, ac certamine cardinali se componat, saltem cum eo cardinali, qui non felicius, ac illustrius, quam iste natus sit.* Fatetur Bellarminus, parentes suos homines privatos, sed honestos et probos fuisse: Avunculum vero habuisse (1) Marcellum II. pont. maxim. cujus ea virtus et doctrina fuit, ut etiam ab hostibus testimonium acceperit. Theodorus enim Bibliander homo lutheranus in tabulis suis chronologicis, ubi pontificum successiones describit; Sedit, inquit, anno 1555. Marcellus II. vir sanctus et doctus. Sed etiam si card. Bellarminus parentes habuisset opifices aut rusticos. modo catholicos et pios, non erubesceret, cum sciat (2) principum apostolorum, alterum piscatorem, alterum tabernaculorum opificem fuisse: David quoque regem et prophetam a pascuis ad regnum evectum: Et quod maximum est, Christum Dominum nostrum fabrum et fabri filium dici et haberi voluisse, ut nos humilitatem et contemptum mundi doceret: Et apostolum audiat dicentem in priore ad Corinth. cap. 1. *Videte vocationem vestram, fratres quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. sed quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat fortia.*

Addit rex: *Ecclesiastica illa dignitas (cardinalitia videlicet) quamquam principum incuria,ut jam dixi, ad hoc praesumpti honoris culmen ascendit: tamen si ad ejus originem, et cunabula redeamus, nihil est aliud, quam titulus presbyteris et diaconis paroeciensium ecclesiarum urbis Romae attributus: olim quidem presbyteris et diaconis cujuslibet cathedralis Ecclesiae universae concessus, sed cum ejusmodi cardinalium ingens multitudo undique Romam commeantium urbem implerent, tandem nomen cardinalis caeteris ademptum est,et solum romanarum paroeciarum presbyteris et diaconis reservatum. Et cum ante sanctum Gregorium nemo illius tituli meminerit, qui sexcentis post Christum annis,in quibusdam epistolis de cardinalibus loquitur,atque ita multis post apostolos saeculis, hodierni isti sedis apostolicae electores, invisi omnibus et incogniti fuerunt.*

Non minor si multa hic dicantur non vera, quoniam (3) rex de rebus sibi incognitis et sine auctore loquitur. Non est verum diaconos cardinales habuisse olim titulos paroecienses; tituli enim paroeciarum solis presbyteris dabantur, diaconis autem Ecclesiae aliae,quae diaconarum nomen habebant. Neque verum est olim presbyteris et diaconis cujuslibet cathedralis Ecclesiae permissum fuisse titulum cardinalitium : rarissimae enim Ecclesiae his vocibus utebantur: ac ne in romana quidem Ecclesia tempore s. Sylvestri omnes diaconi cardinales erant, sed soli septem:tempore autem Symmachi pontificis soli viginti octo erant tituli cardinalium presbyterorum, ut ex conciliis romanis sub Symmacho intelligi potest: Presbyteri autem romani multo plures erant quam vigintiocto. Illud etiam non est verum, venisse unquam ad urbem ingentem multitudinem cardinalium non romanorum, id enim ex nulla historia (quod sciam) probabitur. Neque illud est verum, nomen cardinalis ademptum aliis, et solis Romanis reservatum,nam usque ad hanc diem Ecclesia Compostellana habet suos cardinales. Neque verum est, ante tempora s. Gregorii nomen cardinalis fuisse inauditum, legitur enim nomen septem diaconum cardinalium romanae Ecclesiae in concilio romano sub s. Sylvestro,qui trecentis annis s. Gregorium antecessit.

Subjungit rex: *Sed quomodo*,inquit,*praeter rationem suae originis ac institutionis tam prodigiose sint elati, ut ex paroeciarum presbyteris ac diaconis nunc principes sint regumque aequales et ex gradu episcopali dignitate minori sint hodie soli pontificis electores, qui cum generalium conciliorum vice fungantur (unde etiam usus generalium conciliorum exolevit) immo ut nonnisi ex illorum collegio fas sit pontificem eligi, qui supremam in reges sibi auctoritatem vendicat; hoc inquam,tam insolens incrementum quomodo coeperit,nullisque repugnantibus adoleverit, nostrum est omnium providere, qui cum in terris vicarii Dei simus jure optimo suspectos habere debemus, istiusmodi nuper exortos principes, qui sua origine modici, humilesque, scipsos ad summum fastigium, suis ipsi suffragiis subvehunt, regibusque deinde se componunt.*

Hic quoque rex ex ignoratione rerum nostrarum et quia nimis magnam fidem habere videtur hostibus Ecclesiae, multa non vera sibi elabi passus est. Non enim praeter rationem et institutionem

(1) *Marcellus II. papa, ab ipsis etiam hostibus fidei laudatus.*

(2) *Splendor natalium non necessarius ad ecclesiasticas dignitates, sed splendor sapientiae, et virtutum.*

(3) *Jacobus rex de rebus sibi non cognitis loquitur.*

suae originis, sed potius secundum originis rationem et institutionem cardinalitia dignitas crevit. Nam, ut supra diximus, antiqua institutio erat, ut presbyteri et diaconi romani cum vicinis episcopis pontificem romanum eligerent, eumque consilio et opera adjuvarent: sed postea excrescente nimium presbyterorum et diaconorum multitudine paulatim haec functio ad paucos redacta est. Ita pauci illi super alios eminere coeperunt, ut cardinales, idest, principales episcopi, presbyteri et diaconi, atque adeo principes ecclesiastici jure dici possent: quomodo qui secundas partes a regibus obtinent in administranda temporali republica, principes temporales dici solent.

De aequalitate cum regibus distinguendum esse censeo (1): nam si de potestate temporali sermo sit, de imperio, de opibus, de viribus, de armis, dubium non est, quin reges longe ac longe cardinalibus praestent: si de potestate spirituali, atque ecclesiastica agatur; non solos cardinales, sed omnes episcopos, presbyteros et diaconos regibus superiores esse; paulo ante ex testimonio Ecclesiae veteris demonstratum est. Quod vero apud jurisconsultos dici solet, cardinales aequiparari regibus, de externo cultu et honore intelligendum videtur: usus enim obtinuit, ut quemadmodum principes omnes regibus cedunt, sic etiam cedant cardinalibus: et in hoc paritas quaedam esse videtur.

Quod addit rex, cardinales presbyteros et diaconos aliquando minores fuisse episcopis non cardinalibus, verum est, quoniam eo tempore non solum inferiores erant, quod attinet ad potestatem ordinis, ut etiam hoc tempore sunt; sed etiam quoad potestatem regendi Ecclesiam universalem, quia ipsi quoque ad concilia romana vocabantur, et nobiliore loco sedebant, quam presbyteri et diaconi cardinales, olim etiam ad electionem summi pontificis admittebantur. Sed posteaquam soli cardinales electores esse, et in consistorio cum pontifice maximo Ecclesiam universalem administrare coeperunt; mirum videri non debet, si cardinales episcopis non cardinalibus anteposîti sint. Non tamen est verum, quod hoc loco rex scribit (2), cardinales cum pontifice fungi vice conciliorum generalium, et ideo usum generalium conciliorum penitus exolevisse. Nam ab eo tempore quo coeperunt cardinales ea eminentia excellere, qua nunc excellunt, habita sunt multa concilia generalia, tria lateranensia, duo lugdunensia, unum viennense, unum constantiense, unum florentinum, unum tridentinum, et alia paulo minora. Concilia ergo romana particularia exoleverunt, et in eorum locum consistoria cardinalium successisse videntur, concilia generalia non exoleverunt.

Neque illud verum est, nisi ex collegio cardinalium pontificem eligi fas non esse. Scimus enim his postremis quingentis annis electos fuisse pontifices Callixtum II. Eugenium III. Urbanum IV. Gregorium X. Coelestinum V. Clementem V. Urbanum V. Urbanum VI. Felicem V. quamvis hic postremus legitimus non sit habitus, qui omnes extra collegium erant. Quod autem rex addit, a romanis pontificibus supremam in reges sibi auctoritatem vindicare: si per vindicare, significare velit, usurpare, omnino negamus; sin autem vindicare, sit quod suum est asserere, libenter admittimus: sic tamen, ut per auctoritatem, non despoticum imperium, sed paternam, sive pastoralem potestatem intelligamus, de qua re saepe dictum est, et infra iterum recurret oratio.

Quod etiam rex ait, ad reges, ut Dei in terris vicarios, pertinere curam videndi, quomodo tam insolens incrementum cardinalitiae dignitatis coeperit, nulla ratione admitti potest, sunt quidem (3) reges ministri Dei in terris, ut eos vocat Sapiens in lib. Sap. c. 6. Et Apostolus ad Rom. 13. sed ministri sunt in iis, quae ad terrena, et temporalia spectant, nam quod attinet ad spiritualia et coelestia, atque uno verbo ad ecclesiastica, vicarii Dei episcopi sunt, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo Act. 20. Et summus vicarius ille est, cui Dominus dixit, *Sequere me*, et, *Pasce oves meas* Jo. 21. proinde videre, an, et quomodo et quousque crescere debeat dignitas cardinalitia, quae est ecclesiastica et spiritualis, ad reges non pertinet.

Minus verum est, quod rex addit, istiusmodi nuper exortos principes suis suffragiis seipsos ad summum fastigium evexisse, regibusque se deinde componere. Nam neque nuper exorti sunt (nisi quingentorum annorum, aut etiam sexcentorum spatium) nuper, dici possit; neque suis ipsi suffragiis, sed auctoritate ejus, qui Dei locum tenet in terris, evecti sunt, neque se regibus ipsi componunt, non enim cardinalis erat, qui scripsit, cardinales aequiparari regibus, quod quomodo intelligendum sit paulo ante diximus.

Postremo haec rex adjungit. *Sed haec est praecipua, quam nobis inferunt, injuria, quod jus christianis commune regibus in generalibus conciliis, nobis adimant, cum illorum habendi modum, penitus sustulerint; eorum vi ac potestate ad se pertracta, et veluti monopolio in pontificio conclavi constituto. Et tamen si spes ulla, aut expectatio superesset, posse christianos omnes ad aliquem in religione consensum adduci, id esset a generali concilio expectandum, indicto in locum commodum, nec suspectum conventu, ubi christiani omnes principes, aut per se, aut per legatos possent adesse, et ecclesiastici omnes, qui christianam religionem profitentur, illisque veteribus verae, antiquae catholicae et apostolicae fidei fundamentis adhaerescunt, tutum accessum ac commeatum haberent, incendiariis utrimque furiosis, ac novitiis, sive Jesuitis, sive Puritanis exclusis.*

Ad hanc ultimam partem pari brevitate respondeo, quod enim nulla auctoritate aut ratione probatur, simplici negatione refelli solet. Primum igi-

(1) *Cardinales regibus inferiores sunt temporali potestate, sed potestate spirituali et ecclesiastica superiores.*

(2) *Dignitas cardinalitia generalium conciliorum usum non sustulit.*

(3) *Reges ministri Dei sunt in temporali regimine.*

tur nego (1); sublatum esse modum habendi concilia generalia: nego vim et potestatem eorum ad cardinales pertractam: nego in pontificio conclavi esse quasi monopolium constitutum. Jam enim concilia generalia enumeravimus, quae his postremis annis celebrata sunt. Quomodo enim vere dici potest, sublatum esse modum habendi generalia concilia, cum concilia celeberrima et plurima paulo ante hoc saeculum, et hac ipsa aetate nostra sint habita?

Quod autem rex queritur, factam sibi atque aliis regibus injuriam, quod commune jus regibus christianis in conciliis generalibus sit ademptum: qua veritate nitatur non video, cum in concilio generali apud tridentum habito, interfuerint legati Caesaris, regum pene omnium et principum plurimorum. Quod addit, indicendum fuisse concilium in locum non suspectum et commodum: id quoque praestitum est, cum tridentum in finibus Germaniae, atque Italiae constitutum, locus aptissimus et minime suspectus a summo pontifice, et Caesare, aliisque regibus et principibus judicatus sit.

Quod vero dicit, omnes ecclesiasticos, qui christianam religionem profitentur, tutum accessum et commeatum habere ad (2) concilium debere: hoc vero est, recedere a forma quatuor primorum conciliorum, vel potius omnium, quae habita sunt unquam in Ecclesia conciliorum. Concilia enim episcoporum sunt, non omnium ecclesiasticorum; alioqui nullus locus tale concilium caperet: neque de dogmatibus fidei judicare ad omnes pertinet, sed ad principes ecclesiarum, qui episcopi sunt: sic enim loquitur concilium chalcedonense, unum ex primis quatuor, quae a Jacobo rege admittuntur: *Mitte foras superfluos, concilium episcoporum est.* Cui consentit imperator Theodosius in epist. ad concilium ephesinum, tom. 1. cap. 32. sic dicens: *Illicitum est eum, qui non sit in ordine sanctissimorum episcoporum ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Ne tamen quererentur Protestantes, aut Calviniani, invitati sunt omnes et salvus conductus publica fide praestitus, dilatae quoque rerum gravissimarum determinationes in longa tempora, ut spatium comparandi se, atque ad concilium veniendi, non deesset. Omitto quae dicuntur in Jesuitas et Puritanos, quoniam ad convicia pertinent, non ad doctrinam.

CAPUT V.

Quod card. Bellarminus nulla injuria regem affecit, cum apostolicorum Brevium et epistolae suae defensionem suscepit.

Pergit postea rex in praefatione sua, et ut rationem reddat propositi juramenti, de pulveraria conjuratione satis copiose disserit. De qua re quod mihi dicendum videbatur, scripsi in alio libello, qui huic apologiae adjunctus est. Venit tandem ad Bellarminum, et primum pag. 15. ex conjecturis probare nititur, librum, quo Brevia pontificia et epistola Bellarmini defenduntur, ejusdem Bellarmini esse, non Matthaei Torti, cujus nomen gerit.

Ad hoc facilis responsio est, fatetur cardinalis Bellarminus librum esse suum, sed ut supra admonui, non est visum illi suum nomen inscribere, quia neque adversarius nomen inscripserat suum. Quaeritur deinde de modo scribendi, quod sit ab omni modestia alienus; idque probat pag. 16. ex praefatione typographo Politano adscripta, ubi cardinalitia dignitas cum regia dignitate componi videtur. At eam praefationem neque Bellarminus scripsit, neque usque ad hanc diem cognoscere potuit, quis ejus praefationis sit auctor; aut quis tandem ille sit typographus Politanus. Cardinalis enim librum suum, sine ulla praefatione, vel dedicatione coloniensibus excudendum dedit. Qua vero modestia soleat in scribendo uti, lectoribus judicium relinquit.

Arguit deinde pag. 17.: Rex fastum cardinalis in scribendo, atque inde colligit, eum cum rege quasi de pari dignitate contendere, quod ejus brevitatem in scribendo imitari voluerit: *Quam ego*, inquit, *in scribendo brevitatem, eamdem ipse in respondendo sequi voluit. quo compendio in secundo pontificis Brevi refutando usus eram, eodem in me voluit uti; meoque exemplo sese pene intra unius paginae angustias coercere. Et quoniam sacramenti fidelitatis summam in articulos quatuordecim distribui, peccare in suam amplitudinem credidisset, nisi et publicorum ordinum edictum, quo istud juramentum continetur, in totidem particulas divisisset.*

Deus bone, quam misera conditio est sub eo rege vivere, qui injuriam sibi fieri judicat, si quis ab ejus exemplo scribere discat. Alii certe principes gratissimum habent, quod ille scripsit: Totus componitur orbis regis ad exemplum. Adde quod Bellarminus non sciebat, se adversus regem scribere, cujus nomen in fronte libri non viderat, et fidem habuerat iis, qui nunciaverant librum anglico idiomate esse nescio cujus decani sacelli regii, versionem autem in latinam linguam esse chronographi cujusdam regii, quas ille personas neque de nomine, neque de facie noverat. Itaque non potuit regium in scribendo modum de industria aemulari, qui regium librum esse nesciebat: brevitas autem in scribendo et distinctio, quam sit illi familiaris et amica, norunt omnes, qui libros ejus legerunt, ut opus ei non fuerit ab aliis haec discere.

Descendit paulo post pag. 18. ad accusationem multo graviorem, atque ait: *Quod si inani hac superbia et amplitudinis suae ostentatione ita animum explevisset, ut a graviore in me injuria temperaret, videri sane tolerabilior potuisset. Nunc vero quid esse caussae dicat, cur pene continuis in me, meamque apologiam conviciis suam responsionem referserit? Nam cum ego nusquam Bellarminum verbo atrociore laeserim, et praecipue id caverim, ne hominem mendacii insimularem: ille hac lege humanitatis spretae, no-*

(1) *Vana querela de sublato modo habendi concilia generalia.*

(2) *Tale concilium rex Jacobus petit, quale numquam a condita Ecclesia celebratum est.*

vies diserlis verbis, me mentiri pronunciat, et septies falsi arguit. Quod perinde est, ac si mendacium mihi exprobraret, caeteris vero contumeliis, nescio an ulla pars libri vacet cujusmodi sunt, nugae, convicia, temeritas, vanitas, impudentia, blasphemiae, sermonis barbaries,cum eadem felicitate scribendi, cavillationes, applicatio inepta, fingere historias, audacia quae in hominem sanae mentis cadere non potest, vel sensu communi caret, imperitia et levitas, omnem omnino pudorem et conscientiam exuisse, mala fide nobiscum agit, ut lectoribus per fas et nefas imponat. His et ejusmodi conviciis nescio ullam ne paginam immunem reliquerit.

Ad haec ita respondeo: Primum, breviter et distincte scribere, non potest superbiae vel arrogantiae imputari, nisi ab eo, quem nimia perturbatio transversum agat. Deinde, quod auctor apologiae, quam rex suam esse nunc dicit (1), nullo atrociore verbo Bellarminum laeserit, neque mendacii insimulaverunt, falsum esse, ipsa apologiae verba testantur:haec enim sunt ejus verba pag.37. *Magnus ille,et praeclarus controversiarum scriptor cardinalis nuper exjesuatus Bellarminus suo quoque talento coeptum hoc opus bonum locupletat et amplificat,dum quasi flabello admoto et calcaribus infixis seditionem acuit, accenditque, missis huc ad archipresbyterum litteris,iisque ita scriptis, ut mirum sit quomodo partim animi passio, partim ambitiosum fulciendae pontificis monarchiae studium. eum ita abripere et lumen judicii tam docti viri perstringere et fascinare potuerint*; pag. 47. *Cunctos*, inquit, *mecum hic admirari non possum, quin exoptem, tam crassum errorem tam docti viri*; pag. 69. *hoc nobis*, inquit, *notum est, quod nisi quidam e cardinalibus, in illo negotio, majori prudentia et maturitate usi fuissent quam pontifex: fasti ipsi Pontificii, in quos relati sunt divi, nobis tacentibus, Bellarminum aperte mendacii convicissent*; pag. 83. *recte omnino quadrat in Bellarminum tam inepta similitudine utentem poetae veteris illius sententia*, Perdere quos vult Jupiter hos dementat.

Haec et similia a se scripta oblitus erat rex,quando dicit, nullo atrociore verbo a se laesum fuisse Bellarminum; nisi forte non sint habenda verba atrocia, exjesuatus cardinalis, flabellum seditionis, ambitione abreptus, crasso errore detentus, aperte mendacii convincendus, a Jove dementatus, etc. quae tunc libens praeterii, quoniam ad argumenta, non ad convicia respondere decreveram.

Postremo quod ego disertis verbis novies regem mentiri pronunciaverim et septies arguerim falsi, ut rex ipse conqueritur,omnino inficior. Jam enim supra dixi, apologiam illam numquam me pro regia scriptura habuisse; nam, neque auctor apologiae regem se aliquando nominavit, quin potius semper se pro regio administro et defensore gessit. At neque ministrum regis mendacii, vel falsi, vel barbari sermonis accusare deberes. Ita est, si vera scriberet; si non sciens et prudens mentiretur; si latine loqui didicisset (2); quae enim mendacia sunt, non scio latine appellare, nisi mendacia; quemadmodum etiam nugas,convicia,blasphemias, confictas historias, sermonis barbariem et alia id genus,quae in apologiae reperi,suis nominibus appellavi. Judicium lectorum erit, an talia sint, qualia esse dixi. Quamquam si regium librum esse scire potuissem, sententias notassem, a verbis acerbioribus honoris gratia temperassem,quo honore dignum non existimavi decanum vel chronographum illum, a quo non me solum, sed etiam summum pontificem, vicarium Christi,et Christum Domini tam inverecunde tractari videbam.

Ultimo loco, pag. 19. commemorat ea,quae proprie ad injuriam suam pertinere arbitratur. *Sed haec*, inquit, *forte in ignotum apologiae auctorem solummodo probra mittebat; Immo vero,nec mihi ipsi, nec nomini meo pepercit. Modo affirmat Clementem pontificem sensisse, me non abhorrere a fide catholica. Me in Scotia Puritanum et Protestantium inimicum extitisse. Alibi concludit, Quia Jacobus non est catholicus, hoc ipso haereticus est. Iterum ex christiano Calvinistam fecerunt. Alio loco:Neque omnino verum est, Jacobum non deseruisse religionem, quam primo susceperat. Et posteaquam Juliano apostatae me contulisset, hoc argumento rem concludit: Cum catholicus non sit, neque christianus est. Sit haec honesta necne ratio cum rege agendi, vestro sano judicio relinquo,quos non potest tanta contumelia uni vestri ordinis illata,non graviter commovere.*

Hic vero libenter audirem, honestum ne, an turpe rex existimet abhorrere a fide catholica. Si enim turpe sit a fide catholica abhorrere, ut re vera turpe est, non fecit regi Bellarminus injuriam,cum scripsit Clementem VIII. pontificem sensisse regem Jacobum a fide catholica non abhorrere, sin autem honestum sit a fide catholica abhorrere,non fecit eidem regi injuriam, cum affirmavit, regem Jacobum non esse catholicum,et quia catholicus non est, haereticum esse, cum haec duo contraria sint.

Sed ad singula breviter respondeamus. Dico: Nullam factam esse regi injuriam, ex eo quod sanctae memoriae Clemens pontifex una nobiscum spem habuerit bonam de regis conversione et existimare coeperit ex eo potissimum quod catholicos in Scotia quietam ac tranquillam vitam ducere patiebatur, eum a fide catholica non abhorrere. Sperabat enim et sentiebat de illo, quod bonum illi esse credebat; quod si verum non est, regem a fide catholica numquam non abhorruisse; nos decepti sumus, pontifex quoque spe sua frustratus est, sed non ideo injuria regi facta est, quia speravimus et sensimus de illo, nostro judicio, meliora.

Quod autem scripsit Bellarminus regem in Scotia Puritanum et Protestantium inimicum fuisse,ad historiam, non ad injuriam pertinet. Id autem ita esse non absolute pronunciavit, sed addidit, si vera sunt, quae narrantur ab iis, qui eum intime nove-

(1) *An sit verum, quod rex cardinalem nullo atrociore verbo laeserit.*

(2) *Non est conviciari, convicia adversarii delegere: neque vitio vertì debet, vitia in libro adversarii notare.*

runt. Itaque de rebus sibi ignotis aliis credidit,qui fide digni visi sunt. Si falsa narrarunt, ipsi viderint. Quamquam non desunt conjecturae ex Basilico doro, unde confirmatur quod scripsit Bellarminus: nam lib 1. pag. 6. sic legitur: *Et nisi mihi mea conscientia certe persuasisset, religionem illam, quam in Scotia jam profitemur, ipsis expressit, etiam conceptis Scripturae verbis fundatam esse etc.* lib. vero 2. pag. 40. *At vero*, inquit, *reformata religio in hanc nostram Scotiam divino plane miraculo introducta est, etc.* dicit enim miraculo introductam; quoniam a furiosis et cupidis Puritanis introducta fuit. Ex his locis colligitur,regem in Scotia Scoticam religionem professum esse,et displicuisse illi quidem mores Puritanorum, qui illam introduxerant, sed non religionem, quam per illos miraculo introductam, id-est,per malos homines bonam religionem invectam arbitrabatur.

Porro illa consequutio, quia rex Jacobus non est catholicus, hoc ipso haereticus est; non potest vitio verti apud eum, qui catholicum se non esse palam profitetur, cum in tota illa apologia nomen catholicorum semper tribuat illis, qui romano pontifici adhaerent; a quorum fide et religione se abhorrere non negat. Quamvis autem in hac praefatione, catholicum se probare nitatur cum tamen a romana religione et a romani pontificis obedientia alienum se esse dicat; non ideo judicio orbis terrae catholicus unquam haberi, vel dici poterit, quoniam (1) nomen catholici, Ecclesia romana ita obtinuit, ut etiam haeretici interrogati, ubi ad catholicam conveniatur, non suas domos, sed istam unam ostendant in qua ab apostolicis temporibus per successiones episcoporum conservata est antiqua traditio et unde haeretici omnes, tamquam rami fracti exciderunt. Itaque s. Ambrosius, in oratione de obitu Satyri, cum dixisset: *Quaesivit, an cum episcopis catholicis consentiret*, mox addidit explicationem, *idest*, inquit, *an cum romana Ecclesia consentiret:* de quo nomine vide quae diximus in extrema pagina prioris nostri libelli, qui huic apologiae adjunctus est.

Jam vero quod dixi (2), haereticum non esse christianum, non ideo dixi quod ignorarem ampla quadam significatione christianos dici posse, quotquot in Christo baptizati Christum se colere profitentur: sed quoniam proprie illi soli veri christiani sunt, qui veram, atque integram Christi fidem in ejus Ecclesia tenent, nullique haereticae sectae adhaerent. Quae communis est sententia veterum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, ut s. Cypriani lib. 4. epist. 2. ad Antonianum. Et lib.de unitate Ecclesiae, s. Athanasii orat. 2. adversus Arianos, s. Hieronymi in dialogo adversus Lucifer ianos, s. Augustini lib. de gratia Christi cap. 20. et aliorum, quos gratia brevitatis omitto: quare si injuria est de non catholico dicere eum haereticum, ac per hoc non christianum esse, non de me queri debet, qui injuriam sibi fieri credit; sed de Patribus veteris Ecclesiae, qui me ita loqui docuerunt.

Ex quo intelligimus, non esse falsum, neque injuriosum dicere, eum, qui ex parentibus catholicis natus est,et Baptismum catholico ritu suscepit, ac postea ab educatoribus depravatus in haeresim incidit;ex christiano haereticum factum, religionem, quam cum Baptismo susceperat, dimisisse. Non facit, inquam, illi injuriam, qui hoc dicit, sed vere injuriam gravissimam illi fecit, qui eum abstraxit a matre catholica et instituendum Calvinianis tradidit. Neque enim dubium esse potest, quin hoc tempore Jacobus rex, non solum unus esset ex ordine regum, sed etiam unus e numero catholicorum regum, si a parente catholica institui potuisset.

Porro principes orthodoxi merito commoveri deberent,si aliqui de ipsorum ordine et numero nota haereseos injuste inureretur: sed quod princeps, qui ab ipsorum religione abhorret; qui,ut Antichristum execratur, quem illi ut Christi vicarium colunt; qui intercessionem sanctorum palam irridet; qui venerationem reliquiarum intolerabilem idololatriam vocat; qui denique purgatorium, missam et caetera fidei catholicae dogmata conspuit; haereticus et non christianus dicatur, moleste ferre non possunt, neque commoveri,nisi commotione fraterni doloris, quod tantum regem, quem ipsorum ordini sceptrum et corona conjunxerat ab ipsorum communione haeresis et schisma disjunxerit.

Ac ut rex intelligat,non esse novum in Ecclesia, ut sacerdotes Domini libera voce arguant reges haereticos: adscribant hoc loco verba s. Hilarii episcopi ad Constantium imperatorem arianum, ex libro qui incipit, Tempus est loquendi, quia jam praeteriit tempus tacendi (3): *Nunc*,inquit, *pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum.* Et infra: *Sed temerarium me forte quisquam putabit,quia dicam Constantium Antichristum esse: quisquis petulantiam istud magis, quam constantiam judicabit, relegat primum Joannem dixisse ad Herodem, non tibi licere facere istud.* Et infra: *Proclamo tibi Constanti,quod Neroni loquuturus fuissem,quod ex me Decius et Maximianus audirent: contra Deum pugnas,contra Ecclesiam saevis, sanctos persequeris, praedicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed divinorum. Haec tibi a me, atque illis socia,atque communia sunt: at vero nunc propria tunc accipe. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es, Antichristum praecurris et arcanorum mysteria ejus operaris. Condis fidem, contra fidem vivens, doctor prophanorum es, indoctus piorum, episcopatus tuis donas, sacerdotes custodiae mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiae disponis.* Et infra:*Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas,et in peccato veniam,et in confessione martyrium.* Et infra: *O tu sceleste*

(1) *Nomen catholici solis illis convenit, qui romana Ecclesiae filii sunt.*

(2) *Haeretici non sunt vere et proprie christiani.*

(3) *Libertas sancti Hilarii in rege haeretico increpando.*

quod ludibrium de Ecclesia facis? soli canes ad vomitum suum redeunt: tu sacerdotes Christi resorbere ea quae expuerunt coegisti. Christianum te loqueris, sed quam non sit, ipse testaris. Haec ille, qui ex veteribus et sanctissimis et laudatissimis Patribus unus est. Possent addi non dissimilia ex Lucifero Caralitano, ex Gregorio nazianzeno, et ex aliis. Sed ista pauca hoc loco sufficiant. Neque verum est, quod quidam suspicati sunt librum illum sancti Hilarii. Constantio defuncto, editum fuisse: nam vivente editum et viventi oblatum convincit cardin. Baronius tom. 3. annal. pag. 715.

CAPUT VI.

Quod card. Bellarminus directe responderit ad apologiam pro juramento fidelitatis. Adversarius vero statum caussae, mutet et ad alia extra rem digrediatur.

Posteaquam rex modum scribendi cardinalis Bellarmini frustra reprehendit, aggreditur scriptionem ipsam, sive materiam libri, ut ipse loquitur, reprehendere. Sic enim scribit pag. 19. *Jam vero argumentum et subjecta materia libri modo tractandi probe convenit nusquam enim ad id, in quo caussae cardo vertitur, directe respondet: quippe duo tantum sunt capita, de quibus in apologia disserui, ut supra monui, prius ut probarem in fidelitatis sacramento nihil aliud quam obedientiam mere civilem et saecularem summis principibus a subditis debitam contineri, alterum ut ostenderem, hanc in reges potestatem a pontificibus inique usurpatam, cum Scripturis, conciliis et Patribus pugnare. Prius non aliter quam hac vitiosa consecutione refutat: cum hoc jurejurando jus abdicandorum regum pontifici negetur, ne quidem excommunicandorum potestatem illi relinqui. Nec posterius disputationis meae caput aliis machinis adoritur, quam illis Christi verbis*, Pasce oves meas, *et*, Tibi dabo claves regni coelorum, *Et nemini unquam catholico id dubium fuisse.*

At Bellarminus Deo gratias agit, quod liber ipsius adhuc superest, atque bis recusus a multis videri et legi potuit; Et nunc iterum cum hac nova apologia recuditur. Siquidem (1) eo libro inspecto, qui nec obscurus, nec prolixus est omnes intelligent, a qua parte stet veritas et quis imponere lectoribus satagat. Siquidem Bellarminus ad prius illud caput directe respondit, in illo juramento fidelitatis non contineri solam civilem obedientiam; sed abjurationem pontificiae potestatis, idque ostendit tribus argumentis: ex titulo edicti, qui est, ad detegendos et reprimendos Papistas, ex verbis juramenti, ubi negatur pontifici potestas ligandi et solvendi; ex alio juramento clariore, quod est de Primatu regis in spiritualibus.

Illa vero consecutio, quam vitiosam esse et solam in ejus libro positam rex dicit (2), nusquam in libro Bellarmini invenietur. Ipse enim non disputavit universe, posset ne summus pontifex reges deponere: quo ad rem ipsius non faciebat; sed assumpsit solum, posse a summo pontifice reges haereticos excommunicari, atque deponi, quod apud catholicos in dubium revocari non solet. Posterius caput ad fallendos lectores, ambigue hoc loco proponitur, cum dicitur: *Alterum, ut ostenderem, hanc in reges potestatem, a pontificibus inique usurpatam, cum Scripturis, conciliis et Patribus pugnare.* Quaero enim, quid sibi vult illud, hanc potestatem? neque enim de potestate pontificis in reges; sed de obedientia subditorum ad reges paulo ante rex loquutus erat. Caeterum ex apologiae libro, quem Bellarminus refutandum susceperat, satis apparet, hunc locum esse intelligendum de potestate prohibendi juramenta civilis obedientiae: hanc enim civilem obedientiam regibus deberi, et juramento quoque confirmari posse probat eo loco rex testimoniis Scripturae, conciliorum et Patrum, et paulo ante conquestus erat, quod hanc obedientiam injuste summus pontifex in suo Brevi prohibuisset: vide librum illum pag. 22. 23. 24. 25. 26. et 27.

Ad hoc autem posterius caput (3) Bellarminus directe respondit, falsum esse, quod summus pontifex in suo illo Brevi obedientiam civilem prohibuisset: ac propterea testimonia illa Scripturarum conciliorum et Patrum (4) perperam adduci ad probandum, quod nemo negat. Illa vero evangelica loca, *Pasce oves meas*, et, *Tibi dabo claves*, non adduxit, ut rex dicit, ad oppugnandum caput illud posterius, sed ad probandum esse in summo pontifice potestatem excommunicandi, absolvendi, dispensandi et similia faciendi, quae ad prius caput, non ad posterius pertinent. Ex his quae dicta sunt facile cognosci poterit, reliqua omnia a pag. 21. usque ad pag. 35. nihil esse aliud, nisi digressiones ad invidiam, atque odium summis pontificibus et ecclesiasticis omnibus conciliandum. Certi vero sumus, catholicos piosque reges ac principes prudenter cogitaturos a rege haeretico, quique se hostem manifestum Ecclesiae catholicae, totiusque orthodoxae religionis profitetur, nihil aliud expectari posse, nisi fidei religionisque contemptum.

Igitur, ut haec breviter percurramus, pag. 21. (5) *Hoc*, inquit, *verborum fundamento*, Pasce oves meas, *immane quam amplum solutumque imperium pontifici extruat, quo ad libidinem condonare, atque adimere regna possit; huic tamen servituti non alios quam christianos reges addicens.* Et paulo post, *Nam cum me haereticis annumeret, cum Juliano apostata aequet, extra caulam etiam, gregemque pontificium esse putet, necesse est. At vos, de pontificio grege estis, vos magnus ille pastor, instar ovium ad occisionem ducere pro libidine sua potest.*

Haec omnia cum bona regis venia, qui nos ita

(1) *Ex inspectione libri Bellarmini anno superiore editi refelluntur omnes calumniae.*

(2) *Non fideliter referuntur scripta Bellarmini.*

(3) *Bellarminus directe respondit.*

(4) *Perperam applicantur ab adversario argumenta Bellarmini.*

(5) *Amplificatio ad conflandam invidiam*

loqui cogit, merae calumniae sunt, non solum enim nihil horum in Bellarmini libro reperietur,sed contra potius de solis haereticis,qui ex ovibus lupi rapaces evadunt, loquutus est; qui quamvis a grege christiano, vel recesserint per haeresim manifestam, vel ejecti fuerint per ecclesiasticam censuram; subsunt tamen pastori, ut vel ipsi ad caulam emendati redire cogantur; vel oves caeterae, ne ab eis discerpantur et devorentur, ab ipsorum consortio , et obedientia quam longissime arceantur.

Pergit pag. 22. calumniari, cum ait (1), *Sic novum et egregium sensum his Christi verbis affinxit*, Pasce oves meas,*tamquam hoc significarent, tolle, proscribe, abdica christianos principes, atque reges.* Et paulo post. *Haec verba, quae Petro in extasim rapto dicta sunt, Surge Petre, occide et manduca: ita Baronius exponit. Age papa, confige Venetos, penitusque disperde.*

At ubi quaeso expositionem illam tam incivilem et inverecundam in libro Bellarmini vidisti? non igitur ipse affinxit sensum illum Christi verbis,qui nusquam in libris ejus extat: sed interpres tuus, o rex, Bellarmino eum sensum sine ulla specie verisimilitudinis affinxit: neque enim Bellarminus unquam patrem christianae plebis (sic enim sanctus Augustinus romanum pontificem vocat) in Caligulam, aut Neronem, aut Dionysium syracusanum , commutavit. Pari calumnia cardinalem Baronium , virum aeque pium ac doctum, ac de historiis ecclesiasticis optime meritum,aspergendum esse rex duxit, majorem fidem habens famoso libello,quam viris gravibus, qui sensum verum et pium ejus loci a card. Baronio explicatum, scriptis libris testati sunt.

Digreditur deinde rex sine ulla caussa pag.23.(2) ad exemptionem clericorum, ex qua Bellarmini animum alienum a regibus detexisse se dicit. Quasi vero novum aliquid ipse scripserit de clericorum exemptione, et non potius id quod doctores omnes juris divini, atque humani docent; ipsa etiam concilia sacrique canones jubent.Sed qualem animum erga reges et principes Bellarminus gerat, illi omnes sciunt, qui librum ejus De laicis forte legerunt.Ibi enim adversus Anabaptistas,aliosque haereticos principatum politicum defendit, atque ornavit ex divinis literis, ex testimoniis Patrum, ex fontibus philosophiae ductis multis et variis rationibus.

Transit deinde rex pag. 24. nihil laborans si libri sui partes inter se apte cohaereant, an non; ad bona temporalia ecclesiarum et clericorum, a quibus occupari dicit tertiam partem soli,et fundorum, hoc videlicet illum male habet, quod non omnes principes exemplum (3) Henrici VIII.sequi velint, qui cum primum a romano pontifice defecit,seque caput Ecclesiae declaravit; continuo ecclesias et monasteria omnia diripuit, et redditus ecclesiasticos baronibus suis attribuit; egregie imitatus Antiochum et Nabuchodonosor reges,qui templo Domini spoliato, ex vasis aureis et argenteis Deo dicatis gazam suam ditaverunt.Sed qui reges impios imitati sunt in scelere, eorum justo Dei judicio socii facti sunt in poenis, non temporalibus, sed aeternis.

Pag. 25. Videtur redire voluisse ad id unde digressus fuerat, ad juramentum videlicet fidelitatis; sed revera tamen longius expatiando atque evagando ad alia magis adhuc remota digreditur, ait enim: *Ac ut vobis in perspicuo magis sit, non alium mihi scopum in hoc negotio extitisse,quam ut de civili et temporali obedientia, quae mihi a subditis debetur , agerem, nec illorum conscientiis insidias a me esse comparatas (quod hic mihi convitiator falsissime objecit) primum illud videamus, quam longe imperatores atque reges, qui superioribus saeculis religiose christianeque vixerunt, ab eo abfuerint, ut jus in se aliquod pontifici esse crederent: cum contra papas ipsi creaverint, in ordinem redegerint, adeoque de sede dejecerint.*

Haec ille, qui multas paginas consumit in describendis historiis imperatorum et regum,qui cum pontificibus romanis inimicitias gesserunt. Sed quorsum quaeso ista narrantur, si nihil aliud rex demonstrare intendit, nisi in juramento fidelitatis solam civilem et temporalem obedientiam contineri? Qualis obsecro haec argumentatio esset (4): Multi reges nullum jus in se habere pontificem romanum crediderunt; sed contra potius eum quando libuit deposuerunt: Ergo rex Anglorum in juramento suo fidelitatis, nihil aliud, nisi civilem et temporalem obedientiam requirit? Nam ne ipse quidem Aristoteles medium terminum in hac argumentatione reperiret: sive enim pontifex in reges jus habeat, sive non habeat, debere regibus obedientia civilis a subditis. Itaque longa digressione opus non erat, ut probaret quod nemo negat. Sed quemadmodum rex Angliae sub specie civilis obedientiae adigere voluit subditos suos catholicos ad abjurandam pontificiam potestatem:sic in hoc suo libro sub specie Apologiae pro juramento fidelitatis,persuadere cupit regibus et principibus catholicis, ut exemplo suo ab apostolica sede et orthodoxa religione discedant.

Videamus tamen quid tandem adferat, et cum illo, quando ita placet, et nos digrediamur, evangelicum illud implentes: Quicumque te angariaverit mille passus: vade cum illo et alia duo, Matth. 5. Primum igitur pag. 26. probat certum jus ac inviolatum apud imperatores mansisse romanos pontifices creandi, ex eo quod (5) *Hadrianus papa in concilio 153. episcoporum abbatumque decrevit, ut Carolo magno imperatori jus ac potestas esset eligendi papam et ordinandi sedem apostolicam: dignitatemque patricialus ei con-*

(1) *Conficta interpretatio.*
(2) *De exemptione clericorum nihil novi card. Bellarminus scripsit.*
(3) *Henric. VIII. initio sui primatus ecclesias et monasteria spoliavit.*
(4) *Mira argumentatio.*
(5) *An Hadrianus papa concesserit Carolo mágno potestatem creandi romanum pontificem.*

cessit: Insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias, ab eo investituram accipere definivit. Et quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, et nisi resipisceret, bona ejus publicari praecepit. Haec ille, et allegat Sigebertum, Valthramum et alios posteriores.

Ad haec respondemus: Si haec omnia vera sint, sequi multa contraria iis, quae rex probare conatur. Nam si pontifex concedit imperatori jus eligendi et investiendi episcopos: non igitur imperator ex se caput est Ecclesiae in ditione sua, ac per hoc neque rex est caput, vel supremus gubernator Ecclesiae in regno suo; cum episcopos eligere, vel investire non possit, sine privilegio romani pontificis. Deinde si pontifex donat Carolum regem dignitate patriciatus romani, quae erat dignitas temporalis et imperatoriae proxima: ergo pontifex jus magnum in imperio temporali habebat, quippe qui ipsos etiam reges ornare et augere poterat dignitatibus ad imperium pertinentibus. Praeterea si pontifex jubet eos, qui contra decretum ipsius agerent, non solum anathematis vinculo alligari; sed etiam bona ipsorum temporalia publicari; jus igitur pontifex habet non spirituale solum, sed etiam temporale, in eos qui decretis ipsius obtemperare nolunt.

Addo secundo (1) historiam illam confictam videri, non veram. Nam Sigebertus, qui primus illam mandavit litteris, trecentis circiter annis posterior fuit Carolo, atque Hadriano: ii vero qui cum Carolo vixerunt, et res ejus gestas accuratissime conscripserunt, ut Eginarthus, et annalium Francorum auctor, nullam hujus privilegii mentionem fecerunt. Deinde quo pacto verum esse potest, dedisse Hadrianum privilegium aliquod Carolo magno imperatori, cum tempore Hadriani Carolus imperator non esset? Hadrianus enim obiit anno salutis 795. Carolus autem imperare coepit anno Domini 800. ut Eginarthus et alii tradunt. Praeterea si Carolus magnus pontifices romanos creandi jus habebat, cur nullum omnino creavit, neque ipse, neque multi ex successoribus ejus? nam Anastasius bibliothecarius scripsit accurate vitam et creationes duodecim pontificum, qui sibi invicem post Hadriani primi pontificatum successerunt; et nusquam Caroli vel successorum ejus meminit; sed a solo clero et populo electos et creatos fuisse tradit. Porro Gulielmus item bibliothecarius, qui Anastasio successit, scripsit vitam Hadriani II, a clero pariter et populo solum electi. Et cum forte legati imperatoris tum Romae adessent, et quererentur se ad electionem pontificis invitatos non fuisse: responsum eis fuisse scribit Gulielmus, id ea ratione factum esse, ne legatos principum in electione Romanorum pontificum expectandi mos inolesceret: qua ratione accepta, inquit Gulielmus, *Legati omnem suae mentis indignationem medullitus sedavere, et ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.*

(1) *Historia Sigeberti de privilegiis Carolo magno ab Hadriano papa concessis, videtur conficta.*

(2) *Electio pontificis si per imperatorem facta fuisset, summae potestati pontificis minime praejudicasset.*

Haec certe apertissima demonstratio, vel nullum ejusmodi privilegium datum fuisse Carolo, vel certe ab illo admissum non fuisse, manifestissimum reddit. Quod etiam inde confirmatur, quod et Carolus in capitulari suo lib. 1. cap. 84. Et habetur etiam apud Gratianum dist. 63. can. sacrorum; decernit, liberas esse debere electiones cleri et populi: et Hadrianus II. in concilio generali octavo can. 22. prohibet omnino principibus, ne se electionibus episcoporum admisceant; Et habetur hoc decretum etiam apud Gratianum dist. 63. can. 2. Et tamen neque Carolus, neque Hadrianus II. mentionem ullam faciunt privilegii concessi ab Hadriano I. quam mentionem omnino facere debuissent, vel ut ei privilegio Carolus renunciare se diceret, vel ut illud abrogari novo decreto Hadrianus in generali synodo declararet.

Addo postremo nihil praejudicari summae summi pontificis auctoritati, etiam si verum esset (2) pontifices aliquando ab imperatoribus fuisse creatos; tum quia id imperatores non ex proprio jure, sed ex privilegio pontificis maximi fecissent: tum quia electores auctoritatem aliquam exercent in personam designandam, cui pontificatus dignitas conferenda est, nullam exercere possunt in pontificem electum; alioqui etiam electores imperatoris jus haberent in imperatorem electum, cum revera nullum ipsi habeant in imperatorem et magnum in eos habeat imperator: quemadmodum et S.R.E. cardinales, quamvis electores pontificis sint: tamen ubi electus est, non subjicitur ille Cardinalibus, sed Cardinales illi, ut pastori et principi subjiciuntur.

Pergit deinde rex pag. 27. et addit, *Quod imperatoris assensus, longo annorum decursu, eligendis pontificibus intervenerit, Platina multique alii ex pontificiis scriptoribus testes sunt, atque ipse Bellarminus in suo controversiarum opere hoc commode eludere non potest, quin et certam pecuniam, ut confirmationem obtinerent, pontifices in imperatorium fiscum dependere cogebantur, quem morem pene ad septingentesimum Christi annum durasse. Sigebertus et Luitprandus, aliique pontificiae sectae historici testes sunt.* Haec ille.

Negare non possumus quin principes ariani (3), Gothi videlicet, cum multis aliis rebus Ecclesiam catholicam afflixerint, tum hoc ipso, quod absque consensu suo, aliquando etiam absque numerata pecunia pontificem creari non permittebant, quem morem sequuti sunt aliquandiu graeci imperatores, qui Gothis expulsis Italiam recuperaverunt. Sed haec tyrannis ab initio anni quingentesimi initium accepisse, et anno Domini 684. desiisse videtur, hoc enim anno scribit Anastasius, Constantinum imperatorem concessisse Benedicto II. summo pontifici, ut deinceps consensus principis non expectaretur. Fuisse autem tyrannicam legem illam sive Gothorum, sive Graecorum, sanctus Gregorius papa disertis verbis testatur in explicatione psalmi

(3) *Gothi reges et Graeci imperatores romanam Ecclesiam diu vexarunt.*

quarti poenitentialis. Quid autem mirum est, si principes illi electioni summorum pontificum se admiscuerint, qui personas ipsas pontificum vel exilio, vel carceribus, vel morte mulctabant? non enim judicandum est de potestate principum in summos pontifices ex eo, quod aliquando fecerunt, sed ex eo, quod juste facere potuerunt. Sed si per annos circiter ducentos ac fortasse minori tempore sustinuit Ecclesia tyrannidem illam partim a Gothis, partim a Graecis; per annos mille quadringentos libertatem suam obtinuit.

Pergit rex pag. eadem et ait, *Sed passim occurrunt imperatorum exempla, qui romanis pontificibus suam potestatem abrogarunt. Otho imperator Joannem XII. pontificatu abdicavit, quod esset variis criminibus, ac praecipue libidine infamis. Henricus III. imperator exiguo temporis spatio Benedictum IX. Sylvestrum III. et Gregorium VI. synodaliter deposuit, cum insimulatos avaritiae, tum quod hanc in principes extraordinariam potestatem proterve et procaciter usurpassent.* Haec ille.

Sed facilis est responsio; nam (1) neque Otho Joannem XII. neque Henricus Benedictum, Sylvestrum et Gregorium propria vel imperiali potestate deposuerunt: sed per synodum episcoporum ecclesiastica auctoritate deponi curarunt. Id Rheginо et alii citati testantur. Neque facile concedimus, justam fuisse depositionem eorum pontificum; sed hoc ad rem praesentem non pertinet. Illud autem quod rex adjungit, depositos fuisse Benedictum, Sylvestrum et Gregorium, quod hanc in principes extraordinariam potestatem proterve et procaciter usurpassent; aliquo testimonio probari oportuisset. Siquidem hic solum allegari video Marianum Scotum, Sigebertum, Abbatem Urspergensem et Platinam: poterat etiam addere Othonem Frisingensem et Hermannum Contractum. Marianus ad annum 1045. sic loquitur: *Henricus rex Italiam ingressus pacifice a Romanis suscipitur, papas tres non digne constitutos synodaliter deposuit*: neque caussam particularem explicat. Abbas Urspergensis eadem verba repetit, quae videlicet a Mariano Scoto accepit. Sigebertus sic ait: *Romae uno contra duos et duobus contra unum de papatu cotendentibus, rex Henricus contra eos Romam vadit, et eis canonica et imperiali censura depositis, Suidegerus Bambergensis episcopus, eligitur, qui et Clemens romanae Ecclesiae CLIII. praesidet.* Hermannus Contractus sic loquitur: *Juxta natalem Domini non longe ab urbe Roma apud Sutrium synodo item acta, caussaque erroneorum pontificum diligentius ventilata, Gratianum papam convictum baculo pastorali privavit. Dein omnium tam Romanorum, quam aliorum consensu Suidegerum episcopum romanae Ecclesiae elegit pontificem.* Otho Frisingensis, auctor gravissimus lib. 6. chronici cap. 36. sic ait: *Porro Gratianus regi apud Sutrium occurrens ad leniendum ipsius animum diadema pretiosum obtulisse dicitur: quem rex primo, ut decuit, honorifice suscepit: postmodum autem collecto episcoporum conventu a pontificatu pro nota simoniae cedere persuasit.* Haec Otho, qui verissime scribit (2) Gregorium VI. qui ante pontificatum Gratianus dicebatur, persuasum fuisse ab imperatore, ut se ob notam simoniae abdicaret pontificatu, proinde non proprie Gregorius depositus fuit, vel ab imperatore vel a synodo; sed sponte cessit, eo quod de crimine simoniae convictum sese cerneret.

Non desunt tamen viri gravissimi, qui Gregorium VI. nullius criminis convictum fuisse defendant; sed ad rem nostram non facit, qui hoc loco solum demonstrare volumus, a nullo auctore scribi, quod rex hoc loco dicit, depositos fuisse pontifices tres, eo quod extraordinariam potestatem in principes proterve ac procaciter usurpassent. Id enim nullus omnino scribit. Porro Platina, qui ultimo loco adducitur, nullam caussam reddit, cur hi pontifices in concilio depositi fuerint, nisi quod essent mali.

Jam vero si ex his duobus exemplis Othonis et Henrici imperatorum aliquid efficeretur ad probandum, habere jus aliquod imperatores ad pontifices deponendos: multo facilius probaretur ex plurimis exemplis, habere pontifices jus ad deponendos imperatores. Isti enim duo Otho et Henricus pontifices deposuerunt, non auctoritate sua, sed synodi, idest, ecclesiastica potestate (3): Pontifices vero imperatores deposuerunt, non laica principum potestate, sed sua ac propria. Exempla sunt ad manus. Gregorius junior imperatorem Leonem Isauricum, haereticorum iconoclastarum principem excommunicatum privavit vectigalibus Italiae, ac per hoc imperii parte mulctavit. Testantur hoc, et laudant graeci scriptores Cedrenus et Zonaras in vita Leonis Isaurici. Leo III. transtulit imperium totum occidentale a Graecis ad Francos, ac per hoc privavit dimidia imperii parte graecos imperatores et ea donavit Francos; de qua re testes sunt innumerabiles, quos adduximus in primo libro ex tribus, quos de imperii translatione conscripsimus. Gregorius VII. imperatorem Henricum IV. publica atque solemni caeremonia excommunicatum privavit imperio, quod recte factum fuisse, quicquid pauci schismatici contra dicant, testantur omnes graves historici et caeteri ejus temporis auctores, quos, verbis singulorum in medio allatis, produximus in lib. 4. de pontif. cap. 13. Innocentius III. Othonem IV. imperatorem deposuit, teste Flavio Blondo lib. 6. decadis 2. Innocentius IV. in generali concilio lugdunensi assentientibus omnibus publice deposuit Fridericum II. imperatorem, Ecclesiae persecutorem maximum. Extat adhuc sententia, cap. *Ad apostolicae*, de sententia et re judicata in 6. Clemens VI. Ludovicum IV. imperatorem a Joanne XXII. et Benedicto XII. excommunicatum imperio privavit. Vide Albertum Pighium lib. 5. hierarch. eccles. cap. 14. et 15.

Pergit deinde pag. 28. et adfert exempla (4) re-

(1) *An ab imperatoribus ulli romani pontifices depositi.*

(2) *Gregorius VI. papa non depositus fuit, sed ipse se pontificatu abdicavit.*

(3) *Imperatores a pontificibus depositi.*

(4) *De investituris episcoporum a regibus usurpatis.*

gum, qui pontificibus strenue restiterunt. Primum ex Walthramo in lib. de investituris episcoporum, probat episcopos Hispaniae, Scotiae, Angliae, Hungariae per reges introisse cum pace temporalium pure et integre, ex antiqua institutione usque ad modernam novitatem. Vocat autem Waltramus modernam novitatem decretum Gregorii VII. prohibentis investituras ecclesiarum accipi a regibus et principibus saeculi. Respondemus: Verum esse per non breve tempus consuevisse episcopos a regibus investiri: sed Gregorium VII. fortissimum Ecclesiae Dei vindicem, Dei auxilio fretum, non timuisse veteres et sanctas ecclesiasticas leges renovare atque defendere. Scribit enim in epist. ad Hugonem Diensem episcopum, ut in concilio habendo, cui ipse ut legatus apostolicae sedis praessurus erat, canonem vicesimum secundum octavae synodi generalis renovari curaret, quo prohibetur principibus omnibus, etiam regibus et imperatoribus, ne se in episcoporum electione admisceant, quam Gregorii sententiam de tollendis investituris principum, defenderunt non solum successores ejus Victor III. Urbanus II. Paschalis II. et alii: sed etiam viri sancti, qui eo tempore floruerunt, ut duo sancti Anselmi, alter Cantuariensis, alter Lucensis et alii.

Deinde rex pag. eadem ex annalibus Franciae Nicolai Gillii refert initium epistolae Philippi pulchri regis Francorum ad Bonifacium VIII. pontificem, quae epist. ridiculam continet salutationem, qualem scribere potuit iracundia potius quam consideratio. Scimus enim gravissimam inimicitiam gessisse Philippum regem cum Bonifacio pontifice; neque esse mirum si iratis animis quaedam exciderint, quae sedatis numquam excidissent.

Addit postea (1) sanctum Ludovicum regem publica pragmatica sanctione omnes curiae papalis exactiones intra regnum suum prohibuisse; et citat ad marginem, ex arrestis senatus parisiensis. Ego vero legi quidem apud Nicolaum Gillium, inter alias sancti Ludovici ordinationes, haec verba: *Item exactiones et onera gravissima per curiam romanam Ecclesiae regni nostri imposita, vel impositas, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit, sive etiam imponendas, aut imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi pro rationabili, pia et urgentissima inevitabili necessitate et de spontaneo expresso consensu nostro, et ipsarum ecclesiarum regni nostri.* Et fortasse haec eadem verba habentur in arresto senatus parisiensis, quod mihi notum non est. Caeterum legi pragmaticam sanctionem ejusdem sancti Ludovici, quae habetur ad finem tomi sexti bibliothecae sanctorum Patrum editae Parisiis anno 1589. ubi habentur eaedem ordinationes, demptis verbis suprascriptis, quae videntur postea addita in odium Ecclesiae romanae.

Legi etiam similes ordinationes tum apud Paulum Aemilium, tum apud Robertum Gaguinum in vita s. Ludovici et verba illa a Nicolao Gillio recitata non reperio: sed contra potius legi apud eosdem auctores (2) sanctum Ludovicum romanae Ecclesiae pontificibus, Innocentio IV. Alexandro IV. Urbano IV. et Clementi IV. quorum temporibus vixit, fuisse addictum et obedientem. Nam Innocentio IV. in concilio lugdunensi excommunicanti et deponenti imperatorem Fridericum, astitit sanctus Ludovicus, atque, ut verbis Aemilii utar: *Se viresque regni sui ac consilium sacrosanctae potestati tutandae paratum esse professus, Innocentii caussae dignitatem, roburque addidit:* Et infra: *Interea Francus* (sanctus Ludovicus) *auctoritate nominis Franci tegens pontificem, sacram insuper militiam in barbaram religionem professus erat.* Denique in vita sancti Ludovici, quae extat apud Laurentium Surium a confessario ejus ut creditur scripta, inter alia monita, quae sanctus moriens filio suo, regnique haeredi dedit; haec verba habentur: *Semper sis addictus et devotus romanae Ecclesiae, ejus pontifici haud secus atque spirituali patri te morigerum praebeas.*

Refert postea rex eadem pag. et seq. ex Joanne Majerio in lib. de schismate et concil. quid actum sit inter Pium II. pontificem et Ludovicum XI. regem Francorum, circa pragmaticam sanctionem, quam ex sententia concilii basileensis Carolus VII. rex Francorum edidit. Sed non est opus, ut in hac re diutius immoremur: quod enim Pius II. Ludovici temporibus efficere non potuit, ut (3) pragmatica illa sanctio omnino de medio tolleretur; effecit postea Leo X. Francisco primo regnante. Itaque in concilio lateranensi sess. 11. pragmatica illa sanctio publico decreto sublata est. Sed hunc exitum pragmaticae sanctionis, quia caussae suae parum favebat, rex facile praeteriri passus est.

Addit ultimo rex pag. 30. et quatuor sequentibus exempla (4) regum Angliae, praedecessorum suorum. Siquidem Henricus primus episcopatum Wintoniensem Willelmo Gifferd contulit, eumque contra novi concilii decretum, de possessionibus cunctis ad episcopatum pertinentibus investivit. Idem quoque Henricus archiepiscopatum cantuariensem Rodulpho dedit, eumque per baculum et annulum investivit. Idem Turstano eboracensi archiepiscopo electo ad Callixtum pontificem proficiscenti mandavit ut a pontifice benedictionem non acciperet: quod cum ille neglexisset, rex illi omnem suae dominationis locum interdixit; atque haec ex Matthaei Paris historia probantur. Rex Edovardus primus inhibuit Abbati de Waltam et decano sancti Pauli, ne decimas colligerent in sumptus belli Hierosolymitani quamvis ad hoc delegati essent a pontifice romano. Et quoniam Abbate interim mortuo decanus Edovardo regi pariturum se pollicitus est; rex Jacobus triumphat et dicit, *Hic hominem ecclesiasticum teneo, qui papae non paruit, ut regi suo pareret, in rebus quoque ecclesiasticis, nondum scilicet nova haec Jesuita-*

(1) *An s. Ludovicus rex Francorum papales exactiones in regno suo prohibuerit.*

(2) *S. Ludovicus rex Francorum Ecclesiae romanae addictissimus.*

(3) *Pragmatica sanctio sublata.*

(4) *An antiqui reges Angliae romanis pontificibus obedientes an refractarii fuerint.*

rum theologia orbi innotuerat. Idem Edovardus tres viros ecclesiasticos punivit, ex quo intelligitur, non esse ecclesiasticos a principis temporalis potestate exemptos. Edovardus II. patrem imitatus viros ecclesiasticos in custodiam duci jussit. Edovardus III. majorum vestigiis insistens ecclesiasticos nonnullos vel carceri mancipavit, vel bonis temporalibus et spiritualibus spoliavit. Denique sub Richardo II. publicorum ordinum decreto cautum est, ne quis beneficium a pontifice romano impetraret: qui secus faxit, extra regis fidem et tutelam censeretur. Haec ex archiviis regiis deprompta esse dicuntur.

Ego vero admiror intra spatium quingentorum annorum tam paucos inobedientes a rege numerari potuisse: cum constet a regibus Angliae per hoc tempus plurimos sanctissimos episcopos vel archiepiscopos, ob eam caussam vexatos; quod mallent pontifici potius obedire, quam regi; et libertatem ecclesiasticam fortissime tuerentur. Theologia enim haec jesuitarum non est nova, sed antiquissima apud veros catholicos; nisi forte plus valeat exemplum unius decani, quam plurimorum episcoporum, sanctitate, doctrina et miraculis illustrissimorum et salutis aeternae regis et gregis sui cupidissimorum.

Notum est quanta passus sit (1) sanctus Anselmus archiepiscopus Cantuariae a rege Willelmo, quot annis exulaverit, quoties ad romanum pontificem confugerit, et quanta devotione quocumque iret, ab omnibus, ut angelus Domini reciperetur. Dedit illi tamen Deus post mortem Willelmi regis gloriosam victoriam, sic enim scribit Edinerus Anglus in lib. 2. de vita s. Anselmi: Eo igitur tempore adunato in palatio regis Londini cunctis primoribus Angliae victoriam de libertate Ecclesiae, pro qua diu laboraverat, Anselmus adeptus est:Rex enim antecessorum suorum usu relicto, nec personas, quae in regimen Ecclesiae sumebantur, per se elegit; nec eas per dationem virgae pastoralis ecclesiis, quibus praeficiebantur, investivit.

Non minus notum est, quanta et quam gravia passus sit sanctus Thomas archiepiscopus Cantuariae et martyr ab Henrico II. rege, cujus persecutionem fugiens ad pontificem romanum ipse quoque se contulit, sed is etiam victoriam praeclaram obtinuit,cum post ejus obitum clarificante eum Domino signis et virtutibus; idem rex publicam poenitentiam egerit.

Huic adjungi potest sanctus Edmundus archiepiscopus cantuariensis, qui ob defensionem ecclesiasticae libertatis, multa tum a rege, tum a regni proceribus passus est. Itaque ipse quoque in exilium voluntarium concedens apud Pontiniacum obiit, ubi receptaculum et refugium erat omnium ab Anglia propter justitiam exulantium praelatorum.

Sed ante hos omnes s. Dunstanus archiepiscopus item cantuariensis de manu summi pontificis Joannis XIII. pallium, insigne archiepiscopalis dignitatis accepit; et admirandae sanctitatis et miraculorum gloria clarissimus fuit:nec tamen effugere potuit, quin ab Eduino rege mulierum amore corruptо in exilium pelleretur. Sed postea tamen ab exilio revocatus maxima constantia semper regum scelera redarguit, et optimo fine in pace quievit, cujus vitam ab Osberto monacho cantuariensi sancti Dunstani aequali fideliter scriptam habemus.

Sanctus Hugo episcopus Lincolniensis non pauca sustinuit a Richardo rege, sed constantia et virtute omnia superavit. Adscribam verba, quae habentur cap. 18. vitae ipsius: *Cum aliquando rex contra regem Franciae extra fines regni sui alacriter dimicaret et militi pecuniam multam erogasset, archiepiscopum in patriam remisit cum mandato, ut episcopis et praelatis in unum convocatis indicaret, se pecunia habere opus cupereque ab illis adjuvari; sed vir sanctus accuratius rem ipsam examinans, cum reperisset pauperculam plebem hac ratione gravari, respondit, etiamsi omnes regi consenseritis, at ego nequaquam illi consentiam. Unus etiam ex episcopis auditis rationibus, quas b. Hugo copiose contra illam exactionem afferebat, illi adhaesit. Graviter hoc archiepiscopus accepit et gradu concito ad regem abiit, multa ei de sancto episcopo conquesturus. Audiens rex solum Lincolniensem, suum retardasse conatum,et alium etiam episcopum in suam sententiam pertraxisse, prae ira insaniens cuidam amico suo dixit, Sicut tu meam diligis salutem, ita ego tibi praecipio, ut Hugonem cum adhaerente ei episcopo penitus extirpare festines. Ejectus est ergo alter ille,et omnia quae possidebat, fisco regis addicta sunt. Sed justus tamquam leo confidens absque terrore erit etc. Et tandem rex videns constantiam viri,et quod minas universaque pericula pro nihilo duceret, eum ex animo venerari coepit.* Addam et pauca ex cap. 20.*Hortantibus quandoque amicis, ut majoris periculi vitandi caussa in quadam re parvi momenti regi contra jus Ecclesiae consentiret; sic fertur dixisse.Absit, ut personae laicae, cujuscumque etiam dignitatis et eminentiae,privilegium ecclesiasticae libertatis infringant. Mihi vero non contingat,ut timore potestatis alicujus, aut formidine difficultatis quantaecumque, jus Ecclesiae dominae meae sanctae Mariae, quantum in me est, deperire sinam etc. Hic nos quoque ecclesiasticum hominum tenemus, cui nota erat theologia, quam jesuitae hodie docent, non esse obediendum regi, in praejudicium ecclesiasticae libertatis.*

Sanctus Richardus episcopus Cicestrensis claudat hunc locum. *Is electus fuit episcopus contra sententiam regis: propterea rex furore pereitus res Ecclesiae Cicestrensis jussit confiscari. Episcopus multas injurias, contumeliasque perpessus ad apostolicam sedem se contulit, cui tunc Innocentius IV. praesidebat: praevenerant autem eum legati regii, ut etiam apud summum pontificem sanctum virum Richardum fatigarent: sed pontifex partibus auditis beati Richardi electionem sua auctoritate confirmavit, atque eumdem sacrarum manuum impositione episcopum consecravit. Reversus in Angliam episcopus, non so-*

(1) *Episcopi angli sanctitate conspicui a regibus vexati.*

lum bona Ecclesiae suae recuperare non potuit, sed etiam proposito edicto publico rex omnibus interdixit, ne quis ei pecuniam mutuo daret. Caeterum vir sanctus memor verborum sancti Jacobi, quod Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et haeredes regni, quod repromisit diligentibus se, egestate sua gaudens partes omnes boni pastoris implevit.

Hinc habemus, quod rex quaerebat exempla regum, qui bona non tantum temporalia, sed etiam spiritualia ecclesiasticis per vim eripiebant, sed habemus etiam, quod rex non quaerebat, exempla sanctorum episcoporum, qui pro libertate ecclesiastica tum agendo, tum patiendo fortissime dimicabant.

Sed hoc loco praetereundum non est, hos ipsos (1) quinque anglicos reges, quicquid tandem egerint, fuisse fide catholicos; neque unquam ab obedientia summi pontificis, ut supremi capitis Ecclesiae, defecisse. Nam Henricum primum post longas dimicationes pro investituris episcoporum, constat cessisse pontificum decretis. Id praeter testimonium Edineri supra allatum, testatur Florentius Vigorniensis in chronico anni 1107. his verbis: *Statuit rex, ut ab eo tempore in reliquum numquam per dationem baculi pastoralis et annuli quisquam de episcopatu, aut abbatia per regem, vel quamlibet laicam manum in Anglia investiretur.* Idem testatur Gulielmus Malmesberiensis lib. 5. historiae his verbis: *Investituras ecclesiarum post multas controversias Deo et sancto Petro remisit.*

Edovardus primus sine dubio catholicus fuit, et summum pontificem caput Ecclesiae confessus est. Extat enim epistola ejus apud Thomam Valsingamum in anno 1302. ad Bonifacium VIII. cujus haec est inscriptio. *Sanctissimo in Christo Patri, domino Bonifacio sanctae romanae et universalis Ecclesiae summo pontifici, Edovardus Dei gratia rex Angliae salutem et devota pedum oscula beatorum.* Certe qui Bonifacium universalis Ecclesiae summum pontificem vocat, non potest ei negare obedientiam et subjectionem, nisi ab Ecclesia universali alienum se esse profitealur. Et qui pedum devota oscula pontifici offert, numquam profecto diceret, quod Jacobus rex dicit, se nulla in re pontifice inferiorem esse.

Edovardus II. vel ex eo pontificis auctoritatem agnovisse se testatus est, quod cum illo egit, ut Scotiae regem censuris ecclesiasticis coërceret, audita prius caussa, quae inter utrosque reges controvertebatur.

Edovardus III. epistolam scripsit ad Clementem V. pontificem eodem Valsingamo teste, cum eadem inscriptione, videlicet, *Sanctissimo in Christo patri, domino Clementi divina providentia sanctae romanae et universalis Ecclesiae summo pontifici, Edovardus eadem gratia rex Angliae et Franciae etc. devota pedum oscula beatorum:* Et infra, *pensata etiam devotionis plenitudinem, qua domus nostra regia et clerus, et populus dicti regni perstiterunt hactenus in obedientia sedis apostolicae etc.*

Denique de Richardo II. quod fuerit etiam ipse catholicus dubitari non potest, nam cum ejus tempore, schisma factum esset in Ecclesia, creato antipapa Clemente VII. contra Urbanum papam VI. Richardus rex legem tulit, ut qui alium pontificem, praeter Urbanum, quem unicum et verum Ecclesiae caput appellat, agnoverit, bonis omnibus et regis protectione privetur.

Sed esto, quinque isti reges alieni a sede apostolica fuissent: an non deberet rex Jacobus imitari potius ducentos circiter reges praedecessores suos, partim Anglos, partim Scotos, quam quinque? Constat enim ex Joanne Lesleo (2) reges Scotorum a Donaldo primo, qui anno salutis 197. a sancto Victore pontifice fidem christianam accepit, usque ad Mariam hujus regis matrem catholicos et romanae apostolicae sedis obedientes fuisse. Numerantur autem 84. reges, vel, ut alii volunt, supra 90.

Nec minus constat ab anno salutis 600. (3) reges Angliae ab Ethelberto, qui primus fidem christianam a s. Augustino suscepit, usque ad s. Edovardum, idest, usque ad annum salutis 1066. non solum catholicos, sed etiam romanae sedis devotissimos fuisse, ut tradunt Beda, Polydorus et alii; numerantur autem reges isti circiter octoginta. Itaque solum supersunt post conquestum reges viginti, a Willelmo primo usque ad Henricum VIII. ex quibus quinque solos rex Jacobus sibi ad imitandum proposuit, omissis quindecim, vel potius ducentis et quindecim, quos et catholicos et apostolicae sedis obedientes fuisse negare non potuit.

CAPUT VII.

Jacobum regem ab haeresi excusari nulla ratione posse.

His digressionibus expeditis, rex a pag. 35. usque ad 40. probare nititur, se neque apostatam esse, neque haereticum. Apostatam proprie non esse facile concedi potest. Illi enim dicuntur apostatae, qui christianam fidem et religionem omnino deserunt, ut ne christiani quidem dici velint: qualis fuit Julianus imperator, qui ex christiano paganus factus cognomen apostatae sibi peperit. Quod autem rex dicit patrem suum et avum paternum idem de fide secum sensisse; a matre quoque nullis litteris, quas frequenter ab ea accipiebat, invitatum ad pontificiam religionem: quin etiam supremis verbis per praefectum domus ab ea sibi mandatum, posse se in religione, quam colebat perseverare, modo probe sancteque viveret; et commissos populos, prudenter et pie gubernaret: denique matrem eamdem jussisse, ut in Baptismo fi-

(1) *Quinque reges Angliae, quos Jacobus pro caussa sua adduxit, pontificem romanum, ut caput Ecclesiae universae venerabantur.*

(2) *Reges Scotiae a Donaldo primo usque ad Mariam hujus Jacobi sexti matrem, per annos mille trecentos, catholici fuerunt.*

(3) *Reges Angliae ab Ethelberto usque ad Henricum octavum per annos nongentos catholici fuerunt.*

lii sui, caeremonia sputi nupera non uterentur nolle enim se, ut impurus presbyter in os infantuli sui inspueret.

Respondeo: Quod ad (1) caeremoniam sputi attinet, illam non esse nuperam, cum ejus meminerint s. Ambrosius lib. 1. de sacrament. cap. 1. sanctus Gregorius in sacramento, Beda in homil. in evangelium dominicae 12. post Trinitatem, Rabanus lib. 1. de instit. cleric. cap. 27. Hugo de sancto Victore lib. 1. de sacram. cap. 18.

Neque verum est, ea caeremonia salivam presbyteri in os infantuli inspui: sed solum aures et nares saliva tangi, ut Patres citati dicunt et Ecclesia servat: haec enim sunt verba venerabilis Bedae: *Unde credo mos increbuerit Ecclesiae; ut sacerdotes illius his, quos percipiendis Baptismi sacramentis praeparant; prius inter caetera consecrationis exordia, de saliva oris sui nares tangant, et aures, dicentes Epheta.* Itaque credibile non est, eam caeremoniam a catholica regina fuisse prohibitam.

Quod ad parentes regis attinet, dico, non deesse apud nos, qui regis patrem et matrem, fortasse etiam avum paternum viderunt, quique pro comperto habere se dicant, patrem et avum regis fuisse catholicos; reginam vero matrem, non solum ipsam fuisse catholicam, sed etiam dedisse omnem operam, ut filium a Novatorum erroribus ad antiquam et veram fidem traduceret. Quin etiam ostenduntur hic Romae epistolae non paucae manu propria ejusdem reginae exaratae, quae satis testantur zelum ejus de conversione filii ad catholicam religionem. Neque fidem habemus praefecto domus Melvino, qui cum haereticus sit, mirum non est, si ea sibi a rege moriente dicta esse confingat, quae ad haeresim suam commendandam pertinent.

Porro haereticum se non esse rex dicit, quia Scripturis canonicis credat; quid tria fidei symbola apostolicum, nicaenum et s. Athanasii libens juret; quia prima quatuor concilia generalia, tamquam catholica et orthodoxa veneretur; quia quicquid quadringentis post Christum annis (quingentis in anglicano libro legitur) unanimi consensu Patres ad aeternam salutem esse necessarium, statuerunt; aut cum iis ita sentiat, aut modesto silentio obmutescat, reprehendere certe non audeat. Sed haec non satis esse, ut haereticus dici non possit, facili negotio demonstrabimus.

Primum enim, Scripturis canonicis, sine certo fundamento rex credit, ac per hoc proprie (2) non credit. Dicit enim duos esse ordines Scripturarum, ut a Bellarmino tradi affirmat lib. 1. de Verbo Dei c. 4. et quidem Scripturas secundi ordinis, non esse tantae auctoritatis, ut fidei ullum caput inde stabiliri possit. Porro Bellarminus facit quidem duos ordines Scripturarum, unum earum, de quarum auctoritate numquam dubitatum est: Alterum earum, de quibus a nonnullis veterum dubitatum est; sed tamen utriusque ordinis Bellarminus affirmat, Scripturas esse divinas et canonicas et ex utroque ordine Scripturarum posse eligi et stabiliri capita fidei. Idque probat fusissime in sequentibus capitibus. Scripturae secundi ordinis sunt Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabaei et alia quaedam, atque haec sunt ex quibus rex et caeteri Calviniani negant posse eligi vel stabiliri dogmata fidei.

A quibus ego libenter quaererem unde habetis Scripturas primi ordinis esse divinas et canonicas: Scripturas secundi ordinis non esse tales? Nam certe ex ipsis Scripturis neutrum probari potest, nusquam enim scriptum est, libros Genesis et Exodi esse divinos; libros Tobiae et Judith non esse: librum Isaiae esse canonicum; librum Baruch non esse: ex libris Proverbiorum, ex Ecclesiaste, ex Canticis, posse eligi dogmata fidei; ex libris Sapientiae et Ecclesiastici non posse: denique libros regum canonicos; libros Machabaeorum apocryphos esse. Dicent prioris ordinis libros hebraica lingua scriptos inveniri, posterioris non inveniri scriptos nisi graece aut latine. At Scriptura nusquam docet, libros hebraice scriptos esse canonicos; alios non esse. Neque aequum est Spiritum sanctum, qui est verus auctor Scripturarum alligare velle ad linguam hebraicam, ut Judaei faciunt, quasi non potuerit etiam tempore Testamenti veteris librum dictare lingua graeca aut latina. Itaque recte s. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. *Libros*, inquit, *Machabaeorum, non Judaei, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Dicent (3), libros primi ordinis apud omnes indubitatos semper fuisse: de libris secundi ordinis aliquos scriptores aliquando dubitasse. At non ideo prioris ordinis libri sunt habendi divini, quia de illis scriptores particulares non dubitarunt: neque posterioris ordinis sunt habendi apocryphi, quia de illorum auctoritate aliqui dubitarunt, alioqui fides nostra ab hominum dubitatione, vel non dubitatione penderet. Sed illi soli sunt habendi libri canonici et divini, quos mater Ecclesia, quae spiritum Dei habet, et est columna et firmamentum veritatis per os summi pastoris, vel conciliorum legitimorum dicit, vere esse canonicos et divinos. Vere enim scripsit s. Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae commoveret auctoritas*, lib. contra epist. fundamenti cap. 5.

Quemadmodum igitur Ecclesiae credimus nos catholici docenti, libros primi ordinis esse divinos; ita eidem credimus docenti, libros secundi ordinis esse divinos, omnes enim istos libros enumerat inter sacros, canonicos et divinos Innocentius primus pontifex in epist. ad Exuperium; Gelasius primus item pontifex in decreto de libris sacris edito in concilio 70. episcoporum; concilium cartaginiense tertium can. 47. concilia denique generalia florentinum et tridentinum: Ecclesia vero non ex verbo Dei scripto, sed ex verbo Dei a majoribus per temporum successiones tradito didicit, qui sint libri canonici, qui sint apocryphi. Rex autem qui verbum Dei scriptum proferre non potest, cum nullum extet de hac re; verbum Dei traditum non re-

(1) *Caeremonia illa, qua tanguntur saliva nares et aures baptizandorum antiquissima est.*

(2) *Haeretici scripturis sacris non vere credunt.*

(3) *Qui sint libri canonici et qui apocryphi, ad Ecclesiae judicium pertinet.*

cipit, quia Novatores recipi prohibent; Ecclesiae judicium, idest, summi pastoris, et conciliorum (extra prima quatuor) non admittit; quid superest; nisi ut arbitrio suo, aut Novatorum opinionibus acquiescat; ac per hoc de ipso verbo Dei, non verbo Dei, sed humano judicio credat?

Quod autem dixi de Scripturis sanctis, idem de intelligentia Scripturarum dici potest (1). Novatores enim ubi Scriptura propriis disertisque verbis loquitur; pro nihilo ducunt, ea verba in tropos, et figuras transmutare, si quando opinioni suae non favent: sic verba illa coenae rotunda, clara, perspicua, *Hoc est enim corpus meum*, mille figuris involvunt Calviniani, ut quidlibet aliud significare videantur, quam quod vere proprieque significant: sic illud Apoc. 11. de duobus prophetis cum Antichristo pugnaturis atque ab eo interficiendis et paulo post a Deo resuscitandis; omisso litterali, plano, proprio ac perspicuo sensu, omnino laborant, ut metaphoris obscurent, atque ad alia transferant, quae nos catholici a proprio sensu alienissima esse censemus, sed de his hactenus.

Venio ad tria symbola, et quatuor prima concilia. Scimus Lutheranis sacramentarios, et sacramentariis Lutheranos haereticos esse: Scimus Pelagianos et Monothelitas Catholicis et Protestantibus haereticos esse: Scimus alios plurimos aliis omnibus, praeterquam suae sectae hominibus, haereticos esse: et tamen isti omnes recipiunt Scripturas canonicas, tria symbola, et quatuor prima concilia et patres primorum quadringentorum annorum minime spernunt. Vel igitur Pelagiani, Monothelitae, aliique id genus homines haeretici non sunt, vel (2) non satis est ad haereticum nomen fugiendum illa recipere atque admittere, quae rex Anglorum recipere atque admittere se dicit.

Neque multum refert quod Pelagius haeresiarcha antiquior fuerit tertio et quarto concilio: nam Pelagiani novi, qui tempore sancti Prosperi et sancti Fulgentii pelagianam haeresim renovarunt, posteriores quatuor conciliis fuerunt, neque ea negabant. Ut etiam hoc tempore Graeci in articulo de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, haeretici habentur a Lutheranis etiam et Calvinistis; et tamen Scripturas, tria symbola, quatuor concilia, et Patres veteres venerantur, non igitur ista sufficiunt.

Deinde quaero a rege (3), cur quatuor tantum prima concilia generalia recipit? cur non quintum etiam, sextum, septimum, octavum; deinde lateranensia, lugdunensia, viennense, constantiense, tridentinum? fortasse Ecclesia Christi post annum quingentesimum periit? At regni Christi, quod est Ecclesia non erit finis. Luc. 1. Et adversus Ecclesiam portae inferi non praevalebunt. Matth. 16. fortasse mansit Ecclesia post annum quingentesimum, sed invisibilis, et in antris ac speluncis delitescens? At Ecclesia civitas est supra montem posita (4), quae abscondi non potest. Matth. 5. Et semper illud impleri poterit: *Si te non audierit, dic Ecclesiae.* Matth. 18. Et recte s. Augustinus de Ecclesia exponit illud psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum, idest,* inquit, *in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quae lateat, non velut operta, ne forte fiat sicut operta super greges haereticorum. In sole ergo posuit tabernaculum suum, quid tu haeretice fugis in tenebras?* Haec s. Augustinus.

Fortasse post annum quingentesimum nulli extiterunt haeretici novi, adversus quos concilia nova convocanda essent? At extiterunt Monothelitae, qui unam in Christo voluntatem esse docebant: quam haeresim condemnarunt Patres in concilio sexto. Extiterunt et alii, atque alii, adversus quos variis temporibus varia concilia cogenda fuerunt; numquam enim bella haereticorum defuerunt, neque deerunt unquam, donec Ecclesia militans appellabitur.

Fortasse defuit aliquid conciliis reliquis, quod in solis primis quatuor inveniri potuit? At quid illud est? Confer (5) concilium primum cum sexto. In primo adfuerunt episcopi undique evocati: adfuerunt et in sexto. In primo adfuerunt legati apostolicae sedis: adfuerunt et in sexto. In primo adfuit imperator Constantinus: adfuit et in sexto imperator nominis ejusdem. In primo dictum est anathema Arianis, atque inde tota Ecclesia Arianos, ut manifestos haereticos detestata est. In sexto dictum est anathema Monothelitis, atque inde tota Ecclesia Monothelitas, ut manifestos haereticos detestata est. In primo creditum est adfuisse doctorem Spiritum sanctum, et a Patribus in Christi nomine congregatis, dici potuisse, Visum est Spiritui sancto et nobis. At hoc idem creditum est in sexto, nisi forte Spiritus sanctus Ecclesiam deseruisse dicendus sit, qui missus est ut eam doceret omnem veritatem. Quod autem diximus de comparatione concilii primi cum sexto, idem dici potest de comparatione primi cum reliquis eodem modo et ordine congregatis. Quare vel dicendum est, nulla esse concilia, ac ne prima illa quidem, in quibus fuerit auctoritas novarum haeresum damnandarum; vel eadem auctoritas tribuenda est omnibus conciliis generalibus rite congregatis: ac per hoc frustra recipit quatuor prima, qui non recipit alia subsequentia.

Sed venio ad singula, quae rex post Scripturas sanctas admittere et venerari se dicit (6). Nego symbolum apostolicum ab eo plene recipi. Articulus quintus est, Descendit ad inferos: qui etiam repetitur in symbolo s. Athanasii, et habetur passim in cathechismis Lutheri et Calvini, et aliorum omnium tum catholicorum, tum haereticorum. Hunc tamen articulum Calviniani, quales sunt in Anglia tum Protestantes, tum Puritani, verbo confitentur, re ipsa negant. Siquidem apud Calvinum lib. 2.

(1) *Non minus de sensu, quam de numero librorum divinorum incerti sunt Novatores.*

(2) *Non satis est admittere tria symbola fidei et quatuor prima concilia, ut quis catholicus dici possit.*

(3) *Nulla ratio reddi potest, cur primis quatuor conciliis fides haberi debeat et reliquis non debeat.*

(4) *Ecclesia semper est visibilis.*

(5) *Collatio conciliorum primi et sexti.*

(6) *Haeretici non integre recipiunt symbolum apostolorum.*

Instit. c. 16. in parvo cathechismo, in psychopannychia, et alibi, Christum descendisse ad inferos, est poenas damnatorum pertulisse; pertulisse autem poenas damnatorum Christum Calvinus dicit, primum in horto, cum calicem passionis transferri a se rogavit: deinde in cruce, cum ait, *Deus meus ut quid dereliquisti me?*

At symbolum apostolicum tradit, Christum ad inferos descendisse post mortem, non dum viveret in horto vel in cruce: et haec est traditio omnium veterum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt. Christum videlicet post mortem (1), secundum animam descendisse ad locum subterraneum animarum, secundum corpus jacuisse in sepulchro.

Consule ex Graecis sanctum Ignatium in epist. ad Trallianos; s. Justinum in dialogo cum Triphone; s. Irenaeum lib. 5. extremo; Clementem alexan. lib. 6. strom.; Origenem hom. 15. in Genesim; Eusebium Caesariensem lib. 4. de demonstr. evang. c. 12.; s. Cyrillum hierosolym. catechesi 4.; s. Athanasium lib. de incarnatione Verbi, qui incipit: Mos pii hominis.; s. Basilium in psalm. 44. et 48.; s. Gregorium nissenum orat. 1. de resurrectione Christi; s. Gregorium nazianzenum orat. 2. de pascha; s. Epiphanium in Ancorato ante medium; s. Joannem chrysostom. homil. 2. de symbolo; s. Cyrillum alex. lib. 12. in Joan. cap. 36. et in lib. de recta fide ad Theodosium.

Ex Latinis Tertullianum in lib. de anima cap. 31. et 32.; s. Hippolytum martyrem in orat. de Antichristo; s. Hilarium lib. 10. de Trinitate, et in psal. 138; s. Philastrium in lib. de haeresibus cap. de descensu Christi ad inferos; s. Gaudentium tract. 6. de Exod.; s. Ambrosium lib. 3. de fide cap. 3.; s. Hieronymum in cap. 4. ad Ephes. in cap. 9. Zachariae, et in cap. 3. Ecclesiastae; Prudentium in hymno 1. et 9. καθημενών, Ruffinum in explicatione symboli; s. Augustinum epistol. 57. ad Dardanum, et 99. ad Evodium, et tract. 78. in Joan. et in psal. 85. et lib. 17. de Civit. Dei cap. 11. et lib. 20. cap. 15.; s. Leonem serm. 1. de resurrectione; s. Fulgentium lib. 3. ad Trasimundum regem cap. 23.; s. Vigilium mart. lib. 2. adversus Eutychetem; sanctum Gregorium lib. 13. Moral. c. 20. Ex his nullus est qui non vixerit primis quingentis annis, s. Gregorio excepto, quem addere volui, ut apostolum Anglorum.

Consulat rex hos veteres Patres, et si illis fidem habet, intelligat, circa symbolum apostolicum multum se cum suis a veteris Ecclesiae sententia aberrare. Neque solum in hoc articulo, sed etiam in articulo de Ecclesia catholica, et in articulo de remissione peccatorum, rex Anglorum verba, non sensum tenet. Neque enim credere potest Ecclesiam esse catholicam; dum Ecclesiam non habet, nisi particularem, quae regnum Angliae non egreditur, ut initio demonstravimus. Neque veram peccatorum remissionem credere potest, qui cum Novatoribus credit, peccata semper haerere in homine quamtumvis justificato, quamvis non imputentur.

Non autem posuerunt apostoli in symbolo, credo non imputationem peccatorum; sed credo remissionem, veram utique et plenam, alioqui potentior fuisset culpa primi hominis, quae omnes ex Adamo genitos vere ac proprie inquinavit; quam gratia secundi hominis, quae renatos in Christo, non potuit vere proprieque purgare: sed de his multa in controversiis diximus, quae repetenda non sunt.

Porro quod attinet ad (2) symbolum nicaenum, si rex illud admittat cum additione concilii secundi generalis, ut passim in ecclesiis omnibus legitur; inveniet in eo haec verba: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*: quae verba recitari solent; sed credi non solent a Calvinianis, quorum doctrinam rex ipse, Angli et Scoti sequuntur. Primum enim quod attinet ad infantes, credunt Calviniani, filios fidelium nasci sanctos, et sine Baptismo posse salvari, proinde non baptizari in remissionem peccatorum, vide Calvinum lib. 4. Instit. cap. 16. et in antidoto concilii trid. sess. 6. cap. 5. Quod vero attinet ad adultos, illi per fidem, eorum opinione, justificantur, quae Baptismum praecedit, sic nulli omnino apud eos baptizantur in remissionem peccatorum. Haec caussa est, cur Calvinus lib. 4. Instit. c. 14. in definitione sacramenti nihil aliud posuerit, nisi obsignationem promissionum benevolentiae Dei erga nos: et protestationem pietatis nostrae erga Deum, remissionis peccati, aut infusionis inhaerentis gratiae nulla mentio. Denique in antidoto concilii sess. 5. *Manet*, inquit Calvinus, *vere peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Haec ille. Itaque ex sententia Novatorum, peccatum numquam vere remittitur, ut non sit, sed solum ut non imputetur: haec autem remissio, per non imputationem infantibus contingit, quia sanctorum sunt filii: Adultis vero per propriam ipsorum fidem. Potest igitur apud eos deleri articulus symboli, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Verum autem esse hunc articulum ac de propria et vera remissione intelligendum docent omnes veteres Patres primorum quingentorum annorum, quibus si rex fidem haberet, protestantibus suis fidem nullam haberet. Atque, ut unum de multis testimonium proferam. S. Augustinus in lib. 3. de anima, et ejus origine c. 9. *Noli*, inquit, *credere noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur morte praeventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.* Idem in epist. 156. alias 157. ad Optatum: *Non est*, inquit, *falsa etiam in parvulorum Baptismate remissio peccatorum, nec verbotenus dicitur, sed veraciter agitur.* Nam (ut jam verbis utar) quae in epistola beatissimi Zozimi leguntur: Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque Baptismus re ac verbis, idest, opere, confessione et remissione vera peccatorum in omni sexu, aetate, conditione generis humani eamdem plenissime tenent: nullus enim, nisi qui peccati servus

(1) *Christus secundum animam vere descendit ad inferos: secundum corpus vere jacuit in sepulchro.*

(2) *Haeretici non integre recipiunt symbolum nicaenum, sive constantinopolitanum.*

est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus: sicut scriptum est, Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo, ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductae, atque transmissae universae animae, illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum antequam per Baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. In his enim verbis apostolicae sedis tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare christiano. Haec s. Augustinus.

Venio ad tertium (1) symbolum, in quo verba illa leguntur, *Inde venturus est judicare vivos et mortuos, ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem: et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum.* In quibus verbis confitemur judicium novissimum, in quo justus judex pro qualitate factorum, reddet aliis coronam justitiae, aliis opprobrium et supplicium sempiternum. Nam si non pro meritis operum, sed in gratiam fidei, vel justitiae Christi misericorditer imputatae fidelibus vita aeterna daretur, non esset opus judicio, neque discussione factorum: neque oporteret judicem justum, sed Patrem misericordem advenire; neque rationem de factis propriis reddere, sed Christi justitiam nobis imputatam, et fide apprehensam ostendere deberemus: hunc ergo articulum credere non poterit rex si cum Calvino et Protestantibus credet, omnia opera justorum esse peccata: haec enim sunt verba Calvini lib. 3. Instit. cap. 14. *Nullum a sanctis exire potest opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem. Quam enim rationem reddent justi de factis propriis judici Christo, si omnia opera ipsorum vitiosa sunt, et merentur justam opprobrii mercedem? Et si justi rationem reddere non poterunt de factis propriis, certe multo minus rationem reddere poterunt injusti: quorsum igitur stabimus omnes ante tribunal Christi, ut reddat unusquisque de factis propriis rationem?*

Dicent fortasse, quod solent, opera quidem justorum esse omnia sordida et immunda, sed per misericordiam Dei tegendam esse immunditiam, et reputanda fidelibus propter Christum ac si munda essent. At si ita esset, non justitia judicis, sed (ut supra dixi) misericordia Patris, vel liberalitate principis opus esset. Quorsum igitur articulus symboli dicit, *Venturus est judicare vivos et mortuos et reddituri sunt omnes de factis propriis rationem?* Et cur Apostolus in 2. ad Timoth. cap. 4. clamat: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex?* cur et coapostolus ejus Petrus, in priore epist. cap. 1. similiter clamat: *Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini?* cur ipse Dominus, qui judex venturus est, Matth. 16. praedicit, venturum se cum angelis suis, ut reddat unicuique secundum opera ejus? Sed nolo esse longior, ne videar de dogmatibus disputare, non apologiam scribere.

Venio ad quatuor prima concilia (2). Concilium nicaenum, quod est primum generalium conciliorum, duabus potissimum de caussis convocatum est; ut quaestio de fide divinitatis Filii Dei, et dissentiones de celebrando paschate definirentur. Id testatur sanctus Athanasius in lib. de synodis Arimini et Seleuciae, non procul ab initio: necnon Constantinus in epistola, quam refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini. Itaque s. Epiphanius haeresi 70. scribit, Constantinum imperatorem duo magna bona contulisse in Ecclesiam, unum quod congregari curaverit synodum nicaenam, alterum quod in ea synodo curaverit terminari quaestionem de paschate. Porro quaestionem utramque sacra illa synodus, non tam ex Scripturis, quam ex traditione non scripta definivit. De quaestione fidei testis est Theodoretus lib. 1. hist. cap. 8. eam ex sermonibus non scriptis fuisse terminatam, quamvis enim Scripturae pro utraque parte adducerentur inter disserendum: tamen Ariani ad suam sententiam illas detorquebant, neque finis disputandi ullus fuisset, nisi episcopi, qui de toto orbe convenerant, ex traditione majorum veram intelligentiam Scripturae colligentes, eam fidem tenendam esse decrevissent, quam ante motam quaestionem in ecclesiis totius mundi a majoribus praedicatam et receptam esse constabat. Decretum autem de paschate celebrando die dominico, ne poterat quidem ex Scripturis ullis deduci, sed ex sola traditione ab apostolis, atque in primis a sancto Petro accepta et in urbe custodita, formatum est. Quae cum ita sint, videat rex, quam bene cum Patribus nicaenae synodi ministri Calviniani et Lutherani conveniant, qui traditiones non scriptas rejiciunt et quaestiones interminabiles reddunt.

Extat praeterea canon tertius nicaeni concilii ut non permittantur in domibus episcoporum, presbyterorum et diaconorum mulieres habitare, excepta matre, sorore, amita vel matertera, ex quarum cohabitatione carnalis commercii suspicio oriri non potest. Quomodo igitur, si in regno Angliae nicaeni concilii regulae locum habent, in domibus episcoporum inveniuntur uxores et filiae cum gregibus ancillarum, non minore numero vel licentia, quam in domibus laicorum? Dicent fortasse ex historia Sozomeni haberi in eodem nicaeno concilio, interveniente Paphnutio, in arbitrio episcoporum atque aliorum ecclesiasticorum relictum esse, ut uxoribus pro libito uterentur.

At (3) historia illa Sozomeni convincitur esse falsa ex canone concilii paulo ante citato: Si enim in arbitrio relictum esset uti uxoribus, vel non uti; certe concilium excepisset etiam uxores et filias, ubi matres et sorores excepit. Deinde s. Epiphanius haeresi 59. et sanctus Hieronymus in lib. ad-

(1) *Neque symbolum s. Athanasii integre recipiunt.*

(2) *De concilio nicaeno, quod non magni fiat ab haereticis hujus temporis.*

(3) *Historia Sozomeni de conjugio sacerdotum falsa convincitur.*

versus Vigilantium, aperte scribunt, esse contra canones, neque esse licitum episcopo et presbytero ac diacono liberos gignere. Et certe sancti Patres Epiphanius et Hieronymus, majori fide digni sunt, quam Sozomenus, qui posterior tempore et inferior doctrina et sanctitate fuit. Adde quod, Sozomeno auctore, Paphnutius iis solis episcopis ac reliquis ecclesiasticis usum conjugum liberum esse volebat, qui eas ante sacros ordines accepissent: illicitum autem esse, post ordines sacros conjugio copulari. At episcopi Anglicani contempta lege concilii, contra morem non modo latinorum, sed etiam graecorum christianorum uxores ducunt etiam post adeptum episcopatum. Itaque nullam habent excusationem, nisi forte velint libere confiteri, quod verissimum est, se veros episcopos non esse posse, quippe qui rite ordinati non sint, neque aliquid de episcopatu habere, nisi quae sibi injuste usurpant, nomen et opes. Atqui hoc est longissime abesse a regulis nicaeni concilii, ubi can. 4. episcopi ordinari jubentur a tribus saltem episcopis, qui et ipsi ab aliis rite ordinati sint: nemo enim dare potest quod antea non accepit. Episcopi autem protestantes a nullo vero episcopo ordinati meri laici sunt.

Jam (1) de secundo concilio nihil est, quod hic addam, cum paulo ante ex symbolo in hoc concilio edito demonstraverim fidem Protestantium et ipsius regis alienam esse a fide Patrum hujus concilii.

Ex tertio concilio generali, quod est ephesinum primum, nihil aliud adducam, nisi partem epistolae Theodosii junioris imperatoris ad hanc ipsam synodum missae; ut rex intelligat, quae sint partes regum in conciliis et quorum proprie munus sit in conciliis sedere et judicare. Extat autem epistola graece et latine. *Igitur*, inquit Theodorus, *Candidianum praeclarissimum religiosorum domesticorum comitem ad sacram vestram synodum abire jussimus: sed ea lege et conditione, ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incidunt; nihil quicquam commune habeat, nefas est enim qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus admisceri; verum, ut monachos et saeculares, ac caeteros denique omnes, qui hujus spectaculi caussa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum forte confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus submoveat: tum etiam, ut diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio coacta, et saevae tempestatis instar debacchata, sanctissimae synodi vestrae consultationem, quovis modo perturbet:* haec ibi.

Videt certe rex in conciliis Ecclesiae legitimis, quale hoc tertium fuit, non convenisse omnes ecclesiasticos, sed solos episcopos. Videt praeterea negotia ecclesiastica ad reges saeculi non pertinere; nisi ut forte protegant episcopos, atque eorum tranquillitati consulant, qua de caussa Theodosius Candidianum misit; et in primo et quarto concilio imperator ipse adesse voluit. Videt postremo ex his apertissime colligi, regem non esse caput Ecclesiae: quomodo enim ab ecclesiasticis negotiis arceretur Ecclesiae ipsius caput? Proinde rex, qui caput, vel, quod idem est, gubernatorem generalem Ecclesiae regni sui se esse dicit, quique concilia generalia ad reges potissimum pertinere existimat, qui denique omnes ecclesiasticos adesse vellet, exceptis Puritanis et Jesuitis, novam conciliorum formam, atque ab illis primis quatuor penitus abhorrentem introducere satagit.

(2) Ex quarto concilio posset rex si vellet multa perdiscere, unde cognosceret, fidem et religionem, quam ipse reformatam vocat, et quam defendere et propagare satagit, longe abesse a fide et religione synodi calcedonensis, quae est quarta generalis. Primum omnium verus ecclesiasticus primatus romani pontificis in Ecclesia universa, ex hoc concilio manifeste colligitur. Extant epistolae plurimae ad Leonem pontificem et concilium calcedonense, et semper nomen pontificis nomini concilii anteponitur, hoc modo. *Sanctissimo et Deo amantissimo et universali archiepiscopo et patriarchae magnae Romae Leoni et sanctae et universali chalcedonensi synodo quae voluntate Dei congregata est.* Extat epistola totius concilii generalis ad eumdem Leonem, ubi praeter alia dicunt Patres: *Quibus omnibus, episcopis congregatis, tu quidem sicut membris caput praeeras.* Ubi aperte vocant pontificem caput concilii universam Ecclesiam repraesentantis. Item dicunt: *Et post haec omnia insuper et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, idest, contra tuam quoque apostolicam sanctitatem.* Ubi fatentur totius vineae, idest, Ecclesiae custodiam ab ipso Christo, non ab imperatore, vel a concilio, commissam esse romano pontifici.

Extat item inter canones hujus concilii, canon sextusdecimus in haec verba: *Virginem, quae se Deo Domino consecravit, similiter et monachum non licere nuptialia jura contrahere, quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Videat rex an iste canon tam antiquus, tam sanctus a sexcentis episcopis veteris Ecclesiae constitutus, observetur in Anglia: an contra, si qui monachi aut virgines sanctimoniales ad eos forte divertant, an ad matrimonium cogantur, vel suadeantur.

Extat canon vicesimusquartus, in haec verba: *Quae semel ex voluntate episcopi dedicata sunt monasteria, consilio episcoporum perpetuo manere monasteria, et res quae ad ea pertinent, monasteriis reservari: nec posse ultra fieri saecularia habitacula.* Cogitet rex, quam bene canonem istum observaverit Henricus VIII. qui omnia monasteria profanavit.

Extat denique in actione undecima hujus concilii publica invocatio sancti martyris Flaviani, quae vel sola satis esset ad ostendendum, fidem regis non convenire cum fide concilii generalis. Proinde, vel neget hujus concilii auctoritatem, vel concedat,

(1) *De secundo et tertio concilio generali.*

(2) *Ex quarto concilio generali convincuntur haeretici hujus temporis.*

sanctos homines pie invocari posse. Atque haec de quatuor conciliis.

Restat, ut de sanctorum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, veneratione dicamus : ac ut omittam, non posse reddi certam rationem, cur non sint etiam admittendi sanctus Gregorius, venerabilis Beda, sanctus Anselmus, sanctus Bernardus, sanctus Thomas, sanctus Bonaventura et alii, qui posterioribus saeculis, sed eodem spiritu, nec minore scientia scripserunt, ex iis quae rex in sequentibus paginis reprehendit, conabor ostendere, fidem regis eum fide Patrum nihil habere commune.

CAPUT VIII.

Non esse recentia dogmata, sed antiquissima, intercessionem sanctorum, missam privatam, transubstantiationem et alia, quae rex Angliae novitia et nupera vocat.

Igitur pag. 40. et 41. de beatissima Virgine Dei Matre scribit multa, quae ex colloquiis Erasmi petita, ad solam invidiam conciliandam pertinent, qualia sunt, quod nos catholici divam et deam faciamus ; quod ab ea petamus, ut Filio suo Deo et domino imperet et dominetur ; quod absurdis cujuslibet inepti hominis orationibus pateat ; quod in terras ad sacerdotum oscula et complexus descendat et concludit, *In coelis, in aeterno sanctorum animarum receptaculo ; in aeternam est felicitatem collocata, numquam a tantis gaudiis ulla terrenarum rerum cura, aut sollicitudine avocanda.*

At prudentes et bene instituti catholici (1), neque divam, neque deam vocant : neque ab ea petunt, ut filio imperet et dominetur : neque dicunt, eam ad oscula et complexum sacerdotum descendere ; neque sentiunt eam a coeli gaudiis avocari, quando curam gerit rerum humanarum, sive sola prece apud Deum agat, sive praesentiam suam mortalibus exhibere dignetur. Nam neque angeli a coeli gaudiis avocantur, quando a Deo in ministerium mittuntur propter eos, qui haereditatem capiunt salutis, ut dicitur ad Hebr. 1.

Quod autem Virgo sanctissima et clementissima non audiat preces miserorum, vel aliquando non descendat ad homines, repugnat aperte sanctis Patribus, qui primis quingentis annis floruerunt. Adferam pauca loca de multis, quibus nulli veterum contradicunt.

Sanctus Athanasius in serm. de sanctissima Deipara : *Inclina*, inquit, *aurem tuam ad preces nostras, et ne obliviscaris populi tui* : et infra, *Intercede haera et domina et regina et Mater Dei pro nobis.*

Sanctus Joannes chrysostomus in ipsa publica liturgia coram clero et populo dicendum praescribit : *Intercessione immaculatae dominae nostrae Deiparae et semper Virginis Mariae, dignum me fac, ut sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum etc.* et infra : *Confirma nos in timore tuo, custodi vitam nostram stabili gressus nostros precibus et supplicationibus sanctae Deiparae et semper Virginis Mariae, et omnium sanctorum.*

Sanctus Gregorius nyssenus in vita sancti Gregorii taumaturgi scribit eidem sancto Gregorio (2) apparuisse noctu beatissimam Virginem cum ingenti lumine, et una sanctum Joannem evangelistam et ipsa Virgine jubente, institutum fuisse sanctum Gregorium ab eodem evangelista circa mysterium sanctissimae Trinitatis : haec scribuntur a Patre antiquo et sancto de alio Patre antiquiore, nec minus sancto ; et non referuntur somnia aut figmenta, sed apparitio vera vigilanti facta, et extat adhuc confessio fidei a s. Joanne, s. Gregorio coram tradita, et tota illa regione celebratissima.

Refert quoque sanctus Gregorius Turonicus lib. de Gloria martyr. cap. 9. cum jussu magni Constantini basilica aedificaretur beatissimae Virgini Mariae, et columnae adeo immanes paratae essent, ut hominum viribus, non sine maximo labore erigi possent ipsam Virginem apparuisse architecto ac docuisse rationem columnarum erigendarum.

Neque solam Virginem Deiparam, sed etiam alios sanctos palam apparuisse hominibus, testantur passim veteres Patres, ut sanctus Basilius, in orat. de sancto Mamante ; sanctus Gregorius nazianzenus orat. 1. in Julianum ; Sulpitius in vita sancti Martini ; Theodoretus lib. 5. hist. cap. 24. ; sanctus Paulinus natali 8. sancti Felicis. Sed unum Augustinum audiamus in lib. de cura pro mortuis, cap. 16. *Non solum*, inquit, *beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis.* Denique ut multa omittam, numquam idem Constantinus magnus urbem Constantinopolim sanctissimae Deiparae dedicasset, quod eum fecisse scribit Nicephorus lib. 8. cap. 26. nisi credidisset multum eidem urbi patrocinium tantae Virginis profuturum.

Pergit deinde rex, ac de intercessione sanctorum scribit : *Scio ego Christum praecepisse, ut ad ipsum veniamus, quicumque peccatis oneramur, illum quippe nos refecturum et levaturum. Scio Paulum, humilitatem et religionem angelorum prohibuisse, omnemque ejusmodi venerationis cultum in superstitione et humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, sed qua fiducia, quoque auctore decurratur ad Deos penates istos, sive titulares, quasi aulicos et familiares Dei optimi maximi nescio.*

Sed nos hoc loco non controversias disputandas suscepimus, sed quo honore veteres Patres primorum quingentorum annorum rex afficiat, demonstrare voluimus. Ostendimus autem paulo ante, id est, in primo cap. hujus apologiae, veteres Patres graecos et latinos magno consensu interces-

(1) *Refelluntur calumnia circa cultum b. Virginis Mariae.*

(2) *Apparitio admiranda, et verissima b. Virginis Mariae.*

sionem sanctorum verbo et exemplo docuisse. Quare falsum est quod rex subjungit pag. 42.istos articulos ante Christi quingentesimum annum inauditos et invisos in romana officina recenter esse excusos.

Ad id vero quod rex objicit, Christum recepisse, ut ad ipsum veniamus (1); Respondeo: Ad Christum nos venire, sive ad ipsum per nos, sive per alios adeamus. Nam et evangelista Matthaeus cap. 8. scripsit: *Accessit ad eum centurio*: cum tamen non per se accesserit, sed per alios,dicente eodem centurione, apud Lucam cap. 7. *Me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te*; vere enim non ipse per se accesserat, sed miserat seniores Judaeorum,et cum audisset Dominum ad se venire,misit iterum amicos dicens:*Domine noli vexari, non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Neque ideo falsum est,quod ait Matthaeus: *Accessit ad eum centurio.* Sic igitur et nos vere ad Christum accedimus,cum ad eum per intercessionem sanctorum accedimus,vere quoque semper ad Patrem per Christum accedimus, cum sanctos oramus, ut a Deo Patre per Christum nobis impetrent ea, quibus indigemus. Neque enim sanctis locum Dei, aut Christi damus; neque eos pro diis, aut pro Christo habemus, sed eos rogamus, ut quae nos a Deo per Christum optamus et petimus; eadem ipsi , qui Deo propinquiores et gratiores sunt, nobis a Deo per Christum impetrare dignentur.

Ad illud autem de religione angelorum (2); Respondeo cum Patribus eum locum Apostoli explicantibus, doctrinam fuisse haereticorum,neminem posse per Christum ad Deum accedere,sed per angelos, qui et mundum fecissent et per prophetas loquuti essent: horum igitur fictitiorum angelorum religionem Paulus prohibet.*Sunt nonnulli*, inquit sanctus Joannes chrysostomus homil. 7. in epist. ad Coloss. *qui dicunt,non oportere per Christum reconciliari, et ad Patrem accedere, sed per angelos*: propterea Paulus, sursum ac deorsum quae de Christo sunt versat. Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 10. addit, reprehendi ab Apostolo eos, qui angelis, ut diis sacrificabant. Christianos autem angelis vel sanctis sacrificasse nemo demonstrare potest.

Pergit rex pag. 42. et ait:*Quod si romanae Ecclesiae officina fidei articulos, ante quingentesimum Christi annum inauditos et invisos recenter excudit;non sum credo damnandus pro haeretico, si ad haec novitia et nupera non accedam. In his articulis privatas illas missas numero, in quibus sacrificiis simul, et populi personam et sacerdotis sustinet. In his quoque est sacramenti mutilatio, qua laicis partem illius mediam subtraxerunt, Transubstantiatio, Adorandi caussa elevatio,In supplicationibus sacramenti circumgestatio, Supererogationis opera, quibus thesauri ecclesiastici nomen jure optimo accomodaverunt,baptizatio campanarum,et mille praeterea nugae ,et quidem super omnia illa veneratio statuis imaginibusque delata.*

Non esse haec novitia et nupera, et horum pleraque non esse ante quingentesimum Christi annum inaudita, facile demonstrabo; sed etiam si novitia et nupera essent, non ideo rex qui ea negat, ab haeresi immunis esset (3). Habet enim Ecclesia catholica, cum novae controversiae exoriuntur, jus eas explicandi et terminandi; et eos qui non obediunt, haereticos declarandi, et a communione sua ejiciendi. Neque poterit unquam vera ratio reddi,cur licuerit nicaeno primo concilio quaestionem ab Ario motam definire, et Arianos haereticos dicere;concilio constantinopolitano primo quaestionem a Macedonio et Eunomio allatam, explicare, et Macedonianos atque Eunomianos haereticos declarare; concilio ephesino primo quaestionem a Nestorio introductam profligare, et Nestorium haereticum proclamare; concilio chalcedonensi quaestionem ab Eutychete et Dioscoro agitatam componere , et Euthychetem et Dioscorum inter haereticos numerare: et non licuerit postea concilio secundo constantinopolitano quaestionem de tribus capitulis motam definire, et qui contra sentiebant haereticos dicere; neque concilio tertio constantinopolitano quaestionem a Cyro et Sergio Monothelitis allatam explicare,et Monothelitas haereticos declarare; neque concilio nicaeno secundo quaestionem ab Iconomachis introductam profligare, et Iconomachos haereticos proclamare; neque concilio lateranensi quaestionem de veritate corporis Domini a Berengario agitatam componere et Berengarium inter haereticos numerare; neque (ut alia omittam) concilio tridentino quaestiones a Luthero et Calvino disputatas examinare et judicare, et Lutheranos et Calvinianos in haereticorum numerum referre. Eadem enim est semper Ecclesia, eadem auctoritate et potestate praedita;et cum ea semper erit ille qui dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem.

Sed veniamus ad missas privatas, quas rex novitias et nuperas dixit (4). Missas privatas, idest,in quibus nulli participant Eucharistiam, praeter sacerdotem, non esse novitias et nuperas, testatur sanctus Joannes chrysostomus, qui homil. 3. in epist. ad Ephesios queritur de populo suo, qui rarissime ad communionem accedebat,cum quotidie missa celebraretur: *Frustra*, inquit, *habetur quotidiana oblatio, cum nemo sit, qui simul participet.* At, inquies, si frustra fiebat, non debuisset fieri: sed quaestio nostra non est, an recte fieret, sed tantum an fieret. Rex enim dicit rem esse novitiam , et ante annum Domini quingentesimum inauditam et invisam. Et tamen Chrysostomus qui vixit ante annum quingentesimum testatur quotidie suo tempore celebratam fuisse oblationem, et neminem cum sacerdote simul participasse.

Nec tamen concedimus non debuisse fieri oblationem sine participantibus; alioqui enim sanctus Joannes vir sapiens et doctus eam non fecisset.

(1) *Solvitur objectiuncula adversus invocationem sanctorum.*

(2) *Solvitur alia objectiuncula.*

(3) *Ecclesia catholica jus habet novas haereses damnandi.*

(4) *Missa privata non est res nova, sed antiquissima.*

Quod ergo dicit frustra fieri, significat,frustra fieri in ordine ad communicantes, non frustra in ordine ad Deum. Optabat enim Chrysostomus, ut etiam optare se dicit tridentina synodus sess.22.cap. 6. ut simul offerretur sacrificium Deo, et populus communione reficeretur: sed si populus communione refici negligeret; non ideo sacrificium Domini omittendum erat.

Habemus praeterea alia exempla veterum, qui interdum sacrificium offerebant pro caussa tam particulari, et in loco tam angusto; ut non sit ullo modo credibile adfuisse ullos communicantes. Scribit sanctus Augustinus lib. 9. Confess. cap. 12. dum mater ejus apud Ostia Tyberina sepeliretur,oblatum fuisse sacrificium corporis Domini pro anima ejus, cadavere juxta sepulchrum constituto. Scribit etiam lib. 22. de Civil. Dei cap. 8. Unum e suis presbyteris sacrificium corporis Domini obtulisse in domo quadam rustica ad eamdem domum a malignorum spirituum vexatione purgandam.Certe locus, et caussa satis arguunt, non adfuisse qui communicarent sanctum quoque Gregorium nazianzenum in exigua cellula extructo oratorio oblationem celebrare solitum testatur Sozomenus lib. 7. hist. cap. 5. quae loci angustiae populum communicantem non admittebant.

Sed ratio praecipua, cur Novatores mirentur, quod in Ecclesia catholica celebretur mysterium Eucharistiae sine participantibus,est quia non credunt Eucharistiam institutam fuisse a Domino, ut offerretur Deo in sacrificium; sed solum, ut sacramentum communionis esset, et populo offerretur in alimoniam spiritualem: si enim sacrificium admitterent, facile intelligerent,posse sacrificium offerri Deo pro populo, etiam si populus de sacrificio non participet manducando, modo participet impetrando.

Et quoniam sciebat rex sacrificium missae esse antiquissimum,et mentionem ejus a Patribus omnibus fieri, quippe, qui scripsit in suo Basilico Doro lib. 3. antiquitatem sine veritate, esse vetustatem erroris; idque etiam de missa dici posse affirmat ; ideo non fuit ausus inter res novas ponere sacrificium, sive missam, sed solum missam privatam, quam non facile arbitrabatur in libris veterum Patrum inveniri posse. Sed cum missam, vetustatem erroris esse pronunciavit, non potuit divinare, in hac praefatione scripturum se fuisse, se reprehendere non ausurum, quod Patres primorum quingentorum annorum unanimi sententia docent. Neque enim vetustas erroris, sed potius testimonium veritatis dici debet, quod sanctissimi, doctissimi et antiquissimi Patres unanimi consensu praedicant.

Vide si placet de sacrificio missae,idest, de oblatione Eucharistiae Deo in sacrificium; s. Justinum in dialogo cum Triphone; s. Irenaeum lib.4. cap. 32. 33. et 34.Tertullianum lib. de corona militum, et lib. 3. contra Marcionem; s. Cyprianum lib. 1. epist. 9. et lib. 1. contra Judaeos cap. 16.; Eusebium Caesariensem lib.1. de demonst.evang. cap. ult.; s. Ambrosium lib. 2. epist. 8. et in ps. 38., s. Gregorium nyssenum in orat. de resurr.; s. Basilium in liturgia; s. Joannem chrysostomum hom. 24. in priorem ad Corinth. et hom. 17. in epist. ad Hebraeos; s. Cyrillum hierosolymitanum catechesi 5. mystagogica; s. Hieronymum in primum cap. Malachiae; s. Augustinum lib. 4.de Trinit. cap. 14. et lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.; s.Cyrillum alexandrinum in lib. de adoratione in spiritu et veritate; s. Leonem serm. 8.de passione Domini; s. Fulgentium lib. 2. ad Monimum cap. 2.

Secundo loco inter novitia et nupera rex ponit sacramenti mutilationem, quod videlicet apud nos populus sub una specie communicet.Sed nos nullam scimus in Ecclesia fieri sacramenti mutilationem, neque partem dimidiam laicis esse subtractam. Siquidem duae species Eucharistiae necessario requiruntur ad sacrificium, et si in sacrificio altera deesset, recte dici posset sacrificium mutilatum (1).At ad essentiam sacramenti Eucharistiae quaelibet ex duabus sufficit; proinde sacramentum sub specie panis,est verum atque integrum sacramentum; et sacramentum sub specie vini verum atque integrum sacramentum est: nec tamen sunt duo sacramenta, quando simul sumuntur per modum unius refectionis; secus autem si unus sumeret Eucharistiam sub specie panis, et alius sub specie vini; vel si unus et idem sumeret, hodie sub specie panis, alio die sub specie vini.

Simile est in Baptismo, si quis unica mersione baptizetur, integrum Baptismum recipit: et si baptizetur tribus mersionibus, integrum etiam Baptismum recipit.Si vero unus unica mersione,et alius trina mersione baptizetur; vel unus et idem hodie unica mersione, cras altera et tertia die tertia mersione baptizetur,multa baptismata erunt. Et quemadmodum Ecclesia catholica jus habuit, aliquando jubere, ut trina mersione Baptismus daretur; aliquando, ut unica tantum mersione id fieret; sic etiam eadem Ecclesia jus habuit aliquando liberum relinquere, ut sub una specie, vel sub duabus Eucharistia reciperetur; aliquando jubere;ut sub una tantum reciperetur.Quod autem ab initio Ecclesiae non deessent, qui sub una tantum specie communicarent, nec tamen sacramentum mutilare dicerentur, multis testimoniis antiquitatis probare possumus.

Primum initio Ecclesiae adhuc servabantur caeremoniae legis, ut notum est ex cap. 21. Actorum apostolorum, inter quas una erat (2) votum Nazaraeorum non bibendi vinum. Non est autem credibile, hos contra votum suum bibisse de calice Domini: quamvis enim in calice Domini non adsit vini substantia; adsunt tamen accidentia, sapor, color, calor, et similia: Nazaraei autem tanta religione abstinebant a vino, et omni quod inebriare potest, ut ne uvas quidem passas gustare possent, Num. 6. Itaque propter hunc tantum religionis rigorem omnino credibile est,Nazaraeos eo tempore non fuisse ausos vini saporem gustare. Neque tamen credibile est, eos omnino a communione ab-

(1) *Sumptio Eucharistiae sub una specie, non est sacramenti mutilatio, neque res nova.*

(2) *Primum exemplum antiquitatis pro communione sub una tantum specie.*

stinuisse. Restat igitur, ut sub sola specie panis communicaverint. Atque haec ratio est cur sanctus Lucas Act. 2. scripserit: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis et oratione.* Ubi non addidit quidquam de calice, sed solum meminit fractionis panis, quoniam ab ea specie nulli se abstinebant. Neque negant adversarii, in hoc loco per fractionem panis intelligi distributionem Eucharistiae. Id certe admittit Joannes Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. § 35. Eadem fortasse caussa est, cur Apostolus de calice scripserit 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus*: de pane autem *Panis quem frangimus*. Calix enim semper benedicebatur, sed non semper omnibus distribuebatur: panis autem semper frangebatur, idest, dividendo porrigebatur. Unde paulo infra: *Unus panis*, inquit, *et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus:* neque de calice aliquid addidit, quoniam ut unum corpus simus, hoc sufficit, ut uno pane participemus.

(1) Deinde Manichaei sub sola specie panis Eucharistiam sumebant, ut disertis verbis scribit sanctus Leo serm. 4. de quadragesima, ubi etiam addit, eos ut Romae a catholicis internosci non possent, solitos cum catholicis panem Eucharistiae sumere, a calice autem abstinere. Quod si necessarium fuisset eo tempore Eucharistiam sub utraque specie sumere; et omnes fideles eam sub utraque specie semper accepissent: neque Manichaei latere potuissent, qui a vino semper abstinebant; Et s. Epiphanius et s. Augustinus inter errores Manichaeorum numerassent, Eucharistiam sumere sub una specie, et eo modo sacramentum mutilare. Cum ergo numquam inter errores Manichaeorum id positum fuerit, et diu inter catholicos Manichaei ob communionem latuerint, perspicuum est in veteri Ecclesia non defuisse, qui sub una tantum specie communicarent.

(2) Praeterea mos erat antiquissimis temporibus, ut qui vellent, Eucharistiam in manibus sumerent, ac domum deferrent sumendam, cum eis opportunum videretur. Id testatur Tertullianus lib. 2. ad uxorem. Sanctus Cyprianus in serm. 5. qui est de lapsis, Clemens alexandrinus lib. 1. stromatum; s. Basilius in epist. ad Caesariam; s. Hieronymus in apologia pro libris adversus Jovinianum. Certum autem est, Eucharistiam numquam fuisse datam in manibus, nisi sub specie panis: nam sub specie vini, aut offerebatur ore bibenda aut omittebatur. Neque ulli erant in domibus laicorum calices sacri ad Eucharistiam sub vini specie conservandam, ut aperte colligitur ex sancto Athanasio apologia 2. adversus Arianos; efficitur igitur, ut saepissime christiani Ecclesiae primitivae sub una tantum specie communicarent. Neque audiendus est quidam ex adversariis, qui absurdum esse judicat in Ecclesia communicare sub una specie, in domo privata non esse absurdum. Quasi vero liceat, in domibus privatis mutilare sacramenta, in sola vero Ecclesia id non liceat, vel quasi mutilatio sacramenti, non sit mala, nisi ratione loci.

(3) Denique (ut alia multa praeteream) extra controversiam est, apud veteres consuevisse deferri ad aegrotos Eucharistiam sub sola specie panis, ut notum est ex epist. Dionysii episcopi alexandrini apud Eusebium lib. 6. hist, cap. 36: ex vita s. Ambrosii a Paulino scripta, ex vita s. Basilii scripta ab Amphilochio. Neque tamen sacramentum mutilari veteres Patres ea deportatione censebant.

Tertio loco inter novitia et nupera numerat rex transubstantiationem. Et siquidem de voce quaestio sit (4), nomen transubstantiationis invenitur in concilio lateranensi omnium frequentissimo, sub Innocentio III. pontifice ante annos circiter quadringentos celebrato, quod autem ante annos circiter quadringentos in usu fuit, videat rex, an recte novitium et nuperum appelletur; sed si de re ipsa agatur, certe transubstantiatio, idest, substantialis transmutatio, non solum ante annos quadringentos, sed ante mille et ducentos a Patribus usurpari coepit.

S. Cyrillus hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica: *Aquam*, inquit, *aliquando in unum commutavit; et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutaverit?* haec ille. Mutationem aquae in vinum factam in Cana Galileae per Christi omnipotentiam, veram, realem, substantialemque fuisse rex profecto non negabit, at illi similem esse dicit auctor gravissimus, qui ante annum Christi quadringentesimum vixit mutationem vini in sanguinem Christi, per ejusdem omnipotentiam Christi.

Sanctus Ambrosius Cyrilli fere aequalis lib. De iis, qui initiantur mysteriis cap. 9. *Quantis*, inquit, *utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? majoremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Haec ille, quod si panis consecratus non est panis, quem natura formavit, sed est corpus Christi, consecratione naturam panis mutante: ergo transmutatio substantiae panis in substantiam corporis Dominici consecrationis virtute facta est: transmutatio autem substantiae in substantiam quid aptius, quam transubstantiatio dici potest? hoc enim modo figurae in figuram transmutatio in evangeliis transfiguratio dicta est. Matth. 17.

Sanctus Gregorius nyssenus ejusdem temporis auctor in oratione magna catechetica cap. 37. *Recte*, inquit, *verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari:* et infra: *Haec autem tribuit virtus benedictionis in illud, rerum quae videntur, panis et vini naturam mutans.*

Sanctus Gaudentius ejusdem saeculi scriptor tract. 2. de Exodo: *Ipse*, inquit, *naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest et promisit, efficit proprium corpus; et qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.*

(1) *Alterum exemplum antiquitatis.*
(2) *Tertium exemplum.*
(3) *Quartum exemplum.*
(4) *Dogma de transubstantione antiquissimum est.*

Sanctus Joannes chrysostomus, qui et ipse ante annum quingentesimum floruit: homil. 83. in Matthaeum: *Non sunt*,inquit, *humanae virtutis opera proposita: nos ministrorum locum tenemus, qui vero sanctificat ea et immutat, ipse etc*: et hom. de Eucharistia in Enceniis: *Num vides panem? num vinum ? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit, ne sic cogites: sicut enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiae remanet,nihil superfluit: sic et hic puta mysteria consumi corporis substantia.*

Addam et unum scriptorem, qui nomen sancti Cypriani gerit, sed quamquam non est ille Cyprianus martyr notissimus, est tamen gravis et valde antiquus, etiam adversariis testibus. Cyprianus igitur, sive quicumque est auctor sermonum de operibus cardinalibus Christi, in serm. de coena Domini: *Panis*, inquit, *iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie,sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro*: haec ille, qui dum naturam, idest, substantiam mutari dicit et effigiem, idest, accidentia non mutari,eamque mutationem fieri omnipotentia verbi, non voluntaria significatione, veram ac realem transubstantiationem apertissime docet. Omitto caeteros auctores, quos qui videre cupit, tum in nostris libris de controversiis, tum in aliis aliorum doctissimis scriptis inveniret.

Quarto loco rex ponit inter novitia et nupera dogmata (1), Adorationem sacramenti Eucharistiae, idest, adorationem Christi Domini nostri in sacramento Eucharistiae miro, sed vero modo praesentis: quamquam si rex crederet, quod catholici credunt, Christum Deum, ac dominum in Eucharistia vere esse praesentem; non negaret opinor esse adorandum. Ac ut breviter ostendamus, hanc adorationem non fuisse ignotam Ecclesiae veteri, audi verba s. Ambrosii lib. 3. de Spiritu sancto cap.12. tractantis illud psal. 98. Adorate scabellum pedum ejus: *Per scabellum*, inquit, *terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adoraverunt.*

Audi sanctum Gregorium nazianzenum in oratione de obitu sanctae Gorgoniae sororis suae, ubi laudans pietatem Gorgoniae ita scribit: *Ad altare procubuit, eumque qui supra illud colitur, magno cum clamore obtestans etc.* quid autem super altare colatur, docet sanctus Optatus milevitanus, qui lib. 6.contra Parmenianum, vocat altare sedem corporis et sanguinis Christi ; ubi certo tempore membra Christi superponuntur.

Audi s.Joannem chrysostomum hom. 61. ad populum Antiochenum: *Si pura*, inquit, *sunt vestimenta, adora et communica.*

Audi sanctum Augustinum tract. in psalm. 98. *Nemo*, inquit,*illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

Quod rex addit de sacramenti circumgestatione in publicis supplicationibus (2); institutum fuit ab Urbano IV. pontifice ante annos plus trecentos, ut non possit dici res novitia ac nupera, et cum hoc ad ritus, non ad dogmata pertineat; mirum videri non debet, si primis quadringentis annis haec res in usu non fuerit. Quia tamen haec institutio in ipso suo exordio viris doctissimis et sanctissimis mirifice probata est; et non diu postea in concilio viennensi generali confirmata, et per omnem Christi Ecclesiam propagata; de ea recte dici potest quod monet sanctus Augustinus in epist. 118. ad Januarium, cum aliquid per orbem tota frequentat Ecclesia; quin hoc ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est.

Quinto loco placuit regi inter novitia et nupera numerare opera supererogationis, quibus dicit thesauri ecclesiastici nomen jure optimo esse accommodatum. Sed mirum est, unde rex opera supererogationis novitia et nupera esse dicat (3), cum fuerint semper in Ecclesia,non solum Testamenti novi, sed etiam veteris. Illa enim dicuntur a nobis opera supererogationis, quae non sunt imperata a Deo,et tamen illi gratissima sunt. Vota omnia quae leguntur in scripturis testamenti veteris, Levit. 27. Num. 6. et 30. Deuter. 12. et 13. erant de rebus nusquam praeceptis et tamen gratissima erant Deo, ut ex eo colligitur, quod severissime eorum solutio exigebatur. Deuter. 23. *Si votum voveris, non tardabis reddere , quia requiret illud Dominus ; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri absque peccato eris.* Ut perspicue Scriptura dicit, votum libere fieri, ac per hoc esse opus supererogationis, et tamen postquam factum est, severe a Deo exigi, ut rem sibi gratam.

Sed adjiciamus testimonia veterum scriptorum, qui primis quingentis annis vixerunt. Origenes in comm. ad cap. 15. ad Rom. *Ea quae supra debitum facimus, non facimus ex praecepto: verbi caussa, virginitas, non ex debito solvitur, non enim per praeceptum expetitur, sed supra debitum offertur.* Sanctus Joannes chrysostomus hom. 8. de poenitentia, *Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia.multi et ipsa superant mandata.* Sanctus Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 30, loquens de praeceptis et consiliis: *In illis*, inquit, *Dominus debitum imperat vobis: in his autem si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis:* idem sanctus Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: *Ambicrunt Virgines illam majorem pulchritudinem cordis sui, tamquam dicerent, quid jubes? ne adulterae simus? hoc praecipis? amando te plus facimus, quam praecipis*: haec ille, qui satis aperte declaravit, quid sit quod antea dixerat, si quid amplius supererogaveritis:id enim est supererogare, plus facere, quam Deus praecipiat. Multa alia testimonia possem addere, sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.

Sexto loco ponit inter (4) novitia et nupera,ba-

(1) *Mos adorandi sacramentum Eucharistiae, Ecclesiae veteri non fuit incognitus.*

(2) *Circumgestatio Eucharistiae ad pietatem excitandam rite instituta est.*

(3) *Opera superogationis Scripturis sanctis fundamentum habent.*

(4) *Vetus calumnia de Baptismo campanarum.*

ptizationem campanarum, et mille praeterea nugas: sed piget ad ista respondere, cum nemo nesciat, campanas in Ecclesia catholica benedici, non baptizari, ut pleraque alia benedicuntur, et ut Apostolus de cibis loquitur 1. Timoth. 4. per verbum Dei, et orationem sanctificantur. Quod si vulgo aliquibus in locis campanae benedictio Baptismus dicitur; id ex eo sit, quod nomina campanis, dum benedicuntur, alicubi imponantur. Certe nusquam adversarii reperient, ia campanarum benedictione dici, Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, sine quibus verbis Baptismus proprie dictus constare non potest. Illae autem mille nugae, mille Novatorum calumniae sunt; qualis est ista de Baptismo campanarum, quam saepe apud Novatores, non sine admiratione impudentiae ipsorum legi.

Septimo loco rex numerat inter novitia et nupera, reliquiarum, atque imaginum adorationem; quam intolerabilem idololatriam esse dicit. Et quidem de antiquitate venerationis reliquiarum multa diximus in primo capite hujus nostrae apologiae (1): de antiquitate venerationis imaginum sacrarum, nunc pauca dicamus. Julianus imperator apostata locupletissimum testimonium nobis praebebit: sic enim scribit, referente sancto Cyrillo lib. 6. in eumdem Julianum: *O miseri homines, cum serventur arma, quae magnus demisit Juppiter, hoc est, pater Martis, pignore dato, non verbo, sed re, quod civitatem nostram perpetuo protecturus sit, cessatis adorare et colere? et interim crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte, et ante domos pingentes*: haec ille, qui certe non objiceret christianis, quod lignum crucis, quod nihil est aliud, nisi imago Crucifixi, adorarent ejusque figuram ad protectionem in fronte, et ante domos pingerent, nisi hoc ipse passim fieri vidisset, quo tempore christianus erat. Huic testimonio consonat Tertullianus, qui in apologetico adversus gentes cap. 16. Christianos a paganis religiosos crucis appellatos fuisse testatur.

Sed sanctus Patres audiamus. Sanctus Ambrosius in orat. de obitu Theodosii: *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quae crucem Christi in capite regum levavit et locavit, ut crux Christi in regibus adoretur*. Sanctus Hieronymus in epist. ad Eustochium de obitu Paulae: *Prostrata*, inquit, *ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat*. Sanctus Joannes chrysostomus in liturgia: *Sacerdos*, inquit, *ad imaginem Christi caput inclinat*. Sanctus Basilius, referente Hadriano pontifice in epist. ad imperatores, quae lecta est in septima synodo act. 2. *Historias*, inquit, *imaginum illorum honoro et palam adoro: hoc enim nobis a sanctis apostolis traditum*. Extat carmen Lactantii Firmiani de cruce, ubi inter caetera ait: *Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora*, Cui concinit Sedulius lib. 5. carminis paschalis dicens, *Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam*. Sanctus Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. loquens de signis sanctis, qualia sunt sacramenta, imagines, et similia; et in specie nominat serpentem aeneum, qui imago Christi crucifixi erat: *Sed*, inquit, *quia haec hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tamquam mira non possunt*.

Sed his omissis, quoniam rex dignatus est aliqua objicere adversus reliquiarum et imaginum cultum, quod adversus missas privatas transubstantiationem et caetera non fecit: ad ea quae objicit breviter respondeamus.

Primum de reliquiis dicit (2): *Quod ad reliquias sanctorum, si quas ejusmodi haberem, quas constaret sanctorum corporum partes esse, eas ego honorificis tumulis solemniter inferrem: nec committerem, ut supremis defunctae funeribus ad ejus infamiae imaginem servarentur, quam perditis hominibus, publicoque judicio damnatis constituimus in poenam ultra mortem duraturam*.

(3) Respondeo: Multum interesse inter infamiam membrorum, quae sub die exponuntur injuriis coeli, et morsibus avium divexandae: et honorem sanctarum reliquiarum, quae pretiosis linteis obvolutae et argenteis thecis inclusae, in sanctis basilicis asservantur.

Pergit rex (4): *Sed cum reliquiarum, tum imaginum adorationem pro intolerabili idololatria habeo, atque abominor; Iconomachus sane non sum. Non arguo si quis, aut fingere statuas, aut imagines pingere, sive ad publicum splendorem, sive ad privatorum hominum domesticos usus volet. Sed quod illas adorari, quod illis supplicari, quod aliquam sanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum, Scripturis vero in contrarium apertissime, atque ex diametro pugnantibus ita est oppositum: ut mirari non desinam, quod hominum ingenium, quae Satanae fraus hoc tam audax commentum Ecclesiae christianae obtrudere attentarit*.

(5) Respondeo: Idololatria est colere creaturam pro creatore et imagini falsi, atque fictitii Dei (id enim est idolum) eum honorem habere, qui soli debetur Deo. Reliquias vero et imagines sanctorum nemo unquam sensit, aut dixit esse imagines fictitiorum deorum: neque sensit aut dixit habendas esse pro creatore, aut eo cultu adorandas, quo adorari debet Deus. Videat ergo rex qua ratione habeat pro intoleranda idololatria reliquiarum et imaginum sanctorum venerationem, cum neque reliquiae, neque imagines sint idola, neque earum veneratio sit latria.

Porro Iconomachi dicti sunt, non quia statuas atque imagines quascumque, et ex quocumque loco deturbabant; sed qui ex templis, imagines aut statuas Christi et sanctorum sustulerunt, aut confregerunt (6); quod a Calvinianis passim factum esse,

(1) *Imaginum sacrarum veneratio antiquissima est.*
(2) *Prima objectio adversus cultum reliquiarum et imaginum.*
(3) *Solutio.*
(4) *Altera objectio.*
(5) *Solutio.*
(6) *Calviniani verissimi Iconomachi.*

notissimum est: neque rex patitur, ut opinor, in templis Angliae cruces, aut imagines palam extare. Catholici vero, qui Iconomachos pro haereticis habent, imagines quidem adorant, sed ea adoratione, de qua scriptum est, *Adorate scabellum pedum ejus*, psalm. 98. ubi per scabellum pedum Domini, arca lignea intelligitur: non ea de qua legimus, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* Matth. 4. Imaginibus non supplicant, quippe qui sciunt eas sensum audiendi non habere, sed ante imagines prostrati supplicant sanctis in coelo cum Christo regnantibus, quorum illae sunt imagines; sanctitatem aliquam imaginibus sanctorum tribuunt, sed relativam, idest, quam habent ex eo, quod sanctos ipsos repraesentant; de quali sanctitate scriptum est, Exodi 3. *Locus, in quo stas, terra sancta est*, et Josue 5. *Locus in quo stas sanctus est*, et psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Ex quo intelligimus falsum esse quod rex dicit, haec omnia antiquis esse inaudita, et Scripturis e diametro contraria, quin potius antiquis (ut paulo ante ostendimus) notissima erant, et Scripturis maxime cohaerentia: ut non Satanae fraus haec Ecclesiae obtruserit, sed pietas veterum conservarit, et impietas Novatorum everterit, ut omnia monimenta salutis oblivioni apud christianum populum traderentur.

Pergit Rex (1): *Quae tamen omnia excusantur argutis hoc genus effugiis et sophisticis distinctiunculis. Idolum scilicet nihil esse; se autem rerum, quae sunt et veri Dei imagines venerari. At Scriptura omnis rei a Deo conditae similitudinem coli vetat, non igitur nihil fuit, cui Deus cultum deferri interdixit. Sed nec serpens aeneus, nec corpus Moysis nihil erant: ille tamen contritus est, hoc absconditum; nae idololatriae materiam caussamque praeberet.*

Respondeo (2): Idolum nihil esse sententia apostoli Pauli est 1. Corinth. 10. quae sententia non significat, idolum nihil omnino esse, cum sit res corporalis et sensibus exposita; sed (3) nihil esse ratione repraesentationis, quia Deum fictitium et vanum, sive imaginarium, non realem ac verum repraesentat. Inde recte nos colligimus, imagines Christi non esse idola, quia verum Deum humanatum repraesentant, imagines sanctorum non esse idola, quia veros Dei amicos et servos repraesentant, quomodo etiam imagines regum et imperatorum idola non sunt, quia veros homines repraesentant: quo sensu imago Jovis, si solum hominem illum repraesentaret, qui sepulchrum habet in insula Creta, idolum non esset; sed cum existimatur repraesentare Jovem in coelo sedentem et tonantem, idolum est et nihil est, quia Juppiter neque in coelo est, sed in gehenna; neque fulminat aut tonat, sed flagella et supplicia sustinet.

Porro Scriptura non vetat coli similitudinem omnis rei creatae, absolute; sed omnis rei creatae, quae pro Deo accipiatur, nam Exodi 20. ubi prohibentur coli similitudines omnium rerum, quae sunt in coelo, vel in terra, vel in aquis; prius prohibentur fieri et postea prohibentur coli: *Non facies*, inquit, *tibi sculptile, neque omnem similitudinem etc.* et postea: *Non adorabis ea, neque coles*: at fieri absolute non est prohibitum, nisi fiant ut habeantur pro diis: nam ipse Dominus jussit fieri ad ornatum propitiatorii similitudines cherubim. Exodi 25. Et alias jussit fieri similitudinem serpentis. Num 21. Et rursum Salomon fecit in templo similitudines bovum, leonum et aliarum multarum rerum. Item declaravit Deus praeceptum, non facies tibi sculptile et omnem similitudinem, cum ait Exodi 20. *Non facietis mecum deos aureos et argentos*, idest, non facietis sculptile vel similitudinem, quae sit vobis pro Deo, ita ut non sim ego vobis solus Deus, sed sint alii mecum. Et Rex ipse fatetur licitum esse fingere statuas et pingere imagines. Quemadmodum igitur prohibitio imaginum faciendarum non est absoluta, sed restringitur ad imagines, quae habentur pro diis; sic etiam prohibitio imaginum colendarum non est absoluta, sed restringitur ad imagines, quae coluntur ut dii. Nam alioqui solebant Judaei venerari prostrati ad terram imagines cherubim, et alia quae erant in propitiatorio. Sic enim loquitur sanctus Hieronymus in epist. ad Marcellam, qua exhortatur, ut commigret Bethlehem: *Venerabantur*, inquit, *quondam Judaei Sancta sanctorum, quia ibi erant cherubim et arca, etc.*

Quod autem dixi venerationem, istam fuisse cum prostratione ad terram, colligitur ex voce hebraica in illis locis Psalm. 5. *Adorabo ad templum sanctum tuum* et Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*: vox enim hebraica השתחוו sonat, incurvate vos, sive prosternite vos ad templum, et ad scabellum pedum ejus.

Jam vero serpens aeneus et corpus Moysis, quamdiu non habebantur pro diis, idola non erant, ac per hoc non nihil, sed aliquid erant. Sed cum coepissent filii Israël sacrificare serpenti aeneo, coeperunt illum habere pro deo et tunc idolum evasit et nihil; quia Deum fictitium repraesentabat; et ideo zelus sancti regis Ezechiae illum confregit 4. Reg. 18. Corpus Moysis absconditum fuit, ne in Idolum verteretur apud eos, qui ad idololatriam propensissimi erant, proinde non fuit unquam idolum, ideo semper aliquid fuit.

Pergit Rex et multum laborat, ut probet (4), prohibitum esse imaginem Dei non solum coli, sed etiam fingi. Sed labore opus non est (5). Si enim agatur de imagine, quae Deum ipsum, ut est in se, repraesentet, ejusmodi imago nulla ratione fieri potest: et hoc probant argumenta Regis, cui nemo in hac parte contradicit, at si agatur de imagine, quae repraesentet Deum incarnatum, non ratione deitatis, sed ratione carnis: vel repraesentet Deum, non ut est in sua natura et essentia, sed ut apparuit in specie hominis senis apud Danielem cap. 7. vel in specie sedentis in solio sublimi et elevato apud Isaiam cap. 6. vel in specie columbae Marci

(1) *Tertia objectio.*
(2) *Solutio.*
(3) *Quo sensu dicatur ab Apostolo Idolum nihil esse.*
(4) *Quarta objectio.*
(5) *Solutio.*

1. et Joann. 1. vel quomodo pinguntur virtutes ad significandas earum proprietates,quae dici possunt imagines metaphoricae, non propriae : his modis imaginem Dei nihil prohibet pingi, neque regis argumenta adversus ejusmodi imagines ullas vires habent.

Transit postea ad crucem Domini veram, ac negat ratione contactus sacratissimi corporis ullam ei venerationem deberi; et adfert argumenta quaedam Joannis Wiclefi, quod si crux ob contractum veneranda est, veneranda etiam fuisse labia Judae quae Christum osculata sunt; et manus illius ministri, qui Christum alapis caecidit; et alterius, qui eum cruci affixit, quae argumenta haeretici Angli jam olim refutavit Thomas Valdensis, insignis catholicus Anglus.

Sed ut Rex videat (1), quantum absit a pietate sanctorum Patrum,qui primis quingentis annis floruerunt,legat sanctum Cyrillum Hierosolymae episcopum catechesi 10. et 13. et videbit, ex ligno sanctissimae crucis a sancta Helena invento, mundum pene totum continuo fuisse repletum,certatim ambientibus omnibus ejus particulas, legat sanctum Paulinum epistol. 12. ad Severum ubi dicit, se ad illum mittere particulam verae crucis auro inclusam, ut summum et pretiosissimum donum: legat eumdem Natali 10. sancti Felicis et videbit incendium maximum particula sanctae crucis ostensa subito fuisse restinctum. Legat sanctum Joannem chrysostomum in homil. quod Christus sit Deus: et cognoscet ardorem fidelium in perquirendis particulis sanctae crucis, atque auro includendis. Legat sanctum Augustinum lib. 22. de Civit. Dei,cap. 8. ubi scribit, ad terram sanctam ex monte Calvariae allatam in Africam, miracula fieri solita, et se cum alio episcopo eam infodisse et orationis locum super eam constituisse. Quo quaeso honore sanctus Augustinus prosequebatur crucem Domini, qui sic honoravit terram, quae crucem ipsam attigerat?

Et quoniam Rex adjungit (2), etiam per umbram sancti Petri facta esse miracula, et tamen sanctum Petrum non fuisse passurum, ut sua umbra, immo nec sua persona adoraretur (3), audiat quid idem sanctus Augustinus dicat de umbra et de vinculis sancti Petri. Sic enim loquitur in serm. 5. de ss. apostolis Petro et Paulo: *Merito per omnes Christi ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud poenalium vinculorum: si enim tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Si inanis quaedam species vacuae imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? Quamvis autem sanctus Petrus ex virtute humilitatis non fuisset passurus,dum in terris viveret, ut sua persona, ne dum umbra sua adoraretur; tamen ob hanc ipsam humilitatem dignissimus est, qui non solum adoretur adoratione illa, quae sanctis convenit, non ea quae soli Deo propria est; sed ut ejus vincula, auro pretiosiora aestimentur, religioseque in Ecclesia universa colantur.*

Post crucem Domini spretam,transit Rex ad purgatorium irridendum. *Jam*, inquit, *purgatorium, jam illa frivola, quae id commentum consequuntur indigna existimo, in quibus opera ac tempus impendatur. Sane Bellarminus, nullum ei ex Scripturis fundamentum astruere potuit. Hoc eum tantummodo percontari velim, an viridis ille amoenusque campus,qui in purgatorio florentibus spatiis extenditur,interfluente rivo distinctus sit, ut si forte in eam regionem pervenero, aucupio tempus ac otium fallam.*

Ego vero nisi ista contemnere decrevissem: responderem quod respondendum esse existimarem. Sed jam hoc solum non tacebo, quod praeterire veritas ipsa prohibet. Falsum est in primis a Bellarmino, nullum fundamentum purgatorio ex Scripturis astrui potuisse. Siquidem lib.1. de purgatorio Bellarminus (4), viginti Scripturae sacrae testimoniis purgatorium astruxit. Addidit etiam testimonia Patrum antiquissimorum, tum latinorum, tum graecorum. Et eodem lib. 1. cap. 15. adversus Petrum martyrem, qui scripserat purgatorium non pertinere ad dogmata fidei, demonstravit Bellarminus, purgatorium ad fidei dogmata ita perspicue pertinere, ut quodlibet aliud certissimum dogma fidei, ut nullo colore a manifesta haeresi excusari possit, qui purgatorium negat.

Deinde quia Rex frivola vocat, quae purgatorium consequuntur, et in eis numerat satisfactiones pro defunctis; legat apud eumdem Bellarminum lib. 1. de purgatorio cap.10.perspicua testimonia omnium Patrum graecorum et latinorum, et cogitet, an frivola dici debeant, quae unanimi consensu Patres antiquissimi docent, ab eo, qui in hac ipsa praefatione testatus est, se non ausurum reprehendere quae Patres unanimi consensu docent.Deinde quod attinet ad viridem amoenumque campum purgatorii, sciat haec a Bellarmino lib. 2. c. 7. quem locum rex citat ad marginem, relata esse ex venerabili Beda, nobilissimo Anglico doctore, atque ab illo petendum esse, an interfluente rivo distinctus sit. Quamquam supervacanea cogitatio est,quemadmodum se habeat purgatorium, apud eos, qui purgatorium negant, cum satis constet, eos non purgatorium, sed gehennam manere.

Ultimo loco Rex ponit primatum s. Petri inter ea, quae sibi admittenda non esse judicat; atque hunc praecipuum articulum esse dicit, in quo a nobis dissentiat. Sic enim loquitur pag. 48. *Sed in hac omni ratione nondum romanae religionis arcem attigimus, idest, caput Ecclesiae, Petrique primatum, nam qui hunc articulum negant, ex Bellarmini sententia catholicam fidem negant. Episcopos esse in Ecclesia debere, tamquam institutionem apostolicam, ac ordinationem proinde divinam contra Puritanos, contraque Bellarminum semper sensi, qui negat epi-*

(1) *Pietas veterum catholicorum in colendis particulis crucis Dominicae.*
(2) *Quinta objectio.*
(3) *Solutio.*
(4) *Purgatorium in divinis literis fundamentum habet.*

scopos a Deo immediate suam jurisdictionem accepisse; sed nihil mirum a Puritanis eum stare, cum Jesuitae nihil aliud, quam Puritanopapistae sint. Et quo studio in episcoporum et ecclesiasticae hierarchiae (politici dumtaxat ordinis caussa) defensionem semper incubui, eodem inconfusam illam anarchiam, et paritatem Puritanorum invectus sum, ut vel ex Basilico meo Doro satis constat.

Ita est omnino; qui negant (1) caput Ecclesiae s. Petrum fuisse, eumdemque primatum in apostolos habuisse, atque in eodem primatu romanos pontifices s. Petro succedere, ii fidem catholicam negant. Id multis libris non Bellarminus solus probatum reliquit, sed plurimi alii doctores catholici, atque inter alios Nicolaus Sanderus anglus, in libris de visibili monarchia Ecclesiae, quos hactenus a nullo scriptore refutatos vidimus.

Episcopos esse in Ecclesia debere, idque divina ordinatione; nos etiam scimus et docemus. Sed alia quaestio est, Utrum episcopi necessario esse debeant in Ecclesia, alia vero, Utrum immediate jurisdictionem a Deo accipiant, an a Petri successore. Nam presbyteri quoque et diaconi necessario et divina ordinatione debent esse in Ecclesia: et tamen jurisdictionem non a Deo immediate, sed ab episcopis accipiunt. Itaque duo ista non pugnant inter se, episcopi divina ordinatione sunt in Ecclesia, et jurisdictionem immediate a pontifice summo accipiunt, neque ista quaestio apud nos ad fidem pertinet, sed inter doctores libere disputatur.

Quod vero Rex (2) Puritanos cum Jesuitis comparet, omnino mirabile est, cum Puritani anarchiam Jesuitae monarchiam ecclesiasticam pro viribus defendant. Neque minus admirabile est, quod rex hoc loco fateatur a Puritanis anarchiam, et paritatem quamdam introduci: et tamen in hoc ipso volumine, ubi quartum mendacium Torti refellit, dicat, Puritanos non abhorrere a juramento primatus, sed quotidie suscipere, nec unquam recusasse. At si Puritani non abhorrent a juramento primatus, quam anarchiam et paritatem introducunt? Denique mirum quoque est, quod rex tam iniquo animo ferat, quod Bellarminus scripserit, regem Jacobum in Scotia fuisse Puritanum, ut etiam hoc mendacium cardinalitium vocet pag. 49. cum tamen extet confessio Scotica a Puritanis ministris conscripta, et a rege subscripta Edemburgi die 28. januarii anno Domini 1581. et regni ejus 14. quam confessionem scripto libro refutavit episcopus Vasionensis, natione Scotus, et librum suum edidit Avenioni anno 1601. ut nunc omittam conjecturas alias, quas supra retuli. Nam de ista re sollicitus non sum, neque ad me pertinet: scripsi tamen bona fide, quod a testibus fide dignis audivi, et quod in libris aliorum legi.

Pergit Rex pag. 50. atque admittere se dicit ordinem inter ipsos episcopos et romanum episcopum primum esse omnium episcoporum, et addi pag. 51. non esse ullum terrestrem hominem Ecclesiae universae monarcham; cum sit Christus Ecclesiae suae monarcha, Christique vices expleat, quem venturum promiserat, Spiritus sanctus.

Hic vero Rex eadem luce veritatis negavit, pontificem romanum Ecclesiae universae esse monarcham, qua (3) Spiritum sanctum affirmavit, Christi vices gerere, idest, Christi vicarium esse. Nam cum ordinario inferior sit, qui alterius vices gerit, eo cujus vices gerit (nam et proreges regibus, et vicarii episcoporum episcopis sunt inferiores) certe si Spiritus sanctus Christi vices gerit in Ecclesia regenda, Christo inferior erit, atque ad nutum Christi officium vel sumet, vel deponet. Et quid hoc est aliud, nisi ut pontificem privet vicariatu Christi, Spiritum sanctum vera divinitate privare? atque ut summus pontifex ad celsitudinem sibi debitam non assurgat, Spiritum quoque sanctum a celsitudine sua dejicere?

At, inquit Rex, Spiritum sanctum Christus promisit Joan. 14. non Petrum, qui apostolos dirigeret ac doceret. Immo vero promisit Spiritum sanctum, ut invisibilem ac internum doctorem, et consolatorem; sanctum Petrum, ut visibilem rectorem, atque pastorem, in terris loco suo reliquit. Quod enim Spiritum sanctum non promiserit vice sua doctorem aut rectorem futurum, ex eodem loco aperte monstratur, nam cum dixisset Dominus Joann. 14. *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis:* paulo post subjungit: *Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos.* Et paulo post: *Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Sed audiamus sanctum Augustinum haec verba explicantem et regis sententiam refellentem tractat. 75. in Joannem; sic loquitur sanctus Augustinus: *Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret, quod ita eum Dominus daturus fuerit velut pro se ipso, ut non et ipse cum eis esset futurus, adjecit atque ait: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Itaque Spiritus sanctus promissus a filio docet omnem veritatem, sed non sine Patre et Filio, quorum indivisa sunt opera, quemadmodum est eorum una substantia: sed ut Ecclesiae corpus visibile, caput vicarium haberet visibile, dixit Dominus coram omnibus Petro: *Simon Joannis diligis me plus his?* ac postea, *Pasce agnos meos.* Quod ipsum tertio repetivit, primo commendans illi agnos, deinde oviculas, tertio oves: sic enim legit, et exponit sanctus Ambrosius in caput ultimum Lucae, ut nullus omnino exciperetur, sive incipiens, sive proficiens, sive perfectus, vel sive laicus, sive presbyter, sive episcopus, qui Petro pastori non subjiceretur.

At, inquit Rex, (4) verba ista Christi: *Tibi dabo claves*, Matth. 16. et *Pasce oves meas* Joan. 21. ad omnes apostolos pertinent, alioqui quomodo po-

(1) *Primatus s. Petri, ejusque successoris rom. pontificis, ad fidem catholicam pertinet.*

(2) *Inepta comparatio Jesuitarum cum Puritanis secum ipsa pugnat.*

(3) *Protestantes Angli Spiritum sanctum Christi vicarium, ac per hoc inferiorem Christo faciunt.*

(4) *Objectio prima contra primatum s. Petri.*

tuisset Paulus Corinthiorum Ecclesiae auctor esse incestum illum excommunicandi cum spiritu suo? dicendum sane fuerat cum spiritu Petri (1). Nego verba illa ad omnes apostolos pertinere; cum proprie dicta sint uni Petro, qui per ea constitutus est verus atque ordinarius rector et pastor apostolorum, atque Ecclesiae totius (2): atque hoc adversarii admittere deberent, qui in omnibus controversiis expressum verbum requirunt: quid enim potuit expressius dici, quam illud, beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves, etc. et illud, Simon Joannis diligis me plus his? pasce oves meas. Haec enim dicuntur uni Petro filio Jona, ut distinguitur ab aliis apostolis, qui praesentes erant: sed haeretici non hoc loco solum, sed ubicumque expressum verbum eorum errori non favet, ad figuras troposque confugiunt.

Non tamen negamus quin apostoli caeteri plenam habuerint potestatem in ecclesias, sed longe aliter, quam habuerit s. Petrus: hic enim habuit ordinariam, quam transmitteret ad successores; illi extraordinariam, quae cum ipsis finiretur; hic et super apostolos potestatem habuit; illi super apostolos nullam habuerunt. Sed de his multa diximus in Controversiis, quae repetenda non sunt. Apostolus vero Paulus etiamsi Apostolus non fuisset, sed simplex episcopus, facile poterat incestum Corinthium per Ecclesiam Corinthiorum, spiritu suo praesente excommunicare.

At inquit Rex: (3) *In concilio quod Hierosolymis actum est, diserte scribitur, Visum est apostolis et presbyteris, totique Ecclesiae mittere lectos viros, sed mirum de Ecclesiae capite silentium. Sic et in eorum litteris, apostolorum, seniorum et fratrum fit mentio, de Petro nec verbum.*

(4) Respondeo in eo concilio primum omnium loqui coepisse Petrum, atque in ejus sententiam ivisse Jacobum, et alios, quod satis est, ut Petrus praeses concilii agnosceretur. Vide s. Hieronymum in epist. ad Augustinum, quae est 11. inter epist. Augustini, et Theodoretum in epist. ad Leonem papam.

(5) At objicit iterum Rex locum Apostoli. 1. Corinth. 1. Alios dixisse, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Coephae: nam si Coephas, idest, Petrus visibile caput Ecclesiae fuisset, qui non ab eo stabant, a fide catholica recessissent.

(6) Respondeo: Si ex hoc loco colligi posset, Petrum non fuisse caput Ecclesiae; posse etiam colligi, Christum quoque non esse caput Ecclesiae, haec enim est integra sententia ejus loci. Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Coephae, ego autem Christi: non igitur qui dicebant, se esse Pauli, aut Apollo, recedebant a Christo, vel a Petro; sed gloriabantur alii se baptizatos a Paulo, alii ab Apollo, alii a Petro, alii prudentiores, Baptismum suum ad principalem auctorem referebant, idest, Christum: hic est enim qui omnes baptizat per ministerium famulorum suorum, quicumque illi sint; proinde unum est Baptisma, sive Petrus, sive Paulus, sive alius inferioris gradus, aut sanctitatis, aut dignitatis baptizet.

Addit Rex (7) *Sed apertissime constat, Paulum non satis in hac nupera ac novitia doctrina fuisse institutum, qui cum Petro tam parum comiter egit, ut illi se non aequaret modo, sed etiam anteferret.*

(8) Respondeo legisse me caput secundum epistolae ad Galatas, hunc enim solum locum rex citat: sed neque in eo capite, neque usquam alibi me legisse, Paulum se antetulisse Petro; nisi forte praelationem istam colligat Rex ex eo, quod Paulus Petrum reprehendit, quasi non soleant aliquando superiores ab inferioribus reprehendi. Ipse certe Petrus Christum increpare coepit dicens, *Absit Domine, non erit tibi hoc.* Matth. 16. Nec tamen ideo suspicari possumus, Petrum Domino suo antetulisse se. Sed quoniam Rex, nuperam et novitiam doctrinam appellat de primatu s. Petri, cogor adscribere pauca testimonia Patrum antiquissimorum.

(9) Origenes in cap. 6. ad Romanos sic ait: *Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum veluti super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis ab eo nisi charitatis exigitur.* Sanctus Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiae fecit Petrum caput, fontem et radicem totius Ecclesiae. Et in epistol. ad Quintum: *Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam etc.* Ubi non solum dicit Cyprianus, Petrum primum electum, quod rex hoc loco admittit, sed addit, super eum aedificatam esse Ecclesiam, ac per hoc esse fundamentum Ecclesiae: quod autem est fundamentum in aedificio, idem est caput in corpore. Sanctus Basilius in serm. de judicio Dei: *ille*, inquit, *Beatus, qui caeteris praelatus discipuli fuit, cui claves regni coelestis commissae.* Sanctus Hilarius in cap. 16. Matth. *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius Petra, quae inferorum leges dissolveret.* Sanctus Gregorius nazianzenus orat. de moderatione in disputationibus servanda: *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta fidei suae credita habeat, ac reliqui discipuli posthaberi, se tranquillo animo ferant.* Sanctus Maximus serm. 3. de apostolis: *Quanti*, inquit, *meriti apud Dominum suum Petrus erat, ut ei post naviculae parvae remigium, totius Ecclesiae gubernacula traderentur?* San-

(1) *Solutio.*
(2) *Haeretici verbum expressum querunt, inventum rejiciunt.*
(3) *Objectio secunda.*
(4) *Solutio.*
(5) *Objectio tertia.*
(6) *Solutio.*
(7) *Objectio quarta.*
(8) *Solutio.*
(9) *Testimonia Patrum de primatu s. Petri.*

clus Joannes chrysostomus hom. 55. in Matth. *Petrum*, inquit, *Ecclesiae futurae pastorem constituit.* Et paulo post: *Deus concedere solus potest, ut futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus pastor, et caput homo piscator atque ignobilis etc.* Hic aperte legimus, caput Ecclesiae s. Petrum fuisse, ut etiam in sequenti testimonio. Sanctus Hieronymus lib. 1. in Jovinianum : *Inter duodecim*, inquit, *unus eligitur, ut capite constituto schismatis occasio tolleretur.* Ubi si nomine capitis intelligeretur primus ordine, non potestate, non fuisset sublata schismatis occasio. Sanctus Augustinus serm. 142. de tempore qui est primus feriae 4. post dominicam palmarum: *Totius corporis*, inquit, *morbum in ipso capite curat Ecclesiae, et in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem.* Ubi sanctus Augustinus aperte vocat sanctum Petrum, caput corporis Ecclesiae. Atque haec satis sint de primatu sancti Petri. Caetera quae rex addit, ad convicia pertinere, vel repetitiones esse eorum, quae antea non semel dicta fuerant, facile ex se lector intelliget.

CAPUT IX.

Nulla probabilitate ex cap. 2. epist. secundae ad Thessal. colligi posse romanum pontificem esse Antichristum.

Aggredimur postea Rex disputationem de Antichristo, quam fusissime tractat a pag. 53. ad 114.(1) quam disputationem Bellarminus sine ulla regis injuria, intactam relinquere potuisset, nihil fere in hac disputatione rex attingit, quod ipse in lib. 3. de pontifice, qui totus est de Antichristo, non refutaverit.

Deinde multa Rex ex Roberto Abbato, qui nuper de Antichristo scripsit, mutuatus est: ad quae anno superiore respondit Andreas Eudemon Joannes Cydonius jesuita, quam responsionem doctis viris, praesertim in Germania, ubi edita est, valde probari accepimus.

Praeterea non pauca eorum, quae Rex adducit, invenimus apud Thomam Brigmannum in explicatione Apocalypsis ; quam explicationem idem Andreas Eudemon Joannes sibi refellendam desumpsit.

Denique in hac disputatione Rex non certas demonstrationes, sed conjecturas suas, vel sensum suum lectoribus proponit, sic enim initio disputationis praefatur pag. 56. *Sane*, inquit, *quod ad definitionem Antichristi nolo rem tam obscuram et involutam tamquam omnibus christianis ad credendum necessariam urgere, sed quid de toto hoc negotio sentiam, nude et simpliciter explicabo.* Et rursum in extrema disputatione pag. 113. *Id*, inquit, *mihi maxime in votis est, ut si cui hanc meam de Antichristo conjecturam libebit refellere, singulis disputationis meae partibus ordine respondeat.*

Poterat igitur disputationem ab aliis, atque a se antea refutatam et in qua de conjecturis et opinionibus, non de certis fidei dogmatibus agitur facile praeterire: sed voluit tamen breviter singula persequi et sententiis regis sententias veterum Patrum opponere, sperans non eum moleste laturum, si Patrum veterum expositiones ipsius expositionibus anteferantur.

Igitur pag. 56. tractans verba illa Apostoli Pauli 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primum:* accipit ut exploratum, ea verba intelligenda esse de universali discessione a fide: *Discessionem*, inquit, *illam generalem tantum Antichristi temporibus fore in Ecclesia omnes pontificii constanter affirmant.* Et pag. 58. *Ne seducerentur*, inquit, *veritus, diem Domini appropinquare existimantes, ait Paulus, visum esse sibi praemonere eos, universalem a fide discessionem ante venturam.*

Atqui (2) falsum est omnes Pontificios ita sentire : quin potius Pontificii sentiunt cum Patribus, discessionem illam fore a romano imperio. Sic s. Cyrillus catechesi 15. hunc locum exponens ait: *Veniet praedictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora romani imperii.* Sanctus Joannes chrysostomus in commentario hujus loci: *Quando*, inquit, *de medio sublatum fuerit romanum imperium, tunc veniet Antichristus.* Sic Tertullianus in apologetico cap. 32. sic Lactantius lib. 7. cap. 15. Sic s. Ambrosius in hunc locum. Sic s. Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 11. Sic s. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 19.

Neque potest fieri, ut universalis discessio a fide sit futura ante adventum Antichristi, quia tunc Antichristus adveniens, non inveniret quos seduceret: et Christi Ecclesia omnino periisset, quae sunt contra manifesta evangelii testimonia, dicente Domino Matth. 24. *Dabunt prodigia et signa magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* Et Matth. 16. *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Et Matth. 28. *Ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem.* Tantum autem abest, ut verum sit, discessionem a fide generalem futuram esse ante adventum Antichristi, vel Antichristo regnante; ut s. Augustinus dicat lib. 20. de Civ. cap. 11. tempore Antichristi, Ecclesiam Christi toto orbe passuram persecutionem maximam a civitate diaboli; et tamen perseveraturam in fide, nec deserturam militiam suam.

Ex quo intelligere potest Rex; Antichristum nondum venisse, cum ante ejus adventum discessio generalis fieri debeat a romano imperio : quae discessio nondum facta est, cum adhuc maneat romanus imperator, ad quem rex ipse misit monitoriam praefationem suam dicens: Sacratissimo et invictissimo principi ac domino Rudolpho II. rom. imper. semper Augusto.

Deinde pag. 57. tractat Rex illa verba ejusdem loci: *Homo peccati, filius perditionis, extollet se super omne quod dicitur Deus.* Et probare nititur hunc esse romanum pontificem, quia extollitur super principes et praelatos, qui dicuntur dii juxta illud: *Ego dixi dii estis*, psalm. 81.

(1) *Cur disputatio de Antichristo nova responsione non egeat.*

(2) *Non loquitur Paulus de discessione a fide 2. Tess. 2.*

Sed facilis est responsio (1): Antichristus enim non extollet se tantum super eos, qui dicuntur dii per quamdam similitudinem vel participationem; quales sunt principes ecclesiastici vel temporales; sed super omne quod dicitur Deus, idest, super omnem deum, sive per essentiam, sive per participationem; sive falsum, sive verum: quod clarius scripsit Daniel cap. 11. *Deum patrum suorum non reputabit, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget.*

Romanus autem pontifex ex doctrina catholicorum vicarius Dei est, ac per hoc non extollitur super Deum: ex doctrina Protestantium, tot deos colit, quot sunt sancti in coelo, quot sunt imagines in templis, quot sunt reliquiae in sepulchris: ergo neque ex sententia catholicorum, neque haereticorum extollit se super omne quod dicitur Deus: ac per hoc non est homo peccati, non est filius perditionis, non est Antichristus.

Tertio eadem pag. tractat verba illa ejusdem capitis: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* Ac pro templo dicit esse intelligendum sinum et penetralia Ecclesiae. Sedere autem pontificem in Ecclesia tamquam Deum, probare nititur, quia, ut ipse dicit, papa peccata condonat, animas redimit, fidei articulos definit, omnium hominum censor et judex est, ipse a nemine judicandus.

At (2) sedem Antichristi non fore Ecclesiam catholicam, sed templum Salomonis, quod instaurare conabitur; aut certe aliud templum in civitate Hierusalem, notum est in Apoc. 11. Ubi Antichristus segnaturus dicitur in ea urbe, in qua Dominus crucifixus est: quae omnium consensu Hierosolyma est.

Secundo ex Patribus antiquissimis: nam s. Irenaeus lib. 5. sic ait: *Cum Antichristus sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus.* Idem habet s. Hippolytus martyr in oratione de mundi consummatione. Sanctus Cyrillus catechesi 11. Sanctus Hilarius can. 25. Matthaei. Sanctus Martinus apud Sulpitium lib. 2. dialogorum. Sanctus Ambrosius in cap. 21. Lucae. Porro sanctus Joannes chrysostomus et qui eum sequuntur, Theodoretus et Theophylactus, dicunt quidem Antichristum sessurum in ecclesiis christianorum, quas occupabit et prophanabit; sed addunt etiam eum sessurum in templo hierosolymitano. Sic enim Chrysostomus loquitur in comment. ad 2. Tessal. 2. *Jubebit seipsum pro Deo coli et in templo collocari, non hierosolymitano solum, sed etiam in ecclesiis.* Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 11. Et s. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 19. paulo aliter exponunt, sed non negant, Antichristum sessurum in templo hierosolymorum. Unus est Oecumenius, qui hunc locum exponens negat, Antichristum sessurum in Hierusalem: sed videtur locus depravatus, omissione particulae, tantum. Hic enim auctor perpetuo sequi solet Chrysostomum; sed neque tanti faciendus est, cum sit auctor recens, ut s. Joanni chrysostomo, et aliis citatis anteponendus sit.

Adde postremo, quod cum Antichristus sit a Judaeis pro Messia recipiendus, ut Patres communiter docent, sine dubio regiam suam in Hierosolymis constituet. Ex quo sequitur, romanum pontificem nullo colore Antichristum posse dici, qui numquam in Hierosolymis sedit, neque a Judaeis pro Messia habitus est.

(3) Neque vero Deum se esse papa demonstrat, quia peccata condonat, animas redimit, articulos fidei definit, judicat omnes ipse a nemine judicandus: nam peccata condonat, non auctoritate propria, sed ministerio sacramentorum. Animas non proprie redimit, sed peccata eleemosynis redimere docet, juxta illud Danielis 4. Peccata tua eleemosynis redime. Articulos fidei non proprie condit, sed qui sint articuli fidei, juxta Scripturas apostolicasque traditiones declarat. Judicat omnes homines, ipse a nullo homine judicandus, sed judicandus tamen a Deo, et ante tribunal Christi rationem de factis propriis cum caeteris hominibus redditurus; proinde neque Deus est, neque Deum se facit, qui servum servorum Dei se nominat. Omitto quod pag. 58. Rex multum laborat, ut probet, quod nos non negamus, Apostolum loqui de Antichristo venturo post multa tempora.

Quarto pag. 59. tractans illa verba ejusdem capitis: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui,* scribit Rex, per haec verba significari, Verbi Dei praedicatione potentiam Antichristi paulatim minui: quae est antiqua Lutheri interpretatio a catholicis millies refutata. Sed mirum est, quam varie ludant adversarii in Verbo Domini: nunc enim dicunt Verbo Domini Antichristum interficiendum; nunc vero contra Verbum Domini ab Antichristo interficiendum dicunt: nam Robertus Abbatus, et rex ipse pag. 81. aperte scribit, duos prophetas ab Antichristo interficiendos, ut scribitur Apocalyp. 11. esse duo Testamenta, idest, Verbum Dei scriptum in libris Testamenti veteris et Testamenti novi. Deinde valde hebetem gladium Verbi Dei esse oportet, vel certe valde debilem spiritum oris Christi, si Antichristum supra mille annos regnantem, ex opinione Adversariorum, adhuc Dominus Jesus isto suo gladio, vel Spiritu conficere non potuit.

At, inquiunt, Dominus Jesus per praedicantes suos, potentiam Antichristi debilitavit, sed Scriptura non dicit, debilitabit, sed interficiet. Satius igitur est audire sanctos ac veteres Patres (4), qui per Spiritum oris Christi, non intelligunt praedicationem verbi Dei, quae ad salutem, non ad perditionem adhiberi solet; sed potestatem atque imperium Christi, qui vel solo nutu Antichristum interficiet. Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 11. *Quem Dominus Jesus,* inquit, *interficiet Spiritu oris sui, divina videlicet potestate, et suae majestatis imperio, cujus jussisse fecisse est.* Sanctus Joannes chry-

(1) *Quo sensu Antichristus extollet se super omnem Deum.*

(2) *Quae sit futurae sedes Antichristi.*

(3) *Solvuntur objectiuncula haereticorum.*

(4) *Quo sensu Dominus Jesus interficiet Antichristum spiritu oris sui.*

sostomus hom. 4. in 2. ad Thess. *Quemadmodum ignis irruens passim minuta animalcula, etiam antequam plane adveniat, procul adhuc situs terrefacit, et consumit: ita et Christus, sufficiet solum jubere, atque adesse illum, atque ista omnia peribunt.* Haec ille.

Quinto eadem pag. tractans illa verba ejusdem capitis: *Cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute* (1), *et signis, et prodigiis mendacibus*; conatur ostendere, Ecclesiam nostram esse Antichristianam, quia jactet innumerabilia miracula, quae tamen sint contraria suae ipsius doctrinae, et ponit exemplum miraculi, cujus meminit Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 8. quod oblitum jumentum pabuli sacramentum curvatis genibus adoravit: *Et tamen*, inquit rex, *certe erubescet dicere Bellarminus, institutum esse sanctissimum sacramentum, quod adorent oves et boves et pecora campi.*

At miracula, quae fiunt in Ecclesia catholica, non esse prodigia mendacia, pro comperto habemus, ex eo quod ejusdem sunt generis cum iis, quae faciebant prophetae et apostoli, et ipse Christus Dominus. Neque miracula Ecclesiae adversantur ullo modo nostrae doctrinae, sed eam mirifice confirmant: quamvis enim non sit institutum sanctissimum sacramentum, ut ab animantibus rationis expertibus adoretur: tamen cum id fit, Deo cui nihil impossibile est, praeter naturae ordinem, membra animantium illorum movente, ut sacramentum adorare videantur, sine dubio praesentiam Domini in sacramento adesse, adoratio illa demonstrat.

Ejusmodi miraculum factum precibus s. Antonii, etiam si a Rege nunc rideatur, efficit tamen coram ingenti multitudine, ut fides catholica de sacramentaria haeresi triumpharet. Idem enim Deus fecit (2), ut jumentum famelicum, pabulo sibi ostenso neglecto ad reverentiam sanctissimo sacramento exhibendam accurreret; qui fecit, ut vaccae foetae et indomitae, dimissis vitulis, sine ullo rectore arcam Domini ferrent, nec declinarent ad dexteram, neque ad sinistram 1. Reg. 6. Et qui fecit, ut jumentum rationis expers aliquando loqueretur, et prophetae insipientiam redargueret Num. 22. Et qui ceto mandavit, ut Jonam tribus diebus in ventre suo gereret, ac paulo post incolumen ad littus evomeret. Jon. 2. Et qui corvis praecepit, ut ad Eliam panes et carnes bis in die deferrent. 3. Reg. 17. Et qui leonibus famelicis jussit, ut Danielem inter ipsos cubantem, non attingerent. Dan. 6. Nec tamen arca Domini ad hoc instituta erat, ut a vaccis indomitis deferretur; nec prophetae instituti, ut a jumento admonerentur, vel a corvis pascerentur, vel in ventre ceti, tamquam in carcere detinerentur, vel a famelicis leonibus intacti custodirentur.

CAPUT X.

De sede et duratione Antichristi.

Sexto pag. 60. transit ad Apocalypsim, ac dicit ex cap. 13. et 17. Apocalyp. manifeste colligi, sedem Antichristi fore Romam, nam cap. 13. describitur Antichristus sub figura prodigiosae bestiae, quae habebat capita septem et cornua decem. Deinde cap. 17. explicatur, ubi meretrix magna appellatur, quae sedet super aquas multas, et prodigiosae bestiae insidet: quaeque civitas magna et Babylon nominatur, per Babylonem autem Romam intelligi, ipsi, inquit, Pontificii passim admittunt.

Sed quamvis Rex hic multum laboret, tamen res facillima est. Nam non est idem bestia, quae describitur cap. 11. Apocalyp. et meretrix magna, quae describitur cap. 17. neque usquam Scriptura bestiam cum meretrice confundit. Igitur bestia, Antichristus est, (3) ejusque sedes Hierusalem erit, non Roma. Disertis enim verbis cap. 11. Joannes dicit: urbem illam esse, in qua Dominus eorum crucifixus est, quae urbs spiritualiter dicitur Aegyptus et Sodoma, proprie autem Hierosolyma est; et in hoc conveniunt omnes Patres, ut supra notavi: et praeter illos adest Lactantius lib. 7. cap. 15. et 17. ubi dicit: Regnum Antichristi praecipuum futurum esse in Syria, ubi Judea est. Item s. Hieronymus et Theodoretus in comment. ad cap. 11. Danielis, dicunt Antichristum in regione Hierosolymorum tentoria fixurum, et tandem in monte Oliveti occidendum. Denique s. Irenaeus lib. 5. perspicue docet, Antichristum Hierosolymae regnaturum.

Meretrix autem, quae describitur in cap. 17. et dicitur civitas magna, quae habet imperium super reges terrae et vocatur etiam Babylon tum in eo capite, tum initio capitis 18. ipsa est Roma, sed Roma ethnica, non Roma christiana, ut disertis verbis scribit s. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum: Ad te, inquit, loquor, quae scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti. Atque in eo capite describit s. Joannes excidium romani imperii, propter persecutiones in christianos, sic enim incipit visio c. 17. *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnae, quae sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terrae.* Et infra, vocat civitatem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu. Itaque nisi rex ostendat, bestiam cap. 11. et mulierem cap. 17. eamdem Rex significare, numquam evincet, sedem Antichristi fore Romam, aut qui Romae sedet esse Antichristum.

Quod autem Rex adducit de tempore quadraginta duorum mensium; quod ex sententia nostra est spatium trium annorum cum dimidio, quo regnaturus Antichristus est, ad rem non facit, nam hoc tempus habetur cap. 11. et 13. ubi tempus bestiae, quae Antichristus est, describitur: non autem habetur cap. 17. vel 18. ubi de muliere et Babylone agitur, per quam Roma, sive romanum imperium significatur,

Septimo pag. 63. 64. 65. et 66. disputat Rex de spatio, quo regnabit Antichristus. Et quonium nos ex Daniele cap. 7. et 12. et ex Apocalypsi cap. 11. 12. et 13. et ex communi Patrum sententia docui-

(1) *De signis et prodigiis Antichristi.*

(2) *Miraculum quod ridetur a rege, habet exempla plurima in sacris litteris.*

(3) *Sedes Antichristi non erit Roma, sed Hierusalem.*

mus,(1) Antichristum regnaturum tribus annis cum dimidio, ex quo manifeste sequitur, romanum pontificem sine ulla verisimilitudine a Novatoribus Antichristum vocari, cum regnaverit ex eorum sententia multis saeculis: Rex conatur eludere Scripturae sacrae sententias, quod in eis numerus certus pro incerto accipiendus sit. Sed id solet habere locum, cum unus aliquis numerus, isque perfectus adscribitur, ut cum Apocalyp. 7. describuntur ex omni tribu filiorum Israël duodecim millia signati. Et cum Apoc. 20. dicitur, Drago ligatus per annos mille.

At hoc loco cum tempus Antichristi accuratissime describatur per annos, per menses et per dies; mirum est si cui certus numerus, pro incerto poni videatur. Dicitur enim regnaturus per tempus et per tempora et dimidium temporis, idest, annum, biennium et dimidium anni, quae faciunt tres annos cum dimidio. Item per mensem quadraginta duos, qui eumdem numerum reddunt. Denique per dies mille ducentos sexaginta, qui sunt menses quadraginta duo, sive anni lunares tres cum dimidio.

Sed quod nos maxime movet, ut Scripturas ita intelligamus, est unanimis consensus Patrum, qui ante scripserunt, quam Novatores de hac re nobis litem moverent. Sanctus Iraenaeus lib. 5. *Regnabit*, inquit, *Antichristus annis tribus et mensibus sex, et tunc veniet Dominus de coelis.* Sanctus Hippolytus martyr oratione de consummatione mundi: *Tres*, inquit, *annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram.* Sanctus Cyrillus catechesi 15. *Regnabit*, inquit, *tribus annis et dimidio tantum, quod non ex libris apocryphis dicimus, sed ex Daniele propheta.* Sanctus Hieronymus in comment. ad cap. 7. Danielis: *Tempus*, inquit, *annum significat; tempora, juxta hebraici sermonis proprietatem, qui et ipsi dualem numerum habent, duos annos praefigurant; dimidium autem temporis, sex menses, quibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt.* Sanctus Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 23. *Antichristi*, inquit, *adversus Ecclesiam saevissimum regnum, licet exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei ultimo judicio regnum sancti accipiant sempiternum, qui vel dormitans haec legit, dubitare non sinitur: tempus quippe et tempora et dimidium temporis, annum unum esse et duos et dimidium: ac per hos tres annos et semissem etiam numero dierum posterius posito dilucescit: aliquando in Scripturis et mensium numero declaratur.* Denique idem docent Theodoretus in cap. 7. Dan. et omnes fere expositores Apocalypsis, Primasius, Beda, Anselmus, Haymo, Arethas, Richardus et Rupertus.

At, inquit Rex (2): *Nam quod ad literalem illam interpretationem, quam omnes Pontificii sequuntur, trium annorum et sex mensium, qua volunt illud tempus adamussim incidere in dies omnium novissimos, exceptis quadraginta quinque ante secundum Domini adventum, plane toti novo Testamento repugnat*: repugnare autem probat ex cap. 24. Matth. ubi legimus: *De die illa et hora nemo scit, neque angeli, nisi solus Pater*: et ibidem et alibi saepe Dominus hortatur ad vigilandum, quia dies illa inopinatos et securos homines opprimet. Et in hac ipsa Apocalypsi bis repetitur, diem illam, ut furem in nocte venturam: quae omnia falsa essent, si certo scirent homines, quadraginta quinque diebus post mortem Antichristi, judicem esse venturum.

(3) Respondeo: Si quid haec argumentatio valet, adversus sanctum Hieronymum potissimum valere, ille enim explicans illa verba Danielis cap. 12. *Beatus, qui expectat et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque: Beatus*, inquit sanctus Hieronymus, *qui interfecto Antichristo, dies supra numerum praefinitum quadraginta quinque praestolatur; quibus est Dominus, atque Salvator in sua majestate venturus: quare autem post interfectionem Antichristi quadraginta quinque dierum silentium sit, divinae scientiae est: nisi forte dicamus: dilatio regni sanctorum, patientiae comprobatio est.* Haec sanctus Hieronymus, magnus Pontificius, a quo nos minores Pontificii hanc expositionem didicimus.

Neque ex ea sequitur aliquid contra evangelium. Nos enim vere nescimus diem, atque horam judicii, ut etiam nesciunt angeli de coelo; quoniam cum ignoremus, quando Antichristus venturus sit, necesse etiam est, ut ignoremus judicii diem, qui Antichristi interitum consequetur. Illi autem, qui Antichristi temporibus in vivis invenientur; facile scire poterunt, non longe abesse diem judicii et mundi consummationem, cum Dominus dixerit Matth. 24. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur etc.* et mox: *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus.* Et paulo post: *Cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in januis.* Et concordat Apostolus cum evangelio 2. Thess. 2. cum ait de Antichristo; quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui. Sed neque illi certo scient diem, neque horam; quoniam etiam si dies quadraginta quinque, Daniele teste, expectandi erunt post mortem Antichristi; tamen Scriptura non dicit, diem judicii non esse longius prorogandum. Itaque scient homines illi diem judicii, non esse expectandum ante diem quadragesimum quintum ab Antichristi caede: sed an diutius differendus sit ignorabunt.

Quemadmodum autem in diebus Noë plurimi fuerunt increduli, quamvis Noë et verbo et exemplo, idest, fabricatione arcae praedicaret diluvium futurum; et imparati et oscitantes a diluvio oppressi sunt: sic erit in novissimis diebus, praedicabunt servi Dei, judicii diem non longe abesse, immo etiam instare et imminere: tamen filii hujus saeculi, more solito de iis, quae mundi sunt cogitabunt et quando ipsi minus putabunt, Filius Dei judex adveniet.

(1) *Antichristus tribus annis cum dimidio regnaturus est.*

(2) *Objectio contra durationem trium annorum cum dimidio.*

(3) *Solutio.*

CAPUT XI.

De Henoch et Elia.

Octavo, pag. 67. et sequentibus ad 87. disputat Rex de (1) duobus prophetis, qui cap. 11. Apocalypsis dicuntur pugnaturi cum Antichristo, atque ab eodem tandem occidenti, et post tres dies resurrecturi et in coelum assumendi. Hos duos prophetas nos cum sanctis Patribus dicimus esse Henoch et Eliam, qui ad hunc ipsum finem translati sunt, et adhuc vivunt in carne mortali; ut in novissimis diebus, cum maxima Dei gloria et Ecclesiae utilitate, mortis debitum solvant.

Patres, qui ex divinis litteris hoc docent, hi sunt: Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Origenes et alii omnes interpretes sancti Matthaei ad cap. 17. affirmant Eliam venturum tempore Antichristi. Idem de eodem Elia docent Lactantius lib. 7. cap. 17. Augustinus tract. 4. in Joan.; Theodoretus in cap. ultim. Malachiae; et Primasius in cap. 11. Apocalypsis. De Henoch et Elia simul idem testantur Hippolytus martyr in oratione de consummatione mundi, Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 6. et interpretes Apocalypsis ad cap. 11. Beda, Anselmus, Richardus et Arethas, qui addit invariabiliter a tota Ecclesia credi, Henoch et Eliam venturos, ut Antichristo se opponant.

Rex tamen cum fateatur (2) hanc esse Patrum sententiam, tamen judaicam fabulam non semel appellat; et huic tantae testium nubi conjecturas suas, vel potius suorum doctorum anteponit. Quam enim conjecturam suam vocat, nos in Abbato antea legimus, qui Abbatus non eam primus excogitavit, sed a venerabili Beda desumpsit. Beda vero, etiam si spiritualiter ita exponit; tamen adjungit communem aliorum sententiam, quod duo illi prophetae sint Henoch et Elias, neque illam refellit et non refellendo approbare videtur.

Omitto quae rex multis verbis disputat de cap. 11. et 17. Matth. de adventu Eliae, ubi etiam dicit (3), me mala fide agere cum Christo, impudenter exponere verba Christi, improbissime cavillari super verbis Christi et similia: quae ideo dicit, quia malui verba evangelii exponere cum Patribus Origene, Hilario, Hieronymo, Chrysostomo et aliis veteribus; quam cum Novatoribus Bibliandro et Chitrhaeo. Quantumvis enim Rex irascatur et conviciis me oneret, malo cum illis desipere, quam cum istis sapere. Sed lectorum erit judicium, utri rectius exposuerint loca evangelii, Rex cum Chitraeo et Bibliandro; an ego cum Patribus: libri extant saepius recusi, non est cur tempus consumam in rebus iisdem saepius repetendis.

Illud praeterire non debeo, Regem, qui initio dixerat, se Patres primorum quingentorum annorum venerari; neque se ausurum eos reprehendere, hoc loco, idest, pag. 73. palam eos errasse dicere: *Sed quoniam*, inquit, *in hunc de Patribus antiquis forte sermonem incidimus, sinite, quaeso, hac occasione obiter vos moneam, mirum non esse* (4), *si saepius Patres hic errent et minus recte multa Apocalypsis mysteria intelligant, propterea quod liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit et licet mysterium iniquitatis jam tum ageretur, ille tamen homo peccati nondum erat revelatus: in omnibus enim obscuris prophetiis certissima est regula, numquam eas satis intelligi posse, usque dum compleantur.*

Haec ille, qui veteres Patres non tantum erroneos facit, sed etiam stultos, quod librum obsignatum resignare tentaverint. Deinde, si jam hoc tempore prophetia impleta est, ac per hoc manifesta et dilucida ejus interpretatio; unde tot adhuc de his rebus contentiones et opiniones? cur ipse Rex pag. 56. ingressurus disputationem de Antichristo scripsit, in re tam obscura et involuta, velle simpliciter sententiam suam dicere? et cur in extrema disputatione pag. 113. conjecturam vocat explicationem suam de Antichristo? si prophetia jam impleta est, et liber resignatus; quid opus est conjecturis? cur dicitur obscura et involuta de Antichristo disputatio?

Verum, quod jam sit revelatus homo peccati, ac per hoc prophetia s. Joannis adimpleta, Novatores dicunt, sed non probant, nec probare possunt, cum contra demonstrationes evidentissimae a catholicis adferantur. Itaque ex eo quod in quaestione est, quasi certum et exploratum esset, argumenta petunt ad Patres veteres arguendos erroris. Sed regi ignoscendum est, qui ea quae de reprehensione Patrum scripsit, non ex se protulit in medium, sed ex lib. 1. Roberti Abbati, subditi sui, mutuatus est.

Aliud quoque est in disputatione regis de Henoch et Elia, valde admirandum. Scribit enim pag. 74. corpora Henoch et Eliae, nunc esse in coelo glorificata, et per multa annorum millia exempta fuisse a maledictione mortis. Et pag. 76. disertis verbis scribit, Henoch et Eliam per multa annorum millia coeli fuisse incolas, mortalitatis legibus solutos, incorruptibilia et glorificata corpora habere, atque inde efficit, non posse fieri, ut ab Antichristo interficiantur.

Atqui, hoc dogma, etiam si auctorem habeat Theodorum quemdam Eracleotem et Apollinarium, teste s. Hieronymo in epistol. ad Minerium, et Alexandrum, tamen exploratus error est et contrarius omnibus Patribus (5), qui Henoch et Eliam scribunt nondum esse mortuos, sed esse mortales et morituros in persecutione novissima. Ne tamen nihil omnino adversus hanc haeresim dicamus, pauca de multis adducemus. Joan. 14. Dominus ait (6): *Vado parare vobis locum, et si abiero et paravero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos si-*

(1) *Henoch et Elias sunt duo prophetae, qui pugnabunt cum Antichristo.*

(2) *Sententiam veterum Patrum, rex Angliae judaicam fabulam appellat.*

(3) *Calumniae manifestae.*

(4) *Haec est reverentia erga sanctos ac veteres Patres.*

(5) *Henoch et Elias non sunt mortui, sed morituri tempore suo.*

(6) *Ante Christi ascensionem nullus homo in coelum ascendit.*

tis, quod explicatur ab Apostolo ad Hebraeos 6. cum ait: *Praecursor pro nobis introivit Jesus*. Si non poterant apostoli in coelum intrare, nisi praecursor intraret Jesus et pararet illis locum: quomodo Henoch et Elias tot millibus annorum ante Christi ascensionem, introierunt?

Idem Apostolus ad Hebr. 9. *Hoc*, inquit, *significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum*. Itaque dum status Testamenti veteris duravit; nondum propalata erat sanctis via ad coelestem patriam, quare concludit idem Apostolus ad Hebr. 11. *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt promissionem: Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur*. Poterat ne apertius dici, Patres veteris Testamenti, quamvis fide probatissimi essent, inter quos Henoch ab Apostolo numeratus est, non accepisse promissiones, ut non sine nobis consummarentur, idest, ut non sine nobis consummatam corporis et animae gloriam acciperent?

Et quid est quod propheta David tamquam singulare dicit in persona Christi in psal. 15. *Notas mihi fecisti vias vitae*; si ante tot annorum millia Henoch et Eliae notae factae sunt viae vitae? quid est quod ipse Christus dicit Joan. 3. *Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo Filius hominis, qui est in coelo:* si ante ipsum Christum, qui caput est electorum, ascenderunt in coelum cum corpore glorificato Henoch et Elias, qui utique membra Christi sunt? nam illud, nemo ascendit in coelum, non est praesentis temporis, sed praeteriti, ut ex graeco textu manifestum est οὐδεὶς αν αβέβηκεν, est enim sensus, nullus homo hactenus ascendit in coelum, ac per hoc nemo scit coelestia, nisi filius hominis Christus, qui ut Deus descendit de coelo per incarnationem et ut homo ascendit in coelum per unionem hypostaticam et idiomatum communicationem: unde etiam subjecit, Filius hominis, qui est in coelo. Erat enim tunc filius hominis in coelo quia eadem persona erat Deus et homo. Itaque non ait, nemo ascendit postea, sed nemo ascendit huc usque; proinde Henoch et Elias non ascenderunt cum corpore glorificato in coelum verum atque aethereum, sed in coelum tantum aërium, ut sublevati a terra ducerentur in locum remotum ab hominum habitatione.

Vere igitur canit Ecclesia toto orbe diffusa, in hymno illo notissimo, quem nec Lutherus despiciendum putavit: *Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna coelorum*; quod certe Ecclesia orthodoxa non caneret, si crederet Henoch et Eliam, tot annorum millibus ante Christi ascensionem introire potuisse in regna coelorum.

Addo etiam (1) generale decretum, ut omnes homines moriantur, a quo ne ipse quidem Filius Dei immunis esse voluit; neque sanctissimam Matrem suam immunem fecit. *Statutum est*, inquit Apostolus ad Heb. 9. *hominibus semel mori, et post hoc judicium*, idest, cum omnes omnino mortis debitum solverint, tunc aderit judicium. Ergo ante judicium necesse est, ut Henoch et Elias, qui hactenus in vivis manent, ipsi etiam moriantur. Cui sententiae similis est illa 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*; et Rom. 5. *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Et psal. 88. *Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem?*

Ex quibus apertissimis sententiis declaranda est sententia illa alioqui ambigua 1. Thessal. 4. *Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera*. Non enim significat haec sententia, non morituros, qui vivi reperientur in novissimo die; sed in ipso raptu morituros, et mox resurrecturos ad vitam immortalem, ut s. Augustinus docet lib. 20. de Civit. Dei cap. 20. Ex iisdem Scripturis judicandum est (2), utra sit verior lectio 1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus, sive, ut est in graeco, omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur: an illa, non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur: illa enim prior est verior, quia concordat cum apertis Scripturis: et veriorem et communiorem esse affirmat s. Hieronymus in epistol. ad Minerium et Alexandrum.

At objicit Rex testimonia Irenaei et Tertulliani. Irenaeus enim lib. 5. scribit Henoch et Eliam manere in loco, ad quem translati sunt, usque ad consummationem conspicantes incorruptionem. Tertullianus autem lib. contra Judaeos cap. 2. scribit, Henoch necdum mortem gustasse, ut aeternitatis candidatum.

Sed haec non significant illos numquam morituros esse, ut Rex existimat (3): manent enim, non in coelo, ut Rex dicit; sed in paradiso terrestri, ut Irenaeus dicit, usque ad consummationem conspicantes incorruptionem, idest, non videntes corruptionem, sed vivi atque integri permanentes tot millibus annorum. Sed haec incorruptio non est ea, quam habent in coelo beati, qui mori non possunt; sed ea quam habebat Adam in paradiso, qui poterat non mori donec peccaret, ut auctor est s. Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 6. et lib. 1. de peccat. meritis et remiss. cap. 3. Itaque Henoch et Elias conspicantur incorruptionem, non absolute, sed usque ad mundi consummationem, in qua debitum mortis solventes transituri sunt ad veram et perfectam incorruptionem. Recte vero dicitur Henoch non gustasse mortem ut candidatus aeternitatis. Candidati enim nondum consules erant, sed consulatum expectabant et petebant. Sic igitur Henoch non habet veram immortalitatem, sed eam expectat et desiderat, et ex vita tam diuturna multorum millium annorum quam egit in terrestri paradiso, certam spem concipit vitae sempiternae futurae in paradiso coelesti.

Ad id autem quod Rex dicit Bellarminum in con-

(1) *Generali decreto omnes homines morti addicti sunt.*

(2) *De varia lectione loci Paulini* 1. *Corinth.* 15. *et quae fit lectio verior.*

(3) *Explicantur testimonia Irenaei et Tertulliani de qualitate vitae Henoch et Eliae.*

troversiis multum sudare, ut statuat, (1) paradisus ne in terra sit, an in aëre; et concludit, paradisum terrestrem diluvio esse destructum: facilis est responsio. Bellarminus enim nusquam dixit, neque ex sententia sua, neque ex aliena, paradisum in aëre pendere: quod operose confutare frustra Rex conatur. Retulit solum in lib. de gratia primi hominis cap. 12. sententiam quorumdam, qui affirmant paradisum in terra quidem situm, sed in montibus altissimis, qui ad globum usque lunae pertingant, quam sententiam idem Bellarminus refellit, nisi per hyperbolem excusetur. Paradisum autem terrestrem omnino esse destructum, quod Rex affirmat; contrarium est communi sententiae Patrum veterum et recentiorum doctorum. Certe s. Augustinus lib. de peccato orig. cap. 23. diserte sic pronuncial: *Esse paradisum, unde ejectus est Adam, fides christiana non dubitat.* Multum autem sibi Rex placet in ea conjectura, quam a Roberto Abbato desumpsit, quod nomine duorum prophetarum ab Antichristo occisorum intelligi debeant, aut possint duo testamenta, idest, libri sacri Testamenti veteris et novi. In qua disputatione multa dicit, quae probare non poterit.

Primo scribit (2): Adversus Scripturam sacram dicteria quaedam a Pontificis jactari, quod sit nasus cereus, mortua littera, lesbia regula, sexcenta alia probri et ignominiae plena. Ego vero cum plerosque Scriptores catholicos evolverim, apud nullum ejusmodi dicteria reperire potui, nisi in hoc sensu, quod apud Adversarios, Scriptura sacra ita torquetur in varios intellectus, ut nasus cereus aut lesbia regula esse videatur, quod etiam in hac disputatione de duobus prophetis apertissime locum habet. Nos enim catholici, qui Scripturas sacras sequimur, non eas ad nostras opiniones accommodamus, ubi legimus, duos prophetas saccis indutos, adversus Antichristi doctrinam praedicaturos, atque ab illo interficiendos et a Deo post triduum resuscitandos: per prophetas, veros prophetas; per saccos, veros saccos; per praedicationem, veram praedicationem; per Antichristum, verum Antichristum, per occisionem, veram occisionem; per triduum, verum triduum; per resurrectionem, veram resurrectionem intelligimus (3). Novatores, qui opinionibus suis Scripturas deservire volunt: per prophetas duos, intelligi volunt, aut ministros novi evangelii, quamquam plusquam sexcenti sint; aut libros Testamenti veteris et novi, qui plurimi sunt; per Antichristum, qui unus erit, seriem hominum bene longam; per triduum, mille circiter annos intelligunt, et cactera per tropos et metaphoras ita plane detorquent ad errores suos, ut de regula lesbia et de naso cereo facerent.

Secundo dicit (4): Pontificios nolle corrigi locos etiam corruptissimos veteris editionis: et ponit exempla, ubi nos legimus everterè domum, pro, everrere Luc. 15. *Et sic eum volo manere*, pro, *si eum volo manere*. Joan. 21. At prior locus correctus est in bibliis summi pontificis auctoritate recognitis: posterior non est mutatus, quoniam habetur in omnibus latinis codicibus, etiam antiquissimis. Sic enim legunt s. Ambrosius in psalm. 45. et serm. 20. in psalm. 118.; s. Augustinus, Beda et Rupertus in explanatione ejus loci; Eusebius emissenus, sive quisquis est auctor in homil. de s. Joanne evangelista et alii. Neque verum est, verba illa, sic eum volo manere, mendacium continere, ut Rex nimis audacter affirmat: non enim, sic eum volo manere, significat, non volo eum mori, sed non volo eum morte violenta ante tempus naturalis periodi, de hac vita migrare.

Tertio dicit (5): Depravatam esse a nobis Scripturam, quoniam libros apocryphos canonicis exaequavimus, contra quam Patres sentiunt et vetera concilia decernunt. At nos contra vere dicere possumus, a sectariis, tamquam Antichristi praecursoribus, utrumque Testamentum aliquot membris detruncatis, misere esse foedatum. Quos enim libros, ut apocryphos rejecerunt, nos invenimus in concilio III. carthaginiensi, ante mille ducentos annos celebrato, et apud veteres Patres omnes, uno, vel altero excepto, inter canonicos esse habitos.

Quarto dicit (6): A s. Bonaventura sacrilege corruptum esse psalterium, cum Dominam, pro Domino in toto psalterio posuerit. At s. Bonaventura psalterium Davidis, quod ad Scripturam canonicam pertinet, omnino non tetigit, sed ad similitudinem psalterii Davidis, aliud psalterium ipse composuit, ex pio ad b. Virginem affectu.

Quinto dicit (7): Scripturam a Pontificiis fuisse suppressam, quoniam multis saeculis in magna caecitate et ignoratione salutaris doctrinae populus christianus versatus est; cum laici Scripturam attingere prohibiti essent: maxima pars clericorum eam legere, aut nollent, aut non possent. At nusquam inveniet Rex Scripturae divinae lectionem laicis, aut clericis fuisse prohibitam. Et valde mirandum est quod Rex addit, ad silentium damnatos esse libros sacros, ut pro haeretico combureretur qui eos in manus sumere auderet, aut inspicere, quae unquam historia hoc prodidit? quis auctor tradidit? ne dicam quis vidit aut audivit, pro haeretico comburi qui Scripturas attingeret aut cerneret?

At, inquit, in ignota lingua libri sacri absconditi jacuerunt. Neque hoc est verum, non enim latina lingua ignota est Ecclesiae latinae. Sed etiam biblia vulgaribus linguis edita non desunt, quamvis non passim concedantur iis, qui rudes et imperiti cum sint, eas nisi perperam intelligere non queunt; atque ad hoc ipsum instituti sunt concionatores, qui populari lingua explanent, quae latine in ecclesiis leguntur.

Sexto dicit (8): Scripturam hanc fuisse ab Anti-

(1) *Calumnia de situ paradisi terrestris.*
(2) *Calumniae haereticorum.*
(3) *Heretici Scripturas sacras ad opiniones suas accommodare satagunt.*
(4) *Alia calumnia.*
(5) *Alia calumnia.*
(6) *Alia calumnia.*
(7) *Alia calumnia, eaque gravissima.*
(8) *Calumnia intolerabilis.*

christo interfectam, cum anno 1562. prodiit censura generalis, quae omnes alias translationes, praeter suam comburi jussit, quod etiam nunc fieri solet. At si anno 1562. Scriptura interfecta est; ergo a Luthero ante a mortuis revocata est, quam ab Antichristo interficeretur. Lutherum enim, a quo adversarii jactant Scripturam sacram in lucem esse revocatam, ad annum 1562. non pervenisse nemo nescit. Atqui hoc vere inauditum miraculum est, excitare a mortuis hominem antequam moriatur. Sed omissis jocis, ecclesiastica censura non jussit comburi translationes omnes, excepta sua, cum recipiat translationem 70. Interpretum, et permittat translationes syriacas, chaldaicas, latinas etiam recentiorum non paucas; sed comburi jussit translationes haereticorum, Martini Lutheri, et similium, quas constat plurimis in locis esse corruptas.

His breviter calumniis refutatis, dicam quid mihi videatur de sententia illa; quae per duos prophetas duo testamenta significare docet. Si ea sententia vera sit, tria sequentur, quae adversarii nullo modo concedent, cum omnium confessione, et ipsorum et nostra falsissima sint.

Primum est (1), in Ecclesia veteri primis quingentis vel sexcentis annis nullos fuisse Scripturae sanctae libros, siquidem duo illi prophetae, per quos libri utriusque testamenti significantur, non apparuerunt nisi post exortum Antichristum Apoc. 11. Antichristus exortus non est, nisi post annum Christi sexcentesimum ex sententia adversariorum; ex nostra vero, neque post annum millesimum sexcentesimum: igitur primis sexcentis annis duo illi prophetae, idest, duorum testamentorum libri non apparuerunt. An hoc sit verum regi judicandum relinquo, qui tot veterum Patrum commentaria in sacros libros legit.

Alterum est (2): Regnante Antichristo, toto tempore regni ejus Scripturas divinas, atque earum praedicationem, publicam et notissimam fuisse, nam duo prophetae, mille ducentis sexaginta diebus praedicaverunt, idest, mensibus quadraginta duobus, sive tribus annis cum dimidio: quanto tempore Antichristus regnabit; ut in libro Apocalypsis cap. 11. diserte scribitur, quomodocumque enim illa tempora intelligantur, negari non potest, idem temporis spatium tribui in Scriptura duobus prophetis et Antichristo, excepto brevissimo intervallo, quo Antichristus supervivet post prophetarum illorum interitum. Ergo si duo prophetae duo testamenta significant, toto tempore regni Antichristi praedicatio Scripturarum vigeat et valeat, omnino necesse est. Cur ergo paulo ante deploravit Rex caecitatem, et ignorantiam doctrinae salutaris tot saeculis invaluisse apud christianos? Itaque nisi fingant adversarii contra Scripturam, duos prophetas primis Antichristi diebus extinctos fuisse, numquam efficient, per multa saecula Antichristo regnante Scripturas sacras vel sublatas, vel absconditas, vel ignoratas fuisse.

Tertium est, (3) Scripturas sanctas, posteaquam restitutae fuerunt in lucem per divinam potentiam assumptas esse in coelum, neque apud homines in terris unquam amplius visas. Sic enim scribitur in Apocal. cap. 11. Duos prophetas post triduum excitatos, continuo in coelum assumptos fuisse. Quare si Lutherus, aut Calvinus, Scripturas utriusque testamenti ab Antichristo sepultas, iterum quasi a mortuis revocarunt: necesse est, ut Scripturae in coelum jam sint receptae, atque ob oculis hominum absconditae, si quid similitudo duorum prophetarum et duorum testamentorum valet. Atqui videmus duo testamenta in manibus hominum adhuc esse, et bibliothecas publicas, et privatas occupasse. Nutat igitur undique conjectura regis; neque utile nobis est ob eam conjecturam a communi sententia Patrum nostrorum, Ecclesiaeque recedere. Omitto quae dicuntur de alia significatione duorum prophetarum, quoniam eam in libris Controversiarum lib. 3. de pontifice cap. 6. refutatam reliquimus.

CAPUT XII.

De quatuor visionibus s. Joannis in Apocalypsi, quibus Antichristus designatur ex sententia Regis.

In extrema disputatione Rex quatuor visiones sancti Joannis explanare aggreditur, in quibus Antichristi descriptionem contineri existimat. Eas visiones nos quoque breviter excutiemus. Prima igitur visio habetur in Apocal. cap. 6. Ubi s. Joannes cum vidisset equum unum album, alterum rufum, tertium nigrum, vidit quartum pallidum: hunc pallidum equum, Antichristum esse Rex docet, quo auctore, non indicat. Ego interpretes hujus loci cum consulere instituissem, inveni tot sententias, quot fere sunt auctores. Sanctus Augustinus scribit, per equum rufum, nigrum et pallidum significari tria flagella, famem, bellum, et pestem. Sanctus Anselmus et Richardus per eosdem tres equos intelligi involunt, persecutiones paganorum, haereticorum et falsorum fratrum. Alii malunt significari imperia trium Caesarum, Neronis, Titi et Domitiani. Itaque sine ulla Regis injuria dicere possumus, hanc visionem ad Antichristum non pertinere; praesertim cum ex communi sententia omnium expositorum de Antichristo agatur paulo post in eodem capite, in apertione sigilli sexti, ubi revelatur (4) ultima et gravissima persecutio futura prope mundi finem. Ex quo intelligimus, falsum esse quod adversarii dicunt, Antichristum jam regnasse annis mille et amplius, nisi forte ultima persecutio ultra mille annos duratura esset.

Altera visio habetur in cap. 9. Ubi ad clangorem quintae tubae, cadit stella de coelo, et aperit puteum abyssi, unde progreditur exercitus locustarum, ac deinde ad clangorem sextae tubae proce-

(1) *Prima absurditas sententiae de duobus prophetis duo testamenta significantibus.*
(2) *Secunda absurditas.*
(3) *Tertia absurditas.*
(4) *Antichristi persecutio prope mundi finem erit.*

dit exercitus equitum horribilis et innumerabilis, omnia conculcans et devastans. Et in hac quidem visione satis convenimus, per stellam cadentem et locustas, intelligi praecursores Antichristi, per exercitum equitum, significari exercitum Antichristi. Sed nos (1) per stellam cadentem, Lutherum significari credimus, per locustas, haereticos Lutheranos et Protestantes, ac caeteros hujus temporis sectarios: Rex autem per stellam cadentem, intelligi vult aliquem eximiae dignitatis in Ecclesia qui cum lux mundi esse deberet, munus suum deserens, regnum sibi erexerit, et eo modo sedes Antichristi erigi coepta sit.

Et nos quidem facile demonstrare possumus quo modo Lutherus ceciderit, quo anno, qua occasione, quanto strepitu et quem exercitum locustarum de abyssi puteo eduxerit. Rex autem non facile docebit, quae fuerit illa persona ecclesiastica eximiae dignitatis, quae deserto munere suo regnum sibi erexerit, et sedem Antichristo paraverit. Affirmat quidem pag. 99. (2) Bonifacium III. fuisse hominem illum, qui primus se nuncupavit universalem episcopum, qui titulus Antichristi est.

At, cum bona Regis venia, Bonifacius non se universalem episcopum nominavit, sed a Phoca imperatore sic appellatus est, quo modo s. Gregorius a patriarcha alexandrino universalis episcopus dictus est, ipso s. Gregorio teste in epist. ad Eulog. quae est 30. lib. 7. indictionis primae. Quomodo etiam s. Leoni plus centum annis Gregorio antiquiori, universalis patriarchae titulum synodus chalcedonensis obtulit, ut idem s. Gregorius in epist. paulo ante citata testatur. Quare si titulus iste ab aliis oblatus Antichristum facit, non Bonifacius III. sed s. Leo I. Antichristus dicendus erit, ut jam etiam in primis quingentis annis Antichristum regnasse dicendum sit.

At, Bonifacius a Phoca petiit et obtinuit, Anastasio teste, ut solus romanus pontifex universalis diceretur. Respondeo: Bonifacium a Phoca petiisse et impetrasse, ut Cyriacum episcopum constantinopolitanum coërceret, qui titulum universalis episcopi, qui soli romano pontifici jure debetur, sibi indebite usurpabat. Sed neque Bonifacius, neque successores hoc titulo usi sunt, servos se potius servorum Dei in epistolis nominantes. Adde quod Bonifacius III. nullum sibi regnum erexit, cum nulla in re a majorum suorum humilitate recesserit, neque munus suum ecclesiasticum deseruit, cum in brevissimo illo spatio octo mensium quo sedit in apostolico throno, concilium episcoporum Romae coegerit, et multa instituerit, quae ad cleri reformationem pertinere visa sunt. Itaque gratis omnino Rex Bonifacium III. potius, quam quemvis alium ex antecessoribus, Antichristum, vel Antichristi praecursorem fecit.

Addit Rex in eodem loco, doctrinam Antichristi declarari in eodem cap. 9. Apocal. ubi dicitur, residuos homines, qui non sunt occisi in his plagis, non egisse poenitentiam ab operibus manuum suarum, ut non adorarent daemonia, et simulacra aurea, et argentea et aerea, et lapidea, et lignea, quae neque videre possunt, neque audire, neque incedere: nec egisse poenitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis, neque a fornicationibus, neque a furtis.

Ex his autem colligit Rex (3) Pontificios sequi doctrinam Antichristi, quoniam Vasques jesuita docet daemonia esse colenda; et reliqui Pontificii passim imagines aureas, argenteas, aereas, lapideas, et ligneas colunt: homicidia praeterea faciunt, veneficiis utuntur, cum per agnos Dei cereos ignem restinguunt; et per indusia benedicta, et diversorum generum reliquias et orationes conservant homines a tormentorum bellicorum impetu, vi flammae, violentia ferri, ictu fulminum, caeterisque id genus periculis: fornicantur, tum spiritualiter idololatrando, tum carnaliter propter prohibitum clericis, monachis et sanctimonialibus conjugium: furti denique rei sunt, tum quod Deo subripiunt titulos honorum, ut eos in Antichristum suum conferant, tum per jubilaea, indulgentias, reliquias et similes nundinationes pecunias cumulant.

Ad haec omnia facillima et expeditissima responsio est (4): Regem vehementer falli, cum verba illa Apocalypsis ad doctrinam Antichristi refert, et cum eam doctrinam catholicis tamquam propriam accommodare nititur. Primum enim conveniunt interpretes hujus loci Anselmus, Richardus et alii, verba supra citata, nihil aliud significare, nisi cum Antichristo perituros in aeternum, non tantum christianos, quos ille artibus suis deceperit; sed etiam paganos, qui non egerint poenitentiam ab idololatria et cultu daemoniorum. Dii enim gentium daemonia sunt. psal. 95. Et quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo. 1. Corinth. 10. Et praeterea Judaeos, qui non egerint poenitentiam ab homicidiis, veneficiis, fornicationibus et furtis. Judaei enim praeter caeteros homines student homicidiis, et veneficiis, et fornicationibus, et maxime furtis publice per usuras augendo copias suas.

(5) Deinde quomodo potest fieri, ut doctrina Antichristi sit colere daemones et idola omnium generum, cum de illo scribat Daniel cap. 11. Antichristum adversus omnes Deos pugnaturum, ut ipse solus habeatur Deus? Mirum autem est, tantum regem ea scribere non dubitasse de jesuita Vasques, quae sola libri ab ipso citati inspectione falsa esse intelliguntur, citat enim Rex librum tertium Vasques, De cultu adorationis dis. 1. cap. 5. At eo loco Vasques quaestionem illam tractat, An censendus sit idololatra qui daemonem sibi apparentem sub imagine Crucifixi adoraverit. Respondet vero: Non esse habendum idololatram, sed illusum, si existimaverit eum qui sibi apparuit vere esse Christum, et solum Christum adorare intenderit, et invincibiliter ignoraverit sub illa imagine daemonem latere. Hoccine est docere daemonis cultum? quid si regius servus indutus regias vestes prodeat, et

(1) *Quid per stellam de coelo cadentem significetur.*
(2) *Bonifacius III. papa optimus, summa injuria Antichristi nomine infamatur.*
(3) *Calumniae variae, longe petitae.*
(4) *Refutantur calumniae generatim.*
(5) *Refutatur calumnia de cultu daemonum.*

ut Rex ab ignorantibus adoretur; num imperiti adoratores majestatis rei habebuntur, an potius, ut illusi ridebuntur? Atque hoc est argumentum quo Rex probare voluit, Pontificios daemonum esse cultores. De cultu imaginum nihil addendum est ad ea, quae supra disseruimus, satis enim constat, imagines sanctorum, neque esse idola, neque adorari ut deos.

(1) Homicidia, veneficia, fornicationes et furta, non negamus apud catholicos inveniri, sed neque Rex negabit in suo regno apud Protestantes suos frequentia esse. Quod si probari posset, in Ecclesia catholica doceri haec esse licita et justa; et non potius, ut injusta, et illicita prohiberi et puniri: tum aliquid adversarii dicerent: sed ex flagitiis et scelcribus toti humano generi communibus, colligere doctrinam Antichristi apud solos Pontificios esse, ineptum et ridiculum est.

At soli Pontificii per agnos Dei cereos, ignem restinguunt: id autem veneficio simile est. Respondeo: Miracula divina apud solos Pontificios conspiciuntur (2), sed invocatio divini nominis et benedictio sacerdotalis, qua cerei agni consecrantur, veneficiis tribui non possunt, nisi Deus habeatur pro diabolo. Illa enim veneficia sunt, quae ex invocatione diaboli, et pacto quodam cum ipso diabolo inito vim suam habent. Qui autem miracula, quae per indusia, caeterasque reliquias fiunt, damnare etiam debet miracula, quae teste Luca in Act. Apost. cap. 19. fiebant per sudaria et semicinctia s. Pauli; et quae teste s. Augustino lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. fiebant per reliquias s. Stephani; et alia id genus plurima, quibus pleni sunt libri sanctorum Patrum. Nec tamen probamus, sed damnamus, et rejicimur superstitiosas orationes, quas interdum nonnulli adhibent adversus arma, vel fulmina, cum characteribus incognitis et invocatione daemonum.

(3) De multitudine monachorum et sanctimonialium, id solum dicam, non posse reprehendi ejusmodi instituta, nisi reprehendantur Patres omnes primorum quingentorum annorum. Certe si quis legat vel epistolas s. Hieronymi de custodia virginitatis et de obitu Paulae ad Eustochium; vel librum s. Augustini de moribus Ecclesiae, vel s. Joannis chrysostomi libros adversus vituperatores vitae monasticae; videbit tot millia monachorum et sanctimonialium fuisse in illa prima Ecclesia, ut merito dicere possit, sectas Lutheranorum et Calvinistarum, unde haec instituta penitus exultant, nihil habere commune cum Ecclesia primitiva.

(4) Denique quae Rex dicit de cumulandis opibus per artificium jubilaeorum et indulgentiarum, satis ostendunt, eum plus fidei habuisse calumniis Lutheri, et similium Novatorum, quam simplici veritati. Hoc certe tempore si elecmosynae faciendae praescribantur iis, quibus indulgentiae conceduntur; in arbitrio singulorum relinquitur, ut quibus egenis libeat eleemosynas faciant.

Sequitur visio tertia quae habetur in Apoc. cap. 13. Ubi describitur bestia quaedam horribilis, quae de mari ascendet, habens capita septem, et cornua decem. Ex quibus capitibus unum plaga lethali ferietur, sed paulo post resurget cum admiratione universae terrae: huic bestiae dedit draco virtutem suam. Ibidem describitur alia bestia, quae ex terra ascendet, habens cornua duo similia agni, et haec posterior bestia miracula faciet, ut ignem de coelo descendere, ad hunc finem, ut omnes priorem bestiam adorent. Addit Joannes, neminem illis temporibus habiturum potestatem vendendi, aut emendi, nisi in manu aut in fronte characterem bestiae gerat: denique numerum bestiae dicit Joannes futurum numerum 666.

De hac visione Rex multa dicit, atque omnia detorquere conatus ad nos catholicos, ut Antichristi adoratores et sectatores. Sed (5) ex hoc ipso c. 13. Apocalypsis, nos multo facilius et clarius demonstramus, Antichristum nondum venisse. Quando enim Antichristus venerit, notissima erunt omnia, quae sit prior bestia, quae posterior, quod caput occisum et resurgens, quis character ejus, quod nomen ejus; et caetera quae nunc ita sunt obscura, ut conjecturis, et divinatione sit opus.

Communis expositio catholicorum veterum est, per draconem intelligi diabolum; per priorem Bestiam, universitatem impiorum; per caput hujus bestiae occisum et reviviscens, Antichristum, qui erit postremum et maximum caput impiorum, quique finget se occisum, ut fingat resurrectionem ad imitationem Christi; per posteriorem bestiam, praedicatores et apostolos Antichristi, qui miracula facient, ut ad Antichristum homines alliciant: de charactere et numero nominis, rem fore abditam et incognitam, donec Antichristus appareat.

Videamus nunc, quid Rex ex hac visione colligat adversus catholicos. Primum igitur, per caput bestiae occisum et reviviscens, intelligendum esse dicit Antichristum, qui una imperandi rationum a Gothis et Vandalis plagam lethalem acceperat; sed mox curata plaga aperuit os suum ad blasphemias, et ab universa terra adorari debuit. Et addit rex, *Cultus autem atque adoratio hoc eodem nomine ac titulo, soleat ne adhiberi singulis pontificibus, cum inaugurantur, nemo cardinali nostro melius novit*: Haec ille.

(6) At Gothi et Vandali, nullam plagam romano pontifici inflixerunt, sed imperatori romano, cui Gothi Italiam et Hispaniam, Vandali Africam abstulerunt: plaga autem curata dici poterit, cum Justinianus Italiam et Africam recuperavit. Itaque si is, cui plaga inflicta est, et paulo post curata, Antichristus est; non romanus pontifex, sed romanus imperator Antichristus erit. Quod si non placet

(1) *Refutantur calumniae de homicidiis, aliisque scelcribus.*

(2) *Refutatur calumnia de agnis Dei cereis*

(3) *Refutatur calumnia de multitudine monachorum et sanctimonialium.*

(4) *Refutatur calumnia de nundinationibus indulgentiarum.*

(5) *Obscuritas hujus prophetiae, Antichristum nondum venisse convincit.*

(6) *Refutatur expositio adversariorum.*

imperatorem Antichristum vocari, quemadmodum revera Antichristus non est, acquiescat Rex expositioni s. Gregorii lib. 11. epistola 3, Primasii, Bedae, Haymonis, Anselmi, Richardi et Ruperti in c. 13. Apocal. qui omnes unanimi consensu docent; Antichristum simulaturum plagam incurabilem se accepisse, atque occisum esse, ac paulo post a mortuis propria virtute surrexisse, ut tanto facilius pro Deo haberi et adorari possit. Cum autem nullus unquam pontificum romanorum mortem et resurrectionem simulaverit, neque pro Deo haberi, et adorari voluerit; vel ex hoc intelligi potest, quantum absint a veritate, qui pontificem Antichristum esse jactant.

At, inquit Rex, adorari pontifices cum inaugurantur, cardinalis non negabit (1). Verum est pontifices maximos adorari, sed ut vicarios Dei, non ut deos. Et Scriptura divina passim utitur voce adorationis pro veneratione, quae adhibetur hominibus. Vix enim ulla est adoratio externa, quae soli vero Deo exhibeatur, praeter honorem sacrificii, et quae ad sacrificium pertinent, templa, arae, sacerdotes. Hinc enim s. Augustinus, lib. 20. contra Faustum cap. 21. respondens Fausto, qui scripserat nos martyres in idola vertisse; probat in Ecclesia Christi non adorari sanctos martyres, ut deos, quia sacerdos ad altare constitutus numquam dicit, offero tibi Petre, vel Paule, vel Cypriane. Quare si Rex ostendet sacrificium pontifici romano fuisse aliquando oblatum, aut aras erectas, aut templa dedicata, aut sacerdotes institutos, quemadmodum factum esse scimus imperatoribus quibusdam, qui dii haberi volebant; et quemadmodum Antichristus sibi fieri jubebit; tum demum concedemus pontificem haberi et adorari, ut Deum; at dum eo cultu adorationis honoratur, qui non convenit soli Deo, sed etiam creaturis, frustra de nomine adorationis calumnia struitur.

Deinde addit Rex miraculum bestiae minoris, quae faciet ignem de coelo descendere; ipsum esse fulmen excommunicationis, quo pontifex romanus homines terret: et ipsos etiam reges percellit (2). At hoc miraculum non tribuitur in Apocalypsi bestiae majori, quae Antichristum significat; sed minori, quae Antichristo deservit: non igitur pontifex, qui fulmine homines terret, Antichristus erit: et Rex quaerere jam debebit quis sit Antichristus, in cujus gratiam papa fulmen de coelo descendere facit. Deinde s. Joannes meminit hujus miraculi, ut rei novae et insolitae: at excommunicatio res est communis et nota, qua etiam Protestantes utuntur; et quam Ecclesia familiarem habuit multo ante, quam Antichristus, etiam iste fictitius, et a Novatoribus excogitatus, exortus diceretur. Ergo cum communi expositione scriptorum veterum supra citatorum credendum est, verum ignem de coelo descensurum ad imperium ministrorum Antichristi, et non per tropos verba Scripturae detorquenda sunt ad excommunicationes. Ex quo intelligimus merum esse figmentum, quod papa sit Antichristus, cum nullus pontificum romanorum, neque per se, neque per suos ignem de coelo descendere fecerit.

(3) Porro characterem Antichristi esse dicit Rex professionem obedientiae romano pontifici. Sed hoc multis modis repugnat Scripturae verbis. Scriptura enim Apocal. 13. significat, characterem bestiae accipiendum in dextera manu aut in fronte: professio obedientiae neque in dextera, neque in fronte accipitur. Deinde character bestiae necessarius erit in toto Antichristi regno omnibus hominibus, pusillis et magnis, pauperibus et divitibus, servis et liberis. At quot millia sunt in ditione romani pontificis, qui professionem obedientiae non possunt ostendere? professio enim fieri solet ab iis, qui promoventur ad gradus dignitatum, aut doctoratum, aut certa officia: ab aliis plurimis, atque adeo a maxima parte hominum non exigitur, quamvis enim teneantur omnes romano pontifici obedire: tamen non tenentur omnes conceptis verbis, et certo ritu professionem istam facere, multo minus in fronte, vel in manu gestare. Praeterea eadem Scriptura dicit, in toto regno Antichristi, neminem permittendum emere, aut vendere, nisi characterem habeat, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus. At quot sunt in ipsa urbe Roma Judaei, qui publice vendunt et emunt, nec habent ejusmodi characterem, neque summo pontifici adhaerent?

Itaque licet multi multa de isto charactere divinare conentur, non tamen certo scietur quid sit, nisi cum Antichristus venerit; nisi forte placeat cum antiquissimo scriptore Hippolyto martyre dicere, (4) Christi characterem esse signum crucis, Antichristi characterem fore signi crucis abolitionem; quali charactere dignoscuntur hoc tempore Calviniani, ut praecursores Antichristi.

Denique de numero 666. dicit Rex, eo numero designari nomen graecum Λατεῖνος: nam litterae hujus nominis faciunt hunc numerum (5). Papam autem esse latinum, et apud latinos potissimum dominari notissimum est. Sed nomen, latinum, non scribitur per ει, et sine ει, non reddit numerum 666. Praeterea nomen Antichristi proprium designatur ab evangelista, non nomen commune plurimis, ut est, latinus: proprio autem nomine nullus pontificum dictus est latinus. Denique inveniuntur nomina plurima, quae numerum illum 666. efficiunt: notavit Arethas in comment. hujus loci septem nomina, quae hunc numerum reddunt: alii alia plurima, de qua re multa scripsimus in lib. 3. de Pontif. cap. 10.

Addit Rex per numerum 666. posse intelligi tempus, quo Antichristus apparere debuit. Siquidem

(1) *Refutatur calumnia de adoratione pontificis.*

(2) *Refutatur calumnia de fulmine excommunicationis.*

(3) *Character Antichristi non potest esse professio obedientiae debita pontifici.*

(4) *Character Christi signum crucis: character Antichristi abolitio crucis.*

(5) *Refelluntur conjecturae de numero nominis Antichristi.*

Bonifacius III. papa, qui primus Antichristi titulum usurpavit, sedit anno Domini 606. At (1) numerus ille numerus nominis est, ut s. Joannes expresse dixit; non igitur detorqueri debet ad numerum temporis: deinde numerus annorum a Christo ad Bonifacium non continet 666. sed 606.

At, inquit Rex, potest inchoari tempus hujus numeri ab anno quo Pompejus magnus templum hierosolymitanum diripuit. Omitto id gratis dici: illud ad refutandam hanc supputationem sufficit, quod ab illa direptione templi, usque ad annum Domini 606. quo Bonifacius sedit, sunt anni 670. Itaque necesse est, vel s. Joannem fuisse deceptum, quod fieri non potest, vel (2) errare eos, qui volunt numero 666. designari tempus adventus Antichristi. Quod autem Rex dicit, sexaginta annis post obitum Bonifacii III. fuisse confirmatum regnum Antichristi, atque hoc indicari per numerum 666. aliquid esset, si posset ostendi aliquid peculiare accidisse anno 666. ut aliquam mutationem regiminis, vel creationem novi pontificis, vel acquisitionem novi tituli, aut aliquid ejusmodi. Sed cum annus Domini 666. inciderit in pontificatum Vitaliani, qui jam aliquot annis sederat, et pacifice ac sine ulla innovatione sederat: nulla ratio reddi potest, cur tempus illud tam insolita revelatione notari debuerit, ut omittam, quod supra dixi, hunc numerum nominis bestiae, non temporis ab ipso s. Joanne nominari.

Restat visio quarta ex cap. 17. Apocal. quae quanto prolixius tractatur a Rege, tanto brevius expedietur a nobis. Describitur enim in eo capite magna quaedam meretrix insidens bestiae, quam Rex Antichristum esse vult; et eo posito fundamento multa disputat de Antichristo, addens etiam de infelici hujus meretricis exitu ex cap. 18. 19. et 20. quae omnia praetereunda existimo; quoniam per eam meretricem Antichristus intelligi non potest: et fundamento everso totum aedificium corruat necesse est.

Non posse autem per (3) eam meretricem intelligi Antichristum, probamus primo ex sententia veterum Patrum: Patres enim permulti per eam meretricem, intelligunt universitatem impiorum. Ita s. Augustinus in psal. 26. Arethas, Haymo, Richardus, Anselmus, Beda et Rupertus in cap. 17. Apocal. Alii intelligunt Romam imperantem, sive romanum imperium; quale erat tempore apostolorum, cum dominaretur omnibus gentibus, et omnium gentium serviret erroribus. Sic exponunt Tertull. in lib. cont. Judaeos, et lib. 3. cont. Marcionem, et s. Hieronymus in epist. ad Marcellam, et in altera ad Algasiam qu. 11. Et confirmari potest horum auctorum sententia ex eo quod s. Petrus in epist. priore cap. ultimo Romam, qualis tunc erat, sub nomine Babylonis significat. Et s. Joannes ipsam meretricem magnam, Babylonem appellat; ac ut explicet de qua Babylone loquatur, dicit esse civitatem, quae habet imperium super reges terrae, et sedet super montes septem.

Adde quod ex sententia Regis pag. 88. et alibi, per bestiam, cui mulier insidet, Antichristus intelligitur. Sic enim loquitur s. Joannes cap. 17. *Et dixit mihi Angelus, quare miraris? ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiae, quae portat eam, quae habet capita septem et cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit.* Sic autem Rex loquitur. *Octava, quae est bestia, quae erat, et non est, et itura est in perditionem, ipse est Antichristus.* Jam si (4) bestia, quae mulierem portat, Antichristus est, quomodo ipsa mulier est Antichristus? quis ferat equitem cum equo confundi, ut eques supra se ipse sedere dicatur? Ignoscat igitur Rex nobis tardioribus, si malumus cum antiquis expositoribus, aliud per bestiam, aliud per mulierem insidentem bestiae intelligere, quam cum Novatoribus bestiam cum meretrice confundere. Atque haec de Antichristo hoc loco sufficiant.

CAPUT XIII.

Diluuntur variae calumniae.

Expedita disputatione de Antichristo, Rex multa addit adversus catholicos, quae breviter refellenda sunt pag. 109. *Et certe*, inquit Rex, *credo non est illa mediocris animarum negotiatio, cum homines, usque eo spe et promissione aeternae salutis fascinantur, ut facile persuadeatur fraterculo, regem Dominum suum confodere; imberbi adolescentulo in vitam proximi successoris perdite invadere; multis in serenissimae reginae nuper defunctae necem saepius conjurare; denique me imperium obtinente nitrati pulveris impetu regnum, regnique ordines funditus evertere, atque ita tam animi, quam animae jacturam facere.*

(5) Haec gravis omnino reprehensio est, et quanto est gravior, tanto gravioribus testimoniis confirmari debuisset: Nam si ex particularibus hominum factis de doctrina judicandum esset, non solum doctrina recentiorum catholicorum, sed etiam veterum omnium doctorum, sive in republica antiqua Judaeorum, sive in Ecclesia christianorum hanc calumniam pati posset. Illud unum in libris ecclesiasticis invenio; indulgentiam peccatorum a summis pontificibus in generalibus conciliis concessam fuisse iis, qui cruce suscepta in bellis christianorum principum adversus infideles arma sumpsissent. Atque hanc indulgentiam praedicatam lego, tum ab aliis viris doctis et sanctis, tum praecipue a s. Bernardo, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, ut ipse breviter modesteque testatur in praefatione libri secundi de Consideratione: et fusius hoc ipsum scribitur in tertio libro de vita ejusdem s. Bernardi cap. 4.

(1) *Numerus* 666. *non est numerus temporis; sed nominis Antichristi.*
(2) *Frustra adversarii supputando se torquent.*
(3) *Mulier, quae insidet bestiae, non est Antichristus.*
(4) *Inepte adversarii equitem cum equo confundunt.*
(5) *Atrocissima calumnia apertissime refutatur.*

At quod sicariis promissa sit spes aeternae vitae, si regum vitae insidientur, nusquam legi, nunquam audivi. Sed contra potius legi in concilio constantiensi sess. 15. publice damnatum articulum illum, Quilibet tyrannus potest, et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, et subditum, etiam per clamculares insidias, et subtiles blandilias, vel adulationes; non obstante quocumque praestito juramento, seu confoederatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato judicis cujuscumque. Hunc articulum ita damnavit concilium, ut haereticos censendos, et ut haereticos puniendos esse decreverit, qui ejusmodi articulum pertinaciter defendere voluerint.

Illos autem, quos in exemplum Rex adducit, fuisse persuasos ab aliquo ecclesiastico antistite sub promissione, et spe vitae aeternae, ut facerent quod fecerunt, Rex non probat, neque ex confessione ipsorum, aut aliis indiciis constare potest. Sed si Regi placeat vera audire, vel legere, facile inveniet doctrinam, quam objicit catholicis, propriam esse Novatorum.

Certe Joannis Wicleffi Angli, quem Protestantes in pretio habent, et ejus laudes in capite libri posuerunt Foxius, et Crispinus historiae novi evangelii in Anglia scriptores; illi articuli sunt in concilio constantiensi damnati sess. 8. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, dum est in peccato mortali. (1) Item populares possunt ad suum arbitrium dominos peccantes corrigere.

Hi sunt articuli patriarchae vel prophetae vestri Wicleffi, qui non ob tyrannidem solum, sed ob quodlibet adulterium, vel sacrilegium, vel injustam caedem, vel ob quodcumque aliud lethale crimen dominos privat dominiis suis: et quasi injustos possessores tradit popularibus pro arbitrio corrigendos. Atque ex hac doctrina natus esse videtur error, de quo paulo ante diximus.

Quis autem Lutheri temporibus auctor fuit tot millibus rusticorum, ut adversus principes arma sumerent? nonne ministri reformatae vel deformatae potius a Luthero religionis? catholicos certe fuisse seditionis illius auctores, ne adversarii quidem scribere ausi sunt. Qui vero Franciscum regem Francorum secundum, fratres, matrem et conjugem sumptis armis interficere moliti sunt; nonne fratres evangelici fuerunt, auctore Beza, suasore Calvino? Id Surius narrat in historia anni salutis 1560. Qui denique sunt, qui tot turbas in Scotia adversus hunc ipsum regem excitarunt, quique eum in ordinem redigere et anarchiam introducere voluerunt, nonne illi ipsi, qui reformatam Calvini religionem, ut ipsi eam vocant, in Scotiam introduxerunt? hoc Rex ipse in suo Basilico Doro aperte testatur. Desinat igitur notam illam catholicis inurere, quam in doctoribus suis inhaerere negare non potest. Subjungit postea Rex pag. 116. nonnulla de excellentia regiae dignitatis supra cardinalitiam, quae omnia sunt a nobis excussa in capite de comparatione regis et cardinalis.

Pag. 120. Iterum revertitur ad invidiam conflandam catholicis apud reges ob exemptionem clericorum: sed illud praecipue reprehendit, quod scripserim s. Gregorium Mauritio imperatori coactum paruisse. *Non pudet*, inquit Rex, *hominem, christianam sancti illius viri, Gregorii, humilitatem traducere, quasi id fuisset violentum, coactumque obsequium Gregorio, vel non satis valente, vel non auso repugnare. qua in re non injuriam Gregorio tantum facit, sed omnino humilitatis, ac patientiae splendorem illum, qui in prima illa et adhuc oriente Ecclesia, ac praesertim sub persecutionum saevitia nituit, foeda, turpique labe maculat; si haec ingens martyrii et christianae patientiae gloria non dimissioni animi spontaneae, sed necessitati adscribatur; quod aut viribus, aut animis defecti (instar Judaeorum, aut Turcicorum mancipiorum) fortioribus adversariis cederent: contra ss. Pauli Petrique praecepta, qui propter conscientiam subditos esse jubent, contra illam etiam Tertulliani pro christianis apologiam et antiquorum Patrum apertam professionem et ubique repetitam.*

Haec ille, qui (2) primum meminisse deberet, me quicquid scripsi, ex verbis s. Gregorii scripsisse, citavi epistolas, citavi commentaria in psal. poenitent. ubi Mauritium imperatorem Gregorius papa cum Nerone et Diocletiano comparat: eumque gravissime reprehendit, quod Ecclesiam romanam sibi subjugare, quodque jugum importabile toti reipublicae imponere voluisset. Oportuisset sane regem ad loca citata ex s. Gregorii libris aliquid respondere et si me falso aliquid citasse convincere potuisset, tum demum jure me impudentiae notasset.

Miratus autem valde sum, quorsum exempla martyrum et testimonia ss. Petri et Pauli allata pertineant, quasi non possit humilitatis et patientia servari et simul violentia et crudelitas persecutorum reprehendi. In secundo libro Machab. cap. 7. martyres sanctissimi et patientissimi, quorum patientiam, praedicat s. Cyprianus lib. 4. epist. 6. et sanctus Gregorius nazianzenus integra oratione, s. Augustinus et alii passim, Antiocho regi dicunt, *Tu quidem scelestissime in praesenti vita nos perdis, sed Rex mundi nos pro suis legibus defunctos, in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* Christus ipse humilitatis et patientiae verum exemplar, non timuit patientiam amittere, si servo caedenti se diceret, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: sin autem bene, cur me caedis?* Joan. 18. S. Stephanus primus martyr a vestigiis Domini non recessit, cum persecutoribus suis dixit, *Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.* Act. 7. Neque apostolus Paulus oblitus est patientiae et humilitatis, cum pontifici jubenti percuti os ejus dixit: *Percutiet te Deus paries dealbate.* Act. 23. Similia legimus in historiis sanctorum martyrum et ipsarum etiam sanctarum virginum Agathae, Agnetis et aliarum.

(1) *Haereticorum proprium est in proprios dominos arma sumere.*

(2) *Refellitur nova calumnia, circa sancti Gregorii et beatorum martyrum patientiam.*

Deinde, cur quaeso maculatur humilitas et patientia martyrum, si dicamus, eos coactos subiisse flagella, vulnera, ignes, rotas? Satis enim humilis et patiens est, qui coactus fidem negare, aut crudelem mortem subire, mavult subire mortem, quantumvis crudelem et naturae repugnantem, quam negare fidem: quamvis magis vellet, neminem esse, qui tam duram ei necessitatem imponeret: nam (ut loquitur s. Paulus 2. Corinth. 5.) Nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. Et s. Petro praedicitur a Christo martyrium, per ea verba Joan. 21. *Cum senueris, extendes manus tuas et alius cinget te et ducet quo tu non vis.* Et s. Augustinus lib. 10. confess. cap. 28. *Quis*, inquit, *velit molestias et difficultates pati? tolerare jubes eas, non amare. Nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat, quantumvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse quod toleret.*

Sed maxime admirandum est, quod Rex cum loquitur de patientia martyrum, adducat praecepta ss. apostolorum Petri et Pauli jubentium propter conscientiam subditos esse principibus. Quasi martyres sancti contra praecepta apostolorum facerent, quando contemnentes jussa principum malebant mori, quam eorum legibus, edictisque parere, quibus Christum abnegare et doemonibus immolare jubebantur. Legibus enim principum, quae contra legem Dei non pugnant, nemo nostrum dicit, parendum non esse a subditis. Sed de ejusmodi legibus non agitur, cum de martyrio agitur.

Pag. 121. exagitat Rex locum quemdam ex recognitione librorum meorum, quam nuper edidi. Et quamvis sciam Regem, non tamen esse curiosum in alienis rebus, ut libellos vix dum editos ad se deferri curet: et satis intelligam, quis in ejusmodi rebus Regi laboret: respondebo tamen et objecta crimina brevi responsione purgabo. *Nupero*, inquit, *tractatu, cui titulum fecit, recognitio librorum de controversiis: uniuscujusque nostrum populos ac subditos nostris fascibus superiores esse voluit.* Et paulo infra. *Inter caetera, eximere clericos ab omni temporalium principum potestate: et non modo pontificis, sed et ipsius populi supra nos imperium stabilire pene praecipua sunt egregiae illius recognitionis argumenta.*

Ad haec ego respondeo: Exemptionem clericorum a temporalium principum potestate, docuisse me cum omnibus omnino scriptoribus catholicis, tam theologis, quam jureconsultis: quaestio enim aliqua est de jure, quo clerici sunt exempti, sed aliquo jure exemptos esse omnes docent. Cur ergo mihi uni tribuitur, quod est mihi cum omnibus commune? quod autem subditos regum ipsis regibus superiores fecerim, non poterit Rex ex libris meis probare, cum contra potius in lib. de laicis, debere populos legibus regum temporalium, non solum ex necessitate, sed etiam in conscientia obedire, eisque subesse et subjacere longa disputatione docuerim.

Sed audiamus egregium argumentum Regis adversus clericorum exemptionem. *Et quidem*, inquit, *in illa eximendorum clericorum quaestione, eo studio, eaque contentione depugnat, ut et Caesarem neget legitimum judicem Pauli fuisse contra ipsa contextus verba et provocationem Pauli, qua Caesarem suum esse judicem fatebatur* (1) Omnino nego Caesarem legitimum judicem Pauli fuisse: nam cum ea quaestio quae tunc agebatur inter apostolum et Judaeos, qui eum tradiderant in manus Romanorum, esset quaestio de religione; certe non poterat judex legitimus esse princeps infidelis et laicus. Caussam autem illam fuisse religionis perspicuum est ex cap. 22. Act. ubi Paulo dicente, se missum esse a Christo, ut gentes doceret: Clamor populi ortus est, Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere; et ex cap. 23. ubi Paulus ipse dicit, Quoniam de spe et resurrectione mortuorum ego judicor; et ex cap. 24. Ubi accusant eum Judaei, tamquam auctorem sectae Nazarenorum: et ex cap. 25. ubi praeses ipse romanus dicit: *Cum stetissent accusatores, nullam caussam deferebant, de quibus ego suspicabar malum: quaestiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.* Itaque praecipua quaestio erat de resurrectione Christi: cujus quaestionis esset ne Caesar judex legitimus, an non, Rex ipse judicet.

Deinde ipsa verba contextus nusquam dicunt Caesarem fuisse legitimum judicem Pauli, quod tamen Rex affirmat et inde me reprehendit, quasi negaverim aliquid contra ipsa contextus verba, nisi forte codices anglicani a latinis, graecisque dissentiant. Id solum nos legimus, *Ad tribunal Caesaris sto, ubi me oportet judicari*; et paulo post, *Caesarem appello.* Act. 25. Et rursum, *Coactus sum appellare Caesarem.* Act. 28. Hic nusquam lego, Caesarem fuisse judicem legitimum Pauli, sed solum ob importunitatem Judaeorum, coactum fuisse Paulum appellare Caesarem, non ut judicaret caussam religionis, sed ut eriperet eum de manibus Judaeorum, a quibus non facile eripi poterat per praesidem Judaeae. Jam enim expertus fuerat Paulus debilitatem, ne dicam improbitatem *Felicis* praesidis, qui plane agnoverat innocentiam ipsius, et tamen in gratiam Judaeorum reliquit eum vinctum, cum magistratu abiret, ut legimus Act. 24.

Pergit rex pag. 123. *Ubi vero*, inquit, *fasces regios populo submitti debere disputat, hoc seditionum fundamento utitur, ut probet non regibus auctoritatem a Deo immediate perinde ac pontificibus, esse concessam. Nam rex quilibet, inquit, a populo suo eligitur; immo et populus numquam ita suam potestatem in regem transfert, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit.*

Haec ille, qui (2) si dignatus fuisset verba mea, ut in libro meo posita sunt recitare, respondendi labore opus non esset. Ajo igitur me nusquam disputasse, fasces regios populo submitti debere. Libellus quem Rex ad marginem notat exiguus est, et

(1) *Etiam in controversia de religione paganum imperatorem adversarii judicem faciunt.*

(2) *Non bona fide referuntur verba Bellarmini.*

locus quem ex eo libro, citat brevissimus; Recognitio videlicet in librum tertium,qui est de laicis: consulat lector locum notatum, nihil ejusmodi reperiet.

Ajo praeterea, non esse in meo libro illa verba, quae Rex citat ut mea;rex quilibet a populo suo eligitur. Haec enim propositio nec mea est, neque ullius alterius, quod sciam et apertissime falsa est; cum tam multa sint in orbe terrarum regna successiva, in quibus successio non electio locum habet: nonnulla etiam electiva, sed per electores designatos, non per populum.

Denique neque illa sententia est proprie mea, Quod populus numquam ita transferat potestatem suam in regem, quin illam sibi in habitu retineat. Ego enim sic dixi:*Itaque Navarrus loco notato in cap.* Novit, *de judic. notab.* 3. *nam dubitat affirmare, numquam populum ita potestatem suam in regem transferre,quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit.* Haec verba auctoris notissimi sunt et per omnes christianas provincias, a plurimis lecta et considerata longo tempore,et tamen nemo unquam scripsit, Navarrum jecisse fundamenta seditionis. Cur igitur nunc tandem mihi soli verba Navarri referenti calumnia struitur?

Quod autem et Navarrus et nos dicimus, populi potestatem in regem esse translatam, habetur apud Justinianum imperatorem instit. de jure natur. gent. et civili, § sed et quod principi placuit. Sed intelligitur de primordiis regnorum, non de quacumque regni adeptione. Initio enim liberum fuit populis, vel magistratum cum determinata potestate et ad certum tempus sibi creare, ut respublicae liberae faciunt; vel regem cum absoluta potestate et perpetuum eligere, atque in eo totam suam potestatem transferre, ut in regnis successivis factum esse videmus: sed posteaquam magistratus sive temporalis, sive perpetuus creatus est, non habet imperium populus in magistratum, sed magistratus ac regius potissimum in populum: neque licet sine gravissimo crimine a legitimo principe suo deficere, aut seditionem, rebellionemve agitare.

Pergit deinde pag. 124. et quod in eadem recognitione dixi, Saulem, Davidem et Hieroboam, quamvis a propheta inunctos in reges, tamen non sine populi assensu regnare coepisse; conatur refellere ex eo quod Saul forte electus fuit in regem, ut s. Matthias forte electus est in Apostolum,quemadmodum enim s. Matthias immediate a Deo, sine apostolorum consensu, electus creditur, quia cecidit sors super Matthiam; sic etiam Saul immediate a Deo, sine populi assensu, fuisse credendus est electus in regem.

Respondeo: Et s. Matthiam, et Saulem, quamvis sorte electi sint, non tamen immediate a Deo, sed per consensum hominum electos esse. Quod enim attinet ad (1) s. Matthiam, historia perspicua est Actor. 1; sanctus enim Petrus convocato coetu fratrum, qui erant ad centum viginti, docuit ex prophetia necesse esse eligi unum in locum Judae: tum communi consensu electi sunt duo, qui videbantur omnium optimi:sed quoniam non constabat ex duobus uter esset praeferendus, confugerunt ad orationem et ad consilium sortium, quo in rebus dubiis uti solebant Judaei, ut intelligerent voluntatem Dei. Illa enim optima est electio, qua homines eligunt eum, quem a Deo praeelectum sibi persuadent. Itaque dederunt sortes eis, orantes Deum,ut sortes dirigeret et ostenderet eo signo, quem ipse praeelegisset, ubi autem cecidit sors super Matthiam, ipsi quoque eum elegerunt, quod enim nos legimus annumeratus est cum undecim apostolis, in graeco textu est συνκατεψηφίσθη, idest,suffragiis electus est, ut etiam interpres Chrysostomi vertit. Itaque Deus elegit s. Matthiam et apostoli eumdem elegerunt: Elegerunt autem apostoli partim judicio et concilio proprio, partim sortium auxilio.

Quod autem ad Saulem attinet,res est adhuc clarior (2): sorte enim electus est Saul, ut haberet populus signum divinae voluntatis et sciret quem tuto eligere et in quem potestatem suam transferre secure posset. Et quidem cadente sorte super Saulem, multi de populo clamaverunt, vivat rex;multi etiam recusarunt consentire in eam electionem,sed paulo post cum Saul facto quodam egregio virtutem suam probasset, unanimi consensu electus fuit, ut habetur 1. Reg. 11. *Perrexit*, inquit Scriptura, *omnis populus et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala.* Ut autem intelligatur (3), judicium sortium fuisse apud Hebraeos indicium potius,sive praejudicium, quam absolutum judicium: consulendae sunt Scripturae divinae Josue 7. 1. Reg.14. et Jonae 1.In his enim tribus locis investigatur per sortes, quis ex multis reus esset commissi delicti. Sed ille in quem sors cecidit, non prius punitur, quam ipse delictum ore proprio confiteatur. Quod postea rex addit de electione summi pontificis,non conjectu sortium in urnam, sed praegrandi pecunia in cardinalium fauces, ad calumnias pertinet. Nos certe electioni pontificum bis interfuimus, nec tamen de praegrandi ista pecunia quidquam audivimus, sed solemne est adversariis id, in quo unus aliquando forte peccavit,ad omnes catholicos transferre: sic enim feliciter ipsorum evangelium propagatur.

Quod vero pag. 125. et 126. dicit,mirari se quod lapsus memoria, in eodem parvo opusculo mecum ipse pugnem, quod Saulem et Davidem a propheta inunctos dixerim eguisse populi consensu, ut regnum adipiscerentur: et tamen in eodem opusculo scripserim,Cypriani aetate potestatem eligendi episcopos non fuisse apud populum: Ego admirationem ejus miror; haec enim inter se contraria non sunt, Rex eligebatur a populo tempore Samuelis et episcopus non eligebatur a populo tempore Cypriani, quae enim, rogo, hic contrarietas, quae repugnantia est, ubi personae et tempora diversissima sunt? quod si illa contraria sunt, etiam ista erunt contraria et secum ipse pugnabit, qui dixerit: Rex

(1) *S. Matthias non sola sorte, sed etiam suffragio apostolorum electus fuit.*

(2) *Saul rex et sorte et suffragiis electus fuit.*

(3) *Apud Hebraeos indicio sortium investigabantur occulta crimina.*

Poloniae eligitur a populo, imperator non eligitur a populo, sed a principibus: Rex Francorum neque a populo, neque a principibus eligitur, sed haereditaria successione regnum acquirit.

(1) Quae fuerit Cypriani tempore ratio electionis episcoporum, ipse his verbis testatur lib. 1. epist. 4. *Apud nos et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui praepositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Et paulo ante: *Ut plebe praesente*, inquit, *vel delegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur.* Haec ille, ex quo intelligimus ad plebem pertinuisse episcoporum electionem per testimonium vitae, et morum; ad episcopos autem provinciae ejusdem per judicium, et auctoritatem.

At, inquit rex, cum agitur de rege, Bellarminus vult per consensum populi eligendi potestatem designari: cum agitur de episcopo, eodem illo consensu non jus eligendi, sed electionem ab aliis factam confirmandi intelligit. Respondeo: nullam hic quoque esse repugnantiam: nam consensu populi fuisse necessarium ad regis electionem demonstrant verba Scripturae, quae dicunt, Fecerunt ibi regem Saul coram Domino: consensu populi adhibitum fuisse ad testimonium ferendum de vita et moribus eligendorum, vel electorum ab episcopis, demonstrant verba s. Cypriani paulo ante citata.

Pergit rex et a pag. 127. ad 133. multa dicit de conjuratione pulveraria adversus Garnettum et Ouldcornium jesuitas, de qua re, quoniam maxima ex parte in facto consistit et extat publice edita actio in Garnettum, plena mendaciis; et brevi extabit responsio, quae jam tota conscripta est, atque a me quoque diligenter perlecta; ad illam lectorem remitto. Id solum paucis refellam, quod in historia ista percensenda, adversus Bellarminum proprie dicitur.

Scripserat Bellarminus (2), Henricum Garnettum jesuitam, proditionem illam pulverariam novisse quidem, sed in confessione sacramentali, quam detegere nulla ratione poterat. Rex contra demonstrare nititur, et Garnettum ejus proditionis extra confessionem sacramentalem conscium fuisse: et proditiones ejusmodi in sacramentali confessione auditas, posse ac debere detegi, modo persona confitentis non detegatur. Ad haec duo ita respondeo. Quod Garnettus, non solum in judicio, sed etiam in ipso theatro jam moriturus aperte pronunciaverit, se proditionis illius conscium non fuisse, nisi in confessione sacramentali; testes multi sunt, sed unus praecipue vir gravis, non sacerdos, non jesuita, non seminarii alumnus, qui in ipso theatro prope ipsum Garnettum cum esset, ex ore ejusdem Garnetti id se accepisse mihi sancte affirmavit, quod ego facile credidi, qui multorum annorum Garnetti consuetudine usus, optime novi summam illius viri probitatem et innocentiam, cum summa ingenii et omnis generis eruditione conjunctam.

(3) Sigillum vero confessionis sacramentalis posse detegi ad ingens detrimentum avertendum, modo persona confitentis reticeatur, non ignoro. Sed quaero a rege, si Garnettus retulisset, scire se regi a proditoribus mortem imminere: an passus fuisset ob religionem sacramenti confessionis personam proditoris silentio praeteriri? certe qui confessionis sacramentum nullum esse credit, quique ejusmodi sigillum, ut reipublicae maxime perniciosum aversatur, mox Garnettum rapi in vincula et exquisitissimis tormentis examinari jussisset, neque destitisset donec in cognitionem proditoris et omnium ejus consciorum devenisset: licet igitur proditionem in sacramentali confessione cognitam verbis generalibus christiano et pio principi aperire, ut remedium imminenti malo pareret, quia pro comperto habetur, eum principem nihil ultra fas interrogaturum: sed principi a vera religione alieno, qui sigillum confessionis divinitus imperatum irridet et quem satis constat non passurum ut persona confitentis lateat, nullo modo licet.

Denique Rex pag. 134. 135. et 136. opinionem crudelis saevitiae in catholicos a se removere conatur. *Ad primum*, inquit, *id constanter assevero, hic neminem sive meis, sive defunctae reginae temporibus, conscientiae, ac religionis caussa ultimo supplicio affectum. Nam quantumvis religioni suae deditus sit, quantumvis eam aperte et constanter profiteatur, nullum ei a legibus impendent capitis periculum, nisi comperto contra leges, externo aliquo actu deliquisse: aut conjurationem, consiliumve summae rei perniciosum iniisse: exceptis tantummodo sacrificulis, caeterisque pontificiarum partium qui in transmarinis regionibus initiantur.*

Ad haec facilis est responsio: nam (4) tametsi verum esset, neminem in Anglia religionis caussa extremo supplicio affici, nisi contra leges externo aliquo actu deliquerit: tamen quia leges prohibent recipere sacerdotes catholicos in domum, prohibent reconciliari cum Ecclesia catholica, prohibent interesse sacrificio missae, jubent praestari juramentum de primatu regis in spiritualibus, vel certe jubent suscipi juramentum de non curanda excommunicatione summi pontificis et alia id genus multa, quae ad religionem pertinent: idcirco qui ultimo supplicio afficiuntur propter transgressionem ejusmodi legum, merito dici possunt ultimo supplicio affici propter religionem.

Deinde qui plectuntur, quia sacris ordinibus in transmarinis regionibus initiati sunt, cum in patria ejusmodi sacri ordines non conferantur; nonne propter religionem plectuntur? nonne sacri ordines ad religionem pertinent? Hinc videlicet tam multi nu-

(1) *Quae fuerit electionis forma, tempore s. Cypriani.*
(2) *Henricus Garnettus in sacramentali tantum confessione proditionem pulverariam novit.*
(3) *An liceat sigillum confessionis sacramentalis detegere in aliquo casu.*
(4) *An verum sit neminem in Anglia extremo supplicio affectum esse propter religionem.*

merantur martyres in libro de persecutione anglicana et in altero de schismate anglicano Nicolai Sanderi et in aliis catholicorum libris. Parum enim refert ad martyrium utrum quis occidatur, quia christianus catholicus est, an quia legem transgressus est, quae jubet fidem catholicam abjurare. Nam imperatores pagani edicta proponebant, ne cui liceret Christum Deum confiteri, vel ut suspecti de christianismo juberentur diis publice sacrificare. Deinde tamquam inobedientes legibus imperatorum supplicio afficiebant. Et quemadmodum Rex in hoc eodem loco dicit (1), sacrificulos sub poena perduellionis a finibus Angliae arceri, quia conjurationibus et proditionibus vel conceptis, vel laudatis infames sunt: Sic etiam pagani principes quicquid sceleris publice agebatur, christianis imputabant; ut etiam ob incendium, cujus auctor Nero ipse fuerat, teste Svetonio et quo magna pars urbis conflagravit, Nero imperator christianos plurimos, tamquam auctores exquisitissimis suppliciis interemit, ut libro annalium 15. Tacitus prodidit. Certe pulverariae conjurationis odium in jesuitas conversum est, cum neque jesuitae, neque ullus ex numero sacerdotum particeps ejus conjurationis fuerit.

Atque haec dicta sint, si verum esset, quod Rex hoc loco tam constanter affirmat. Sed id manifeste falsum esse, constat tum ex lib. 3. de schismate anglicano: tum ex libro Andreae Philopatri section. 4. pag. 266. et sequentibus, ubi ex ipsis historiis haereticorum Anglicanorum, aperte demonstratur, plurimos tum clericos, tum laicos, solius religionis catholicae caussae necatos fuisse, ut mirum sit regem ea scribere voluisse, quae ex ipsis subditorum suorum aut verbis, aut scriptis refutantur.

Quia vero Rex pag. 136. reginae Mariae, catholicae, ac piae principis tempora saevitiae nota infamat dicens: *Tunc nulla suppliciorum atrocitas in viros, in foeminas, in infantes nostram religionem profitentes, est omissa: immo contra Dei, naturaeque leges, gravidis mulieribus mors immanissime illata, infansque e materno alvo exiliens in easdem cum matre flammas injectus* (2). Sciendum est hanc omnem tragoediam excitari propter unius meretriculae obstinationem, quae gravida cum esset, gravidam esse se numquam fateri voluit. Igitur igni tradita, more pertinacium haereticorum, est: ac ut non solum haeresis, sed et mendacium etiam patefieret, ex ejus alvo prodiit non infans, sed informis, ac sine anima caro, quam in ignem fuisse conjectam mirandum non est: quemadmodum vere mirandum et execrandum esset, si vivus infans prodiisset.

Sed haec immanitas tantum aberat a moribus illorum, qui regnante Maria judiciis praeerant, quantum absunt, qui ista confingunt, a studio veritatis.

Hanc historiam, si tamen historia est, fama accepi, non in libro aliquo legi. Sed scio etiam a viris gravibus pro fabula haberi, conficta videlicet a Foxio ejusmodi rerum artifice peritissimo. Consulat lector Hardingum adversus Ivellum, vel auctorem Triplicis conversionis Angliae adversus Foxium.

CAPUT XIV.

Excutitur peroratio regis.

(3) In extrema peroratione sua Rex primum admonet in communi principes omnes, tamquam vicarios Dei, ut serio cogitent de evangelii plantatione, et propagatione; et sceptrorum suorum securitati mature provideant, cum Dei benignitas spiritualem libertatem, cum temporali voluerit esse conjunctam. Deinde hortatur principes alienos ab Ecclesia romana, ut verae fidei unitatem conservent et communionem spiritus in vinculo pacis; ne factis inter ipsos schismatibus, scandalum fidei oriatur et fiant parabola opprobrii adversariis, quibus unitas una e praecipuis est verae Ecclesiae nota. Addit autem, mediam prope partem orbis christiani in suam religionem consentire. Denique principes catholicos, quorum mentes dicit, nondum veritatis fulgore esse illustratas, excitat ut oculos aperiant, atque in primis ut Scripturas perlegere velint, atque ex illis credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed super propria et certa scientia, fidei fundamenta collocare.

Et quidem quod attinet ad primam partem admonitionis, videtur ea mihi sacris evangeliis prorsus esse contraria (4). Christus enim in evangelio, nusquam principes saeculi vicarios suos facit; nusquam illis mandat evangelii plantationem, vel propagationem, nusquam libertatem spiritualem cum temporali conjungit, ut videlicet principes liberi in temporalibus, liberi sint etiam in spiritualibus: sed apostolis, qui reges et principes temporales non erant, dixit: *Euntes praedicate dicentes, quia appropinquavit regnum coelorum.* Matth. 10. iisdem dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* Matth. ultim. iisdem dixit: *Praedicate evangelium omni creaturae,* Marci ult. iisdem dixit: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos: Et quorum remiseritis peccata remittentur eis,* Joan. 20. Petro vero apostolorum primo, non Tiberio principum temporalium primo, ovile suum commisit dicens: *Pasce oves meas,* Joan. 21. Qui sint autem apostolorum successores apostolus Paulus docet Actor. 20. ubi dicit, episcopos positos esse a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo: Apostoli vero Petri successores, romanos esse pontifices docent antiquissimi Patres, qui eos enumerant, Irenaeus lib. 3. cap. 3. Eusebius in historia et in chronico; Epiphanius haeresi 27. Optatus lib. 2. cont. Parmeniani: s. Augustinus in epist. ad Generosum, quae est 165. Denique

(1) *Sic imputantur hodie proditiones in Anglia sacerdotibus: ut imputabantur olim publica scelera christianis in terris paganorum.*

(2) *Defenditur regina Maria a nota barbarae crudelitatis.*

(3 *Summa totius perorationis tribus capitibus comprehensa.*

(4) *Evangelii plantatio et Ecclesiae gubernatio apostolis, non regibus, a Christo commissae.*

Hieronymus et Prosper in continuatione chronici Eusebii.

Videat ergo Rex, dum principes temporales liberos facere nititur ab obedientia pastorum Ecclesiae et super ipsam Ecclesiam constituere; ne captivos diaboli faciat et ab Ecclesia excludat (1). Quicumque enim in Ecclesia Christi sunt, aut pastores aut oves sunt: oves autem pastoribus subditas esse debere, non Scriptura solum, sed et ratio ipsa demonstrat. Principes temporales, non esse in Ecclesia pastores a Christo institutos, paulo ante monstravimus, neque ipsi negare possunt, nisi non contenti solio, et sceptro, et corona, cathedras quoque episcoporum, et baculos pastorales, et mitras pontificum velint invadere. Restat igitur ut oves sunt, ac per hoc obedientes praepositis esse debeant, et subjacere eis qui pervigilant, tamquam rationem pro animabus illorum reddituri, ut Apostolus monet ad Hebr. 13.

Jam vero in altera parte admonitionis gloriatur Rex, mediam prope partem orbis christiani in suam religionem consentire, quod quidem verum est, si per religionem suam intelligat omnes sectas quotquot sunt a catholica fide discordes. Plurimi enim sunt ad orientem, et meridiem Nestoriani, Dioscoriani, Jacobitae et similes, cum quibus magna ex parte Abyssini conveniunt: plurimi quoque sunt ad occidentem et septentrionem Hussitae, Lutherani, Zwingliani, Anabaptistae, Confessionistae, Calviniani, Ariani quoque et Samosateni. Si hos omnes pro suis Rex agnoscit, recte gloriatur, sectam suam ita propagatam, ut mediam prope partem christiani orbis obtineat. Si vero pro suis non agnoscit nisi Calvinianos mistos, Puritanis videlicet exclusis, nescio an (2) mediam partem regni sui numerare poterit in iis, qui religioni suae consentiunt.

Quod autem Rex cupit, omnes qui a Luthero descendunt, in unitatem fidei convenire; cum principalis verae Ecclesiae nota sit unitas; inani desiderio tenetur, frustra laborat, impossibilia concupiscit (3). Quomodo enim fieri potest, ut lites finiant, qui judicem nullum admittunt, nisi Scripturas, quas unusquisque pro arbitrio suo ad opiniones suas detorquet? certe si in litibus civilibus dirimendis nihil haberemus praeter leges, judicibus atque arbitris omnino exclusis, quem finem litium sperare possemus? Et nonne jam per nonaginta circiter annos Lutherani experti sunt, in discordis gravissimis de summa fidei se concordiam frustra tentasse? desinat ergo Rex unitatem spiritus apud eos quaerere, qui spiritu contradictionis pleni sunt neque speret concordiam in fide apud eos unquam futuram, qui circa fide naufragaverunt, qui fidem divinam in opiniones humanas commutaverunt, et qui denique (quod potissimum est) ab unitate Ecclesiae catholicae atque apostolicae, in petra firmissima stabilitae, atque fundatae semel recesserunt.

Venio ad tertiam partem admonitionis, in qua Rex principes nostros catholicos, nondum luce veritatis illustratos esse dicit, atque ideo (4) monet, ut lumen aspiciant. Ubi primum quaero, unde novum istud lumen Anglis effulserit? ab aquilone respondebit: inde enim primus eorum propheta Lutherus emersit. At nos prophetam audimus dicentem: *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Hierem. 1. Et si omne malum, certe etiam tenebrae errorum, non lux veritatis.

Deinde Christus in novissimis temporibus pseudoprophetas surrecturos praedixit, Matth. 24. non prophetas novos. Apostoli Petrus et Judas illusores venturos in ultimis diebus admonuerunt, non reformatores. 2. Petri 3. Judae v. 18. Idem Judas apostolus, sydera errantia praedixit exoritura iis, qui veram lucem amiserunt. Denique sanctus Paulus 2. ad Timoth. 3. *In novissimis*, inquit, *diebus instabunt tempora periculosa: erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi;* et 1. Timoth. 4. dicit, futuros in iisdem novissimis temporibus, qui discedentes a fide intendant spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum. Ergo si scripturas scrutari Rex voluerit, intelliget omnino, novos istos fidei architectos, non reformatores, sed illusores; non prophetas, sed pseudoprophetas; non stellas lucidas et matutinas, sed errantia sydera esse, quibus procella tenebrarum servatur in aeternum.

Atque ut principes orthodoxi plane perspiciant, quale lumen aspiciendum Anglorum Rex ipsis ostendat, verba illa perpendant, quae Rex in extrema sua adhortatione posuit, cum ait (5). *Cum Paulo opto vos omnes fieri tales, hac una in re, qualis ego sum: in primis ut velitis Scripturas pervolvere, ex his credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia, fidei fundamenta collocare, quando justus ex fide vivet, et unusquisque sit fide propria salvus.* Ubi satis aperte docet, unumquemque debere esse judicem in rebus fidei, suoque judicio potius quam Ecclesiae, vel conciliorum, aut summi pontificis acquiescere.

Quae doctrina non est ipsius regis propria, sed illis communis, qui nunc in Anglia rem theologicam tractant. Sic enim clarioribus verbis hoc idem tradit Witacherus, unus ex primariis Anglorum scriptoribus, in libro, quem proprie contra me scripsit, controversiae primae quaestione quinta. *Unusquisque sibi judex esse debet, et suo judicio non plane privato quidem, sed divinitus inspirato stare*: et paulo infra rationem reddens ait: *Concilia, Patres, papae homines sunt, et Scriptura testatur, omnem hominem mendacem esse: quomodo ergo illorum sententia acquiescam?* haec ille. Quod sane dogma omnibus haeresibus aditum aperit, neque tam est haeresis, quam haeresum omnium janua. Verissime enim sanctus Cyprianus lib. 1. epist. 3. scripsit, hinc haereses or-

(1) *Reges in Ecclesia esse debent, non super Ecclesiam; quippe oves, non pastores.*

(2) *Non media pars orbis christiani, sed vix media pars Angliae in religionem regis consentit.*

(3) *Unitas fidei inter haereticos optari potest, obtineri non potest.*

(4) *Proprium est haereticorum, cum in tenebris errorum degant, lucem veritatis polliceri.*

(5) *Hic omnibus haeresibus janua aperitur.*

tas esse, quod unus in Ecclesia Dei ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi non cogitatur, quomodo enim haereses impediri possunt, ne nascantur; vel jam natae resecari, ne propagentur; ubi tot sunt magistri, quot discipuli; tot judices, quot litigatores?

Neque solum ex hoc uno dogmate nascuntur haereses multae, sed omnino ipsa fidei certitudo: (1) cum nemo sibi polliceri possit, se verum spiritum Dei habere: aut veram scientiam adeptum esse, quam ad fidem stabiliendam Rex requirit. Scriptura siquidem de Ecclesia ipsa testatur, quod sit columna, et firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. de spiritu, vel scientia propria nusquam testatur. Patres in concilio legitimo congregati, vere, et tuto dicunt: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* Act. 15. Privati homines nisi temere hoc dicere non audebunt, quantumvis docti, et spirituales sibi esse videantur. Apostolorum principi dictum est a Domino, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Luc. 22. Et quoniam privilegium hoc Petro primo summo pastori propter Ecclesiam datum est, non temere a fidelibus creditur ad successores quoque Petri pertinere: de privatis hominibus nihil tale legitur.

Denique utriusque Testamenti tabulae in rebus dubiis ad sacerdotis summi judicium nos remittunt: ad judicium proprium neminem remittunt: *Si difficile, atque ambiguum judicium apud te esse perspexeris, surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotem levitici generis et ad judicem qui fuerit illo tempore: quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*, Deut. 17. et Malach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ab ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Et Dominus in evangelio Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribae et Pharisaei: quaecumque dixerint vobis servate, et facite.* Et Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Et cur Dominus Petro pascendas oves commisit, nisi ut oves rationales pascua doctrinae non a se ipsae, sed ab illo acciperent? Et cur posuit Deus in Ecclesia sua pastores et doctores, juxta Apostolum ad Ephes. 4. si unusquisque sibi pastor et doctor esse debebat?

At concilia, Patres, papae, homines sunt, et secundum Scripturae testimonium mendaces (2). Respondeo: Apostolos quoque et prophetas homines fuisse, et tamen eis tuto credi potuisse, quoniam non erat mendax spiritus, qui loquebatur in eis. Sic igitur concilia legitime congregata, Patres unanimi consensu praedicantes, papa in cathedra Petri sedens, et docens, homines sunt, et ex naturae humanae fragilitate mendaces; sed non est mendax Spiritus sanctus, qui per ejusmodi homines Ecclesiam docet.

Particulares vero homines, non tantum homines sunt, et per se, atque ex se mendaces, sed neque promissionem ullam habent, quod eis spiritus veritatis assistat: Et experimento didicimus haereticos hujus temporis, qui contraria, atque inter se pugnantia dogmata profitentur, omnes omnino Spiritus sancti illustrationem et scientiam Scripturarum jactare: et illos ipsos magis de Spiritu et scientia gloriari, qui longius a veritate absunt, quales sunt omnium fere judicio Anabaptistae. Quare si super scientia propria, vel privata spiritus illustratione fundamenta fidei collocanda sunt; non super petram, sed super arenam domus fidei nostrae fundata, non poterit effugere, quin stante vento tentationis, fiat ruina illius magna.

Sed si regi Jacobo licuit, optare cum Paulo, ut omnes catholici reges et principes fierent, qualis ipse est: cur non majore ratione licebit tot magnis regibus, aliisque principibus orthodoxis optare, ut Rex Jacobus fiat quales ipsi sunt, et quales fuerunt omnes majores ejus, avi, proavique Scotiae reges a Donaldo primo, qui a sancto Victore papa, et martyre christiana sacra suscepit, usque ad Mariam parentem ejus, feminam optimam, atque sanctissimam? Satis enim constat, Scotiae reges, singulari Dei benedictione per annos mille trecentos sibi invicem succedentes, catholicos fuisse, unò Jacobo sexto excepto, qui temporum injuria, piorum parentum cura destitutus, in educatores haereticos incidit, atque ab illis institutus a via majorum deflexit.

Optant igitur, quod de illorum summa pietate, et charitate fidenter praesumo, omnes catholici reges et principes caeteri, in primis Caesar ipse Rudolphus, atque a Deo precantur, ut Jacobus Rex aliquando majorum suorum vestigia requirat, atque ad ea rediens, iisque insistens ita vivat, et regnet in praesenti saeculo, ut etiam in futuro una cum ipsis in aeternum vivere, ac regnare mereatur.

CAPUT XV.

Responsio ad ea, quae sub nomine Mendaciorum ementitarum historiarum, et novorum dogmatum, rex scripsit adversus librum Matthaei Torti, qui vere cardinalis Bellarmini liber est, sed justis de caussis alieno nomine editus.

Post praefationem monitoriam Jacobus Rex exponit tabulam, in qua notat mendacia viginti, ementitas historias quinque, et nova dogmata item quinque, in libro Matthaei Torti a se reperta: ut inde de toto libro judicium fiat. Eamdem ipsam tabulam ego quoque hic adscribam, adjuncta brevi responsione, ex qua manifeste appareat, nullum in eo libro esse mendacium, nullam historiam ementitam, nullum dogma novum:

Primum Mendacium pag. 9. edit. Politanae.

Hic, in juramento fidelitatis, aperte negatur

(1) *Qui proprium spiritum judicem controversiarum fidei facit, amittit fidei certitudinem.*

(2) *Solvitur objectio adversariorum.*

summo pontifici potestas excommunicandi reges haereticos.

Confutatio

Quaestio de pontificis potestate in regibus excommunicandis nec tractatur, nec ullo modo definitur in juramento fidelitatis; sed ex proposito declinatur. Inspiciantur verba juramenti, et monitoria praefatio pag. 10. *et* 11.

Responsio

Auctor libri non scripsit, in juramento fidelitatis tractari, aut proprie definiri quaestionem de potestate pontificis in regibus excommunicandis, satis enim intelligebat, in formula juramenti non esse locum quaestionum theologiae disputandarum. Sed affirmavit in ea formula negari pontifici maximo potestatem excommunicandi reges etiam haereticos: quod verum esse, perspicuum est ex illis verbis juramenti: *Item juro ex corde, non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel concessa, aut fienda, vel concedenda per papam, vel successores ejus etc. fidelitatem, et veram obedientiam suae majestati, haeredibus et successoribus suis praestabo.* Haec ibi: qui vero jurat se obediturum regi haeretico, non obstante excommunicatione papae, non jurat simul, se non agnoscere in papa potestatem excommunicandi reges haereticos? alioqui enim non juramentum, sed sacrilegium esset, jurare se non obediturum sententiae excommunicationis a papa latae in regem haereticum, si crederet esse in papa veram potestatem excommunicandi reges haereticos.

II. Mendacium pag. 10.

Nam ex verbis illis Dominicis. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, catholici omnes colligunt ad pontificis maximi auctoritatem pertinere, non solum potestatem absolvendi a peccatis, sed etiam a poenis, censuris, legibus, votis, atque a juramentis.

Confutatio

Quod non omnes romani catholici ita colligant ex hisce Christi verbis Matth. 16. *ut alia argumenta tacitus praeteream, vel inde apparet, quod ex plurimorum sententia quicquid Christus promisit Matth.* 16. *id actu praestitit Joan.* 20. *cum dixisset, Quorum remiseritis etc. unde constat, Christum potestatem illam solvendi promissam sensisse de absolutione a peccatis, nulla hic mentione facta de absolutione aliqua a legibus, votis, juramentis. Atque ita sentiunt Theophylactus, Anselmus, Hugo cardinalis, et Ferus in Matth.* 16. *Sic etiam Scholasticorum primarii. Alexander Alensis in summa p.* 4. *q.* 79. *memb.* 5. *et* 6. *art.* 3. *Thomas in* 4. *d.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *Solus in* 4, *d.* 19. *art.* 1. *Hadrianus sextus papa in* 4. *d. q.* 2. *de clavibus p.* 302. *edit. Paris. anno* 1530. *qui etiam pro hac interpretatione citat Augustinum, et glossam interlinearem.*

Responsio

Ea de caussa scripsi, ab omnibus catholicis colligi ex illis verbis Dominicis, *Quodcumque solveris etc.* ad pontificem Petri successorem pertinere potestatem, non solum remittendi peccata, sed etiam solvendi a poenis, censuris, legibus, votis, juramentis: quoniam nullus catholicorum negat haec omnia ad summum pontificem pertinere; neque rationem efficaciorem reddere possunt, quam amplissimum, et universale privilegium illud, *Quodcumque solveris etc.* et quamvis verum sit, quod Theophylactus, et alii dicunt, quod uni Petro promissum fuit Matth. 16. datum esse omnibus Joann. 20. tamen non est verum quoad omnia. Siquidem Petro Matth. 16. promissa fuit potestas, non solum remittendi peccata, sed etiam solvendi omnia vincula, quae impedire possunt adeptionem regni coelorum: Apostolis autem Joann. 20. data potestas est remittendi peccata, non quomodocumque, sed per sacramenta Baptismi et Poenitentiae, ut docent sancti Chrysostomus et Cyrillus in cap. 20. Joann. et s. Hieronymus in epist. ad Hedibiam q. 9. quibus accedit s. Anselmus, qui in cap. 16. Matth. scribit, per illa verba Joann. 20. *Quorum remiseritis etc.* dari potestatem remittendi peccata, non solum apostolis, sed etiam omnibus episcopis et presbyteris. Constat autem presbyteros non habere potestatem remittendi peccata, nisi per sacramenta, quae vocatur potestas ordinis. Nec minus constat, habere episcopos, et multo magis summum pontificem, potestatem jurisdictionis, dandi indulgentias, dispensandi in legibus, votis, juramentis, et similibus; sed pontificem illam habere absque limitatione, ut principem, et caput Ecclesiae universae, episcopos autem cum limitatione, ut vocatos in partem sollicitudinis. Si quis autem quaerat, ubi datum sit Petro, quod ei promissum fuerat Matth. 16. Respondeo datum fuisse Joann. ult. quemadmodum enim Dominus Matth. 16. nominatim expressit Simonem, et patrem ejus, ut eum distingueret ab aliis, et promisit claves regni coelorum: et super eum Ecclesiam aedificaturum se dixit: ita postea Joann. ult. nominatim expressit Simonem, et patrem ejus et distinxit ab aliis, atque ei dixit, *Pasce oves meas.* Idem enim est esse fundamentum aedificii et pastorem ovilis, et caput corporis et principem civitatis, cui in signum potestatis dantur claves ejusdem civitatis, ut possit admittere, vel excludere. Sed ad singulos auctores respondeamus. Theophylactus in cap. 16. Matth. solum dicit, quod promissum fuit Petro Matth. 16. datum fuisse omnibus apostolis Joann. 20. quod est verum de potestate remittendi peccata per sacramenta: non autem verum est: de omni potestate solvendi, atque ligandi: neque Theophylactus hoc negare potest, cum sanctus Joannes chrysostomus (cujus commentaria Theophylactus in compendium redegit) scribat in caput 16. Matthaei, Petrum factum esse a Christo caput totius Ecclesiae, et totum orbem terrarum illi esse commissum, ad quod

officium certe non sufficit potestas remittendi peccata per sacramenta. Anselmus in cap. 16. Matth. dicit quidem eamdem potestatem remittendi peccata, datam esse apostolis, immo etiam omnibus episcopis et presbyteris Joan. 20. quae promissa fuit Petro Matth. 16. Sed addit, unum Petrum factum esse principem apostolorum, ut intelligeremus in Ecclesia esse debere unum principalem Christi vicarium, ad quem diversa Ecclesiae membra recurrant. Hugo cardinalis in cap. 16. Matth: secutus Anselmum loquitur de potestate remittendi peccata, et recte dicit, eam promissam fuisse Matth. 16. et datam Joan. 20. sed non negat, aliam quoque potestatem promissam, et datam Petro, quae non est expressa Joan. 20. Joannes Ferus in cap. 16. Matth. non confert hunc locum cum cap. 20. Joannis. Itaque frustra citatur, neque tantus est auctor, ut ejus testimonium movere nos debeat. Alexander Alensis non dicit, quod fuit promissum Matth. 16. fuisse datum Joan. 20. sed contra dicit, claves datas fuisse Petro Matth. 16. etiam si videantur verba esse de futuro: *Respondeo*, inquit, *Quod claves fuerunt datae ibi, Tibi dabo claves, et licet, tibi dabo claves, exprimatur per modum promissionis eventus futuri; nihilominus ibi cum verbis sequentibus quae sunt, Quodcumque ligaveris, datae fuerunt Petro praecipue*: et infra: *Aliis fuerunt datae Joan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata etc.* Idem Alex. in eodem art. 3. paulo ante, sic loquitur: *Voluit Deus quosdam in alios plures habere potestatem, et deinde in illos, alios pauciores; et sic semper quousque perveniretur ad unum. scilicet papam, qui sub Deo immediate est.* Sanctus Thomas in loco citato a rege, ponit in argumento contrario, quae Rex pro se citat, et postea solvit illud argumentum dicens, datam esse primo soli Petro potestatem ligandi et solvendi: deinde datam esse aliis, ut ostenderetur, ab illo tamquam a capite descendere debere potestatem in alios. Idem quoque s. Thomas in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. ad primum, distinguit de potestate ordinis et jurisdictionis, et priorem dicit esse datam omnibus aequaliter Joan. 20. non solum apostolis, sed etiam omnibus sacerdotibus, quod probat ex ritu Ecclesiae, ubi in ordinatione presbyterorum dicuntur haec verba, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata etc.* posteriorem potestatem dicit non esse aequaliter in omnibus, sed principaliter in Petro, ut habetur Matth. 16. Et per illum in alios descendere. Dignetur autem Rex consulere eumdem sanctum doctorem in cap. 16. Matthaei, et inveniet quod ego supra dixi, quod promissum fuit Petro Matth. 16. per illud, *Tibi dabo claves*, datum esse reipsa eidem Petro Joan. 21. per illud, *Pasce oves meas.* Inveniet quoque haec verba, papa qui est loco sancti Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso. Sotus in loco a rege citato, idest, dist. 19. art. 1. nihil de hac re dicit. Sed vitio scriptoris fortasse posita est distinctio 19. art. 1. pro dist. 20. q. 1. art. 2. in hoc enim loco tractat Sotus de clavibus. et allegat duo testimonia Scripturae Matth. 16. et Joan. 20. et 21. sed non dicit, quod Rex vellet, quod promissum fuit Matth. 16. id totum datum fuisse Joan. 20. sed dicit cum cardinali de Turrecremata, potestatem Ordinis collatam apostolis Joan. 20. promissam autem Petro plenissimam potestatem ordinis, et jurisdictionis Matth. 16. et re ipsa collatam eidem Petro Joan. 21. Restat Hadrianus VI. in 4. sentent. q. 2. de clavibus Ecclesiae, ubi dicit, duas esse claves, alteram scientiae, alteram potestatis, et hoc probat ex Augustino et glossa interlineari. Sed an ex hoc dicto Hadriani, vel ex aliis citatis auctoribus convincatur Tortus mendacii, lectorum erit judicium.

III. Mendacium pag. 18.

Odi parricidia, execror conspirationes, sed occasiones desperandi datas nemo inficiari potest.

Confutatio

Quod occasio desperandi pulverariis proditoribus non erat data, ut iste mentitur, sed quod a jesuitis edocti irruebant in hoc sanguinarium facinus. Vide Monitor. *Praef. pag.* 132 133. *et actionem in proditores.*

Responsio

Verissime datam fuisse occasionem desperandi proditoribus, testantur gravissima edicta in recusantes adire ecclesias haereticorum, quae tanto graviora sunt, quanto magis speraverant, catholici sub novo principe mitigandam fore acerbitatem persecutionis Elisabethae reginae. Quod autem a jesuitis edocti non fuerint proditores, solis luce clarius est. Ipsi enim proditores sub ipsum mortis articulum publice professi sunt nullum se habuisse, vel auctorem, vel socium in eo facinore ex jesuitis, vel aliis catholicis sacerdotibus. Id mihi retulit vir nobilis et fide dignissimus, qui supplicio proditorum interfuit, et auribus ipse suis audivit protestationem unius ex praecipuis proditoribus. Ipse quoque Garnettus publice, et in judicio coram multis nobilibus et ad patibulum coram populo protestatus est, eam proditionem sibi non fuisse notam, nisi in confessione sacramentali; notam a se damnatam et totis viribus impeditam. Actionem in proditores, quam Rex citat, plenam esse mendaciis maximis et clarissimis perspicuum est ex responsione jam edita, vel brevi proditura, quam ego, antequam ederetur, vidi et miratus fuissem inveniri homines, qui mentiri auderent de rebus notissimis: nisi legissem apud Eusebium lib. 9. hist. eccles. cap. 5. ex versione Ruffini, a persecutoribus christianorum conficta fuisse acta apud Pilatum de passione Christi, et per omnes provincias disseminata plena blasphemiis et mendaciis. Quid enim mirum est, si de servulis Christi acta scribantur ejusmodi, si de ipso Domino scripta fuisse dubitari non potest?

IV. Mendacium pag. 26.

Nam ab eo juramento non solum catholici, sed etiam Calvinistae Puritani abhorrent.

Confutatio

Puritani non abhorrent a juramento primatus, sed quotidie suscipiunt, nec unquam recusarunt. Eumdem etiam primatum tuetur Calvinus Instit. lib. 4. cap. 20.

Responsio

Puritanos Calvinistas abhorrere a juramento primatus, ex praefatione monitoria, et ex Basilico Doro ejusdem regis didicimus, nam in utroque libro Rex Puritanis tribuit anarchiam. Anarchia enim et monarchia, sive primatus contraria sunt. Non tamen negaverim, a Puritanis admitti juramentum primatus, sed temporalis, qui ad Ecclesiam protegendam, non ad spiritualia ejus negotia administranda pertineat. Sic enim explicatur primatus regis in Confessione scotica edita anno 1581. *Et quoniam*, inquiunt, *percipimus Ecclesiae et religionis nostrae tranquillitatem et stabilitatem, ex salute et bono regimine regiae majestatis tamquam instrumento consolatorio divinae misericordiae, huic regno pro Ecclesiae conservatione, et justitiae administratione inter nos concesso pendere: spondemus et promittimus corde, sub eisdem juramento, subscriptione et poenis, defensores ejus personam, auctoritatem et dignitatem bonis, corporibus, et vitis, in tutelam evangelii Christi, libertatis patriae etc.* Atque hic est primatus, quem Calvinus agnoscit lib. 4. Instit. cap. 20. qui primatum in spiritualibus verum et proprium, neque regi neque pontifici unquam permisit. Ac ut regi domesticum testem adducam, extat liber Richardi Brancolli, qui se cantuariensem archiepiscopum vocat, cui titulus est, Praetensa Puritanorum disciplina, in quo libro cap. 22. haec leguntur: *Hinc est (ut veritatem aperte fateamur) quod Calvinus nullo modo ferre poterat, regem Henricum octavum caput Ecclesiae vocari, aut supremum gubernatorem in terris ecclesiarum Dei, quae in suis ditionibus erant.* Haec ille, qui eodem capite et sequentibus duobus id in primis demonstrare conatur, negationem primatus ecclesiastici in regibus, communem esse Puritanis cum Papistis, et eo maxime differre a Protestantibus Puritanos.

V. Mendacium pag. 28.

Principio non scribit pontifex, se moerore affici ob calamitates, quas tempore reginae, aut initio regni Jacobi regis, in Anglia pro retinenda orthodoxa fide catholici patiebantur, sed ob calamitates, quas hoc tempore patiuntur.

Confutatio

Verba ipsius Brevis recitasse, est hoc mendacium confutasse: sic enim scribit papa: Magno moerore nos semper affecerunt, tribulationes et calamitates, quas pro retinenda catholica fide jugiter sustinuistis, sed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est.

Responsio

Omnino verba ipsius Brevis recitasse, est confictum fuisse mendacium demonstrasse, nulla enim fit in verbis Brevis mentio temporis, reginae Elisabethae, aut initii regni Jacobi, perperam ergo verba Brevis ad illa tempora referuntur, praesertim cum neque tempore reginae, neque initio regni Jacobi, Paulus V. pontifex fuerit. Scribit igitur de calamitatibus Anglorum catholicorum, quas initio pontificatus sui gravissimas fuisse, et anno sequente, quo primum Breve scriptum est, non parum crevisse acceperat.

VI. Mendacium pag. 28.

In primo articulo (Statuti) confirmantur leges Elisabethae.

Confutatio

In primo articulo istius statuti nulla fit mentio de confirmandis legibus reginae Elisabethae.

VII. Mendacium pag. 29.

In 10. articulo (ejusdem statuti) additur; ut si tertia vice (catholici) propositum juramentum recusaverint, capitis vitaeque dispendium patiantur.

Confutatio

Nullus est ejusmodi articulus in toto illo statuto, ubi, vel de proponendo hoc juramento tertia vice, vel de capitis, vitaeque dispendio ulla mentio habeatur.

VIII. Mendacium pag. 30.

In 12. habetur, ut qui principibus externis militare voluerit, is prius juramentum praefatum praestet, alioqui perduellis habeatur.

Confutatio

Non dicitur in statuto, quod perduellis habebitur, sed quod feloniae reus habebitur, qui principi extraneo militare voluerit, priusquam juramentum susceperit.

Responsio ad tria praedicta

Statutum, cujus articulos in libro meo descripsi, habetur in libello latino edito Rhotomagi anno 1606. cujus hic est titulus: Breviculus duorum nuper in publicis comitiis anglicanis actorum, anno Christi 1606. Jacobi Angliae regis tertio, in eo libello habentur omnia illa, quae Rex negat: haec enim sunt verba ipsa articuli primi: *Visum est regiae majestati, regnique proceribus et statibus, qui ad hoc parlamentum convenerunt, omnes in*

primis leges tempore Elisabethae, et aliorum regum contra Papistas stabilitas confirmare, et ratas habere. Articuli vero decimi haec sunt verba, *Qui vero tertia vice juramentum de primatu regis in spiritualibus recusaverit, si modo regi ut illi proponatur, placuerit, capitis vitaeque dispendio puniatur.* Articuli duodecimi haec sunt verba ultima: *Statuitur auctoritate praedicta, ut quicumque hujus regni subditus, post decimum diem junii insequentem, principibus externis militare voluerit, is prius juramentum praestabit: alioquin perduellis habeatur.* Haec ad verbum in eo libello habentur. Ac ut fidem meam certius liberem, et quia libellus elegantissimus est, dabo operam ut primo quoque tempore recudatur.

IX. Mendacium pag. 35.

Ostendimus eo juramento, negari potestatem apostolicam tum ligandi, tum solvendi.

Confutatio

Nulla est sententia assertoria in isto juramento, nec ullum verbum, nisi conditionale de pontificis potestate ligandi, vel solvendi.

Responsio

Neque auctor dixit per assertoriam propositionem negatam esse pontifici potestatem ligandi et solvendi: sed per jurationis formulam affirmavit esse negatam, qui enim jurat, ut haec formula praescribit, pariturum se regi; non obstante sententia excommunicationis a pontifice lata, is negare censetur potestatem pontificiam ligandi per sententiam excommunicationis: et qui jurat (ut eadem haec formula jubet) et credit a nullo se posse absolvi, ac ne ab ipso quidem pontifice, ab obligatione hujus juramenti, is negat in summo pontifice potestatem solvendi. Quod autem Rex dicit, nullum esse verbum nisi conditionale in hoc juramento de pontificis potestate ligandi vel solvendi, non apparet in quo sensu veritate nitatur. Ista siquidem verba: *Vere credo, et certa conscientia teneo, quod neque papa, neque quivis alius me ab hoc juramento, vel illius ulla particula absolvere possit*; non sunt conditionalia, sed absoluta; et in hac juramenti formula expresse continentur; et ad potestatem pontificiam negandam circa absolutionem, apertissime pertinent.

X. Mendacium pag. 37.

Diocletiano et Neroni, vellent nollent, ipsi etiam summi pontifices subjecti esse cogebantur.

Confutatio

Quod christiani sine exceptione, non coacte sed libere, et propter conscientiam, ethnicis imperatoribus subjiciebantur, vide apolog. nostram pag. 23, 24. *et veterum apologetica.*

Responsio

Quod christiani subditi regibus vel imperatoribus etiam ethnicis propter conscientiam subjici debeant, et obedire in iis rebus, quae contra Deum non sunt, nos quoque docemus; sed si qui sint eorum imperio non subditi, etiam si christiani sint, certe subjici et obedire non tenentur, nisi forte vi et potentia adacti. Exempla habemus in praedecessoribus Regis Anglorum et Scotorum, Romanis enim ethnicis imperatoribus, regnabat in Anglia Lucius Rex christianus: et in Scotia Donaldus Rex item christianus, quaero igitur a Jacobo rege, utrum existimet reges illos christianos Lucium et Donaldum debuisse obedientiam et subjectionem propter conscientiam imperatoribus ethnicis? Negabit opinor, neque alia de caussa, nisi quia summi principes erant in suis regnis, et ideo non subditi imperatoribus romanis. Eodem igitur modo christiani subditi imperatoribus ethnicis, obedientiam illis debebant secundum conscientiam: Summus autem pontifex Christi regis regum vicarius imperatoribus terrenis jure subditus non erat, ac per hoc obedientiam illis non debebat: sed tamen, tum quia potestas ejus nota non erat imperatoribus paganis, tum quia viribus temporalibus destitutus erat, vellet nollet, ut dixi, subjectus esse cogebatur.

XI. Mendacium pag. 47.

Quibus verbis (Brevium Clementis VIII.) Jacobus Scotiae Rex non excludebatur, sed includebatur potius.

Confutatio

Si Brevia Clementis non excludebent me a regno, sed includebant potius, cur ea flammis tradidit Garnettus? quare non mihi videnda asservavit, ut sibi et suis catholicis apud me majorem inde gratiam conciliaret?

Responsio

Brevia illa pontificia, neque nominatim Jacobum regem excludebant, neque nominatim includebant, sed hortabantur clerum et populum anglicanum catholicum, ut curarent quantum in se esset, ut Rex eligeretur a fide catholica non abhorrens: et quoniam talis existimabatur Rex Scotiae, ideo per ea Brevia includebatur potius, quam excludebatur, nostro saltem judicio. An autem, et cur ea Brevia Garnettus cremaverit, ignorare me fateor. Vidit fortasse, posse verba Brevium in malam partem accipi; vel audivit Jacobum regem vere a catholica fide alienissimum esse. Ideo Brevia quae tunc prodesse non poterant, ignibus tradidit, ut non obessent.

XII. Mendacium pag. 60.

Ex quatuordecim articulis in juramento fidelitatis comprehensis, undecim sunt, qui primatum pontificis in spiritualibus attingunt.

Confutatio

Ex hisce articulis ne unus quidem pontificis primatum in spiritualibus attingit. Quorsum enim attingeret, cum contra primatum pontificis in spiritualibus expressum alibi juramentum extet?

Responsio

Ex quatuordecim articulis in juramento comprehensis, ut Rex ipse divisit et numeravit per quatuordecim oppositas propositiones in apologia sua pag. 51. et 52. soli sunt tres, primus, tertiusdecimus et quartus decimus, qui de potestate papae nihil dicunt, reliqui omnes de potestate papae in excommunicandis, vel deponendis principibus loquuntur, eam vero potestatem ad primatum in spiritualibus pertinere dubium non est, cum papa non excommunicet, neque deponat principes, nisi apostolica potestate: apostolicam autem potestatem spiritualem esse omnes fateantur.

XIII. Mendacium pag. 64.

Inter alias calumnias, illam profert in medium, quod Bellarminus vel conscius, vel auctor fuit proditionum adversus reginam Elisabetham.

Confutatio

Numquam dixi (in apologia) Bellarminum vel auctorem vel conscium fuisse proditionum adversus reginam Elisabetham; sed proditorum praeceptorem, eumque tam pravis et perniciosis dogmatibus eorum mentes imbuisse, ut iis facillimum esset thesim transferre ad hypothesim: et quae ille e cathedra dictaret, ad suas machinationes pro re nata accommodare.

Responsio

Apologiae verba pag. 58. haec sunt; *Quidam ex eo numero sacerdotum et jesuitarum, qui et ipsi praecipui proditores erant, et proditionum gravissimarum fautores in nuperam reginam initarum, patrem Robertum Bellarminum pro uno ex praecipuis suis vel auctoribus vel oraculis celebrare non dubitaverunt*, et ad marginem notat, qui sint illi proditores dicens: *Campianus et Hartus: vide colloquium in turri Londinensi habitum.* Ex his verbis quis non judicet, Campianum et Hartum vocari proditores, et eorum auctorem fieri Bellarminum? Sed quoniam Campianus et Hartus nullius proditionis convicti fuerunt, et in turri Londinensi, ubi Bellarmini scripta allegata sunt, non de proditionibus, sed de Controversiis fidei disputabatur: et Bellarminus Hartum numquam vidit, Campianum semel dumtaxat Romae in transitu salutavit; ac per hoc neutrum discipulum habuit: denique quia neque in cathedra Bellarminus aliquid unquam dixit, neque in libris aliquid scripsit, quod ad proditiones pertineat: videat Rex qua conscientia dicat ea, quae probare numquam poterit.

XIV. Mendacium pag. 64.

Scit Bellarminus, Campianum contra haereticam pravitatem solum conspirasse.

Confutatio

Quod Campianus ultimo supplicio affectus est, non in caussa fuit, quod contra haereticam, ut hic libellator videri vult, sed quod contra reginam Elisabetham et hujus regni statum conspiraverit, id quod ex actibus judicialibus evidentissime constabat.

Responsio

Disputationes tertio habitae ministrorum cum Campiano de fide catholica in turri Londinensi, satis ostendunt caussam veram supplicii: praesertim eum post disputationem tertiam acerrime tortus Campianus fuerit. Non tamen ignoro, neque nego conflicta fuisse crimina conspirationum, quae neque ipse fassus est, neque de iis ab aliis convictus fuit. Actis judicialibus in Campianum quae fides haberi debeat, docent acta similia in Garnettum.

XV. Mendacium pag. 65.

Cur Henricus Garnettus, vir doctrina omnis generis et vitae sanctitate incomparabilis, ultimo supplicio affectus est, nisi quia revelare noluit, quod salva conscientia revelare non poterat?

Confutatio

Quod hujus nefandi facinoris notitia, non ex sola confessione, ad Henricum Garnettum pervenerit, ut iste mentitur, sed aliis etiam modis: nec ex unius, sed plurium relatione, ita ut salva conscientia illud revelasse potuisset, vide Monit. *praef. pag.* 131. *et comitis Northamptomii librum.*

Responsio

Vidi monitoriam praefationem, vidi etiam actionem in Garnettum: sed vidi quoque responsionem, qua actionis illius mendacia deteguntur, et inde in sententia confirmatus sum, quam ab oculatis et auritis testibus acceperam, non fuisse ullo legitimo indicio probatum, proditionem pulverariam alia via quam sacramentalis confessionis, ad Garnettum pervenisse, quod ipse et in judicio, et ad patibulum confessus est.

XVI. Mendacium pag. 71.

Itaque Syxtus pontifex neque regem caedi imperavit, neque caedem a privato illo homine factam approbavit.

Confutatio

Quam splendidum sit hoc mendacium, patet ex oratione ipsa Syxti quinti.

Responsio

Nulla apud nos Syxti V. extat oratio: et quae ab adversariis edita est, quamvis fidem non mereatur, tamen in eam sententiam commode potest exponi, quae in responsione nostra legitur pag. 70. 71. 72.

XVII. Mendacium pag. 91.

Quod autem additur de Stanlejana proditione, non fideliter, neque vere narratur, siquidem, more suo auctor apologiae multis additis mendaciis historia foede corrupit.

Confutatio

Quae dicta sunt de proditione Stanlejana recitata erant ad verbum ex apologia Alani, pro caussa Stanlejana, ut ibi videre est.

Responsio

Apologiam illam totam nullo verbo omisso, denuo legi, nec inveni verba illa quae Rex citavit: dicit quidem Alanus bellum reginae, quo in Hollandia oppida regi catholico eripuerat, fuisse injustum et ideo oppida illa regi debuisse restitui: sed non dicit, *Quod quandoquidem excommunicata esset regina, et haeretica, non solum liceret jam ejus subditis, verum etiam necesse esset ab obligatione conscientiae, nudare eam omni, quo possent, praesidio, et sive exercitus, sive oppida, sive arces et propugnacula ejus obtinerent, regi Hispano hosti tradere, regina deinceps nihil habente proprium vel suum*, haec inquam, non dicit cardinalis Alanus, et tamen Rex affirmat haec ipsa ad verbum recitata esse ex apologia Alani, pro caussa Stanlejana. Apologia illa extat anglice, gallice et italice, consulat lector apologiam et judicet.

XVIII. Mendacium pag. 93.

Constat Henricum Garnettum in publico judicio constanter semper dixisse, neque se, neque ullum jesuitam hujus conspirationis auctorem, vel complicem, vel consultorem, vel consentientem ullo modo fuisse, et paulo post idipsum instante morte coram innumerabili populo longa oratione protestatus est.

Confutatio

Liber qui inscribitur, Actio in proditores et nostra Monitoria *praefatio pag.* 131. 132. *clare evincunt contrarium.*

Responsio

Monitoria praefatio narrat, non probat, Actio in proditores sine pudore, mentitur de iis rebus, quae notissimae sunt Angliae universae: sed ideo edita est, ut apud exteros fidem inveniat et fallat incautos.

XIX. Mendacium pag. 97.

Jacobus autem cum catholicus non sit, neque christianus est.

Confutatio

Contra. Ego vero catholicus sum, ut qui fidem profitear vere antiquam catholicam et apostolicam: ac proinde vere christianus sum. Vide confessionem fidei meae in Monit. *praef. pag.* 37. 38. *et deinceps.*

Responsio

Vidi confessionem regis in monitoria praefatione et ex ea plane, manifesteque didici regem non esse catholicum, plurima enim Rex damnat et negat, quae fides catholica etiam antiquissima semper docuit. Non potest autem dici catholicus, qui aliquam partem catholicae fidei tenet, sed qui totam tenet, alioqui omnes haeretici catholici essent. Et si Rex catholicus est, cur in tota apologia pro juramento fidelitatis, eos catholicos vocat, quorum fidem et religionem detestatur?

XX. Mandacium pag. 98.

Et si vera sunt, quae narrantur ab iis, qui eum intime noverunt, cum in Scotia Puritanus et Protestantium inimicus esset, nunc in Anglia Protestans est, et Puritanorum adversarium se gerit.

Confutatio

Contra. Qualis Puritanus eram in Scotia, vide praefationem in Basilicon Doron et Monit. *praef. pag.* 48. 49.

Responsio

Vidi ista duo, sed vidi etiam confessionem Scoticam Puritanorum cui Rex subscripsit, sic enim incipit confessio. Brevis et generalis confessio christianae religionis, secundum Dei verbum et acta parlamentorum: subscripta a regia majestate ejusque familia et diversis aliis: ad Dei gloriam et bonum exemplum omnium. Edenburgi 28. januarii, anno Domini 1580. et regni ejus 14. Legi quoque in ipso Basilico Doro regem dicentem, se certo cognovisse religionem, quae vicet in Scotia, esse verissimam: religionem autem, quae viget in Scotia, fatetur ibidem Rex divino miraculo a Puritanis seditiosis introductam etc.

CAPUT XVI.

Sequuntur historiae, quas Rex ementitas dicit, cum responsione.

Prima historia ementita pag. 70.

Constabat eum (Henricum IV.) naturali morbo extinctum fuisse.

Confutatio

Non constabat quandoquidem historici nonnulli aliter scribunt, eum in vinculis mortuum fuisse, vel fame, vel poedore situque carceris, lege fasciculum temporum ad annum 1094. *Laziardum epitome univers. hist. cap.* 198. *Paulum Langium in chronico Citizensi ad annum* 1105. *Jacobum Wimphelingium in epitome rerum Germanicarum cap.* 28.

Responsio

Dixi in loco notato, constare Henricum IV. non fuisse occisum gladio aut veneno, sed naturali morbo extinctum, ubi opponitur naturalis morbus, gladio et veneno, sive is morbus naturalis contractus sit ex crapula, sive ex inedia, sive ex nimia deambulatione, sive ex nimia detensione in carcere, sive ex luxu et deliciis,sive ex poedore situque carceris. Quare cum nullus historicus referat, Henricum IV. fuisse occisum gladio aut veneno: constat veritas historiae, quam adduxi. Sed praeterea constat etiam Henricum IV. non in vinculis, nec poedore carceris aut fame, sed naturali morbo defunctum Leodii anno 1106. cum adhuc milites haberet, et bellum filio occulte movere vellet, vide historicos ad annum 1106. Godefridum Viterbiensem, Additionem ad Lambertum Schaphnaburgensem, Dodechinum in additione ad Marianum Scotum, Sigebertum in chronico, Syffridum presbyterum in epitome, Abbatem Urspergensem, Othonem Frisingensem et alios. Porro fasciculus temporum, Paulus Langius et pauci, qui dicunt illum obiisse in carcere, vel decepti sunt ex eo quod Henricum in carcere fuisse noverant, elapsum autem ignorabant, aut non recordabantur:vel certe dicunt obiisse in carcere, quia civitas Leodiensis, quae fere sola illi relicta erat ex toto imperio, pro carcere computabatur.

II. Historia ementita pag. 83.

A quo (vinculo excommunicationis) ut absolvi mereretur, ad istam humilitatem se ipse (Henricus IV.) sponte dejecit.

Confutatio

Henricus IV. non sponte, nec metu excommunicationis papae, quam invalidam censuit, sed metu amissionis regni et vitae, se se in tantum humiliasse testantur historici. Lamb.Schaphnab. ad annum 1077. *Abbas Ursperg. ad annum* 1075. *Platina in Gregorio VII. Auctor vitae Henrici IV. Bruno in historia Belli Saxonici, Cuspinianus in Henrico IV. Sigonius de regibus Italiae lib.*9. *Laizardus in epitome hist. univer cap.* 193.

Responsio

Henricum IV. sponte se ad illam humilitatem dejecisse dixi, quoniam non vi adductus,sed propria voluntate accessit, ut omnes citati historici et alii permulti testantur. Accessisse autem ad papam,ut a vinculo excommunicatis solveretur, ut etiam absolutus fuit; iidem historici testes sunt. Quod autem ab excommunicatione absolvi desideravit,ne regnum amitteret, verissimum est, jam enim principes Germaniae decreverant, eum regno privare, si annum integrum in excommunicatione perseveraret. Sed ista non pugnant inter se, neque efficiunt, ut conficta sit historia, quam retuli iidem enim historici utrumque dicunt et Henricum sponte ex Germania in Italiam ad papam venisse et summa humilitate absolutionem ab excommunicatione petivisse et accepisse: et eam fuisse potissimam caussam, cur absolutionem tanto labore et humilitate quaesierit, ne regno spoliaretur.

III. Historia ementita pag. 83.

Haec historia (Alexandri III. Friderici Barbarossae cervicem pede conculcantis) est dubiae fidei.

Confutatio

At non est dubiae fidei apud historicos; cum nullus neget, multi affirment, ut Nauclerus, Jacobus Bergomensis, Petrus Justinianus, Papirius Massonus, Alphonsus Ciacconus, Hieronymus Bardus.

Responsio

Confictae historiae, reus non est, qui historiam aliquam dubiae fidei esse dicit: sed qui falsam historiam narrat; nisi vocabulis abuti velimus. Sed praeterea historici quos rex citat,recentiores sunt: antiqui enim nihil tale scripserunt. Porro Romualdus archiepiscopus salernitanus, qui interfuit et omnia accuratissime descripsit, Fridericum narrat toto corpore procubuisse ad pedes Alexandri pontificis, mox autem a pontifice cum lachrymis benignissime sublevatum, quod idem narrat Rogerius ejusdem aetatis auctor in annalibus anglicis. At, inquit Rex, multi rem illam scribunt, nemo negat. Respondeo: Argumentum hoc concludere, quando veteres affirmant et nullus ejus temporis aut posterioris negat: sed quando soli recentiores affirmant, non est mirum, si veteres non negent quod divinare non potuerunt a recentioribus, confingendum fuisse.

IV. Historia ementita pag. 83.

Quid aliud Fridericus timuit, nisi excommunicationem?

Confutatio

At Fridericum timuisse solam excommunicationem nullus antiquus historicus scribit:sed imperii et dominii amissionem potissimum timuisse testantur plurimi, Martinus Polonus ad annum 1166. *Platina in Alexandro III. Laziardus in epitome hist. universalis cap.* 212. *Nauclerus generatione* 40. *Jacobus Wimphelingius in epitome rerum Germaniae cap.* 32.

Responsio

Quid Fridericus timuerit, docet ipse in oratione, quam habuit Venetiis coram pontifice et maxima procerum multitudine,quam ex Romualdo salernitano archiepiscopo refert cardinalis Baronius tom. 12. annalium pag. 714. ubi aperte professus est, agnoscere se errorem suum et schisma cujus auctor fuerat et nihil magis timere, et odisse, quam ab Ecclesia separationem. Idem etiam constat ex facto, nam permissum non est Venetias ingredi, nisi antea ab excommunicatione absolutus esset. Sed cum eum pontifex per episcopos ostiensem, portuensem et praenestinum absolvi jussisset;tum demum dux Venetorum illi obviam profectus est; eumque in urbem Venetiarum magno cum honore et publica laetitia introduxit. Neque vero historici allegati contrarium testantur, cum enim dicant, eum timuisse, ne ab imperio caderet, hoc ipso censentur dicere, timuisse excommunicationem, per quam,nisi mature absolveretur, imperium amittere potuisset.

V. Historia ementita pag. 88.

Adde Cuspinianum (in hac re de Turcae fratre veneno sublato) aliorum historicorum testimoniis destitui.

Confutatio

Eadem historia a plerisque aliis celeberrimis historicis memoriae prodita est. Vide Franciscum Guicciardinum lib. 2. *hist. Ital. Paulum Jovium lib.* 2. *hist. sui temporis, Sabellicum Ennead.* 10. *lib.* 9. *Continuatorem Palmerii ad annum* 1494.

Responsio

Historici citati narrant quidem fratrem Turcae periisse Neapoli vel Cajetae, nam et de loco variant,sed periisse veneno Sabellicus in dubium revocat. Venenum autem datum auctore, vel non ignorante pontifice, ut aliqui loquuntur, nullus affirmat. Suspicionem fuisse dicit Palmerii continuator; Guicciardinus, creditum fuisse; Jovius famam fuisse; Sabellicus, fuisse, qui crederent, litteris mandarunt. Ista vero non sunt historicorum testimonia, quorum est res gestas vere narrare, sed opiniones, vel suspiciones hominum, qui non raro suspicando vel opinando falluntur. Certe Onuphrius Panuinius in annotationibus ad Platinam, Turcae fratrem naturali morbo periisse scribit.

CAPUT XVII.

Sequuntur nova dogmata, quae Rex notavit in meo libello.

Primum dogma novum pag. 9.

Inter homines convenit, posse pontificem maximum haereticos principes jure deponere et subditos ab eorum obedientia liberare.

Confutatio

Immo vero tantum abest, ut inter omnes de hoc conveniat, verius ut dicas,ante Hildebrandi pontificatum id nemini unquam venisse in mentem,qui primus omnium hanc novam doctrinam, planeque ante inauditam prodidit, ut multi viri docti, cum illius, tum subsequentis saeculi testantur (ut alios inferiorum aetatum testes omittam) qua de re vide epistolam cleri Leodiensis ad Paschalem II. sententiam episcoporum horum temporum apud Aventinum lib. 5. *fol.* 579. *etc.*

Responsio

Cum dixi, inter omnes convenire, de theologis et jureconsultis catholicis loquebar; non de schismaticis, quales sunt quos Rex allegat. Satis enim sciebam durante schismate Henrici quarti, multos fuisse, qui pro, vel contra scriberent. Sed si hoc dogma a tempore Gregorii VII. (quem Rex Hildebrandum vocat) initium habuit: cur post annos circiter quingentos ego quasi novi dogmatis inventor aut sectator accusor? Certe non potest dici novum, quod ante tot saecula viguit. Sed neque verum est, ante tempora Gregorii VII. hanc doctrinam fuisse inauditam; cum constet, a Gregorio juniore,qui trecentis circiter annis Gregorium VII. antecessit, excommunicatum fuisse et vectigalibus Italiae privatum Leonem Isauricum imperatorem, testibus Zonara et Cedreno. Ex auctoribus, quos Rex citat,duo soli sunt non contemnendi, Otho Frisingensis lib. 6. c. 35. et Godefridus Viterbiensis par. 17. Sed hi scribunt solum se non legisse ante tempora Gregorii VII. imperatorem a papa excommunicatum et ab imperio depositum fuisse: non tamen dicunt id fieri non posse aut non licere, ut schismatici dicunt. Ut autem Rex videat, vere a me dicunt esse convenire inter omnes catholicos theologos et jureconsultos, posse a pontifice maximo principes haereticos jure deponi et subditos ab eorum obedientia liberari: legat concilium generale lateranense sub Innocentio III. cap. 3. unde extat cap. *Excommunicamus*, de haeret. et lugdunense sub Innocentio IV. unde extat cap. *Ad apostolicae*, de

sent. et re judic. in 6. His enim conciliis nemo vere catholicus contradicere potest: ac per hoc inter omnes catholicos convenit, haereticum principem jure posse deponi. Neque his repugnat, quod in concilio lugdunensi citato Fridericus variis de caussis depositus fuerit: nam una ex praecipuis fuit, quia suspectus de haeresi argumentis evidentibus habebatur et si suspectus evidenter de haeresi depositione dignus a papa in generali concilio judicatus est, quanto magis haereticus manifestus jure deponi poterit? Porro ex auctoribus particularibus multos inveni, qui expresse id fateantur; qui expresse neget, nullum inveni: ideo non sine ratione affirmavi, inter omnes convenire. Consulat Rex s. Thomam 2. 2. quaest. 10. art. 10. et ne forte suspicetur, s. Thomam loqui solum de paganis aut judaeis, cum dicit, posse infidelem principem auctoritate Ecclesiae privari dominio, quod habet super fideles; legat articulum sextum ejusdem quaestionis et inveniet sanctum doctorem loqui de paganis, judaeis et haereticis, ac potissimum de haereticis, quos affirmat esse infideles, paganis et judaeis absolute et simpliciter deteriores. Eamdem sententiam de jure quod habet summus pontifex excommunicandi et deponendi principes haereticos inveniet apud s. Raymundum in Summa tit. de haereticis § 7:; s. Bonaventuram de hierarchia ecclesiastica, part. 2. cap. 1.; s. Antoninum in Summa part. 3. tit. 22. cap. 3. § 7. et cap. 5. § 7.; Joannem Andream in cap. *Ad apostolicae* de sent. et re judic. in 6. Ostiensem in Summa tit. de haereticis, § qua poena puniatur, num. 11. Abbatem in cap. *Excommunicamus* num. 2. titul. de haereticis. Joannem de Turrecramata lib. 2. Summa de Ecclesia cap. 114. conclus. 4. in fine; Joannem Driedonis lib. 1. De libertate christiana cap. 14.; Dominicum a Soto in 4. sent. dist. 25. quaest. 2. art. 1. conclus. 5.; Alphonsum de Castro De justa haereticorum punitione lib. 2. cap. 7.; Jacobum Simancam in tract. de catholicis institutionibus tit. de papa, num. 25. et alios, quos longum esset et non necessarium huc adferre.

II. Novum dogma pag. 51.

In ortu supernaturali, quem habemus in Baptismo, intelligi debet juramentum tacitum et congenitum ad obediendum principi spirituali, qui est Christi vicarius.

Confutatio

Mirum est unde iste hauserit hanc novam et prorsus incognitam theologiam quae non aliun de quam ex ipsius putido cerebro nasci potuit: sin minus suos nobis auctores enumeret, qui doceant, et affirment christianos omnes sive parvulos, sive adultos, virtute juramenti cujusdam taciti in Baptismo suscepti, teneri ad obedientiam absolutam Christi vicario praestandam, aut in aliud quam in Christi nomen baptizari.

Responsio

Nusquam dixit Bellarminus, eos, qui per Baptismum renascuntur in Christo, in aliud quam in Christi nomen baptizari. Obligari autem eos, qui Baptismum Christi suscipiunt, ad obedientiam vicario Christi praestandam; docent omnes, qui fatentur, per Baptismum admitti homines ad familiam Christi: et Christi vicarium esse illum, quem constituit Dominus super familiam suam, Matth. 24. et Luc. 12. Sed mirum est, cur Rex miretur, unde haec theologia nata sit, cum satis facile colligi potuerit ex verbis ipsius in apologia pro juramento fidelitatis pag. 76. Ibi enim Rex docuit, duo esse juramenta subditorum, unum tacitum et congenitum, cum primum nati sumus, alterum declaratorium in confirmationem prioris adhibitum, quod nihil aliud est, quam prioris ingeniti expressio, et publica quaedam praedicatio. Ex hac admiranda Regis doctrina sequitur, si in ortu naturali debeat intelligi juramentum tacitum et congenitum ad obediendum principi politico; in ortu quoque supernaturali, quem habemus ex Baptismo, intelligi debere juramentum tacitum et congenitum ad obediendum principi spirituali, qui est Christi vicarius. Itaque vel damnet Rex doctrinam suam de juramento tacito et congenito in ortu naturali, vel probet etiam nostram de simili juramento tacito et congenito in ortu supernaturali, et vel numeret ipse auctores doctrinae suae, vel desinat quaerere auctores doctrinae nostrae.

III. Novum dogma pag. 94.

Sed cum catholica doctrina non permittat ad ullum malum vitandum secretum sacramentalis confessionis detegi, maluit ille mortem acerbissimam pati, quam tanti sacramenti sigillum violare.

Confutatio

Quod secretum sacramentalis confessionis ad nullum malum quantumcumque vitandum, vel praeveniendum possit detegi, vel indirecte saltem aut in genere, modo persona, quae confessionem edit, celetur praeterquamquod thesis est cunctis principibus et rebuspublicis perniciosissima, novum est dogma etc. Consule Alex. Alensem, Thomam, Scotum, etc.

Responsio

Non est cur Rex fatigetur in auctoribus citandis, aut hac doctrina impugnanda, numquam enim venit Bellarmino in mentem docere, quod Rex existimat eum docuisse: quod igitur dixit secundum catholicam doctrinam, non posse solvi sigillum confessionis, ad quodcumque malum evitandum, intelligendum est, non esse licitum ullo modo prodere personam confitentis, hoc enim proprie cadit sub sigillum: alioqui nemini dubium est posse detegi peccata ipsa vel ad capiendum consilium, vel ad praecavenda mala, vel aliis de caussis, dum-

modo ex manifestatione peccati non sit periculum ne manifestetur persona, quae peccatum confessa est. Jam autem supra demonstratum est, non potuisse Garnettum detegere proditionem in confessione sacramentali cognitam, nisi etiam detegeret proditores: ideo maluisse crudeli supplicio vitam amittere, quam sacrosanctum secretum violare.

IV. Novum dogma pag. 102.

Ego vero audeo dicere, meliorem caussam habere catholicos juramenti recusandi, quam Eleazarus habuerit carnis porcinae non gustandae.

Confutatio

Haec assertio revera novum dogma continet, Breve scilicet pontificium legi Mosaicae praeferendum esse: et catholicos magis teneri pontificis decreto, quam judaei olim lege per Moysem tradita tenebantur.

Responsio

At Bellarminus in illa pag. 102. disertis verbis comparavit praeceptum non comedendae carnis porcinae cum praecepto recusandi juramenti regii quo ad materiam, non quo ad legislatores. Itaque hoc solum dixit, meliorem caussam habere catholicos juramenti recusandi, quo summi pontificis auctoritas violatur, quam Eleazarus habuerit non gustandae carnis porcinae; quoniam longe major res est, violatio auctoritatis summi pontificis, quam esus carnis porcinae: frustra igitur Rex comparat Breve pontificium cum lege Moysis. Sed neque verum est, praeceptum non admittendi juramentum, de quo agimus, niti solum auctoritate Brevis pontificii: nititur enim auctoritate divina per Breve pontificis declarata. Ideo in eodem loco dixit Bellarminus auctoritatem imperantis in utroque loco eamdem esse, videlicet Dei, qui per Moysem jussit in Levitico, ut judaei a carne suilla se abstinerent; et per eumdem Moysem in Deuteronomio jussit, ut omnes summo sacerdoti obtemperarent.

V. *Novum dogma pag.* 135.

Clericos exemptos esse a jurisdictione principum saecularium, ac per hoc, non esse subjectos regibus: sed debere tamen leges eorum de temporalibus rebus observare non vi legis, sed vi rationis, idest, non quia subditi sunt, sed quia ratio dictat ob commune bonum, et pacem reipub. eas leges ab omnibus esse servandas.

Confutatio

Quam sit amicus regibus cardinalis, et qui cardinali a sacellis est. qui tot subditos ab eorum potestate exemptos velint docet Monit. *Praef. pag.* 23. 24.

Responsio

Expectabam, ut Rex novitatem hujus dogmatis demonstraret, juxta titulum illum, Nova dogmata, una cum novitatis ipsorum declaratione. Sed quia vidit, dogma istud inveniri apud omnes theologos et jureconsultos; immo in ipsis sacris pontificum canonibus et conciliorum decretis: prudenter divertit ad invidiam cardinali apud reges conflandam, quasi ipse primus sit auctor exemptionis clericorum. Sed sicut ipse nihil novi docuit, ita sperat, manifestam istam calumniam, nihil ei apud catholicos reges et principes nocituram.

Finis apologiae cardinalis Bellarmini.

ROBERTI S. R. E. CARD. BELLARMINI

RESPONSIO

AD LIBRUM INSCRIPTUM

TRIPLICI NODO TRIPLEX CUNEUS

Sive apologia pro juramento fidelitatis

Adversus duo Brevia Papae PAULI V. et recentes literas cardinalis BELLARMINI

AD GEORGIUM BLAKUELLUM

ANGLIAE ARCHYPRESBYTERUM

RESPONSIO

AD LIBRUM INSCRIPTUM

Triplici nodo, triplex cuneus, sive apologia etc.

Prodiit anno superiori, ex urbe Londino, liber anglicano idiomate scriptus, adversus duo Brevia summi pontificis et epistolam quamdam cardinalis Bellarmini, sine nomine quidem auctoris, sed regia tamen auctoritate impressus et in ipso frontispicio, triumphum canens ante victoriam, scriptum gerebat, *Tunc omnes populi clamaverunt et dixerunt, magna est veritas, et praevalet.* Hic liber, in latinam linguam conversus, ad nos quoque ante paucos dies pervenit. Sed qui cuneos ad scindendos nodos tres adhibere curavit, hoc uno maxime peccasse videtur, quod non recte cuneos ad nodos applicuit. Itaque magno, sed inani conatu aërem verberavit et tunc omnes populi clamaverunt et dixerunt, magna est veritas et praevalet, quae funiculo triplici colligata, dissolvi non potuit. Ac, ut sine ambagibus loquamur, qui apologiam scripsit pro juramento fidelitatis, adversus duo Brevia Pauli V. summi pontificis et epistolam cardinalis Bellarmini; neque juramentum, neque brevia, neque epistolam intellexisse videtur. Affirmat enim juramento fidelitatis, quod Rex Anglorum subditis suis catholicis praestandum proposuit, solam civilem obedientiam contineri. Addit, Brevibus pontificiis et cardinalis epistola civilem obedientiam prohiberi. Neutrum est verum, ut paulo post apertissime demonstrabitur. Formal deinde varia argumenta ex Scripturis, conciliis et Patribus, quibus probet deberi regibus obedientiam civilem a subditis: quod quia in Brevibus et epistola non negatur, argumenta non magis concludunt, quam ea, quae in dialectica duci dicuntur a disparatis: quamvis autem hoc generatim admonuisse sufficeret, tamen, ut etiam tardioribus fiat satis.

(1) Primum ostendemus: Juramentum catholicis propositum, non solum civilem obedientiam, sed etiam catholicae fidei abnegationem requirere: haec enim est principalis quaestio quae inter nos hoc tempore disputatur. Deinde singulas partes apologiae discutiemus.

Igitur juramento fidelitatis, quod habetur in edicto regio anni 1606. post articulum decimum et in hac ipsa apologia ex Brevi apostolico recitatur, auctor apologiae contineri affirmat solam civilis obedientiae professionem, haec enim sunt verba ejus pag. 4. *Rex specimen quoddam, atque exemplar sui praebuit, se nihil in Pontificios moliri, nec meditari conscientiae caussa, nec ultra quid desiderare, quam ut de eorum fide et constantia securus fieret, quam propter conscientiam suae majestati praestare tenebantur.* Haec sunt ejus verba in latina editione; sed in anglicana, quae antea prodierat, clarius dicebatur, regem nihil desiderare, nisi ut securus de civili etiam obedientia redderetur. Item pag. 6. et 7. idem auctor sic loquitur: *Quare pontifex se immiscet operi non suo et falcem sic mittit suam in messem alienam, in re praesertim civili et quae cum nullatenus spectat?* In anglicana editione legitur apertius, in rebus mere et solum ad civilem obedientiam spectantibus. Item pag. 26. dicit: Pontificem prohibuisse per suum Brevem, rem licitam, mereque civilem. Item pag. 29. cum testimoniis Patrum, Scripturarum et conciliorum probasset civilem obedientiam deberi regibus a subditis, subjungit. cohortationem pontificis ad catholicos anglos, ut pro juramenti recusatione martyrium constanter subeant, ad rem non facere, cum in hoc juramento non agatur nisi de civili obedientia, quae cum fide catholica non pugnat. *Quasi*, inquit, *romanam religionem profiteri et civilem obedientiam principi praestare, duae quaedam res essent, nullo pacto consociabiles, sed invicem compugnantes atque contrariae.* Haec ille. Et pag. 49. *Hoc*, inquit, *juramentum tantummodo civilem obedientiam attingit subditorum erga principem, in caussis mere temporalibus.*

(2) At nos facile contra probabimus in hoc eodem juramento non agi de sola civili obedientia, sed agi de fide catholica, idest, de primatu sedis

(1) *Summa totius operis duobus capitibus comprehensa.*

(2) *In juramento anglicano primatus apostolici abnegationem quaeri probatur.*

apostolicae, quem in Scripturis sanctis apertissime fundatum, catholici omnes ut fidei orthodoxae dogma certissimum habent.

Id probamus primum ex edicto regio, in quo hujus juramenti formula continetur atque praescribitur. Nam (1) titulus edicti hic est, *Ad detegendos et reprimendos Papistas*. Cur non dicitur, ad detegendos et reprimendos rebelles? nisi quia finis, cujus gratia excogitatum est juramentum, non est detectio negantium civilem obedientiam, quod rebellibus convenit, sed detectio negantium primatum spiritualem regis et confitentium primatum spiritualem summi pontificis, quod catholicorum, quos vos Papistas appellatis, proprium esse dignoscitur.

Secundo probamus (2) ex ipsis juramenti verbis, primum ex illis: *Et quod papa nec per seipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiae, vel sedis romanae ullam potestatem, vel auctoritatem habeat regem deponendi etc. vel ullos subditorum suorum, ab eorum suae majestatis obedientia et subjectione exonerandi etc.* Hic jam manifeste perspicitur, hoc juramentum non continere solam civilem obedientiam in rebus mere temporalibus, ut auctor apologiae tam saepe repetivit; sed continere abnegationem pontificiae potestatis, quae non est res mere temporalis, sed res sacra et coelitus data, quam nullus mortalium tollere, vel minuere potest. Sed neque hoc loco necessarium est disputare, quo modo sit accipienda haec potestas, aut quibus de caussis exerceri possit, de qua re theologi et jureconsulti disputant, siquidem inter omnes convenit, posse pontificem maximum haereticos principes jure deponere et subditos eorum ab obedientia liberare, cum hac enim conditione reges terrae ad Ecclesiam admittuntur, ut sceptra sua Christo subjiciant et fidem ac religionem non evertere, sed protegere; defendere, non oppugnare debeant. Quod si nolint, jus est illi, qui toti Ecclesiae vice Christi praeest, eos a communione fidelium segregare subditisque interdicere, ne illis pareant.

Idem probatur (3) ex verbis sequentibus: *Juro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel concessa, aut facienda, vel concedenda per papam, vel successores suos, vel per quamcumque auctoritatem derivatam, vel derivari praetensam ab illo, seu a sua sede contra dictum regem, haeredes aut successores suos, vel quacumque absolutione dictorum subditorum ab obedientia; fidelitatem tamen et veram obedientiam suae majestati, haeredibus et successoribus suis praestabo etc.* Hic aperte negatur summo pontifici potestas excommunicandi reges etiam haereticos. Quo modo enim licite et juste catholicus jurabit, se non pariturum summo pontifici regem haereticum excommunicanti, nisi credat non posse a pontifice regem haereticum excommunicari? Atqui potestas excommunicandi intrinseca est primatui apostolico, atque ab eo inseparabilis, cum b. Petro, ut primo spirituali primati dictum sit a Domino: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis*, Matth. 16. Et cum (4) eidem Petro, atque in eo successoribus omnibus auctoritas data sit totum gregem Dominicum pascendi et regendi, Joan. ult. certe vel Rex Anglorum ad gregem Dominicum nullo modo pertinet, vel b. Petro ejusque successoribus subditus est, atque ab eo ligari et solvi potest. Neque ulla justior caussa excommunicandi fingi potest, quam haeresis, quae fidei catholicae et omnes justitiae fundamentum tollit. Quare is, qui affirmat, non esse in summo pontifice potestatem excommunicandi reges haereticos, neque illi esse parendum, si id faciat; is omnino affirmat, non esse summum pontificem caput Ecclesiae universae, ac per hoc primatum apostolicum negare convincitur. Non igitur hoc juramento sola civilis obedientia quaeritur, sed quaeritur abnegatio fidei catholicae et ut obediatur homini contra obedientiam Dei.

Sed alia verba ejusdem juramenti consideremus, *Et ulterius*, inquit, *credo et in conscientia mea resolvor, quod* (5) *nec papa, nec alius quicumque potestatem habet me ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte absolvendi: quod juramentum agnosco recta, ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum.* Hoc autem loco qui paulo ante jurando negaverat potestatem ligandi in summo pontifice, idem nunc potestatem solvendi negat. Nam ex verbis illis Dominicis, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, catholici omnes colligunt, ad pontificis maximi auctoritatem pertinere, non solum potestatem absolvendi a peccatis, sed etiam a poenis, censuris, legibus, votis atque juramentis, quando id expediat ad gloriam Dei, atque animarum salutem. Sed praeterea dum affirmat hoc juramentum sibi recta ac plena auctoritate legitime ministratum, simul affirmat regem suum, a quo juramentum propositum est, potestatem supremam habere in spiritualibus; cum agnoscat in illo plenam auctoritatem jubendi, ut pontificia excommunicatio, sive declaratio contemnatur.

Tertio probamus hoc idem, ex alio simili juramento apertiore, quod hic idem auctor apologiae ad verbum recitat pag. 49. Hujus juramenti haec sunt verba (6). *Ego A. B. palam testor et ex conscientia mea declaro, quod majestas regia unicus est supremus gubernator hujus regni, omniumque aliorum suae majestatis dominiorum ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus, sive ecclesiasticis rebus aut caussis, quam in temporalibus: et quod nullus extraneus princeps, persona, praelatus, status aut potentatus habet, aut habere debet ullam jurisdictionem, potestatem,*

(1) *Ex titulo edicti.*
(2) *Ex ipsis juramenti verbis.*
(3) *Item ex aliis formulae verbis*
(4) *Omnes christiani etiam reges subditi sunt b. Petri successoribus.*
(5) *Juram. Angliae negat potestatem solvendi in summo pontifice.*
(6) *Ex formula juram. de primatu regis ecclesiastico, negari pontificis primatum convincitur.*

superioritatem, praeminentiam vel auctoritatem ecclesiasticam, sive spiritualem infra hoc regnum etc. Haec juramenti formula hoc solum distat ab illa, quae inclusa est in Brevi pontificio, quod ista verbis expressis et propriis continet abnegationem primatus apostolici et ideo non facile proponitur iis, qui aperte se profitentur catholicos; illa vero formata est verbis obscurioribus et per ambages circumloquutionem, ad decipiendos incautos, ut vere multos, atque adeo archipresbyterum ipsum decepit. Sed ex hac formula clariore facile possunt viri prudentes intelligere, quo tendat illa formula, quae dum jubet abnegari potestatem excommunicandi regem, simul jubet abnegari primatum apostolicum in Ecclesiam universam et aperit aditum ad constituendum primatum regis in spiritualibus. Addo postremo confirmationem ex verbis hujus auctoris, quamvis enim millies repetierit, in hoc juramento non contineri, nisi civilem obedientiam; tamen pag. 88. excidit illi (1): *Hoc juramentum institutum esse, quo populus arceretur, ne ita alte amarum illud populum ebiberet antichristianarum scortationum.* Quid enim vocare solent Adversarii antichristianas fornicationes, nisi venerationem pontificiae potestatis? Non ergo sola civilis obedientia, sed etiam detestatio spiritualis obedientiae hoc juramento continetur. Inspiciamus nunc Brevia pontificia ad catholicos Anglos perscripta.

PRIMUM BREVE PONTIFICIUM

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Magno animi moerore nos semper affecerunt tribulationes et calamitates, quas pro retinenda catholica fide jugiter sustinuistis; sed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. Accepimus namque compelli vos, gravissimis poenis propositis, templa haereticorum adire, coetus eorum frequentare, concionibus illorum interesse: profecto credimus procul dubio eos, qui tanta constantia atque fortitudine atrocissimas persequutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt, ut immaculate ambularent in lege Domini, numquam commissuros esse, ut coinquinentur communione desertorum divinae legis. Nihilominus zelo pastoralis officii nostri impulsi et pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus: cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad haereticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis haec facere, sine detrimento divini cultus ac vestrae salutis. Quemadmodum etiam non potestis, absque evidentissima gravissimaque divini honoris injuria, obligare vos juramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audivimus propositum vobis fuisse praestandum, infrascripti tenoris, videlicet:

(2) *Ego A. B. vere et sincere agnosco, profiteor, testificor et declaro in conscientia mea, coram Deo et mundo, quod supremus dominus noster Rex Jacobus est legitimis et verus Rex hujus regni et omnium aliorum majestatis suae dominiorum et terrarum; et quod papa nec per se ipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiae vel sedis romanae, vel per ulla media cum quibus cumque aliis, aliquam potestatem, nec auctoritatem habeat regem deponendi, vel aliquorum majestatis suae dominiorum vel regnorum disponendi, vel alicui principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas invadere auctoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum ab eorum suae majestatis obedentia et subjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare, arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum majestatis suae personae, statui vel regimini, vel aliquibus suis subditis, infra sua dominia offerendi. Item juro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta vel concessa, aut facienda vel concedenda per papam vel successores suos, vel per quamcumque auctoritatem derivatam aut derivari pretensam ab illo, seu a sua sede contra dictum regem, haeredes aut successores suos, vel quacumque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia; fidelitatem tamen et veram obedientiam suae majestati haeredibus et successoribus suis praestabo, ipsumque et ipsos totis meis viribus, contra omnes conspirationes et attentata quaecumque, quae contra personam illius vel illorum, eorumque coronam et dignitatem, ratione vel colore alicujus sententiae vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam: omnemque operam impendam revelare et majestati suae, haeredibus et successoribus suis, manifestum facere omnes proditiones et proditorias conspirationes, quae contra illum, aut aliquos illorum, ad notitiam vel auditum meum pervenerint.*

Praeterea juro, quod ex corde abhorreo, detestor et abjuro, tamquam impiam et haereticam hanc doctrinam et propositionem. Quod principes per papam excommunicati vel deprivati, possint per suos subditos, vel alios quoscumque deponi et occidi.

Et ulterius, credo et in conscientia mea resolvor, quod nec papa, nec alius quicumque, potestatem habet me ab hoc juramento aut aliqua ejus parte absolvendi. Quod juramentum agnosco recta ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum, omnibusque indulgentiis, ac dispensationibus in contrarium renuncio. Haecque omnia plane ac sincere agnosco et juro juxta expressa verba per me hic prolata et juxta planum ac communem sensum et intellectum

(1) *Idem probatur ex ipsis verbis auctoris apologiae.*

(2) *Formula juramenti fidelitatis.*

corundem verborum, absque ulla aequivocatione aut mentali evasione, vel secreta reservatione quacumque. Hancque recognitionem et agnitionem, facio cordialiter, voluntarie et vere, in vera fide christiani viri, sic me Deus adjuvet.

(1) Quae cum ita sint, vobis, ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quod hujusmodi juramentum, salva fide catholica et salute animarum vestrarum praestari non potest, cum multa contineat, quae fidei et saluti aperte adversantur. Propterea admonemus vos, ut ab hoc, atque similibus juramentis praestandis omnino caveatis, quod quidem eo acrius exigimus a vobis, quia experti vestrae fidei constantiam, quae tamquam aurum in fornace, perpetuae tribulationis igne probata est, pro comperto habemus, vos alacri animo subdituros esse quaecumque atrociora tormenta, ac mortem denique ipsam constanter opperituros, potius quam Dei majestatem ulla in re laedatis. Et fiducia nostra confirmatur ex his, quae quotidie nobis afferuntur de egregia virtute atque fortitudine, quae non secus ac in Ecclesiae primordiis resplendet novissimis hisce temporibus in martyribus vestris.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam justitiae, sumentes scutum fidei: confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, nec quicquam vos detineat. Ipse autem, qui coronaturus vos, certamina vestra in coelo intuetur, bonum opus, quod in vobis coepit, perficiet. Nostis quia discipulis suis pollicitus est, se numquam relicturum esse eos orphanos: fidelis enim est qui repromisit. Retinete igitur disciplinam ejus, hoc est, radicati et fundati in charitate; quicquid agitis, quicquid conamini, in simplicitate cordis et unitate spiritus, sine murmuratione aut haesitatione unanimes facite: siquidem in hoc cognoscunt omnes, quia discipuli Christi sumus, si dilectionem ad invicem habuerimus. Quae quidem charitas, cum sit omnibus Christi fidelibus maxime appetenda; vobis certe, dilectissimi filii, prorsus necessaria est. Hac enim vestra charitate diaboli potentia infringitur, qui nunc adversus vos tantopere insurgit, cum ipsa contentionibus, atque dissidiis nostrorum filiorum praecipue nitatur.

Hortamur itaque vos per viscera Domini JESU CHRISTI, cujus charitatem e faucibus aeternae mortis erepti sumus, ut ante omnia, mutuam inter vos charitatem habeatis. Praescripsit sane vobis praecepta maxime utilia, de fraterna charitate vicissim exercenda, felicis recordationis Clemens papa VIII. suis literis in forma Brevis ad dilectum filium magistrum Georgium archipresbyterum regni Angliae, datis die quinta mensis octobris 1603. ea igitur diligenter exequimini et ne ulla difficultate aut ambiguitate remoremini, praecipimus vobis, ut illarum literarum verba adamussim servetis et simpliciter prout sonant et jacent, accipiatis et intelligatis, sublata omni facultate aliter illa interpretandi. Interim nos numquam cessabimus Deum Patrem misericordiarum precari ut afflictiones et labores vestros clementer respiciat, ac vos continua protectione custodiat atque defendat, quos apostolica benedictione nostra clementer impertimur. Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo piscatoris decimo kalend. octob. MDCVI. pontificatus nostri anno secundo.

Venio nunc ad singulas apologiae partes summa brevitate discutiendas. Orditur auctor a deploratione horrendae conspirationis in regem: ad quales conspirationes deinceps avertendas, juramentum propositum esse dicit. Hoc loco monendus est auctor, vel potius ipse Rex serenissimus, ad conspirationes ejusmodi praecavendas, parum praesidii in juramentis (2), multum autem in benevolentia populorum positum esse: qui enim non timent tam atrox parricidium perpetrare, neque timebunt jurisjurandi religionem contemnere. Exemplo nobis sunt plurimi reges, nec pauciores Caesares, ab iis militibus caesi, qui eis fidelitatem sanctissime juraverant. Contra autem scimus, Augustum, Vespasianum, Trajanum, Antoninum, Constantium et filium Constantinum et alios permultos, benevolentia subditorum tutissimos semper fuisse. Refert Tacitus lib. 15. Annalium, cum Subrius Flavius, unus ex conjuratis, a Nerone interrogaretur, quibus ex caussis ad oblivionem juramenti processisset; respondisse eum: Oderam te, nec quisquam tibi fidelior fuit, dum amari meruisti, ubi satis declaravit, eum, qui amari dignus est, etiam sine juramento securum esse de fide subditorum: qui vero odio habetur, nullo juramento satis tegi posse.

Quare si Rex secure regnare et vitae suae, ac suorum consulere cupit, sinat catholicos frui antiqua possessione religionis suae: quam religionem a parentibus, avis et proavis, per multa saecula in Angliam cultam negare non potest. Non cogat professores veteris fidei, quam a magno Gregorio se accepisse merito gloriantur, ad novas suscipiendas sectariorum opiniones: et continuo pericula omnia, timoresque cessabunt. Non excuso factum, odi parricidia, execror conspirationes; sed occasionem desperandi datam nemo inficiari potest (3). Speraverant enim catholici, ut hic ipse auctor apologiae fatetur, sub novo principe, qui clementiae laude semper floruerat et quem ipsi quoque catholici magna alacritate susceperant, se aliquantulum a persecutione tam diuturna respiraturos et eam fidem et religionem libere retenturos, quam mater ipsa regis et omnes ejus majores pie coluerant; sed ubi viderunt confirmari crudelia edicta Elizabethae reginae et recusantibus adire templa haereticorum gravissimas pecuniarias mulctas imponi, seque pau-

(1) *Juramenti damnatio.*

(2) *Benevolentia populorum magna est securitas principum.*

(3) *Occasio conjurationis in Anglia quibusdam quomodo data.*

latim accusationis praetextu opibus omnibus spoliari: nonnulli eorum minus patientes injuriarum, in desperationem acti, moliti sunt, quod nos vobiscum pariter deploramus.

Deinde pag. 3. 4. et 5. iterum atque iterum repetit, atque inculcat, juramentum propositum a rege fuisse, ut internosceret inter fideles subditos et perfidos proditores et ideo juramentum fidelitatis merito appellandum esse, quo nihil aliud quaeratur, nisi, ut debita obedientia regi praestetur; sed per sinistram interpretationem summi pontificis, qua per Breve suum prohibuit juramentum suscipi, quasi fidei catholicae contrarium, factum esse, ut miseri catholici, aut cum discrimine vitae et jactura fortunarum fidelitati erga principem renuncient, aut cum catholicae fidei detrimento, animarum suarum salutem in periculum adducant. At nos paulo ante docuimus (1), juramentum propositum sub colore fidelitatis ad regem, abnegationem primatus apostolici continere; neque ad hoc demonstrandum multis argumentis egemus, cum ipsum regis edictum, in quo juramenti hujus forma praescribitur, fraudes omnes apertissime detegat. Nam, ut supra notavimus, titulus edicti est, *Ad detegendos, et reprimendos Papistas.* Et in eodem edicto prope finem, nisi forte nos translatio fallat, duorum juramentorum fit mentio, quorum alterum est de primatu regis in spiritualibus: alterum contra potestatem pontificis in principes christianos, juramentum solius fidelitatis ne nominatur quidem. Parum autem interest, utrum auctor apologiae velit, juramentum, de quo nunc agimus, esse juramentum de primatu regis in spiritualibus, an juramentum contra potestatem pontificis in principes christianos: utrumque enim apud veros catholicos fidei christianae repugnat, prius enim juramentum tribuit spiritualem primatum ei, cui secundum Scripturas sanctas minime debetur, posterius vero detrahit eumdem primatum ab eo, cui secundum easdem Scripturas omni jure debetur. Christus enim, ut supra diximus, pastorem universi gregis sui, non regem aliquem, sed apostolum Petrum esse jussit: proinde, qui b. Petro succedunt, non qui regibus succedunt, primatum super christianos obtinent: et si reges christiani sunt, dubium esse non potest, quin apostoli Petri successores super illos etiam pastoralem habeant potestatem. Non ergo Breve apostolicum sinistre interpretando juramentum, caussa est mortis temporalis fidelibus Anglis, sed juramentum apte ad decipiendum compositum, caussa est iisdem Anglis mortis sempiternae.

Pag. 6. pergit auctor apologiae, ac dicit: Summum pontificem contra bonos mores, et consuetudinem principum christianorum vehementer peccasse, quod regem in dicta caussa condemnaverit, partim annumerando cum persecutoribus, partim severe imperando, ut catholici ab hoc sacramento abstineant, quod dum detrectant, fidelitatem suam profiteri recusant. Quod autem pontifex in his duabus rebus peccaverit, probare se existimavit auctor insolubili argumento, dum ait: *Si pontifex existimavit se regis esse judicem competentem, cur non auditum damnavit? sin autem pontifici nihil cum rege negotii est, cur falcem suam immisit in messem alienam?* Sed quamquam Christi vicarius, si pater et rector est, ut verissime est Ecclesiae universae; judex etiam competens est omnium christianorum, ac per hoc etiam regum, ut christiani sunt: tamen si proprie loqui velimus (2), summus pontifex Paulus V. non de persona regis, sed de juramento judicavit, quando autem quaestio est, utrum aliquod juramentum licitum sit, an illicitum; nemo judex magis competens fingi potest ipso summo pontifice, quoniam agitur de re sacra, de re spirituali, de re, quae ad salutem vel perniciem animae pertinet. Itaque summus pontifex, cum a juramento, quod noxium animis fidelium judicavit, subditos suos absterruit; id fecit quod pastor facit, cum oviculas suas arcet a pabulo venenato. Et quemadmodum pastor non judicat neque punit terram, quae pabulum mortiferum protulit; sed ovibus suis consulit, dum eas ab ejusmodi pabulo removet: sic summus pontifex non regem proprie judicavit, vel damnavit, sed catholicos suos admonuit, juramentum propositum non posse tuta conscientia suscipi. Frustra igitur auctor apologiae clamat regem in dicta caussa condemnatum: ineptum quoque dilemma sibi fingit, cum non de damnatione regis, sed de juramenti reprehensione agatur.

At, inquiet, si juramentum reprehenditur, consequenter reprehenditur is, qui juramentum suscipi jussit. Respondeo: Negari non potest, quin reprehensio juramenti aliquo modo ad eum pertineat qui juramentum praescripsit (3): sed aliud est reprehendere opus alicujus hominis, aliud hominem ipsum in judicium propter opus illud vocare: nam fieri potest, ut opus non placeat, et tamen ab auctore juridice discutiendo, et damnando abstineatur. Sic igitur summus pontifex juramentum reprehendit, sed regis personam non attigit, neque opus fuit ut caussam diceret, qui in jus vocatus non fuerat.

At, inquit, in eo peccavit pontifex, quod regem persecutoribus annumeravit, dum ad martyrium pro recusatione juramenti suscipiendum, catholicos suos hortatus est. Respondeo: (4) non annumeravit pontifex regem inter persecutores absolute, sed in ejus arbitrio reliquit, velletne acquiescere veritati, et a juramento illicito obtrudendo cessare, et rex pacificus haberi; an potius vellet contra innocentes saevire, et persecutor sanctorum martyrum nominari.

At saltem in eo pontifex peccavit, quod juramentum fidelitatis prohibendo, effecit, ut subditi debitam obedientiam regi suo non exhiberent. Respondeo (5): Si juramentum solius fidelitatis esset,

(1) *Juram. anglicanum non petit meram civilem obedientiam.*

(2) *Paulus V. proprie non de persona regis Angliae judicavit, sed de juramento, utrum liceat.*

(3) *Opus reprehendere, non est hominem propter opus in judicium vocare.*

(4) *Regis in arbitrio fuit a juram. cessare, vel illud urgendo martyrum persecutor nominari.*

(5) *Papa civilem obedientiam nusquam prohibuit.*

neque aliud requireret, nisi ut subditi omnes, etiam catholici, regi subjecti essent, in iis rebus omnibus, quae contra fidem catholicam,et obedientiam Deo, et summo pontifici debitam non essent; nemo juramentum reprehenderet,neque opus fuisset Brevibus apostolicis populum catholicum admoneri. Nam et Clemens VIII. sanctae memoriae pontifex, et hic ipse Paulus V. ejus in apostolica sede successor, non semel per literas catholicos Anglos admonuerunt, ut regi obedientiam, quae regibus secundum Scripturas sanctas debetur, diligentissime exhiberent, et a tumultibus et seditionibus omnino caverent. Sed ubi vidit juramentum a catholicis peti, in quo per speciem civilis obedientiae fidei catholicae abnegatio petebatur, admonuit suos, ut caverent insidias, et memores essent apostolici dicti: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*, Auctor. 5.

Pag. 7. confert auctor apologiae Bullam Pii V. adversus Elizabetham,cum Brevi Pauli V. ac dicit: Nihil fere interesse inter Bullam Pii V. qui Elizabetham nominatim excommunicavit, et Breve Pauli V. qui juramentum fidelitatis a catholicis suscipi prohibuit: ille enim populos ab obedientia reginae absolvit; iste obedientiam regi praestari vetuit.

Omitto convicia,vel blasphemias potius in Pium V. pontificem sanctum, ac de Dei Ecclesia optime meritum, neque enim ad convicia, quae solis conviciantibus nocent, sed ad rationes et argumenta, quae minus peritis , aut parum attentis nocere possunt, respondendum esse putavimus (1). Hoc igitur interest inter severitatem,qua utendum esse Pius non sine justa caussa censuit, et lenitatem , quam justa etiam de caussa adhibere placuit Paulo: quod ille reginam jamdudum propter haeresim excommunicatam a jure, et generatim, iterum nominatim excommunicavit, et excommunicatam declaravit: et quoniam cum excommunicatis nominatim et publice declaratis non licet conversari, ac secundum Ecclesiae catholicae leges, ejusmodi vitandi sunt, ideo Pius V. populum catholicum ab obedientia reginae ad eum modum excommunicatae, et declaratae, justissime absolvit, et liberavit: tali enim severitate utendum esse tempora illa suaserunt. Paulus vero V. experiri volens, an medicamenta mitiora fortasse magis prodessent, praesertim cum agendum esset cum rege majoris prudentiae, atque doctrinae, et cujus parentes catholici semper fuerunt: non judicavit hoc tempore expedire, ut rex nominatim excommunicaretur, vel excommunicatus publice declararetur:ac per hoc non solum non absolvit populos ab obedientia, quod fecerat Pius, sed neque vetuit, ut Regi obedientia in rebus temporalibus praestaretur,ut falso auctor apologiae affirmat. At prohibuit suscipi juramentum fidelitatis (2). Nego prohibuisse suscipi juramentum cujuscumque fidelitatis, sed ejus solius , quae cum infidelitate conjuncta esset. Cum enim christiani fidelitatem debeant non solum regi terreno, sed etiam principi spirituali, qualis est Christi in terris vicarius: nullo modo licet christiano viro, ita jurare principi terreno fidelitatem, ut simul juret se principi spirituali minime pariturum, etiam in iis rebus,quae proprie ad ipsius pertinent potestatem. Quoniam igitur juramentum catholicis propositum suscipi non poterat, sine abjuratione pontificiae potestatis, idcirco recte summus pontifex juramentum illud suscipiendum non esse censuit; tantumque interest inter Bullam Pii V.et Breve Pauli V. quantum inter cauterium ignis, aut venae incisionem, et unctionem olei,aut dulcis pharmaci potionem.

Pag. 8. rursum auctor Apologiae Pontificem carpit,Quod si regem respicias imprudenter,si Catholicus injuriose se gesserit. *Imprudentia*, inquit, *est respectu Regis, quod partitim et minutatim Juramentum non refutaverit;vel quod verbulum, quae sententiola, vel quidquid id est criminis , cujus juramentum insimulat, nullo detexit indicio.* Nolo in nugis tempus consumere, ea de caussa non discutio improprietates vocabulorum, et lutulentam orationem hujus interpretis. Illud unum respondeo: (3) Pontificis Maximi propositum non fuisse librum refutationis conscribere, ideo necesse non fuisse, ut juramentum universum,vel partes ejus, argumentis variis ex locis petitis confutaret. Epistolam scripsit, quae vicem Edicti repraesentaret: tunc autem vere imprudens Princeps haberi deberet, si iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi librum integrum Philosophorum more conscriberet. *At*, inquit,*si Pontifex notasset quid in Juramento displiceret, fortasse Rex partem illam Juramenti vel deleri passus fuisset,vel eam benigna interpretatione mollivisset.* Respondeo: Non particulam aliquam juramenti summo pontifici displicuisse, sed ipsam juramenti substantiam, ut sic loquar, finem ipsum, et quasi scopum, quo verba omnia diriguntur, quando autem sperandum erat, ut partem aliquam principalem hujus juramenti deleri rex ille pateretur, qui juramentum alterum sub poena capitis suscipi jussit de Primatu suo in spiritualibus (4)? Nam ab eo juramento non soli catholici, sed etiam Calvinistae Puritani abhorrent et tamen Rex partem ullam ejus juramenti deleri,vel mitigari numquam pati voluit. Quod autem auctor apologiae adjungit de injustitia pontificis in catholicos, facile refutari potest. *Injustitia*, inquit, *est, catholicorum respectu: Nam si ita visum fuisset majestati suae, in juramento quippiam vel mutari vel interpretari, eo labore penitus sublevati fuissent catholici et exonerati illico: si secus, omnia Rex, ut erant, tenere velle et nihil immutare, firmiter secum statuisset: tamen hoc inde lucri percipere potuissent catholici, ut eorum renitentia, hac umbra, hoc veluti involucro posset obtegi, quod non tamquam claudicantes in fide sua erga principem a juramento abstinerent,sed tantum ab anxietate et scrupulis quibusdam perplexi,quibus tenera ipsorum con-*

(1) *Discrimen inter Bullam Pii V. et Breve Pauli V.*
(2) *Paulus V. prohibuit suscipi juram. infidel.*
(3) *Edicta non solent rationibus comprobari.*
(4) *Etiam Calvinistae Puritani respuunt juramt. de primatu regis in spiritualibus.*

scientia torqueretur: quam anxietatem, ac teneritudinem pontificia damnatio verborum quorumdam in formula juramenti, peperisset: Haec ille, Sed jam diximus nullam omnino spem haberi potuisse, ut partes illae juramenti tollerentur, quae continent abnegationem fidei catholicae, de primatu ecclesiastico romani pontificis, quod si anxietas conscientiae juvare posset catholicos apud regem, omnis jamdudum persecutio cessasset (1). Scit enim Rex catholicos Anglos, civilem obedientiam in ipsa ejus coronatione exhibuisse ; neque juramentum fidelitatis abhorrere, nisi ubi fides catholica periclitatur.

Pag. 16. posteaquam Breve pontificum cum juramenti formula, a pagina 9. usque ad 15. integre descripserat, aggreditur auctor apologiae refutationem Brevis (2); Ac primo adscribit summo pontifici crimen falsi, quia initio Brevis dicit, magno se moerore affici, ob tribulationes et calamitates,quas pro retinenda fide catholica,catholici in Anglia patiuntur. Ut autem falsitatis pontificem omnino convincat, orditur ab ingenti clementia Elizabethae reginae, quam a clementia regis Jacobi longe superatam affirmat. *Hic*, inquit, *pontifex dolorem et magnum animi sui moerorem exprimit, propter tribulationes et calamitates, quas pro retinenda fide catholica jugiter sustinent filii sui. Ubi praeter crimen falsi, quod in serenissimi domini nostri regis contumeliam tantopere redundat; dissimulare non possum, sed ut res postulat,palam profiteor et quod certo scio prae me fero, reginam Elizabetham neminem ex Pontificiis, religionis caussa, in judicium vocasse, neminem ad supplicium condemnasse. antequam eorum scelera et flagitia, veluti invita regina poenas quas pertulerant, ei extorquerent: quod cuivis aequo rerum aestimatori et actiones ipsas cum eorum circumstantiis prudenter pensiculanti manifestum fiet.* Haec ille, qui posteaquam eadem felicitate scribendi,multa similia repetens et inculcans, defunctae reginae Manibus, ut ipse loquitur,parentasset; vel,ut anglicana editio significare videtur, sacrificium obtulisset: transit ad regem, atque ait: *Non possum sane non confiteri, pro amore, quo in veritatem feror, quod qualiscumque fuerit reginae laus, a clementia in Pontificios, quae fuit amplissima; tamen ea mansuetudinis, ac pietatis in eosdem exempla, quae conspeximus in serenissimo rege, longo praeteritam reginae mansuetudinem superarint intervallo etc.* Dabit hoc loco nobis veniam auctor apologiae, ut sicut ipse sibi licere existimavit, criminis falsi Christum Domini, idest pontificem maximum,sine ullo veritatis colore accusare; ita nobis vicissim liceat, mendacia sua in ipsum vere regere. Principio, non scripsit pontifex, se moerore affici ob calamitates, quas tempore reginae Elizabethae, aut initio regni Jacobi regis in Anglia, pro retinenda orthodoxa fide catholici patiebantur: sed ob calamitates,quas hoc tempore patiuntur. Ergo, ut criminis falsi ne leve quidem vestigium in ipso pontificio Brevi adhaereat, satis est si probemus,ingentes aerumnas propter religionem ferre coactos esse catholicos anno Domini 1606. quo tempore Breve apostolicum scribebatur (3). Hoc autem ipso anno scimus duo edicta in Anglia promulgata ejusmodi, ut vel sola sufficiant,ad omnia hujus apologiae coarguenda mendacia. Edicti prioris summa haec est: titulus ut supra admonui est.

Ad detegendos et reprimendos recusantes Papistas. In primo articulo confirmantur leges Elizabethae, adversus catholicos jam olim stabilitae. In 2. jubetur, ut praefecti locorum inquirant in catholicos omnis ordinis et aetatis,qui templa haereticorum adire recusant:imposita mulcta viginti florenorum,si negligentes in catholicis perquirendis extiterint. In 3. statuitur, ut acriter puniantur catholici, qui communionem,seu coenam haereticorum more,sumere recusaverint.In 4. sancitur,ut qui recusaverint sacris haereticorum interesse, si convictus in judicio fuerit,solvat in menses singulos florenos ducentos. In 5. statuitur, mulctam ducentorum florenorum in singulos menses (quae ab Elizabetha constituta fuerat, in recusantes adire templa haereticorum) leve onus esse copiosis hominibus; ideo additur, ut Rex invadat duas tertias partes bonorum omnium, tertia parte sola relicta ejusmodi recusantibus. In 6. statuitur, ut qui recusaverit coenam calvinisticam sumere, solvat primo anno florenos ducentos, secundo quadringentos, tertio sexcentos. In 7. additur, ut qui templa haereticorum frequentate coeperat, et postea relabitur in crimen non frequentandi,solvat statim florenos sexcentos. In 8. decernitur, ut qui recusant juramentum illud suscipere, de quo nunc agimus, conjiciantur in carcerem sicariorum atque latronum. In 9. additur, ut eidem in carceribus detento, proponatur iterum juramentum: quod si recusaverit, amittat omnia bona,et carceri perpetuo mancipetur.In 10. additur, ut si tertia vice propositum sibi juramentum recusaverit, capitis vitaeque dispendium patiatur. In 11. declaratur, ut tabulae illae, in quibus aliquis accusatus reperitur,quod a templis haereticorum abfuerit, vim suam obtineant, non obstante quocumque errore, qui in accusatione formanda, aliterve contigerit. In 12. statuitur, ut qui principibus externis militare voluerit, is prius juramentum praefatum praestet, alioqui perduellis habebitur. In 13. statuitur, ut nobilis qui in externis regionibus servire voluerit, cum duobus fidejussoribus regi se obliget sub poena ducentorum florenorum, quod nullo unquam tempore romano pontifici reconciliabitur:quam cautionem nisi proficiscens dederit, reus mortis erit. In 14. statuitur, ut qui post decimum diem junii hujus anni 1606. subditum aliquem regis Anglorum ad fidem romanae Ecclesiae pertrahet, aut pertrahere conabitur; is perduellionis, et laesae majestatis reus habeatur, et re ipsa poenam illam subeat, nisi in Angliam revertatur, et intra sex dies a reditu cri-

(1) *Catholici Angli civilem obedientiam professi sunt in coronatione Regis.*

(2) *Num falsum sit Catholicos in Anglia religionis caussa persecutionem non sustinere.*

(3) *Leges a rege Jacobo in catholicos latae.*

men confessus, duo juramenta suscipiat; unum de primatu regis in spiritualibus, alterum contra potestatem papae in principes christianos.

Haec videlicet est incredibilis illa clementia regis in catholicos, ob quam summus pontifex crimen falsi incurrit, quod scripserit, se non levi dolore affici, ob calamitates, quas catholici pro fide orthodoxa retinenda tolerare coguntur. Quare major calamitas excogitari potest, quam propter vitanda sacra sacrilega, opibus spoliari; pro recusando juramento perfidiae, carceri perpetuo mancipari; pro exhortatione ad catholicam fidem, quasi majestatis reum morte mulctari? et si nihil, nisi civilem obedientiam rex requirit, neque aliquid molitur conscientiae caussa; cur archipresbyter, et alii, qui civilem obedientiam suscepto juramento professi sunt, adhuc carceribus detinentur?

Sed volo ipsum etiam apologiae auctorem, velit nolit, adigere, ut pro hac veritate testimonium dicat. Ipse igitur in hoc libro suo pag. 20. extollens principis mansuetudinem, sic ait: (1) *Gratioso edicto permissum est sacerdotibus omnibus, non comprehensis, et tum extra custodiam degentibus, intra certum, et constitutum diem e regno migrare.* Admiranda profecto gratia, exilium permittere sacerdotibus, qui comprehendi, quamvis diu quaesiti, nequiverant. Si tibi exilium gratia videtur, quo nomine vera supplicia appellabis? An non est magna calamitas, si cogaris poenas graviores exilio praevenire?

At, inquies, edicta ista edita sunt post conjurationem detectam. Verum est, sed non pertinent ad puniendos proditores (2), sed ad catholicos omnes religionis caussa, divexandos. Sed praeterea ante conjurationem illam conceptam in ipso primo anno regni, et primo parlamento confirmavit omnia edicta reginae, eaque non parum auxit. At ipsa etiam regina edicta illa edidit exacerbata ob excommunicationis sententiam in se a Pio V. latam. Immo etiam antea, nam anno Domini 1558. in primo regni sui anno, diu ante Pii V. pontificatum juramentum subditis suis suscipiendum proposuit de primatu suo ecclesiastico, idest, de nova haeresi ab Henrico parente suo excogitata, poena autem recusantis juramentum, prima vice fuit amissio bonorum, carcerque perpetuus; altera vice, poena capitis, quam perduelles sustinere coguntur. Refert Nicolaus Sanderus lib. 3. de schismate anglicano hoc totum: et quae vidit, et quibus interfuit scripsit. Anno sequenti, idest 1559. Missam facientibus, vel audientibus, aliudve quodcumque officium ecclesiasticum, ritu veteri procurantibus, sacramentumque aliquod romano more administrantibus, gravis indicitur mulcta; nimirum prima vice ducentorum aureorum, aut carceris ad sex menses: secunda vice quadringentorum aureorum, aut carceris ad annum (3), tertia vice omnium bonorum et perpetuorum carcerum, secundum quam legem mox in carceres conjecti sunt episcopi plurimi, quorum nomina idem Sanderus describit in eodem lib. 3. de schismate anglicano, quibus addit lib. 7. De visibili monarchia ad annum Domini 1560. permultos etiam nobiles laicos eadem de caussa carceribus mancipatos, qui omnes vel in carcere, vel in exilio extincti sunt. Et tamen auctor apologiae dicere audet, se certo scire, Elizabetham reginam neminem religionis caussa in judicium vocasse, neminemque damnasse. Item ante sententiam Pii V. palam esse, nullam a regina Elizabetha graviorem mulctam catholicis impositam, neque severiores leges, aut ullam capitalem poenam in catholicos constitutam. Quomodo enim nullum catholicum regina, religionis caussa, vocavit in judicium, nullumque damnavit; si tot episcopos, totque laicos illustres, ea solum de caussa carceribus inclusit. quod ipsam caput Ecclesiae agnoscere recusarent? Non est fortasse caussa religionis, utrum regimen ecclesiasticum, idque supremum, a summo pontifice ad regem terrenum, immo etiam ad foeminam transferri possit? aut non est gravis mulcta judicari et damnari exilio, aut carceri perpetuo mancipari? Quomodo etiam ante sententiam Pii V. nullam graviorem mulctam catholicis regina imposuit, neque ullas severiores leges tulit, neque ullam capitis poenam constituit; si anno 1558. idest annis novem ante Pii V. pontificatum, legem tulit de juramento primatus sui in spiritualibus, ab episcopis in primis suscipiendo et prima vice recusantibus amissionis bonorum et carceris perpetui: secunda autem perduellium poenam constituit, et anno sequenti leges illas et mulctas instituit in catholicos, religionis catholicae exercitia usurpantes, quas supra descripsimus? sed nimirum auctor apologiae, vel nihil omnino legisse nos de rebus anglicis, vel oblitos esse credit eorum, quae de persequutione anglicana multi illustres Scriptores literis mandaverunt ad memoriam posteritatis sempiternam. Omitto de industria plurima edita, quae variis temporibus Elizabetha adversus catholicos, solius religionis caussa, promulgavit, quae omnia Jacobus rex confirmavit: et quibus non pauca addidit, quae typis mandata palam cerni possunt.

Pergit deinde auctor apologiae pag. 22. ac dicit: Pontificem injuste in suo Brevi prohibuisse subditis regiae majestatis, quo minus de obedientia sua erga ipsum profiteantur, sed ubi haec prohibitio in Brevi pontificio habeatur, non dicit, neque dicere potest: cum nulla talis prohibitio usquam in ipso Brevi legatur: proinde hoc inter falsa, quibus apologia plenissima est, referatur: subjicit continuo, et ad verbum refert verba illa Brevis: Perspicuum esse debet omnibus catholicis, quod hujusmodi juramentum, salva fide catholica, et salute animarum suarum praestari non possit, cum multa contineat, quae saluti et fidei aperte adversantur. His paucis recitatis, ait: *Huc vetus dictum quadrat, quod de philosopho circumfertur,* (4) *Multa dicit, sed pauca probat: immo vero nihil o-*

(1) *Sacerdotibus in Anglia diu ad carceres, et mortem quaesitis, nec inventis, gratia sit ut exulent.*

(2) *Ante conjurationem conceptam primo anno sui regni Jacobus vexavit catholicos.*

(3) *Quid sub Elizabetha sunt passi catholici et quae sub Jacobo.*

(4) *Dictum impium Galeni et Averrois de Christo.*

mnino probat. At jam supra respondi: In Brevi pontificio, non theologicam disputationem, sed paternam ac brevem admonitionem contineri, tibi nihil necesse sit probationes adjungi, sed bene habet quod haereticus de vicario Christi dicit, quod de ipso Christo paganum dixisse constat. Certe (1) Galenus in lib. 3. de differentiis pulsuum cap. 4. scripsit, Christum multa dixisse, sed nihil demonstrasse, quod idem de eodem Domino et Salvatore nostro Averroëm dicere solitum ferunt: ac ne ipse eodem vitio laborare videatur, ut multa dicat, et nihil probet, supra scripta verba Brevis apostolici, hac insolubili argumentatione confutat. *Nam*, inquit, *quomodo professio fidelitatis erga principem in subditis, possit e regione religioni, et saluti animarum adversari, tam longe excedit meam teologiam, quantulacumque illa sit, ut prorsus novam, et exoticam plane assertionem esse, non possim quin existimem: nec ex ejus ore proferendam, qui se universalem episcopum et christianarum animarum oecumenicum pastorem satis insulse venditat.* Haec ille. Cujus convicia, et sermonis barbariem scieus praetereo. Illud affirmo, auctorem apologiae sibi fingere propositiones, quas oppugnet; et ex iis, quasi in ipso Brevi aperte continerentur, argumenta conficere: proinde argumentationem ejus, non theologiae, sed dialecticae terminos omnes ac leges excedere (2). Assumit enim Brevi pontificio prohiberi professionem fidelitatis erga principes, quasi ea cum Religione et animarum salute pugnaret: At nihil ejusmodi habetur in apostolico Brevi; quid autem sit in regio juramento, quod cum religione et salute animarum pugnet, et propter quod ab ejusmodi juramento abstinendum esse summus pontifex censeat, et moneat, a nobis est paulo ante demonstratum. Ostendimus enim, eo juramento negari potestatem apostolicam, tum alligandi, tum absolvendi; ac per hoc, negari fidem catholicam, sine qua salus aeterna obtineri non potest; et per hujusmodi juramentum, non tam jurari fidelitatem ad regem, quam abjurari fidelitatem ad Christi vicarium.

Quocirca testimonia Scripturae divinae quae apologiae auctor statim adjungit, non probant falsum esse quod pontifex scripsit, sed quod ipse sibi apologiae auctor finxit. Scriptum, inquit, est Josue 1. quemadmodum Moysi obedivimus in omnibus, ita et tibi obedimus. Sic propheta Hieremias cap. 27. Hortatus est populum, ut auscultarent regi Babel, dicens: Submittite colla vestra subter jugum regis Babylonis, eique et populo ejus servite. Similiter Israelitae se gesserunt apud Pharaonem, cui etiam supplicarunt Exod. 5. Ut veniam daret libere discedendi. Similiter apud Cyrum Esdr. 1. a quo impetrarunt veniam reditus, aedificandi templi gratia. Denique apostolus ad Rom. 13. Omnes mortales hortatus est, ut subjecti essent propter conscientiam.

(1) *Apologiae auctor loquitur de pont. max, sicut olim ethnici de Christo.*

(2) *Adversarius fingit quod oppugnet.*

(3) *Scripturae testimonia non spiritualem sed civilem obedientiam erga reges docent.*

Ad haec omnia testimonia brevissime respondemus (3). His testimoniis probari obedientiam ad principes etiam paganos, quando ea non est contraria obedientiae ad Deum; quod nos libentissime confitemur, sed non probari obediendum esse regibus etiam christianis, quando jubent fieri quod non licet christianis, quam responsionem rejicere non potest auctor apologiae qui pag. 24. allegat sanctum Augustinum tract. in psal. 125. ita dicentem: *Milites christiani servierunt imperatori infideli; ubi veniebatur ad caussam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in coelis erat: quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent; praeponebant illi Deum.* Sic igitur et nos catholicos Anglos admonemus, ut regi terreno serviant, atque obediant, dum non jubet quae displiceant regi coelesti. Displicet autem regi coelesti, ut potestas Vicarii sui, quem reliquit in terris, et quem constituit super familiam suam, vel penitus abnegetur, vel in alium transferatur.

Pergit deinde pag. 24. et 25. (4) et profert testimonium Augustini, Tertulliani, Justini, Ambrosii, Optati et Gregorii, quibus probatur, quod nos minime negamus deberi principibus etiam infidelibus obedientiam a subditis fidelibus, sed verba s. Gregorii ex libro epistolarum, epist. 61. praecipue notanda et observanda, et cum Brevi Pauli V. Pontificis comparanda censuit; quod videlicet Gregorius Mauritio imperatori subjectum se fatebatur, eique obediebat: Paulus autem subditos regis, ne civilem quidem, et licitam obedientiam, principi suo exhibere permittit. Sed quod attinet ad s. Gregorium; ipse idem in commentario psal. 101. testatur (5) Mauritium tyrannum potius, quam imperatorem fuisse, quales antea fuerunt Diocletianus et Nero, quibus, vellent nollent, ipsi etiam summi pontifices subjecti esse cogebantur. Quod autem Paulus V. a civili obedientia subditos regis averterit, in Brevi ejus ad verbum, in hoc ipso libro exposito, nusquam legitur, summa enim totius Brevis est, ut christiani catholici potestatem Christi vicarii, fidemque catholicam non abjurent: quae certe abjuratio, neque civilis, neque licita est.

Transit auctor apologiae pag. 26. et 27. a Patribus (6) ad concilia: neque contentus est demonstrare civilem obedientiam regibus a subditis deberi: sed addit, tota etiam episcoporum concilia regibus fuisse subjecta. Ac primo loco adducit concilium arelatense, Caroli Magni temporibus celebratum, cujus haec sunt verba in ultimo canone: *Haec igitur Domino imperatori praesentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur, si quid secus quam ratio habeat, ejus judicio emendetur, si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio, divina opitulante clementia, perficiatur.* Respondeo (7): Episcopos, concilii arelatensis, Carolo ipso petente, non solum de negotiis ecclesiasticis, sed etiam de politicis in eo con-

(4) *Idem sancti Patres affirmant.*

(5) *Quo modo pontifices paruerint quibusdam tyrannis.*

(6) *An concilia subsint imperatoribus et regibus.*

(7) *Qua in re Patres concilii Arelat. imperatoris auctoritate indiguerint.*

ventu egisse:permulta in communi quoque de clericis et laicis statuisse, quae sine imperatoris providentia executioni mandari non poterant. Extant in eo concilio canones quartus et quintus, quibus abusus laicorum reformantur, qui acceptis muneribus, presbyteros in paroeciis constitutos amovere, et eorum loco alios introducere tentabant. Extant canones, duodecimus, et decimustertius, de pace inter episcopos et comites et ut comites et judices obedientes sint episcopo et invicem consentiant ad justitias faciendas et munera pro judicio non accipiant. Extat canon quintusdecimus, ut pondera et mensurae ubique aequalia sint. Item canon vigesimustertius, ne comites, vel vicarii,seu judices, vel centenarii, sub mala occasione,vel ingenio, res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento surripiant: sed si cui aliquid possessionum emendum, aut vendendum sit, id in publico coram comite et judicibus et nobilibus civitatis facere debebit. De his igitur et similibus Patres loquuntur, cum imperatorem rogant, ut si quid minus est in his decretis, ejus prudentia suppleatur; si quid secus quam ratio habeat, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio perficiatur.

Addit deinde auctor apologiae, concilia quoque francfordiense,arelatense, turonense, cabilonense, moguntinum ac rhemense, penitus sese Carolo tradidisse: generalia vero concilia,nicaenum, constantinopolitanum, ephesinum et chalcedonense imperatoris pietati et providentiae sese in omnibus submisisse. Piguit vero illum non solum conciliorum verba referre, sed etiam loca notare. Neque ex tot conciliis aliud in specie allegavit, nisi ex epistola concilia ephesini ad augustos pauca quaedam verba, quibus episcopi se ab imperatore convocatos testantur et ab eo petunt,ut quae gesta sunt contra Nestorium, robur suum habeant.

Ad quae nos brevissime respondemus (1). Concilia episcoporum, jussu quidem interdum imperatorum congregata fuisse, sed in executionem mandati summi pontificis,ad quem proprie generalium conciliorum convocatio pertinet,ut perspicuum est in epistola concilii constantinopolitani ad pontificem Damasum, in qua dicunt se constantinopoli convenisse, ex mandato literarum ipsius, anno superiore ad imperatorem Theodosium daturum, sed de hac re inferius dicemus.Illud etiam fatemur (2), concilia saepe ab imperatoribus petiisse, ut decreta sua protegerent et executioni mandari auctoritate sua curarent. Falsum autem esse, quod auctor apologiae hoc loco scribit, concilia se penitus et in omnibus submisisse imperatorum pietati, atque prudentiae (3); quasi praecipue partes et summa potestas in rebus ecclesiasticis penes principem terrenum esset: evidenter ostendemus ex apertissimis testimoniis episcoporum sanctorum et regum sive principum saeculi.

Sanctus Athanasius patriarcha alexandrinus, in epistola ad solitariam vitam agentes: *Quando*, ait, *a condito aevo auditum est, quod judicium Ecclesiae suam auctoritatem ab imperatore accepit? aut quando hoc pro judicio agnitum est?* Hosius Cordubae episcopus, referente Athanasio in eadem epistola: *Ne praecipe*, inquit, *nobis imperator in hoc genere, sed ea potius a nobis disce: tibi enim Deus imperium commisit, nobis autem ea, quae sunt Ecclesiae concredidit.* S. Ambrosius mediolanensis episcopus in epist. 33. ad sororem, scribit se Valentiniano imperatori dixisse: *Noli te gravare imperator, ut putes te in iis quae Domini sunt, aliquod imperiale jus habere: publicorum tibi moenium jus commissum est, non sacrorum.* Idem etiam in oratione de tradendis basilicis, multis docet, imperatorem in Ecclesia esse et non super Ecclesiam: et judicia ecclesiastica non ad imperatores, sed ad episcopos pertinere. Sanctus Martinus turonensis episcopus maximo imperatori in faciem dixit: Novum esse et inauditum nefas, ut caussam Ecclesiae judex saeculi judicaret, testis est Sulpitius lib. 2. sacrae historiae. Sanctus Augustinus episcopus hipponensis, in epist. 46. 50. et 165. docet quidem piorum regum esse Ecclesiam defendere, severisque legibus, ac poenis haereticos ab Ecclesia damnatos coërcere. Sed ibidem Donatistas graviter reprehendit, quod caussam ecclesiasticam ad regem terrenum judicandam, non ad episcopos detulissent. Sanctus Gelasius romanus pontifex, in epistola ad Anastasium imperatorem: *Nosti*, inquit, *fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate rerum terrenarum; tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis*: et paulo post, *Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.* Sanctus Gregorius papa lib. 5. epist. 21. *Scimus*, inquit, *piissimos dominos disciplinam diligere,ordinem servare,canones venerari et se sacerdotalibus negotiis non miscere.*

Venio nunc ad principes saeculi (4). Constantinus magnus, cum Donatistae non contenti episcopali judicio, ad ipsum caussam Ecclesiae detulissent, ita exclamasse fertur: *O rabida furoris audacia: sicut in caussis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Refert haec verba Constantini Optatus milevitanus lib. 1. contra Parmenianum. De eodem ita scribit s. Augustinus in epist. 165. Constantinus non est ausus de caussa episcopi judicare. Valentinianus senior imperator, referente Sozomeno lib. 6. hist. cap. 7. *Mihi*, inquit, *qui sum in sorte plebis,fas non est talia negotia*, videlicet ecclesiastica, *perscrutari. Sacerdotes, quorum ista curae sunt, inter se ipsos, quocumque voluerint loco conveniant.* Theodosius junior imperator in epist. ad synodum ephesinam: *Illicitum*, inquit, *est, illum, qui non sit ex ordine sanctissimorum episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Basilius imperator ora-

(1) *Concilia generalia jussu imp. aliquando coacta sunt: id mandante summo pontifice.*

(2) *Concilia aliquando protectionem et executionem decretorum petierunt ab imp.*

(3) *Judicium de rebus religionis ad saeculares principes non pertinere ostenditur ex ss. episcopis.*

(4) *Idem ostenditur testimonio principum saecularium.*

tione habita in octava synodo: *Haec*, inquit, *investigare et quaerere, patriarcharum episcoporum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, qui ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas adepti sunt claves; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus.* Carolus magnus leges quidem aliquas juri communi addidit; sed in eis reverentiam et subjectionem ad sedem apostolicam romanam plane admirabilem, his verbis testatus est: *Licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus et pia devotione toleremus.* Refert hanc sententiam, ex concilio Caroli magni, Gratianus distinct. 19. can. 3. et eamdem sententiam a Carolo acceptam, suam quoque fecerunt episcopi concilii tiburiensis cap. 30. Addimus ultimo testimonium regis Theodorici, qui, quamvis haereticus Arianus esset, non tam sibi primatum in conciliis assumebat: sic enim legimus in synodo quarta, sub Symmacho pontifice romano: *Ad haec serenissimus Rex taliter, Deo aspirante, respondit, in synodi esse arbitrio, in tanto negotio sequenda praescribere; neque aliquid ad se, praeter reverentia, de ecclesiasticis negotiis pertinere.* Habemus igitur ex testimonio principum, tum Ecclesiae tum saeculi, longissime a vero aberrare, qui regi terreno primatum in rebus spiritualibus et ecclesiasticis tribuunt.

Pergit deinde auctor apologiae pag. 27. atque ait: *Quin etiam Christum dixisse lego, regnum suum non esse de hoc mundo, jussisseque ut quae sunt Caesaris Caesari tribuamus et quae Dei Deo.* Quae verba ut vera et divino sunt, ita applicationem ineptam et ad rem nihil facientem, quivis facile judicare poterit (1). Regnum quidem Christi non fuit ex hoc mundo; sed tamen in hoc mundo fuit et est: ac per hoc vicario Christi regis in terris obedientia debetur ab omnibus, qui partem in regno Christi habere volunt et quemadmodum nos reddenda Caesari, quae Caesaris sunt, non negamus, idest, tributa, honorem et obedientiam in rebus et negotiis saeculi: sic etiam optamus, ut quae Dei sunt, Deo reddantur: inter quae primo loco ponenda est fidei catholicae integra inviolataque professio et ad Christi vicarium fidelis et pura obedientia. Quod autem auctor apologiae subjungit, secundum theologiam non repugnare fidei et animarum saluti, si civilis obedientia, civili magistratui deferatur, verum est: sed falsum omnino est quod sequitur, in Brevi apostolico contrarium contineri. Debuisset omnino iste auctor, qui toties hoc repetit, vel uno in loco annotare verba illa Brevis, ubi dicatur, civilem obedientiam civili magistratui exhibere, rem esse fidei catholicae, salutique contrariam, sed neque annotavit, neque annotare potuit, nisi verba Brevis corrumpere et sua verba pro verbis Brevis sustinere voluisset.

Denique pag. 28. post nugas et convicia, quae libenter omittimus, ut quae gravi theologo, qualem se auctor apologiae jactat, indignissima sunt, concludit hoc dilemmate (2): *Aut licet principi obtemperare in temporalibus, aut non: si licet, quod nemini dubium esse potest, cur tam iniquus est et crudelis in catholicos suos, ut imperet iis, ne legitimo regis sui mandato obtemperent? si non licet, cur rationem non reddit caussam non exprimit, unde id prohibet?* sed facilis est responsio. Admitto enim licere subditis principi suo obtemperare in temporalibus, modo quae princeps jubet, non sint contraria Deo, qui est Rex magnus super omnes principes: sed nego pontificem summum, tam fuisse iniquum et crudelem in catholicos, ut eis imperaret, ne legitimo regis sui mandato obtemperarent (3): neque enim juramentum propositum suscipere, legitimum mandatum, dici ullo colore potest, cum eo juramento cogantur catholici fidem catholicam abnegare, ut supra demonstratum est. Ex quo etiam manifeste refellitur, quod auctor subjungit de exhortatione ad martyrium subeundum. Contendit enim auctor pag. 29. exhortationem illam solito fundamento carere, cum possit catholicus et religionem romanam ardenter profiteri, quod papa jubet, et simul civilem obedientiam principi suo praestare quod Rex jubet. Jam enim non semel demonstravimus regem civili obedientia non esse contentum; sed id praecipue in votis habere, ut a catholica fide catholicos avertat et ex catholicis haereticos faciat: Nam juramentum, quod fidelitatis appellat, praeparatio et dispositio est ad juramentum de primatu regis in spiritualibus. Et ea forte caussa est cur archipresbyterum e carcere non dimittat, quamvis primum juramentum praestiterit, quia sperat eumdem ad alterum juramentum taedio carceris et aerumnarum se posse perducere: quod juramentum non tecte et obscure, sed aperte et manifeste novam haeresim de primatu regio, in rebus etiam sacris et spiritualibus continet.

Postremo: Apologiae auctor pag. 30. et 31. fingit pontificem maximum ex falsis rumoribus de nimia regis severitate in catholicos, permotum fuisse ad hoc Breve tam temere conscribendum, quod idem dicit accidisse Pio V. quando sententiam excommunicationis in reginam Elisabetham tulit: et Clementi VIII. quando paulo ante obitum Elisabethae duo Brevia in Angliam misit, quibus tum regem praesentem, tum alium quemcumque a regno exclusit, qui religionem catholicam non profiteretur, quae duo Brevia contraria esse dicit fidei saepius datae et variis protestationibus, quibus operam suam obtulit, omniaque officia pollicitus est, quae conducere possent ad hunc ipsum regem in solio collocandum (4). Itaque auctor hujus apologiae paucis verbis tres summos pontifices, Paulum V. et Pium V. levitatis et temeritatis, Clementem VIII. non solum temeritatis, sed etiam perfidiae reprehendit. At ipsa rei veritas simpliciter exposita, nullo nostro labore addito et sine ulla arte rethorica, auctorem apologiae falsitatis, vanitatisque con-

(1) *Regnum Christi non fuit ex hoc mundo, tamen in hoc mundo fuit et est.*
(2) *Insulsum dilemma apologiae.*
(3) *Jurament. Angliae abnegationem fidei catholicae.*
(4) *Refelluntur variae calumniae.*

vincet. Paulus enim V. non ex incertis rumoribus adductus est ad Breve scribendum, sed ex notissima et gravissima persecutione, quam edicta publicata testantur, et ex ipsa juramenti formula ad nos transmissa. Itaque non erat opus,ut auctor luderet in nomine Babylonis et septicollis urbis, ad quam undique rumores et nuncii deferuntur; neque, ut probaret ex Patrum testimoniis, de Roma intelligi, quae sanctus Petrus de Babylone scripsit in priore epist. cap. 5. (1) Fatemur enim Romam non solum in epistola sancti Petri, sed etiam in Apocalypsi sancti Joannis per Babylonem significari; sed Romam ethnicam, non Romam christianam et illam, quae ebria erat de sanguine martyrum Jesu: non illam, quae Jesum Filium Dei et martyres ejus honorat. Denique illam, quae habebat in fronte inscriptam blasphemiam; non illam, quae, ut scribit sanctus Hieronymus lib. 2. in Jovinianum,scriptam in fronte blasphemiam,Christi confessione delevit. Pius etiam V. non vanis quorumdam delationibus temere abreptus est ad excommunicandam reginam, sed ex notis et publicis ejus criminibus; ac praesertim quod instar apostatae Juliani, ex ficta catholica, manifesta haeretica et jurata catholicorum hostis evaserit. Denique (2) Clemens VIII. duo Brevia anno 1600.tribus annis ante obitum reginae ad catholicos misit, unum ad clerum,alterum ad populum:quibus Brevibus non, ut iste mentitur, Jacobum tunc Scotiae regem a solio exclusit, sed consilium dedit, quale dare decebat summum pontificem, videlicet, ut catholici operam darent,quantum in ipsis est, ut Rex ad religionem catholicam bene affectus eligeretur. Habemus enim exemplaria Brevium illorum in manibus et iis diligenter inspectis, nusquam invenimus nomen Jacobi regis, aut alterius particularis personae;sed solum generatim, ut diximus, cohortationem ad regem orthodoxum et pium constituendum (3). Quibus verbis non solum Jacobus Scotiae Rex non excludebatur, sed includebatur potius; quoniam ministri ejus maximam spem fecerant, eum non abhorrere a fide catholica suscipienda; praesertim cum Rex ipse ad pontificem ipsum, necnon ad cardinales Aldobrandinum et Bellarminum literas scripsisset plenas humanitatis, quibus praeter caetera petebat, ut aliquis e gente Scotorum cardinalis S. R. E. crearetur, ut haberet Romae, per quem facilius et tutius cum pontifice negotia sua tractaret. Quare pontifex non perfidiae accusari, sed spe sua frustratus dici merito potuit. Ad extremum addit auctor apologiae, non defuisse in Anglia, qui Breve hoc, fictitium et in odium papae compositum et disseminatum fuisse suspicarentur: *Quod viderent illud tam longe ab omni theologiae ratione, prudentia, politica, sensu denique communi abhorrere perspicerent, sed pontificem maluisse altero Brevi fidem prioris confirmare, ut culpam suam sciens. prudensque geminaret.* Nos vero non ignoramus fuisse in Anglia, qui primum illud Breve confictum existimaverint. Sed id non accidit ex eo, quod a theologia, vel prudentia abhorrere videretur; sed ex eo, quod nonnulli cuperent hac fraude catholicis imponere, atque efficere, ut juramentum propositum suscipere non dubitarent (4). Qua fraude comperta, summus pontifex alio Brevi, fidem priori facere voluit, ne pharmacum spirituale per hanc daemonis artem, inutile redderetur, quo facto, non culpam geminavit, sed fraudem detexit, tenebras dissipavit et veritati, ac sinceritati aditum patefecit.

SECUNDUM BREVE

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cum satis declaraverimus per literas nostras anno superiore 10. kalend. octobr. in forma Brevis datas,vos tuta conscientia praestare non posse juramentum, quod a vobis tunc exigebatur; et praeterea stricte praeceperimus, ne ullo modo illud praestaretis: nunc dicere audent hujusmodi literas de prohibitione juramenti,non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu, atque industria, eaque de caussa iidem persuadere nituntur, mandata nostra dictis literis non esse attendenda. Perturbavit sane nos hic nuncius, eoque magis, quia experti obedientiam vestram (filii nostri unice dilecti) qui, ut huic sanctae sedi obediretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam, pie ac generose nihili fecistis; numquam suspicati essemus potuisse vocari apud vos in dubium, fidem literarum nostrarum apostolicarum, ut hoc praetextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verum agnoscimus versutiem atque fraudem adversarii humanae salutis,eique potius, quam vestrae voluntati tribuimus hanc renitentiam.Ea propter iterum ad vos scribere decrevimus, ac denuo vobis significare, literas nostras apostolicas, anno praeterito 10. kalend. octobr. datas de prohibitione juramenti,non solum motu proprio, et ex certa nostra scientia; verum etiam post longam et gravem deliberationem de omnibus quae in illis continentur adhibitam, fuisse scriptas, et ob id teneri vos, illas omnino observare, omni interpretatione secus suadente rejecta. Haec autem est mera,pura integraque voluntas nostra, qui de vestra salute solliciti, semper cogitamus ea, quae magis vobis expediunt, et ut cogitationes, et consilia nostra illuminet is, a quo christiano gregi custodiendo nostra fuit praeposita humilitas,indesinenter oramus, quem etiam jugiter precamur, ut in vobis filiis nostris summopere dilectis, fidem, constantiam, mu-

(1) *Roma ethnica, non christiana,dicta est Babylon in sacris literis.*

(2) *Quorsum Clem. VIII. duo Brevia miserit in Angliam.*

(3) *Jacobus Rex significavit se non abhorrere a fide catholica.*

(4) *Cur Paul. V. secundum Breve ad Anglos scripserit.*

tuamque inter vos charitatem et pacem augeat. Quibus omnibus cum omni charitatis affectu, peramanter benedicimus. Datum Romae apud s. Marcum, sub annulo piscatoris 10. kalend. octobr. M DC VII. pontificatus nostri anno tertio.

Hactenus respondimus ad ea, quae adversus primum Breve auctor apologiae scribenda esse putavit. Nunc, ut ipse a secundo Brevi una fere pagella se expedivit; sic et nos ejus cavillationes pari brevitate rejiciemus. Quoniam igitur summus pontifex versutiae diaboli tribuit falsos illos rumores de conflcto Brevi: sic ipse auctor apologiae versutiae ejusdem diaboli tribuit hoc secundum Breve. Scribit enim, diabolum non potuisse tantum nocere catholicis, aliqua fraude, etiam si mille annos in hoc opus incubuisset, quam fecit hoc uno Brevi; et rationem reddit, quoniam oportebit eos qui juramentum susceperunt, nunc illud abjurare; quod majus est malum, quam si antea non jurassent, antea siquidem si jurare noluissent, excusari poterant ob scrupulos aliquos mentis, ex particulis juramenti obortos: at nunc nullam habent excusationem, si abjurent fidelitatem, quam regi suo bis jurarunt: semel, cum primum nati sunt, tacito quodam et congenito juramento; deinde cum verbis conceptis primum illud juramentum confirmarunt.

Ad haec respondemus, non esse malum abjurare, quod male juratum est. Sic enim habet regula ab omnibus approbata: (1) In male promissis rescinde fidem; sed dicet Adversarius, non potest esse malum juramentum, quod est naturale, et congenitum ab ipso ortu, vel hujus naturalis et congeniti confirmatio et expressio. Respondeo: Juramentum quod dicitur congenitum, si quod est, non esse aliud, nisi simplicem obligationem ad obediendum superiori, sub quo quis nascitur, in rebus licitis atque honestis. Neque intelligi vel etiam fingi potest, quomodo in ipso ortu homo naturaliter obligetur ad negandam summi pontificis potestatem: proinde juramentum secundum, quod hanc abnegationem continet, non potest recte dici confirmatio, vel expressio juramenti prioris. Praeterea, quaemadmodum in ortu naturali videtur posse intelligi juramentum tacitum et congenitum ad obediendum principi politico: sic etiam in ortu supernaturali, quem habemus ex baptismo, intelligi debet juramentum tacitum et congenitum ad obediendum principi spirituali, qui est Christi vicarius: ac per hoc non licet ullo modo postea juramentum suscipere, quo abjurari videatur juramentum praestitum in Baptismo. Ac de his hactenus.

EPISTOLA CARDINALIS BELLARMINI AD ARCHIPRESBYTERUM ANGLIAE.

(2) Venerabilis in Christo domine frater. Anni sunt fere quadraginta, quod invicem non viderimus. Sed ego tamen veteris nostrae consuetudinis numquam oblitus sum; teque in vinea Domini strenue laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare non destiti: me quoque in tua memoria toto hoc tempore vixisse et in tuis orationibus ad altare Domini locum aliquem habuisse non dubito. Ita igitur ad hoc usque tempus, non verbis aut literis, sed opere et veritate, ut sanctus Joannes loquitur, alter in alterius dilectione permansimus, sed hoc silentium rumpere coëgit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis et carcere ad nos venit; qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat, ob jacturam pastoralis tuae sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit, tamen laetus quoque videbatur, quoniam ad martyrii gloriam, quo dono Dei nullum est felicius, propinquabas: ut qui tot annis gregem tuum verbis et doctrina pavisses, nunc exemplo patientiae gloriosius pasceres. Verum hanc laetitiam non mediocriter interturbavit, ac fere corrupit tristis alius nuncius, qui de constantia tua in recusando illicito juramento, ab adversariis tentata, forte etiam labefactata et prostrata successit. Neque enim (frater charissime) juramentum illud ideo licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum et modificatum offerebatur. Scis enim hujusmodi modificationes nihil esse aliud, quam Satanae dolos atque versutias, ut fides catholica de primatu sedis apostolicae, vel aperte vel obscure petatur: pro qua fide tot inclyti martyres in ista ipsa Anglia ad sanguinem usque pugnarunt. Certe enim quibuscumque verbis juramentum ab adversariis fidei concipiatur in regno isto, eo tendit, ut auctoritas capitis Ecclesiae a successore sancti Petri, ad successorem Henrici VIII. in Anglia transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitae regis, si summus pontifex eam in Anglia potestatem habeat, quam in omnibus aliis christianis regnis habet, inane prorsus esse, omnes qui sunt aliqua prudentia praediti, facile vident. Neque enim auditum est unquam ab initio nascentis Ecclesiae, usque ad haec nostra tempora, quod ullus pontifex maximus principem ullum, quamvis haereticum, quamvis ethnicum, quamvis persecutorem, caedi mandaverit, aut caedem forte ab aliquo patratam probaverit. Et cur quaeso unus rex Angliae timet, quod ex tot christianis principibus nullus timet, nullus timuit? sed ut dixi, vani isti praetextus decipulae sunt et stratagemata Satanae, qualia non pauca in historiis veterum temporum inveniuntur; quae facile referre possem, si, non epistolam, sed librum integrum scribendum suscepissem. Unum tantum, exempli gratia ad memoriam tibi revocabo. Scribit sanctus Gregorius nazianzenus in prima oratione in Julianum imperatorem, illum, ut simplicibus christianis imponeret, in imaginibus imperatoriis, quas romani civili quodam genere honoris, pro more adorabant, imagines deorum falsorum admiscuisse, ut nemo posset imperatoris imaginem adorare, quin simul

(1) *Iniqua juramenta non obligare.*

(2) *Continet exhortationem ut archipresbyter, qui juramentum acceperat, resipiscat.*

deorum simulachris cultum adhiberet: hinc nimirum flebat, ut plurimi deciperentur: et si qui forte fraudem subodorati imperatoris imaginem venerari recusarent, ii gravissime punirentur, ut qui Caesarem in sua imagine contempsissent. Tale aliquid in juramento vobis oblato, mihi videre videor, quod ea fraude compositum est, ut nemo possit proditionem in regem detestari civilemque subjectionem profiteri, quin primatum sedis apostolicae perfide abnegare cogatur; sed Christi servi, ac praesertim primarii Domini sacerdotes, ubi periculum fidei subesse possit, tantum abesse debent e susceptione illiciti juramenti, ut ab omni etiam susceptione simulationis praestiti juramenti cavere debeant, ne fidelibus populis ullum praevaricationis exemplum reliquisse videantur. Quod egregie praestitit insignis ille Eleazarus, qui neque porcinas carnes comedere, neque simulare comedisse voluit, quamvis gravissima tormenta sibi cerneret imminere; ne, ut ipse ait in 2. lib. Machabaeorum, multi juvenum per eam simulationem, ad legis praevaricationem animarentur. Neque minus fortiter magnus Basilius et exemplo ad res nostras magis accommodato, cum Valente imperatore se gessit: nam ut in historia scribit Theodoretus, cum praefectus imperatoris haeretici hortaretur s. Basilium, ut non vellet propter parvam dogmatum subtilitatem imperatori resistere: respondit vir ille sanctissimus et prudentissimus, Non esse ferendum, ut de divinis dogmatibus, vel una syllaba corrumpatur, sed potius pro eorum defensione, omne genus supplicii amplectendum. Equidem arbitror non deesse apud vos, qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quae in juramento catholicis hominibus proposito continentur et non esse propter rem tam parvam regis imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri sancti, ac magno Basilio similes, qui palam affirmabunt, non esse de divinis dogmatibus vel minimam aliquam syllabam corrumpendam, etiamsi tormenta et mors ipsa toleranda proponantur. Inter hos unum, vel potius horum principem, atque antesignanum te esse par est. Et quamvis, vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in caussa fuerit, ut constantia titubaverit; confidimus tamen de Domini pietate et de diuturna tua virtute, fore, ut qui s. Petri, et s. Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, eorumdem fortitudinem in reparandis viribus, et veritate asserenda feliciter imiteris. Nam si rem totam diligenter apud te cogitare volueris, videbis profecto non esse rem parvam quae ob juramentum istud in discrimen adducitur, sed unum ex praecipuis fidei nostrae capitibus, ac religionis catholicae fundamentis. Audi enim quid apostolus vester magnus Gregorius in epist. 2. libri 11. scribat: *Apostolicae sedis reverentia nullus praesumptione turbetur: tunc enim status membrorum integer perseverat, si caput fidei nulla pulsetur injuria.* Itaque s. Gregorio teste, cum de primatu sedis apostolicae vel turbando, vel minuendo, vel tollendo satagitur, de ipso capite fidei amputando, ac de totius corporis, omniumque membrorum statu dissipando satagitur. Quod idem s. Leo confirmat serm. 3. de assumptione sua ad pontificatum, cum ait: *Specialis cura Petri a Domino suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.* Ex quo idem ipse in epistola ad episcopos viennensis provinciae affirmare non dubitat: *Necesse esse exortem illum mysterii esse divini, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere:* qui rursum ait: *Quisquis huic sedi principatum existimat esse denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiae suae, semetipsum in inferna demergit.* Atque haec quidem et alia ejusdem generis multa tibi notissima esse certo scio, qui praeter caeteros libros, visibilem monarchiam Sanderi tui, scriptoris diligentissimi et de Ecclesia anglicana optime meriti saepe legisti: quique ignorare non potes sanctissimos viros, eosdemque doctissimos Joannem Roffensem et Thomam Morum, pro hoc uno gravissimo dogmate duces ad martyrium plurimis aliis, cum ingenti anglicae nationis gloria, nostra memoria fuisse: sed in memoriam tibi revocare volui, ut colligas te et magnitudinem rei considerans, non tuo judicio nimium fidas, neque plus sapias, quam oportet sapere et si forte lapsus tuus non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, ex metu carceris et suppliciorum profectus est; non anteponas libertatem temporalem libertati filiorum Dei: neque ob momentaneam et levem tribulationem fugiendam, amittere velis aeternum gloriae pondus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diu certasti, cursum ferme consummasti, fidem tot annis servasti, noli igitur tantorum laborum praemia tam facile perdere: noli corona justitiae, quae tibi jamdudum paratur, te ipse privare: noli tot fratrum et filiorum tuorum vultus confundere: in te sunt hoc tempore conjecti oculi totius Ecclesiae, quin etiam spectaculum factus es mundo, angelis et hominibus: noli in extremo actu ita te gerere, ut et tuis luctum et gaudium hostibus relinquas; sed contra potius, quod omnino speramus et pro quo ad Deum nostrum assidue preces fundimus, vexillum fidei gloriose erigas et quam contristaveras, laetam facias Ecclesiam: nec jam solum veniam merearis a Domino, sed coronam. Vale, viriliter age et confortetur cor tuum. Romae die 28. septembris 1607.

Responsio ad ea quae objiciuntur contra epistolam cardinalis Bellarmini.

Nunc ad ea veniamus, quae auctori apologiae adversus cardinalem Bellarminum scribere placuit et quamvis auctor eumdem Bellarminum magnis laudibus efferat et magnis conviciis oneret, ut impleat illud s. Jacobi, Ex ipso ore benedictio et maledictio procedit: ipse tamen, nec laudes in se agnoscit, neque conviciis multum movetur. Ideo iis praetermissis, illa solum persequemur, quae veritati dogmatum catholicorum et sinceritati fidei praejudicare possunt. Igitur pag. 47. 48. et 49. scribit, Bellarminum aberrasse a statu caussae et cum formulam juramenti fidelitatis refutare vellet: tamen totum esse in refutando juramento de primatu re-

gis in spiritualibus. Atque, ut sciamus quid intersit inter haec duo juramenta, adscribit hoc loco formulam juramenti de primatu. Nam formula juramenti fidelitatis in ipso Brevi pontificis suprascripto continetur. Ad hoc respondemus, Bellarminum non aberrasse a statu caussae, sed haereticorum fraudes detexisse. Vidit enim juramentum secundum proponi, quasi simplicis fidelitatis civilisque obedientiae juramentum esset, quo nomine in hac ipsa apologia frequentissime appellatur, nam in hoc ipso loco, in quo nunc versamur, videlicet pag. 49. sic ait: *Novissimum hoc juramentum civilem tantummodo obedientiam attingit subditorum erga principem, in caussis mere temporalibus.* At id falsum esse, solumque ad legendas insidias dici, juramenti formula per se clamat. Coguntur enim catholici jurare, non solum quid subditi debeant praestare erga regem; sed etiam quid possit vel non possit summus Ecclesiae pontifex. Haec igitur caussa est, cur Bellarminus in epistola sua dixerit, hoc juramento, quantumvis temperato et modificato, fidem catholicam de primatu sedis apostolicae peti. Sed de hac re initio responsionis satis multa dicta sunt.

Pergit deinde auctor pag. 51. et 52. et (1) exponit quatuordecim propositiones, quas dicit necesse esse, ut illi concedant, qui juramentum propositum praestare recusant. Sed ex his ipsis propositionibus apertissime demonstratur, eo juramento, non civilem tantum obedientiam in rebus mere temporalibus attingi, ut paulo ante auctor apologiae dixit: sed attingi potestatem et auctoritatem sacrosanctam vicarii Christi. Nam ex quatuordecim propositionibus plurimae sunt de potestate papae. Falsum autem est, eos, qui juramentum recusant, non posse non concedere has quatuordecim propositiones, quae contrariae sunt omnibus partibus juramenti. Nam ex communi sententia, Bonum ex integra caussa constituitur, malum autem ex singulis defectibus. Quare, ut juramentum prohibeatur, vel recusetur, non est necessarium, ut omnes et singulae partes ejus sint malae: satis autem est si vel una sit mala. Contra autem, ut juramentum suscipiatur, oportet, ut nullo vitio maculetur, et in omnibus et singulis partibus justum et licitum reperiatur. Potuit igitur summus pontifex juramentum hoc damnare; et possunt ac debent catholici hoc idem juramentum merito recusare; etiam si aliqua ejus sententia vera sit aut justa, neque tenentur omnes quatuordecim propositiones, ut veras aut justas admittere.

Sed mirum est, qua fronte auctor apologiae subjungat: *Hae verae sunt partes, haec naturalia membra hujus juramenti corporis, quibus omnibus negativis affirmativae partes oppositae, neque pontificis primatum in caussis spiritualibus ullatenus attingunt, neque unquam conclusae, aut definitae sunt in ullo concilio generali penitus exacto, ad pontificis auctoritatem pertinere; et ipsi denique eorum doctores scholastici, inexplicabili quodam litigio, de iis invicem dissident in hunc diem.* Nam, ut paulo ante monui et ipsae propositiones clamant; ex quatuordecim, undecim sunt, quae primatum pontificis in caussis spiritualibus attingunt: caussa enim utique spiritualis est, An princeps haereticus a pontifice excommunicari, et, An populi catholici propter periculum haeresis ab obedientia principis haeretici absolvi possint. Neque de hac re ullae sunt inter doctores scholasticos controversiae: (2) alioqui proferat adversarius vel unum catholicum auctorem, qui scribat, non licere summo pontifici regem vel principem haereticum excommunicare et populum catholicum ab ejus obedientia liberare. Porro in conciliis generalibus, non uno, sed multis conclusum ac definitum est, summum pontificem esse vicarium Christi, caput Ecclesiae, rectorem et pastorem omnium christianorum, ex quibus manifeste sequitur, ut omnes christianos, etiam si reges vel principes sint, errantes, dirigere et corrigere possit. Vide concilium lateranense sub Innocentio III. cap. 5. lugdunense Gregorio X. unde extat caput, *Unde periculum*, de elect. in 6. lugdunense sub Innocentio IV. unde extat cap. 1. De homicidio in 6. viennense sub Clemente V. unde extat Clementina prima de summa Trinit. et fid. cathol. constantiense sess. 8. et 15. et lateranense sub Leone X. sess. 11. In concilio autem lateranensi sub Innocentio III. quod fuit omnium maximum et celeberrimum, praeter locum citatum, habetur capite tertio, dominos temporales monendos esse, ut ditiones suas purgent, puniendo haereticos ab Ecclesia damnatos, quod si facere neglexerint, excommunicentur; et si excommunicati adhuc parere recusent, significetur id summo pontifici, qui subditos eorum ab obedientia liberabit et terras eorum aliis invadendas concedet. Sed adversarius notat ad marginem, Videndum esse Platinam in vita Innocentii III. quod attinet ad hoc lateranense concilium. Siquidem Platina indicare videtur, nihil certi in hoc concilio post longas disputationes concludi potuisse. Caeterum Platina loquitur solum de recuperanda terra promissionis, quam Saraceni occupaverant. De hoc enim articulo, cum multa inter Patres et oratores regum disputata fuissent, nihil certi definiri potuit. Sed quoniam adversarius ad Platinam nos remisit, non erit ab re annotare Platinam esse, qui loco ab adversario allegato refert, Joannem regem anglorum ipsam Angliam et Hyberniam summo pontifici subjecisse ac tributariam esse voluisse. Et a pontifice Innocentio viro sancto, Othonem imperatorem excommunicatum, atque imperio justissime privatum fuisse. Pergat igitur adversarius et similes auctores ad nos convincendos frequenter adducat.

Pergit auctor pag. 54. ad 57. ac docet, (3) juramentum a rege Jacobo propositum, nihil novi continere, sed ante mille annos fuisse in conciliis usu receptum et approbatum. Recitat enim haec verba concilii toletani quarti, can. 74. Audi sententiam

(1) *Juramentum ab apologiae auctore in 14. propositiones male divisum.*

(2) *Papa reges haereticos excommunicare potest, et eximere populos ab eorum obedientia.*

(3) *Objectio ex conciliis pro juramento regis Angliae.*

nostram: *Quicumque ex vobis vel totius Hispaniae populis, qualibet conjuratione, vel studio, sacramentum fidei suae, quod pro conservatione patriae vel regiae salutis pollicitus est, temeraverit, aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Dei Patris et sanctorum angelorum, atque ab Ecclesia catholica, quam perjurio prophanaverit, efficiatur extraneus et ab omni coetu christianorum alienus, cum omnibus impietatis suae sociis, quia oportet, ut una poena teneat obnoxios, quos similis error invenerit implicatos.* In eamdem sententiam allegat concilium toletanum, quintum, sextum et decimum; ac denique addit concilium aquisgranense can. 12. cujus haec sunt verba: *Si quisquam episcoporum, aut quilibet sequentis ordinis ecclesiastici, qualibet suasione a domino et orthodoxo Ludovico imperatore defecerit, aut etiam sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, ut ejus contrarius malevola intentione se copulaverit; gradum proprium canonica atque synodali sententia amittat.*

Ad haec loca nos respondemus, in his conciliis approbari juramentum fidelitatis erga principes catholicos et orthodoxos, quod justissimum esse nemo negare potest. Nos autem reprehendimus juramentum quod a catholicis et orthodoxis extorquere conatur rex ab Ecclesia alienus et qui a vera et antiqua religione, ad novas haereses subditos pertrahere satagit. Deinde, (3) in duobus conciliis allegatis, non agitur de novo et illicito juramento suscipiendo, sed de juramento justo et legitimo non violando: nos autem juramentum novum et illicitum detestamur. Praeterea in juramentis, quae in conciliis veteribus approbantur, non praescribitur, ut summo pontifici regem propter haeresim excommunicanti, non obediatur: neque aliquid aliud additur, quod potestatem Christi vicarii ullo modo attingat. Proinde nulla caussa est, cur juramenta illa cum sanctis illis Patribus non veneremur, at juramentum de quo agimus, maxima ex parte consumitur in abneganda pontificia potestate, eaque de caussa illicitum et injustum et nullo modo a catholicis viris suscipi posse decernimus. Denique, si princeps aliquis catholicus proditionem aut rebellionem forte timeat et ab episcoporum concilio, vel ab ipso summo pontifice petat, ut sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, praecipiat, ut nemo juramentum principi praestitum violare, aut adversus eumdem principem conjurare, aut hostes vel rebelles ipsius juvare praesumat; petitionem justissimam et omnino admittendam esse dicemus. Addo etiam, si rex ipse Jacobus intra hos limites juramentum a se propositum conclusisset, ut nullam excommunicationis pontificiae mentionem faceret, neque potestatem ejusdem pontificis ullo modo attingeret; sed solum contra proditores et sicarios, aut regni sui invasores juramenti verba dirigeret: ejusmodi juramentum sedes apostolica non improbasset, neque prohibuisset. Quare perspicuum est, a summo pontifice non interdici, aut reprehendi juramenta fidelitatis, qualia in veteribus conciliis laudata cognoscimus; sed novas juramenti formulas, quae sic fidelitatem requirant, ut perfidiae notam adjunctam habeant.

Pag. 58. occasione accepta ex necessitudine, quam cum archipresbytero sibi intercessisse initio epistolae Bellarminus narrat; digreditur auctor apologiae ad calumnias, atque inter alias, illam profert in medium, (4) quod Bellarminus conscius vel auctor fuit proditionum adversus reginam Elizabetham: id autem probat, quia Campianus et Hartus in colloquio in Turri londinensi habito, Robertum Bellarminum pro uno ex praecipuis suis vel auctoribus, vel oraculis celebrare non dubitaverint. Respondeo: Quod res est: si Campianus et Hartus, Bellarminum pro uno ex suis vel auctoribus, vel oraculis praecipuis celebrare non dubitabant, id accipiendum esse de lectionibus ejus theologicis, et iis praesertim quae ad controversias haereticorum pertinent, in quas forte duo illi boni viri inciderant: nam, quo tempore Campianus et Hartus in carcerem conjecti fuerunt, Bellarminus annos sex Lovanii et alios item sex Romae publice docuerat, ejusque lectiones a scholasticis descriptae circumferebantur. Neque vero Bellarminum puderet, aut poeniteret, si Campiani illi familiaritas contigisset. Scit enim Campianum contra haereticam impietatem solum conspirasse, divinae gloriae amplificandae et civium suorum salutis procurandae caussa in Angliam esse profectum; et mortem ejus pro religione pie susceptam, pretiosam in conspectu Domini esse non dubitat. Sed bene habet, quod collatio inter Hartum et Joannem Reginaldum habita typis postea excusa fuit et in ea nihil habetur, nisi quod Hartus inter disputandum de controversiis fidei, Bellarmini lectiones Lovanii, Romaeque habitas allegabat.

Pag. 61. post varias nugas atque calumnias, quas auctori apologiae effutire placuit, splendidum mendacium adjungit, dicens: *Regni nostri numquam in mentem venit, aliquid in Blakuellum statuere, ut nec in alium quemquam conscientiae caussa hactenus fecit.* Haec ille. (1) Quorsum igitur tot multae pecuniariae in recusantes adire templa haereticorum? quorsum tot carceres recusantium pleni? quorsum tot sacerdotes in exilium acti? quorsum ipse Blakuellus tam longo carcere maceratur cum et juramentum susceperit et conjurationis reus numquam sit habitus; neque aliud ei objici possit, nisi quod sacerdotis catholici functiones in Anglia exercuerit? cur jam non pauci suspendio suffocati et in partes dissecti sunt, nisi quia conscientiae caussa juramentum suscipere noluerunt? cur denique, ut multa praeteream, Henricus Garnettus, vir doctrina omnis generis et vitae sanctitate incomparabilis, ultimo supplicio affectus est, nisi quia revelare noluit, quod salva conscientia revelare non poterat? sed plura de hoc sanctis-

(1) *Concilia non loquuntur de juramento, quale est anglicanum.*

(2) *Calumniae in card. Bellarm. de proditionis participatione.*

(3) *Catholici conscientiae caussa in Anglia plectuntur.*

simo viro paulo infra dicemus. Admirabilis profecto impudentia est, ea mendacia literis mandare, quae ab ipso vulgo palam cum irrisione refutantur.

Pag. 62. carpit auctor apologiae quod in epistola Bellarmini dicitur. Neque juramentum illud ideo licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum et modificatum offerebatur: et fingit temperationem et modificationem in eo positam esse, quod juramentum aequis et moderatis verbis optime rei consentientibus descriptum sit: atque ex hac expositione digreditur ad calumnias; sed Bellarminus juramentum hoc secundum, temperatum et moderatum esse dixit, facta comparatione ad primum. Siquidem juramentum primum, quod in hac apologia refertur pag. 49. satis rigide primatum regium in spiritualibus asserit et non minus rigide primatum apostolicum abnegat; sed hoc secundum, temperatum et modificatum aptissime ad decipiendum dici potest, quia non aperte primatum regium in spiritualibus introducit, aut primatum apostolicum rejicit; sed sub praetextu et colore fidelitatis, ad finem eumdem tendit, ut primatus apostolicus negetur et primatus regius in spiritualibus constituatur. Atque hoc est, quod Satanae fraudibus et stratagemati Bellarminus attribuit: quod ideo apertissime explicare volui, quia auctor apologiae pag. 63. se divinare non posse dicit, cur Satanae versutias in eo juramento esse censuerit Bellarminus. Quod autem addit pag. 64. Non coelum a terra longius distare, quam professio obedientiae civilis erga civilem regem distat ab iis omnibus, quae fidei catholicae aut primatui s. Petri, quoquo modo sunt finitima; jam supra saepius refutatum est, neque libet eadem tam saepe repetere.

Jam vero pag. 65. valde moleste tulit apologiae auctor verba illa Bellarmini: *Certe enim quibuscumque verbis, juramentum ab adversariis fidei concipiatur in regno isto, eo tendit, ut auctoritas capitis Ecclesiae, a successore s. Petri ad successorem Henrici octavi in Anglia transferatur.* Ac primo ad invidiam pontifici romano conflandam, dicit regem suum non praesumpsisse unquam novum articulum fidei condere, aut de aliquo articulo fidei se judicem constituere; sed omnibus articulis fidei se submisisse, non minori humilitate et modestia, quam quemvis ex plebe totius regni; deinde addit, Multo facilius posse regem suum probare, se majoribus suis, tam quoad personam, quam quoad virtutes successisse; quam probare possit papa se sancto Petro succedere sive quoad personam, sive quoad doctrinam. Quod ad primum attinet, nos quoque (1) negamus a summis pontificibus novos articulos fidei condi posse, si per articulos fidei intelligantur immediatae revelationes Dei. Sic enim Ecclesia fundata dicitur supra fundamenta apostolorum et prophetarum Ephes. 2. quoniam illis immediate revelata sunt mysteria nostrae fidei, illi verbum Dei literis mandaverunt et voce etiam viva praedicaverunt, ut ab ipso Domino immediate acceperunt. Si tamen per articulos fidei significentur quaecumque dogmata, quae fide catholica credi debent, sive sint conclusiones ex verbo Dei, atque ex primis articulis fidei deductae, sive explicationes primariorum articulorum: tum vero non dubitamus a summis pontificibus coadjuvantibus conciliis episcoporum, multos articulos fidei conditos fuisse, quales articuli sunt definitiones generalium conciliorum, nicaeni, constantinopolitani, ephesini et aliorum. Sic etiam nos quoque negamus pontificem romanum, judicem se articulorum fidei unquam constituisse, in eum sensum, quem haeretici nobis objiciunt, quasi pontifex romanus judicare praesumat, an articulus fidei accipiendus sit an non. Et scimus omnes romanos pontifices non minori humilitate et modestia, judicium suum subjicere solitos omnibus articulis fidei, atque unumquemque ex plebe. Sed si judicare de articulis fidei, sit, quando dubium est, an aliqua sententia ad fidem pertineat, vel non pertineat, discernere a qua parte sit veritas; tum omnino credimus summum pontificem de articulis fidei judicare: tollatur aequivocatio et omnis calumnia, invidiaque cessabit. Quod autem attinet ad successionem, romanum pontificem s. Petro in apostolica dignitate et potestate succedere, fide catholica credimus, ubi nullus omnino haesitandi relinquitur locus: Jacobum autem primum Henrico octavo succedere in anglicani regni possessione, non arbitror ullum esse tam impudentem, qui dicat fide catholica esse tenendum, ut qui id negaverit, haereticus haberi debeat. Quod si ita est, (2) multo certius probatur s. Petro papam romanum succedere, quam Henrico octavo Jacobum primum: *At*, inquit adversarius, *si de successione romani pontificis in cathedra beati Petri nullus haesitare potest; cur Bellarminus ipse lib. 2. de rom. pontifice cap. 12. et lib. 4. cap. 6. dicit id pie credi et certitudine morali tantum concludi?* Respondeo: Hanc meram esse calumniam et falsitatem: nam lib. 2. cap. 12. probat Bellarminus, fide catholica esse tenendum, romanum pontificem s. Petro in supremo totius Ecclesiae primatu succedere; neque in toto illo capite legitur illud pie credi, vel morali certitudine concludi; in lib. autem 4. cap. 6. non agitur de successione, sed de firmitate in fide; et asseritur pie credi, pontificem etiam, ut personam particularem, haereticum esse non posse, cum in superioribus ejus libri capitibus demonstratum esset, judicium summi pontificis ex cathedra docentis Ecclesiam, nullo modo falsitati aut errori obnoxium esse. Itaque auctor apologiae mala fide nobiscum agit, ut lectoribus per fas et nefas imponat.

Transit auctor apologiae pag. 66. ad eam partem epistolae refellendam, in qua Bellarminus scripsit, Non esse auditum ab initio nascentis Ecclesiae, usque ad haec nostra tempora, quod ullus pontifex principem ullum, quamvis haereticum, quamvis ethnicum, quamvis persequutorem caedi mandaverit, aut caedem ab aliquo forte patratam approbaverit. Id vero falsum esse demonstrare contendit, ex eo, quod satis constat a summo pontifice multa bella imperatoribus mota fuisse, in quibus si imperatores victi fuissent, occidi etiam po-

(1) *An papa novos fidei articulos condat et quos.*

(2) *Successio pontificum in sede s. Petri certior successione principum.*

tuissent. Respondeo: Bellarminum non esse loquutum de caede quae in praelio accidere potuisset, sed de parricidio, quod per proditores et sicarios patraretur. Quamquam bella imperatorum adversus pontifices multa legantur; (1) pontificum adversus imperatores, nisi defensionis caussa, vix in historiis ulla reperientur.

Addit Adversarius, Henricum quintum imperatorem a pontifice reprehensum fuisse, quod Henricum quartum patrem sepelivisset. Respondeo: Nihil hoc ad rem facere, reprehendit enim pontifex honorificam sepulturam imperatoris in haeresi et schismate et excommunicatione defuncti, quem non gladio aut veneno, sed naturali morbo extinctum esse constabat. Addit secundo, extare orationem in consistorio a Sixto V. pontifice maximo habitam, in qua laudatur caedes Henrici tertii Francorum regis, et ipse monachus caedis patrator. Respondeo: Sixti V. orationem nullam extare, nisi apud hostes Ecclesiae, qui Antisixtum ediderunt, quamvis autem hosti fides haberi non debeat; neque etiam si hostis non esset, fides ei haberi posset, cum Sixtus orationem illam in consistorio secreto, nullo excipiente, habuerit: neque eam orationem vel ipse ediderit, vel ab aliquo alio edi jusserit: esto tamen, ut vis oratio Sixti V. pontificis ea, quae in Antisixto legitur; quid in ea reperies, nisi laudes, et admirationem sapientiae, et providentiae Dei? Hoc unum admiratur, et laudibus in coelum Sixtus extollit, quod ad regem maximum in medio exercitus sui sedentem, multisque custodiis circumvallatum, simplex monachus, non mutato habitu, neque gladio clypeove armatus, libere penetraverit, eumque unico cultelli ictu necaverit. Qua oratione admonitos voluit reges Sixtus pontifex, eum qui dixit: *Nolite tangere Christos meos*, saepe per inopinatos eventus poenas de illis sumere, qui inaccessibiles et inviolabiles videntur. Imperaverat rex ille, virum sacratum episcopali et cardinalitia dignitate fulgentem, et Jacobo regi Anglorum arctissimo sanguinis vinculo conjunctum mactari, ultus est Deus Christum suum, dum per alium sacratum virum, alioqui militiae imperitum et inermem, regem eumdem non sine manifesto divinae providentiae miraculo interfecit. Ergo Sixtus pontifex, neque regem caedi imperavit, neque caedem, ut a privato illo homine factam approbavit; sed judicium Dei, providentiamque laudibus celebravit. Utrum enim monachus ille recte, an secus egerit et poenam, an praemium apud Deum meruerit, pontifex in oratione sua non definivit: quia opus Dei, non opus hominis praedicandum susceperat. Deus autem, et bonis et malis hominum voluntatibus et operibus, justissime et sapientissime ad opera sua perficienda uti potest et solet: certe in Actis apostolorum c. 4. scriptum est: *Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* Fuit igitur Christi passio opus divinae manus, divinique consilii: et tamen per manus et voluntates impias scelestorum hominum perpetratum. Contra autem per manum Judithae, sanctae videlicet et religiosissimae foeminae, idem Deus Holofernis principis caput amputavit; et per manus Phinees, magna cum ipsius laude, nec sine ingenti praemio, Deus idem filiam principis Madian, una cum fornicante Judaeo, de medio sustulit. Atque haec, quae dicta sunt de sola Dei justitia, providentiaque a Sixto pontifice commendata, testimonium habent ab iis, qui Sixtum concionantem audierunt, et qui acta consistorii breviter annotarunt. Quod autem auctor apologiae subjungit, Sixtum pontificem facile fuisse monachum illum in album sanctorum relaturum, nisi cardinales quidam prudentiores impedivissent; quia sine auctore dicitur, et omni verisimilitudine caret, in album mendaciorum referendum erit.

Pag. 71. et duabus sequentibus, describit auctor apologiae contradictiones, quas in libris cardinalis Bellarmini, de Controversiis fidei se reperiisse gloriatur; atque ad eum finem se facere dicit, ut nemo miretur, si in hac caussa de pontificibus, caedes principum non jubentibus neque approbantibus, secum ipse pugnat. Referam igitur bona fide omnia verba Adversarii, ac deinde responsionem subjiciam, et lectori liberum relinquam, ut judicet, an Bellarminus sibi contradicat, an auctor apologiae impudens calumniator dici mereatur.

(2) Prima contradictio. Bellarminus lib. 5. de justificatione cap. 7. affirmat, Quod propter incertitudinem propriae justitiae, et periculum inanis gloriae, tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia et benignitate reponere. Quae ejus assertio e regione contraria est toti tractationi, et ut sic dicam torrenti illorum quinque de justificatione librorum, in quibus tamen libris, ea quae jam citavi verba continetur.

Responsio. Haec prima contradictio merito contemni potuisset, cum auctor non indicet cui sententiae contraria sit ea sententia, quae paulo ante recitata est. Sed placet breviter admonere in illo ipso c. 7. haberi conciliationem contradictionis, quam ipse Bellarminus praevidit occurrere potuisse lectori parum attento (3). Ibi enim docuit, non sic esse fiduciam in sola misericordia Dei constituendam, quasi nulla sint vera merita hominis justificati, vel quasi justificatio sit imputatitia, non vera; vel quasi nulla possit fiducia in bonis operibus collocari: sed solum quia ad superbiam evitandam utile sit, non respicere propria merita, sed Dei misericordiam: quoniam de propriis meritis an illa habeamus, incerti sumus, de misericordia vero Dei quod infinita sit, dubitare non possumus. Videat lector totum illud caput, et sententias Patrum, quae in eo citantur, ac praesertim illam s. Bernardi serm.

(1) *An summi pontifices caedes principum mandaverint.*

(2) *Respondetur ad contradictiones card. Bellarmini falso objectas.*

(3) *Qualiter fiduciam constituamus in Dei misericordia, et in bonis operibus.*

68. in cantica: *Perniciosa paupertas, inopia meritorum: praesumptio autem Spiritus, fallaces divitiae, et ideo divitias, et paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Felix Ecclesia cui nec merita sine praesumptione, nec praesumptio absque meritis deest: habet merita, sed ad promerendum, non ad praesumendum.*

Secundâ. Deus non inclinat hominem ad malum, neque physice neque moraliter lib. 2. de statu peccati et amissione gratiae cap. 13. mox contrarium affirmat ibidem paulo post, quod Deus inclinat quidem ad malum, non physice, sed tamen moraliter.

Responsio. Bellarminus declarat in illo ipso capite, quid intelligat per inclinationem ad malum physicam vel moralem, dicens: physice inclinare, esse immediate movere voluntatem ad actum; moraliter inclinare, esse imperare vel consulere ut actus fiat, ex qua declaratione tollitur omnis contradictio. Nam cum dicit, (1) Deum non inclinare physice, movendo voluntatem, sed occasionaliter, et moraliter immittendo cogitationem aliquam bonam, ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat judicandi melius esse huic nocere, quam illi, sive huic potius iniquitati servire, quam illi: non significat, Deum inclinare voluntatem moraliter, imperando vel consulendo malum, quod esset contrarium superiori sententiae; sed Deum inclinare per se ad bonum, immittendo bonam cogitationem, ex qua sequatur occasionaliter inclinatio moralis ad malum, quatenus ille vitio suo malus, ex illa cogitatione movetur ad malum. Exemplum ponitur ibidem ex verbis illis psalm. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*: quae verba sic exponunt s. Augustinus et Theodoretus ut dicant, Deum id fecisse, non pervertendo corda Aegyptiorum, sed benefaciendo populo suo; quod videntes et cogitantes Aegyptii, majoris odii occasionem acceperunt.

Tertia. Episcopos apostolis succedere, presbyteros septuaginta discipulis, docent constanter omnes Patres, ait Bellarminus lib. 1. de clericis cap. 14. Sed contrarium affirmat; quod episcopi non proprie succedunt apostolis lib. 4. de pontifice cap. 25.

Responsio. (2) Episcopos succedere apostolis, quatenus illi fuerunt primi episcopi particularium ecclesiarum, ut Jacobus hierosolymitanae Ecclesiae, Joannes Ephesinae, affirmat Bellarminus in lib. de clericis. Episcopos autem non proprie succedere apostolis, quatenus apostoli erant, idest, missi in omnem terram cum plenissima potestate, docet idem Bellarminus in lib. 4. de pontifice. Praeterea in priore loco dicitur episcopos apostolis et presbyteros septuaginta discipulis succedere: in posteriore loco id explicatur et ostenditur, quomodo succedant, et quomodo proprie non succedant: quae duo non sunt contraria vel contradictoria, nisi apud eos, qui logicam ignorant, vel sensu communi carent.

Quarta. Judas non credidit, inquit Bellarminus lib. 1. de pontifice cap. 12. At contradicit lib. 3. de justificat. cap. 14. ubi ait, Judas justus fuit, et certe bonus.

Responsio. Distingue tempora, et concordabis Scripturas. (3) Judas credidit, et justus ac bonus fuit initio electionis suae: sed postea tentatori succubuit, et non solum non credidit, sed etiam fur esse coepit, et Dominum prodidit, et tandem laqueo se suspendit.

Quinta. Observatio legis secundum substantiam operis requirit, ut sic praeceptum observetur, ut peccatum non committatur, et non fiat homo reus ob praeceptum non impletum, lib. 5. de gratia et libero arbitrio cap. 5. Contra, sciendum est, non esse omnino idem, facere bonum morale, et observare praeceptum secundum substantiam operis: potest enim servari praeceptum secundum substantiam operis, etiam cum peccato. Ibid. cap. 9.

Responsio. Qui servat praeceptum secundum substantiam operis, non committit peccatum praevaricationis illius praecepti, neque reus est ob illud praeceptum non impletum; sed tamen potest simul peccare contra aliud praeceptum, et esse reus alterius praecepti non observati: qui autem facit opus bonum morale, nullum peccatum illa actione committit; exempli gratia: (4) Qui facit eleemosynam, quando tenetur ex praecepto, sed facit eam, ut videatur et laudetur ab hominibus, is implet praeceptum secundum substantiam operis; tamen non facit opus bonum morale, quia quamvis non sit reus praecepti de eleemosyna facienda, ut Bellarminus docet in priori sententia: tamen peccatum inanis gloriae committit, et ideo non facit opus bonum morale, sed malum, ut docet in posteriore sententia. Sed auctor apologiae non multum curat de sensu, dummodo verba contrarium sonare videantur, quomodo in omnibus libris, et in ipsis etiam Scripturis divinis multas contradictiones inveniet. In evangelio legimus: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, Lucae 18. et rursum legimus: *Euge serve bone, etc.* Lucae 19. et, *Decurio vir bonus et justus*, Lucae 23. Dicat igitur auctor apologiae sanctum etiam Lucam contradictiones in evangelio suo scripsisse. Sic etiam s. Paulus 1. Corinth. 8. dicit: *Nullus est Deus, nisi unus:* et ibidem ait: *Siquidem sunt dii multi, et domini multi.* Proinde clamare potest Adversarius noster, Apostolum in eadem epistola, et eodem capite sibi contradicere; sed prudentes christiani non Lucam aut Paulum contradictionis, sed auctorem apologiae imperitiae et levitatis arguerent.

Sexta. Petrus non amisit eam fidem, qua corde creditur ad justitiam, lib. 4. de pontif. cap. 3. Contra, peccatum Petri fuit lethale, lib. 3. de justificat. cap. 14.

Responsio. Apud Lutheranos, qui sola fide justificari homines docent, contradictio esset, si quis diceret Petrum caruisse justitia et non amisisse fidem; sed apud catholicos, qui sciunt fidem sine

(1) *Quomodo Deus inclinet ad malum moraliter.*
(2) *Modus quo episcopi succedunt apostolis et presbyteri caeteris discipulis.*
(3) *Judas aliquando bonus.*
(4) *Quo sensu potest servari substantia praecepti cum peccato.*

operibus mortuam esse, et fidem non quamcumque, sed illam, quae per dilectionem operatur, justificare, nulla contradictio est. Sic igitur et Bellarminus docuit: (1) S. Petrum, quando is Christum ter negavit, non amisisse fidem cordis, sed confessionem oris; et ideo peccasse quidem lethaliter, sed non fuisse haereticum vel infidelem. At, inquit Adversarius, Bellarminus scripsit, Petrum non amisisse fidem, qua creditur ad justitiam; ergo existimavit, Petrum non amisisse fidem justificantem, cum quo non bene cohaeret quod peccaverit lethaliter. Verum est, ita scripsit Bellarminus; sed fides, qua creditur ad justitiam, est quidem fides justificans per modum dispositionis, sed non est fides absolute perfecteque justificans, qualis est illa, quae per dilectionem operatur. Nam si Apostolus existimaret fidem, qua creditur ad justitiam, sufficere ad perfectam justificationem sine charitate, non adderet, *Ore autem confessio fit ad salutem.* Itaque s. Petrus habuit in corde fidem, quae disposuit ad justitiam; sed ex defectu charitatis caruit confessione oris ad salutem: proinde salvus esse non poterat, nisi accenderetur ignis charitatis, qui verae poenitentiae lachrymis excitaret.

Septima. Antichristus magus futurus est, et more aliorum magorum occulte diabolum ipsum adoraturus, de pontif. lib. 3. cap. 14. At contra, abhorrebit ab idololatria, execrabitur atque oppugnabit idola, denique templum denuo aedificabit. Ibidem cap. 12.

Responsio. Qui contradictionem notavit, conciliationem etiam indicavit (2). Nam Antichristus, ut in priore sententia dicitur, diabolum adorabit, sed occulte ut magi faciunt; publice autem in conspectu hominum idola execrabitur, et contra omnes deos pugnabit. Quod ipsum Bellarminus aperte monuit, lib. 3. citato cap. 14.

Octava. Verbis consecrationis, vera et solemnis oblatio celebratur lib. 1. de missa cap. 27. Contra, sacrificii oblatio magis in re quam in verbis consistit; et illa actio qua corpus Domini super altare ponitur, vera et realis oblatio est lib. 2. de missa cap. 12.

Responsio. Non erat opus quaerere diversa loca, ut contradictionem apparentem apologiae auctor inveniret. Nam in eodem cap. 27. lib. 1. de missa, utrumque dicitur, (3) et verbis consecrationis celebrari solemnem oblationem, et oblationem veram atque realem in re potius, quam in verbis consistere; nimirum in ea actione, qua Christi corpus ponitur in altari, ut victima Deo sacra. Sed in eodem etiam loco declaratur quid sit per verba consecrationis celebrari solemnem oblationem, nimirum per verba consecrationis fieri, ut vera, et realis victima in altari esse inciperet. Itaque verba consecrationis non formaliter, sed efficienter ad oblationem concurrunt: et ideo non dixit Bellarminus, verba consecrationis esse oblationem, quasi oblatio esset verbalis; sed per ea verba celebrari oblationem, quia victima, quae realiter offertur, per verba consecrationis efficitur, et in ara Domini collocatur.

Nona. Mundi finis non potest sciri. De anima Christi lib. 4. cap. 5. Contra, post Antichristi mortem non futuri sunt, nisi quadraginta quinque dies usque ad mundi finem, lib. 3. de pontif. cap. 17.

Responsio. Si haec contradictio est, in ipsa Scriptura divina est: utrumque enim in scriptura divina habetur: sed ideo non est contradictio, quia nemo scit, quando Antichristus veniet. Nam et Dominus dixit in evangelio Matth. 24. Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio: et tamen quia nemo scit quando in toto orbe praedicatio evangelica complenda sit, nemo etiam scit, quando veniet consummatio.

Decima. Roma sedes erit Antichristi, et decem reges comburent purpuream meretricem, idest, Romam, lib. 3. de pontifice cap. 14. Contra, Antichristus Romam odio habebit, et pugnabit contra eam, et comburet. Ibidem.

Responsio. Haec vero mirabilis est ars venandi contradictiones. Nam in cap. 14. nihil omnino de sede Antichristi dicitur. Sed errore typographi erratum est in numeris, et posita est nota arithmetica 14. pro 13. ita opinor: sed cap. 13. dicitur, et probatur multis argumentis sedem Antichristi futuram esse Hierusalem, non Romam: (4) qua igitur licentia transmutavit Adversarius Hierusalem in Romam? sed et ipsa verba, quae adducit, poterant illum admonere, si sapere et non calumniari voluisset. Nam si decem reges comburent purpuream meretricem, idest, Romam, et si Antichristus illam odio habebit, et per illos decem reges comburet; quomodo sedes illius erit? Sed fortasse quia in libro anglico non habebatur, Roma sedes erit Antichristi, et eo dempto, nulla apparebat contradictio, interpres latinus ad exprimendam contradictionem, addidit illa pauca verba. At cur tam impudenter falsi crimen admisit? quia in illo cap. 13. refertur a Bellarmino, sedem Antichristi ex sententia Lutheranorum futuram esse Romam, Adversarius Bellarmino tribuere voluit, quod in ejus libro legit, parum laborans, an ex sententia Bellarmini an aliorum id diceretur, qua ratione dicere posset ab evangelista Christum vocatum esse seductorem, quoniam in evangelio legatur: *Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam.* Matth. 27.

Undecima. Duobus modis intelligi potest nomen universalis episcopi: uno modo, ut ille qui dicitur universalis, intelligatur esse solus episcopus omnium urbium christianarum, ita ut caeteri non sint episcopi, sed vicarii tantum illius, qui dicitur episcopus universalis: quo sensu papa non est universalis episcopus, lib. 2. de pontifice cap. 31. Contra, omnis ordinaria jurisdictio episcoporum descendit immediate a papa, et est in eo, et ab eo in alios derivatur. Ibid. lib. 4. cap. 24.

Responsio. Non intelligo quae sit in his locis

(1) *Petrus non amisit fidem per peccatum.*
(2) *Antichristus diabolum occulte colet, publice execrabitur idola.*
(3) *Victima quae realiter offertur per verba consecrationis.*
(4) *Apologiae auctoris commentum.*

contradictio (1). Nam in priore sententia dicitur, papam non esse episcopum universalem in eo sensu, quod solus ipse sit episcopus, et alii non sint episcopi, sed ejus vicarii. In posteriore autem non dicitur solum papam esse episcopum, vel nullum alium esse episcopum, vel caeteros omnes, qui dicuntur episcopi, non esse nisi vicarios papae; sed solum dicitur jurisdictionem episcoporum descendere a papa, in quo omnis jurisdictio ecclesiastica plenissime reperitur; quamvis enim episcopi caeteri jurisdictionem accipiant a summo pontifice: tamen veri episcopi sunt, et jurisdictionem episcopalem, non vicariälem accipiunt. Sed Adversarius, ut ipse habet spiritum contradictionis, et nihil nisi contradictiones cogitat; ita contradictiones se videre imaginatur: et somniat, ubi nulla est contradictio.

Pag. 74. Expedita longa digressione revertitur ad epistolam Bellarmini, et verba sequentia exagitanda sibi proponit: *Nunc*, inquit, *ut eo redeamus unde digressi sumus; Cum, inquit, pontifices nihil unquam attentarint contra reges, cur quaeso unus rex Angliae timet, quod ex tot christianis principibus nullus timet, nullus timuit? Quid audio? Nulline unquam imperatores, aut reges christiani sibimet a pontifice timuerunt? quo modo igitur miseri imperatores isti, quos jam dicam, jactati sunt per pontifices, atque inquietati, tandem etiam per eosdem penitus subversi perierunt?* Haec illa, qui ut semper sui similis perseveret, cum non habet, quod jure reprehendat, ipse fingit, et addit verba, eaque Bellarmino affingit, ut occasionem habeat digladiandi, et eruditionem suam inutiliter ostentandi. Illa enim verba, Cum pontifices nihil unquam attentarint contra reges, non habentur in epistola Bellarmini et tamen non solum recitantur ut verba Bellarmini, sed etiam longissima disputatione historica refelluntur. Quod Bellarminus affirmavit, id tantum est, (2) nullam principum caedem, per sicarios videlicet, a pontifice imperatam, vel approbatam, et de hoc uno timore, caedis videlicet, dixit: Cur unus rex Angliae timet, quod ex tot christianis principibus nullus timet? Sed quoniam de hac re supra aliquid dixerat, et videbat quam levia illa essent, quae tunc attulerat, neque aliud occurrebat, quod speciem argumenti firmioris prae se ferret; finxit verba magis generalia, eaque tamquam a Bellarmino prolata, per multas paginas refutavit.

Primum igitur, profert in medium historiam (3) Henrici IV. *Numquid*, inquit, *non timuit imperator ille, qui triduum expectavit ad januam pontificis summo gelu et nivibus; antequam ei aditus pateret?* Respondeo: Timuisse illum quidem, non caedem corporalem, de qua Bellarminus locutus est, sed vinculum excommunicationis, a quo ut absolvi mereretur, ad illam humilitatem se ipse sponte dejecit.

Secundo: Profert (4) Fridericum I. *Numquid*, inquit, *ille imperator non timuit, qui pronus in ventrem procubuit, dum alius quidam pontifex cervices ei conculcaret?* Haec vero historia dubiae fidei est, neque enim eam attingit Genebrardus in chronico, ut hic noster falso in margine adnotavit; neque Platina, neque Sigonius, neque Sabellicus. Cardinalis autem Baronius ex instituto refellit tom. 12. pag. 720. Sed sit vera. Quid aliud Fridericus timuit, nisi excommunicationem? haec enim sunt verba Genebrardi, quem Adversarius pro se citavit: *Ad ejus* (Alexandri III.) *pedes procubuit Fridericus, petens absolutionem excommunicationis.* Haec Genebrardus, qui de calcata cervice, ne verbo quidem meminit.

Tertio: Producit (5) Henricus VI. *Quid,* inquit, *ille etiam imperator parum ne timuit, cui tertius quidam pontifex regni diadema de capite pedibus deturbavit?* Haec autem historia parum verisimilis est. Siquidem ille tertius pontifex, cujus adversarius meminit, fuit Coelestinus III. qui decrepitus annorum octoginta quinque cum esset, et summa comitate atque humanitate omnium consensu praeditus, neque cum Henrico simultatem gereret; certe nulla ratio patitur, ut credamus eum potuisse, aut voluisse regium diadema de Henrici capite pedibus deturbare. At inquit Adversarius, scribit hoc Ranulphus in polychronico lib. 7. sed Ranulphus iste quantum fidei mereatur, aequus lector aestimet, cum viderit eam historiam incognitam fuisse Sigonio, et Sabellico, et Platinae, et Genebrardo, et omnibus germanicis historicis, illis etiam, qui pontifici romano parum favere solent. Adde, quod si forte vera sit historia, ut Baronius cardinalis admittit, non inde timuit imperator, neque pontifici iratus fuit: quoniam intellexit in ipsa coronatione diadema sibi impositum, ac deinde dejectum ex capite ac rursum in caput repositum, ut eo facto admoneretur coronam tantae dignitatis posse malis meritis amitti, et ideo patrem, Fridericum I. videlicet, non imitaretur, qui Ecclesiam diu vexavit, et divino judicio, quando minus id expectabat, imperium cum vita amisit.

Quarto: Profert (6) Philippum: *An non*, inquit, *et Philippus timuit, de quo, cum imperator invito Innocentio tertio creatus esset pontifex in hanc vocem erupit, Aut pontifex Philippo diadema, aut Philippus pontifici insigne apostolicum adimet. Quo dicto pontifex Othonem in Philippum incitavit, qui eum postea interemit. Otho autem caede facta Romam venit, et imperator a papa inauguratus est, quamvis postea imperio ab eodem privatus est.* Haec ille, qui videretur hoc loco aliquid dixisse, quod ad rem faceret, nisi manifestam falsitatem historiae miscuisset. Falsum enim est Philippum ab Othone illo interfectum fuisse, qui postea imperavit. Scribunt enim gravissimi auctores, Albertus Crantzius in sua Saxonia lib. 7. cap. 28. Joannes Nauclerus in historia sua pag. 82. et Carolus Sigonius lib. 15. appendicis, Phi-

(1) *Papa non est episcopus universalis adeo quod solus: sed quod omnis jurisdictio ab eo.*
(2) *An reges sibi a summo pontifice timere debeant.*
(3) *Henric. 4.*
(4) *Frideric. 1.*
(5) *Henric. 6.*
(6) *Phil. imp.*

lippum occisum fuisse ab Othone quodam privato homine, et imperatoris intimo familiari, inscio Othone imperatore. Palmerius quidem interfectum dicit Philippum a comite Palatino:ab Othone autem duce Saxoniae, qui de imperio cum Philippo contendit,et post ejus mortem coronatus est,neminem legi,qui Philippum necatum scripserit, praeter auctorem hujus apologiae, qui nullum pro sua opinione testem adduxit; et vel nominis aequivocatione deceptus est, vel falsa narratione lectores decipere voluit. Quod autem Innocentius dixerit, aut Philippo se diadema ablaturum, aut sibi a Philippo insigne apostolicum detrahendum, scribit quidem Abbas Urspergensis, sed addit, id se ab aliis accepisse, et difficile esse relatu et vix credendum.

Quinto: Profert (1) Fridericum II. *Fridericus*, inquit, *an non timuit, cum eum Innocentius excommunicaret, regno privaret,principes a juramento fidelitatis ei dato absolveret, denique in Apulia quemdam subornaret, qui eum veneno extingueret? Quo tamen exhausto, cum convaluisset, conduxit Manfredum quemdam, qui venenum ei daret: quo sumpto mortuus est.* Haec ille, qui dum se in historiis valde versatum ostendere cupit, corruptorem historiarum se, impostoremque demonstrat. Conveniunt enim omnes historici a Manfredo filio notho ejusdem Friderici, Fridericum graviter aegrotantem,pulvino in os injecto suffocatum, venenum autem a Manfredo propinatum Friderico, nullus historicus dicit. Quod autem pontifex in hac re se miscuerit, solus Cuspinianus, qui recens est auctor,ex epistolis Petri de vineis, sub dubio refert: Sive, inquit, ab hostibus, sive a pontifice corruptus id fecerit. Sed omnes alii, qui mortem Friderici narrant, omnino de pontifice silent, ut etiam veneni vix ullus meminit: sunt autem hi auctores, quos lector consulere poterit, Joannes Nauclerus in chronographia vol. 2. generatione 42. Platina in vita Innocenti IV. Joannes Baptista Egnatius in vita Friderici 2. Sabellicus Enneadis nonae lib. 6. Blondus decadis secundae lib. 7.Albertus Crantzius lib. 8.Saxoniae cap.18.Matthaeus Palmerius in chronico anni 1250. Jacobus Wimphelingius in epitome rerum Germanicarum, Paulus Langius in historia Ecclesiae Citicensis anno 1250. et alii. Sed auctor apologiae quasi rem exploratam praedicat: *Conduxit*,inquit, *Manfredum quemdam, qui venenum ei daret, quo sumpto, mortuus est.* Atque, ut apparet ex modo loquendi, nullas historias legit. Si enim legisset, scivisset profecto Manfredum non fuisse sicarium aliquem, qui facile conduci posset; sed filium Friderici, magnumque principem; et non dixisset,conduxit Manfredum quemdam,quasi obscurum homuncionem, neque veneni a Manfredo propinati mentionem fecisset, cum hoc nullus omnino referat. Denique non tam asseveranter locutus fuisset, cum solus Cuspinianus male affectus erga pontifices, ex sola conjectura simultatis et inimicitiarum, et dubitanter rem hanc attigerit.

Sexto: Producit literas (2) Alexandri ad sultanum: *Quid autem*, inquit,*Alexander scripsit sultano? ut si absque molestia vellet degere, aliqua ratione tollendum de medio imperatorem curaret.* Et auctorem allegat Paulum Jovium lib. 2. historiarum. Sed in libro anglice edito designatur Alexander III. Jovius autem scribit historias temporis sui, ac per hoc res gestas Alexandri III.non attingit. Interpres, ut tutius lateret, Alexandrum nominavit, omisso numero.Et quidem Jovius in 2. lib. historiae, Alexandri VI. res gestas describit; sed nullam epistolam scriptam esse dicit ab Alexandro ad sultanum.Itaque auctor apologiae doceat nos,de quo Alexandro loquatur, et quem auctorem habeat eorum, quae scribit, et tunc, si opus erit, responsum a nobis accipiet.

Septimo: Adducit (3) Alexandrum VI. *Quid*, inquit, *Alexander ille sextus? nonne ducenta millia aureorum a Bajazeto turca accepit, ut ea mercede, fratrem ejus Gemen,vel, ut quidam appellant Zizimum,necaret, quippe quem Romae tunc captivum tenuerat? Nonne conditiones oblatas amplexus est, et peracta caede pecunias accepit?*Hanc historiam unde auctor apologiae acceperit, aveo scire. Annotat ad marginem solum nomen Cuspiniani. Cuspinianus autem in vita Bajazetis junioris scribit quidem Zizimum Bajazetis fratrem in castris regis Francorum veneno sublatum, haud ignorante pontifice; sed jussu pontificis id factum, aut post caedem ducenta millia aureorum pontifici numerata, non scribit. Sed auctor apologiae potestatem habet addendi quidlibet ad historias. Adde quod, ut supra diximus, Cuspiniano non magnam fidem habere possumus in iis, quae ad pontifices pertinent, praesertim quando aliorum historicorum testimoniis destituitur.

Octavo: Adducit (4) Henricum II, regem Anglorum: *Quid*, inquit, *Henricus noster ejus nominis secundus, nonne timuit post occisum sanctum Thomam? qui praeterquam quod nudis pedibus in peregrinatione incessit, virgis etiam poenas dedit in sacrario tamquam scholae discipulus, solatusque eo se est, quod nihil gravius pateretur.* Vere omnino Henricus et jure optimo timuit, non caedem corporis, de qua nos agimus, sed judicium Dei et censuras Ecclesiae; siquidem non ut scholae discipulus, ut iste garrit, sed ut vere poenitens, maluit in terris cum hominibus flagellari, quam post mortem cum daemonibus cruciari.

Nono:Adducit patrem Henrici regis Francorum: *An non*, inquit, *timendi caussa fuit patri regis Galliarum,qui nunc est, cum regnum Navarrae, quod ejus jure fuerat, pontifex abalienaret, regique Hispano donaret? cujus regni dimidium rex Hispanus hodieque obtinet.* At falsum est patrem Henrici IV. regis christianissimi fuisse illum, qui Navarrae regnum primus amisit;ille enim Joannes dicebatur. Pater autem regis Antonius dictus est. De titulo vero, quo reges Hispaniae regnum

(1) *Frider.* 2.
(2) *Papa Alexander.*
(3) *Alexand.* 6.
(4) *Henricus* 2. *rex Angliae.*

Navarrae magna ex parte possident, non est nostrum hoc loco disserere: consulat lector eos historicos, qui res hispanicas ex instituto tradunt.

Decimo: Adducit (1) Henricum IV. regem christianissimum: *An non*, inquit, *is qui nunc regnat filius ejus, jure timuit, cum se ab excommunicationis vinculis relaxari tam suppliciter obsecraret, ut legatum suum Romae virgis caesum poenitentium more passus sit?* Haec vero satis ostendunt auctorem apologiae non solum extra rem evagari, cum a timore gladii et mortis temporalis ad timorem spiritualem poenarum transeat; sed etiam satis impudenter irridere sacras caeremonias, quae in reconciliatione poenitentium adhibentur, sed si magnum ei videtur, legatum regium, dum ab excommunicationis sententia de more Ecclesiae rex absolveretur, virga sacerdotali leviter percussum, non ad dolorem, sed ad significationem: quid quaeso dixisset, si magnum Theodosium imperatorem orbis terrarum vidisset sancti Ambrosii episcopi sui sententiam pertimescere, neque audere, illo interdicente, Templum intrare, nisi publicam poenitentiam ageret, ac deinde ingredi permissum non stetisse, sed toto corpore pronum in pavimento jacuisse, manibus capillos vulsisse, frontem graviter percussisse, et pavimentum lachrymis aspersisse, idque deposito diademate et toto populo inspectante? Vide tripartit. histor. lib. 9. cap. 30. Hunc igitur tantum imperatorem rex christianissimus imitatus, quia sancto timore judicia Dei, et summi pastoris sententiam timuit, adstitit illi Deus ut pericula non pauca, nec levia feliciter evaderet, et deinceps quoque ejusmodi nefariorum hominum conatus, eodem adjuvante Domino non timebit.

Undecimo: Affert exemplum (2) reginae Elizabethae: *Quid*, inquit, *quae nuper exlitit regina nostra, nonne erat, quod circumspiceret, sibique caveret, cum a Pio V. excommunicata esset, subditi ejus a fide et obedientia absoluti, quam ei debebant, regnum Hyberniae ab ea ad regem Hispaniae translatum, atque denique nobilis ille fugitivus theologus, eodemque purpureo decoratus galero, quo nunc Bellarminus, non est veritus Stanlejanae proditionis apologiam publicare, in qua illud defendit, quod quandoquidem excommunicata esset regina et haeretica; non solum liceret jam ejus subditis, verum etiam necesse esset ab obligatione conscientiae, nudare eam omni, quo possent praesidio, et sive exercitus, sive oppida, sive arces et propugnacula ejus obtinerent, regi Hispano hosti tradere, regina deinceps nihil habente proprium, aut suum?* Magnam sine dubio caussam timendi Elizabetha, si sapuisset, habuit. Nam quae fidem datam Deo, et Ecclesiae catholicae in sua consecratione statim fregit; certe timere debuit justam iram Dei, et ne sibi etiam a subditis fides data, justo Dei judicio frangeretur. Quod autem additur de Stanlejana proditione, non fideliter, nec vere narratur: siquidem more suo auctor apologiae historiam multis additis mendaciis foede corrupit. Extat enim responsio cardinalis Alani (hunc enim fugitivum theologum vocat) ad literas Stanlei, quam hic ipse auctor ad marginem notat. Haec est autem summa historiae. Abstulerant Angli a rege Hispaniae Daventriam civitatem in Belgio sitam, eamque Stanlejo custodiendam tradiderant. Is Stanlejus, cum reconciliari vellet Ecclesiae catholicae, eam civitatem regi restituit, tamquam proprio domino, idque nulla mercede pacta vel recepta. Hanc restitutionem approbavit cardinalis Alanus, ut justam. Caetera non Alani consilia, sed auctoris apologiae mendacia sunt.

Ultimo loco addit exemplum (3) Jacobi, qui nunc in Anglia regnat, ac tria quaedam adducit, unde Jacobus rex cavendi sibi a pontifice maximam habuit occasionem: *Primo*, inquit, *Bullarum divulgatione earum, quarum feci jamdudum mentionem, quo omni prohiberetur et regni aditu et coronae.* Ad hoc primum jam supra respondi, duo Brevia pontificis Clementis VIII. anno 1600. ad catholicos anglos directa fuisse, quibus sine ullius certae personae designatione admonebantur, ut quoad possent juvarent, ut vir catholicus regno illo propediem vacaturo potiretur, quo consilio nullum aliud a pontifice maximo, cui catholicae Ecclesiae cura potissimum incumbit, magis christianum, magis pium et utile dari potuit. Quod si hac generali admonitione Jacobus excludebatur, ipse erat in caussa, qui spem non obscure datam pontifici fallere volebat, vel certe ejus administri reprehendi debent, qui magis adhuc aperte Jacobum tunc Scotiae regem, adepto anglicano regno catholicum futurum promittebant.

Addit secundo: *Deinde*, inquit, *ubi intrasset, plenamque possessionem adeptus esset, horrenda illa conjuratione pulveraria, quae regem cum suis, et regno et vita penitus spoliatura fuisset. Ut autem pontifex omni ratione se purgare laborat, quo minus ejus adminiculis fulta ille conjuratio fuisse videatur: tamen negare non potest primarios ejus in hoc regno administros et praecipua mancipia jesuitas, ipsissimos illius auctores, designatoresque fuisse, quo etiam crimine, is qui princeps fuit cohortis, mortuus est in confessione facinoris, alios conscientia egit in fugam, nonnulli etiam ipsam in Italiam penetrarunt.* Ad hoc secundum respondeo: Tam multa hic mendacia sine ullo testimonio, vel probatione congeri, ut necesse sit auctorem apologiae omnem omnino pudorem, et conscientiam exuisse. Quod enim attinet ad pontificem, non est cur se purgare laboret, cum nemo illum vel suspicione maculae alicujus aspersit (4). Quod autem attinet ad jesuitas, ille ipse qui dux erat cohortis, ut auctori loqui placuit, Henricus Garnettus praepositus provincialis facile mendacia ista refutabit. Constat enim Henricum in publico judicio, rege ipso spectante, qui si vellet testis etiam esse posset, longissimo tempore examinatum, constanter semper dixisse; (5) neque se, neque ullum jesuitam hujus

(1) *Henric. 4. rex Gallorum.*
(2) *Regina Elizabetha.*
(3) *Jacobus 5. Angliae rex.*
(4) *Calumnia in jesuitas.*
(5) *Henrici Garnetti protestatio.*

conspirationis auctorem, vel complicem, vel consultorem, vel consentientem ullo modo fuisse, seque, cum eum tractatum in confessione sacramentali generatim cognovisset, dedisse omnem operam, ut a tali conspiratione desisteretur: immo etiam se et suos ex urbe Roma a superioribus suis graviter admonitos, ut laicos catholicos ab omni tumultu alienos suis cohortationibus continerent. Quod autem Henricus Garnettus in judicio saepe dixerat, id ipsum instante morte, coram innumerabili populo, longa oratione protestatus est: qua oratione sicut fidem catholicam professus, et haereses anglicanas liberrime detestatus est: ita eadem libertate negavit se auctorem, aut complicem, aut consultorem, aut ullo modo consentientem sceleris fuisse. Et tamen audet auctor apologiae contra conscientiam propriam et contra testimonium multorum millium hominum, qui crudelissimo spectaculo interfuerunt, dicere, *Is, qui princeps fuit cohortis, mortuus est in confessione facinoris*, cum dicere debuisset eum mortuum fuisse in abnegatione et detestatione facinoris. Cur igitur, inquies, Henricus ultimo supplicio affectus est, si neque sceleris convictus, neque scelus confessus est? quia non revelavit, quod in confessione sacramentali eum audivisse, judices mira quadam versutia cognoverunt. Sed cum catholica doctrina non permittat, ad ullum malum vitandum, secretum sacramentalis confessionis detegi, (1) maluit ille mortem acerbissimam pati, quam tanti sacramenti sigillum violare. Proinde judices illi, qui a catholica fide et doctrina alieni sunt, Henricum reum laesae majestatis ob non revelatam conspirationem fecerunt. Deus autem eumdem Henricum ob sacramentum divinum non violatum, et fidei catholicae confessionem, atque haeresum Protestantium detestationem corona gloriae, ut pie credimus, redimivit. Porro alii ex jesuitis, qui fugam sibi consuluisse dicuntur, consilium Christi secuti sunt, qui suos admonuit, ut cum persecutionem uno in loco paterentur, fugerent in alium. Quae major enim persecutio cogitari potest, quam quaeri ad carceres et supplicia sine conscientia facinoris et sine testium indiciis? Addit postremo auctor apologiae, *Neque tamen*, inquit, *aut illi, qui regnum hoc fuga deseruerunt, nec Balduinus, is, qui quamquam substitit in Belgio, laboravit tamen nihilominus conscientia sceleris, unquam sunt in jus a pontifice vocati, ne dum poena ab eo affecti, quod in tam turpe et nefarium negotium consensissent.* Ad hoc tertium caput facilis est et expedita responsio. Non est consuetudo summi pontificis homines in jus vocare, et multo minus poenis afficere, quos nullus accusat, vel de quorum criminibus nulla extant indicia, nulli testes. (2) Si Balduinus, quem unum nominas (nam caeteros, qui sint, tamen aliqui sunt, divinare non possumus) infamia hujus criminis laborasset, is certe a serenissimo archiduce Alberto optimo et justissimo principe non fuisset permissus publice in Belgio, et in ipsis primariis civitatibus degere, sed quoniam neque ii, qui tamquam auctores sceleris ultimo supplicio affecti, diu saepeque examinati Balduinum nominarunt inter complices aut conscios, neque aliquid adversus eum in Anglia probatum erat; ideo neque summus pontifex, neque ulli alii catholici principes illum in jus vocandum esse censuerunt. Quare auctor apologiae excusari non potest a magna temeritate et levitate, quod sine ulla rationabili caussa summum pontificem Christi vicarium, supremum et sapientissimum principem reprehendere voluerit eorum criminum, quorum suspicio ne privatis quidem hominibus adhaeret, nisi probabiles caussae proferantur.

His expeditis, transit adversarius ad aliud paradoxum. Nam cum hactenus probare conatus sit plurimos imperatores aut reges sibi a pontifice timuisse, et Jacobum regem multas timoris caussas habuisse; nunc tamen quia degeneres animos timor arguit, ut poëta dicit, contendit falsum esse quod rex suus unquam timuerit. *Neque tamen*, inquit, *quantumcumque stupens admiretur, Panicum hunc terrorem esse, quo rex laborat, unquam evicerit. Ecquidem enim papam pro securitate sua rex obsecravit? Ecquidnam alios principes christianos amicos suos, et necessarios cohortatus est, ut apud papam pro ipso interpellarent? Ecquid aut opem, aut praesidium ab ipsis ullum emendicavit, quo incolumitati suae satis consultum videri posset? nihil minus.* Haec qui videat ne regem suum, dum constantem videri vult, temerarium faciat. (3) Nam si tot magni reges et imperatores papam timuerunt, ut paulo ante tam longa digressione demonstrare conatus est; an non erit rex suus temerarius, si timere nolit, quod tanti reges timuerunt? sed juramentum propositum quo exigitur a singulis ut jurent, non posse papam ulli concedere, ut aliquam violentiam aut damnum personae majestatis suae inferant: Item ut jurent se, non obstante qualibet sententia excommunicationis vel declarationis, personam regis defensuros et revelaturos omnes conspirationes et proditiones contra ipsum, et alia similia, quae in eo juramento continentur, satis aperte ostendunt, post pulverariam conjurationem regem magno timore fuisse correptum, ac de his satis.

Pag. 81. Transit auctor ad aliam partem epistolae cardinalis Bellarmini, et examinat similitudinem desumptam ex oratione s. Gregorii nazianzeni: dicit autem nullam esse similitudinem inter Julianum et Jacobum, nisi quod ille erat imperator, iste est rex. At Bellarminus (4) non posuit summam similitudinis in comparatione Juliani cum Jacobo, sed in comparatione rei cum re, fraudis cum fraude, negotii cum negotio. Sed tamen quia placuit auctori apologiae conferre etiam personas, insistamus ejus vestigiis, et consideremus dissimilitudines Juliani imperatoris et Jacobi regis. *Principio*, inquit, *Julianus fuit apostata, tolique fidei christianae renunciavit, quam olim professus fuerat*

(1) *Garnettus maluit mori, quam revelare confessionis secretum.*
(2) *P. Gulielmus Balduinus.*
(3) *Auctoris apologiae inconstantia.*
(4) *An rex Angliae possit Juliano apostatae componi.*

et denuo in ethnicum, vel potius in atheum conversus est: rex noster christianus est, nec unquam deseruit eam religionem, quam propemodum cum lacte imbibit. nec professionem suam aliquando erubuit. Haec enim; sed non est verum, Julianum in atheum fuisse conversum, cum e contrario ab unius Dei cultu, ad multorum deorum venerationem transierit, ut potius polytheus, quam atheus dici debuerit. (1) Jacobus autem, cum catholicus non sit, neque christianus est. Sic enim loquitur sanctus Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 10. *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse christianus.* Quibus verbis satis aperte declarat, eum christianum non esse, qui haereticus est. Et clarius ac fusius sanctus Athanasius orat. 2. in Arianos, non procul ab initio, multis argumentis probat, nullum haereticum proprie dici posse, vel esse christianum. Et multo antea sanctus Cyprianus lib. 4. epistol. 2. ad Antonianum scripserat: *Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.* Jacobum autem regem non esse catholicum testis est auctor apologiae, qui in singulis ferme paginis hujus libri nomen catholici illis relinquit, qui romani pontificis religionem sequuntur: qui autem catholicus non est, hoc ipso haereticus est. Catholicus enim atque haereticus contraria sunt, ut dies et nox, ut lumen et tenebrae. Neque omnino verum est, Jacobum numquam deseruisse religionem, quam primo susceperat. Nam ex parentibus catholicis natus, catholico ritu Baptismum, ac per hoc catholicam religionem, fidemque suscepit. Sed injuria temporum in educatores sectarios incidit, qui eum ex christiano Calvinistam fecerunt. Et si vera sunt, quae narrantur ab iis, qui eum intime noverunt, cum in Scotia Puritanus et Protestantium inimicus esset; nunc in Anglia Protestatus est et Puritanorum adversarium se gerit. Pergit: *Julianus contra christianos se convertit, tantummodo quod in confessione caussae Christi perstarent: Rex noster hac in re cum subditis agens, id tantum spectat, ut nota extet aliqua, qua distingui possit inter subditos fidelis et perfidos.* At nos supra non semel ostendimus, quemadmodum Julianus christianos vexabat religionis christianae caussa: sic etiam regem Jacobum multis pecuniariis, carceribus, exiliis, extremo supplicio catholicos vexare, quod religionem catholicam nolint deserere et hoc ipsum juramentum eo tendere, ut fides catholica de potestate summi pontificis abnegetur. Pergit: *Juliani finis fuit christianorum eversio: regi nostro finis non alius propositus est, quam ut fidem christianam in statu tranquillitatis atque otii tueatur.* At nos contra videmus Jacobum regi finem propositum esse, sectam Protestantium in statu tranquillitatis et otii tueri et ad eum finem obtinendum, primum catholicos omnes, deinde etiam Puritanos opprimere. Pergit: *Julianus eo tendebat, ut homines adduceret ad idololatriam patrandam: Rex noster eo tantum ut subditos suos adducat ad manifestam professionem naturalis suae fidei ac civilis obedientiae; hac velut tessera obsignandam.* Cur igitur in toto juramento civilis obedientia et naturalis fides ne semel quidem nominatur, perpetuo autem potestas summi pontificis abneganda proponitur? Pergit: *Julianus eam rationem prae caeteris inivit, ut subreperet incautis et non cogitantes illaquearet: regis nostri tota ratio, quam sequitur hac in re, plana est et evidens, omnique procul obscuritatis integumento; siquidem nec veniam ulli unquam negavit eorum, qui ad jurandum vocarentur, deliberandi secum per otium commentandique de eo, in quod juraturus esset. Et si quis forte interpretationem requireret, suppeditavit item omnem, quantam quisque postularet.* Sed istam planitiem et evidentiam nos crassiores et simpliciores minime cernimus. Fingitur enim juramentum ad civilem obediendiam in rebus mere temporalibus exigi, et tamen verba juramenti ad potestatem pontificiam evertendam maxima ex parte referuntur. Neque dicitur manifeste: Ego juro pontificem romanum non esse caput Ecclesiae, vel, Ego juro regem Angliae caput esse Ecclesiae anglicanae in spiritualibus. Si enim hoc diceretur, nemo deciperetur: sed dicitur: Juro non esse parendum excommunicationi pontificiae. Juro pontificem non posse absolvere subditos ab obedientia regis. Juro pontificem ab hoc juramento me liberare non posse, quia legitima, plenaque auctoritate mihi ministratum est et simul, ut haec minus offendant, permiscentur multa de proditionibus, de conspirationibus, de regia persona a violentia et caedibus liberanda: quae cum omnes naturaliter horreant, fit, ut totum juramentum incaute suscipiatur, ne qui illud recusaverit, in suspicionem proditionis vel conspirationis incidat. Pergit: *Sed summa dissimilitudo in eo vertitur, quod Julianus eos impulit, ut idololatriam perpetrarent statuis imaginibusque colendis. Rex noster, omnesque ejus subditi, qui quidem de religione cum eo sentimus, adeo longe absumus ab hac culpa, ut a vobis haeretici, vel eo nomine censeamur, quod ab idololatria patranda tam longe refugiamus.* Immo vero in hoc ipso maxima similitudo est (2): nam Julianus voluit quidem christianos ad idololatriam pertrahere, sed occulte et sub colore civilis adorationis. Imago enim Imperatoris sine crimine a christianis adorabatur; quia sciebant imagini imperatoris cultum civilem exhiberi, ut ipsi imperatori exhibebatur. Sed Julianus imaginem suam ita pingi jusserat, ut in tabula sive linteo Jovis quoque imperatorem coronantis imago cerneretur: ut qui imaginem imperatoris adorabat, simul Jovis imaginem adoraret. Et quoniam Jovi, qui Deus a gentibus credebatur et ejus imagini non civilis cultus, sed divinus exhiberi solebat; hac fraude Julianus christianos, sub colore civilis honoris imperatori debiti, ad cultum divinum imagini Jovis exhibendum, id est, ad idololatriam patrandam et vero Deo cultum denegandum adducebat. Atque hoc est omnino, quod Rex Anglorum imitatus est. Proposuit enim juramentum, quo sub colore civilis obedientiae in temporalibus regi debitae, eidem regi obedientia

(1) *Quod haereticus non sit christianus.*

(2) *Aptissima similitudo regis cum Juliano.*

sacra, ut primati in spiritualibus praestaretur et eadem obedientia vero Ecclesiae totius primati denegaretur, ut supra satis aperte demonstratum est.

Quod autem auctor cultum imaginum Christi et sanctorum idololatriam vocat, non est mirandum, cum, ut ipse confitetur, unus hic articulus sit inter multos, quorum caussa haeretici Protestantes a nobis catholicis censeantur. (1) Neque enim imaginum sacrarum cultus idololatria dici potest, nisi ab iis, qui imagines Christi et sanctorum idola videri volunt. Et quoniam idolum est imago falsi Dei, propter quod Apostolus, nihil esse idolum, pronunciavit in Epist. 1. ad Cor. c. 8. quia videlicet imago est rei nusquam existentis, non possunt adversarii idola vocare imagines Christi et sanctorum, nisi existiment Christum falsum esse Deum et sanctos ejus falsi Dei amicos et servos esse; et denique Christum et sanctos nusquam esse et nihil esse, quae existimatio sitne haeretica necne, ipsis adversariis judicandum relinquimus. Certe synodus septima generalis ante annos circiter nongentos anathema dixit iis, qui Christi et sanctorum imagines idola nominare praesumpserint.

Venio nunc, omissis conviciis et nugis quae ad rem non pertinent, ad exemplum allatum ex lib. 2. Machabaeorum. Sic igitur auctor apologiae loquitur pag. 85. *Ac Primo*, inquit (2), *quod ad Eleazarum attinet, si archipresbytero ratio esset recusandi juramentum a rege oblatum, tam bona, tamque constans, quam fuit Eleazaro, cur a porcinis carnibus gustandis abstineret; adhiberi a cardinale non sane inscite posset hoc exemplum ad suum institutum comprobandum*: Et infra. *Sed cum fundamentum malum sit ac vitiosum, aedificium super impositum non potest ullo modo esse diuturnum, quod enim exemplum, quaeso, reperitur in universa sacra Scriptura, quo recusatio juramenti a rege oblati, vel detractio obedientiae erga regem praestandae stabiliatur?* Ego vero audeo dicere, meliorem caussam habere catholicos juramenti recusandi, quam Eleazarus habuerit carnis porcinae non gustandae. Quamvis enim auctoritas imperandi utrobique sit eadem: tamen materia, de qua praeceptum traditur, omnino diversa est; ibi enim de carne porcina non gustanda, hic de potestate capitis Ecclesiae non abneganda lex datur et opinor, adversarius non negabit potestatem capitis Ecclesiae rem esse longe sublimiorem carne porcina, sed in eo semper adversarius vel decipitur, vel decipere alios nititur, quod affirmat in juramento a rege proposito, nihil aliud contineri, nisi civilem obedientiam regi esse praestandam. Haec enim caussa est, cur quaerat exemplum in Scriptura divina, quo detractio obedientiae stabiliatur. Nam si advertere vellet eo juramento potestatem summi pontificis labefactari et everti; facile exemplum inveniret: nec solum exemplum, sed etiam praeceptum divinum, quo potestas summi sacerdotis evidentissime stabilitur. Nam Deuteron. 17. satis aperte legimus (3). *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, sententia judicis morietur et auferes malum de Israel;* et Num. 16. videmus horrendum judicium Dei in Core, Dathan et Abiron, quos una cum familiis ipsorum terra absorbuit et descenderunt vivi in infernum propter schisma et defectionem a Moyse et Aaron, qui tunc summi sacerdotes erant et Ecclesiam Domini legitime gubernabant. In novo autem Testamento non imperatori vel regi, sed apostolo Petro, quem vicarium suum super familiam suam Christus constituit, ab ipso Christo dictum scimus: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, Matth. 16. et cum eidem mandavit Joan. ultimo, ut oves gregis sui utique omnes pasceret, simul etiam ovibus mandasse credendum est, ut ab eo se pasci, regique humiliter, obedienterque permitterent.

Quod autem Adversarius adjungit de juramento Saulis. 1. Regum 14. ad rem nihil facit. Primum enim non tractamus de juramento servando, sed de juramento suscipiendo. Deinde juramentum Saulis omnino temerarium fuerat; et ideo judicio totius populi mortem evasit Jonathas, qui illud non servaverat. Sed tamen placuit Deo, ut Jonathas propter juramentum non servatum in vitae discrimen adduceretur, ut Saul ipse proprii filii jacturam faciens, de juramento temere suscepto poenas daret.

Pag. 88. Transit auctor apologiae ad (4) exemplum sancti Basilii, quod Bellarminus in epistola sua posuerat et multa dicendo nihil dicit. Cavillatur primum a Bellarmino omissa esse tamquam sibi contraria, verba illa Theodoreti de sancto Basilio, imperatoris quidem amicitia magni se pendere cum pietate, qua remota perniciosam esse dicere. Sed Bellarminus non librum Theodoreti describere, sed quod ad rem suam faciebat, adducere voluit: tantum autem abest, ut eam sententiam sibi contrariam esse judicet, ut eam libentissime, gratissimeque suscipiat. Nam et ipse amicitiam regis Anglorum magni pendit cum pietate, sed ea remota perniciosam esse dicit, sed videamus quibus rationibus adversarius Bellarminum refellit, quod ad exemplum sancti Basilii pertinet, omissa longa narratione, quae ad id solum adhibita est, ut liber grandior redderetur. *Jam*, inquit, *comparet, qui vult caussam sancti Basilii cum caussa archipresbyteri: Nam alioqui nec orthodoxum regem docuit cum tam Ariano atque haeretico imperatore conferre, Basilius tentatus est, ut Arianus esse vellet: Lis nulla mota est archipresbytero de caussis fidei. Basilius, nisi Verbum ei divinum obstitisset, imperatori libens obtemperasset: cum archipresbytero illud agitur, ut obtemperare non nolit, quamvis id ab eo Verbum Dei exigat. Basilius permagni fecit gratiam imperatoris, si salva pietate eam promereri potuisset. Archipresbyterum hortatur cardinalis, ut rejiciat, etsi con-*

(1) *Quid sit idolum proprie et idololatria.*
(2) *De exemplo Eleazari.*
(3) *Exempla Scripturae de potestate summi pontificis.*
(4) *De exemplo s. Basilii.*

sentaneum sit pietati, ut amplectatur. At Bellarminus regem orthodoxum cum imperatore haeretico non composuit (1), sed regem cum imperatore, non catholicum cum Ariano, vexantem catholicos cum persecutore catholicorum recte conferri posse existimavit. Porro Basilius tentatus quidem est, ut Arianus esse vellet,sed sub colore subtilitatis dogmatum tentatus est. Non enim Basilio dictum est, *Esto Arianus*, vel, *Noli esse catholicus*, sed, *Noli propter modicam dogmatum subtilitatem imperatori resistere.* Sic igitur et archipresbyter non aperte tentatus est, ut primatum apostolicum abnegaret, sed occulte et sub colore civilis obedientiae regi praestandae. Quod autem lis nulla mota fit archipresbytero de caussa fidei,nescio qua fronte dicere audeat, qui scit illum catholicae fidei caussa comprehensum,et post juramentum praestitum adhuc in carceribus detineri; ut omittam quod in ipso juramento plurimae sententiae sunt, quae ad potestatem summi pontificis labefactandam pertinent. Neque verum est cum archipresbytero id tantum agi, ut obtemperare non nolit, quamvis id ab eo Verbum Dei exigat. Nam archipresbyter jam obtemperavit, etiamsi Verbum Dei ab eo contrarium exigeret. Verbum enim Dei est, Oportet obedire Deo magis, quam hominibus, Actor. 4. Denique falsum est etiam illud, quod Bellarminus hortatus sit archipresbyterum, ut gratiam regis rejiciat, etsi consentaneum sit pietati, ut eam amplectatur. Bellarminus enim de gratia regis amplectenda vel rejicienda, ne verbum quidem fecit in epistola sua, sed hortatus est archipresbyterum, ut poenitentiam agat de juramento nimis facile suscepto,quod salva conscientia et pietate suscipi non poterat.

Pergit auctor apologiae pag. 91. et Bellarminum reprehendit, quod lapsum (2) archipresbyteri cum lapsu s. Petri apostoli et sancti Marcellini pontificis comparaverit: quorum ille Christum negavit; iste idolis sacrificavit.Addit etiam historiam de lapsu sancti Marcellini a cardinale Baronio non sine magna caussa in dubium revocari. Sed Bellarminus archipresbyteri lapsus multo fuisse minorem illis verbis testatus est, Qui sancti Petri et sancti Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, etc. Neque similitudinem posuit in lapsu, sed in caussa, quomodo enim ex imbecillitate animi et timore poenarum sancti illi viri ceciderunt; ita fieri potuit, ut archipresbyter ex aliqua simili imbecillitate caderet. Parum autem refert utrum historia de lapsu s. Marcellini certae fidei sit, an dubiae, satis enim est ad exhortationem, quod ea historia communi consensu recepta sit, ut etiam Baronius ipse testatur.

Transit deinde pag. 94. ad auctoritatem sancti Gregorii, quam Bellarminus in epistola sua adduxit, ut probaret quanti momenti sit primatum apostolicum denegare. Ac primum miratur, cur sanctum Gregorium apostolum Anglorum nominaverit. *Cur Gregorium*, inquit, *Apostolum nostrum vocarit, nescio.*Recte miratur,ac dicit se id nescire, quoniam Protestantes Angli non sanctum Gregorium apostolum, sed Martinum Bucerum et Petrum martyrem apostatas sectae suae auctores habent.Sed Bellarminus venerabilem Bedam secutus est, qui sanctum Gregorium in historia gentis suae Anglorum apostolum nominavit. Addit , debere sancti Gregorii successores vestigiis praedecessoris insistere in eo, quod missi a sancto Gregorio nullam exercuerunt muneris sui partem,nisi pace, permissuque regis: quomodo etiam missi a sancto Eleutherio locum suum in hac provincia regia auctoritate obtinuerunt: *Quod si*, inquit, *hodierni pontifices his insistere vellent majorum suorum vestigiis; equidem nec fugitivos alieni principis foris exciperent, nec eosdem rursus domum remitterent (non solum absque ulla venia principis verum etiam manifesto contra ipsius leges) cum consiliis, et doctrina meram rebellionem spirante, ad subditos absolvendos ab obedientia sua erga legitimum regem suum et principem* (3). Utinam sic Angli Protestantes retinuissent doctrinam sancti Gregorii et sancti Eleutherii,ut moderni pontifices praedecessorum suorum vestigiis diligenter insistunt: Sed ad rem. Non negamus cum bona venia principum, et cum ipsorum gratia, et pace praedicandum esse evangelium, quando ea potest haberi: sed si principes resistant, non ideo praedicationem omittendam esse docent nos Scripturae divinae et exempla majorum. Certe quando Christus Dominus jussit apostolis, ut euntes in mundum universum praedicarent evangelium omni creaturae, non addidit conditionem,nisi principes mundi forte resistant. Et b. Paulus,qui praedicavit evangelium ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum, et ubique ordinavit ecclesias episcoposque constituit; non legitur auctoritatem a principibus quaesivisse vel accepisse,quod idem de aliis apostolis dici potest. Quando autem Diocletianus et Maximianus imitati praedecessores suos,praedicari evangelium et christianos fieri prohibuerunt; non ob id tamen praedicatio evangelii, vel gentium conversio,aut Ecclesiae aedificatio,repugnantibus licet imperatoribus cessavit.Et quando principes haeretici , Constantinus, Trasimundus, Hunnericus et alii catholicos nullo loco esse patiebantur; catholici tamen illis invitis et resistentibus, vel palam, vel occulte fidem catholicam praedicabant.Atque ut vel (4) unum exemplum antiquitatis referam, Eusebius Samosatenus episcopus,ut scribitur in historia tripartita lib. 7. cap.16. in Thraciam exilio deportatus ab Ariano principe cum videret ecclesias pastoribus desolatas, habitu militari suscepto,Syriam peragrabat et Phoenicem pariter et Palaestinam presbyteros ordinans atque diaconos, aliaque Ecclesiae obibat officia. Hunc sanctum episcopum imitantur illi, quos vos fugitivos appellatis: qui quidem, ut Deo magis obediant quam hominibus, non dubitant cum periculo

(1) *In quibus Rex Angliae conveniat cum Juliano apostata.*
(2) *Comparatio lapsus archipresbyt. cum lapsu s. Petri.*
(3) *Angliae conversio a s. Gregorio.*
(4) *Exemplum insigne.*

vitae in patriam redire, quamvis princeps lege posita reditum interdixerit. Nam et ille sanctus episcopus longe a patria in exilium deportatus fuerat, ut a fide catholica conservanda cessaret; sed principis impii mandata contemnens mutato habitu redibat et ecclesiastica obibat officia, ut regis Christi praecepta compleret. Quod autem dicit adversarius de consiliis proditoriis et doctrina rebellionem spirante, ad calumnias pertinet. Nam etsi fuerunt, qui proditionis consilia inierint; ea tamen non ex doctrina catholica, neque ex recta ratione, sed ex desperatione, ut supra diximus, hauserunt. Quod postremo adjungit de absolvendis subditis ab obedientia erga legitimum regem et principem, jam supra docuimus supremum Ecclesiae universae rectorem id juris habere, ut si princeps ab Ecclesiae unitate per haeresim vel schisma deficiat, possit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare et subditos ejus a fide et obedientia liberare. Neque esse hanc novam doctrinam, sed in concilio lateranensi omnium maximo et celeberrimo approbatam, atque usu christiani populi per multa saecula receptam.

His quasi prolegomenis expeditis, accedit auctor apologiae ad explicanda verba sancti Gregorii, quae a Bellarmino dicit esse contra mentem et sensum Gregorii allegata. Verba haec sunt in epistola 42. lib. 11. *Ne apostolicae sedis reverentia ullius praesumptione turbetur: tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur injuria et canonum manet incolumis, atque intemerata semper auctoritas.* Quaestio autem est, (1) quid per caput fidei significetur. Nos enim ipsum Gregorium, ut summum pontificem caput fidei dictum esse affirmamus, idest, caput fidelium, caput Ecclesiae, caput, per quod Ecclesia fidem et discit et docet. Adversarius contradicit his verbis pag. 97. *Quod Gregorius illo vocabulo capitis fidei, caput se nostrae fidei aut religionis praedicaverit, consistere nullo modo potest cum reliqua ejus doctrina, atque scriptis. Primum enim cum alius universalis episcopi titulum occuparet, Gregorius dicere non dubitavit, Quicumque illud nomen sibi assumeret, praecursorem esse eum Antichristi: qui tamen titulus longe infra eum est, quo quis caput fidei nominetur.* Respondeo: Argumentum nihil omnino concludere; quoniam vocabulum episcopi universalis in eo sensu, quo a sancto Gregorio accipitur, hierarchiam ecclesiasticam penitus destruit: vocabulum autem capitis fidei hierarchiam eamdem constituit. Is enim dicitur apud Gregorium episcopus universalis, qui solus episcopus ita esse cupit, ut nullos alios esse patiatur episcopos: sic enim sanctus Gregorius loquitur lib. 7. epist. 69. *Si unus universalis est, restat ut vos episcopi non sitis;* et lib. 4. epist. 36. *Si unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen caeteris derogatur*; et epistol. 34. ejusdem libri: *Triste valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus praedictus frater solus conetur appellari episcopus.* Et certe in hoc sensu hierarchia universa tollitur, atque confunditur, quae ex episcopis, archiepiscopis, patriarchis sub uno capite summo pontifice constituitur, quae eadem non tollitur, sed constituitur, dum unus aliis praesidet, eosque in unitate conservat. Merito igitur sanctus Gregorius universalis episcopi vocabulum exhorruit: vocabulum autem capitis libenter accepit. Sed auctor apologiae sentiens argumenti sui debilitatem, subjungit et ait: *Dabit mihi veniam Bellarminus, ut id de uno Gregorio dicam, quod ille de multis et saepe dicit ex omni numero Patrum, minus caute locutus est.* Allegat autem duo loca ex libris Bellarmini, unum ex lib. 2. de Christo cap. 2. alterum ex lib. 2. de pontifice cap. 10. sed Adversarius non bona fide, ut alias monui, scripta Bellarmini refert. Nam lib. 2. de Christo cap. 2. id solum Bellarminus dicit, nos sequi doctrinam Patrum, quando in eadem sententia omnes conveniunt, non quando unus aliquid proprii docet repugnantibus caeteris, tunc enim minus credimus uni, quam multis. Neque in hoc loco invenitur illud, Minus caute locutus est. In libro vero 2. de pontifice cap. 10. non de sanctis Patribus, sed de Nicolao Lyrano dixit, minus caute locutus est. Cum igitur sanctus Gregorius unus sit ex Patribus sanctis et quod scripsit non repugnet doctrinae caeterorum; non recte de eo dici potest hoc loco, minus caute locutus est: sed adversarius tandem sententiam suam sine ambagibus explicat, cum addit: *Igitur ut Apostolum nostrum ex ejus manibus eximamus, ad nosque revocemus, ut noster porro sit in hac caussa, non illius: est hoc quidem verum, quod dicit hoc loco, sed eo tamen sensu quo dicit: Cum disturbare, aut imminuere, aut abolere molimini jus auctoritatemque Ecclesiae, quae penes regium caput residet intra suas ditiones, atque fines, caput ejus abscinditis, summoque gubernatori injuriam facitis et totius corporis compagem, ac membra turbatis.* Haec ille, qui vere sanctum Gregorium a nobis abstulit, atque ad se revocavit, cum illum arte mirabili ex catholicae Ecclesiae praesule, in Protestantem haereticum transformaverit. Sed tanta est haec audacia et impudentia, ut mirum sit ejusmodi expositionem in hominem sanae mentis cadere potuisse. Nam sanctus Gregorius de sede apostolica, non de rege loquebatur, cum diceret: *Illud autem admonemus, ut sedis apostolicae reverentia nullius praesumptione turbetur*, ac deinde id probavit, dicens: *Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur injuria.* Quis igitur non videt caput fidei sedem apostolicam nominari? Adde quod in ea epistola de usu pallii sermo est et monet sanctus Gregorius archiepiscopum Panormitanum, ut sacro pallio ab apostolica sede ad se transmisso, utatur iis tantum locis et temporibus, quibus utuntur alii similes sacerdotes: neque praesumat aliquid ultra ea, quae a sede apostolica conceduntur; atque ad hoc propositum ponit verba, quae supra recitata sunt, Quid in hoc negotio habent reges? quid regibus cum pallio, quod est insigne archiepiscoporum? Sed auctor apologiae hac impudentia non contentus, quasi planum fuisset, jussu

(1) *Quid sit caput fidei in s. Gregorio.*

summi pontificis per immissos sicarios reges caedi consuevisse; admonet, papae et cardinalibus suggerendum esse, quod sanctus Gregorius lib. 7. epist. 1. per Sabinianum praefectum imperatoris jubet suggeri Mauritio: *Si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione esset divisa; sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* Sicut autem Adversarius in eo deceptus est, quod Sabinianum, ad quem scribit sanctus Gregorius, existimavit praefectum imperatoris fuisse, cum esset diaconus cardinalis Ecclesiae romanae et qui sancto Gregorio in pontificatu successit; ita decipere alios voluit commemoratione illius suggestionis, quam nihil omnino ad rem facere, ex iis quae supra demonstravimus, intelligi potest. Summi enim pontifices non occulte per sicarios, sed publice per censuras ecclesiasticas cum principibus inobedientibus agunt.

Transit deinde pag. 99. a s. Gregorio ad (1) sanctum Leonem, cujus tres sententias Bellarminus in epistola sua posuerat, et quoniam verba s. Leonis non poterat ulla ratione pervertere; sanctum Leonem audacter reprehendit, quod dum sanctum Petrum immodice laudat, ipse sibi nimium tribuat. In quo discipulum se Calvini demonstrat, qui lib. 4. Institut. cap. 7. cum nihil haberet, quod evidentissimis testimoniis hujus sanctissimi pontificis responderet, transiit ad convicia, ac Leonem avidum gloriae et dominationis plus nimio fuisse contendit. Neque contentus fuit auctor apologiae sanctum Leonem ambitionis notasse, quem tota semper antiquitas ut doctissimum atque optimum pontificem et sanctitatis gloria excellentissimum venerata est; sed addidit etiam falsam historiam. Scripsit enim pag. 101. *Contendebat*, inquit, *tunc temporis cum eo de primatu patriarcha constantinopolitanus; et in concilio chalcedonensi, episcopi sexcenti et quod excedit, aequalem auctoritatem illius sedis patriarchae adscripserunt; nec privilegium romanae sedis supra constantinopolitanam ullo modo passi sunt; sed contra eum decretis suis suffragiisque pugnarunt.* Haec ille. Sed verum quidem est Patres concilii chalcedonensis tribuere voluisse episcopo constantinopolitano paria privilegia: falsum tamen est, quod de primatu cum episcopo romano constantinopolitanus patriarcha contenderet, paria enim privilegia intelligebant respectu inferiorum: sic tamen, ut romanus pontifex primum locum haberet, ut semper habuerat. Constantinopolitanus autem ad secundum ascenderet, qui locus Alexandrini episcopi ante fuerat. Id probamus primo ex ipsis verbis concilii chalcedonensis, ubi legimus, Patres concilii voluisse renovare canonem concilii constantinopolitani. Canon autem concilii constantinopolitani hic fuit: *Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post romanum episcopum propterea quod sit nova Roma.* Secundo probamus ex epistola concilii chalcedonensis ad Leonem, qua petiit confirmari decreta sua: in qua epistola nullam mentionem faciunt parium privilegiorum, solum dicunt se renovasse canonem secundae synodi, quo secundus honor episcopo constantinopolitano tribuebatur. Tertio probamus ex ipso Leone, qui epistola 59. respondens ad concilii literas et in multis aliis epistolis ad imperatorem et ad varios episcopos de hac caussa, nusquam meminit parium privilegiorum: sed ubique acriter damnat episcopi Constantinopolitani ambitiosam cupiditatem, quod se Alexandrino atque Antiocheno episcopo anteponere voluisset. Quarto probamus ex sancto Gregorio, qui affirmat constantinopolitanum episcopum subjectum fuisse episcopo romano, etiam quando jam obtinuerat, quod in secunda et quarta synodo definitum erat. Sic enim scribit lib. 7. epistol. 63. ad Joannem siracusanum: *De sede*, inquit, *constantinopolitana quis dubitet eam apostolicae sedi esse subjectam? quod et dominus piissimus imperator, et frater meus Eusebius ejusdem civitatis episcopus assidue profitentur.* Falso igitur auctor apologiae scripsit concilii chalcedonensis Patres nullo modo passos esse, ut romana sedes supra constantinopolitanam privilegium ullum haberet: ut etiam illud, episcopum constantinopolitanum cum romano pontifice de primatu Ecclesiae contendisse. Addit postremo sanctum Leonem, quamvis nimis multa sancto Petro tribuerit, nihil tamen Caesari ademisse, sed et honoris vocabula et auctoritatis privilegia, et potestatem convocandi concilia arbitratu suo ei tribuisse: id, quod probat ex epist. 9. ad Theodosium; ubi sic legimus: *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostrae dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale concilium*, et ex epist. 16. ad Flavianum: *Quia clementissimus imperator, pro Ecclesiae pace sollicitus synodum voluit congregare, quamvis appareat, rem de qua agitur, nequaquam synodi indigere tractatu*, et ex epist. 17. ad Theodosium: *Quamvis ad diem concilii episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me nulla ratio permittat.* Ad haec loca breviter respondemus (2), negari non posse quin in conciliis generalibus indicendis, aliqua esset imperatoris auctoritas: neque enim decebat, ut in civitatibus imperatori subjectis, tanta episcoporum multitudo conveniret, sine consensu et voluntate imperatoris, saepe etiam imperatores pii de communi bono ecclesiarum et pace solliciti, concilia fieri cupiebant et annuente pontifice indicebant, sed neque illud negari debet, praecipuam auctoritatem in iisdem indicendis conciliis fuisse apud summum pontificem, ita ut sine consensu pontificis maximi ulla concilia rata fuerint: sine consensu autem imperatoris multa fuerint rata. Ac ut aliqua testimonia adducamus, in conc. chalcedonensi act. 1. jubetur Dioscorus non sedere inter episcopos, eo quod synodum facere ausus fuerit sine auctoritate apostolicae sedis: *Quod*, inquiunt, *numquam licuit, numquam factum est.* Et in septima synodo act. 6. irritum judicatur concilium quoddam constantinopolitanum, quod ad impera-

(1) *De s. Leone primo pontifice.*

(2) *Num penes imp. sit potestas indicendi concilia.*

tore congregatum fuisset, sine consensu apostolicae sedis. Et in concilio quarto romano in caussa Symmachi, cum episcopi aliquot Theodorico regi, qui synodum convocaverat, libertate sacerdotali dixissent, Ab ipso papa debuisse concilium convocari: respondit Rex id ipsum per literas Symmachum pontificem postulasse. Et cum episcopi literas pontificis videre cupivissent, Rex continuo jussit ostendi. Simile est quod legimus apud Theodoretum lib. 5. Hist. cap. 9. in epist. concilii ad Damasum; *Mandato*, inquiunt Patres, *literarum superiore anno a vestra reverentia ad sanctissimum imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat constantinopolim usque faciendum nos praeparavimus.* Proinde Theodosius quidem concilium indixerat, sed ex mandato literarum pontificis Damasi. Quale est etiam, quod habemus in epistola Adriani II. ad Basilium imperatorem, quae lecta est in octava synodo act. 1. *Volumus*, inquit papa, *per tuae pietatis industriam, Constantinopoli numerosum convocare concilium.* Item id quod scribit Sixtus papa III. sancti Leonis praedecessor in epistola ad orientales: *Augustus*, inquit, *Valentinianus nostra auctoritate synodum convocavit.* Denique addamus unum ipsius etiam Leonis pontificis testimonium. Is in epist. 93. quae est ad Turbium: *Dedimus*, inquit, *literas ad fratres et coepiscopos nostros, eisque concilium synodi generalis indiximus.* Ac de his hactenus, quae in libris catholicorum scriptorum fusissime disputata inveniuntur.

Pag. 102. Aggreditur auctor aliam digressionem. *De uno vero verbo*, inquit, *quod ab eo ponitur in media quasi turba exemplorum, non sane possum, quin eum vehementer collaudem. Id autem unum, hoc est: quod omne genus supplicii, ipsamque adeo mortem martyres tolerare oporteat, potius quam unam syllabam divinae legis corrumpi sinant. Ad quam amussim si ipse se exigeret et reliqui ejusdem fidei cum illo professores sese componerent, nec Eucharistia jam administraretur sub una specie contra evidentissimam Christi institutionem, contra praxim apostolorum, institutumque totius primitivae Ecclesiae per non pauca saecula* (1)*: Nec vero missae privatae successissent in locum coenae Dominicae, nec verba canonis missae verbis opponerentur sanctorum Lucae et Pauli; in quo habemus adversarium nostrum confitentem reum, et omnino reconciliari ea posse negantem inter se.* Haec ille, qui quam vere loquatur in iis, quae sine ulla probatione dicit de communione sub una specie, et de missis privatis; (2) intelligi poterit ex mendacio, quod adjungit de oppositione verborum canonis ad verba sanctorum Lucae et Pauli. Et quoniam habere se dicit Bellarminum adversarium confitentem reum, et ea reconciliari inter se posse negantem, adscribemus ipsa Bellarmini verba ex loco quem ipse allegat. Sic igitur scribit Bellarminus lib. 4. de sacramento Eucharistiae cap. 14. *Secundo calumniatur Kemnitius detracta esse illa verba ex consecratione panis, Quod pro vobis traditur, vel frangitur. Respondeo: Illa verba non haberi apud Matthaeum et Marcum, nec apud Justinum apologia secunda, Cyrillum catechesi 4. mystagogica, et Eusebium Emissenum homil. 5. de paschate: cum tamen ii omnes referant formam consecrationis. Et sicut hos auctores reprehendere non possumus; ita nec nostram missam reprehendere ullus deberet, praesertim cum antiquior sit liturgia nostra, si a sancto Petro prodiit* (ut s. Thomas docet 3. p. quaest. 18. art. 2. ad 4. et ante eum Leo IX. in epistola ad Michaelem cap. 5.) *quam evangelium Lucae, et epistola Pauli, qui addiderunt illa verba, Quod pro vobis frangitur.* Haec sunt verba, in quibus auctor apologiae dicit contineri oppositionem verborum canonis missae ad verba Lucae et Pauli; et ex quibus gloriatur se habere adversarium confitentem reum et negantem ista posse ullo modo inter se conciliari. At ubi est in his verbis ulla mentio oppositionis? ubi est contradictio irreconciliabilis? ubi confessio rei? Docet Bellarminus canonem missae optime se habere, etiam si in eo desint pauca illa verba, *Quod pro vobis frangitur.* Probat primo, quia consecratio panis est apud Matthaeum et Marcum sine illis verbis, quod est argumentum certissimum, ea verba non esse de essentia consecrationis; alioqui enim, qui habebant evangelium solius Matthaei, vel solius Marci, non recte consecrationem peregissent. Probat secundo, quia Justinus martyr, Cyrillus hierosolymitanus, et Eusebius Emissenus referunt verba consecrationis sine illis verbis. Probat tertio, quia liturgia nostra latina censetur a sancto Petro tradita; proinde verba consecrationis, quae sunt in nostro canone reprehendi non possunt, etiamsi careant illis verbis, quae sunt addita a sanctis Luca et Paulo: quae verba non sunt contraria verbis canonis, alioqui essent etiam contraria verbis sanctorum Matthaei et Marci, sed nulla est contrarietas. Nam Matthaeus et Marcus brevius; Lucas et Paulus paulo fusius rem eamdem scribere voluerunt.

Jam vero quoniam Bellarminus in epistola sua memineral (3) Nicolai Sanderi, eumque laudaverat, ut hominem de Ecclesia anglicana optime meritum; auctor apologiae respondet pag. 104. Sanderum fuisse quidem optime meritum de Ecclesia anglo-romana, sed meritum pessime de regina anglicana et universo regno. Id ut probet, describit aliquot sententias ex libris ejus, quas ironice aureolas vocat: sed eae sententiae nobis vere aureae esse videntur: quas tamen omittimus hic adscribere, quia nec adversarius ad eas refellendas aliquid attulit; et nos librum nostrum ex alienis scriptis augere non voluimus.

Pag. 106. reprehendit Bellarminum, quod prope finem epistolae suae scripserit (4); Joannem Roffensem et Thomam Morum mortem oppetiisse pro hoc uno gravissimo dogmate de primatu pontificis: ac probare nititur eos mortem oppetiisse, non pro hoc uno dogmate, sed etiam quod approbare nolue-

(1) *Mendacium circa missas privatas.*
(2) *An catholici discedant a verbo Dei.*

(3) *De Nicolao Sandero.*
(4) *De Joanne Roffensi et Thoma Moro.*

rint secundum matrimonium regis Henrici:et affert ipsa verba Thomae Mori ad judices: *Non ignoro*, inquit, *cur me morti adjudicaveritis, videlicet ob id, quod numquam assentire voluerim in negotio matrimonii regis, et tandem subjicit auctor apologiae: Quae meo judicio valde carnalis caussa martyrii fuit.* At Bellarminus non dixit Joannem Roffensem et Thomam Morum pro hac sola caussa primatus mortem oppetiisse; sed pro hac una caussa duces fuisse plurimis ad martyrium. Illi enim, qui regnante Elizabetha necati sunt;non pro caussa matrimonii, sed pro caussa primatus necati sunt: illis autem duces ad martyrium Roffensis et Morus fuerunt. Quod autem duo isti clarissimi viri pro primatu pontificis asserendo,et primatu regis detestando mortui sint, auctor apologiae negare non potest, nisi verborum suorum oblivisci velit, quae in hoc ipso libro pag. 48. habentur. *Sub Henrico*, inquit, *octavo primum introductum est juramentum primatus; sub eoque Thomas Morus et Roffensis supplicio affecti, idque partim ob eam caussam, quod juramentum illud recusarent.* Sed neque caussa matrimonii a caussa primatus tantum differebat, ut non posset etiam ad primatus caussam revocari, quod enim in quaestionem tunc vertebatur circa matrimonium,illud erat; Utrum summus pontifex dispensare potuisset, ut Henricus Catherinam uxorem fratris sui Arthuri jam defuncti duceret. Posita enim legitima dispensatione, Catherina legitima Henrici uxor erat, at vero legitima uxore vivente, non poterat Henricus Annam Bolenam conjugem accipere. Ex quo sequitur ut Roffensis et Morus, qui mori maluerunt, quam secundum matrimonium approbare, pro legitima potestate summi pontificis in dispensando mortem oppetierint. Cui autem carnalis caussa martyrii suscipiendi videtur esse caussa illegitimi matrimonii, is poterit etiam irridere sanctissimum praecursorem Domini nostri, quod carnalem caussam martyrii habuerit, quem constat ab Herode occisum, quod ejus illegitimum matrimonium libere improbaret.

Quod vero contra b. martyrem Roffensem auctor adducit pag. 109. universalem, atque catholicum Ecclesiae anglicanae consensum, ac dicit universalitatem apud Bellarminum esse notam verae Ecclesiae, omnino ridiculum est. Quasi christianae Ecclesiae universitas, ad unius insulae augustias redigi debeat: et quasi non sciamus catholicum illum consensum Ecclesiae anglicanae, nihil fuisse aliud,nisi consensum partim hominum adulatorum, partim vi et metu compulsorum, cui consensui opponere Roffensis potuisset consensum orbis terrae, idest, ecclesiarum catholicorum toto terrarum orbe diffusarum.

Simile est,quod addit pag. 110. Perpaucos fuisse e popularibus,nullos autem ex insignioribus viris, qui Roffensem et Morum pro hoc dogmate ad martyrium secuti sunt (1). Nos enim ex historiis prope innumerabiles omnium generum adducere possemus, qui ab anno 1535. (quo anno duo illa lumina occubuerunt) usque ad hunc annum 1608. tum regnante Henrico, tum regnante Elizabetha, tum regnante Jacobo, pro fide primatus apostolici sanguinem effuderunt. Consulat,qui carnificinam horribilem spectare cupit, librum septimum Nicolai Sanderi de visibili monarchia, librum ejusdem de anglicano schismate commentarium Laurentii Surii de rebus gestis in orbe terrarum ab anno 1500. librum de vita et martyrio Carthusiensium monachorum et alios similes libros non paucos.

Ad extremum auctor apologiae confirmare aggreditur ex verbis Dei primatum regium in spiritualibus ac primum producit multa argumenta ex Testamento veteri: quae ut ab ipso cursim producuntur; sic etiam a nobis cursim refutabuntur.

Primo (2): *Sub veteri*, inquit, *Testamento reges proprie erant gubernatores Ecclesiae.* 2. *Chron.* 19. 4. At ne, nomen quidem Ecclesiae eo loco legitur: et in eodem capite distinguitur officium regis ab officio pontificis. Amarias sacerdos et pontifex in his, quae ad Deum pertinent, praesidebit: Porro Zabadias filius Ismaël, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quae ad regis officium pertinent. Non igitur Rex primatum habebat in spiritualibus,cum ea ad officium ejus non pertinerent.

Secundo: *Reges corruptelas purgavere, abusus sustulere.* 2. *Sam.* 5. 6. At nihil ejusmodi legitur in loco citato, nisi sit error in numeris, quamquam etiam non negamus, posse ac debere reges corruptelas et abusus, sive in moribus,sive etiam in doctrina, post Ecclesiae declarationem, legibus et suppliciis purgare ac tollere.

Tertio: *Arcam ad constitutum quietis locum perduxere.* 1. *Chron.* 13. 12. *et eidem arcae deportandae ipsi praesultavere.* 2. *Sam.* 6. 14. At non soli reges, sed etiam sacerdotes communi consilio arcam deduxerunt: et licuit quidem Davidi regi ludere ac saltare ante arcam, quod humilitatis et reverentiae erat: non tamen licuit illi arcam contingere, quod potestatis sacerdotalis erat.

Quarto: *Templum aedificavere*, 1. *Chron.* 28. *aedificatum dedicavere, et suis corporibus opus consecrationis praesentes cohonestavere* 2. *Chron.* 6. At sicut templa aedificare, Deoque dicare, ad magnificentiam regum,et sacris solemniis, quibus templa consecrantur,interesse ad pietatem eorumdem regum pertinere concedimus: ita negamus in ipso templo pontificale munus attingere illis ullo modo posse permitti. Ex quo sequitur, ut primatus in spiritualibus regi nulla ratione conveniat, cujus rei testis esse potest Rex Ozias, qui cum se caput Ecclesiae esse arbitraretur, velletque incensum adolere Domino, continuo a sacerdotibus repulsus fuit: et cum sacerdotibus non acquiesceret, mox adfuit vindicta divina. Nam lepra divinitus percussus, non solum ex templo expelli meruit; sed etiam in domo separata habitare coactus est. 2. Paral. 26.

Quinto: *Librum legis de novo repertum populo recitari fecere.* 2. *Reg.* 22. 11. At nescio ubi invenerit auctor iste librum de novo inventum, po-

(1) *Martyres qui secuti sunt Roffensem et Morum in Anglia.*

(2) *Quae scripturae testimonia afferantur pro regis primatu.*

pulo jussu regis legi debuisse. Nam in nostris bibliis loco ab ipso notato, habemus librum in templo a pontifice inventum et lectum: deinde lectum etiam coram rege et regem misisse aliquos, qui consulerent Dominum super verbis libri. Sed quid hic est pro primatu regis in rebus ecclesiasticis et spiritualibus?

Sexto: *Foedus inter Deum populumque redintegravere. Nehem.* 9. 38. *et* 2. *Reg.* 8. 4. At nulli erant reges apud Judaeos tempore Nehemiae: quomodo ergo reges foedus redintegravere inter Deum et populum? Non igitur reges, sed primores Judaeorum tum Levitici generis, tum etiam aliarum tribuum foedus iterum percusserunt cum Deo; sed illud tamen admittimus, quamvis scriptum non sit neque Nehem. 9. 38. neque 2. Regum 8. 4. ad reges pertinere, redintegrare foedus inter Deum, et populum: quoniam ipsi reges fuerunt in caussa, cur populus per idololatriam a Deo recederet. Addo quod 4. Regum 15. Pontifex percussit foedus inter Deum ac regem ac populum.

Septimo: *Serpentem aeneum confregere, quamvis in deserto, et Dei mandato erectum et Christum Dominum suo modo figurantem.* 2. *Reg.* 18. 4. *Idola omnia deosque falsos exterminavere.* 1. *Reg.* 15. 12. Recte Ezechias rex serpentem aeneum confregit, quoniam populus ad idololatriam propensus, serpenti illi, ut numini cuidam sacrificia offerre coeperat. Rectissime etiam Asa rex confregit idola, quae fuerunt a regibus praedecessoribus fabricata; sed non ideo rex primatum habet in rebus spiritualibus, quia scelus idololatriae punire potest. Hac enim ratione serviunt reges Deo, dum hostes Ecclesiae, quales sunt idololatrae, haeretici et schismatici ab ipsa Ecclesia damnati, et declarati legibus et gladio puniunt.

Octavo: *Reformationes publicas instituere, convocatis eo fine, et congregatis mixtim cum sacerdote laicis.* 2. *Chr.* 17. 8. Non invenio loco notato ejusmodi reformationem: sed solum quod miserit Josaphat multos ex levitis et sacerdotibus, aliisque viris doctis, qui populos docerent. Ista vero missio studium ac zelum regis ostendit; primatum in spiritualibus non ostendit. Ad primatum enim proprie pertinet docere, et legis divinae dubia explicare, quod munus non regi, sed summo sacerdoti tribuitur. Deut. 17. cui omnes sub poena ultimi supplicii parere tenebantur.

Nono: *Pontificem summum exauctoravere, aliumque in ejus locum subrogavere.* 1. *Regum* 2. 27. At pontifex quoque reginam non solum exauctoravit, sed etiam interfici jussit et regem alium subrogavit. 4. Regum 11. et aliud est facta regum referre, aliud auctoritatem, potestatemque probare, ut omittam, quod factum illud Salomonis ex 1. Reg. 2. tribui solet Salomoni, non ut regi, sed ut prophetae, extraordinariam potestatem divinitus obtinenti.

Decimo: *In summa*, inquit, *cuncta moderati sunt, quae ad ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuere.* At hic oportuit allegare verbum Dei, non in particularibus illis officiis, de quibus non controvertitur. De hoc enim quaestio est, an regi conveniat regimen ecclesiasticum; non autem an liceat regi templa aedificare, ante arcam Domini saltare, idololatras interficere, et alia id genus; sed hic, ubi minime oportuit, deseruit auctor apologiae Verbum divinum. *At*, inquit, *Scripturae ornant reges titulis honorariis, qui ab actionibus illis non discordant, vocantur enim filii altissimi immo vero dii et uncti Domini, in Dei solio sedentes, famuli Dei, immo angeli Dei, facti juxta cor Dei lumina Israelis, nutricii Ecclesiae.* Sed primus titulus, pro quo allegatur locus 2. Samuelis 7. non convenit regibus generatim; sed solum Salomoni, ut figura Christi erat, de quo dictum est ab angelo, *Et filius altissimi vocabitur.* Lucae 1. quamquam in Deuteron. cap. 32. toti populo dicitur, *Nonne ipse est Pater tuus, qui fecit te et creavit te?* et nos omnes Deo dicimus, *Pater noster qui es in coelis?* Secundus titulus non solis regibus, sed omnibus judicibus convenit, sive ecclesiastici, sive politici sint. Sic enim locum ab auctore citatum. Psalm. 82. *Ego dixi dii estis* intelligendum esse docent illa verba ejusdem psalmi, *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat: usquequo judicatis iniquitatem*, etc. Locus quoque ex libro Exodi allegatus cap. 22. de judicibus, non de regibus intelligitur, quia nulli tunc erant reges in populo Dei. Tertius titulus communis est regibus cum pontificibus; utrique enim apud Haebraeos ungebantur, apud nos autem multi reges non unguntur, nulli autem pontifices sine sacro oleo consecrantur. Quartus titulus non scio unde huc irrepserit. Nam in lib. 2. Samuelis cap. 3. 10. qui locus ad marginem allegatur, thronus David legitur, solium Dei non legitur. Quintus titulus nimis est vulgaris; quippe qui convenit omnibus rebus creatis, de quibus dicitur. Psalm. 118. *Quoniam omnia serviunt tibi.* Sextus titulus in loco allegato lib. 2. Samuelis cap. 14. soli Davidi tribuitur, non ob regiam potestatem, sed ob singularem sapientiam, qua praeditus erat. De sacerdote autem generatim scribit Malachias cap. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ab ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Septimus titulus proprius est Davidis, non communis omnibus regibus; alioqui etiam Saul et Hieroboam et Achab, et caeteri fuissent secundum cor Dei. Octavus magis convenit sacerdotibus, quam regibus: illi enim erant lucernae; vel, ut auctor loquitur, luminaria Israël: istis autem Dominus dicit, *Vos estis lux mundi*, Matth. 5. Nonus titulus vere, proprieque regibus convenit, ut sint nutricii Ecclesiae, sed tanto est inferior eo titulo, qui convenit sacerdotibus, ac praecipue summis pontificibus; quanto nutricius est inferior parente. Summum enim pontificem patrem esse christianae plebis sanctus Augustinus dicit in epistol. 161. et totius orbis christiani usus confirmat. Quare, si nihil aliud habet auctor apologiae ex verbo Dei, unde primatum regis in rebus ecclesiasticis stabiliat; vere possumus affirmare, non ex Verbo Dei, sed ex verbo Henrici VIII. primatum istum in Angliam esse invectum.

Sed auctor apologiae quasi jam ex Testamento veteri fundamenta solidissima jecisset, addit pag.

112. (1) ex Testamento novo reliquam aedificationem. *Quid*, inquit, *in novo Testamento? Omnis anima iis subjici jubetur, idque propter conscientiam, Rom.* 13. *Orandum quidem et pro omnibus, sed praecipue pro regibus et in auctoritate constitutis, ut sub iis piam et pacatam, honestamque vitam degamus* 1. *Tim.* 2. *Magistratus Dei administer est, et ad ulciscendos facinorosos, innocentes autem atque probos remunerandos, Rom.* 13. *Omnibus quidem obtemperandum est superioribus potestatibus, sed potissimum principibus et in eminentia collocatis,* 1. *Petr.* 2. *Reddite unicuique quod suum est, timorem cui timor, amorem cui amor jure debetur. Rom.* 13. *Date Caesari quae Caesaris sunt, Deo quae Dei sunt: Matth.* 22. *Regnum meum non est hujus mundi, Joann.* 18. *Quis me constituit judicem super vos? Lucae* 12. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, Luc.* 22.

Haec sunt omnia testimonia Verbi Dei, quae adversarius pro primatu regis in spiritualibus ex novo Testamento allegare potuit. Ad quae unico pene verbo responderi potest. (2) Ex his testimoniis nihil effici pro primatu regis in spiritualibus, nisi velimus reges paganos, et Ecclesiae persecutores factos esse a Deo supremos Ecclesiae gubernatores in rebus spiritualibus. Nam haec testimonia ad imperatores paganos pertinent, quales erant cum Testamentum novum scriberetur, videlicet ad Tiberium, Cajum, Claudium et Neronem. Et quamvis aliquae sententiae ex citatis convenire possint etiam regibus christianis, aliquae etiam ad omnes principes tum ecclesiasticos, tum saeculares jure pertineant, qualis illa est, *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, tamen nemo inficiari potest, quin regibus quoque paganis conveniant, ut quae doctrinam contineant principibus omnibus communem, sive pagani, sive christiani sint. Alioqui frustra Petrus et Paulus christianos sui temporis admonuissent officii erga reges, sive imperatores, quos paganos esse ignorare non poterant. Ac nemo est, qui non videat, quam sit absurdum, ut reges pagani qui non sunt de Ecclesia, primatum habeant in Ecclesia: et qui Christi hostes sunt, vicarii Christi sint: et qui Christum abnegari et idola coli jubent, iis a christianis in spiritualibus, ut summis gubernatoribus sit obediendum. Deinde quales argumentationes istae sunt, et secundum quam regulam dialecticae concludunt, reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: ergo rex primatum habet in Ecclesia in rebus spiritualibus? Vel, regnum meum non est hujus mundi; ergo rex est supremus gubernator, etiam in caussis ecclesiasticis? Vel, Reddite quae sunt Caesaris Cesari, quae sunt Dei Deo: ergo papa nullum jus habet in Anglia, nec etiam quoad spiritualia? Credo equidem, si adversarius libros priorum analyticorum Aristotelis summa diligentia annis multis evolveret: numquam medium terminum in his argumentationibus inveniret. Quae cum ita sint, desinat adversarius in Scripturis sanctis ludere, earumque testimoniis abuti ad eum primatum stabiliendum, quem non solum Ecclesia catholica semper detestata est; sed etiam Calvinus ipse cum schola Genevensi numquam approbavit: et quem ipsa Anglia, ut a regia cupiditate exortum, ipsi etiam Puritani molestissime semper tulerunt.

Venio nunc ad ea, quae auctor apologiae pagina 114. et 115. ex Bellarmini scriptis attulit in medium, ad invidiam illi conflandam; quasi parum honorifica, vel etiam injuriosa principibus, et suprascriptis titulis contraria sint.

(3) Primo. Ponit Bellarminus, reges servos potius esse quam dominos, lib. de laicis cap. 7. in lib. anglice scripto, ad augendam invidiam, reges non servi qualescumque, sed mancipia nominantur.

Respondeo: Sententiam Bellarmini ex Augustino desumptam esse, qui sic ait lib. 19. de Civitate Dei cap. 14. *Qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare.* Ubi qui imperant, non dicuntur servi quasi subjecti sint populis, sed quia laborant regendo, et imperando, non propter suam vel utilitatem, vel cupiditatem, quod tyrannorum est; sed propter populi utilitatem, et propter publicum bonum: quomodo b. Paulus servum se Corinthiorum appellavit 2. Corinth. 4. quia in eorum commodum laborabat; et tamen in eos potestatem habebat, eisque minabatur, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis?* 1. Corinth. 4. quomodo etiam magnus Gregorius servum servorum Dei se nominabat: quem titulum, ut valde honorificum, successores omnes imitati sunt.

Secundo: Dicit idem Bellarminus, reges subjectos esse non solum pontificibus, sed etiam presbyteris et diaconis lib. 1. de pontif. cap. 7.

Respondeo: Id Bellarminum non ex capite suo, sed ex s. Joan. chrysostomo accepisse, cujus haec verba sunt homil. 83. in Matth. *Si dux quispiam, si consul, si is qui diademate ornatur indigne adeat, cohibe et coerce, majorem tu illo habes potestatem.* Haec ille, qui ad Diaconum loquebatur cum haec diceret.

Tertio: Quod imperatorem non gravate bibere oporteat non solum post episcopum, sed etiam post presbyterum. Ibidem.

Respondeo: Neque id Bellarminum ex se affirmare, sed referre judicium s. Martini apud Maximum imperatorem discumbentis: quam historiam refert Sulpitius in vita s. Martini.

Quarto: Quod regum auctoritas, atque functio, non immediate ex Deo descendat, neque ex jure divino, sed dumtaxat ex jure gentium. Ibidem et lib. de clericis cap. 28.

Respondeo: Bellarminum id asserere ex communi sententia omnium pene scriptorum, et ex ipso usu. Videmus enim regna in respublicas et respublicas in regna mutari, et tamen utrumque regimen aeque justum haberi: quod nullo modo fieret, si regum auctoritas non ex humana voluntate, sed ex divino jure penderet.

(1) *De eadem re ex Testamento novo.*

(2) *Responsio ad loca testamenti novi allata pro regis primatu.*

(3) *Falsa Bellarmino ascripta.*

Quinto: Quod a pontificibus imperatores multi depositi fuerint; nulli autem pontifices ab imperatoribus, lib. 3. de pontif. cap. 16.

Respondeo: Nusquam dicere Bellarminum nullum pontificem fuisse depositum ab imperatore: sed si illud etiam addidisset, verum dixisset: siquidem Joannes XII. et Gregorius VI. Etsi qui alii sunt, qui imperatoribus depositi fuisse dicantur; non proprie ab imperatoribus, sed a conciliis episcoporum, imperatoribus procurantibus depositi fuerunt. Idque non legitime, sed per injuriam factum fuisse facile demonstrare possemus, et numquam legitimum pontificem jure ab imperatore potuisse deponi.

Sexto: Quod episcopis, qui mancipia sunt papae, deponere licet principes, et eorum leges rescindere.

Respondeo: Merito non adscribi locum ex libris Bellarmini, quia ejusmodi locus non extat in ejus libris. Neque episcopi mancipia, sed venerabiles fratres a summis pontificibus appellantur.

Septimo: Quod ecclesiastici homines tam longe supra principes sint, quam anima supra corpus, lib. de laicis cap. 18.

Respondeo: Id non de quibuslibet ecclesiasticis, sed de principibus ecclesiarum dici; et eam sententiam apud s. Gregorium nazianzenum in oratione ad populum timore perculsum et praesidem irascentem, totidem verbis haberi.

Octavo: Quod reges deponi possunt per subditos suos ob multas caussas. lib. 5. de pontif. cap. 8.

Respondeo: Non bona fide adversarium agere. Bellarminus enim in loco citato, non dicit reges posse per subditos suos deponi; sed solum profert duodecim exempla, partim ex Testamento veteri, partim ex historiis diversis, vel decretis ecclesiasticis, ex quibus constat reges vel imperatores aliquando a summis pontificibus fuisse depositos, de depositione per subditos ne verbum quidem.

Nono: Pontifices nullo modo deponi posse: nemini enim mortalium permissum esse de iis judicare, lib. 2. de pontifice cap. 26.

Respondeo: Quod Bellarminus scripsit, ante multa saecula in generalibus conciliis, quae ipse eo loco citavit, disertis verbis scriptum esse: proinde adversarius, ut in superioribus, sub nomine Bellarmini, sanctos Patres Augustinum, Chrysostomum, Martinum, Nazianzenum reprehendit; ita hoc loco non soli Bellarmino, sed etiam pluribus generalibus conciliis litem movere praesumpsit.

Decimo: Quod obedientia papae debeatur propter conscientiam, lib. 4. de pontif. cap. 15.

Respondeo: Adversarium satis feliciter progredi in accusatione Bellarmini: qui enim sub nomine Bellarmini sanctos Patres, et sacra concilia hactenus accusavit; nunc tandem ipsum etiam Dei Verbum et Spiritum sanctum accusat, quod intelliget, quicumque caput sequens, idest, caput sextumdecimum libri 4. de pontifice, legere voluerit. Nam eo loco multis, iisque perspicuis divinae Scripturae testimoniis ostenditur, non solum pontificem summum, sed etiam episcopos caeteros leges condere posse, quibus ob conscientiam parere subditi teneantur.

Undecimo: Quod obedientia regi non alio respectu debeatur, quam propter ordinem politicum, libro de clericis cap. 28.

Respondeo: Adversarium more suo calumniatorem se prodere. Neque enim eo loco Bellarminus disputat de obedientia, quae regi a subditis debetur, de ea enim disputat in libro de laicis; ubi cap. 3. et cap. 11. probat ex divinis literis non solum deberi regibus, aliisque politicis magistratibus obedientiam; verum etiam coram Deo, et propter conscientiam. In libro autem de clericis cap. 28. demonstrat clericos exemptos esse a jurisdictione principum saecularium, ac per hoc non esse subditos regibus: sed debere tamen leges eorum de temporalibus rebus observare, non vi legis, sed vi rationis; idest, non quia subditi sint, sed quia ratio dictat, ob commune bonum et pacem reipublicae, eas leges ab omnibus esse servandas.

Duodecimo: Quod ipsi illi homines ecclesiastici, qui et nati sunt et degunt in regnis principum, non tamen sunt eorum subditi, nec ab iis judicari possint: ipsis autem fas sit principes suos judicare. Ibidem.

Respondeo: Adversarium ad invidiam Bellarmino conflandam semper aliquid addere, quod in libris Bellarmini non invenitur. Affirmat quidem Bellarminus cum communi sententia catholicorum ecclesiasticos exemptos esse a potestate principum terrenorum: sed illas particulas (qui et nati sunt, et degunt in regnis principum) Bellarminus in libro suo non posuit, non quod veras esse non existimet, sed quia non erat opus ad ista descendere; sed Adversario opus fuit ista exprimere ad odium concitandum. Illud vero (ipsis autem fas sit principes suos judicare) non solum Bellarminus non dixit, sed falsum esse credit. Haec enim verba significant, Fas esse cuicumque ecclesiastico, etiam maxime privato, principem suum judicare: quemadmodum unusquisque ecclesiasticus, etiam maxime privatus, exemptus est a subjectione principis saecularis. At unicuique ecclesiastico, etiam privato, fas esse principem suum judicare, Bellarminus numquam dixit, numquam credidit, numquam somniavit.

Decimotertio: Denique quod obedientia, quam clerici tribuunt regibus, etiam in minimis mereque civilibus negotiis, non sit a necessaria aliqua subjectione, sed tantum ex discretione, et propter observantiam boni ordinis atque moris. Ibidem.

Respondeo: Non esse hanc propriam sententiam Bellarmini, sed omnium catholicorum doctorum, tum theologorum, tum jurisconsultorum, quamvis enim catholici Scriptores disputent, quo jure data sit exemptio clericis: tamen datam esse, et usu receptam ab antiquissimis temporibus, nemo catholicorum in dubium vertit.

Quae cum ita sint, cum Adversarius colligit immane discrimen esse inter librum Dei, et Bellarminianos codices, et non magis Deum et Belial, lucem et tenebras, coelum denique et inferos distare, quam Bellarminianum judicium de majestate regia a divino de iisdem judicio dissideat: eadem facilitate, sed majori temeritate colligere potuisset, sanctos Patres, et ipsam divinam Scripturam de

majestate regum, contraria judicia protulisse, nihil enim Bellarminus asseruit de pontificum potestate de clericorum exemptione, de regum et principum obedientia, quod ex verbo Dei, conciliorum auctoritate, doctrinis Patrum, et Ecclesiae sensu, atque consensu non hauserit.

(1) Restat pars Apologiae postrema, quae tribus ultimis paginis continetur. In ea laudat Adversarius verba cohortationis, quibus in epistola sua utitur Bellarminus; sed reprehendit, quod tam sanctis sententiis ex ipsa Scriptura petitis nonnullas voces admiscuerit, quarum aliquae prophanae sunt: cujusmodi est illa de pontifice maximo, quae in tota Scriptura numquam legitur: aliae soli Christo conveniunt, ut illa de capite fidei, quam apostoli soli Christo tribuerunt.

At Bellarminus legit in libro Judith cap. 15. *Joachim autem summus pontifex*; quem librum tametsi vos Calviniani cum Judaeis non recipitis inter sacros libros: nos tamen catholici cum nicaena synodo libenter recipimus. Et quamvis vestri magistri librum divinum esse negent: non tamen prophanum appellare audent. Sed praeterea, nomen pontificis, nonne in Scripturis Testamenti veteris frequentissime legitur? et idem nomen cum adjuncta voce (magnus) nonne legitur in epistola ad Hebraeos? Sic enim habemus cap. 4. *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum*: qua fronte igitur vocem prophanam audes appellare, quam Spiritus sanctus Christo ipsi tribuitur? Nisi forte tantum interesse putes inter pontificem magnum et pontificem maximum, ut pontifex magnus sacra vox, pontifex maximus vox prophana dicenda sit, quasi Christus non potuerit pie dici pontifex maximus, sicut dictus est pontifex magnus. Deinde tot sancti Patres romanum episcopum pontificem summum, vel maximum appellavere, ut eorum auctoritas plane sufficiat ad hujus hominis temeritatem refutandam. Vide Stephani episcopi carthaginiensis epistolam ad sanctum Damasum, Gregorium lib. 1. Dialogorum cap. 4. Anselmum praefatione libri de Incarnatione Verbi ad Urbanum papam, Bernardum in omnibus epistolis ad romanos pontifices Innocentium II. et Eugenium III.

Quod vero attinet ad nomen capitis fidei, optassem, ut adversarius qui affirmat nomen illud soli Christo ab apostolis fuisse tributum, vel unum locum notasset in toto volumine bibliorum, ubi apostoli hoc nomen Christo tribuerint. Auctorem fidei et caput Ecclesiae legi Christum ab apostolis appellatum; sed caput fidei non legi; sed neque Bellarminus hanc vocem excogitavit, sed ex s. Gregorio retulit. Non igitur Bellarminum, sed Gregorium adversarius accuset, si audet.

Claudit apologiam auctor, lectores rogans, ut alieni a studio partium, de veritate sententiam ferant, prout illam candide a se descriptam protestatur, ad discutiendas illas tenebras mendaciorum, ac calumniarum, quae in regem serenissimum contra jus fasque collatae indignissime fuerant. Ego quoque responsionem claudo et quoniam spero me calumnias et mendacia hujus apologiae luce ipsa solis clariora fecisse; non rogabo lectores, ut judicium ferant, quasi de re dubia, sed ut oculorum sensum tantum ad Scripturas admoveant et a re ipsa edocti, lucem veritatis aspiciant. Illud in extrema oratione lectorem admonendum esse censui (2), unam ex notis verae Ecclesiae semper fuisse catholicae nomen, de quo sanctus Pacianus in epistola ad Sympronianum: *Catholicum*, inquit, *neque Marcionem, neque Apellem, neque Montanum sonat, neque haereticos sumit auctores: Catholicum non est ab homine mutuatum, quod per saecula tanta non cecidit.* Item: *Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit.* Sanctus item Cyrillus catechesi 18. *Si iveris*, inquit, *in aliquam urbem, non petas ubi sit Ecclesia, vel domus Dei; nam etiam haeretici dicunt se habere domum Dei et Ecclesiam: sed petas ubi sit catholica Ecclesia: id enim nomen proprium est hujus sanctae Ecclesiae matris omnium nostrum.* Sanctus Augustinus (ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum) in libro contra epistolam Fundamenti cap. 4. describens notas Ecclesiae, quae illum in Ecclesia catholica retinebant: *Tenet postremo*, inquit, *ipsum catholicae nomen, quod non sine caussa, inter tam multas haereses, ista Ecclesia sola obtinuit.* Ubi ergo lector Apologiae tertio quoque verbo videbit catholicos appellari in ipsa apologia illos, adversus quos ipse auctor apologiae scribit et a quorum communione se alienum esse profitetur; certe ex ipsa apologia discet, non catholicum, sed plane haereticum esse hujus auctorem apologiae. Ex quo denique facile judicabit, quanta sit illi habenda fides in rebus caeteris, qui se ipse proprio judicio condemnavit.

(1) *Conclusio totius operis.*

(2) *De nomine catholici.*

Finis responsionis ad apologiam pro juramento fidelitatis.

RISPOSTA

DEL

CARDINALE BELLARMINO

AL TRATTATO DEI SETTE TEOLOGI DI VENEZIA

SOPRA L'INTERDETTO DELLA SANTITÀ DI NOSTRO SIGNORE PAPA PAOLO QUINTO

RISPOSTA

DEL

CARDINALE BELLARMINO

AL TRATTATO DEI SETTE TEOLOGI DI VENEZIA

